
BIBL. NAZ.
RACCOLTA
VILLAROSA
E
11/6



JO. BAPTISTÆ

DE LUCA

VENUSINI,

S. R. E. Presbyteri Cardinalis;

THEATRUM

VERITATIS, ET JUSTITIÆ,

SIVE DECISIVI DISCURSUS PER MATERIAS, SEU TITULOS distincti, & ad veritatem editi in forensibus controversiis Canonicis, & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel consultus respondit.

LIBER SEPTIMUS,

Cujus I. Pars de Donationibus; II. de Emptione, & Venditione; III. de Alienationibus, & contractibus prohibitis; IV. de Tutoribus, Curatoribus, Administratoribus, &c.

CUM NONNULLIS RECENTISSIMIS SACRÆ ROTÆ Romanæ Decisionibus ad materiam spectantibus; nec non Annotationibus, ac Discursibus qui antea in Supplementis extabant, suis locis optime adjectis.





NEAPOLI, MDCCLVIII.
Ex Typographia LUCÆ LAURENTII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

[illegible]

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in hac Prima Parte Septimi Libri de Donationibus.

DISC. I.
Romana donationis de Jordanis.

AN & quando in donatione contemplatione matrimonii filii veniant uti filii in exclusionem creditorum sponsi donatarii, & de duplici jure, vel interesse primario, & secundario uxoris, & filiorum in hujusmodi donatione?

DISC. II.
Urbinaten. pecuniaria.

De eadem materia donationis contemplatione matrimonii, an acquiratur filiis uti filiis, & quatenus non, an remitti, vel minui possit a sponso donatario in prejudicium uxoris, & filiorum, & quid ubi fiat per viam transactionis, quando hæc tenêat, & incidenter de concessione veniæ ætatis, an per inferiorem Principem fieri valeat?

DISC. III.
Spoletana divisionis.

De eadem materia donationis contemplatione certi matrimonii, an remitti, vel minui valeat pro jure, vel interesse uxoris, vel filiorum, quamvis secundario tantum, ratione doli, vel fraudis.

DISC. IV.
Forosempronien. donationis.

De eadem materia donationis contemplatione matrimonii, cujus retrocessio explicite, vel implicite facta sit, an posito quod uxore, & filiis illam impugnantibus, talis retrocessio invalida sit, competat donatori, vel ejus hæredibus actio, vel aliud jus contra ipsum donatarium retrocedentem, & incidenter, facta donatione de tot bonis in genere, cujus sit electio, & an eligi possint meliora, vel deteriora respective?

DISC. V.
Romana, seu Maceraten. alimentorum.

An in bonis donatis sponso contemplatione certi matrimonii, sine vocatione, vel jure primario filiorum, filii, ac uxor, pro eorum alimentis, posioritatem habeant adversus ipsius donatarii creditores?

DISC. VI.
Romana Salviani.

An in bonis occasione matrimonii donatis per virum, vel viri patrem filiis ex eo matrimonio procreandis, cum donatione in ipsomet instrumento dotali facta, mulier pro restitutione dotis, actionem, ac potioritatem habeat in concursu filiorum, quibus donatio facta est?

DISC. VII.
Romana donationis de Valpinis.

An illa retrodonatio, quam sponsus prohibitus est facere donanti de bonis donatis contemplatione matrimonii, ob secundarium interesse uxoris, ac filiorum, procedat etiam in ea donatione, quæ occasione matrimonii fiat mulieri de bonis, in dotem tamen non datis, adeout vigeat interesse secundarium viri?

DISC. VIII.
Parmen. donationis.

An donatio facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii, sub conventione, ut effectum sortitura sit post mortem donatoris, caducetur, vel resolvatur, soluto matrimonio per mortem sponsi donatarii, ipso donatore superstite, & quando hujusmodi promissiones post mortem, percutiant substantiam tanquam per speciem futuræ successionis, vel potius solum effectum, seu executionem, ubi præsertim conceptæ sint per viam promissionis de relinquendo?

DISC. IX.
Romana donationis de Andosillis.

De eadem materia, an donatio contemplatione matrimonii resolvatur per mortem donatarii, vivente donatore, ubi concepta sit per viam promissionis de relinquendo post mortem, & generaliter, an donatio correspectiva ad aliquod implementum donatarii, resolvatur ex causa non implementi, vel cessantis correspectivitatis, tam respectu primi donatarii contravenientis, quam aliorum successive vocatorum.

DISC. X.
Recanaten.

In donatione contemplatione certi, & determinati matrimonii, an succedant solum filii ex illo matrimonio suscepti, vel etiam alii ex aliis matrimoniis, & quid ubi agatur de donatione facta sponsæ, non autem sponso.

DISC. XI.
Urbevetana donationis.

De donatione facta contemplatione matrimonii spiritualis, promovendo scilicet ad sacros ordines ad titulum patrimonii, an resolvatur, si promoto obveniant beneficia Ecclesiastica, vel alia bona, cum quibus congrue provisus remaneat, unde cesset causa donandi, & quid ubi id expresse in conventionem deductum sit, an donatarius possit non acceptare beneficium, sive aliam obventionem, & quatenus acceptet, quænam onera deducenda sint, & de quo reddita haberi debeat ratio, ut provisus dicatur.

DISC. XII.
Romana donationis.

An, & quando donatio facta pro erectione, seu fundatione Monasterii, resolvatur si fundatio non sequatur, vel sequuta ulteriorem effectum, seu progressum non habeat, itaut bona redeant ad donatorem necne?

DISC. XIII.
Romana Census.

De eadem materia resolutionis donationis factæ pro erectione, seu fundatione Monasterii, quæ effectum sortita non sit, & an creditores mutuantes Religioni donatariæ pro fabrica Monasterii construendi, jus, vel actionem habeans contra donatorem, & ad bona donata.

DISC. XIV.
Sipontina donationis.

De eodem, an scilicet, & quando donatio facta pro erectione fusus Monasterij, dicatur inter vivos, & irrevocabilis, vel potius causa mortis, & revocabilis, & an resolvatur ob conditiones in tempore non impletas.

De donatione facta absenti, an sit revocabilis ante acceptationem, & de donationis executione, ac de manutentione, quæ ex constituto competat donatario.

D I S C. XV.
Neapolitana donationis.

De resolutione donationis, quæ fiat contemplatione ingressus in Religionem, quatenus non sequuta professione sequatur egressus, & quid ubi pactum accedat, ut egressu non obstante, donatio firma sit, an hujusmodi donatio facta ante susceptionem habitus monastici, solemnitates exigat, & quas, & an donatio facta Ecclesiæ, vel piæ causæ resolvatur per non implementum, & remissive an hujusmodi donationes resolvantur, si sequuta professione, Religiosus caeat a Religione occasione Episcopatus, sive occasione transitus ad aliam Religionem, seu aliud Monasterium?

D I S C. XVI.
Romana librariæ.

Voluntas donandi, an & quando importet donationem perfectam, & irrevocabilem?

Donatio facta intuitu sepulturæ, an sit revocabilis, & causa mortis, seu cessante sepultura resolvatur? Et de donationis probatione.

D I S C. XVII.
Pistorien. donationis.

An donatio, seu promissio facta sub certo eventu post mortem promittentis, vel donantis, resolvatur per donatarii, seu promissarii præmorientiam, vel potius transmittatur ad ejus successores, & quid ubi talis donatio, vel promissio facta sit professo, vel professuro in Religionem, seu Monasterio?

D I S C. XVIII.
Bonon. de Boviis.

De resolutione donationis ob non implementum eorum, quæ a donatore demandata sunt, an & quando intret, præsertim in præjudicium tertii, cujus favore implementum faciendum erat?

D I S C. XIX.
Romana locorum Montium.

De eadem materia resolutionis donationis ob non implementum, & an detur purgatio moræ, vel restitutio in integrum, ubi de resolutione expresse conventum est, in Ecclesia, vel minore, seu muliere, aliisque privilegiatis?

D I S C. XX.
Romana bonorum.

Ad materiam textus *in l. si unquam*, C. *de revocat. donat.* quando illius renunciatio, seu cogitatio filiorum cessare faciat ejus dispositionem, & an intret in donatione habente annexum aliquod onus, & quatenus intret, an requiratur declaratio donatarii in vita, vel resolutio allegari possit per hæredes?

D I S C. XXI.
Tolentina donationis.

De eadem resolutione donationis ob supervenientiam filiorum ex text. *in l. si unquam*, C. *de revocat. donat.* Et de donationis nullitate ob non servatas solemnitates statutarias, quamvis extra locum Statuti.

D I S C. XXII.
Catanien. donationis.

De eadem materia resolutionis donationis per supervenientiam filiorum, & in specie ubi de tempore, quo donatio facta est, donatrix haberet ventrem prægnantem, sed ignoraret.

Metus donatori incussus a tertio non irritat donationem factam præsertim Ecclesiæ, vel causæ piæ.

In quo Foro tractanda sit causa rescissionis donationis, si donator est laicus, & donatarius est Ecclesiasticus.

D I S C. XXIII.
Catanien. donation.

De resolutione donationis factæ Ecclesiæ, seu causæ piæ ob non implementum, & an privilegium, quod desuper a jure piæ causæ tribuitur, cesset, seu conquassetur per favorem alterius causæ piæ, cum qua donator disponat.

An favore piæ causæ sustineatur donatio universalis omnium bonorum, per quam testandi facultas adempta maneat, & an donatio facta eidem piæ causæ absenti, sit ante acceptationem revocabilis?

Et de potestate Prælati non acquirendi in toto, vel in parte bona Ecclesiæ, vel pio loco donata.

D I S C. XXIV.
Romana donationis cum onere Missarum.

An donatio facta Ecclesiæ, vel pio loco cum onere perpetuo missarum, ante acceptationem sit revocabilis, vel ob notabile tempus, in quo acceptatio sequuta non sit, censeatur resoluta; & an hæc sit vera donatio?

D I S C. XXV.
Januen. donationis.

An donatio alicui facta ad certum usum, seu effectum, qui in donatario sequi non potest, resolvatur necne? Et in specie, ubi donatio facta est Religioso professo sub conditione, ut Monasterio, vel Religioni nullatenus acquiri valeat, an ista conditio vitiet donationem, vel potius viriata remaneat, & incidenter, an alienari, vel remitti possit annua præstatio vitalitia, Religioso professo donata, vel assignata?

D I S C. XXVI.
Fulginaten. census.

De solemnitatibus per Statuta particularia desideratis in donationibus, in qua donationum specie requirantur, & in qua non, præsertim in donatione contemplatione matrimonii, & in specie de Statuto Fulginat. quando locum habeat, & an juramentum illud cessare faciat.

D I S C. XXVII.
Romana prætensæ donationis.

An in donationibus, quæ in Urbe fiunt per mulieres, ultra solemnitates, quæ in hoc speciali contractu donationis requisitæ sunt per Statuta 149. & 150. adimpleri etiam debeant requisita per Statutum 151.?

D I S C. XXVIII.
Romana donationis.

De eadem materia Statuti 151. quoad requisitum causæ, an locum habeat in donationibus, quæ fiant per mulieres, & quomodo habenda veniat ratio læsionis, & de alia solemnitate insinuationis requisita a Statuto 150. an impleri possit post revocationem a donatore, & quomodo de ista revocatione constare debeat?

D I S C. XXIX.
Civitatis Castelli dotis.

De insinuatione in donationibus requisita de jure communi, vel ex Constitutione Ægidiana, seu Carpensi. Et quando illius defectus obstet necne, seu cui incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam, & aliqua de donatione inter virum, & uxorem.

D I S C. XXX.
Romana donationis de Cerattis.

De Statuto Urbis annullante donationes inter conjuges, quando locum habeat necne, & quando in tempus mortis collata dicatur substantia, vel executio donationis pro ea sustinenda, utpote collata in tempus habile.

D I S C. XXXI.

De eodem Statuto Urbis prohibente donationes inter conjuges, vel sponsos, an locum habeat in ea donatione, quam vir uxori faciat sub nomine augmenti dotis?

D I-

D I S C. XXXII.
Romana vitalitiæ præstationis.

An Statuta Urbis certam formam, vel solemnitatem præscribentia in donationibus, locum habeant in donationibus, quæ fiant Clericis, & personis Ecclesiasticis, & in specie in donatione, vel promissione, quæ fiant Moniali annuæ vitalitiæ præstationis Monialibus assignari solitæ?

D I S C. XXXIII.
Neapolitana donationis.

De eadem materia Statutorum 149. & 150. Urbis super solemnitatibus adhibendis in donatione etiam per majores, & quid ubi agatur de minore, an requirantur aliæ solemnitates Statutorum 123. & 151. Et quid ubi minor extra territorium statuentis donationem contra formam Statuti factam ratificavit, cum clausula, *quatenus opus sit de novo faciendo.*

D I S C. XXXIV.
Romana legitimæ.

De eadem materia solemnitatum adhibendarum in donatione facta per mulierem per Statuta 149. 150. 151. an requirantur in donatione causa mortis, vel in ea tacita, & virtuali donatione, quæ resultet a reservatione alicujus juris vitalitii, seu alias ad favorem post mortem ipsius donatoris, & de dicta donatione implicita resultante a reservatione, quæ fiat in officiis, vel locis montium, seu censibus vitalitiis ad favorem alicujus, & de jurium vitaliriorum æstimatione, ad effectum calculandi bona donata pro legitima filiorum.

D I S C. XXXV.
Eugubina donationis.

De decretis Ducalibus Status Urbini super solemnitatibus adhibendis in donationibus, an vigeant hodie post dicti Status devolutionem, & præsertim an locum habeant in Civitate Eugubina, & quatenus vigeant, quid ubi accedat juramentum, vel fiant extra territorium, & an donatio facta per uxorem filius viri, cadat sub prohibitione donationis inter conjuges.

D I S C. XXXVI.
Romana scutorum 30. mil.

Facta donatione uni aliquorum bonorum, sub reservatione ususfructus, & redditus ad favorem alterius, cui data sit facultas disponendi etiam in morte de eorundem bonorum proprietate in parte, an dictæ facultatis concessio importet perfectam, ac irrevocabilem donationem, vel potius revocari, seu minui, aut primo donatario remitti valeat?

D I S C. XXXVII.
Bononien. donationis.

An donatio, seu promissio collata post mortem donatoris importet ab initio perfectam, & irrevocabilem donationem inter vivos, dilata executione, vel potius donationem causa mortis? Præsertim ubi promissio sit inter conjuges occasione matrimonii in augmentum dotis.

D I S C. XXXVIII.
Romana donationis de Vidman.

An donatio inita sub commemoratione mortis, præsertim per militem, seu accessurum ad bellum, dicatur inter vivos, vel causa mortis, & quomodo una ab altera distinguatur.

D I S C. XXXIX.
Spoletana donationis.

De donatione causa mortis facta per filiumfamilias de consensu patris ad favorem ejusdem, an sustineatur, itaut pater sibi ipsi auctorari potuerit?

D I S C. XL.
Forosempronien. fideicommissi.

De donatione inter patrem, & filium, an inducta censeatur ex eo, quod pater, aliquid acquirendo, stipulatur pro filiis? Et quatenus illa inducta censeatur, an sit revocabilis, bonaque ita quæsita cadant sub ejus fideicommisso, vel alia dispositione?

D I S C. XLI.
Romana redotationis, & augmenti.

De eadem materia donationis inter patrem, & filium, quando facta censeatur, vel potius importet simplicem destinationem, seu velleitatem: Et quatenus adsit, an sit revocabis necne? Et in specie quando dicatur facta filiæ pro augmento dotis, & incidenter de onere partis, vel ejus hæredis, denuo dotandi, vel alendi filiam nuptam, quæ dotem amiserit.

D I S C. XLII.
Romane annuæ præstationis.

An valeat donatio facta per militem concubinæ? Et quid de donatione facta Histrionibus in genere, vel quando utraque qualitas concurrat.

D I S C. XLIII.
Romana, seu Volaterrana spolii.

Donatarius Principis, an possit molestari a Domino bonorum donatorum, ad materiam text. *in l. omnes, & l. bene a Zenone, C. de quadrien. præscript.*

Et generaliter quæ actio competat rei Domino contra donatarium, qui a non domino rem donatam habuit, ubi ea non extet.

D I S C. XLIV.
Mutinen.

Donatarius omnium bonorum, an teneatur ad confectionem inventarii? Et an ob ejus omissionem teneatur creditoribus donatoris insolidum etiam ultra vires bonorum donatorum, & de donatario hæreditatis.

D I S C. XLV.
Romana census.

De eadem materia donatarii universalis, quando dicatur talis necne, ut stare dicatur loco hæredis, & teneatur ad debita etiam in actione personali, & executiva.

D I S C. XLVI.
Terracinen. pecuniarie.

De eadem materia donatarii universalis obligati ad debita donatoris, an teneatur ad ea debita, quæ donator contraxit post donationem.

D I S C. XLVII.
Romana donationis.

Donatio facta patri, & filiis, an censeatur ordine simultaneo, vel successivo, & an patre retrodonante, jus competat filiis ipso vivente, adversus donatorem?

D I S C. XLVIII.
Romana fideicommissi de Cassiis.

An secunda donatio facta ad favorem ejusdem donatarii, censenda sit duplicata, & diversa a præcedenti, adeout utraque debeatur, vel potius secundus actus initus censeatur in executionem, ac implementum primi, adeout unica sit donatio.

D I S C. XLIX.
Romana donationis de Perettis.

De eadem materia discursus præcedentis, an scilicet secunda donatio facta eidem donatario, importet duplicationem, vel potius insit primæ, ac in ejus executionem facta sit, itaut utraque unicam constituat, & quid ubi secunda est minor, an debeatur illud plus, quod in prima continetur?

D I S C. L.
Romana lucri, seu donationis.

An valeat donatio facta per conjugem binubum alicui conjuncto, vel extraneo in præjudicium donationis propter nuptias, seu lucri dotalis debiti secundo conjugi superstiti? Et quid respectu portionum, quæ debentur filiis primi matrimonii, ut conjugi lucrum obtinenti reddantur æquales, ad terminos text. *in l. hac edictali, C. de secundis nuptiis.*

D I S C. LI.
Sabinen. donationis.

De evictione in donatione præstanda: & an donatarius, qui ad annuam præstationem erga donatorem se obligavit, ejus solutionem denegare valeat ob molestias, vel imminentem evictionem in bonis donatis?

D I S C. LII.
Neapolitana hæreditatis.

De eadem materia evictionis præstandæ in donatione, & in specie an donans bona cum assertione ejus fructus, vel redditus, ad aliquid teneatur, si iste minuatur?

D I S C. LIII.
Bonon. pratensis evictionis.

De eadem materia evinctionis præstandæ in donatione remuneratoria, & in præmium servitii, seu aliorum meritorum, & quid ubi donator declaravit velle solum teneri de dato, & facto suo.

D I S C. LIV.
Neapolitana, seu Baren. donationis.

An in donatione cum oneribus ad vitam donatoris, detur læsio ex parte donatarii, & quomodo vita hominis æstimanda sit?

D I S C. LV.
Sancti Severini donationis.

An, & quando in donatione detur læsio, & de invalida donatione facta per mulierem, ex eo quod remaneat indotata, si ipsa est soluta?

D I S C. LVI.
Parmen. donationis de Tertiis.

Ad materiam text. *in l. quoties, C. de donat. quæ sub modo*, an scilicet, & quando donator remittere possit donatario onera illi adjuncta favore tertii absentis, pro quo nemo legitime stipulatus fuerit.

D I S C. LVII.
Farfen. donationis, seu fideicommissi.

An in donatione facta cum ordine successivo, vel fideicommissi ad favorem plurium, necessaria sit acceptatio primi donatarii, qua non sequuta, illa evanescat, etiam quoad alios successive vocatos necne, vel potius substituti venire possint jure proprio, & quando donatio dicatur lucrativa, vel onerosa ad eundem effectum?

D I S C. LVIII.
Neapolitana, seu Campanien. donationis.

An donator teneatur eximere donatarium a molestiis, quas patiatur ab ejus creditoribus in bonis donatis, & quatenus ea facto donatoris aliqua bona donatarius amiserit, an teneatur ad reintegrationem?

D I S C. LIX.
Gallipolitana pecuniaria.

Facta per patrem donatione bonorum uni ex filiis, sub lege, ut post mortem patris teneretur ea conferre, & communicare cum aliis filiis, adeout omnium filiorum æqualis esset conditio, an pro ea rata, quæ caderet sub aliorum filiorum portionibus, bona continuare dicantur in dominio patris, adeout affecta sint ejus creditoribus, & de simulatione donationis in fraudem creditorum, & de processu exequutivo contra donatarium tertium possessorem.

D I S C. LX.

Discursus generalis instructivus, seu informativus in materia insinuationis donationis.

D I S C. LXI.
Romana, seu Albanen. vineæ.

An in donatione facta cum onere donatarii erga donatorem ad vitam, detur læsio, quæ contractus rescissioni locum præbeat?

An donatarius gravari possit, ac teneri ad onera ultra rei donatæ valorem, seu emolumentum, vel potius, donationi cedendo, onus evitare possit?

Et an in contractu donationis, vel alio de bonis in libero commercio non existentibus absque domini directi, vel alterius assensu, detur pœnitentia in uno ex contrahentibus, altero invito, re integra, & ante impetrationem assensus, vel ante implementum, quod contractum perficiat?

D I S C. LXII.
Jannen. donationis.

An & quando valeat donatio facta per patrem qui filios legitimos habeat, filio illegitimo, & quid in hoc operetur juramentum? Ex qua occasione distinguuntur diversæ illegitimorum species.

D I S C. LXIII.
Forolivien. donationis.

De quæstione possessorii inter donatarium, & hæredem Donatoris, quis obtinere debeat pendente lite super donationis validitate, & de materia simulationis donationis, vel ejus resolutionis ob non implementum.

D I S C. LXIV.
Tusculana promissionis.

De eadem materia de qua supra *disc.* 8. an scilicet donatio, vel alia promissio facta per Patrem filio contemplatione certi matrimonii, de ejus hæreditate in toto, vel in parte post ipsius mortem, caducetur, vel resolvatur per prædecessum ipsius donatarii, vel potius transmittatur ad ipsius prædefuncti hæredes, & incidenter de lucro Statutario?

D I S C. LXV.
Romana, sive &c.

An secundo donatario, idest illi, qui primo donatario est substitutus, competat actio ad bona donata contra tertium, in quem primus donatarius distraxerit, ad materiam text. *in l. quoties, C. de don. quæ sub modo*?

D I S C. LXVI.
Romana pecuniaria, seu donationis.

De insinuatione, aliisque solemnitatibus in donatione requisitis, & an, & quando servari debeant in donatione annuæ præstationis vitalitiæ, & quid in donatione facta per Magnatem proprio familiari cum assertione meritorum?

D I S C. LXVII.
Fulginaten. donationis.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 29. super solemnitatibus a Statuto Fulginaten. requisitis in donationibus quales esse debeant, & quando requirantur.

D I S C. LXVIII.
Eugubina donationis.

An donatio facta per iturum ad bellum, censenda sit causa mortis, vel inter vivos, & an retrodonatio exigat easdem solemnitates requisitas in donatione, & an istæ solemnitates requirantur in donatione facta per matrem filio?

D I S C. LXIX.
Romana donationis locorum Montium.

De eadem materia, de qua *disc. præced.* an scilicet in donatione facta per matrem filiæ requirantur solemnitates statutariæ necne?

D I S C. LXX.
Cremonen. donationis.

De donatione facta per mulierem viduam cum præsupposito deliberationis permanendi in viduitate, an corruat, vel resolvatur, ea mutante propositum, atque transeunte ad secunda vota, & de aliquibus ad materiam donationis remuneratoriæ, sive causativæ, & onerosæ, ac etiam de nullitate ob non bene servatas solemnitates Statuti.

D I S C. LXXI.
Romana donationis locorum Montium.

De eadem materia de qua supra *disc.* 20. *& seqq.* super resolutione donationis ob supervenientiam filiorum, ad terminos textus *in l. si nunquam, C. de rev. donat.*

D I S C. LXXII.
Urbevetana donationis.

An bona donata mulieri pro augmento ejus dotis veniant sub generali renunciatione per eandem donatariam facta ad favorem fratris donantis?

D I S C. LXXIII.
Praten. donationis.

De pacto resolutivo donationi adjecto ad favorem donatoris in casu alicujus inobservantiæ, vel contraventionis, an percutiat substantiam donationis, vel potius modum, & accidentia, ubi præsertim donatio sit ad pias causas, & an resolutio non declarata per donatorem in vita, declarari possit post mortem per ejus hæredem?

D I S C. LXXIV.
Placentina bonorum.

An valeat donatio facta Principi, ut privatorum jura excludat, & quando donatio facta absenti, sit revocabilis?

De suspicionibus falsitatis instrumenti, & incidenter de competentia Fori, & de propositione, quod Fiscus non litigat manibus vacuis.

IN-

INDEX CAUSARUM

Hujus tituli de Donationibus ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

B

Bononien. de Boviis, disc. 18.
Donationis, disc. 37.
Prætensæ evictionis, disc. 53.

C

Catanien. donationis, disc. 23.
Civitatis Castelli dotis, disc. 29.
Cremonen. Donationis, disc. 70.

E

Eugubina, disc. 35.
Donationis, disc. 68.

F

Farfen. donationis, seu fideicommissi, disc. 57.
Forosempronien. donationis, disc. 4.
Fideicommissi, disc. 40.
Forolivien. donationis, disc. 63.
Fulginaten. Census, disc. 26.
Donationis, disc. 67.

G

Gallipolitana pecuniaria, disc. 59.

I

Januen. donationis, disc. 25.
Donationis, disc. 62.

M

Milevitana donationis, disc. 22.
Mutinen. disc. 44.

N

Neapolitana donationis, disc. 15.
Eadem, disc. 33.
Hæreditatis, disc. 52.
Seu Baren. donationis, disc. 54.
Seu Campanien. donationis, discurs. 58.

P

Parmen. Donationis, disc. 8.
Donationis de Tertiis, disc. 56.
Pistorien. donationis, disc. 17.
Placentina bonorum, disc. 74.
Praten. donationis; disc. 73.

R

Recanaten. disc. 10.
Romana, seu Maceraten. alimentorum, disc. 5.
Annuæ præstationis, disc. 42.
Augmenti dotis, disc. 31.
Bonorum, disc. 20.
Census, disc. 13.
Census, disc. 45.
Donationis, disc. 12.
Donationis cum onere missarum, disc. 24.
Donationis, disc. 28.
Donationis locorum Montium, disc. 69.
Donationis locorum Montium, disc. 71.
Donationis, disc. 47.
Donationis de Andosillis, disc. 9.
Donationis de Cerattis, disc. 30.
Donationis de Jordanis, disc. 1.
Donationis de Perettis, disc. 49.
Donationis de Vidman, disc. 38.
Donationis de Volpinis, disc. 7.
Fideicommissi de Cæsiis, disc. 48.
Legitimæ, disc. 34.
Librariæ, disc. 16.
Locorum montium, disc. 19.
Lucri, seu donationis, disc. 50.
Pecuniaria, seu donationis disc. 60.
Prætensæ donationis, disc. 27.
Redotationis, & augmenti, discurs. 41.
Salviani, disc. 6.
Scutorum 30. mill. disc. 36.
Seu Albanen. Vineæ, disc. 61.
Sive &c. disc. 65.
Seu Volaterrana spolii, disc. 43.
Vitalitia præstationis, disc. 32.

S

Sabinen. donationis, disc. 51.
Sancti Severini donationis, disc. 55.
Spoletana divisionis, disc. 3.
Donationis, disc. 39.
Sypontina donationis, disc. 14.

T

Terracinen. pecuniaria, disc. 46.
Tolentina donationis, disc. 21.
Tusculana promissionis, disc. 64.

V

Urbevetana donationis, disc. 11.
Donationis, disc. 72.
Urbinaten. pecuniaria, disc. 2.

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in hac Parte II. Septimi Libri, de Emptione, & Venditione.

DISC. I.

Romana concessionis ad vitam.

Concessio ad vitam an importet venditionem, vel potius locationem, seu usumfructum, vel contractum innominatum?

Et re ita concessa patiente ruinam, ad quem spectet onus refectionis, & an concessionarius possit ex ista causa prætendere restitutionem pretii, vel remissionem conventæ præstationis?

DISC. II.

Bonon. Emptionis.

An post exequutionem & subhastationem, antequam sequatur deliberatio, possit debitor rem subhastatam vendere, & dominium in emptorem transferre in præjudicium licitatoris, quoties nullum adest præjudicium creditoris?

DISC. III.

Romana, seu Albanen. deliberationis.

An ille, qui venalia exposuit ejus bona sub hasta, possit pœnitere, ac nolle tradere bona ultimo licitatori?

D I S C. IV.
Romana mercedis.

Emptio, & venditio quando dicatur perfecta ad effectus eainde resultantes, illum præsertim, ut emptor faciat fructus suos, & in specie de venditione sub incerto pretio.

D I S C. V.
Romana Concursus.

An & quando in venditione mercium, habita fide de pretio, transeat dominium in emptorem ita & taliter, quod venditor concurrat cum aliis creditoribus, vel e contra, non translato dominio, illius jure vendicet, & creditores vincat?

D I S C. VI.
Romana Trinorum.

Cujus sit periculum mercium, vel bonorum, quæ ab uno loco ad aliem transmittuntur, an emptoris vel venditoris?

D I S C. VII.
Romana mensurationis.

Vendita vinea, seu alio prædio ad mensuram, iofra quantum tempus ita peti possit, vel potius præscriptum dicatur jus eam petendi.

D I S C. VIII.
Romana Equi.

De redhibitoria in emptione, & venditione animalium, tam in terminis juris communis, quam de consuetudine Urbis.

D I S C. IX.
Perusina census.

De actione quanti minoris, an intret ex eo, quod venditor census illum asseruerit majoribus fructibus, quam sit, vel potius data ipsius veritate de jure, & de facto, dicta assertio attendi non debeat?

D I S C. X.
Romana Vinea.

De actione quanti minoris, quæ emptori competat adversus venditorem ob servitutem, quæ in re vendite detegatur.

D I S C. XI.
Imolen. Prædii.

An emptor ob imminentem rei evictionem, vel ob ejus detecta onera, denegare possit pretii solutionem, atque recedere a contractu, vel potius venditor admittatur ad cautionem præstandam de indemnitate?

D I S C. XII.
Romana rescissionis contractus.

An valeat pactum in contractu emptionis, & venditionis mercium, ut venditor in Civitatem, seu locum conventum introducere non possit illam speciem mercium, & an in casu contraventionis intret necne rescissio contractus, vel potius intret solum actio ad damna, & interesse, & incidenter de Dardanaria, seu Monopolio?

D I S C. XIII.
Romana Gemmarum.

De emente rem furtivam, an & quando repetat pretium, ubi præsertim illud solutum æst ei, cui idem Dominus bona futura vindicare volens, solvere deberet.

D I S C. XIV.
Romana pretii grani.

De pretio quanti plurimi frumenti debiti, & an venditor possit post contractum vendere frumentum, vel alias merces propria auctoritate?

D I S C. XV.
Romana grani.

De obligatione venditoris frumenti, illud statuto tempore non tradentis, ad reficiendum emptori illud majus pretium, pro quo ab aliis emere coactus est, & quando impedimentum dicatur justum, & excusans necne, & cui incumbat onus probandi impedimenti justitiam, vel respective injustitiam.

D I S C. XVI.
Bononien. evictionis.

An emptor agat ad evictionem, si passus est rem pro minus justo pretio subhastari, vel potius sibi imputandum sit, cur offerendo debitum, subhastationem non impedierit, & quando dicatur adesse læsio considerabilis?

Hæres fidejussoris, an & quando teneatur de evictione?

D I S C. XVII.
Civitatis Castelli.

An sequuta evictione rei venditæ in parte, ad illam agi valeat in totum rescindendo contractum, vel potius actio competat ad partem evictam?

D I S C. XVIII.
Romana Aromatariæ.

De eadem materia evictionis sequutæ in parte, an præstanda sit in totum, & quid ubi vendita sit aliqua universitas?

D I S C. XIX.
Romana Transactionis, seu Salviani.

An emptor prævenire possit imminentem evictionem transigendo cum evincente? Et an pro eo quod ex dicta causa solvit, agere possit, non solum contra venditorem, sed etiam contra creditores, quibus pretium solutum fuit cum obligatione de restituendo: & quomodo adversus dictos creditores agere possit?

D I S C. XX.
Albanen. permutationis.

An ille regressus, qui, evicta re permutata, competit permutanti ad rem suam cessante hypotheca, sit exercibilis contra tertium bonæ fidei emptorem, seu alias particulari titulo translativo dominii ex causa onerosa rem acquirentem?

D I S C. XXI.
Romana tenutæ.

Emptore solvente partem pretii creditoribus anterioribus, partem vero ipsi venditori, vel creditoribus posterioribus, an creditores intermedii petere possint immissionem pro indiviso pro rata debitori, vel posterioribus soluta, admittendo tantum in emptore retentionem pro rata soluta anterioribus, vel potius ei liceat retinere totam rem? Aut alias consultum eidem esse possit pro assequutione ejus, quod anterioribus solutum est, & generaliter, & quando emptor agendo, vel excipiendo utatur juribus creditorum, qui tum ejus pecunia in causam pretii dimissi sunt.

D I S C. XXII.
Anconitana contractus.

An emptor se tueri possit juribus ejus, qui in contractu venditionis intervenit, atque consensum præbuit, præsertim cum juribus dotalibus uxoris venditoris, si ea intervenerit?

D I S C. XXIII.
Sutrina census.

Obligatio emptoris ad favorem creditorum venditoris ob census, seu debita in se accollata in partem pretii, an duret, vel potius resolvatur sequuta rei emptæ evictione?

D I S C. XXIV.
Pisaurien. rescissionis contractus.

De probatione læsionis, ob quam venditor prætendat contractum rescindere, an & quando dicatur sufficienter, & bene facta?

D I S C. XXV.
Romana prætensæ læsionis.

De eadem materia probationis læsionis, & an remedium *l. 2. C. de rescind. vend.* competat, & sit exercibile contra tertium, in quem emptor rem distraxit.

D I S C. XXVI.
Romana molestiarum.

Venditor hæreditatis, an teneatur de evictione, vel ad molestias ob aliqua bona evicta, seu ad quæ agant creditores hæreditarii, & quando dicatur esse venditio, vel cessio hæreditatis?

D. I.

D I S C. XXVII.
Romana transactionis.

De materia enormissimæ læsionis, quæ redoleat dolum, quando adesse dicatur in transactione, & de effectibus exinde resultantibus.

D I S C. XXVIII.
Romana domorum.

De Statuto Urbis circa læsionem sufficientem in tertia parte, an liget Clericos, & Ecclesiasticos? Et quid ubi ipsi Ecclesiastici illud pro se allegant, & de læsione in venditionibus ad vitam, seu aliis contractibus, ac juribus vitalitiis.

Et an venditio sub hasta facta prævio judicio cum principali debitore, non citatis creditoribus admissis ad causam, dicatur nulla, etiam respectu ipsiusmet principalis, vel aliorum, qui non erant admissi ad causam?

D I S C. XXIX.
Romana census.

Facta emptione pro persona nominanda, & sequuta nominatione, an creditores in dicta emptione accollati jus habeant contra primum emptorem, ejusque bona vigore suæ obligationis, vel potius facta nominatione, omne jus activum, & passivum transeat in nominatum, & resolvatur quoad nominantem?

D I S C. XXX.
Romana manutentionis.

De eadem materia emptionis factæ pro persona nominanda, an fieri possit nominatio post annum?

D I S C. XXXI.
Bonon. prædii.

An, & quando adversus ementem bona vendita jure creditoris, venditoris creditoribus competat jus offerendi, & quid ubi ipsemet creditor, ad cujus instantiam venditio facta est, emptor quoque existat, sub alterius simulato nomine?

D I S C. XXXII.
Romana redemptionis.

Quale pretium attendi debeat in retrovenditione, seu redemptione, an illud contractus, vel illud temporis, quo fit redemptio? Et de pacto redimendi necessario in venditore, an valeat, & ubi restrictum est ad certum tempus, quomodo intelligendum sit, & incidenter de aliis ad materiam juris redimendi.

D I S C. XXXIII.
Romana pecuniaria.

De pacto commissorio inter emptorem, & venditorem, an valeat? Et a quo exerceri possit altero invito, & quando illud ad exercitium deductum dicatur.

D I S C. XXXIV.
Romana aquæ.

An, & quid in contractum emptionis, & venditionis deductum censeatur, & in specie, an emens domum cum hortis, & aquis, si domum denuo vendat, aliquam vero partem retineat, quænam pars aquarum ad novum emptorem, vel respective ad secundum venditorem pertineat, & quid si secundus venditor in ejus arbitrio id reponat?

D I S C. XXXV.
Romana domus.

Possidens directum dominium rei stabilis cum jure percipiendi ab emphyteuta, vel conductore annuum censum, seu responsionem, si simpliciter vendat censum, seu responsionem, an vendidisse censeatur etiam ipsum directum dominium pro casu devolutionis, ac ad alios effectus?

D I S C. XXXVI.
Urbevetana onerum.

An, & quæ onera pertineant ad emptorem, quamvis res libera vendita esset, adeout pro eis non competat actio evictionis, seu quanti minoris, vel e contra?

D I S C. XXXVII.
Firmana evictionis.

An venditori liceat rem evictam ab evincente recuperare, illamque emptori restituere, atque ita evictionis actionem, vel regressum emptoris ad primæva jura evitare?

D I S C. XXXVIII.
Ravennaten. fructuum.

An, & quando secundus emptor evictionis actionem habeat contra primum venditorem, ac etiam, an in evictione veniant fructus, vel interesse ad favorem ejus, qui non est venditor, sed est assignatarius, seu cessionarius pretii?

D I S C. XXXIX.
Romana.

An, & quando emptor, qui in se accollocavit pro pretio debita fructifera venditoris, teneatur ad fructus debitorum ultra id quod ipsius rei fructus importent?

D I S C. XL.
Taurinen. pecuniaria.

An emptor hæreditatis, vel spolii, qui accollocavit in se omnia debita, quorum aliqua deduxit ad speciem, teneatur refiere venditori id, quod importent debita ad speciem deducta, quæ detegantur esse indebita, vel potius id ipsius emptoris commodo cedat?

D I S C. XLI.
Romana pecuniaria.

De emente ab hærede beneficiato, an & quando reddatur tutus a molestiis creditorum hæreditariorum, ad terminos textus *in l. fin. Cod. de jur. deliberan.*?

D I S C. XLII.
Januen. frumenti.

An & quando emens merces, vel alia bona a se gerente pro Domino, vel Administratore, sit tutus a Domino, merces, vel bona vindicare volente, seu ab aliis jus in eis habentibus?

D I S C. XLIII.
Civitatis Castelli prædii.

De Statuto Civitatis Castelli reddente tutum emptorem, qui per aliquod tempus possedit, & de altero inducente præsumptionem simulationis, si venditor continuavit in possessione, eorundemque Statutorum intelligentia.

D I S C. XLIV.
Urbinaten. venæ sulphuris.

An vendito fundo, veniant sub venditione fodinæ mineralium, vel thesauri, & alia existentia sub solo; & an ob fodinam, vel thesaurum inventum intret læsio?

D I S C. XLV.
Spoletana picturæ.

An conventio de faciendo picturam, vel statuam pro certo pretio, vel incerto a peritis certificando, importet contractum emptionis, & venditionis, vel potius locationis, & conductionis, & quatenus unum, vel alterum importet, quomodo intelligendum sit pactum recipiendi picturam, vel statuam, quatenus placeat?

D I S C. XLVI.

De pluribus ramificationibus ad hanc materiam emptionis, & venditionis, sub aliis titulis, vel materiis tractatam, præsertim circa pactum de retrovendendo, & circa fructus recompensativos pretii non soluti.

D I S C. XLVII.
Romana Pecuniaria.

An illud augmentum pretii, quod conveniatur sub certa conditione redolente majorem emptoris securitatem, habeat naturam veri pretii ad effectum fructuum recompensativorum juxta æquitatem *l. curabit, Cod. de action. empti*?

Et quando talis conditio sufficienter purificata dicatur, ut oriatur actio pro hujus augmenti assequutione.

D I-

D I S C. XLVIII.
Pisauren.

An promissio de vendendo ad certum tempus, vel in certum eventum, sit obligatoria, sive quem effectum operetur, & quatenus sit talis, quale pretium attendi debeat, an scilicet illud de tempore venditionis, & promissionis, vel alterum in quo venditio ob factum casum sequatur?

D I S C. XLIX.
Romana societatis officii.

An valeat obligatio de emendo non correspectiva, quia nempe non adsit obligatio de vendendo, & quatenus valeat, quomodo intelligi debeat, & quale pretium attendendum sit, & an talis obligatio importet potius fidejussionem, vel assecurationem?

D I S C. L.
Romana, seu Albanen. Vinearum.

De actione competente emptori adversus venditorem pro remotione molestiarum passarum, an competat ubi non accedat illa denunciatio; quæ de jure requiritur pro actione evictionis?

Et aliqua ad ejusdem evictionis materiam, an scilicet & quando ad eam teneatur ille, qui emendo rem pro persona nominanda, alterum nominavit, cum aliqua alteratione pretii, & pactorum?

D I S C. LI.
Parmen. Permutationis.

An, & quando emptori, vel respective venditori, sive permutanti petenti ab altero contrahente pretium, vel rem, obstet exceptio non traditionis, vel non implementi, si defectus perveniat a casu, vel a facto tertii?

D I S C. LII.
Romana Lignorum.

De materia periculi rei venditæ resultantis ab incendio, vel alio simili casu, an illud esse debeat emptoris, vel venditoris?

D I S C. LIII.
Florentina pretii.

De venditione facta pro pretio solvendo, quando emptor uxorem duxerit vulgo *a tempo*, *a moglie*, an emptore moriente, uxore non ducta, venditor habeat actionem ad pretium consequendum ab ejus hæredibus necne?

D I S C. LIV.
Romanana læsionis.

An in venditione judiciali sub hasta detur enormis, vel enormissima læsio, & quatenus detur, an sufficiat in sexta, vel debeat esse ultra dimidium, & de illius probatione?

I N D E X C A U S A R U M

Hoc titulo de Emptione, & Venditione, ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

A

Albanen. permutationis, disc. 10.
Anconitana, disc. 22.

B

Bononien. emptionis, disc. 2.
Evictionis, disc. 16.
Prædii, disc. 31.

C

Civitatis Castelli, disc. 17.
Prædii, disc. 43.

F

Firmana, disc. 37.
Florentina Pretii, disc. 53.

I

Januen. frumenti, disc. 42.
Imolen. prædii, disc. 18.

P

Parmen. Permutationis, disc. 51.
Perusina Census, disc. 9.
Pisauren. rescissionis contractus, disc. 24.
Pisauren. disc. 48.

R

Ravennatten. fructuum, disc. 38.
Romana, disc. 39.
Aquæ, disc. 34.
Aromatariæ, disc. 18.
Census, seu pecuniaria, disc. 29.
Concessionis ad vitam, disc. 5.
Concursus, disc. 5.
Domorum, disc. 28.
Domus, disc. 35.
Equi, disc. 8.
Gemmarum, disc. 53.
Grani, disc. 15.
Læsionis, disc. 54.
Lignorum, disc. 52.
Manutentionis, disc. 30.
Mensurationis, disc. 7.
Mercedis, disc. 4.
Molestiarum, disc. 26.
Pecuniaria, seu associationis, disc. 33.
Pecuniaria, disc. 41.
Pecuniaria, disc. 47.
Pretii grani, disc. 14.
Prætensæ læsionis, disc. 25.
Rescissionis contractus, disc. 12.
Redemptionis, disc. 32.
Seu Albanen. deliberationis, disc. 3.
Seu Albanen. vinearum, disc. 50.
Societatis Officii, disc. 49.
Tenutæ, disc. 21.
Transactionis, disc. 27.
Transactionis, seu Salviani, disc. 19.
Triuarum, disc. 6.
Vineæ, disc. 10.

S

Spoletana picturæ, disc. 45.
Sutrina Census, disc. 23.

T

Taurinen. pecuniaria, disc. 40.

V

Urbevetana onerum, disc. 36.
Urbinaten. venæ sulphuris, disc. 44.

I N-

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in hac Parte III. Septimi Libri, de Alienationibus, & Contractibus prohibitis.

DISC. I.

Discursus generalis, ad materiam alienationis bonorum Ecclesiæ.

DISC. II.

Lunen. Sarzanen.

De Constitutione Urbani VIII. tollente beneplacitum præsumptum ob lapsum temporis longissimi præservante autem centenarium, quomodo intelligi debeat, an scilicet dictum tempus centenarium computetur a die alienationis usque ad diem ipsius editæ Constitutionis, vel potius usque ad diem litis, ac impugnationis actus, & de aliis circa dictæ Constitutionis intelligentiam, & quando procedat necne?

DISC. III.

Cplonien. bonorum.

De eadem materia præsumptæ justificationis solemnitatum, ac legitimæ alienationis bonorum Ecclesiæ, resultantis ab antiquissima, præsertim centenaria possessione, & quando dictæ præsumptioni obstet necne infectio tituli, ex cujus inspectione apparet de defectu solemnitatis, vel causæ, & præsertim de alienatione antequam ederetur *Extravag. Ambitiosæ*.

DISC. IV.

Neritonen. bonorum.

An, & quando alienatio bonorum Ecclesiæ invalida dicatur, quamvis expressum beneplacitum Apostolicum accedat, ob illius formam non servatam, & posita nullitate, an per possessorem fructus restitui debeant, & e converso, an, & quæ melioramenta per Ecclesiam ejus bona vindicantem, possessori debeant refici?

DISC. V.

Lucana bonorum.

De concessione rei solitæ concedi, an, & quando sustineatur, & an posita valida alienatione, seu concessione, possit Ecclesiæ Prælatus, vel Rector, illam retractare concorditer cum concessionario, istumque liberare in Ecclesiæ præjudicium?

DISD. VI.

Romana canonum.

De indirecta, seu improptia alienatione per diminutionem, seu sbassamentum canonis, vel census reservativi, & an, & quando annullata alienatione, debeantur fructus medii temporis, de quibus Ecclesia reintegrari debeat?

DISC. VII.

Romana census.

De impositione censuum cadente sub prohibita alienatione, & quando Confraternitates laicorum dicantur ad hunc effectum Ecclesiasticæ, ut earum bona sub hac prohibitione cadant.

Et an valide imponi possit census ad effectum construendi de novo domum super ipsamet domo construenda.

DISC. VIII.

Romana census.

De eadem materia census impositi per Confraternitatem, seu Collegium, vel aliam Universitatem piam, vel Ecclesiasticam, & quando de una, vel altera specie dicatur, & quatenus impositio sit invalida cum ipso loco pio, vel Ecclesiastico, an sustineatur cum personis particularibus æque principaliter obligatis?

DISC. IX.

Maceraten. census.

De privilegiis, & facultatibus aliquarum Religionum alienandi, non obstante prohibitione Canonum, & *Extravag. Ambitiosæ*, sine beneplacito Apostolico, & quando etiam cum beneplacito dici valeat bene facta impositio census super bonis quæsitis de novo, & in eorum causam.

DISC. X.

Lauden. census.

An valeat impositio census pro extinctione alterius census antiqui in diversa moneta ab ea, in qua antiquus debebatur, & de qua licentia Apostolica loquitur, adeout beneplacitum dicatur male exequutum, & an absque Beneplacito imponi possit novus census pro extinctione antiqui valide impositi cum beneplacito, vel e converso, an valeat secunda impositio, quamvis cum beneplacito, facta pro extinctione alterius census quem detegatur esse invalidum?

DISC. XI.

Romana census.

An debitum contractum per Ecclesiæ Rectorem, seu Prælatum cum licentia Apostolica præscribente assignationem creditori faciendam fructuum aliquorum bonorum, ex quibus debeat satisfieri, importet implicitam impositionem census, quæ afficiat ipsam Ecclesiam ejusque bona, & quid ubi certus terminus Ecclesiæ Rectori, vel Administratori in licentia præscriptus est ad censum, vel aliud debitum extinguendum, an creditor teneatur de hoc esse sollicitus, adeout non implementum sibi præjudicet, & incidenter, an Prælatus, vel Rector acquirat jura contra Ecclesiam?

DISC. XII.

Romana locorum Montium.

De alienatione locorum Montium, an veniat sub prohibitione *Extravag. Ambitiosæ*, & quando data invalida alienatione, veniant fructus medio tempore percepti inter alienationem, & petitam revocationem, & quid de alienatione usufructus seu fructuum assignatorum Religioso ad vitam.

DISD. XIII.

Panormitana feudi.

De concessione feudali facta per Ecclesiam, ubi constet de mala exequutione beneplaciti Apostolici, ac de læsione. Et quando per lapsum longissimi temporis, uterque defectus tollatur, & quando exequutio dicatur male facta, & de modo regulandi læsionem.

DISC XIV.

Portuen. tenutarum.

De læsione, seu cessante utilitate Ecclesiæ in concessione emphyteutica, quomodo regulanda sit, & quale tempus attendendum, & an successivum augmentum, quod tractu temporis notabiliter contingat, producat læsionem.

DISC XV.

Romana devolutionis domus.

De beneplacito præsumpto ob longissimi temporis observantiam, an, & quando intret, ubi observantia sit æquivoca, & ad aliam concessionem referri potest, & aliqua de cessante causa utilitatis.

DI-

DISC. XVI.

Romana domus.

De eadem materia beneplaciti præsumpti ax lapsu temporis an illi obstet Constitutio Urbani VIII. & quid ubi agatur de concessione facta laico, cui Constitutio obstet, accedat autem longissima possessio Ecclesiæ laico succedentis, cui eadem Constitutio non obstet, an intret præsumptio ad limites juris communis?

Et an dicta constitutione non obstante, præsumptio solemnitatis, & causæ admittenda sit, ubi non resultat a sola longissima observantia, sed ab aliis adminiculis, & præsumptionibus.

DISC. XVII.

Saonen. Cappella.

De transactione, an & quando cadat sub dispositione *Extravagan. Ambitiosa*, itaut dicatur prohibita alienatio necne?

DISC. XVIII.

Bisinianen. terratici.

De eadem materia transactionis initæ inter personas Ecclesiasticas, & inter Episcopum, & subditos super jure incorporali, quod importat servitutem, an cadat sub *Extravagan. Ambitiosæ*, & aliqua de possessorio in hac materia.

DISC. XIX.

Valentina concordiæ.

De eadem materia transactionis, vel concordiæ cadentis necne sub *Extravag. Ambitiosa*, ubi fiat super divisione Conventus inter Provincias ejusdem Religionis incapacis possidendi bona etiam in commune, an dicta incapacitas operetur exemptionem *a dicta Extravag.* dispositione?

DISC. XX.

Theatina hæreditatis.

De materia renunciationis juris quærendi, seu repudiationis hæreditatis, vel alterius juris delati, an fieri possit per Prælatum, & quomodo, & an intret prohibitio *Extrav. Ambitiosa &c.*?

DISC. XXI.

Bononien. fideicommissi.

An compromissum factum per Ecclesiam cadat sub dispositione *Extravag. Ambitiosa*, ac importare dicatur prohibitam alienationem, adeout requirantur solemnitas, & causa necne.

DISC. XXII.

Romana Cappella.

An concessio, quæ fiat in Ecclesia alicui privato pro constructione Cappellæ, vel sepulturæ, importet necne prohibitam alienationem cadentem sub dispositione *Extrav. Ambitiosa.*

DISC. XXIII.

Bononien. censuum.

De alienatione bonorum Civitatis, sive Communitatis, quas exigat solemnitates, vel requisita, ut valida dicatur, & in specie de validitate impositionis census, & de causa, quæ cum solemnitatibus requiritur.

DISC. XXIV.

Spoletana concordia.

De eadem materia contractuum, & alienationum, quæ fiant per Communitates, & præsertim de transactione, ubi deficiat justa causa necessitatis, & utilitatis.

DISC. XXV.

Uritana, seu Neapolitana censuum.

De eadem materia validitatis, vel invaliditatis impositionis censuum, vel alterius alienationis factæ per Communitates in Regno Neapolitano, & quid ubi specialiter provisum sit, ultra juris communis dispositionem, & in specie, an alienatio cum Regio assensu, aliisque solemnitatibus sustineatur, si facta sit in causam extinguendi debitum, vel censum, absque dictis solemnitatibus contractum?

DISC. XXVI.

Tarentina census.

De eadem materia invalidæ impositionis censuum factæ per Universitates Regni Neapolitani sine Regio assensu, & quid ubi illa facta non sit directe cum ipsa Universitate, sed cum aliquibus particularibus, an istorum respectu contractus sit validus, ipsique obligati remaneant necne, & an juramentum tollat obstaculum Pragmaticarum?

DISC. XXVII.

Romana domus de Filonardis.

De alienatione bonorum filiifamilias, quamvis minoris, vel pupilli, facta per patrem tanquam legitimum administratorem, an & quando valida, vel respective invalida sit?

DISC. XXVIII.

Romana census.

De Statutis 113. & 151. Urbis præscribentibus certas solemnitates in contractibus, & alienationibus bonorum stabilium minorum, an procedant in impositione census, & quæ sint istæ solemnitates?

DISC. XXIX.

Parmen. obligationis.

An valeat contractus gestus per illum, qui ex Statuto sit major in propria patria, extra territorium, & in loco ubi sit minor, vel e contra, si in patria sit minor, & in loco contractus major?

Et an minor cum juramento asserens se majorem, valide obligetur necne?

DISC. XXX.

Romana pecuniaria.

An minor, qui sit Juris Doctor, admittatur ad allegandum nullitatem contractus gesti absque solemnitatibus Statuti, & quid de minore Clerico?

DISC. XXXI.

Romana domus.

Ad eandem materiam Statuti 151. Urbis super invalida alienatione facta per mulierem, præsertim ob defectum causæ, & an ista debeat esse vera de jure, & de facto, & sic utilis, vel non damnosa, vel sufficiat, quod sit vera de facto tantum.

DISC. XXXII.

Romana census.

De eadem materia invalidæ alienationis, seu impositionis census factæ per mulierem sine justa causa, quamvis solemnitates adhibitæ essent, ad intellectum Statuti Urbis 151. Et an dicti Statuti dispositio cesset, ubi alienatio, vel obligatio fiat ad favorem Ecclesiæ, vel piæ causæ?

DISC. XXXIII.

Romana locorum montium.

De eadem materia Statuti Urbis 151. super invalido contractu gestu per mulierem ex defectu causæ, & quid ubi causa est quidem damnosa mulieri, sed justum habet motivum naturalis impulsus pro beneficio filii, vel alterius, erga quem naturæ impulsus urgeat, & aliqua de materia conquassationis privilegiorum inter æque privilegiatos, & ad quid referat, quod mulier contrahat cum altera muliere, vel ubi agatur de qualificata Matrona ordinis magnatitii, & quid de contractu inito extra locum Statuti.

DISC. XXXIV.

Romana societatis.

An solemnitates statutariæ in contractibus mulierum, vel minorum requirantur, ubi agatur de negotiis mercantilibus, adeout minor, vel mulier mercaturam exercens, cadat sub Statuto?

DISC. XXXV.

Firmana census.

De plerisque pertinentibus ad eandem materiam alienationum, & contractuum minorum, & mulierum, non servatis solemnitatibus Statutariis, & præsertim de solemnitate insinuationis requisita per Constitutionem Ægidianam, & an solemnitates requirantur, si testator tutori, vel curatori alienandi, vel contrahendi facultatem dedit, & an in contractu facto per tutorem, vel curatorem ipsius pupilli, vel minoris interventus requiratur?

DISC. XXXVI.

Romana donationis.

De materia alienationum, & contractuum, aliarumque dispositionum per prodigos.

DISC. XXXVII.

Romana pecuniaria, seu avocationis.

De Statuto Urbis 152. super obligationibus, & contractibus filiorum familias, & quando valeant necne.

DI-

D I S C. XXXVIII.
Baren. obligationis.

De prohibitione alienationis bonorum, ad quorum titulum Clericus ad sacros ordines promotus est, quando, & quomodo procedat, & an sub dicta prohibitione veniat hypotheca, & quomodo ista sit exercibilis?

D I S C. XXXIX.
Amerina bonorum.

De prohibita alienatione in forenses, quomodo, & quando procedat, & an hujusmodi prohibitiones fieri possint per inferiores necne?

D I S C. XL.
Bononien. primogeniture de Fontanis.

De prohibita alienatione rei litigiosæ, an & quando, & ad quos effectus procedat?

D I S C. XLI.
Romana Salviati.

De contractu facto per carceratum ad favorem carcerantis, vel ejus, ad cujus instantiam carceratio sequuta est, an & quando valeat necne?

D I S C. XLII.
Neapolitana pecuniaria.

De valido, vel invalido contractu facto per subditum ad favorem Superioris, seu Officialis.

D I S C. XLIII.
Monopolitana pecuniaria.

An & quando obligatio filii pro patre valeat necne, & qualis metus requiratur ad annullationem, & an sufficiat metus reverentialis?

D I S C. XLIV.
Turritana pecuniaria.

An & quando scriptura, de qua facienda contrahentes convenerint, necessaria sit ad perfectionem, adeout in illam sit collata substantia contractus, unde interim sit imperfectus, vel e converso conventa censeatur ad solam probationem, adeout ejus defectus perfectioni contractus non præjudicet?

D I S C. XLV.
Sorana donationis.

An dari possit contractus perfectus ex stipulatione, & acceptatione pupilli, vel infantis, quamvis illius favorem actus concernat?

Et de suspicione falsitatis resultante a stipulatione, & acceptatione, vel a causa meritorum infantis.

D I S C. XLVI.
Perusina pacti.

An & quando pactum liberatorium, seu de non molestando dicatur personale, itaut non prosit hæredibus, & successoribus, vel e converso?

D I S C. XLVII.
Januen. sponsionis seu lotti.

De sponsionibus, quæ super aliquo incerto eventu fiunt, præsertim electionis Officialium, an contineant contractum licitum, & exequibilem necne, & quæ circumstantiæ illum vitient? Et incidenter de contractu minto inter absentes cum epistolis, ubi perfici, seu concludi dicatur ad effectum Fori.

D I S C. XLVIII.
Januen. sponsionis.

De eadem materia sponsionis, an & quando dicatur commissa stipulatio, ejusque casus factus, ubi facta sit super captura alicujus obsessæ Civitatis, vel Arcis, si non vi bellica, sed per concordiam, & capitulationes, obveniat ad potestatem obsessoris, & quid, ubi tempore sponsionis jam casus erat sequutus, an sponsio valeat?

D I S C. XLIX.
Romana ludi.

De ludo nuncupato *Homo*, seu *Hombre*, ejusque legibus, & ordine, & an uni ex lusoribus liceat adhibere cautelas, ob quas evitetur obligatio, quæ sibi ex lege conventionis incumbat, an id dici valeat in fraudem aliorum.

D I S C. L.

De variis annotationibus generalibus, vel remissionibus ad hanc materiam alienationum, & contractuum, ac pactorum, & præsertim de transactione ejusque materia.

D I S C. LI.
Romana moderationis monitorii.

De pœnis contentis in *Extravag. Ambitiosæ*, pro alienatione bonorum Ecclesiæ, quando incurrantur, & locum habeant necne?

D I S C. LII.
Senogallien. bonorum.

An venditio, vel alia alienatio bonorum Ecclesiæ, exigat scripturam ad ejus substantiam, & perfectionem, vel potius detur casus, ut adinstar privatorum cum solo verbo perficiatur, & de pluribus speciebus Beneplaciti Apostolici super hujusmodi alienationibus? Et incidenter de addictione in diem, an detur necne favore Ecclesiæ?

D I S C. LIII.
Asten. Alienationis.

An concessio domorum Canonicalium facta ad vitam Canonicis, vel Beneficiatis ejusdem Ecclesiæ cum pretio, cadat sub *Extravagan. Ambitiosæ*, & importet prohibitam alienationem necne?

D I S C. LIV.
Cracovien. Dismembrationis.

An in transactione inita inter ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii Abbatem, & Monachos requiratur beneplacitum Apostolicum, & quatenus requiratur, quando dicatur bene obtentum, & de justificatione causæ.

D I S C. LV.
Romana hereditatis.

Cujus loci leges, vel Statuta attendi debeant in contractu gesto per eum, qui sit natus in uno loco, in altero contrahat, & quando incolatus, vel domicilium contractum dicatur.

D I S C LVI.
Auximana Relevationis.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 23. super alienatione, vel obligatione bonorum Communitatum, & quid ubi contractus non respiciat ipsam Communitatem, sed annonam.

D I S C. LVII.
Senogallien. domus.

De alienatione facta per minorem, quando dicatur facta ex justa causa ad effectum validitatis, vel invaliditatis actus, & de valida, vel invalida alienatione facta per hæredem gravatum fideicommisso.

D I S C. LVIII.
Eugubina census.

An minor absque solemnitatibus statutariis valide se obliget, & contrahat ratione alicujus officii, vel publicæ administrationis, & præsertim ex causa.

D I S C. LIX.
Parmen. Prædii.

An solemnitates statutariæ requisitæ in contractibus Minorum, & mulierum, & similium, desiderandæ sint in illis contractibus, qui per hujusmodi personas prohibitas fiant, non singulariter, sed conjunctim cum aliis majoribus, & habilibus. Et generaliter de regulatione hujus materiæ solemnitatum in contractibus mulierum, & similium personarum.

D I S C. LX.
Anconitana Pecuniaria.

An minores Hebræi negotiatores in eorum contractibus adhibere debeant solemnitates statutarias necne, & de probatione ætatis Judæorum quando fiat?

D I S C. LXI.
Romana census.

An & quando minor, qui contrahendo se majorem asseruit, privetur beneficiis, & privilegiis, quæ minoribus competant, adeout pro majori haberi debeat?

D I S C. LXII.
Bononien. Census.

An in contractibus minorum ex Statuto Bononiæ requiratur casa necne, adeout sine illa sufficiant aliæ solemnitates?

DISC.

D I S C. LXIII.
Bononien. Fidejussionis,

De obligatione filiifamilias ad formam Statutorum Bononiæ, & an pater possit consensum præstare sibi ipsi, & incidenter an qualitas Doctoratus ipsius filii in hoc aliquid operetur?

D I S C. LXIV.
Romana societatis officii.

De obligatione mulieris pro viro ex causa impediendi ejus imminentem carcerationem, an sustineatur necne?

D I S C. LXV.
Romana domus.

De illis contractibus mulierum, in quibus in Urbe, non obstante Statuto, adhiberi non solent solemnitates,

D I S C. LXVI.
Romana census.

De obligatione mulieris, an & quando exigat causam ex Statuto 151.? Et an ille, qui auctorizavit actum tanquam curator, possit illum impugnare tanquam hæres mulieris?

D I S C. LXVII.
Spoletana census.

De obligationibus, & contractibus minorum, & mulierum in Regno Neapolitano, *& de pragmatica prima Senatus consult. Vellejan.* Et quid ubi contractus sequatur extra Regnum, & de differentiis inter minores, & mulieres.

D I S C. LXVIII.
Cremonen. refectionis damni.

An in casu validitatis alienationis, vel contractus, ille, in cujus damnum, & præjudicium tendat annullatio ob alterius contrahentis impugnationem actionem habeat contra Notarium pro damni refectione.

D I S C. LXIX.
Ferrarien. Tenuta.

De Constitutionibus Apostolicis prohibentibus alienationes in forenses, istosque inhabilitantibus ad acquisitionem, & retentionem bonorum in Statu Ecclesiastico, an & quando procedat?

D I S C. LXX.
Pisana Commenda.

De perfectione, ac probatione transactionis, ex quibus illa bene conclusa, & perfecta dicatur, ac propterea effectum sortiri debeat,

D I S C. LXXI.
Recanaten. assecurationis.

An contractus gesti per Clericos, vel esemptos absque solemnitatibus statutariis valeant necne? Et cui competat jus allegandi nullitatem es capite esemptionis, & incidenter de privilegio Fori Clericorum in minoribus.

I N D E X C A U S A R U M

Hoc titulo de Alienationibus, & Contract bus prohibitis ordine alphabetico per Diœceses dispositus.

A

Amerina bonorum, disc. 39.
Anconitana Pecuniaria, disc. 60.
Asten. Alienationis, disc. 53.
Auximana Relevationis, disc. 56.

B

Baren. obligationis, disc. 38.
Bisinianen. terratici, disc. 18.
Bononien. censuum, disc. 23.
Fideicommissi, disc. 21.
Primogenituræ de Fontanis, disc. 40.
Census, disc. 62.
Fidejussionis, disc. 65.

C

Colonien. bonorum, disc. 3.
Cracovien. dismembrationis, disc. 54.
Cremonen. refectionis damni, disc. 68.

E

Eugubina Census, disc. 58.

F

Ferrarien. Tenutæ, disc. 69.
Firmana census, disc. 35.

I

Jannen. sponsionis, seu lotti, disc. 47.
Sponsionis, disc. 48.

L

Lauden. census, disc. 10.
Lucana bonorum, disc. 5.
Lucen. Sarzanen. disc. 2.

M

Maceraten. census, disc. 9.
Monopolitana pecuniaria, disc. 43.

N

Neapolitana pecuniaria, disc. 42.
Neritonen. bonorum, disc. 4.

P

Panormitana feudi, disc. 23.
Parmen. obligationis, disc. 29.
Parmen. prædii, disc. 59.
Perusina pacti, disc. 46.
Pisana Commendæ, disc. 70.
Portuen. tenutarum, disc. 14.

R

Recanaten. Assecurationis, disc. 71.
Romana canonum, disc. 6
Cappellæ, disc. 12.
Census, disc. 8.
Census, disc. 11.
Census, disc. 66.
Census, disc. 61.
Census, disc. 28.
Census, disc. 32.
Devolutionis domus, disc. 15.
Domus, seu Apothecæ, disc. 65.
Domus, disc. 16.
Domus, disc. 31.
Domus de Filonardis, disc. 17.
Donationis, disc. 36.
Hæreditatis, disc. 65.
Locorum Montium, disc. 12.
Locorum Montium, disc. 33.
Ludi, disc. 49.
Moderationis Monitorii, disc. 51.
Pecuniaria, disc. 30.
Pecuniaria, seu avocationis, disc. 37.
Salviani, disc. 41.
Societatis, disc. 34.
Societatis officii, disc. 64.

S

Savonen. Cappellæ, disc. 17.
Senogallien. Bonorum, disc. 52.
Domus, disc. 57.
Sorana donationis, disc. 45.
Spoletana concordiæ, disc. 24.
Spoletana Census, disc. 67.

T

Tarentina Census, disc. 16.
Theatina hæreditatis, disc. 20.
Turritana pecuniaria, disc. 44.

V

Valentina concordiæ, disc. 19.
Uritana, seu Neapolitana, disc. 25.
Census, disc. 7.

IN-

INDEX ARGUMENTORUM IN DISCURSIBUS,

Qui habentur in hac Parte IV. Septimi Libri, de Tutoribus, Curatoribus, Procuratoribus, & Administratoribus.

DISC. I.

Spoletana tutelæ.

AN cessato per mortem, vel impedito, uno ex duobus tutoribus testamentariis, tutela consolidetur in superstite, vel potius debeat alter a Judice subrogari?

DISC. II.

Anconitana tutelæ.

An mater removenda sit a tutela, vel cura filii, ex aliqua suspicione, vel potius illi dari debeat adjunctus?

DISC. III.

Romana, seu Massanensis tutelæ.

A quo Judice tutoris deputatio facienda sit, ubi pupillus in diversis locis, vel provinciis bona possideat, & an deputatus ab uno, cogi valeat ad reddendas rationes coram altero, sive ab eo removeri, eo quia coram ipso inventarium non fecerit, vel cautionem non dederit pro bonis in ejus ditione existentibus, & pendente discussione remotionis, an interim interdicenda sit administratio, & an clericus sit capax tutelæ?

DISC. IV.

Imolen. tutelæ.

An, & quando lis actualis, vel habitualis sufficienter inducat suspicionem pro remotione tutoris?

De cautione per tutorem præstanda, quando dicatur idonea, eaque præstita, denuo alia dari debeat necne.

An, & quando durante adhuc tutela, possit tutor cogi ad reddendum rationes administrationis, & aliqua de educatione pupillorum, penes quem facienda sit?

DISC. V.

Romana redditionis rationum.

An tutor honorarius, vel alter administrator, habens solum superintendentiam, sine administratione actuali, quæ penes alterum existat, teneatur ad redditionem rationum, vel de actualis administratoris culpis, & negligentiis, & quomodo?

DISC. VI.

Spoletana tutelæ.

De redditione rationum tutelarium, ad quam tenetur ille, qui tutelam acceptavit, vel ejus hæres, & quando acceptatio sequi dicatur, quamvis alia solemnia non adimpleverit.

An tutor negotiari, seu mercari valeat pecuniam, & bona pupilli, & quid ubi agatur de continuatione illius negotii, quod pater exercebat, & an ante redditas, ac dispunctas rationes, tutor cogi valeat ad restitutionem bonorum, vel solutionem alicujus certæ quantitatis, & an tutor prætendere valeat manutentionem in possessione, vel eorum retentionem, & quando?

DISC. VII.

Licien. administrationis.

Quando per tutorem dicatur necne bene reddita ratio, & de mandato ad factum, seu de juramento in litem, ob non bene confectum inventarium, & librum, ac non bene redditas rationes quando intret.

DISC. VIII.

Camerinen. redditionis rationis.

De juramento in litem competente pupillo adversus tutorem non bene reddentem rationes, quia inventarium, ac libros non bene confecerit, an, & quando intret, & an competat contra hæredem, & quatenus intret, quomodo Judex in ejus moderatione debeat se gerere.

Et incidenter de processu executivo contra tutorem, vel ejus hæredem, vel tertium possessorem.

DISC. IX.

Bononien. redditionis rationum.

De eadem materia juramenti in litem, an detur pupillo contra eum, qui non esset tutor, sed tanquam socius, ac possidens pro communi, de facto bona administravit, & quatenus contra condominum de facto administrantem non intret formale juramentum, an saltem intret talis præsumptio, quæ pupillum excuset a majori probationis onere, & incidenter de competentia hypothecæ legalis pro hujusmodi administratione.

DISC. X.

Januen. salviani.

De hypotheca tacita, seu legali, quæ de jure conceditur pupillis adversus tutores, & curatores, an concedatur adversus executores testamentarios a pupillorum patre deputatos.

Et quid si alii tutores, vel executores, uni ex tutoribus, vel executoribus, tanquam tertio contrahenti, pecuniam pupillarem mutuent, vel sub alio contractu credant sine hypotheca expressa, an exinde contra istum recipientem pecuniam, & contrahentem, eadem hypotheca legalis intret, & quando?

DISC. XI.

Urbinaten. tutelæ.

An defecto uno ex pluribus tutoribus testamentariis, jus tutelæ consolidetur in uno, seu pluribus superstitibus, vel permecesse subrogari debeat alter in locum deficientis?

DISC. XII.

Pistorien.

An tutori suffragari valeant cessiones reportatæ contra pupillum, & de contraria actione tutelæ competente tutori, qui remaneat creditor pupilli pro administratione?

DISC. XIII.

Romana locorum montium.

An tertio jus habenti in hæreditate, & bonis defuncti administratis per tutorem, competat actio contra tutorem ob malam alienationem in ejus præjudicium, quamvis pretium erogatum sit in causam administrationis, cujus rationes bene reddiderit?

DISC. XIV.

Romana administrationis.

An majori dari possit curator, ac interdici administratio bonorum, & quando?

DISC. XV.

Romana pecuniaria, seu relevationis.

De administratore sacræ Ædis, vel publici banci, ad quid teneatur erga ipsam Ædem, vel bancum administratum, & de aliis ad materiam administratorum, eorumque obligationibus.

DISC. XVI.

Pisana, seu Viterbien. ferracii.

De procuratore, seu mandatario ad negotia, de qua culpa teneatur erga mandantem, & e converso ad quid teneatur mandans mandatario, & cujus sit periculum pecuniarum, & bonorum mandantis existentium penes mandatarium ex eorum furto.

DISC. XVII.

Romana redditionis rationum.

De socio administratore negotii socialis, ad quid teneatur, & quando rationes per eum dicantur bene redditæ necne, & an redditio fieri possit etiam sine libris, istorumque omissio quid causet? Et de conclusione, quod administrator ante redditas rationes non dicatur debitor, vel creditor, quomodo procedat.

DISC. XVIII.

Urbinaten. salarii.

An, & quando administrator, vel institor negotii obtinere debeat salarium, quamvis servitium non præstiterit, ubi per ipsum non steterit, & quid ubi contigerit a causa citra culpam ejus, cujus bona administranda erant, & de aliis ad salarii materiam pertinentibus.

DISC. XIX.

Romana pecuniaria.

An facultas substituendi data procuratori ad lites, & negotia, intelligenda veniat generaliter, ac indefinite ad utrumque, vel potius ad lites tantum, ubi in eodem capitulo, in quo agitur de litibus, vel immediate postea facultas attributa sit, & de differentia inter mandatum ad lites, ac alterum ad negotia?

DISC. XX.

Romana œconomiæ.

An concessio, ac respective susceptio Œconomiæ, seu administrationis, importet mandatum, quod sit quandocumque revocabile, vel potius irrevocabilem contractum locationis, & conductionis operarum, & an conventa merces minuenda sit ob diminutionem administrationis?

DISC. XXI.

Romana Tutelæ, & Educationis.

An, & quando tam tutela, quam educatio pupillorum potius patruo, quam matri decerni debeat ad eandem materiam, de qua supra *disc.* 1.?

DISC. XXII.

Pisana Administrationis.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 15. An scilicet, & quando administratores piorum locorum teneantur de proprio, & de eorum fidejussoribus?

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Tutoribus, Curatoribus, Procuratoribus, & Administratoribus ordine alphabetico per ordinem dispositus.

A

Anconitana tutelæ, disc. 2.

B

Bononien. redditionis rationum, discurs. 9.

C

Camerinen. redditionis rationis, discurs. 8.

I

Januen. Salviani, disc. 10.
Imolen tutelæ, disc. 4.

L

Licien. administrationis, disc. 7.

P

Pisana Administrationis, disc. 22.
Pisana, seu Viterbien. ferracii, disc. 16.
Pistorien. cessionis, disc. 12.

R

Romana administrationis, disc. 14.
Oeconomiæ, disc. 20.
Eadem locorum montium, disc. 13.
Tutelæ, & Educationis, disc. 21.
Eadem, seu Marsicana tutelæ, disc. 3.
Eadem pecuniaria, seu relevationis, disc. 15.
Eadem pecuniaria, disc. 5.
Eadem redditionis rationum, disc. 17.

S

Spoletana tutelæ, disc. 1.
Eadem tutelæ, disc. 6.

V

Urbinaten. Salarii, disc. 18.
Eadem tutelæ, disc. 11.



JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Septimi Pars Prima,

DE DONATIONIBUS.

ROMANA DONATIONIS DE JORDANIS *PRO* CREDITORIBUS GASPARIS, *CUM* EJUSDEM FILIABUS.

Casus decisus per Rotam pro Filiabus.

An & quando in doostione coorempiatione matrimonii filii veniant uti filii io exclusionem creditorum sponsi donatarii, & de duplici jure, vel interesse primario, & secundario Uxoris, & Filiorum in hujusmodi donatione?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causa.*
3 *De inspectionibus, seu punctis disputatis.*
4 *Regula est, ut in donationibus contemplatione matrimonii filii non veniant uti filii.*
5 *Referuntur tenentes contrarium pro vocatione.*
6 *Sed reprobantur ex communi sensu.*
7 *Tenentes contrarium loquuntur, ubi filii sunt directe vocati.*
8 *Sive percutiunt filiorum interesse secundarium.*
9 *Donationes contemplatione matrimonii dicuntur pars contractus naturalis, & correspectivi.*
10 *De argumento ducto a dote, ad quam filii non sunt vocati.*
11 *De distinctione, quando filiorum fit mentio, an sint vocati a donatore, vel a donatario?*
12 *Pater stipulando pro filiis censetur stipulari pro eis tanquam hæredibus.*
13 *De inverisimilitudine, quod quis bona libera vinculare voluerit.*
14 *De acquirente feudum pro se, & filiis, & de facultate disponendi, quam habet primus acquirens.*
15 *Quandoque in decisionibus extensor non percipit sensum Tribunalis.*
16 *De adminiculis super inclusione, vel exclusione vocationis filiorum remissive.*
17 *Quæ adminicula debeant magis attendi, & quomodo hæc materia reguletur.*
18 *Est potius deferendum capitulis, quam instrumento.*
19 *Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam.*
20 *Et habenti intentionem fundatam sufficit offuscare probationes alterius.*
21 *In dubio est respondendum pro exclusione fideicommissi, & ad favorem foventis causam onerosam.*
21 *Obligatio Cameralis ad quæ trahatur.*

DISC. I.

COntemplatione matrimonii inter Gasparem, & An- 1
nam, Guido pater sponsi huic acceptanti, & stipulanti pro se, & filiis nasciturus donarionem fecit scutorum 12. mil. post ejus mortem effectum sortituram, cum declaratione, ut sub ea comprehensum esset quicquid donatarius prætendere posset pro dote materna, ac pro legitima, & pro servitio præstito in fundaco mercium, in quo totus dicti donatoris assis consistebat, cumque postmodum aliquæ discordiæ exortæ essent, hinc per concordiam Guido assignavit Gaspari dictum fundacum valoris scutorum 18. mil. ex quibus dicta rata 12. mil. in causam donationis cessit, residuum vero in causam æris alieni accollati, sequuta vero ad breve tempus morte patris, qui hæredem etiam filium instituit, cum hic ære alieno pressus fugam arripuisset, formatus fuit concursus creditorum super ejus asse consistente in mercibus dicti fundaci, ac in suppellectilibus domus, in quo concursu filiæ ex dicto matrimonio procreatæ, tanquam in dicta donatione comprehensæ, atque ad eam vocatæ prætendebant pro dicta summa excludere creditores, qui omnes donationi posteriores erant, atque ad earum favorem prodiit sententia A. C. a qua per appellationem introducta causa in Rota *coram Meltio, sub*
die 14. *Maji* 1657. ad earundem filiarum favorem pariter 2
responsum fuit, ut patet ex decisione desuper edita impressa *par.* 12. *recent. decis.* 219. & apud Censal. *in l. unica, Cod. si quis Imperatori maledixerit, post* §. 12. *fol.* 174. dictaque resolutio confirmata *sub die* 11. *Martii* 1662. & 11. *Februarii* 1664. *coram Priolo*, habitis etiam coram eisdem *Meltio, & Priolo*, ac etiam *coram Bourlemont* disputationibus super puncto alimentorum lite pendente dictis filiis præstandorum, de quo habetur actum *sub tit. de fideicomm. disc.* 171.

In his autem disputationibus quatuor fuerunt puncti, 3
primo scilicet, an in hujusmodi donationibus contemplatione certi, ac determinati matrimonii factis, venirent filii uti filii jure impliciti fideicommissi in genere, secundo quatenus generaliter, seu regulariter non venirent, quod stante acceptatione ac stipulatione etiam pro illis, quæ in hac facti specie concurrebant, tertio posito quod hæc stipulatio sola, & de per se non sufficeret, an adessent sufficientia adminicula dictam vocationem suadentia, & quarto, posita dicta vocatione, super prælatione, & concursu cum creditoribus sponsi donatarii.

Quatenus igitur pertinet ad primum, quamvis in prima decisione *coram Meltio* plures propositiones filiis favorabiles (forte citra Rotæ sensum) & cum aliqua confusione inculcen-

veleentur, attamen in subsequentibus disputationibus *cor.*
4 *Priolo*, eis neglectis, verior magisque recepta canonizata est opinio negativa, firmata etiam in pluribus decisionibus editis *in Urbinaten. pecuniaria*, de qua intra *disc. seq.* & in aliis pluries, quod scilicet in hujusmodi donationibus contemplatione certi, ac determinati matrimonii factis, filii non censeantur vocati uti filii, sed dominium acquiratur soli sponso donatario, cui tanquam hæredes filii superstites succedere debeant, cum nullibi in jure id cautum sit, neque per DD. dicatur, quamvis enim Anellus de Amato *consf.* 68. Castill. *dec.* 106. per eadem præcisa verba re-
5 petita apud Mastrill. *dec.* 301. Barb. *toto* 14. & Cutell. *de donat. contemplatione matrimonii*, *tract.* 2. *disc.* 1. *speciali* 25. *n.* 12. *cum seqq.* id affirmare videantur, attamen ex magis communi, ac recepto sensu DD. rejiciuntur, utpote manifesto æquivoco laborantes, ut patet ex auctoritatibus deductis in posterioribus hujus causæ decisionibus, & in aliis editis *in*
6 *d. Urbinaten.* & plene congerit de Marin. *resol.* 89. *lib.* 1. & *resolut.* 68. *l.* 2. qui in secunda impressione Lugdunensi, scribendo super hac individuali causa pro creditoribus *d. resol.* 89. proprios, ac aliorum Scribentium labores reassumpsit. Atque Ego in ista causa (stylo tamen ac genio nimium adversantibus) cum eo improbo Juristarum labore, qui apud Me contemptibilis, apud vulgus in magna existimatione haberi solet, integrum catalogum efformavi omnium DD. de hac materia agentium, quorum antiquior forte videtur Decius *consf.* 215. *seu* 216. a quo cæteri derivant, ad hanc speciem descendentes, atque ita ostendebam, quod exceptis *Anello de Amato*, & *Castill.* (cum quo computandum tanquam unus, & idem venit *Mastrill.*) & *Cu-*
7 *tell.* qui cum dicta decisione procedit, cæteri omnes regulam contrariam sternunt, vel supponunt, solum limitantes, vel ubi verba donationis directam filiorum vocationem quoque importarent, vel ubi talis voluntatis probationes, seu conjecturæ, & adminicula concurrerent, vel demum, ubi ageretur de jure ac interesse filiorum secundario, propter quod retrodonationes, vel alienationes pro-
8 hibitæ sunt, juxta ea, quæ habentur infra *in d. Urbinaten. disc. seq.* & *in aliis duobus proxime sequentibus*, ubi de materia hujus juris, vel interesse secundarii.

9 Quamvis enim juxta plene allegata in dicta prima hujus causæ decisione *coram Melzio*, *dec.* 229. *par.* 12. *recent.* hujusmodi donationes factæ contemplatione certi, ac determinati matrimonii dicantur pars contractus matrimonialis, qui alias, vel nullatenus, vel non cum tanta dote initus esset, illaque potius procurata videatur per sponsam, ejusque parentes, vel conjunctos pro pinguiori ac decentiori ipsius sponsæ, & filiorum sustentatione, ac etiam successione, attamen hæc omnia percutiunt jus, vel interesse secundarium decentioris supportationis onerum matrimonii illo durante non autem ipsorum bonorum dominium, ac
10 pertinentiam, ducto argumento bene ponderato per Rotam *in Romana fideicommiss. de Incoronatis cor. Pirovano*, *dec.* 203. *p.* 8. *rec.* & in aliis a dote, quæ mulieri pro certo ac determinato matrimonio constituitur viro, sine illo alias matrimonium non contracturo, ac principaliter respicienti ad ejusdem matrimonium decentiorem supportationem onerum, ac speratam filiorum successionem, & tamen extra controversiam est, filios (excepto casu consuetudinis *Martini*, vel Statutorum particularium) non succedere in dote tanquam filios, sed tanquam hæredes matris, ut pluries in sua materia *sub tit. de dote*. Et tamen casus est fortior, quoniam licet possint, attamen de communi usu non solent contrahi matrimonia sine dote, cujus fructus principaliter ac proprie supportationi onerum matrimonialium destinati sunt. Istæ autem donationes non sunt ita frequentes, & connaturales, sed ex quadam cautela procurari solent, ideoque manifestæ fabulæ species videtur, ut in hujusmodi donatione majus jus filii habere debeant, quam in dote, adeout ille articulus generaliter, ac abstracte in puncto juris, cessante diversa expressa, vel conjecturali voluntate, disputatione indignus videatur.

11 Quo vero ad secundum punctum particularem acceptationis, ac stipulationis factæ per sponsum donatarium pro se, & filiis nascituris. Quicquid involvant Castill. seu Mastrill. & Cutell. supra allegati, & Barb. *toto* 14. ac alii aliqualiter tamen indigeste cumulati in dicta prima hujus causæ decisione *coram Melzio*, attamen tam in hujus causæ posterioribus decisionibus *coram Priolo*, quam clarius in aliis editis *in dict. Urbinaten.* impressis post Pattellum, *dec.* 42. & *seq.* tanquam vera, beneque fundata canonizatur distinctio, de qua apud Surd. *dec.* 322. *cum concordantibus* per Annichin. *in alleg at. registratis* apud Ricc. *collectan.* 3948. Dexart. *dec.* 7. & de Marin. *d. resol.* 98. *lib.* 1. *juxta secundam impressionem Lugdunen.* quod, aut agitur de directa filiorum vocatione facta per donatorem sponsi, ac filiis nascituris, qui non ex voluntate, ac providentia eorum patris, sed directe ab ipso donatore vocentur, & tunc recte censeantur vocati jure fideicommissi, vel substitutionis juxta casus recensitos *sub tit. de fideicommiss. disc.* 138. *cum seqq.*

Aut vero veniunt ex providentia ipsius sponsi donatarii eorum patris acceptantis, ac stipulantis pro se & filiis, &
tunc secus ex magistrali, & recepta theor. gloss. & Bartoli 12
in l. si tibi, §. *pactus ne peteret*, *ff. de pactis*, ut, patre stipulante pro se & filiis, stipulari censeatur pro eis tanquam hæredibus ejusque successoribus, ideoque filii bona donata obtinere dicantur potius ex providentia ipsius patris, & successive totum remanet in terminis peculii profectitii.

Clarius vero in hac facti specie, quod donatio non proveniebat ex mera liberalitate ac benevolentia donatoris, quo casu plerique distinguendo inter extraneum, ac ascendentem ponderare solent affectionem avi erga futuros nepotes,
ut plene deducitur in dicta prima hujus causæ decisione *co-* 13
ram Melzio, *dec.* 229. *p.* 12. *rec.* sed admixtam habebat causam onerosam, cum in ea comprehensa essent ipsius donatarii jura, & bona propria ratione legitimæ, ac dotium maternarum, ac mercedis sibi debitæ pro servitio præstito in fundaco, unde propterea magis de plano intrat dicta conclusio, ut filii ex bonis, & providentia patris donatarii magis quam donatoris obtinere dicantur, juxta communem ac receptam feudistarum distinctionem in concessione feudali facta patri, & filiis, de qua *sub tit. de feudis disc.* 75.

Sive juxta alteram hodie pariter receptam ac absolutam conclusionem, de qua pluries *sub tit. de emphyteusi disc.* 10.
& 32. & *pluries* ac etiam *sub d. tit. de feudis disc.* 12. & 14
alibi, ut primus acquirens ex causa onerosa, & correspective disponendi facultatem habeat, sive filiis ac descendentibus alias præjudicandi, eosque gravandi, quamvis investitura esset in forma pacti, & providentiæ, cum tunc filii, & descendentes non a providentia concedentis, sed ab illa acquirentis obtinere dicantur, ideoque ille secundus punctus pariter pro creditoribus planus videbatur, ut ipsa Rota in posterioribus disputationibus agnovit, ac revere etiam in prima eundem sensum habuit in decisione
non bene explicatum, ut quandoque contingere patet ex 15
pluribus decisionibus.

Diversorum autem resolutionum fundamentum fuit di-
versa ipsarum partium voluntas ex parte filiorum probata, 16
nedum per plura adminicula in eisdem decisionibus ponderata, & reassumpta apud Marin. *d. resol.* 89. *juxta secundam impressionem Lugdunensem*, sed etiam per aliquos testes mediatores de eadem voluntate deponentes, unde propterea quamvis ob extrajudiciales notitias, Mihi scribenti pro creditoribus, ad solam veritatem reflectendo, videretur quod dictis testibus nullatenus deferendum esset, attamen quia in Judicis arbitrio repositum est dignoscere, quanta fides testibus adhibenda sit, juxta bonum textum *in l.* 3. *ff. de testibus*, hinc proinde non de facili judicium super injustitia, vel gravamine formari potest in arbitrariis.

Secluso autem dicto testium, quatenus pertinet ad conjecturas, & adminicula hincinde confluentia plene, ac diligenter reassumpta per Marin. *d. resol.* 89. *lib.* 1. *juxta d. secun-*
dam impressionem Lugdun. Licet juxta regularem naturam 17
quæstionum voluntatis tacitæ, seu adminiculativæ, certa determinatio dari non valeat, cum hæc pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, attamen in hac facti specie ex ejus qualitate, Mihi ad veritatem etiam reflectenti, longe urgentiora videbantur adminicula huic parti assistentia in exclusionem vocationis filiorum utpote resultantia a factis ipsarum partium, ac a magna verisimilitudine, cum e converso adminicula pro vocatione ponderata, omnia deducantur ex verbis, & clausulis instrumenti, quæ per Notarium absque eo quod partes advertant, juxta ejus formularium concipi potuerunt. Potissime ob duplicem circumstantiam, primo scilicet quod in capitulis matrimonia-
libus filiorum mentio non haberetur, ideoque intrat con- 18
clusio, de qua plene *sub tit. de emphyteusi disc.* 14. & sub altero *de fideicom. disc.* 579. & alibi pluries, ut capitulis potius quam instrumento deferri debeat, quoniam illa continent verba, ac substantiam voluntatis partium, instrumentum vero continet verba Notarii, & secundo ob omnimodam nimiumque claram inverisimilitudinem, quod Gaspar donatarius, juvenis generosæ, ac profusæ naturæ, propriam dotem maternam, propriamque legitimam, ac alia

jura

jura, ita favore filiorum fideicommisso vinculare voluerit, quod neque de obulo disponendi libertatem haberet; & e converso omnino inverisimile videbatur, ut Guido donator vir tenax, ac prudens, & industrius jam expertus dictam filii, & nurus profusam naturam, ac splendidum animum (unde discordiæ originatæ fuerunt) per subsequutam concordiam ita libere dictam summam donatam primo donatario affigere voluerit in mercibus fundacaris ad dies dissipabilibus absque spe recuperationis, sed potius sollicitus fuisset de investimento in bona stabilia, & loca Montium, si tale fideicommissum in animo habuisset.

19 Et nihilominus observabam opus non esse, quod conjecturæ, & adminicula pro vocationis filiorum exclusione præponderarent, sed sufficere, quod illa debilitarent, vel offuscarent contraria adminicula, ne inducerent concludentem probationem limitationis, qua sublata, firma remanet intentio habentis pro se regulam, juxta decis. 255. Mant. n. 4. cum aliis, præsertim sub tit. de dote disc. 24. & frequentius sub tit. de fideic. ac alibi, unde prodit conclusio sæpius enunciata, de qua ap. Surd. cons. 505. n. 6. Merlin. dec. 597. n. 34. dec. 158. p. 10. rec. nu. 3. & frequenter, ut habentur intentionem jam fundatam offuscare sufficiat, ac dubiam reddere probationem ejus qui

20 contrarium velit, vel afferat, unde propterea quando testium dicta de medio tolli debuissent, ut probabilius credebam; quatenus pertinet ad alia adminicula, resolutiones non placebant, potissime quia in dubio dicebam pro creditoribus potius respondendum esse ex duplici axiomate;

21 primo sc. quod in dubio pro fideicommissi exclusione respondendum est, ut plures in sua materia sub tit. de fideic. Et secundo, quia cum creditores foverent causam onerosam, filii vero lucrativam, idcirco pro illis potius quam pro illis in dubio respondendum erat.

22 Quartus demum, ac ultimus punctus prælationis, vel concursus inter dictos filios jure fideicommissi, ut supra per donationem vocatos, & creditores dicti primi donatarii gravati facti potius quam juris erat, an sc. obligatio cameralis sub se continens hypothecam, traheretur necne ad dicti primi donatarii obligationem restituendi ejus filiis summam donatam, cum tunc ipsi traherent hypothecam ea tempore instrumenti, ac successive aliis creditoribus anteriores essent, super quo processum fuit cum generalitate, ut obligatio cameralis operetur circa omnia in instrumento contenta, vel enunciata, ea plene deductis in his terminis dec. 40. per. 9. rec. repetit. dec. 189. post Zacch. de obligat. ubi rejicitur contraria opinio Geni Spini cons. 54. n. 58. & seqq. & Giovagn. cons. 34. n. 43. & seqq. lib. 2. Super quo tamen puncto utpote facti, & interpretationis instrumenti magis quam juris, pariter non de facili resolutio de injustitia convinci potest, & de quo agitur plurim in sua materia sub tit. de contract. & alienat. ac etiam sub tit. de credito, & alibi.

ANNOT. AD DISC. I.

De articulo, de quo in hoc discursu principaliter agitur, an sc. in donationibus, quæ fiant contemplatione certi, ac determinati matrimonii, filii ex eo procreati censeantur vocati ex persona propria ex quodam jure impliciti fideicommissi, vel potius bona donata acquirantur sponso donatario, cujus jure hæreditario filii in eis succedant, alia non adfuit occasio post hujus libri impressionem disputare, forte quia accerrimæ disputationes habitæ in illa causa, & in altera, de qua disc. seq. adeo materiam dilucidaverint, ut non de facili assumatur hujus quæstionis disputatio, ac etiam quia nunc solent contrahentes id in ipsa donatione explicare, ut prudens consilium est fieri, vere tamen ut in discursu advertitur, ista non est quæstio juris, sed potius facti, & voluntatis, ideoque manifestus error est, omnibus pene aliis materiis forensibus communis, assumere illam quæstionem in abstracto, atque cum solito improbo labore certare quænam opinio sit magis communis, totam vim constituendo in Scriptorum numero arithmetico, quo nihil ineptius, ideoque ad singulorum casuum circumstantias reflectendum est, ex quibus ad unam, vel alteram inferendum est voluntatem, non autem se involvendum in hujusmodi inanibus quæstionibus, quarum sumptus absorbere, immo quandoque superare solent valorem bonorum, de quibus agitur, ut sequutum est in præsenti causa, quæ cum aliquibus creditoribus fuit concordata, & ab aliis ob nimiam defatigationem derelicta, refert autem inspicere, quænam sit regula juris, ut non constito de diversa voluntate, quæ suadeat limitationem, judicandum sit cum regula, quæ excludit onus fideicommissi. De puncto autem concursus inter creditores anteriores ex causa lucrativa, & posteriores ex causa onerosa, agitur. lib. seq. de Cred. disc. 31.

URBINATEN. PECUNIARIA
PRO BENEDICTO,
CUM MARGHERITA ET LAVINIA DE VETERANIS.

Casus varie decisus per Rotam.

De eadem materia donationis contemplatione matrimonii, an acquiratur filiis uti filiis, & quatenus non, an remitti, vel minui possit a sponso donatario in præjudicium uxoris, & filiorum, & quid ubi fiat per viam transactionis, quando hæc teneat, & incidenter de concessione veniæ ætatis, an per inferiorem Principe fieri valeat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De punctis, sive inspectionibus.*
4 *De regula, ut in donatione contemplatione matrimonii filii non censeantur vocati, & quando secus.*
5 *De invalida hujus donationis retrodonatione, vel diminutione.*
6 *Dicitur pars contractus matrimonialis, & correspectiva.*
7 *De ratione cui innixa est conclusio, de qua n. 5.*
8 *An vir promittens, quod uxor renunciabit, excusetur cum diligentiis?*
9 *De eadem conclusione, de qua n. 5. & 7.*
10 *Donatio facta promovendo ad ordines ad titulum patrimonii non potest retrocedi.*
11 *Quando procedat dicta conclusio, de qua nu. 5. & 7. quod non bene applicetur ad casum.*
12 *Bona ita donata possunt citra fraudem, & collusionem alienari, vel obligari.*
13 *Atque si de eis potest disponi, ita possunt retrocedi cessante fraude.*
14 *De donatione ad ordines, de qua nu. 10. ut possit retrocedi.*
15 *Fortius ubi retrocessio est ex justa causa, & correspectiva.*
16 *Interesse secundarium uxoris, & filiorum durat, constante matrimonio.*
17 *De interesse uxoris etiam post matrimonium ob speratam successionem filiorum.*
18 *Hoc interesse attenditur, & est considerabile quando filii sunt vocati.*
19 *Secus ubi succedunt tanquam heredes patris retrodonantis.*
20 *De controversia inter Rovit. & Merlin. quos terminos percutiat.*
21 *Concessio veniæ est de Regalibus, & competit soli Principi.*
22 *Vicelegatus absente Legato habet potestatem Legati.*
23 *De potestate Legati.*
24 *Sustinentur gesta per Magistratum solitum publice gerere actum.*
25 *In specie circa veniam ætatis.*
26 *De distinctione inter veniam generalem, & specialem.*
27 *De decretis Ducalibus Urbini an sint in usu?*
28 *An in donatione contemplatione matrimonii requirantur solemnitates, prius erat in quæstione?*
29 *Rota, & Tribunalia solent mutare opiniones.*
30 *Quando retenta opinione negativa in quæstione, de qua n. 28. adhuc limitetur.*
31 *Quid in specie decretorum Ducalium Urbini.*
32 *Pro sustinenda transactione sufficit qualisqualis dubietas, & opinio unius Doctoris.*
33 *De resolutione donationis contemplatione matrimonii, isto soluto remissive.*
34 *De recompensa necessaria hinc inde in transactione.*
35 *De circumstantiis reddentibus justam, & validam transactionem.*
36 *Ubi transactio impugnatur, non potest aliud prætendi nisi id quod competebat ex prioribus juribus.*

D I S C. II.

1 IN apocha dotali inita super matrimonio contrahendo inter Lælium Veteranum, & Octaviam Justam, Franciscus Lælii pater, tam huic, quam Octaviæ sponsæ promisit, quod post ejus mortem habebit de ejus bonis sc. 13. m. in tot stabilibus, ejusque vita durante, pro congrua sustentatione, promisit annua scuta 350. Cumque ad aliquod tempus graves discordiæ inter patrem, & filium exortæ essent, unde propterea pater dictam donationem, seu promissionem annullare intendebat, hinc ex interpositione, ac auctoritate Prolegati, qui ob Legati absentiam, istius partes etiam explebat, deventum est ad concordiam, per quam patet, ultra receptam dotem, quam restituit, ex tunc loco dictæ promissionis solvit scut. 8. mil. in tot locis Montium, & 1000. solvi promissa fuerunt post ejus mortem.

Sequuto autem utriusque obitu, Margherita, & Lavinia filiæ ex dicto matrimonio superstites, contra Benedictum alterum dicti Francisci filium, ac hæredem, judicium instituerunt cor. A. C. pro solutione reliquorum scut. 5000. usque ad complementum primæ promissionis, obtentoque mandato executivo, & commissa per Signaturam causa in Rota *cor. Verospio*, cum clausula translativa, *Si quid exequendum*, super dubio ex rescripti ventre resultante, an mandatum esset exequendum? *sub die* 11. *Febr.* 1658. ne-
2 gativa prodiit resolutio, a qua recessum fuit sub diebus 10. *Dec.* 1659. *&* 5. *Martii* 1660. *cor. eodem*, postmodum vero ab istis recedendo, prima resolutio ad favorem Benedicti firmare fuit sub diebus 24. *Januarii*, *&* 3. *Junii* 1661. sed concessa iterum audientia, recedendo ab his posterioribus resolutionibus, denuo ad favorem actricum responsum fuit sub diebus 24. *Januar.* 1663. *&* 16. *Martii* 1665. *cor. eod. Verospio*, *&* 13. *Junii* 1668. *cor. Vicecomite subrogato*, concessaque expeditione mandati, adita fuit Signatura, quæ denuo rescripsit cum clausula translativa *alteri, qui ad legitimam*, quod aditum præbuit concordiæ, per quam controversia finem habuit, dictæque decisiones, excepta ultima *cor. Vicecomite*, habentur impressæ post Paitel. *in expedit. seu dec. Urbini*, *dec.* 42. *cum pluribus seqq.*

Hujusmodi autem diversarum resolutionum varia fuerunt fundamenta, juxta diversorum punctorum, seu motivorum qualitatem, atque ultra concernentia ordinem judicii, & præsertim an transactio vulnerasset viam executivam competentem in vim obligationis cameralis contentæ in dicta apocha, de quo in sua materia *sub tit. de de judiciis*, *&* *praxi Curiæ*.

3 Quatenus pertinet ad merita super dictæ concordiæ validitate, vel invaliditate, tres fuerunt puncti, sive inspectiones, primo sc. an ad hanc donationem contemplatione matrimonii vocati censerentur filii uti filii, adeout ex persona propria dictam integram summam petere possent, vel potius non nisi hæreditario jure Lælii donatarii venirent, secundo, an exclusa filiorum vocatione, adhuc tamen dicta remissio, seu diminutio scut. 4. m. esset nulla, & impugnabilis per ejusdem Lælii hæredes, ex ea nullitate, quæ de jure inesse dicitur in hujusmodi donationum retrodonationibus, seu cessionibus, & tertio, an eadem concordia dici posset nulla, ex aliis nullitatem speciebus in quolibet alio contractu, vel concordia indifferenti cadentibus.

Quoad primum, quamvis in secunda, & tertia decisione, pro filiorum vocatione responderetur, ex eo quod a regula in eisdem decisionibus admissa super vocationis negatione, recedatur ex conjecturis, quas in proposito sufficientes adesse dictum fuit, attamen in quarta, & quinta decisione, ab hoc recessum fuit, firmando distinctionem enunciatam *dis.*
4 *prac.* quod scil. non solum ubi nulla filiorum mentio facta est, ut in præsenti, certa est negativa, sed etiam ubi expressa mentio habetur, quoties illa directe non provenit a donatore, sed ab ipso sponso donatario stipulante pro se & filiis, & licet ab his resolutionibus recessum fuerit, attamen recessus provenit ex dictis secundo, & tertio puncto invaliditatis, canonizando in reliquis eas circa dictum alium punctum vocationis filiorum ex persona propria, adeout in Rota & Curia, ut advertitur *eod. disc. præc.* ista conclusio videatur hodie firma, ideoque sunt quæstiones potius facti quam juris, an sc. adsint necne probationes expressæ, vel conjecturales, dictam vocationem filiorum inducentes, tanquam per speciem limitationis regulæ negativæ, de qua dubitandum non est amplius.

Quo vero ad secundum punctum, in quinta & sexta decisionibus, quæ favore actricum ut supra, *cor. Verospio*, *&* *Vicecomite* prodierunt, processum fuit cum conclusione, in qua tanquam magistrales, ac antesignanæ vulgo circumferuntur duæ decisiones, una sc. Sac. Consilii Neapolitani ap.
Franch. *dec.* 205. & altera Rotæ Romanæ ap. Merlin. *dec.* 5
515. alias *dec.* 44. *par.* 6. *rec.* cum concordant. relatis per Merlin. *lib.* 2. *contr.* 34. late Venturin. *cons.* 14. cum aliis, de quibus in dictis hujus causæ decisionibus, quod sc. stante quod Octavia uxor, & actricum mater se admitti curaverat ad causam, atque dictæ retrodonationis invaliditatem allegabat, cum ipsi quoque dicta promissio facta esset, ex istius deficiente consensu actus invaliditas resultaret, quamvis in ultima decisione *coram Vicecomite*, & in penultima *cor. Verospio*, in aliis quoque nullitatibus, de quibus infra in tertio puncto, fundamentum constitueretur.

Ex hoc autem motivo juris, vel interesse secundarii filiorum, vel respective uxoris, Mihi scribenti pro Benedicto reo convento, reflectendo etiam ad solam veritatem, parum probabiles videbantur dictæ resolutiones, in quarum obsequium, etiam post finitam causam, ac refrigeratum illum calorem, qui Advocatorum intellectum alterare solet, iste captivari non potuit.

Quamvis enim admitterem tanquam veram, ac hodie ab- 6
solutam dictam conclusionem, de qua ap. Franch. *d. dec.* 205. a qua tanquam a fonte prodierunt aliæ decisiones, & auctoritates, ut sc. hujusmodi donationes contemplatione certi, & determinati matrimonii, utpote correspectivæ, ac pars contractus matrimonialis, qui aliàs sequutus non esset, etiam ex præcedenti conventione inter donantem, & donatarium, retrocedi, seu retrodonari non possint, attamen indaganda est hujus conclusionis ratio, ob quam prudenter, ac fundate illa prodiit apud modernos, dum in ipso corpore juris expresse non habetur, minus antiquioribus cognita est, cum altera quæstio derivata ex infra allegandis *Consiliis Bartoli & Oldradi* diversos percutiat terminos.

Ratio igitur est illa doli, & circumventionis, seu collu- 7
sionis, quæ ita inesse diceretur, ut colludendo inter patrem, & filium, seu donantem, & donatarium, dolo induci dicantur mulier, ejusque parentes, vel conjuncti ad contrahendum matrimonium, quod alias nullatenus contraxissent, vel saltim non cum tanta dote, ideoque licet hoc interesse, quod mulier, ejusque parentes, vel conjuncti habent in hujusmodi donationibus, quarum dominium soli sponso acquiritur, dicatur secundarium, pro sola ratione pinguioris, ac decentioris sustentationis, & cautelæ dotis, ac speratæ successionis, ad differentiam alterius juris, vel interesse filiorum ad eandem donationem directe vocatorum, quod primarium dicitur, ac propterea tale interesse secundarium, seu causativum, durare solum dicatur, durante matrimonio, eoque soluto cesset, tanquam ex cessante causa, ut infra, attamen rationabiliter jam impressa utilitas, cessata etiam causa, durat ob dictam rationem, doli & collusionis, cum actus dolosus, & collusivus dicatur ipso jure invalidus in radice, perinde ac si gestus non esset, ideoque etiam ipsum colludentem non afficit, neque per dissolutionem matrimonii revalidari debet id, quod ab initio, & in radice nullum fuit, ac etiam quia pro commercii, & publicæ fidei conservatione, expedit in hac materia ita rigorose procedere, ad hujusmodi fraudes, & collusiones compescendas, quodque ita conservetur libertas contrahendi æqualia matrimonia cum filiisfamilias, vel aliis, qui ex aliorum conjunctorum beneficio pinguiorem statum sperant.

Multa siquidem in jure, præsertim apud modernos, qui 8
ab experientia magis edocti, meliora cogitarunt, recepta sunt, quæ de stricta juris censura, & in sensu antiquiorum, diversimode procedebant, ut inter quamplura exempla, quæ desuper deduci possent, in specie hujus materiæ matrimonialis, habemus in promissione, quam sponsus dotanti facit super renunciatione facienda per sponsam postquam ejus uxor effecta fuerit, atque ad ejus domum traducta, quoniam in sensu antiquiorum, vir faciendo diligentias, ac simulando omnem conatum, ab hujusmodi promissione excusatus remanebat. Contrarium tamen probabilius, magisque judiciose hodie receptum est, ex dicta ratione, quod dicta promissio non est gratuita sed correspectiva ad matrimonium, quod alias saltim cum tanta dote contractum non esset, quodque colludendo inter virum, & uxorem cum simulatis, sive affectatis diligentiis dolo, & circumventioni locus fieret, ut in sua materia *sub tit. de renunt.*

Atque in his terminis, & cum hoc præsupposito præceden- 9
tis conventionis per antapocham, quæ in Regno Neapolit. *albaranum* dicitur, proceditur ap. Franch. *d. dec.* 205. & ap. Merlin. *d. contr.* 34. *lib.* 2. & per Rot. *in d. dec.* 515.

Mer-

Merlini, alias *decis. 44. p. 6. rec.* & in aliis juxta casus, de quibus infra *in duobus discursibus proxime sequentibus*, atque tali casu admittebam, ut actus etiam ab ipsomet faciente, vel ejus hærede impugnabilis esset.

10 Adinstar eorum, quæ habentur in consimili donatione, quæ fiat contemplatione matrimonii spiritualis Promovendo ad sacros ordines ad titulum patrimonii, quoniam licet dominium bonorum donatorum ipsi donatario pleno jure quæratur, jus autem, vel interesse Episcopi ordinantis, sive Ecclesiæ pro decore ordinis clericalis sit secundarium, eo modo quo in hac donatione contemplatione matrimonii carnalis est jus, vel interesse uxoris, & filiorum, attamen si talis donatio ex præcedenti collusiva conventione retrocedatur, ob dictam rationem doli, & collusionis, retrocessio est omnino irrita, & infecta, ab ipsomet retrocedente, vel habentibus ab eo causam impugnabilis, ita a pari.

11 Fallacia vero evidens pro meo judicio consistere videbatur in applicatione omnino cessante ea facti qualitate, & circumstantiis, quoniam promissio ab initio pura, ac sincera fuit, nulla penitus, nec quidem cogitata simulatione, vel retrocessionis conventione; dictus autem subsequens actus, novam, & incogitatam habuit causam, componendi graves discordias, ac lites inter patrem, & filium exortas, idque publice, & palam, in statu optimæ fidei, & quod magis, mediante interpositione ejus, qui Principis, vel supremi Magistratus partes in ea provincia gerebat, ideoque omnia collusionis, vel doli, ac fraudis suspicio aberat, & consequenter meus intellectus percipere non poterat, quomodo dicta conclusio in suo casu vera, ad rem applicabilis esset.

12 Hinc proinde, quicquid aliqui indigeste dubitent, verius, ac receptum est, ut in casu regulæ, de qua supra, ut scilicet hujusmodi donationes soli sponso acquirantur, sponsa vero, ac filii procreandi nonnisi dictum jus, vel interesse secundarium pinguioris alimoniæ, & securitatis dotis, ac speratæ successionis habeant, si ipse donatarius ex ejus occurrentiis, citra dolum, ac præviam collusivam conventionem ut supra, bona donata distrahat, vel obliget, tunc ad summum uxor, ac filii durante matrimonio prætendere poterunt in fructibus pro eorum sustentatione, sive in sorte pro dotis cautela quandam potioritatem; juxta ea quæ habentur infra *disc. 5. & 6.* Nullatenus vero exinde resultabit nullitas alienationis, vel hypothecæ, quodque filii nonnisi cum hæreditaria qualitate patris succedentes hujusmodi bona obtinere, vel retinere valeant, suique auctoris factum impugnare.

13 Si enim donatarius, cessante interesse mulieris pro restitutione dotis, & lucri, ac reservata legitima filiis de jure debita ex omnibus bonis quomodocumque obventis; potest hujusmodi bona extraneis legare, seu alias lucrativo titulo de eis disponere, hinc proinde nulla penitus ratio suppetit, cur vivens, ex causa onerosa, & correspectiva, vel etiam lucrativa, citra collusionem, & fraudem, facere non valeat erga suum benefactorem ex motivo gratitudinis, & obligationis antidoralis id quod cum quocumque extraneo, ac ignoto sine aliqua ratione, vel obligatione facere posset, ideoque cessante præcedenti collusiva conventione, quæ dolum redolet, ac successive nullitatem producit, vel ex supervenienti benevolentiæ causa, vel ex dicto gratitudinis motivo, potissime ob cessatam necessitatem, sive causam, vel pro quando ea cessaverit, non videtur cur non possit donatarius bona fide hujusmodi donationem in toto, vel in parte donatori remittere, seu retrocedere, ut habetur in specie apud Molphes. *cons.* 15. & Capyc. Latr. *consult. 54. num.* 44. ubi refert ita fuisse decisum ab eo Sac. Consilio.

14 Ac habemus in dictis similibus terminis donationis factæ contemplatione matrimonii spiritualis Promovendo ad sacros ordines, quod si aliunde provisus est, unde cesset ipsius donationis causa, sive collato effectu post ejus mortem, sicuti prohibitus non est alienare, vel obligare bona donata ex deduct. *in Boren. sub tit. de credito*, ac in decisionibus in ea causa editis 13. *Martii* 1665. & 27. *Martii 1666. cor. Albergato*, ita prohibendus non est ea motivo gratitudinis, & antidoralis obligationis ejus benefactori restituere id, quod accepit ex causa necessitatis, ista cessante; multo igitur ma-
15 gis, ac indubitanter, ubi ex causa correspectiva, id sequitur publice, sincere, cum auctoritate supremi Magistratus, & ex adeo justa causa componendi lites, & discordias inter patrem, & filium, ideoque semper, ac semper in dies edocemur, nimis erroneum esse insistere in conclusionibus, ac doctrinis, eas simpliciter, ac in sola littera accipiendo, sed totum punctum esse in applicatione ad factum.

Quo vero ad oppositionem uxoris donatarii, quæ de 16 tempore hujus oppositionis, ac a pluribus annis binuba erat, nullamque habebat actricem curam, vel administrationem, seu aliud interesse pro dotis, ac lucri restitutione; dicentibus Me, & aliis pro parte rei conventi scribentibus, ut illud interesse secundarium, quod uxor habet in hujusmodi donatione, duret solum constante matrimonio, quo dissoluto, eaque satisfacta, tanquam ex cessante causa omnino cessat, ut advertunt Molphes. *d. cons.* 1. *n.* 35. *& per tot.* Capyc. Latr. *d. consult.* 54. *n.* 44. *& seq.* Rovit. *cons.* 15. *n.* 9. *& seqq. lib.* 2. & late Dezari. *dec.* 7.

Respondetur in decisionibus, præsertim penultima, & 17 ultima, utrobique in fine, satis adesse interesse uxoris etiam soluto matrimonio, ob spem quæ sibi supererat successionis, vel legitimæ in bonis filiarum, quæ possent matri præmori, ideoque ejus intererat, earundem filiarum assem esse pinguiorem.

Quando dictæ filiæ ad donationem ex dicto jure prima- 18 rio essent vocatæ, quodque eis defunctis, non impugnata retrocessione, seu dimotione facta per earum patrem primum donatarium gravatum, adeo ut ipsi matri impugnanti objiceretur, quod non haberet jus impugnandi, neque legitimam personam standi in judicio, ex regula quod non habens interesse non est audiendus, ex deductis apud Gregor. *decis.* 158. & passim. Tunc ista responsio admitti posset, quod scilicet ita dici posset interessata.

Sed cum dictæ filiæ nullum jus haberent ex persona pro- 19 pria, solumque gererent personam hæredum patris, de cujus libero, ac pleno dominio, liberaque dispositione bona erant, non videbatur, quænam legalis, vel humana ratio suadere posset, ut hoc interessa deberet esse aptum tollere donatario illam disponendi libertatem de bonis suis, quam habebat; si enim ista ratio vera esset, sequeretur, quod idem donatarius vivens, vel moriens non potuisset hæc bona ex titulo oneroso, seu lucrativo alienare, seu alias de eis disponere, quod utique absurdum est, omnique juris dispositioni, ac rationi adversum, quoniam ita neque mulier disponere posset de dote, ob interesse viri etiam soluto matrimonio succedendi filiis, quod prorsus vanum est dicere.

Deducebantur etiam ex hac parte ea, quæ, cæteris rela- 20 tis, habentur apud Rovitum *d. cons.* 15. & 16. *lib.* 2. quorum primum est repetitum *inter allegationes Theodor. alleg.* 42. ad probandum ut dissoluto matrimonio cesset interesse uxoris, & filiorum, in contrarium vero deducebantur deducta per Theodor. *alleg.* 43. & late per Merlin. *d. contr.* 34. *lib.* 2. *ubi in num.* 30. reprobare profitetur in specie Rovitum; verum id erat extra propositum, cum percutiat diversos terminos omnimodæ resolutionis hujusmodi donationis ob cessantem ejus causam, juxta quæstionem disputatam infra *in Parmen. disc.* 8. *ex consil. Oldrad.* ut ibi, id autem revera penitus extraneum est a casu præsentis quæstionis, in qua sine dubio, neque intrare poterat favore mulieris illa æqualis acquisitio, quam in donatione facta sponso, & sponsæ ponderat Barb. *cons.* 10. *lib.* 2. cum factum dirimeret omnem quæstionem.

Demum quoad tertium punctum invaliditatis hujus con- 21 cordiæ ea aliis nullitatis capitibus, in disputationibus habitis coram A. C. ac etiam in prima disputatione Rotali, deducta fuit per Scribentes pro actrice nullitas resultans ea Ægydiana Constitutione ob minorem dicti Lælii ætatem, non obstante concessione veniæ ætatis facta per dictum Prolegatum, ea eo quod hujusmodi venia sit de Regalibus majoribus soli Principi reservatis *ad text. in l.* 1. & 2. *Cod. de his qui veniam ætatis*, ubi DD. de quibus apud Ripoll. *de Regal. c.* 10. *n.* 4. *& seq.*

Verum istud erat leve fundamentum merito in prima 22 decisione rejectum, ac etiam per eosdem Scribentes post primam disputationem neglectum, quoniam Prolegatus, absente Legato, ea quæ huic competunt exercet, ut advertitur apud Gratian. *discept.* 166. *n.* 1. *dec.* 73. *n.* 17. *& seq. p.* 5. *rec. & in aliis*, Legatus autem tanquam subrogatus in locum antiquæ Proconsularis Dignitatis habet exercitium
omnium Regalium Principi competentium, quæ in litte- 23
ris deputationis, vel ex usu, seu observantia, reservatæ non sint, ut praxis docet in cussione monetarum, concessione indulgentiæ capitalis damnationis, & similibus.

Clarius vero, quia justificabatur in facto, talem ibi esse 24 observantiam etiam frequentem, ex qua resultat præsumpta facultatis concessio, ut advertit Baldus (qui dicit notandum, ac menti tenendum) *in l. exemplo in fine*, *Cod. de probat.* sequuntur Felin. *in cap. cum in jure peritus*, *n.* 5. *de off. Legati*, Paris. *cons.* 104. *nu.* 59. *lib.* 1. Gabr. *de probat. conclus.*

3. *n.* 11. Adden. *ad dec. ult. n.* 21. *de consuetudine in novis.*

25 Et in specie veniæ ætatis ut deferendum sit observantiæ, ne alias contrahentes publica auctoritate decepti remaneant, Odd. *de restit. in integrum, q.* 23. *n.* 40.

26 Potissime ubi non agitur de concessione veniæ generalis, per quam minor in omnibus major efficiatur, quo casu dubitari potest, an hujusmodi Magistratus quamvis supremi id concedere possint, quod decisionem recipit a singulorum Principatuum legibus, vel moribus, ac Magistratuum qualitate, sed de habilitando minorem ad unum actum tantum, quod de communi fere usu aliquibus majoribus Magistratibus competere solet ex iis, quæ habentur apud Menoch. *cons.* 990. *n.* 16. Decian. *cons.* 20. *n.* 74. *lib.* 1. Cancer. *lib.* 1. *var. c.* 7. *num.* 15. Cyriac. *contr.* 219. *& frequenter*, & de dicta distinctione inter concessionem generalem, vel particularem apud Ripol. *de Regol. d. c.* 10. Accedente etiam probabili concessionis causa, cum contrahens esset satis proximus majori ætati.

27 Altera nullitas, in ultima præsertim decisione *cor. Vicecomite*, deducebatur ex falsa causa transigendi, quæ narrata fuit, evitandi litem super donationis invaliditate a patre prætensa, ob non adhibitas solemnitates a Ducalibus decretis requisita, quasi quod nulla lis desuper cadere posset, vel quia dicta decreta post Status devolutionem evanuerint, utpote in Apostolicis decretis, vel confirmationibus non contenta, vel quia hujusmodi donationes contemplatione matrimonii solemnitatibus statutariis non subjaceant, verum, & hoc pro meo judicio nimium leve fundamentum erat, cum, vel etiam hodie verius sit, vel saltem tunc communi opinione crederetur, ut omnia decreta Ducalia, istud in specie adhuc vigerent, ut occasione aliorum contractuum hujus Status Urbini advertitur in sua materia *sub tit. de alienat. & contractibus*, & habetur etiam in specie de isto decreto super donationibus infra *in Eugubina disc.* 25.

28 Et quoad aliam conclusionem, ut in hujusmodi donationibus contemplatione certi matrimonii statutariæ solemnitates non requirantur, advertebam id non esse in jure omnino absolutum, cum apud antiquiores sub non modica quæstione sit, adeout in *Romana donationis de Silla*, de qua habetur actum *sub tit. de fideic. disc.* 140. disputatam hoc articulo in Rota *coram Pamphilio de anno* 1614. ob votorum scissuram, ac opinionum diversitatem, nulla capta fuerit resolutio, unde sequuta est concordia, quam firmatum est, adeo bona fide super casu dubio prodiisse, ut afficeret etiam venientes jure proprio, ut *d. disc.* 140. *de fideic.* Et quamvis moderno tempore, in Rota, & Curia passim recepta sit opinio, ut solemnitates non intrent, quoties agatur de donatione facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii contrahendi, secus autem incerti, vel certi jam contracti, non per hoc tamen dici potest punctum esse omnino planum, ac transactionis incapacem, quodque comminata lis omnino calumniosa esset, ut in ultima decisione inculcatur, tum quia novum non est, ut Tribunalia opiniones mutent, atque derelictis iis, quas moder-
29 no tempore retinent, ad antiquas redeant, ut in centum pene quæstionibus hujusmodi mutationes, præsertim in Rota habemus, tum etiam, quia conclusio juxta dictam modernam opinionem procedit, quatenus causa matrimonii sit unica, & finalis, ut advertitur *infra in Fulginat. disc.* 26. *& in Tiburtina donationis sub tit. de dote, disc.* 17. *& alibi.*

30 Ac etiam quia retenta dicta opinione pro regula, adhuc limitari solet, quando Statuti verba sint adeo ampla, quod istum casum quoque comprehendere videantur, ut generaliter advertunt Surd. *cons.* 361. *n.* 22. Gratian. *discept.* 474. *n.* 24. *cum seqq.* Cavaler. *dec.* 354. *in fine* Andreol. *contr.* 55. *&* 67. *utrobique n.* 12. Micharol. *de fratr. p.* 1. *c.* 22. *n.* 21.

31 Id autem ad rem adaptabile recte videbatur, quoniam cum in hoc Statu Urbini adesset antiquum Ducale decretum prohibens donationes absque certa solemnitate fieri, atque super eo in specie scripsisset Eugen. *cons.* 14. *lib.* 1. probando illud convenire puris, ac simplicibus donationibus, non autem hujusmodi causativis, hinc ad hujusmodi difficultatem removendam prodiit deinde alterum decretum magis amplum, id prohibens ex quacumque causa etiam augmenti dotis, ideoque illud comprehendere etiam hanc donationis speciem, ultra dictas auctoritates generales, advertit in specie Andreol. Doctor Regionis *contr.* 4. *n.* 19. *& seq.* ac præsupponit Micharol. Doctor pariter Regionis *loco supracitato*, unde quicquid sit de hac opinione ad effectum decidendi, negari non potest esse articulum adeo disputabilem, quod justum motivum præbere potuerit transactioni, pro qua etiam in fortioribus terminis eam sustinendi in præjudicium successorum jure proprio indepen-
denter venientium, sufficere unius Doctoris opinionem, 32
pluries Rota dixit, ut advertitur *sub tit. de fideicommissis disc.* 173. *& seqq.* & sub altero *de emphyteusi disc.* 52. *ac alibi*, licet enim respectu tertii, vel independenter venientis, id non modicam patiatur difficultatem, ut citatis locis advertitur, respectu tamen ipsius transigentis, vel habentium causam ab eo, ac pro evitanda illa nullitate, quæ resultat ab omnimoda deficientia litis, vel ejus timoris, videtur extra controversiam.

Accedebat etiam altera probabilis litigandi, & transigendi 33
causa, cui decisiones, præsertim ultima non respondent, quod scilicet suberat prætensio resolutionis dictæ promissionis in totum, quatenus contigisset (ut de facto contingit) dissolutio matrimonii ipso donatore superstite, juxta quæstionem disputatam infra *in Parmen. & in Pistorien. disc.* 8. *&* 17.

Ponderatur item præsertim in dicta ultima decisione *co-* 34
ram V. Comite altera nullitas ob deficiens transactionis essentiale requisitum, quod aliquid hinc inde datum, vel remissum fuerit, quasi quod sc. 9. m. per transactionem data essent intuitu annuæ præstationis scut. 350. ad quæ pater in causam alimentorum se obligaverat, verum hoc motivum pro meo judicio omitti poterat, utpote omni juris, ac facti fundamento penitus destitutum, quoniam obligatio dictæ annuæ præstationis utpote habens causam alimentorum, erat ad dies resolubilis, quatenus matrimonii dissolutio sequuta esset, (ut ad breve tempus contingit) ac etiam quia dictam summam si non in totum, saltem pro notabiliori parte, idem pater obtinebat a dote sponsæ, quam interim in manibus retinebat, ideoque prorsus incongruum est dicere, quod hoc respectu dari debuerit pro recompensa dicta summa scutor. 9. mil. perpetuo ac irrevocabiliter, ut clare ad sensum, duplicibus quoque circumstantiis accedentibus, ad nimiam evidentiam dirimentibus hanc nullitatem transactionis initæ in re clara, vel absque debita recompensa, 35
primo scilicet, quod promissio scutorum 13. mil. non erat in pecunia, sed in tot bonis stabilibus ad æstimationem, atque attento more Regionis, plus æstimabantur, ac majoris commoditatis erant scuta 9. mil. in pecunia, seu locis montium, quam 13. m. in bonis stabilibus, adeout reus conventus pluries, ac pluries offerret velle dare bona ad formam promissionis integre, dummodo restituerentur pecuniæ, seu loca montium, & secundo quia prorsus incongruum videbatur, ut concordia cum magnis diligentiis tractata per loci supremum Magistratum adeo qualificatum, qui figuram supremi Principis in loco gerebat, atque ab eo auctorizata, neque a Lælio jam majore 25. annorum, ac J. U. D. donec vixit unquam impugnata, vel contradicta, dicenda esset collusiva, & sine causa.

Et in omnem eventum inevitabile remanebat motivum, cui nunquam contrariæ decisiones respondent, & ob quod
Signatura bis rescripsit de appellatione, quod scilicet cum 36
promissio scutor. 13. mil. non esset in pecunia, sed in tot bonis stabilibus, dum impugnabatur concordia, aliud prætendi non poterat, nisi regressus ad primævum statum, reponendo omnia in pristinum, atque restituendo acceptum in pecunia, accipere bona, quæ offerebantur, ideoque non videbatur cum fundamento inniti unquam potuerit mandatum ab A. C. relaxatum in quantitate pro summa residuali, ac propterea illa videtur una ex illis causis, in quibus practicetur illud vulgare dicterium, *quod habent sua sydera lites.*

ANNOT. AD DISC. II.

IDem quod sequutum est in casu, de quo *disc. præc.* contingit forte magis in isto, quod scilicet post diuturnam nimium dispendiosam, & ærumnosam litem cum tanta resolutionum varietate Partes ex lassitudinis operatione magis quam ex motivo pacis se concordarent, adeout utrique longe magis expediens fuisset litem non suscipere, vel respective petitis ab initio cedere. Et quidem in toto disputationum progressu non modicam admirationem, ne dicam scandalum semper concepi, ex tot variationibus, ac dilationibus in puncto, qui pro facti qualitate, & circumstantiis in discursu ponderatis tanta dotu omnino indignus videbatur; conclusio etenim super prohibita retrodonatione in toto, vel in parte, vel alia conventione præjudiciali inter donatorem, & donatarium in hujusmodi donationibus contemplatione matrimonii, innixa non est alicui legi expressæ, & claræ, cujus observantia potestati, & voluntati Legislatoris magis quam rationi referenda veniat juxta ineptum quidam assumptum deductum ex *text. in l. non omnium, ff. de legib.* per ora pragmaticorum volitare solitum, ac practicari, ut

ri, ut præsertim patet ex casibus, de quibus *disc. 1. & seq. & 19. de dote disc. 30. de fideic.* cum plerisque similibus, & advertitur *disc. 35. de judic.* & alibi sæpius, sed est conclusio antiquis ignota per modernos vitiose quidem, & irrationabiliter firmata, & vera in casu suo, quando urget ratio, cui innixa est, fraudis nempe, & collusionis ad decipiendum, & supplantandum tertium, qui alias non contraxisset, hæc autem ratio nec quidem a longe, nec remotissime ad rem adaptabilis erat ob circumstantias in disc. ponderatas, & per consequens casus non videbatur, nec quidem litis initio dignus, quodque Actricum prætensio pro meo judicio claram redoleret calumniam, tam super dicto puncto, seu conclusione, super qua principales fuerunt disputationes, quam super defectu solemnitatum, seu verius legalium superstitionum omnino irrationabilium, quando cum conclusionum, ac doctrinarum superficie, ac generalitate generaliter procedatur in omni casu, non reflectendo, ut decet, ad singulorum particulares qualitates, & circumstantias, ex quibus attenta ratione, cui conclusio innixa est, regulanda venit applicatio, ac propterea ut pluries advertitur, facti potius quam juris hujusmodi quæstiones censendæ veniunt, certam, ac generalem non recipientes regulam, cum qua semper erroneum, ac damnabile videtur more cæcorum procedere.

SPOLETANA DIVISIONIS PRO MARSUBILIA TONIA CUM FRANCISCO TONIO

Responsum ad causam extra Curiam etiam pro veritate.

De eadem materia donationis contemplatione certi matrimonii, an remitti, vel minui valeat pro jure, vel interesse secundario uxoris, vel filiorum, quamvis secundario tantum, ratione doli, vel fraudis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De duplici quæstione cadente in donatione contemplatione matrimonii una super vocatione filiorum, & altera super invalida retrodonatione.*
3 *Sunt quæstiones diversæ diversos effectus producentes.*
4 *Vocatio filiorum importat solum quoddam fideicommissum, vel substitutionem.*
5 *Quas alienationes facere possit primus donatarius, cui filii sunt substituti.*
6 *De eodem, & quod alienatio non sit nulla.*
7 *Aliud est actum esse nullum, & aliud est non præjudicare.*
8 *Alienatio bona fide, ac citra fraudem est valida.*
9 *Secus ubi cum collusione & fraude, & de ratione.*
10 *Et cum hoc præsupposito procedunt auctoritates super dicta nullitate.*
11 *Quod ista retrodonatio esset fraudolenta ideoque nulla.*
12 *Fraus probatur ob affectatum discessum a loco domicilii.*
13 *Potest fraus probari per omnes species probationis.*
14 *Quomodo decidenda sit quæstio nullitatis, vel validitatis retrocessionis donationis contemplatione matrimonii.*

D I S C. III.

1 De anno 1602. Bernardus Tonius Canonicus Hyspelli, contemplatione matrimonii per Nicolaum ejus fratrem contrahendi cum Beatrice, donationem ei fecit aliquorum bonorum, verum ad aliquos dies post contracta sponsalia de futuro, antequam illa de præsenti contraherentur, dictus Nicolaus accedens ad alium locum ibi proximum, coram diverso Notario, nedum dictæ donationi retrocessit, sed etiam bona propria donavit præfato Canonico donatori, absque eo quod unquam hæc secunda donatio in loco publicaretur.

Defunctis autem, tam donatore, quam donatario, exortisque post annos 60., & ultra controversiis inter Marsubiliam, & Franciscum ejus fratrem ex dicto matrimonio procreatos, occasione divisionis bonorum paternorum, inter alia controversiæ capita, erat illud, an bona in dicta donatione contenta censenda essent de patrimonio, ac hæreditate dicti Nicolai communis patris, ut propterea æqualiter dividenda essent, vel potius spectarent ad hæreditatem dicti Bernardi donatoris, quæ ad solum Franciscum pertinebat, dictæque controversiæ decisio pendebat a puncto validitatis, vel invaliditatis dictæ retrodonationis.

Super hoc autem Scribentes hinc inde in partibus, cum
magno labore, ac longo apparatu, & allegationum cumu-
lo (quod hodie data alicujus otii abundantia, etiam ni- 2
mis mediocriter versatis nimis facile est) tractabant quæ-
stionem insinuatam *duobus discursibus proxime præcedenti-
bus*, an scilicet in hujusmodi donationibus contemplatio-
ne certi, ac determinati matrimonii, vocati censerentur
filii uti filii necne, cum eadem quæstione confundendo al-
teram invalidæ retrodonationis *juxta decis. Franch.* 205. *&
Merlin.* 515. cum aliis, de quibus *disc. præc.* ita juxta fre-
quentem pragmaticorum morem, consarcinando, ac simul
confundendo auctoritates de una, ac altera quæstione agen-
tes. Consultus igitur desuper ex parte Marsubiliæ, ad-
vertendum esse in primis respondi, ad prædictarum, di-
versarumque quæstionum distinctionem; alius enim est ef-
fectus resultans a prima quæstione vocationis filiorum ju- 3
re proprio, alius autem resultans a prima quæstione in-
validæ retrodonationis, ob interesse secundarium filiorum,
quamvis non essent vocati.

Primo enim casu, nil refert, an bona donata retroce- 4
dantur eidem donatori, vel alienentur, seu obligentur cui-
cumque alteri, neque intrat nullitas, quoniam tunc id
importat quoddam fideicommissum, per quod sponsus do-
natarius gravatur restituere post mortem ejus filiis bona
donata, quæ ubi non accedat expressa prohibitio homi-
nis, non prohibetur gravatus alienare, vel obligare pro
ejus jure, quod non solum importat fruitionem, vel com-
moditatem, ejus vita durante, sed etiam dominii, ac pro-
prietatis translationem subjectam resolutioni, quæ potest
non contingere, vel quia filii non nascantur, vel quia
nati, patri prædecedant, unde implicita substitutio cadu- 5
cetur, vel quia superstites agnoscere non curent, juxta
ea, quæ generaliter habentur de alienatione bonorum fi-
deicommisso subjectorum in sua materia *sub tit. de fidei-
commissis*, ac etiam *sub tit. de regal.* ad materiam loco-
rum Montium, occasione agendi de satis in Curia fre-
quenti alienatione locorum Montium, fideicommissi, vel
evictionis vinculo subjectorum, cum ipsomet vinculo, 6
ideoque ista prohibitio percutit omnimodam, ac perpetuam
irretractabilem alienationem, & ne ista facto casu mortis
alienantis afficiat filios jure substitutionis, vel successivæ
donationis vocatos, ut bona vindicare valeant, non au-
tem nullitatem, quoniam aliud est actum esse irrito, 7
ac in radice ipso jure nullum ob infectionem a legis pro-
hibitione resultantem, aliud vero est, ut ille tertio non
præjudicet, unde propterea manifestus error est (modernis
tamen collectoribus connaturalis) hujusmodi casus, vel
quæstiones confundere, atque auctoritates de uno agentes,
alteri applicare.

In alio autem casu, in quo, exclusa dicta vocatione fi- 8
liorum ex persona propria, eorundem jus, vel interesse
secundarium solum vigeat, & tunc, aut agitur de alie-
natione, vel obligatione sincere, ac bona fide, citra
fraudem, & collusionem facta, & nulla cadit quæstio nul-
litatis, sed solum illa præjudicii ipso matrimonio constan-
te super alimonia, & decenti sustentatione uxoris, & fi-
liorum, ac etiam soluto matrimonio circa potioritatem,
& cautelam uxoris pro restitutione dotis, juxta ea, quæ
habentur *infra in Romana, seu Maceraten. alimentorum,
discurs.* 5. ac etiam *in Romana Salviani*, cum de reliquo
nihil prohibeat in donatario pleno, ac perfecto Domino,
illam liberam disponendi facultatem, quæ dominii conna-
turalis sequela est, ut habetur *discurs. præc.*

Ubi vero agatur de collusiva, & fraudolenta retrodo- 9
natione, in toto, vel in parte, in executionem præce-
dentis conventionis inter donantem, & donatarium, per
quam in effectu probetur simulatio, seu præordinata ma-
chinatio eludendi sponsam, ejusque parentes, vel dotan-
tes, qui de hujusmodi donationibus solliciti esse solent, non
in gratiam sponsi donatarii, sed in gratiam, & commo-
ditatem ipsius uxoris, & filiorum procreandorum, ac et-
iam ratione decoris, ut nuptiæ dicantur pares, ac di-
gnæ, cum ad id nedum æqualitas natalium attendatur,
sed etiam illa divitiarum, sine quibus nobilitas vilescit,
ac in ludibrio potius est, ut in proposito dignarum, vel
indignarum nuptiarum, seu dotis congruæ, ac de para-
gio habetur pluries in sua materia *sub tit. de dote, disc.*
1. 2. & 144.

Et tunc, licet de stricta censura dicendum veniret, ut hæc prohibitio, utpote respiciens præjudicium tertii, illud solum reservare deberet juxta supra insinuatam hujus casus primam partem alienationis, vel obligationis bona fide se-

quutæ; attamen fraus, & collusio, quæ iactis censeatur, irritant actum in radice, etiam respectu ipsius facientis, ut pro infecto haberi debeat, justa ea, quæ habemus in terminis proximis dotis confessatæ, ut ob fraudem a lege præsumptam actus infectus remaneat non solum respectu tertii, sed etiam respectu ipsiusmet confitentis, ejusque hæredum, ut frequenter in dicta sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 159. cum similibus, quæ habemus in alienationibus ipso jure infectis, quod neque ipsum alienantem afficiunt.

Atque de hoc proprie, & ex ista ratione agunt decisiones, & auctoritates, quas desuper habemus, præsertim *dec.* 205. Franchis, quæ est hujus conclusionis magistra, a qua
10 omnes aliæ derivant, præsertim supra insinuata *dec. Rota* apud Merlin. *dec.* 515. *repetit. dec.* 44. *p.* 6. *rec.* cum aliis insinuatis *duob. discursib. praced.* & præsertim apud Merlin. *lib.* 2. *contr,* 34. ubi scilicet concurrerent istæ circumstantiæ simulationis, ac præordinatæ machinationis, & dolis ob præcedentem conventionem, & scripturam privatam, quæ ibi *albaranum* dicitur; quamvis enim in eo casu expresse filii etiam vocati essent directe a donatore, unde propterea jus, vel interesse primarium quoque haberent, non tamen istud erat causa nullitatis, cum id solum importet præservationem præjudicii, ut supra, sed infectio proveniat a collusione, ac dolo inficiente actum in radice, ac si gestus non esset, ideoque merito dicitur curandum non esse an matrimonium duret necne, & consequenter evagatoria, ac extra propositum remanet illius Auctoris digressio super diversa quæstione tractata per Rovitum *cons.* 15. Nisi dicamus, quod fuerit color quæsitus, vel affectata occasio carpendi Auctorem adeo magnæ existimationis forte ex quodam propriæ existimationis ambitu.

11 Applicando autem ad rem, dicebam etiam in sensu veritatis, planum esse, ut versaremur in hoc ultimo casu collusionis, ac fraudis, ne ita ex præordinata machinatione tertius circumveniretur, dum in ipso loco facta erat donatio ad facilitandum, & concludendum matrimonium, postquam vero illud per sponsalia de futuro conclusum fuerat, priusquam perficeretur eo medio tempore clandestine, ut sponsæ, ejusque parentibus, atque conjunctis actus celaretur, retrodonatio in diverso loco sequuta erat, ut de fraude resultante ab affectato accessu ad locum diversum, ut ibi fieret actus, qui in loco consueti domicilii
12 ita fieri non poterat, habetur *in Tiburtina donationis sub tit. de dote disc.* 17. ubi concordantes, ac etiam plures in sua materia *sub tit. de alienationibus, & contractibus*, & consequenter licet ista donatio nunquam continens mentionem filiorum, nullaque habens verba, vel adminicula, quæ ipsorum vocationem suaderet, soli sponso facta esset, atque filii nullum jus directum, seu primarium haberent, adhuc tamen ipso jure nulla dicenda erat ex dicta ratione.

13 Et quamvis aliqui Scribentes pro dicta retrodonatione sustinenda, juxta consuetum pragmaticum morem, replicarent, quod dictæ decisiones Franchis, & Merlini, aliæque auctoritates hanc nullitatem firmantes non applicarentur ad casum, eo quia non constaret de aliqua præcedenti conventione inter donantem, & donatarium, attamen ista erat contemptibilis ponderatio, quoniam dicta præcedens conventio per scripturam privatam sub antapochæ, seu albarani nomine explicari solita, est quidem frequentior, ac facilior species probationis, ideoque casus præbet, quod de illa magis Scribentes agant, non tamen ad eam speciem id restrictum est, cum per quamcumque aliam, etiam adminiculativam probationis speciem id fieri prohibitum non sit, juxta terminos generales cujuscumque probationis simulationis, vel collusionis.

14 Ideoque, ut in centum pene consimilibus quæstionibus, quas super hujusmodi donationibus contemplatione matrimonii, ac retrodonationibus, sive bonorum donatorum alienationibus, pro meæ forensis vitæ tempore, disputavi, dicere consuevi, quod hodie ista est quæstio potius facti quam juris, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis bonam, vel malam fidem redolentibus, decidenda, manifestusque pragmaticorum error est, procedere in sola littera decisionum, ac auctoritatum, quas desuper habemus.

ADNOT. AD DISC. III. & IV.

Dicendum venit idem, quod dictum est *dis.* 2. *prox. prae.* cum eadem cadat quæstio. Ad punctum vero, de quo *disc.* 4. *in n.* 8. cujus nam sit electio, an sit donatoris, vel donatarii, quoties incerta, vel alternata sit res donata, videnda sunt quæ habentur *disc.* 12. & 13. *de legat.*

FOROSEMPRONIEN. DONATIONIS
INTER
ILLOS DE SORBOLONGO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia donationis contemplatione matrimonii, cujus retrocessio explicite, vel implicite facta sit, an posito quod uxore, & filiis illam impugnantibus, talis retrocessio invalida sit, competat donatori, vel ejus hæredibus actio, vel aliud jus contra ipsum donatarium retrocedentem, & incidenter, facta donatione de tot bonis in genere, cujus sit electio, & an eligi possint meliora, vel deteriora respective?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis, vel inspectionibus.*
3 *Ubi donator expresse, ac directe vocat filios, cessat omnis quæstio.*
4 *De materia juris filiorum vocatorum, ut eis a donatore, & donatario non præjudicetur.*
5 *Tali casu alienatio facta per primum donatarium non est nulla, sed non præjudicat.*
6 *De concursu filiorum vocatorum, & creditorum primi donatarii remissive.*
7 *De judicio præventivo, seu de futuro.*
8 *Electio est debitoris, nisi per moram eam amittat.*
9 *In legatis in genere relictis, vel aliis dispositionibus cujus sit electio.*
10 *Præstandum est regulariter quod minus.*
11 *Secus in his donationibus contemplatione matrimonii, & de ratione.*
12 *Ista donatio dicitur pars contractus matrimonialis, & onerosa etiam respectu ipsius sponsi donatarii.*
13 *De fine, ob quem hujusmodi donationes fiunt.*
14 *Contra donatarium retrodonantem donator non habet actionem, ex eo quod uxor, & filii ex propria persona actum impugnent.*
15 *Quando secus, quodque impugnatio obstet etiam ipsi remittenti.*
16 *De materia promittentis factum alienum quando teneatur.*
17 *In conditionalibus attenditur nudum factum implementi, vel non implementi conditionis, non attento ex cujus culpa id proveniat.*

DISC. IV.

1 PRo matrimonio contrahendo per Christophorum filium primogenitum, huic, & filiis ex eo matrimonio procreandis, pater donationem fecit de tot bonis stabilibus fructiferis quæ importarent valorem scut. 15. m. Moriens autem idem pater in testamento, scriptis hæredibus omnibus filiis, in præfatæ donationis exacationem assignavit quædam bona parum fructifera, disponendo, ut idem donatarius hujusmodi bona in propriam portionem imputare teneretur si ad æqualem successionem cum fratribus admitti vellet, sin minus, ut in eo quod ex juris necessitate debetur, censeretur institutus, adhibendo cautelam proximam illi, quam vulgo *Soccius* dicimus pro inclusione legitimæ sub fideicommisso, & de qua pluries in fuit respective materiis *sub tit. de fideicom.* & sub altero *de legitim. & detractionibus*. Acceptavit explicite, vel implicite donatarius paternam dispositionem hæreditati cum fratribus æqualiter se immiscendo, postmodum vero curavit per uxorem, ac filios pro eorum jure peti præfatæ donationis executionem in aliis bonis, quam assignatis, utpote non liberis, parumque fructiferis, ac de deterioribus, quasi quod impugnatione non resultante ab ipso donatario, & hærede, sed a tertiis, quos prohibere non poterat, utrumque obtineri posset, sibique contraventio voluntatis testatoris imputanda non veniret. Cumque quidam qualificatus Cardinalis defuncti patris, ac filiorum benevolus, extrajudicialiter veritatem inquirere vellet, ut cum honesto concordiæ temperamento hujusmodi controversiis finem daret, hinc desuper pro veritate super tribus consultus fui.

2 Primo scilicet, an uxori, & filiis jus competeret, neglecta quacumque explicita, vel implicita acceptatione paternæ dispositionis facta per donatarium, petere dictæ donationis

exe-

executionem, ac observantiam eo modo quo illius tenor importaret, secundo, stante quod dicta donatio facta erat de tot bonis stabilibus in genere, cujusnam esset electio, & sive sit unius, sive alterius, an meliora, vel respective deteriora eligi possent, & tertio, an aliis fratribus donatoris hæredibus, ob inobservantiam, sive impugnationem paternæ dispositionis, jus competeret repellendi dictum donatarium ab æquali successione hæreditatis, sive agendi contra eum ad quanti interesset paterno judicio non contraveniri.

3 Ad primum omnino planam, ac extra controversiam dixi affirmativam, quoniam non agebatur de donatione facta soli sponso, absque vocatione filiorum, adeout uxor, & filii haberent solum interesse secundarium, quo casu intrat inspectio bonæ, vel malæ fidei, juxta ea, quæ habentur *duobus discursibus proxime præcedentibus*, sed agebatur de donatione expresse, ac directe facta, nedum sponso, sed etiam filiis procreandis ita vocatis directe ab ipso donatore, non autem ea stipulatione, vel providentia eorum patris donatarii, juxta distinctionem, de qua supra *disc.* 1. *&* 2. ideoque dicebam intrare de plano vulgarem regulam textus *in l. ille, aut ille, ff. de legatis* 3. quod in claris, & expressis non intrent præsumptiones, & argumenta, & successive quicquid a
4 præfato primo donatario gravato restituere gestum esset, filiis utpote expresse substitutis præjudicare non poterat, ut in terminis specialibus donationis contemplatione matrimonii, cæteris relatis, habetur *dec.* 114. *p.* 7. *rec.* & in pluribus casibus, de quibus *sub tit. de fideic. disc.* 135. *cum plur. seq.* ubi de pluribus quæstionibus circa potestatem donatoris adjiciendi his bonis nova gravamina.

5 Solumque isto casu, contractus & alii actus gesti per primum donatarium, quoties ratione collusionis, & fraudis, sive ob expressam hominis prohibitionem ipso jure irriti, ac invalidi dici non possunt, afficiunt, ac operativi remanent ipsius gravati jure durante, juxta ea quæ generaliter habentur *d. tit. de fideic.* in proposito alienationis, vel obligationis factæ per gravatum, præsertim *disc.* 171. ubi de
6 his terminis donationis contemplatione matrimonii in concursu inter creditores primi donatarii, & filios vocatos, & consequenter quod ad formam donationis, bona meliora, vel non deteriora debita essent, clarum esse dixi jus filiorum, quamvis enim illud, vivente patre adhuc apertum non esset, sed competeret in sola spe eventuali, & non contingibili, ut advertitur proxime allegato *disc.* 171. *de*
7 *fideic.* adhuc tamen juxta ea, quæ pluries *eod. tit.* habentur ad materiam judicii præventivi, seu de futuro, jus competit agendi, dilata tamen executione, vel effectu pro tempore facti casus substitutionis.

8 Quo vero ad alterum punctum, cujus sc. esset electio, & an meliora, vel respective deteriora eligi possent, respondi primum hujus puncti partem planam esse ad favorem donatoris, vel ejus hæredum ex certo juris principio, ut debitoris præsertim non morosi electio sit, cum solum quæstio cadat in casu moræ istum effectum inter alios operantis, ut morosus privatus remaneat sibi alias competente eligendi facultate, quæ in creditorem transfundatur, ad tex. *in l. plerumque, ff. de jure dot. cum concord.* per Fab. de Ann. *cons.* 54. *&* 95. Burat. *dec.* 287. Adden. ad Greg. *dec.* 316. cum aliis in sua materia *sub tit. de credito*, unde cum in hac facti specie nulla adesset mora, plana remanebat regula favore debitoris, ideoque sola quæstio cadebat in secunda hujus quæsiti parte, an sc. posito quod electio esset donatoris, potuisset iste assignare bona, quæ supponebantur esse de deterioribus, minusque fructiferis.

9 In hoc autem, ubi agitur de legatis, aliisque lucrativis dispositionibus, in quibus ille, cum quo dispositum est, de lucro contendat, quamvis non levis variatio sit inter Scribentes, an optimum, vel respective pessimum, sive mediocre præstandum sit, ad notata per Scribentes *in l. legato generaliter relicto, & l. si domus, ff. de legat.* 1. §. *generaliter, instit. eod. tit. cum concord. relatis* per Crass. §. *legatum, q.* 62. & latius per elaboratum, sed confusissimum Simon. de Pretis *de interpret. ult. volunt. lib.* 1. *dub.* 3. *solut.* 3. *&* 4. & Capyc. Latr. *dec.* 81. Attamen ubi diversæ voluntatis adminicula, seu conjecturæ non concurrant, vera videtur distinctio, quod aut agitur de re animata, quam pessimam, seu deteriorem potius expedit non habere, quam habere, quia nempe servus, equus, vel asinus inutilis, malæque conditionis, potius damnum, quam utilitatem possessori causare videtur, & tunc præstare debeat, vel melius, vel mediocre, aut vero agitur de rebus inanimatis, quæ etiam deteriores valorem habent, ac utilitatem causant, & tunc sufficiat præstare deteriorem, ea regula, ut in legato, vel gratuita dispositione veniat quid minus ex iis, quæ in proposito monetarum diversæ speciei collecta habentur ap. Surd. *dec.* 298. nisi favor personæ, vel causæ aliud suadeat, ut advertitur in sua materia *sub tit. de legat.* ac etiam insinuatur *sub tit. de dote*, & 10
alibi, & hoc stante videbatur primo aspectu pro hæredibus donatoris respondendum esse, dum agebatur de promissione bonorum stabilium, & sic de rebus inanimatis, quæ licet parum fructifera, valorem tamen in summa specificata habebant, easque expediebat magis habere, quam non habere.

Contrarium tamen dixi probabilius Mihi videri, ut sc. ex 11
verisimili contrahentium voluntate, ac etiam ratione subjectæ materiæ, si non omnino de melioribus, attamen neque de deterioribus, sed de mediocribus, aut partim ea una, partim ex altera specie assignatio deberetur, tum quia hujusmodi donationes, quæ occasione matrimonii uni ex filiis per patrem fiunt, importare videntur quandam assecurationem futuræ successionis, utpote quodammodo succedentes loco portionis hæreditariæ ita in tuto positæ, & consequenter 12
intrare videntur termini divisionis, seu familiæ erciscundæ, & æqualitatis in ea servandæ, tum etiam quia ista videtur dispositio potius onerosa, & correspectiva, quam mere gratuita, vel quia dicatur pars contractus matrimonialis proveniens ex conventione potius cum sponsa, vel ejus parentibus, juxta deducta *disc. præc.* Vel etiam quia respectu ipsiusmet sponsi donatarii dicatur ex causa onerosa, dum eo intuitu se subjecit oneribus, ac vinculo matrimonii, ut ap. Menoch. *cons.* 236. *n.* 8. 15. *&* 26. Castill. *lib.* 4. *controv. cap.* 5. *n.* 29. *& seq.* apud quos cæteri.

Et fortius ratione subjectæ materiæ, quoniam, ut pluries 13
in præcedentibus advertitur, de hujusmodi donationibus etiam in casu, in quo dominium bonorum donatorum soli sponso quæratur, sponsa, vel ejus parentes, & conjuncti solliciti esse solent ob pinguiorem, ac decentiorem sustentationem onerum matrimonialium, id autem principaliter respicit fructus, seu redditus magis quam sortem principalem, ideoque bona ad oblectamentum, ac delitias, seu alias nihil, vel parum fructifera, extra verisimilem contrahentium voluntatem sunt, clarius vero in hac facti specie, in qua expresse dictum est dari debere tot bona fructifera, ita spectato effectu, seu fine, ob quem ista conventio sequuta est, ac propterea intrare deberet Judicis officium, ut non de melioribus, neque de deterioribus, sed juxta dictam proportionem divisionis portionum, vel juxta alteram detractionis legitimæ id sequi deberet.

Demum quoad tertium, & ultimum quæsitum, quando 14
sponsus ex gratitudinis, vel affectionis motivo, simpliciter, & gratuito donationem retrocessisset, seu alias ejus implementum diminute acceptasset, licet actus per alios interessatos impugnabilis esset, non tanquam nullus, sed tanquam non aptus præjudicare tertio, jure suo, ac independenter venienti, juxta pluries insinuatam distinctionem, tunc nullam dixi competere posse actionem contra ipsum remittentem, seu alias sibi præjudicantem, quamvis ipso volente, vel excitante, alii interessati actum impugnarent, cum censeatur quod illum actum egerit pro solo ejus jure, & interesse, potius abstentive, seu negative, renunciando proprio favori, unde propterea si proxime vocatus ad fideicommissum, vel feudum, sive emphyteusim, suum jus in toto, vel in parte remitteret, sive consensum præstet possessori alienanti, non poterit quidem ipsa impugnare actum, sed si ejus filii tanquam successive vocati impugnent, nullo jure cautum est, ipsum ad aliquid teneri, nisi eorum factum quoque promiserit, juxta ea quæ *sub tit. de renunc.* & sub altero *de successionibus* habentur de muliere renunciante alicui hæreditati, vel successioni, ut id non impediat ejusdem renunciantis filios venire ad successionem ex persona propria, neque exinde contra ipsam aliqua competere debet actio, nisi lex conventionis aliter suadeat.

Quamvis autem hæc vera sint, attamen in hac specie, di- 15
cebam ea non bene ad rem facere, seu applicari, quoniam non agebatur de aliqua actione contra ipsum donatarium remittentem in toto, vel in parte jus donatum, ut de proprio donatori reficere teneretur id, quod interesset remissionem, vel diminutionem effectum sortiri, ac per alios interessatos non impugnari, sed agebatur de repellendo eundem, ne commodum æqualis successionis in hæreditate reportaret, cum suspicione doli, & collusionis inter virum, & uxorem, seu fratrem, & filios, juxta illud simile insinuatum supra
disc. 3. de promissione facta per sponsum renunciationis fa- 16
ciendæ per sponsam, quoniam licet regula sit, ut promittens factum alienum ad illud præcise non teneatur, minusque ad interesse, sed faciendo diligentias, liberetur, nisi clausula

ita

ita quod &c. seu alia lex conventionis aliter suadeat, ut *sub tit. de credito*, ac sub altero *de renunc.* & alibi, attamen isto casu id recipiendum non est, quoniam talis promissio correspectiva dicitur ad matrimonium alias non initum cum ipso viro, seu non cum tanta dote, ac etiam quia de facili locus fieri posset fraudibus, ac dolo, colludendo inter virum, & uxorem, ac affectate simulando diligentias, ut ita obtineantur tam pinguis dos intuitu futuræ renunciationis constituta, quam hæreditates, & successiones, de quarum renunciatione conventum est, ita a pari.

17 Ac etiam quia donatoris voluntas ad æqualitatem inter filios servandam, ita clara fuit, ut eatenus filius donatarius ad æqualem successionem admitteretur, quatenus donatio sibi, ejusque filiis facta adimpleretur, juxta formam ab eo præscriptam, quæ proinde videtur conditio, sub qua dictus donatarius æqualiter cum aliis institutus fuit, unde propterea intrat recepta propositio, quod in conditionibus spectatur nudum factum implementi, non curato, an culpose, vel casualiter illud non sequatur, & an facto ipsius, cum quo dispositum est, vel facto tertii, sive a casu, cum id attendatur, quando agatur de dispositione modali præseferente pœnam privationis, seu amissionis juris quæsiti, non autem ubi de dispositione conditionali pro emolumento quærendo, ex deductis *sub titul. de fideic. disc.* 154. & alibi pluries, igitur hæc substantia voluntatis attendenda est, ut sc. præter testatoris intentionem isti filii plus non assequantur, ideoque dicebam non intrare actionem, sed bene exceptionem, ut sc. primus donatarius ab hæreditate id minus assequeretur, quod intererat paternam dispositionem impugnari, ac non observari.

ROMANA,
SEU MACERATEN. ALIMENTORUM
PRO
UXORE ET FILIIS THEODORI CECOLINI
CUM CAMERA.

Casus disputatus coram Thesaurario, & resolutus cum temperamento.

An in bonix donatis sponso contemplatione certi matrimonii, sine vocatione, vel jure primario filiorum, isti, ac uxor pro eorum alimentis potioritatem habeant adversus ipsius donatarii creditores?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod donatarius valide alienet, vel obliget bona donata contemplatione matrimonii, ubi non adest fraus collusiva.*
3 *De concursu filiorum natorum ex matrimonio, & creditorum sponsi donatarii.*
4 *Quod uxor, & filii in fructibus debeant vincere creditores.*
5 *Non prohibetur quis alienare bona, in quibus alter jus habet.*
6 *Respondetur ad casum, in quo ut n. 3. contrarium decisum est, & quando una, vel altera opinio procedat.*
7 *In decernendis alimentis uxori, & filiis ex bonis donatis quale tempus attendi debeat, & an status de tempore matrimonii?*
8 *Debita uxoris contracta post matrimonium non præjudicant viro in fructibus dotis matrimonio durante.*

DISC. V.

1 Contracto matrimonio inter Theodorum Cecolinum, & Lucretiam de Uguis, Alexander Theodori pater, contemplatione hujus matrimonii, donationem fecit de aliquibus bonis, quorum fructuum loco, ipso vivente, pro congrua onerum matrimonialium sustentatione, præstare se obligavit menstrua scuta 100. Cum autem postmodum idem pater, & filius ob susceptam Marchiæ Thesaurariam Generalem, debitores effecti essent in satis notabili summa Cameræ Apostolicæ, quæ omnia eorum bona sequestravit, sive sub executione posuit, unde propterea dictæ mulieri, ac filiis ex isto matrimonio procreatis, de congrua, & decenti sustentatione consultum non remanebat, hinc cor. Thesaurario Generali per ipsos petitum fuit ex fructibus bonorum sequestratorum dictam menstruam portionem assignari.

Adversus hujusmodi petitionem replicabant Camerales, (& bene) quod hæc donatio, seu promissio facta esset soli
sponso, non autem uxori, & filiis, qui proinde nullum dominium, vel jus, quod nostri primarium dicunt, eis quæsitum fuerat, quod solum quæsitum erat ipsi sponso donatario, qui debitor erat non fraudulenter, & collusive, sed
bona fide, & ex causa correspectiva, ut supra, unde pro- 2
pterea intrare non poterat illa nullitas, quæ in hujusmodi donationibus etiam ob istud secundarium interesse uxoris, & filiorum, intrat in fraudulentis, & collusivis retrodonationibus, juxta distinctionem, de qua supra *disc.* 2. *& seqq.* Et successive quod potior esse deberet conditio creditorum patris quam illa filiorum concurrentium pro alimentis, quæ per patrem divitem, ac idoneum de ejus bonis præstanda sunt, non autem per obæratum, seu minus idoneum, quoniam ita essent præbenda alimenta filiis non de bonis patris, sed de illis creditorum, ut in hit terminis concursus filiorum pro alimentis in hujusmodi bonis donatis contemplatione matrimonii, ad quam etiam ipsi filii vocati sint, advertitur *sub tit. de fideic. disc.* 171.

3 His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis,
Scribens pro actoribus dicebam probabilitatem eis assistere quod sc. hujusmodi bona prinsquam Cameræ pro dicto posteriori debito affecta essent, ex eadem ratione insinuata *d. disc.* 2. *& seqq.* & in aliis occasione prohibitæ retrodonationis, vel diminutionis, ob istud solum interesse secundarium, jam affecta erant uxori, & filiis procreandis pro pinguiori, ac decentiori sustentatione onerum matrimonii, quod alias absque hac provisione, & securitate contractum non esset,
& consequenter quamvis juxta supra insinuatam distinctio- 4
nem, hujusmodi bonorum alienatio, vel obligatio, citra fraudem, & collusionem prohibita non esset, attamen intelligitur pro eo jure, quod debitor habet sine præjudicio juris tertio competentis, eo modo, quo Dominus bonorum,
quæ servitutem, vel onus alteri debeant, non prohibetur 5
illa alienare, vel obligare, salvo tamen jure tertii, cui servitus, vel onus debetur, ut ex Bombin. *cons.* 59. *n.* 16. & Gratian. *discept.* 924. *n.* 34. *cum seqq.* atque in his specialibus terminis bene probat Rovit. *cons.* 88. *lib.* 2.

6 Neque his obstare advertebam ea quæ habentur *d. disc.* 171. *sub tit. de fideic.* pro creditoribus contra filios donatarii, tum quia de tempore quo hæc disputatio habita fuit, non prodierat ultima resolutio creditoribus favorabilia *cor. Bourlemont*, sed bene prodierat prima ibi enunciata resolutio *cor. Meltio* ad favorem filiorum contra creditores, unde propterea illam, ejusque fundamenta deducebam, tum etiam quia diversus est ille casus, in quo donatio consistit in quantitate, ad cujus restitutionem (præsupposita etiam filiorum vocatione) primus donatarius non nisi post mortem tenetur erga filios, quatenus superessent, ideoque eis, pendente conditione, nullum jus competebat, & nihilominus quando donatio consisteret in bonis fructiferis, adhuc in eo casu difficultatem habebam, ut ibi advertitur.

7 Agnoscentes Camerales soliditatem motivi, quodque illud congruam non reciperet responsionem, se restringebant ad quantitatem, quam satis modicam sufficere asserebant, stantibus etiam fructibus dotis, qui de bonis viri quoque dicuntur, atque in hujusmodi sustentatione in calculo ponendi sunt; dicebant etenim, quod cum dicti vir, & socer, seu respective pater, & avus, ob dictum grave æs alienum prioris melioris status notabilem mutationem passi essent, sustentatio ejusdem uxoris, & filiorum facienda non erat pompose, & cum priori decore, sed proportionate ad deterioratum statum viri, atque super hoc fuit major disputatio sopita cum eo concordi temperamento, quod in quæstionibus cum Fisco frequentius amplecti oportet, verum improbabilem dicebam hanc prætensionem, quoniam cum hujusmodi conventiones, ut dictum est,
correspectivæ sint ad contractum matrimonialem alias non 8
sequendum, nisi sponsa, ejusque parentes, vel conjuncti de eo decenti statu ita tuti redderentur, hinc proinde illud tempus attendi debet ad formam conventionis, non quid postea ex facto debitoris, absque culpa creditoris sequutum sit; quemadmodum etenim, ut advertitur in sua materia *sub tit. de dote*, debita post matrimonium contracta per mulierem non præjudicant viro, & filiis, constante matrimonio super fructibus ipsius matrimonii sustentationi destinatis, quamvis ipsa bona in sorte principali affecta sint, non attento quod ipsius mulieris conditio ob debita deterior effecta sit, ejusque status immutatus, ita a pari.

AN-

ADNOT. AD DISC. V.

DE concursu filiorum pro alimentis cum creditoribus in patrimonio parentis defuncti habetur quoque actum *sub tit. de fideicomm. disc.* 170. *& seqq.* ac videantur deducta per Rot. *dec.* 265. *p.* 12. *& dec.* 87. 447. *&* 482. *p.* 14. *rec.*

ROMANA SALVIANI PRO N. SALVIANO CUM N.

Casus disputatus coram A. C.

An in bonis occasione matrimonii donatis per virum, vel viri patrem filiis ex eo matrimonio procreandis, cum donatione in ipsomet instrumento dotali facta, mulier pro restitutione dotis actionem, ac potioritatem habeat in concursu filiorum, quibus donatio facta est?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *An hypotheca dotalis incipiat a die capitulorum matrimonialium, vel matrimonii?*
3 *An promissio de donando importet donationem?*
4 *De privilegio dotali super præsumpta anterioritate, & de privilegio Rei, & possessoris in pari causa.*
5 *An mulier pro dote vincat creditores anteriores viri in bonis donatis contemplatione matrimonii?*
6 *De potioritate in donatione propter nuptias.*
7 *Ut intret potioritas in casu, de quo n. 5. & de ratione.*
8 *De privilegio potioritatis dotis in bonis postea quæsitis.*
9 *Quod tutior sit opinio, de qua n. 7.*
10 *De potioritate creditorum socialium in bonis societatis.*
11 *Quod non intret quæstio in casu præsenti.*

D I S C. VI.

1 IN eadem apocha dotali, in qua mulier vidua se ipsam dotanda promisit dotem in quantitate investiendam Paulo Sfortiæ futuro viro, promisit iste facere donationem filiis, ac descendentibus ex eo matrimonio procreandis cum ordine primogenituræ deferendam, tot bonorum quæ redditum scut. 4. mil. constituerent; cum autem soluto matrimonio per mortem mulieris, ac viro etiam postmodum defuncto, filia primi matrimonii obtinere deberet lucrum dotale a matre sibi restituendum, hinc tanquam creditor, exercendo jura sui debitoris, judicium in Salviano interdicto coram A. C. instituit ad quædam bona dicti Pauli possessa per Salvianum titulo dotis tanquam virum filiæ ejusdem Pauli, cumque in dicta dote, ac respective de evictione legitime obligatus esset Franciscus dicti Pauli filius primogenitus, qui reo convento assistebat, excipiendo de præfato credito sibi competente ex causa dictæ donationis, seu primogenituræ, hinc assumpta fuit anterioritatis quæstio inter dotem, ac donationem prædictam, utpote in eadem apocha dotali contentas, & consequenter contemporaneas, super quo plures a Scribentibus hincinde excitatæ fuerunt quæ-
2 stiones; ex hac scilicet parte rei conventi, pro quo scribebam, an hypotheca dotalis desumenda esset a die capitulorum matrimonialium, vel potius a die matrimonii, de qua quæstione habetur *sub tit. de dote disc.* 78. 79. *&* 166. Et e converso ex parte actricis excitata fuit altera, de qua infra
3 insinuata etiam *sub tit. de fideic. disc.* 138. an promissio de faciendo donationem, ex tunc importet obligationem perfectam, atque hypothecam producat, & posito quod utraque obligatio ex tunc perfecta esset, unde propterea contemporanee ab eadem apocha oriretur æqualiter hypotheca contenta in obligatione Camerali, pro ejusdem apochæ ob-
4 servantie adjecta, an intraret necne vere, & recepta regula, de qua *sub tit. de credito*, ut in pari causa potior sit conditio Rei, & possessoris, vel potius dos aliquod habeat privilegium potioritatis, atque in sensu etiam veritatis dicebam nullum desuper privilegium doti competere.

Licet enim inter ejus privilegia illud numeretur, quod concurrentibus pluribus debitis contemporaneis eadem die contractis, non constito quale sit anterius, & quale posterius, dotale anterius præsumatur, & consequenter non intrat dicta regula, quæ in pari causa reo, & possessori assistit, attamen id non provenit, quia dotale privilegium præfatam regulam cessare faciat, sed quia dicta præsumptio tollit æqualitatem, quæ est fundamentum regulæ, ac propterea ubi constat de contraria veritate, cui semper fictio, seu legalis præsumptio cedit, quod scilicet vere utrumque creditum sit contemporaneum, corruit favor dotis, tanquam ex cessante præsupposito, ut advertitur in sua materia *sub tit. de dote*, *d. disc.* 166.

Occasione autem istius quæstionis, cogitabam ad punctum, quem pluries in mente habui, in his tamen disputationibus per Scribentes pro actrice non tactum, & quem adhuc occasio non præbuit formiter disputare, an scilicet in bonis 5
donatis contemplatione certi, & determinati matrimonii, (quorum, juxta regularem naturam, dominium soli sponso donatario acquireretur, absque filiorum vocatione jure proprio) mulier pro dotis restitutione potioritatem habere debeat adversus creditores anteriores viri, expressam hypothecam habentes, contra quos extra controversiam est in Foro privilegium potioritatis proveniens ex dispositione tex. *in l. assiduis*, *C. qui potior. in pign. habeantur*, non intrare.

Quamvis autem Innocentius, & ex eo Abbas *in cap. ex litteris de pig. n.* 9. cum quibus pertransit Negusant. *de pign.* 4. *memb.* 2. *par. n.* 65. ex quo remissive a Pont. *cons.* 80. *n. fin. l.* 1. 6
& plenius referendo Innoc. Abb. & Negus. *ubi sup.* ac alios Cutell. *de don. contempl. matr. to.* 2. *disc.* 1. *special.* 15. *n.* 15. *&* 16. firment mulieri agenti pro restitutione dotis competere potioritatem super bonis comprehensis in donatione propter nuptias, distinguendo, an ad hanc recurrat pro dotis recuperatione, & cautela, vel potius pro lucro, ut primo tantum casu, non autem hoc secundo potioritatis privilegium obtinere debeat; non tamen hæc doctrina punctum percutere videtur, cum agetur de illa donatione propter nuptias hodie antiquata, quæ juxta terminos textus in *auth. dos data*, *toto tit. C. de don. propter nuptias* per virum uxori fiat, qui termini sunt diversi, dictique Auctores procedunt cum præsupposito potioritatis pro dote jam competentis, non autem pro lucris, unde solum excitatur quæstio, an in hujusmodi bonorum specie lucra aliquod haberent peculiare, ideoque vere extra punctum.

Quatenus igitur ad hunc præcisum punctum pertinet, credebam pro mulieris potioritate probabilius respondendum esse ex duplici fundamento, primo scilicet rationis in- 7
sinuatæ *disc. præc.* quod cum supponatur quod hæc bona non essent ipsius viri, & consequenter de tempore donationis ejus hypothecis affecta non essent, sed obvenirent a sponsi patre, vel altero donante, non ex solo motivo benevolentiæ erga donatarium, sed correspective ad matrimonium, quod alias initum non esset, & sic in gratiam tertii, nempe uxoris, & filiorum, ac etiam dotantis, pro illo jure, vel interesse, quod dicimus secundarium, quale non solum consistit in decenti, ac pinguiori sustentatione, sed etiam in dotis cautela, quia scilicet mulier cum viro ita magis idoneo effecto, tuta reddatur, juxta satis notas auctoritates, de quibus pluries *in præc.* Hinc proinde quando bona efficiuntur de dominio viri, jam ex præcedenti conventione inter mulierem, seu dotantem, ac donatorem, impressam habent dictam causam, seu obligationem, & successive sub creditorum donatarii hypotheceis non cadunt, nisi ita qualificata, & cum dicta causa, quæ licet sit in tempore posterior, attamen, utpote proveniens a tertio non debitore, potior est, juxta illam potioritatem, quam creditores defuncti, vel donatoris, quamvis posteriores, vel chirographarii tantum habent adversus anteriores, & privilegiatos creditores hæredis, vel donatarii; sive juxta illam potioritatem, quam habent mutuantes ad rem emendam, ubi sibi consulant de speciali hypotheca in ipso instanti acquisitionis per prius imprimenda, ob dictam rationem, quod sub hypothecis anterioribus, bona cadunt jam dicta qualitate affecta, unde propterea Mihi videbatur indubitatum, quamvis cautius esset, ut id exprimatur, quoniam ita mulier pro dotis cautela, non viri, sed donatoris fidem sequi dicitur, ut bene, quamvis incidenter advertit Rovit. *super pragm.* 1. *de titul. abusu*, *n.* 169. *circa principium*.

Alterum videbatur fundamentum resultans ex privilegio potioritatis, quod juxta unam opinionem, quam aliquando 8
sequuta est Rota, (quamvis pro meo judicio parum probabiliter) datur doti in bonis postea quæsitis ex iis, quæ habentur deducta in dicta sua materia *sub tit. de dot. disc.* 166. *&* 83. *&* 84. quamvis enim in aliis bonis indifferentibus, de quorum obventionis diversa causa constet, adeout non intret præsumptio, quod ex ipsa dotali pecunia acquisita sint, ista opinio nullatenus placeat, ut locis mox allegatis advertitur, attamen ex eadem ratione, ob quam illa recipienda venit, quando dicta præsumptio intret, in hac bonorum specie omnino recipienda videtur; quinimmo fortius, cum

non

non sit præsumptio, quæ contrariam habere potest veritatem, sed sit veritas, ut dos, seu matrimonium sit causa acquisitionis.

Tutior autem favore dotis videtur prima ratio, utpote concludens etiam adversus privilegiatos, contra quos alias
9 dictum dotale privilegium in bonis postea quæsitis non intraret, cum ita potioritas, attenta prima ratione, non intret privilegiative, sed ex ratione generali, cuilibet non privilegiato congrua, quod scilicet bona non cadunt sub hypothecis anterioribus, nisi ita jam affecta, & qualificata, & cum jure, quod posterior creditor meretur magis a tertio, qui bona dedit, quam a communi debitore.

In idem quoque conferre observabam ea, quæ habentur insinuata *eodem disc. 166. sub tit. de dote*, circa potioritatem
10 competentem creditoribus negotii socialis in bonis occasione societatis quæsiti, quasi quod eadem quoque intret ratio.

Non tamen hæc in ista facti specie astricte suffragari poterant, quamvis motivum excitatum fuisset, cum procedant in donatione contemplatione matrimonii, quæ per patrem, vel alium fiat sponso, bona de novo ita acquirenti, isto intuitu, seu occasione, qualis non erat controversiæ casus, dum ista bona etiam ante matrimonium erant ipsiusmet viri, unde propterea hæc dici non poterat illa donatio contemplatione matrimonii, in qua tanquam in parte contractus matrimonialis, uxor, & filii interesse habeant secundarium ob majorem ipsius viri ditationem, atque ut in meliori statu ita constituatur, quo casu vere ac proprie dictæ considerationes intrant, in præsenti non cadentes, dici etenim non potest mulierem fiduciam habuisse in donatoris magis quam viri idoneitate, ideoque pro ejus securitate sollicitam fuisse de hujusmodi donatione, sine qua matrimonium non contraxisset, neque dotem viro dedisset, dum ita constat eam sollicitam solum fuisse de provisione filiorum, & descendentium, potissime quia nullam habebat causam inquirendi de securitate, dum sibi desuper consulnerat paciscendo, ut dos præstanda investiri deberet in bona stabilia, quæ tanquam species fundi dotalis primario sibi affecta esse deberent, ideoque creditum resultabat potius ex subsequuta negligentia hujus conventi investimenti.

ADNOT. AD DISC. VI.

DE potioritate mulieris in bonis donatis contemplatione matrimonii videantur deducta *sub tit. de dote, disc. 166. n. 88.* ubi in specie tangitur articulus, & conferunt deducta *eod. tit. disc.* 185. Ad punctum vero, de quo *n.* 3. an promissio de donando importet donationem, videnda sunt quæ habentur infra *hoc eod. tit. disc. 48. n. 12.* Et generaliter *sub tit. de feud. disc. 66. de Regal. disc. 41. de Servit. disc. 70. de Censib. disc. 40. de Empt. & Vendit. disc. 48.*

ROMANA DONATIONIS DE VOLPINIS PRO SOLINDIO TIBALDUCCIO, CUM FLAVIA FILIA, ejusque viro.

Casus decisus per Rotam pro Flavia.

An illa retrodonatio, quam sponsus prohibitus est facere donanti de bonis donatis contemplatione matrimonii ob secundarium interesse uxoris, ac filiorum, procedat etiam in ea donatione, quæ occasione matrimonii fiat mulieri de bonis, in dotem tamen non datis, adeout vigeat interesse secundarium viri.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De invalida retrodonatione donationis contemplatione matrimonii.*
4 *Mater dicitur interessata in pinguiori statu filiorum ob spem successionis, quod idem sit in patre.*
5 *Majus est interesse patris, quam matris ob usumfructum, & num. 6.*
7 *Resolutio placet, & de ratione.*
8 *Quod in viro non intret ea ratio, qua militat in muliere in hujusmodi donationibus.*
9 *Non attenditur ratio contemplationis matrimonii adjecta ex intervallo.*
10 *Capitula potius attendi debent quam instrumentum.*
11 *Tunc donatio dicitur causativa, & privilegiata ubi sit contemplatione matrimonii contrahendi, secus autem eo contrario.*

D I S C. VII.

FRanciscæ nuptæ Solindio, cum dote jam conventa, in 1
eisdem tabulis dotalibus mater, ac frater quædam bona, reservato usufructu, donarunt, atque in instrumento deinde ex intervallo confecto, dictum fuit, donationem fieri illius matrimonii contemplatione, ac ut decentius nubere, & se, suamque familiam sustentare posset; cum autem Francisca absente viro donationi prædictæ retrocessisset, atque donatores eadem bona donassent Flaviæ ex dicto matrimonio susceptæ, hinc contra illam, ac Josephum virum, Solindius pater, mortua Francisca, judicium instituit super dictæ retrodonationis invaliditate ob interesse usufructus legalis in bonis maternis sibi competentis, quatenus, nulla existente dicta retrodonatione, bona donata in hæreditate Franciscæ donatariæ remansissent, & introducta 2
causa *in Rota coram Cerro, sub die 13. Junii 1661.* pro actore prodiit resolutio, super qua in unica disputatione judicium maturum non efformavit.

In hac autem disputatione, Ego, & cæteri Scribentes pro actore, & ultra aliqua motiva in solo facto consistentia super dolo, falsisque suggestionibus, ex quibus prætendebatur dictam Franciscam inductam fuisse ad retrodonandum, ac alterum motivum nullitatis resultantis a Statuto 151. ex defectu causæ utilis, vel non damnosæ, nimium insistebamus in conclusione pluries in præcedentibus insinuata super hujusmodi retrodonationum invaliditate, ob interesse secundarium alterius conjugis, ac filiorum, quamvis isti 3
directe vocati non essent, juxta *dec. 205. Franchis, & dec.* 515. Merlini, cum aliis relatis *dec. 219. par. 11. rec. & supra disc. 2.* & in aliis in causæ decisione.

Atque cum longo apparatu generalium propositionum, ac ratiociniorum probare conabamur, quod cum vir, & uxor sint correlativi, hinc proinde eadem ratio, cui innixa est dicta conclusio percutiens terminos donationis factæ sponso, in qua sponsa, & filii procreandi secundarium interesse habeant, procedere quoque debet in casu converso donationis factæ sponsæ, deducendo præsertim firmata per Rotam in ultimis decisionibus editis *in Urbinaten. cor. Verospio, & Vicecomite*, de quibus *d. disc.* 2. ut scilicet ad hunc effectum sufficiens interesse reputetur illud conjugis superstitis, etiam soluto matrimonio, super pinguiori successione sperata in bonis filiorum donatario in bonis donatis succedentium, cum eadem in omnibus ratio militet. 4

Quinimmo dicebam clarius, ac majus esse interesse viri: Mater siquidem, juxta casum, de quo *d. disc.* 2. aliud non habet interesse nisi mere incertum, ac eventuale successionis 5
filiorum præmoriendorum, quod, spectato ordine naturæ, non est adeo frequenter contingibile, neque sperari solet, cum, juxta *Divi Gregorii* sententiam, parentum commune votum sit, filiis præmori, eosque superstites relinquere.

E converso autem interesse patris in bonis maternis filiorum, non solum est idem speratæ successionis, quod in matre consideratur, sed alterum magis certum, ac frequens de præsenti ususfructus scilicet in bonis maternis ei competentis, ad text. *in l. 1. & 2. & tot. tit. ff. de bonis maternis*, & alio 6
tit. C. de bonis quæ liberis, quod interesse tale est, ut filius, cui hæreditas defertur, neque possit eam non agnoscere, seu repudiare in præjudicium patris, ex his, quæ ex dictis juribus plene, cæteris relatis, habentur deducta per Pinellum *in Comment. ad d. l. 1. & 2. Cod. de bon. matern.* Castill. *de usufructu, c. 3. & sub tit. de servit. ad materiam ususfructus.*

E converso aliqua cadere posse videbatur dubitandi ratio, tum quia, ubi retrodonatio non provenit ex præcedenti collusiva conventione, adeout speciem doli, & circumventionis redoleat, sed aliud habet probabile motivum, etiam solius affectionis, vel gratitudinis, verius videtur dictam nullitatem non intrare, dictumque speratum eventuale successionis interesse non esse in proposito considerabile, ut advertitur *sup. d. disc.* 2. 7

Tum etiam quia non videtur intrare eadem ratio, quæ est potissimum dictæ conclusionis fundamentum in casu converso donationis, quæ contemplatione matrimonii per patrem, vel alium fiat sponso, ut ita scilicet iste magis idoneus reddatur ad congruam sustentationem onerum matrimonialium, quodque propterea talis donatio dicatur correspectiva, & pars contractus matrimonialis, qui alias initus non esset, ut pluries in præcedentibus, ista siquidem ratio congruere non videtur huic converso casui, cum sponsa nullum supportatura sit matrimonii onus, a viro supportandum, 8

nisi

Nisi dicatur quod vir isto intuitu sollicitus fuerit de donatione sine qua matrimonium alias non contraxisset, ut in casu converso consideratur, hoc enim dici posset quod si id habuisset in animo, curasset hujusmodi bona constitui in dotem, non autem remanere in terminis extradotalium, in quibus ipse nullum jus, vel interesse fundatum haber, cum possit mulier per se ipsam illa administrare, omnique commodo, & emolumento virum privare; ea iis quæ ad materiam bonorum extradotalium habentur *sub tit. de dote, disc.108.* attamen non per hoc tollitur ratio.

9 Motivabatur, quod dicta ratio donationi adjecta, ut scilicet decentius mulier se ipsam, ac filios sustentare posset in eo matrimonio, cujus intuitu ipsa donatio fieret, non continebatur in prima conventione capitulorum matrimonialium, sed in subsequenti instrumento, quod post consomatum matrimonium ex intervallo super capitulis matrimonialibus ad majorem firmitatem juxta stilum initum fuit, unde propterea duo instare videbantur, ex quibus hujusmodi assignatæ rationi, seu causæ deferendum non esset. Primo scili-
10 cet ob satis frequenter insinuatam conclusionem, de qua præsertim *sub tit. de fideic. disc. 179. & sub tit. de emphyt. disc. 15.* ut capitulis, non autem instrumento deferendum sit, cum illa contineant verba Partium, ac substantiam earum voluntatis, instrumentum autem verba Notarii. Et secundo ob alteram conclusionem, *de qua infra in Fulginat. disc. 26.* & in aliis, quod scilicet tunc hujusmodi donationes contemplatione matrimonii dicuntur causativæ, & correspe-
11 ctivæ ipsius contractus matrimonialis, quando fiunt, vel de illis convenitur in ipso actu contrahendi, adeout dici valeat quod alias matrimonium sequutum non esset, secus autem ubi ex intervallo, & post matrimonium jam sequutum. Casus tamen fuit novus, super quo Scribentes hinc inde invenire non potuerunt doctrinas illum in specie percutientes, cum omnes procedant casum conversum, ideoque reservo maturius cogitandum.

ADNOT. AD DISC. VII.

De prohibita retrodonatione bonorum, quæ donata fuerint contemplatione matrimonii, habetur quoque *in hoc tit. disc. 72. in quo n. 6.* insinuatur quando vir dicatur magis interessatus in donatione facta mulieri.

PARMEN. DONATIONIS PRO COMITE OCTAVIO TARASCONO CUM NEPOTIBUS EX FRATRE.

Casus per sententiam arbitramentalem decisus pro nepotibus.

An donatio facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii, sub conventione, ut effectum sortitura sit post mortem donatoris, caducetur, vel resolvatur, soluto matrimonio per mortem sponsi donatarii, ipso donatore superstite: & quando hujusmodi promissiones post mortem percutient substantiam, tanquam per speciem futuræ successionis, vel potius solum effectum, seu executionem, ubi præsertim conceptæ sunt per viam promissionis de relinquendo?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De alia controversia feudali remissive.*
3 *Distinguuntur puncti, seu inspectiones.*
4 *Quod in proposito non refert, an filii essent vocati ad donationem, & quando referat? num. 10.*
5 *Filiusfamilias hodie habet hæredem.*
6 *De materia pacti de futura successione.*
7 *De distinctione, an donatio collata ad tempus mortis donatoris percutiat substantiam, vel executionem ad effectum caducationis?*
8 *An promissio de relinquendo post mortem caduceretur præmoriente eo, cui est relinquendum remissive.*
9 *De eodem.*
10 *Ad quid referat inspicere de puncto, de quo num. 4.*
11 *Spes competens ex contractu transmittitur, & non intrat caducatio.*
12 *Quando etiam isto casu intret caducatio, & cesset transmissio.*
13 *De opinione, ut donatio contemplatione matrimonii resolvatur, soluto matrimonio donatore superstite, & num. 27.*
14 *Rejicitur hæc opinio, & contraria verior.*
15 *Juramentum validat donationem inter patrem, & filium.*
16 *Quod ista sit quæstio voluntatis, & opinio, de qua n. 14. procedat in dubio.*
17 *De resolutione renunciationis ob cessatum præsuppositum remissive.*
18 *An procedat argumentum dotis, quæ revertitur ad patrem.*
19 *Probatio voluntatis super resolutione fieri etiam potest adminiculative.*
20 *Quomodo hæc voluntas probetur.*
21 *Non est immorandum in cortice verborum, sed attendi debet substantia voluntatis.*
22 *Desumitur argumentum, quod non fiat mentio de donatione.*
23 *De argumento discretivo.*
24 *De altero, quod non vocentur filii.*
25 *De altero, quod non fiat mentio hæredum.*
26 *De alio argumento considerata supervivenetiæ.*
27 *Quod ubi non supersunt filii, verior sit opinio, de qua num. 13.*
28 *Secus ubi supersunt, & de ratione.*
29 *An cum hac donatione debeatur etiam filiis ex filio donatario legitima in bonis Avi donatoris remissive.*

D I S C. VIII.

Intuitu matrimonii conclusi inter Alexandrum Comitis Camilli Tarasconi filium primogenitum, & Cæciliam, 1
idem Camillus in capitulis matrimonialibus desuper habitis, ac etiam in instrumento postmodum celebrato promisit, quod tempore ejus mortis relinquet dicto Alexandro tot bona, quæ importent annuum redditum scutorum bismille, adhibendo verbum *relinquere* in instrumento, quod lingua latina conceptum erat, & verbum *lasciare* in capitulis italico materno idiomate ordinatis; cum autem casus dedisset dicti Alexandri præmorientiam Camillo patri, pluribus ex dicto matrimonio superstitibus filiis, dictusque Camillus donationem præfatam revocasset, sive resolutam esse declarasset, nec non de feudo, aliisque bonis disposuisset ad favorem Comitis Octavii filii tertiogeniti, relinquendo præfatis nepotibus ex primogenito legitimam de jure debitam, aliasque ordinando dispositiones ad rem non facientes, hinc sequuta præfati Camilli morte, inter prædictos patruum & nepotes, plures exortæ fuerunt controversiæ compromissæ in ipsummet Parmæ Ducem communem Dominum, ex cujus arbitramentali sententia prolata cum voto Consilii Placentini, feudum adjudicatum fuit Comiti Octavio tertiogenito, hæreditas vero Camilli condemnata fuit ad observantiam dictæ donationis, præstandumque tot bona, quæ importarent redditum scutorum bis mille, ac ulterius legitimam ipsis nepotibus in hæreditate avi, de jure, ac etiam ex ejus judicio debitam; super his autem controversiæ punctis, feudi & donationis Ego scripsi pro Comite Octavio non autem super illo legitimæ, an scilicet dicta donatio in eam imputanda esset, vel potius utrumque deberetur?

De puncto, seu controversia feudi, & an præfatus Camillus pervertere potuisset ordinem primogenituræ, cum quo feudum quæsitum erat, habetur actum in sua materia *sub* 2
tit. de feud. disc. 12. Quatenus vero pertinet ad illum punctum donationis, an scilicet ob prædecessum sponsi donatarii superstite donatore, dicta donatio caducata, seu resoluta esset, Scribentes in partibus pro dictis filiis sponsi donatarii, volumine pene desuper cum magno labore conficiendo, plures assumpserunt articulos disputandos. Primo scilicet, an filii 3
ex matrimonio superstites, ad hanc donationem vocati essent ex persona propria. Secundo, an dicta conventio, seu promissio de relinquendo contineret contractum perfecte ab initio obligatorium, vel potius speciem donationis causa mortis; cujus substantia in tempus mortis collata esset, unde propterea per prædecessum donatarii caducatio intraret. Et tertio, an dici posset pactum de futura successione, quod vel invalidum, vel saltem revocabile esset, dum donator jam revocaverat, & super quibus omnibus e converso plures clari nominis Jurisconsulti pro hac parte Scribentes, easdem reassumendo disputationes, magnos ediderunt labores.

Scribens ego pro Comite Octavio donationis invaliditatem, vel resolutionem sustinente, dicebam prorsus inanem 4
videri adeo magnum laborem assumptum per Scribentes hinc inde super dicto primo articulo vocationis filiorum ad

hanc

hanc donationem; id enim nil referre videbatur, aut enim
dicendum erat, eam continere speciem ultimæ voluntatis,
seu donationem causa mortis, adeout actus esset imperfe-
ctus, atque caducationi, vel revocationi subjectus, & tunc
destructa substantia actus jam revocati, nil referebat, an
adesset secunda vocatio, si corruebat etiam prima; & e con-
verso, si continebat donationem inter vivos ab initio perfe-
ctam, & obligatoriam, dilato solum effectu, sive executione
post mortem, nil pariter intererat, dictam filiorum vocatio-
nem adesse necne, quoniam si filii in bonis donatis non suc-
cedebant uti filii, succedebant tamen tanquam hæredes patris
cum hodie attento jure novissimo Codicis, & Authentico-
rum, extra controversiam sit in bonis valide ac perfecte per
5 patrem filio donatis, utpote non remanentibus in terminis
peculii profectitii, sed assumentibus naturam peculii ad-
ventitii, patrem non occupare bona jure peculii, ut prius
attento jure Digestorum sequebatur, sed filium habere hæ-
redem, juxta ordinem succedendi a jure præscriptum adeo-
ut etiam si ipse pater succederet, hæreditariam qualitatem
filii habere deberet, ac matrem, & fratres ad æqualem suc-
cessionem admittere, ut habetur in sua materia *sub tit. de
successionibus*, ac etiam *sub tit. de dote*, *disc.* 32. *& seq.*

Prout extra causæ punctum videbatur altera quæstio, an
ista promissio contineret pactum de futura hæreditate, vel
successione, quoniam cum non esset, nec de tota hæreditate
6 nec de quota, (quo casu intrat quæstio nullitatis, vel revoca-
bilitatis, de qua apud Bellon. jun. *cons.* 22. plene apud Censal.
in l. unica, C. si quis Imperatori maledixerit, §. 22. *n.* 83. *cum
seq.* & Rota apud Royas *dec.* 282. 317. *&* 455. & in aliis de
quibus in sua materia *sub tit. de renunc.*) sed ageretur de certis
bonis, neque quotam constituentibus, idcirca extra contro-
versiam videtur, ut promissio potissime juramento munita
sit valida, & irrevocabilis, neque in ea intrent ea quæ ad
materiam text. *in l. pactum quod dotali, C. de pactis cum con-
cord.* habentur in dicta sua materia *sub tit. de renunc.*

Quare his, ac similibus, utpote superfluis, ac evagatoriis
7 neglectis, Immorando stricte (juxta laudabilem Curiæ sty-
lum) super controversiæ puncto præciso, advertebam, duas de-
super cadere inspectiones inter se diversas, ex quibus uni-
us, vel alterius determinatio huic parti sufficiebat, Primo
scilicet, an hæc promissio de relinquendo post mortem obti-
neret speciem donationis causa mortis, cujus substantia in
ipsius mortis tempus collata esset; hoc enim posito, extra
controversiam remaneret, revocabilitati, vel caducationi per
donatarii prædecessum locum fieri, secus autem ubi tempus
mortis non percuteret substantiam sed solum effectum, seu
executionem, ipsa substantia, per viam perfectæ, & irre-
vocabilis donationis inter vivos ab ipso instanti jam firma-
ta, juxta communem, ac receptam distinctionem, de qua cæ-
teris relatis plene apud Merlin. *dec.* 664. *repet. dec.* 9. *par.* 7.
rec. apud Royas, *dec.* 314. Fontan. *de pact. clauf.* 4. *gl.* 3. Bu-
ratt. & Adden. *dec.* 581. Galeot. *lib.* 2. *controv.* 21. & passim.

Et secundo, quatenus ista conventio importaret dona-
tionem contemplatione matrimonii ab initio validam, per-
fectam, & irrevocabilem, an tanquam causativa, & fa-
cta ex præcisa, & finali causa matrimonii, illo ante ef-
fectuationem dissoluto, tanquam ea cessante causa, resolu-
ta fuisset necne, vel potius donatarius ad ejus hæredes
eam transmittere potuisset.

8 Quatenus pertinet ad primum, deducebam eadem fun-
damenta, quæ in terminis consimilis promissionis de relin-
quendo post mortem facta ex eadem occasione certi matri-
monii habentur deducta *disc. seq.* ac etiam in eodem casu *sub
tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, *disc.* 85. allegando
decisiones Rotæ in eo casu jam editas, ac auctoritates, &
rationes ibi contentas, quas in præsenti superfluum est re-
petere, utpote ibi de facili videndas.

9 Ac etiam deducebam ea quæ deducta habentur *in Rom. lu-
cri dotis, sub tit. de dote, disc.* 129. in proposito consimilis con-
ventionis super assecuratione futuri legati, seu futuræ dispo-
sitionis, quod scilicet hujusmodi conventiones continent
quidem assecurationem futuræ successionis in aliqua bono-
rum parte, ne illa remaneat incerta, & eventualis, ab arbi-
trio, seu libera voluntate morituri pendens, atque ad hunc
effectum, perfecta & irrevocabilis probabilius dicenda est,
ut latius in dicta sua materia *sub tit. de renunc.* cum terminis
tamen habilibus, ut scilicet supervivat ille, cui relinquendum
est, unde propterea verificari valeant extrema habilia, legan-
tis, & legatarii, seu disponentis, ac ejus cum quo disponen-
dum est, ex ibi deductis, & quæ deducebam etiam in respon-
sis in ista causa editis, magis fuso calamo, ut eatero stylo
(quamvis superfluo, parumque commendabili) satisfieret.

Atque ad hunc effectum solum conferre observabam di-
ctam quæstionem, an filii ex matrimonio procreandi vocati
essent necne? quoniam si vocatio adesset, ita corruebat di-
ctum potissimum motivum deficientiæ extremi habilis, cum
quo disponi debuisset, dum ipsi filii (posita vocatione) di-
cuntur æque principales donatarii, ideoque verificatur in 10
eis cætterum habile, quod tamen in sensu veritatis obstare
non poterat, dum filiorum nulla mentio in ista conventio-
ne habita fuit, nullaque aderant verba, vel adminicula, qui-
bus cessantibus, hodie tanquam absoluta, recte constitui
posse videtur regula, dictæ vocationis exclusiva.

Verum reflectendo ad veritatem, iste primus punctus
caducationis ob præmorientiam donatarii, ac impeditam
transmissionem, solus, ac de per se Mihi parum tutus vide- 11
batur ex conclusione, de qua plene omnibus fere collectis,
habetur apud Capyc. Latr. *dec.* 2. *n.* 9. *cum seqq.* cum aliis, de
quibus alias infra, *& sub tit. de fideic.* ut caducatio procedat
in legatis, aliisque dispositionibus per ultimam voluntatem,
in quibus attenditur sola voluntas disponentis, non autem
ejus, cum quo facta est dispositio, secus autem in con-
tractibus præsertim onerosis, seu correspectivis, ideoque
caducatio intrat in donatione causa mortis, cum ista, li-
cet in fieri figura habeat contractus, attamen in facto esse
importare dicitur ultimam voluntatem.

Et quamvis etiam in actibus inter vivos apud Altogr. jun.
controv. 29. cæteris relatis plene probetur, ut præmoriente 12
donatario, sive illo, cum quo disponi promissum est, ces-
sare debeat dispositio tanquam personalis, attamen, vel
id non subsistit, vel procedit cum declarationibus, de qui-
bus infra *in Pistorien. disc.* 17. quæ est eadem causa in qua
dicta controversia prodiit, & nihilominus ubi etiam id
admittendum sit, vere non percutit terminos caducatio-
nis, sed potius illos resolutionis, seu cessationis ex cessan-
te causa, juxta alteram supra distinctam inspectionem,
de qua infra, & consequenter quod superius ponderata
fundamenta, sola, & de per se non sint apta ad caducatio-
nem, bene tamen in aliquo influere possint ad corrobora-
tionem alterius motivi resolutionis.

Quatenus igitur ad dictam aliam inspectionem resolu-
tionis pertinet, Scribens more Advocati, pro resolutione
deducebam auctoritatem Beritand. *cons.* 176. Mendez. *in l.
cum oportet, C. de bonis quæ liberis, part.* 1. *effect.* 3. *num.* 13
58. & Rovit. *cons.* 15. *&* 16. *lib.* 1. quorum primum ast et-
iam repertum apud Theodor. *allegat.* 42. ubi ex auctorita-
te Oldrad. *cons.* 151. firmatur in specie, quod cum hujus-
modi donationes contemplatione matrimonii, quæ fiunt
per patrem filio, sint causativæ, ac potius necessariæ,
quam voluntariæ, hinc proinde restringi debent ad suam
causam, qua cessata, vel resolvuntur, vel remanent pu-
ræ, ac simplices donationes sine causa, quæ inter patrem
& filium utpote importans peculium mere profectitium,
validitatem, seu perfectionem recipiunt a morte patris,
ex cujus perseverante voluntate, ac substantia, filius su-
perstes potius obtinere dicitur.

Agnoscebam tamen parum tutum esse hoc fundamen-
tum, cum ista opinio magis communi DD. calculo reprobe-
tur, & quidem rationabiliter, ex ea ratione, quod causa
certi, ac determinati matrimonii removet juris civilis ob-
staculum, seu prohibitionem, atque reddit donationem va- 14
lidam, & perfectam ab initio, ob mixturam juris tertii, mu-
lieris scilicet, ac dotantis, saltem pro jure, vel interesse se-
cundario pluries insinuato, ac etiam ob mixturam causæ
onerosæ, quam ipsemet sponsus donatarius fovere dicitur,
suscipiendo ita statum conjugalem, ac in se assumendo one-
ra matrimonii, alias forte non facturus, & consequenter,
posita validitate, ac perfectione actus ab initio, nil refert,
quod causa productiva hujus validitatis deinde cesset post
jam perfectum, & consummatum effectum, dum post ef-
fectum consummatum dicta regula *cap. cum cessante* non in-
trat, istaque est una ex ejus satis notis limitationibus.

Multo vero magis (ut in præsenti, ac frequenter) talis
donatio juramento etiam munita sit, per quod, juxta ma-
gis communem, ac in Foro receptam opinionem etiam pura 15
& simplex donatio sine causa inter patrem, & filium ab ini-
tio valida, & perfecta est, ut in specie reprobando Men-
dez. & Rovit. *ubi supra* ex auctoritate Guid. Pap. *cons.* 12. *&
dec.* 147. (qui apud modernos in ista conclusione antesignanus
reputatur) plene Merlin. *lib.* 2. *controv.* 34. *n.* 29. *cum seq.
ad finem*, & Theod. *alleg.* 43. scribens in contrarium in eo-
dem præciso casu, in quo scripsit Rovit *d. cons.* 15. atque juxta
opinionem Theodori decisum fuit, & sequuntur Fonta-
nell. *dec.* 54. Galeot. *lib.* 2. *controv.* 21. Capyc. Latr. *consult.* 16.

Novar.

Novar. apud Ricc. *post collect.* 2563. Cutell. *de donat. tom.* 2.
special. 24. *n.* 6. *cum seq.* Andreol. *controv.* 232. & alii, un-
de propterea, tam attentis auctoritatibus, quam rationibus,
hæc posterior opinio tenenda videtur in puncto juris, ubi
facti circumstantiæ contrarium non suadeant.

Advertebam tamen, (etiam in sensu veritatis) præmis-
sa omnia procedere præsumptive, ac in dubio, quoties quæ-
16 stio consistat in nudo puncto juris, seu juris præsumptione,
secus autem ubi contrariæ voluntatis probationes, vel admi-
nicula concurrant, cum etiam in contractibus, quamvis
correspectivis, intret dicta consideratio verisimiliter deficien-
tis voluntatis unius, vel utriusque, juxta ea quæ haben-
tur infra *in d. Pistorien. disc.* 17. ac habemus ex recepta theo-
rica Bartoli, *in l. qui Romæ*, *§. duo fratres*, *n.* 24. *ff. de verb.
oblig.* cum concordantibus, *dec.* 186. *par.* 3. *rec.* & pluries
17 *sub tit. de renunc.* super cessatione, vel resolutione renun-
ciationis, cessata causa, seu fine renunciandi.

Et magis proxime habemus in dote, quam pater filiæ
constituit ex eadem juris necessitate, vel causa, ob quam
18 hujusmodi donationem filio facit, quod soluto matrimo-
nio actus resolvitur, atque dos, ubi non obstet consuetu-
do, quæ vulgo dicitur *Martini*, ad patrem revertitur, ut
pluries in sua materia *sub tit. de dote*, & quamvis in specie
Guido Pap. *ubi sup.* ejusque sequaces hanc paritatem negent,
rationis diversitatem assignantes, attamen certum videtur
hoc argumentum insinuata ad probandum dictum assumptum,
quod illa sit quæstio voluntatis, in dubio quidem decidenda
pro non resolutione, seu pro transmissione juxta dictam ma-
gis communem opinionem, secus autem ubi accedant pro-
bationes, vel argumenta diversæ voluntatis, cui perpetuo
lex cedit, ubi in volente non obstet defectus potestatis, quem-
admodum enim donator de pacto resolutivo, in casu solu-
19 ti matrimonii, sibi expresse consuluisset, aut alias ejus vo-
luntatem limitatam ad durationem causæ faciendi declaras-
set, dubitandum non veniret, illam attendi debere, ita
nil impedit eandem voluntatem per adminicula, & conje-
cturas suffocantes contrariam præsumptionem juris probari
posse, ac attendi debere.

Applicando igitur ad rem, plura argumenta, seu admi-
nicula considerabam, ex quibus de hujusmodi voluntate
constare videbatur, illa non singulariter, sed unitim pon-
20 derando cum consueta regula, in adminiculativis, seu quæ-
stionibus voluntatis perpetuo attendenda, *ut singula, quæ
non prosunt, unita juvent*, de qua præsertim satis *sub tit.
de fideicommissis*, & alibi satis frequenter.

Atque in idem, pro norma, seu lumine, attendi quoque
debere dicebam alteram regulam in omni materia frequenter
insinuatam, ac vere principaliter a Judicantibus præ oculis
21 habendam, in omnibus ambiguæ voluntatis quæstionibus,
tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem quod non
cortex, & figura verborum, sed substantia verisimilis vo-
luntatis attendi debet, ut de actibus per ultimam volun-
tatem, cæteris relatis Mantic. *de conject. lib.* 3. *tit.* 3. *nu.* 9.
cum aliis apud Otthob. *dec.* 254. *in fine*, & pluries *sub tit. de
fideicomm.* Et de actibus inter vivos idem Mantic. *de tac. lib.* 2.
tit. 7. *n.* 1. *& seq.* Cyriac. *contr.* 478. *n.* 18. *& seq.* Rota apud
Merlin. *dec.* 692. *n.* 46. apud Buratt. *dec.* 113. *n.* 7. & frequen-
ter, ut præsertim *sub tit. de credit.* & sub altero *de alien. &
contract.* ac in omnibus aliis fere materiis.

Plura igitur in hac facti specie ponderabam, primo scili-
cet quod in hujusmodi conventione nullum unquam contine-
22 tur verbum, quod donationem ex tunc validam, ac perfe-
ctam importaret, ut continebatur in casibus, de quibus agit
Guido Pap. hujus conclusionis antesignanus, ubi de donatione
expressa, idemque de omnibus aliis casibus, de quibus agunt su-
perius allegati, præsertim Galeot. *lib.* 2. *contr.* 21. Merlin.
d. contr. 34. *l.* 2. Theodor. *alleg.* 43. & Rovit. scribens in
oppositum in eo casu *d. cons.* 15. *l.* 2. cum in hac facti spe-
cie actum esset de relinquendo in morte, unde propterea
dicebam longe diversum esse casum, quem vere, & proprie
dictæ auctoritates non percutiunt, sed potius intrarent ea quæ
habentur *disc. seq.* ac *disc.* 85. *sub tit. de feud. & disc.* 129. *sub
tit. de dote*. Si enim in partium intentione fuisset procedere
per viam donationis ex tunc perfectæ, ac transmissibilis,
facillimum erat id exprimere, ac verisimiliter fecissent.

Secundo etiam fortiter, ob claram discretivam, per quam
23 dicebam, hujusmodi voluntatem remanere indubitatam, quod
scilicet in eadem scriptura idem Camillus pater donavit Ceci-
liæ nurui scuta mille, atque non solum donationis titulum ex-
pressit, sed etiam adhibuit clausulas, & cautelas, quæ ex il-
lius Civitatis moribus, ac Statutis in donationibus adhiberi
solent, necnon ad eandem post mortem mulieris donatariæ
expresse vocavit filios ex eo matrimonio procreandos, si
enim in donatione adeo exiguæ summæ comparative ad
istam, tot solemnitates, & cautelæ adhibitæ sunt, utique
prorsus improbabile est, quod in ista longe majoris im-
portantiæ negligi debuerint, atque procedi per viam sim-
plicis promissionis de relinquendo.

Tertio ob neglectam mentionem filiorum, licet enim jux-
ta magis communem, ac tenendam opinionem *disc.* 1. *&* 2.
insinuatam, vocatio filiorum in hujusmodi donationibus (quic-
quid aliqui minus vere teneant) non sit necessaria, vel con- 24
naturalis, attamen ubi præsertim agitur de dispositionibus
adeo magnæ importantiæ, consueta esse solet, ideoque omis-
sio aliquod præbet dictæ diversæ voluntatis argumentum.

Quarto ex neglecta mentione hæredum, ob quam Rov.
d. cons. in princ. probare conatur donationis resolutionem re- 25
sultare, quamvis enim illud assumptum periculosum sit, ju-
reque merito reprobetur per alios supra allegatos, præsertim
per Theodor. *d. alleg.* 43. & Merlin. *d. contr.* 34. quoniam in
contractibus, data validitate, ac perfectione actus, stipula-
tio pro hæredibus subintelligitur, quamvis non exprimatur,
attamen quia de communi stylo, seu Notariorum formulario,
hæredum mentio, ac stipulatio passim adjici solet, negari
non potest, quin exinde, omittendo id, quod est consue-
tum ac verisimile, magnum resultet alicujus diversæ volunta-
tis argumentum.

Et quinto demum, quod pro tempore supervivientiæ ipsius
Camilli promissoris, patet, seu conjuncti sponsæ de nulla
promissione, vel altera provisione solliciti fuerunt, signum
clarum, quod solum cogitarunt ad firmandum sponsi statum
post mortem patris, ut ita congrue provisus remaneret, stan- 26
te considerabili numero aliorum quatuor fratrum, ideoque
principaliter habita fuit in Partium intentione ipsius donatarii
supervivientia in statu matrimoniali, juxta ea, quæ in propo-
sito supervivientiæ affectivæ ponderatæ in donatione pro aug-
mento dotis, habentur *in Romana augmenti sub tit. de dot.
disc.* 27.

Quando ex hoc matrimonio nulli fuissent superstites filii,
omneque cessaret uxoris interesse quamvis secundarium, quia
nempe dos integre sibi restituta esset, atque non suppeteret al-
terum interesse speratæ successionis filiorum (dum illud ali-
mentorum sine dubio cessat per matrimonii dissolutionem) 27
adeout de hoc ageretur ad solum effectum transmissionis hu-
jusmodi bonorum ad extraneos hæredes, vel creditores viri,
qui patrem viventem, vel ejus filios spoliare vellent, tunc
(in sensu etiam veritatis) credebam ex dictis argumentis,
ac nimium verisimili donatoris, seu promittentis voluntate,
dictæ resolutioni omnino locum fore, cum principaliter cor-
respectivitas ponderetur in ordine ad interesse mulieris, ac fi-
liorum potius quam ipsius sponsi donatarii, ideoque dicto
interesse cessato, nimis asperum esset, satisque indiscretus,
ac irrationabilis leguleicus rigor, ex verborum, seu clausula-
rum formulis desumi solitus, ut pater qui nonnisi causative
permisit ad præcisum effectum providendi filium, ejusque fu-
turam sobolem, cum dicto præsupposito, quod frequentior,
ac regulatus naturæ ordo inducit, ita vivens, per extraneos
spoliatus remanere debeat bonis suis, sive spoliare cogatur
alios proprios filios, contra omnem penitus verisimilitudinem,
illoque casu omnino recipiendam esse dicebam opinionem
Rovit. *d. cons.* 15. potissime in isto casu, in quo non aderat
explicitus perfectæ, ac irrevocabilis donationis titulus, qua-
lis in dicto casu concurrebat, ac propterea de plano intrare
dabarent omnia, quæ tam pro resolutione, quam pro caduca-
tione superius ponderata sunt.

Quia vero ex matrimonio superstites fuerunt filii, quibus
uxor, ac respective mater quoque assistebat, id Mihi, ad ve-
ritatem reflectenti, magnam inferebat difficultatem, unde
propterea probabilis visa est resolutio, ex insinuata ratione, 28
quod scilicet sponsa, ejusque parentes, vel conjuncti, de hu-
jusmodi donationibus solliciti esse solent, ut ita provideant-
tur, nedum ipse sponsus pro pinguiori supportatione onerum
matrimonialium, sed etiam filii pro jure probabiliter speratæ
successionis, & consequenter, quamvis matrimonium disso-
lutum sit, adhuc tamen durabant reliquiæ, seu durabat effe-
ctus in mente habitus, neque intrabat dicta ratio inconve-
nientis, quæ in casu transmissionis ad extraneos sine dubio
intrare videretur, illudque videtur probabile motivum, ob
quod dicta resolutio, Mihi quamvis in contrarium scribenti
placuit, non autem illud, cui, ut relatum fuit juxta fre-
quentiorem leguleicam insipiduram, major pars Assessorum
innixa fuit, clausulæ scilicet *ex nunc pro tunc*, præsertim pon-
deratæ apud Galeot. *d. controv.* 21.

Durum tamen visum fuit, in quodam naturali, ac æqui-
tativa

tativo discursu magis quam in stricto rigore legali, ultra di-
19 ctam donationem jure hæreditario patris filiis superstitibus delatam, decernere etiam legitimam ex propria persona in bonis avi, quamvis super puncto non seri pserim ex iis ponderationibus, quæ desuper habentur in sua materia *sub tit. de legitima, & detractionibus*, ac etiam *sub tit. de dote*, & alibi.

S U M M A R I U M.

1 *An donatio caducetur per prædecessum donatarii?*
2 *Quando tempus mortis dicatur percutere substantiam.*
3 *De pacto futuræ successionis.*

ANNOT. AD DISC. VIII. & IX.

1 DE hac eadem materia habetur actum *in hoc tit. de Donat. disc.* 64. An scilicet donatio caducetur, vel resolvatur per prædecessum ipsius donatarii, vel potius transmittatur ad hæredes?

De tribus autem inspectionibus distinctis *in præsenti disc. n.* 3. quoad primam an filii vocati dicantur uti filii, & ex propria persona, videnda erunt, quæ per ipsum Auctorem tradita fuerunt in annotationibus *ad disc.* 1. *& seq.*

2 Ad secundam quando tempus mortis dicatur percutere substantiam, vel potius exequutionem ad effectum caducationis, videnda sunt quæ habentur *hoc titul.* & latius *tit. de legat. disc.* 3. *&* 59.

3 Ad tertiam de pacto futuræ successionis habetur actum *lib.* 10. *de fideic. disc.* 141. *& disc.* 213. *& tit. de renunc. disc.* 16.

ROMANA DONATIONIS DE ANDOSILLIS PRO ANGELO ANDOSILLA, CUM CREDITORIBUS RAPHAELIS NEPOTIS.

Casus decisus per Rotam, ut infra.

De eadem materia, an donatio contemplatione matrimonii resolvatur per mortem donataris vivente donatore ubi concepta sit per viam promissionis de relinquendo post mortem, & generaliter, an donatio correspectiva ad aliquod implementum donatarii resolvatur ex causa non implementi, vel cessantis correspectivitatis, tam respectu donatarii contravenientis, quam aliorum successive vocatorum?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutiones causæ, & de aliis hujus causæ punctis, & resolutionibus.*
3 *An donator addat vincula, & onera ob additamentum bonorum remissive?*
4 *In contractibus nominatis, non implementum causat actionem ad interesse, non autem resolutionem, vel pœnitentiam.*
5 *Contraventio primi donatarii non præjudicat filiis, & descendentibus vocatis.*
6 *Declaratur conclusio, de qua n.* 4. *an procedat in donatione?*
7 *De eodem, & quando dicatur contraveniri voluntati donatoris, ut sequatur resolutio.*
8 *Et de alia generali declaratione dictæ conclusionis, de qua n.* 4.
9 *Quare aliqui articuli examinati non fuerint, & de stylo Curiæ insistendi præcise in necessariis.*
10 *Declaratur conclusio, de qua n.* 5. *& quando primus præjudicet aliis.*
11 *In donatione contemplatione matrimonii non intrat revocatio ex causa ingratitudinis.*
12 *Idem in donatione facta Promovendo ad sacros ordines.*
13 *Et generaliter quando contraventio gravati præjudicet ejus descendentibus substitutis.*
14 *An donatio contemplatione matrimonii resolvatur per matrimonii dissolutionem?*
15 *Non intrat quæstio ubi alia accedat donatio post matrimonium ex alio motivo.*
16 *Quod resolvatur ubi contentio est cum extraneis.*
17 *Secus autem cum filiis vocatis, & de ratione.*
18 *Ubi non agitur de donatione bonorum, sed de promissione relinquendi post mortem, si ille, cui facta est promissio præmoriatur, non potest intrare Bulla Baronum, & de ratione.*

D I S C. IX.

DOnatio, ac respective promissio, quas (cum consuetis erroribus Sapientum,) Insignis J.C. Angelus An- 1
dosilla in modo scribendi Magister meus fecit Raphaeli ex fratre Nepori, ob ingens æs alienam, ac dissipationes post dicti Raphaelis mortem detectas (juxta pariter consuetum Litteratorum, ac Prudentium virorum fatam, hujusmodi successores habendi) plures excitarunt controversias cum creditoribus, de quibus habetur tam in præsenti, quam *sub tit. de feudis ad materiam* Bullæ Baronum *disc.* 85. ac etiam *sub tit. de fideicomm. disc.* 139. Contemplatione siquidem secundi matrimonii per dictum Raphaelem contrahendi, in eadem apocha dotali, Angelus promisit, sponsos, ac filios, cum reliqua familia, vivans propriæ domi retinere & alere, atque in morte illi relinquere tot bona, quæ constituerent annuum redditum scutorum bis mille, cum substitutionibus, ac oneribus sibi bene visis, deinde vero per instrumentum eidem Raphaeli, ac Angelo juniori, & Portiæ ex dicto matrimonio susceptis, aliisque filiis, & descendentibus, quamplura bona donavit, cum strictissima alienationis prohibitione, ac onere investiendi ex fructibus singulis annis scuta mille, usquequo compleretur summa scut. 25. m. Viceque versa Raphael, eludendo senem, eique præsupponendo habere in censibus, aliisque effectibus scuta 17500. provenientia ex primæ, & secundæ uxoris dotibus, (cum in effectu tunc in longe majori summa, id ab ære alieno jam absorptum esset) eadem bona pariter donavit, dictoque fideicommisso incorporavit, constituendo unam, & idem corpus; sequata igitur dicti Raphaelis morte, donator superstes, ut a creditorum molestiis magis tutus redderetur, judicium instituit coram A. C. ac favorabilem sententiam reportavit super dictæ donationis resolutione, introductaque per appellationem causa *in Rota coram Cerro*, & dato dubio, an donatio esset resoluta,
vel quatenus non, quale jus creditoribus competeret, *sub diebus* 3. *Junii* 1658. *&* 24. *Jan.* 1659. in utraque parte dubium 2
negative resolutum fuit, donationem scilicet resolutam non esse, & creditoribus nullum jus competere ob resolutum jus debitoris, stante fideicommisso ad favorem filiorum, quarum decisionum prima est impressa *dec.* 356. *p.* 12. *rec. & post Collect.* Bonden. *dec.* 50. Quamvis enim aliæ postmodum prodierint resolutiones, illæ tamen percutiunt punctum Bullæ Baronum, ut in *sua materia, dicto tit. de feud. disc.* 85. Alterque punctus actus *sub tit. de fideic. disc.* 139. est super eo, an idem donator ob additamentum aliorum bono-
rum dictæ donationi factum ad favorem dictorum filiorum 3
tunc pupillorum, valide nova onera, novasque substitutiones adjicere potuerit.

Quatenus igitur pertinet ad dictam primam dubii partem super donationis resolutione, Rota in hoc, inhærendo deductis per Scribentes pro creditoribus dixit, dictæ resolutioni locum non esse, ex conclusione pluries alibi insinuata, præsertim *sub tit. de loc. disc.* 18. & sub altero *de empt.*
& vendit. disc. 12. quod scilicet rejecta opinione, de qua 4
apud Becc. *cons.* 43. & alios, ipsa Rota & Curia sequitur opinionem, ut in contractibus nominatis, qualis est ille donationis, ob non implementum non resultet pœnitentia, vel resolutio, sed solum intret actio ad quanti interest, ex deductis per Adden. ad Gregor. *dec.* 130. cum aliis in hujus causæ decisionibus, & in supra allegatis locis *sub tit. de locat.* & sub altero *de emption. & vend.*

Et ulterius, quod ubi etiam resolutioni locus esset, ob dicti Raphaelis non implementum, vel culpam, id procederet quoad ipsum culposum, ac habentes causam ab eo, non autem in præjudicium filiorum, aliorumque descendentium
ex propria persona vocatorum, quibus independenter ve- 5
nientibus a contraveniente, istius culpa præjudicare non debet, ut per Castrens. *cons.* 385. *l.* 1. & alios apud Gratian. *discept.* 247. *n.* 5. *& discept.* 332. *num.* 14. Rota apud Merlin. *dec.* 404. *n.* 7. *cum seq. dec.* 683. *n.* 9. *p.* 1. *divers. dec.* 494. *n.* 1. *part.* 2. *rec. cum aliis, de quibus in ipsis decisionibus.*

Scribens Ego pro Angelo resolutionem petente, quatenus pertinet ad primum fundamentum, etiam cum sensu
veritatis, dicebam illud minus probabila videri, dictam- 6
que conclusionem impedientem resolutionem ob non implementum, ac tribuentem solam actionem ad damna, & interesse, quamvis in suo casu veram, non bene ad rem applicari dupliciter.

Primo nempe, quoniam quicquid sit in aliis contractibus emptionis, & venditionis, locationis, & conductionis cum similibus, attamen in donationibus factis sub alicujus implementi

menti onere, id speciale videtur, ut rejecta generali di-
stinctione, quæ in ultimis voluntatibus, aliisque actibus
vera est inter conditionem, & modum, & an implemen-
tum adjectum sit a parte antea, vel a parte postea, atque
in donatione etiam admittenda est, ubi implementum non
sit erga donatorem, ex deductis *sub tit. de fideicom. disc.*
154. Ubi tamen ipsum donatorem percutit, semper intrat
resolutio, adeout speciem ingratitudinis redolere videatur,
tanquam ex verisimiliter deficiente animo donatoris ad text.
in l. 1. *&* 2. *C. de donat. quæ sub mod. & l. finali*, C.
de revoc. donat. utrobiq; Scribentes, ac firmatus per Rotam
in Mediol. donationis 10. *Junii* 1645. 16. *Martii*, *&* 17.
Decemb. 1646. *cor. Ghislerio*, quæ reputantur in materia
magistrales, passim in Curia receptæ, atque in hujus et-
iam causæ decisionibus enunciatæ, potiusque laudatæ.

Quamvis enim istæ decisiones agant de contraventione,
seu non implemento respiciente ipsius donatoris personam
7 ob sibi non præstita alimenta, seu non præstitam reserva-
tam præstationem, qui casus videtur specialis, ac verisimi-
lites redolens deficientem donatoris animum, secus autem
ubi non implementum percutiat præjudicium tertii, vel
operis a donatore voliti juxta casum, de quo *d. disc.* 154.
sub tit. de fideicomm. & de quo casu in specie ad aliud
propositum habetur etiam actum infra, attamen contra-
ventiones, de quibus in præsenti agebatur, juxta dictam
primam speciem esse videbantur, ob ipsius scilicet dona-
toris alusionem, supponendo quod donatarius haberet bona
notabilis valoris scutorum 17500. ac etiam ob non factum
dictum investimentum ab ipso etiam donatore pro tempo-
re ejus vitæ desideratum, & in quo etiam aderat dona-
toria elusio, quod scilicet donatarius patruum senem (ut
in aliis) decipiendo, supponeret, investimentum fieri, si-
ve notabilem summam scutorum 10. m. & ultra in Sacro
Monte Pietatis coacervatam esse pro investimento, cujus
occasio tuta non reperiretur, cum tamen detectus esset po-
tius montis debitor in aliqua notabili summa.

Et secundo fortius, quod juxta distinctionem, de qua
præsertim *d. tit. de locato disc.* 18. præfata conclusio, ut non
implementum non causet pœnitentiam, seu resolutionem
8 contractus, sed solum actionem ad interesse, procedit in
implemento successivo post jam valide contractum perfe-
ctum ac effectuatum, secus autem circa ea, quæ ejusdem
contractus initium, seu perfectionem percutiunt, & circa
causam finalem, sine qua alias ille initus non esset, adeout
deficientia adimere potius dicatur consensum ab actu, ut
concorditer admittunt etiam hujus opinionis sequaces, ac
propterea, ubi etiam circa non implementum investimenti
ex fructibus singulis annis faciendi dicendum esset, reso-
lutioni locum non esse, sed potius dictam conclusionem
intrare (ut Ego quoque reflectendo ad veritatem probabilius
credebam, quamvis more Advocati, ad causæ opportunita-
tem scribendo contrarium probare conarer) Attamen eo-
dem sensu veritatis retento, credebam resolutioni locum
esse ex dicto alio defectu militante ab initio, cessantis sci-
licet correspectivitatis, seu falsi præsuppositi, quod donata-
rius in idem opus æque concurreret, ac bona haberet ut su-
pra, qui defectus, si donatori innotuisset, verisimiliter eum
retraxisset, unde propterea defectus est in radice juxta di-
ctam distinctionem, atque in hoc decisiones non satisfaciunt.

Quamvis enim Rota forte crediderit, opus non esse hu-
jusmodi inspectionem formiter assumere, utpote inutilem,
stante resolutione alterius partis dubii, quod nullum jus
donatarii creditoribus quæsitum esset, quasi quod super-
fluum esset de hoc agere, dum ita obtinebatur intentum
9 excludendi creditores, ad quem solum effectum de hoc
agebatur, stante quod donator perseverabat in eadem vo-
luntate conservandi fideicommissum in prædictis donatarii
filiis, eorumque descendentibus, unde propterea juxta sa-
tis commendabilem Curiæ stylum, visum forte fuit negli-
gere superflua, seu non necessaria, attamen advertebam id
nimium referre ob punctum Bullæ Baronum, per quam
creditoribus conceditur facultas jura sua experiendi ad bo-
na possessa per Baronem debitorem, fideicommissis, aliis-
que vinculis non obstantibus, cum ita ex solutione, vel in-
fectione actus ab initio ex deficiente donatoris consensu ob
falsum præsuppositum, nunquam donatarius dici posset ve-
rus Dominus, ac possessor, secus vero ubi sola actio ad
interesse competat, ideoque id nimium refert.

Quo vero ad aliud fundamentum, quod scilicet contra-
ventio, vel non implementum primi donatarii præjudicare
non debeat filiis, aliisque ad donationem successive voca-
tis jure proprio, ac independenter venientibus, ut supra.

Dicebam id recte procedere, ubi donatione jam perfecta, &
effectuata, defectus proveniat ex defectu personali, & suc- 10
cessivo, tunc etenim quia per donationem jam perfectam,
jus quæsitum est filiis, aliisque successive vocatis, hinc
proinde quemadmodum alienationes, vel retrocessiones fa-
ctæ per primum donatarium eis præjudicare non possunt,
neque eorum jus tollere, ut pluries in præcedentibus, ac
etiam *sub tit. de fideicom. dec.* 134. *cum plur. seq.* multo
minus eorum jus tolli potest per hujusmodi tacitos actus,
ne alias tacite, ac indirecte sequatur id, quod directe se-
qui non potest, potissime, ubi contraventio non est circa
personam donatoris, vel concedentis, quo casu dubitari
potest, ut culpa possessoris causet caducitatem etiam in præ-
judicium successorum ex propria persona venientium, juxta
ea, quæ in terminis feudalibus, vel emphyteuticis ha-
bemus de devolutione, seu caducitate resultante a fellonia,
seu non præstatione servitii personalis, vel realis.

Secus autem, ubi defectus est ab initio, adimendo con-
sensum ab actu, qui alias sequutus non esset, quando de-
tecta esset falsitas præsuppositi, tunc enim donatio dici-
tur invalida, seu imperfecta in radice, & consequenter
dici non potest, quod esset jam quæsitum jus successori-
bus, amittendum tanquam per speciem pœnæ per succes-
sivum delictum primi donatarii gravati, qui non potest
successoribus præjudicare, sed potius non quæsitum, ex de-
ductis per Molin. *de primog. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 78. *& per
tot.* Cyriac. *contr.* 249. *n.* 2. Rota *dec.* 293. *n.* 2. *&* 19. *par.* 6. *rec.*

Unde propterea receptum habemus, hujusmodi donatio-
nes contemplatione matrimonii ex causa ingratitudinis non
revocari in præjudicium uxoris, & filiorum, nedum ubi
jus, vel interesse habeant vocationis, sed etiam solum se- 11
cundarium, de quo pluries in præcedentibus, ut per Cancer.
par. 3. *var. cap.* 2. *n.* 221. *cum seqq.* Fontanell. *de pact. claus.* 4.
gl. 28. *n.* 12. *&* 13. Cutell. *de donat. tom.* 2. *special.* 7. *n.* 9. *cum
seq. & aliis*, quod etiam habemus in donationibus contem-
platione matrimonii spiritualis, quæ fiant Promovendo ad
Sacros Ordines, ut in eis pariter non cadat dispositio tex-
tus *in l. final. C. de revoc. donat.* ob interesse Episcopi ordi- 12
nantis, vel Ecclesiæ, sive ordinis clericalis, ut infra.

Ideoque ubi, ut dictum est, defectus est in radice,
quoniam tunc non est ob delictum unius inferre pœnam
aliis innocentibus, eosque jure jam quæsito privare, sed
potius impedire ne acquirant adinstar eorum, quæ super 13
materia *cons.* 19. Paris. *lib.* 1. habentur pluries *sub tit. de
fideicom.* præsertim *in Bonon. de Luparis disc.* 7. super con-
traventione primi, vel ulterioris vocati circa assumptionem,
ac retentionem cognominis, & insignium testatoris, quod
post jam effectuatam successionem subsequens contraventio
unius non de facili tollit jus successorum, secus autem ubi
contraventio est ab ipso initio, adeout non sequatur ac-
quisitio, cum tunc defectus primi influere videatur in
universam posteritatem adinstar peccati Adam.

Deducebatur etiam ex parte donatoris ejusdem dona-
tionis resolutio ob dissolutum matrimonium, ipso supersti-
te, ac successive ita cessatam donandi causam, juxta *cons.* 14
15. *&* 16. Rovit. *l.* 2. cum aliis, de quibus *disc. praced.* E con-
verso autem deducebantur ea quæ contra dictam opinio-
nem habentur apud Theodor. *alleg.* 43. Merlin. *lib.* 2. *con-
tr.* 34. *n.* 29. *& seq. ad fin.* ac alios, *de quibus eod. disc. praced.*
Licet de his in decisionibus non agatur, cum de eis po-
tius actum sit in primis disputationibus coram A. C. ac
aliqualiter in ultimis, occasione agendi de puncto Bullæ
Baronum, de quo *dict. disc.* 85. *sub tit. de feud.*

Super hoc autem puncto Ego dicebam, quod aut age-
batur de posteriori donatione bonorum facta per instrumen-
tum ad plures annos post contractum matrimonium, ex quo 15
dicti filii in eadem donatione nominati jam procreati fue-
rant, & extranea remanebat quæstio, cum hæc non esset do-
natio mere causativa matrimonii contemplatione facta, ita
ut dici valeat matrimonium fuisse illius causam finalem,
juxta casum, de quo *disc. praced.* quamvis in ea inclusa esset
promissio, quæ ut supra dicti matrimonii intuitu facta erat.

Aut vero agebatur de resolutione dictæ promissionis re-
linquendi post mortem bona in reddito scutorum bis mil-
le, quæ intuitu matrimonii facta erat, & tunc ubi agere-
tur de transmissione ad commodum hæredum extraneorum,
vel creditorum donatarii præmorientis, omnino verius cre-
debam resolutioni locum factum esse, ex eisdem funda- 16
mentis, de quibus *d. disc. praced.* ac etiam in dicto alio *disc.*
85. *sub tit. de feud.* edito in ista causa, verum quia filii
erant ad hanc promissionem vocati directe pro jure prima-
tus, hinc proinde dicebam, resolutionem non intrare per

quandam speciem vulgatia anomalæ derivatæ a theorica Bart.
17 in *l. quamdiu*, *ff. de acquir. hæred. n.* 10. de qua pluries *sub tit. de fideicomm.* præsertim *disc.* 107. *& seq.* per quam corrupto primo gradu, secundus effectus asset primus, in quo tanquam extremo habili, dicta legandi, seu relinquendi promissio exerceri posset, nunquam vero quod bona in hac promissione contenta dici potuerint fuisse possessa per dictum Raphaelem, adeo ut intrare posset dicta Bulla Baronum, cum ista disponat de bonis a Barone debitore possessis, quod
18 in præsenti verificabila non est, dum dictus Raphael nunquam in vim dictæ promissionis habuit dominium, vel possessionam, atqueque post jam cessatam Baroniam supervenit donatio, quod nihil refert, sed solum habuit quandam nudam spem ob ajus collocationem in primo vocationis gradu, ita corrupto, seu caducato, unde propterea ut supra, secundus gradus vocatorum effectus est primus, atque ita non intrat ratio dictæ Bullæ pluries in dicta sua materia considerata, præsertim *disc.* 89. *de feud.* quod scilicet illa tollat obstaculum, per quod illud verum dominium, quod interim habet possessor restitutione gravatus, remaneat liberum, dictumque restituendi onus tantum sublatum censeatur, cum ita in ipso debitore nunquam resederint, nec dominium, nec possessio, sed nuda spes eventualis; quæ poterat non verificari, ut casus præbuit.

In materia discursuum præcedentium emanarunt in Sacra Rota sequentes. Decisiones.

R. D. EMERIX DECANO.

Romana Donationis.

Veneris 12. *Maji* 1690.

ANno 1687. Baro Carolus Gavottus in senili ætate constitutus irrevocabiliter inter vivos donavit Jo: Stephano Gavotto ejus Consanguineo floridæ ætatis omnia, & singula ejus bona, reservato sibi sua vita naturali durante usufructu, & libera dispositione fructuum. *Item omnia jura, &c. nullo jure &c. ad habendum &c. ponens &c. constituens &c. dans &c. donec &c. constituit &c. omnia &c.* Hanc autem irrevocabilem inter vivos donationem idem Carolus facere declaravit ad favorem Jo: Stephani præsentis &c. ob amorem, & benevolantiam, quibus ipsum prosequebatur, ac in remunarationem beneficiorum acceptorum, & quia sic de rebus suis disponere placuit; voluit tamen quod Joannes Stephanus donatarius teneretur, & deberet (prout idem promisit, & se obligavit) observara, & adimplere omnia, quæ ipse donator disposuerat in Testamento, & Codicillis præcedenter conditit, & clausit consignata.

Cumque postmodum Joannes Stephanus, qui successive eandem donationem insinuari curaverat, & demda realem possessionem bonorum donatorum apprehenderat, turbato mortalitatis ordine ante donatorem decessisset, & Carolus sub prætexta, quod donatio per obitum Joannis Stephani donatarii resoluta fuisset, possessionem eorundem bonorum non citata Justina illius Matre, & hærede ab intestato, reapprehendisset, causaque a decreto de manutenendo in prima instantia favore Justinæ, seu hæreditatis Joannis Stephani Mihi commissa fuisset, & Domini in disputationa desuper habita 16. Januarii proxime præteriti animadvertentes possessorium unice dependera a petitorio, ordinassent, ut videretur de bono jure etiam ad effectum manutentionis, seu reintegrationis, prodiit in hodierna disputatione resolutio constare de bono jure Justinæ, etiam ad præfatum effectum, fundata in publica, & solemni Instrumento donationis irrevocabilis inter vivos, quæ (secluso pacto revarsivo) transmittit ad hæredes, & successores donatarii jut perpetuum, & irrevocabile super bonit donatis tam de sui natura, juxta text. *in l.* 1. §. *Igitur*, *ff. de donat. & in l. si quis argentum*, §. *finali*, *in fin.* C. *de donat.* Rebuff. in *l. alienatum* 67. §. *donationis verbum*, *vers.* 4. *donatio*, *tit. de verb. signif.* Bald. *in l.* 2. *n.* 10. C. *de jur. dot.* Sylvester Aldobrand. *cons.* 93. *n.* 6. *lib.* 1. Cravett. *cons.* 15. *n.* 6. Mant. *de tac. lib.* 13. *tit.* 21. *n.* 24. Donat. Ant. de Marin. *quotid. resol. l.* 2. *c.* 190. *n.* 4. & Capyc. Galeot. *lib.* 2. *contr.* 21. *n.* 215. *& seq.* Fontanell. *dec.* 54. *n.* 6. Grat. *dec.* 41. *n.* 2. & 4. Rota apud Achill. de Graff. *dec. unic. n.* 2. *& seqq. de donat.* Pot. *dec.* 173. *n.* 4. *lib.* 3. Duran. *dec.* 84. *n.* 21. Merlin. *dec.* 664. *n.* 7. *& in rec. dec.* 9. *n.* 7. *p.* 7. *dec.* 68. *n.* 1. *p.* 13. *dec.* 239. *n.* 11. *p.* 17. *cum concordan.* *Perusina, seu Eugubina donation.* 24. *Aprilis* 1671. §. *Ipsi enim habent*, *coram Cularajn.*

Quam etiam ex mente contrahentium in hac facti specie elicita ex parte Donatoris. Primo quia apposuit in dispositiva donationis clausulas *ad habendum &c. ponens &c. constituens &c.* quæ denotant in eo voluntatem perpetuo abdicandi dominium, & illud transferendi in donatarium, ejusque hæredes, ac successores, nulla retenta spe reversionis propter caducationem donationis, ut de clausula *ad habendum*, notant Grat. *discept.* 568. *n.* 4. Andreol. *contr.* 232. *n.* 3. Rot. *dec.* 587. *n.* 3. *in fin. p.* 1. *dec.* 9. *n.* 21. *p.* 7. *dec.* 382. *n.* 22. *p.* 13. *& dec.* 305. *n.* 5. *par.* 19. & de altera constituti, Ciroce. *discept.* 5. *n.* 21. ubi concordantes, & Modern. Reverendiss. Iscianus *disp.* 21. *&* 24. *utrobique*, *n.* 9.

Secundo, quia reservavit sibi sua vita durante usumfructum bonorum donatorum, ut argum. text. in *d. l. si quis argentum*, §. *sea siquidem*, *& in l. quisquis rem*, C. *de donat.* probant Paris. *cons.* 90. *n.* 24. *lib.* 3. Alex. *cons.* 14. *sub n.* 2. *lib.* 1. Mag. *dec. Lucen.* 87. *n.* 7. Capyc. Latr. *dec.* 151. *n.* 24. *&* 25. Rota coram Duran. *dec.* 84. *n.* 14. *vers. & ex retentione.*

Et tertio demum, quia promisit donationem semper firmam habere, & irrevocabiliter observare, contraque eam non facere, dicere, opponere, vel venire quovis prætexto, vel causa etiam de novo superveniente, prout in his terminis ponderant Conciol. *allegat.* 50. *n.* 44. & Rota *dec.* 382. *n.* 22. *p.* 13. *rec.* coram Peutinger. *dec.* 174. *num.* 14. *vers. tum etiam quia*, & coram Sanctissimo Domino Nostro *dec.* 10. *n.* 39.

Ex parte autem Donatarii quia stipulatus fuit cum clausula cæterata *Præsentis &c.* sub qua veniunt quicumque hæredes, & successores etiam extranei, ut respondit Rota coram eod. Sanctissimo *dec.* 255. *n.* 5. Seraph. *dec.* 703. *n.* 2. Peuting. *dec.* 174. *n.* 6. Priol. *dec.* 446. *sub n.* 11. *& in rec. decis.* 483. *in princ. & per tot. p.* 4. *tom.* 2. *& in Romana hæreditatis de Lanuviis* 28. *Junii* 1685. §. *cujus sane*, *cor. R. P. D. meo Hervault.* Non relevante, quod in prima parte donationis non sit ceterata, adeoque in secunda extendi non debeat ad hæredes per subauditum intellectum ex dispositione juris, & stylo Notariorum, quia cum Oratio, in qua est cæterata, sit æque principalis, & dispositiva, atque consonent reliquæ partes dispositionis, & signanter postrema, in qua donator non solum voluit obligatum remanere debere Donatarium pro observantia omnium contentorum in donatione, sed etiam ejus hæredes: *pro quibus &c. tam supradictus D. Carolus, quam d. D. Joannes Stephanus sese &c. hæredes &c. bona &c.* congrue comprahenditur, quod contrahentes voluerunt includere, & comprehendere omnes hæredes, & successores, ut in his terminis ratiocinatur Rota coram Emin. D. Card. Cerro *dec.* 441. *n.* 18. coram Celso *dec.* 145. *n.* 22. & coram Ubaldo *dec.* 259. *n.* 7. *& seqq. part.* 1.

Neque in contrarium visæ sunt urgere conjecturæ deductæ per Informantes ad inducendam resolutionem donationis propter præmorientiam Donatarii. Non quidem prima, quod Donator per viam conditionis, seu modi per Donatarium implendi, voluerit, & præceperit observantiam, & executionem contentorum in suo Testamento. Quoniam ponderabant Domini, quod impossibilitas adimplementi ex parta ipsiusmet Donatarii tunc solum importat resolutionem donationis, quando modus, siva onus adimplendum adjicitur tanquam causa finalis, secus vero quando, prout hic, respicit dumtaxat causam impulsivam, ut distinguendo tradunt Anton. Faber *in l. dedi tibi*, §. *si tibi*, *litt.* G. *ff. de condit. caus. dat. tom.* 3. *rational. lib.* 12. *tit.* 4. Thesaur. *decis.* 270. *nu.* 42. Laurent. *decis. Avenion. sub n.* 25. *vers. tamen quia*, Rota *dec.* 365. *n.* 18 *part.* 16. *rec.*

Quod autem onus observandi, & exequendi contenta in Testamento respiciat solam causam impulsivam, & non finalem desumebant, tum ex eo quod junctum fuit post perfectam applicationem partæ, & irrevocabilis donationis, & appositum in Oratione prorsus separata, ac recta a proprio verbo ibi: *Voluit tamen &c.* & sic induxit potius novam dispositionem distinctam, & independentem ab antecedenti, Gabr. *cons.* 111. *n.* 21. *lib.* 1. Peregr. *cons.* 57. *n.* 11. *&* 12. cum aliis relatis per Gratian. *discept.* 828. *n.* 8. *& seq.* Rota coram Eminent. Cerro *dec.* 65. *n.* 6. *& seq. & in Tusculana Vinea* 15. *Januar.* 1693. §. *quoniam Domini*, *coram bo. me. Albergato*. Tum, & clarius quia Donator in proœmio donationis, a quo causa finalis præcipue dignoscitur & regulatur, *l. final.* ibique Bart. *n.* 3. *ff. de hæred. instit.* Gratian. *discept.* 947. *n.* 13. Magon. *decis. Florent.* 4. *n.* 18. Rota coram Celso *dec.* 260. *n.* 9. *&* 10. *dec.* 205. *n.* 2. *par.* 16. *rec. & in Romana hæreditatis* 23. *Martii* 1685. §. *Causa finalis*, *coram bo. mem. Rondinino*, expresse declaravit, quod donabat ob amorem, & benevolentiam erga Donatarium, aliasque ob causas ibi expressas, nulla facta mentiona observantiæ, & executionis personalis contentorum in Testamento.

Minus

Minus secunda causalitatis ob amorem, & benevolentiam, quibus idem Donator prosequebatur Donatarium, quasi voluerit, quod cessante Causa ob illius prædecessum, etiam donatio cessaret, & resolveretur. Quia hæc non fuit sola Causa, quæ movit ipsum ad donandum, sed cum ea concurrunt plures aliæ in Proœmio Donationis expressæ, quibus addidit declarationem, quod donabat, *quia sic de rebus suis facere, & disponere placuit*, hæc enim operatur perpetuitatem, & transmissibilitatem donationis ad hæredes, etiam si aliqua ex prærecensitis Causis removeatur per præmorientiam Donatarii, ut firmant Doctores relati per Surd. *cons.* 531. *n.*7. Marescott. *var. res. lib.* 2, *c.* 20. *n.* 8. *Reverend. Iselanus, disp.* 105. *n.*23. Rota coram Seraph. *dec.* 201. *n.*9. Buratt. *dec.*210. *n.* 16. & coram Merlin. *dec.*392. *n.*12.

Et nihilominus quatenus etiam motus fuisset ex unica Causâ amoris, & benevolentiæ non proinde necessario sequeretur restrictio ad vitam Donatarii, quia potius præsumitur, quod facta fuerit eo meliori, & pinguiori modo quo fieri solet, quodque sit realis, & transitoria ad hæredes juxta veriorem opinionem, quam tenet Anchar. *cons.* 327. *num.*3. Soccin. Sen. *cons.*59. *num.*9. *lib.*1. Tiraquell. *in l. si unquam, verb. donatione largitus, n.*48. *C. de revoc. donat.* Menoc. *de præsumpt. lib.*3. *præsumpt.*103. *num.*12. & 13. *quos secutus est* Rota coram Eminent. Cerro, *dec.*716. *n.*3. & 4. Tertio certius quia deficit clausula resolutiva *non alias, &c.* cui præcise innititur *dec.*503. *n.*4. *p.*6. *rec.* in objecto allegata. Unde cum Donator illam consulto omiserit, videtur hujusmodi restrictionem, & resolutionem noluisse, *l. veteribus, ff. de pact. & l. jubeo, ff. de contrah. empt.* Bald. *in l. si Arborem, §. hæc lex, n.*1. *& seq. ff. de servit. urban. præd.* Rota coram Mantic. *dec.* 54. *n.* 8. *& seq.* coram Coccino, *dec.* 1788. *n.* 15. & coram Royas *dec.*117. *n.*7. *vers. at vero.*

In nihilo relevante declaratione per eundem in contrarium emissa post obitum Donatarii, quia similes declarationes admittuntur solum in casu dubio, secus vero quando, prout hic, donatio est clara, & agitur de tollendo jure jam quæsito Successoribus Donatarii, ut in his terminis respondit Rota *in Gemunden. Beneficii* 21. *Junii* 1683. *§. neque calumnia, cum seq. coram R.P.D. meo* Caccia *in Bonon. Dotis, & bonorum* 14. *Junii* 1688. *§. atque etiam, coram R.P.D. meo Hervault, & novissime in Romana donationis* 30. *Januar. præteriti, §. quo vero ad secundum cor. R.P.D. meo Benincasa.*

Neque tertia personalitatis deducta ea personalitate oneris adimplendi ordinata in Testamento, & Codicillis. Quoniam inspecta voluntate Donatoris eo principaliter tendente quod illa adimplerentur, nulla interposita mora, aut exceptione, visa est respicere dumtaxat interesse Legatariorum, quibus (quatenus Testamentum per subsequens non fuisset revocatum) congrue satisfacere potuissent hæredes Donatarii, ad quos transit onus adimplementi simul cum emolumento donationis, ut post Gabr. *cons.*5. *n.* 23. *lib.*1. *& cons.* 4. *n.* 10. *& seqq. l.* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *cap.* 201. *num.* 34. *& seq.* tradunt Galganett. *de condit. par.*2. *cap.*3. *q.*7. *n.*3. & Cyriac. *contr.* 114. *n.*11. *&* 12.

Nec juvat repetere quod caducato Testamento ob prædecessum Joannis Stephani hæredis instituti, caducata etiam fuissent legata, neque habuisset optatum effectum nominatio ad primogenituram R. P. D. Joannis Baptistæ Gavotti, facta in eodem Testamento, & limitata ad illius personam, ac propterea, ne voluntas Donatoris in utroque eludatur, admitti debeat resolubilitas donationis. Tum quia respectu legatorum ponderabant Domini, quod tunc etiam peti potuissent, si non vigore Testamenti caducati, saltem vigore contractus, & obligationis susceptæ in donatione per Hæredem institutum pro se, suisque hæredibus, & successoribus, ad terminos text. *in l. non intelligitur, §. tacite,* ubi gloss. & Bart. *num.* 5. *ff. de jur. fisci, & in l. fin. C. de fideicom.* ubi Jas. *num.* 17. Castill. *contr. jur. lib.* 5. *cap.* 69. *§. rursus, in fine,* Gratian. *discept.* 650. *num.* 32. Rot. *dec.* 279. *sub num.* 16. *par.* 18. *recent. & in Romana Bonorum* 20. *Februarii* 1679. *§. quia hic non agitur, coram bon. mem. Albergato, & in Romana donationis* 14. *Martii* 1685. *cor. clar. mem. Cardinali Matthæjo.* Respectu vero nominationis ad Primogenituram, quod ea, sive fmatur, uti facta in Testamento, quod est de sui natura revocabile, seu verius in actu irrevocabili Capitulorum matrimonialium ante donationem contractorum cum Domina Angela Mignanella, semper uti facta in vim facultatis per R. P. D. Joannem Baptistam personaliter Carolo tributæ, dicitur illius dispositio, non vero nominantis, ad tradita per Caldas. *de emphyt. lib.*3. *de potest. elig. n.* 16. *num.* 3. Rota *decis.*337. *num.* 6. *vers. qui autem habet, cum num. seq. par.*16. *rec.* & per consequens nihil habet commune cum donatione, aut Testamento, dum regulari debet ad formam solius legis in ipsa Primogenitura præscriptæ.

Tum, & fortius, quia (admisso etiam sine veri præjudicio) quod intentio donatoris remansisset elusoria, quoad contenta in Testamento propter ejus caducationem, non idcirco valet illatio ad resolutionem donationis puræ, & de sui natura irrevocabilis, prorsusque ab illo distinctæ, & independentis, ad tradita per Bartol. *in l. cum quis decedens, §. Codicillis, ff. de legat.*3. Ruin. *cons.*169. *n.*12. *vers.* & idem dicit Bartol. *lib.* 2. Lambertengh. *de contract. gl.* 22. *num.* 8. Torr. *de pact. futur. success. l.* 3. *c.* 12. *n.* 24. *vers.* ubi quod in donationibus, & Rota post eundem *dec.*8. *&* 9. *utrobique n.*16.

Et hinc nihil urget quarta connexitatis, & dependentiæ donationis a Testamento, quia ut mox dictum est, excluditur ex diversitate actuum, & temporis, ac modi, Testamentum enim conditum fuit de mense Januarii anni 1687. eratque in suo esse perfectum, & executibile, antequam supervenisset donatio, postmodum facta de mense Octobris ejusdem anni, nihilque per eam additum, aut ab eo demptum fuit. Nec connexionem operari visa est sæpe dicta obligatio suscepta per Donatarium adimplendi contenta in Testamento, quasi per eam transfusa fuerit perpetuitas, & irrevocabilitas donationis in rebus ad formam Testamenti adimplendis, quoniam obligatio sumit naturam, & conditionem a Testamento, ad quod refertur, non autem a donatione, in qua fuit adjecta, per text. *in l.*1. *§. si quis sub conditione, ff. ut legat. seu fideicomm. nomine,* Fontanell. *decis.*173. *num.*10. Castill. *controv. jur. lib.*4. *cap.*43. *n.*18. *ubi concordantes.*

Prout nec demum quinta, quod propter universitatem donationis bonorum præsentium, & futurorum, censeatur donatori adempta facultas testandi, propter quam donatio non sustineatur. Quoniam talis exceptio extranea videbatur ab hac facti specie, in qua facultas testandi non solum fuit adempta, sed potius confirmata, tum ex quo donator præservavit in donatione executionem Testamenti pridem per eum confecti, reportata ulterius specifica obligatione Donatarii adimplendi omnia in eo contenta. Tum etiam ex quo reservavit sibi sua vita durante opulentissimum usumfructum super bonis donatis, amplissimamque facultatem de illo disponendi, ad tradita per Castr. *in l. stipulatio hoc modo concepta, n.* 3. *in fine,* ibique Alex. & Jas. Rim. Jun. *cons.* 187. *n.*14. *& seqq.* Cancer. *var. resol. p.*1. *c.*8. *n.* 78. Mantic. *de tacit. lib.*13. *tit.*32. *n.*5. *& seqq.* Rota *dec.*10. *n.*5. *p.*5. *rec.* cor. Dunoz. jun. *dec.*968. *n.*14. & cor. Eminent. Cerro *dec.*562. *n.*12. *& in Perusina, seu Eugubina donationis* 24. *Aprilis* 1671. *§. Ipsi enim, vers. quia adhuc, coram Calatajn.* Non subsistente replicatione, quod facultas disponendi intelligatur restricta ad dispositiones inter vivos, quia illa importat etiam facultatem disponendi per viam Testamenti, nisi contrarium aperte desumatur ex aliis partibus Instrumenti, ut in his terminis firmat Facchin. *contr. jur. l.* 6. *c.* 90. *vers. contrarium,* ut bene distinguit Rota *d. dec.* 562. *cor. Cerro.*

Et ita utraque, &c.

REVERENDISS. D. EMERIX DECANO.

Romana Donationis super redditione rationis.

Lunæ 3. Julii 1690.

POstquam subscriptum, & successive resolutum fuit favore Justinæ Hæredis Joannis Stephani Donatarii Baronis Caroli Gavotti, dubium super bono jure etiam ad effectum manutentionis, per rationes late deductas in decisione desuper extensa sub die 12. Maji proximi præteriti, pullularunt inter easdem Partes plures aliæ controversiæ subalternæ, quæ cum per simplicia memorialia, alias data, terminari non potuerint, fuerunt similiter hodie per quatuor separata dubia propositæ, & resolutæ, & primo quidem resolutum fuit, Justinam, seu hæreditatem Joannis Stephani, pro nunc non teneri reddere rationem; licet enim contra eam stet regula desumpta ex text. *in l. rationes, C. de administr. tutel. l.*2. *ff. de negot. gest.* cum concordantibus quod quilibet Administrator tenetur rationem reddere, ac reliquatum restituere, & illius Defensores non controvertant, quin, occasione generalis administrationis gestæ per Joannem Stephanum de bonis Caroli, ad ejus manus pervenerint summa scut. 77398. 97. juxta relationem Periti Calculatoris, nihilominus quia eidem, ultra titulum administrationis, assistit etiam alter paræ, & irrevocabilis donationis bonorum præsentium, & futurorum suum effectum sortitæ prævia actuali possessione per Donatarium apprehensa, & Justina in hodierno

Summ. n. 1. 2. *&* 4. docet quod pecuniæ pro majori parte proveniunt ex effectib. seu Capitalibus Censuum Cambiorum, aliarumque rerum in donatione comprehensarum, quibus illæ censentur subrogatæ, ut advertit Rot. cor. clar. mem. Car. Cerro *dec.* 562. *n.* 1. nulla suadet ratio, quod ipsa nunc adstringatur ad reddendam de illis rationem Hæredi Caroli, ne per indirectum cogatur ei ista restituere antequam Judex suam proferat Sententiam super subsistentia, vel resolutione donationis, immo postquam jam decisum fuit donationem esse stabilem, & transitoriam ad Hæredes.

Et ita utraque &c.

Eadem super attentatis locorum Montium.

Luna 3. Julii 1590.

ABsoluto examine articuli redditionis rationis successit examen, & immediata etiam resolutio favorabilis Justinæ super attentatis commissis per Carolum in translatione locorum Montium. Cum enim hæc, juxta diversitatem temporis, sit duplicis diversæ speciei. Prima nimirum locorum centum facta pendente supersessoria obtenta per Carolum ab Eminentiss. Card. Præfecto Signaturæ Justitiæ, sive illius R.^P. D. Auditore ad effectum adeundi plenam Signaturam pro suspensione executionis mandati de manutenendo a Judice deputato ab A. C. relaxati favore hæreditatis Joannis Stephani, in & super omnibus bonis donatis, & altera locorum 359. post commissam causam, seu suspensam executionem præfati mandati per eandem Signaturam cum clausula facultativa manutenendi quem de jure, apposito sequestro post obitum Caroli. *Utraque subjacet inexcusabili vitio attentatorum*, ut in terminis primæ respondit Rota cor. Dunoz. jun. *dec.* 642. *n.* 7. Bich. *dec.* 539. *n.* 11. *&* 12. Cerr. *dec.* 74. *n.* 12. *& seq. & dec.* 337. *n.* 14. *& in rec. dec.* 388. *n.* 4. *p.* 18. & in terminis secundæ est text. *expertus, in c. non solum de appellat. in 6.* quem sequitur Rot. coram Cavaler. *dec.* 615. *n.* 3. *dec.* 187. *n.* 2. *cum seq. p.* 16. *decis.* 222. *in princ. n.* 1. *p.* 17. *rec. Ideoque intrat de plano purgatio respectu utriusque per viam repositionis in pristinum ipsorum* locorum Montium sub iisdem nominibus, eodemque modo quo extabant ante alienationem, juxta text. *in d. c. non solum in fine de appell. in 6.* Lancellot. *de attent. par.* 2. *cap.* 19. *n.* 14. *& seq.* Rota coram Dunoz. jun. *dec.* 580. *n.* 4. *& dec.* 735. *n.* 5. *& seq.* coram Bichio, *dec.* 404. *n.* 8. *& in rec. dec.* 29. *n.* 17. *part.* 16. *& dec.* 412. *n.* 15. *&* 18. *par.* 19.

Non subsistente unica exceptione, quod loca Montium alienata, non comprehendantur in donatione, & multo minus sub præfato mandato de manutenendo, uti acquisita cum pecuniis provenientibus ex usufructu, quem Carolus Donator sibi expresse reservavit sua vita naturali durante, quia ex eorum litteris patentibus, & attestationibus Secretariorum in Rota exhibitis, liquet quod loca 213. acquisita fuerunt per Carolum ante donationem, reliqua vero 146. a die 16. mensis Octobris Anni 1687. usque ad diem 18. mensis Novembris immediate sequentis, unde sicuti controverti non potest comprehensio locorum 213. ante acquisitorum, ita nec etiam aliorum, stante inverisimilitudine, immo impossibilitate, quod Donator in tam brevi temporis curriculo perceperit ex usufructu summam scut. fere 25. m.

Nec visum fuit satis provisum Indemnitati Justinæ per exhibitionem litterarum Patentium, & declarationem Translatariorum, quod ipsi præstiterint solum nudum nomen, quia tametsi hæc impediat ulteriorem translationem in Tertium, adhuc tamen non impedit quominus transferens, seu illius Hæres confoveatur in illegitima perceptione fructuum.

Et in utraque, &c.

Eadem super assecuratione mobilium.

Luna 3. Julii 1690.

TErtio, & ultimo dictum fuit mobilia assecuranda esse cum cautione, vel sequestro, urget enim scripturam Principis, qui commisit Causam in Rota cum facultate manutenendi quem de jure, apposito sequestro post obitum Caroli quod cum habuerit suum effectum respectu stabilium per unanimem illorum assignationem curæ, & administrationi probi, & expertissimi Viri Dominici Arrigoni, merito eundem etiam habere debet in mobilibus, in quibus proprie cadit sequestratio propter facilem eorum dissipationem, seu occultationem, ad text. *in l. si fidejuss. §. si satis datum, ff. qui satisdar. cogan.* Roman. *cons.* 241. *sub num.* 9. Larrea *dec. Granaten.* 58. *num.* 12. Rota coram Caputaq. *dec.* 158. *n.* 1. *&* 2. *par.* 3.

Vel saltem præstanda est per Augustinum Mariam Hæredem Caroli cautio idonea, non autem admittenda simplex Juratoria, dum bona per eum possessa hic in Urbe, tanquam fideicommissaria, & obnoxia restitutioni, & hypothecis, non possunt valide obligari, ut in his terminis firmavit Purpurat. *cons.* 168. *n.* 7. *&* 8. Mandell. *cons.* 161. *n.* 5. *lib.* 1. Cott. *de remed. subsid. prælud.* 5. *n.* 10. ubi concordantes, & per consequens non sufficiunt ad plene consulendum Indemnitati Adversariæ.

Et ita utraque &c.

R. D. EMERIX DECANO.

Romana Donationis.

Luna 3. Decembris 1691.

COntendentibus super Bonis per Baronem Carolum donatis Jo: Stephano Justina matre, & hærede ab intestato Jo: Stephani Baroni Carolo prædefuncti, necnon Augustino Maria hærede scripto in secundo ejusdem Baronis Caroli testamento die 12. Maji 1690. prodiit decisio, constare de bono jure Justinæ, etiam ad effectum manutentionis, & quatenus opus sit, reintegrationis in illorum possessione, nunc autem decisione ad trutinam revocata, eaque per totius Auditorii Dominos in exequtionem mandati specialis sanct. mem. Alexandri VIII. mature discussa, responsum fuit pro illius confirmatione.

Constat siquidem de bono jure Justinæ ex publico, ac solemni instrumento donationis inter vivos Jo: Stephano ipsius filio, & auctori factæ per Baronem Carolum, quæ de sui natura transit ad quoscumque hæredes, & successores Donatarii, juxta text. *in l. si quis argentum, C. de Donat.* Bald. *in l.* 2. *n.* 10. *C. de jur. dot.* Cravett. *cons.* 15. *nu.* 6. Gratian. *discept.* 386. *n.* 14. *& seqq.* Rot. *dec.* 194. *n.* 19. *par.* 4. *dec.* 155. *num.* 9. *p.* 18. *rec. in Mediolan. Clericatus* 22. *Martii* 1684. *§. minusque, coram Me, & in Asculana Parochialis* 20. *Martii* 1683. *§. minus relevat, coram R. P. D. meo Benincasa*, etiam in casu, quo, prout hic, Donatarius prædecedat Donanti, prout, quicquid olim altercatum fuerit inter Doctores, hodie recepta est in Tribunalibus propositio, quam relatis antiquioribus tuetur Nogueroll. *alleg.* 37. *n.* 23. de Marin. *resol. quotid. lib.* 2. *cap.* 190. *n.* 4. *&* 5. Giurb. *de successſ. feud. §.* 2. *gl.* 1. *n.* 37. Bottiglier. *de successſ. cap.* 2. *Theor.* 55. *n.* 17. *in fin.* Noal. *de transmiss. cap.* 44. *per tot.* Capon. *de pactis q.* 53. *n.* 3. Fontanell. *dec.* 145. *n.* 6. & semper tenuit Rota, ut in *dec.* 84. *n.* 21. coram Duran. *dec.* 664. *n.* 7. coram Merlin. *in Romana Donationis 9. Decembris* 1680. *§. Et ad hunc effectum, coram Emin. D. meo Vicecomite Archiepiscopo Mediolanen. & in Roman. seu Ferrariana Donationis* 16. *Junii* 1690. *§. minus alteram, coram Me.*

Neque ad prosternendum hujusmodi fundamentum boni joris hæredis Donatarii subsistere visum fuit duplex objectum adductum per Scribentes pro hærede Donantis, non quidem primum, quod Donatio fuerit conditionalis, seu modalis, ex eo quod Donator in primo testamento, & codicillis respective instituerit sibi hæredem universalem Joannem Stephanum, eumque nominaverit ad Primogenituram communis familiæ, & pluribus legatis gravaverit, ac deinceps in instrumento donationis in ipsum collatæ adjecerit expressam conditionem, sive modum, quod scilicet Jo: Stephanus teneretur adimplere, & observare dispositiones per eum factas in eisdem testamento, & codicillis, ibi, *volui tamen quod d. D. Jo: Stephanus Donatarius teneatur, & debeat, prout ibidem præsens promisit, & se obligavit attendere, observare, & adimplere ea omnia, quæ ipse D. Donator disposuit in ejus testamento in actis meis consignato, clauso, & sigillato, & in codicillis pariter per Me hodie rogatis, ad quæ in omnib. & per omnia relatio habeatur.* Et ideo cum ille Donatarius adimplere, & observare nequiverit ob præmorientiam Donatori ex defectu conditionis, sive modi, Donatio evanuerit, ad tradita per Alex. *cons.* 1. *n.* 4. *lib.* 1. Corn. *cons.* 199. *n.* 13. *&* 25. *lib.* 1. Natt. *cons.* 676. *n.* 27.

Quoniam lex servandi præfatas dispositiones testamentarias, & codicillares non fuit per Donantem imposita donatario per viam, neque conditionis, neque modi, sed per viam simplicis oneris præcepti, & obligationis, quo stante licet solum agere ad implementum, aut ejus loco ad interesse, non autem condicere, seu revocare donationem, cum in contractibus nominatis, quorum numero censetur Donatio, non sit locus pœnitentiæ, prout notat *gl. in l. in ædibus, §.* 1. *verb. ex rebus, ff. de Donat.* Gabr. *cons.* 49. *n.* 1. *lib.* 2. Ciroc. *discept.* 45. *n.* 72. Merlin. Pignatell. *centur.* 1. *controv. forens. c.* 59. *n.* 14. *& seqq.* Card. de Luca *de Donat. disc.* 9. *n.* 4. Molin.

de

de primog. hispan. lib. 2. cap. 52. n. 7. & 8. Rot. *dec.* 590, *n. 3. coram clar. mem. Card. Cerro.*

Non fuit inquam impositis per viam conditionis, quia bona donata acquisita fuerunt Donetario ab ipsomet momento ilpolstæ Donationis, ut patet ex clausulis *ad habendum*, & constisusi, ac reservatione usufructus in eodem instrumento Donationis contentis, quarum quælibet est translativa Dominii, ut clausula *ad habendum* tradita, Rota *dec. 261. n. 8. p. 16. rec. & in Veliterna Salviani* 13. *Jun.* 1678. *§. Denique, coram Emin. D. Vicecomite*, & de altera Constituti, Ros. *dec. 386. n. 15. p. 19. & in Romana Primogenituræ de Cafarinis 7. Febr.* 1681. *§. legis vero, coram bo. me. Paulutcio & in Bonon. Dotis* 13. *Jan.* 1683. *§. docet enim, coram eodem ac de reservatione usufructus*, Rot. *in Terracinen. Bonorum* 10. *Jan.* 1687. *in princ. coram me*. Hinc enim excluditur conditio, de cujus natura est suspendere acquisitionem emolumenti usque ad illius purificationem, juxta doctrinam Barr. *in l. quibus, §. Thermilius, ff. de condit. & demonstr.* Surd. *dec.* 38. *ex n.* 6. Rot. *dec.* 298. *n.* 3. coram Priol. *in Interamnen fidtic.* 27. *Jan.* 1683. *§. fin. cor. bo. mem. Albergato, & in Rom. Censuum* 18. *Jun.* 1685. *§. Dupliciter, cor. R. P. D. meo Caccia.*

Nec similiter per viam modi, quis non continet causam finalem donandi, in qua præcise fundatur ratio constitutiva veri, ac proprii modi, neque enim causa finalis fuit implementum, & observatio præcedentium dispositionum Donantis, immo nec verisimiliter esse potuit, quia ad hoc assequendum plusquam sufficiens medium erat simplex testamentum, & codicilli, ex quibus hæres adeundo tenebatur, & cogi poterat obsequi judicüs defuncti, sed vera, ac genuina causa finalis fuit benevolus animus, & munificentie Donatoris, ac officia Donatarii, ut legitur in proœmio donationis, ibi, *Volens se gratum, & munificum reddere erga Illustriss. D. Jo: Stephanum, &c. ob grata servitia, ac beneficia in ipsum collata, &c.* & rursus ibi: *ob amorem, & benevolentiam, quibus ipsum semper prosequutus fuit, & prosequitur, & in remunerationem acceptorum beneficiorum, &c. & tandem quia sic sibi de voto. & bonis suis favere, & disponere placuit, & placet, &c.* ex quo quidem proœmio recte desumitur causa finalis donandi, *l. fin. ff. de hæred. instit.* Rot. *dec. 62. n. 7.* coram Merlin. *dec. 668. nu. 4.* coram Card. Cerr. *& in Romana hæreditatis de Lanuvis* 18. *Junii* 1685. *§. Et quidem*, coram R. P. D. meo Hervank, ponderata præsertim dictione ille *tandem*, quæ videtur excludere alias quascumque causas præter expressas ex notatis per Bald. *cons.* 108. *nu.* 1. *lib.* 4. Menoch. *cons.* 751. *n.* 6. *& seq.* Gonzal. *ad regul. Octav. Cancell. gloss.* 65. *n.* 6. necnon etiam successiva declaratione editta per Donantem, de qua infra, in qua hæc eadem causa finalis claris verbis expressa fuit, ibi: *per dargli saggio dell' animo suo, e della bona volontà, che haveva verso di lui sotto li 7. Ottobre 1687. fece a suo favore Donazione, &c.*

Quinimmo, quatenus etiam per modum discursus lex posita dispositis in Testamento, & Codicillis dici posset intellecta, & volita a Donatore per viam modi tangentis causam finalem, adhuc tamen non subsistit illatio resolutionis, seu caducationis Donationis, tum quia donatio facta fuit ex aliis Causis æque finalibus, videlicet benevolentiæ Donatoris, & beneficiorum Donatarii superius recensitis, quo casu sufficis unam ex illis verificari ad hoc, ut Donatio sustineatur, tametsi etiam omnes aliæ deficiant, ut tradit Surd. *cons.* 531. *n.* 7. Marescott. *var. resol. lib.* 2. *c.* 8. *nu.* 8. Modern. *de pact. futur. successʃ. lib.* 1. *c.* 37. *n.* 33. Rota *dec.* 351. *n.* 11. *& seqq. p.* 5. *rec. dec.* 201. *n.* 9. coram Card. Seraphin. *& dec.* 510. *ex n.* 16. *& dec.* 294. *n.* 5. *& seq.* coram Buratt. Non obstan. quod causæ benevolentiæ, & beneficiorum, *& quia sic Donanti facere placuit &c.* sint nimium generales, & passim inseri soleant in donationibus, magis de stylo Notariorum, quam ex voluntate donantium, quia quicquid sit in aliis casibus, secus est in hac hypothesi, in qua similes causæ redditæ, ac repetitæ fuerunt in actu præfatæ declarationis donantis, & ubique semper in visceribus donationis, in quibus terminis ambigi non oportet quin fuerint veri, ac germini sensus Donatoris, non autem verba Notarii.

Tum etiam quia modus, qui non cohæret personæ honorati, non impletus ab ipso, non impedit transmissionem, sed jus illum implendi una cum emolumento transit ad illius hæredes, juxta textus *in l. a testatore*, ibi glos. & communiter. Doctores, *ff. de condit. & demonstr.* Cyriac. *contr.* 115. *nu.* 4. 15. & 51. Menoch. *præsump.* 201. *n.* 34. *& seq. lib.* 4. Galganett. *de condit. & demonstr. &c. par.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 3. Neque modi cohærentie personæ Donatarii colligi valet ex eo, quod ut præfertur, ipse in Testamento, & Codicillis respective institutus fuerit hæres universalis, et nominatus ad primogenituram familiæ, & pluribus legatis gravatos, cujusmodi rebus satisfacere nequeat illius hæres, cum respectu institutionis hæredis, & nominationis ad primogenituram personalitatis satis pareat, & respectu legatorum hæc corruant caducato Testamento. Quoniam institutio hæredis, & nominatio ad Primogenituram non se habent per viam modi Causæ finalis explicativi; nam causa finalis dicitur, quæ respicit commodum, & interesse Donantis, sive tertii, non autem solius Donatarii, juxta sest. *in l. 2. §. fin. ff. de don. l. Titio centum 70. ff. de condit. & demonstr.* Cravett. *cons.* 85. *num.* 2. Corn. *cons.* 101. *num.* 7. *lib.* 5. Fonsanell. *de pact. nupt. claus.* 4. *gloss.* 1. *num.* 26. *&* 30. & legata quicquid forsan non debeantur ex Testamento propter illius caducationem, debentur ex stipulatu vigore obligationis susceptæ per Donetarium, ut tradunt Crass. *in §. Testamentum*, *qu.* 55. *n.* 21. Bellon. jun. *cons.* 18. *n.* 17. *&* 30. Peregrin. *de fideicomm. art.* 51. *n.* 4. Fusar. *de substit. qu.* 564. *n.* 19. Surd. *dec.* 149. *nu.* 11. *& seq.* non attentis auctoritatibus in contrarium laudatis, quæ non loquuntur in terminis, de quibus agitur obligationis susceptæ per hæredem simul, & Donatarium omnium bonorum.

Neque conditionalitas, seu modalitas Donationis, quæ ex hucusque firmatis fundari nequit in prærecensisis verbis, videtur elici magis posse ex facti circumstantiis, seu conjecturis, non enim relevat, quod Donatio facta fuerit Jo: Stephano uti futuro hæredi in Testamento instituto, & sic reperi possit, dum Joannes Stephanus Donatori præmortuus, hæres non fuit, quia non docetur de hujusmodi præcisa, ac finali donantis contemplatione, sive respectu ad qualitatem hæreditariam, quin potius contrarium apparet ex eo, quod in dispositiva donationis inter causas donandi, de quibus supra ne verbum quidem factum fuit hujus qualitatis. Et sane frustra Donator bona contulisset in Joannem Stephanum titulo donationis irrevocabilis inter vivos cum tot clausulis Dominii translativis, frustraque exegisset e Donatario promissionem servandi illius dispositiones, si mens ejus fuisset donandi eidem tanquam hæredi, quod idem erat, ac donationem subjicere testamenti revocabilitati, & Donatarium obligationi, cui jam suberat ex dispositione testamenti, non obstante ponderatione, quod in eadem donatione habita fuerit expressa relatio ad Testamentum, & Codicillos, nam hæc fuit particularis quoad onera in illis contenta, ne scilicet ipse contemni possent per Donatarium omisso Testamento.

Minus juvat, quod Donator in Testamento nominaverit Joannem Stephanum ad Primogenituram familiæ, eumque scripserit sibi hæredem universalem omnium bonorum, quasi quod cogitaverit, ac voluerit in uno eodemque Jo: Stephano unire, & cumulare omnia bona tam primogenialia, quam propria, ac proinde cessante casu successionis in primogeniture cessare debeat etiam donatio, quæ alias scinderet, ac separaret præfatam unionem a Testatore exoptatam, quia Donator hanc voluntatem unitivam, & incorporativam nullibi patefecit in Testamento, aut saltem aliqua dedit illius indicia, nullum enim condidit fideicommissum, seu primogenituram, nullum expressis votum conservandi agnationem, nullum fecit hæredi præceptum de non alienando, immo paulo post processit ad liberam, & absolutam donationem omnium bonorum cum simplici reservatione usufructus, per quam Donatarius vivo etiam Testatore, & coram ipso potuisset unionem libere dissipare per distractionem proprietatis, absque eo quod dici valeat Donationem hujusmodi posteriorem testamento esse quodammodo illius executivam, & vim habere supremi Judicii, ad textum *in l. si filia, §. si pater ff. famil. ercisc.* quia conclusio procedit in terminis simplicis bonorum divisionis, & assignationis, secus autem in terminis plenæ donationis irrevocabilis inter vivos, ut explicando dictum textum tradunt Eugen. *cons.* 78. *&* 79. *lib.* 2. Peregrin. *de fideicomm. art.* 6. *ex n.* 40. Rota *decis.* 385. *n.* 10. *p.* 18. *rec. & in Faventina fideicommissorum* 25. *Junii* 1668. *§. Non primo, coram me.*

Prout nec officis, quod Donator expleverit donationem favore Joannis Stephani absque mentione hæredum, ibi *Jo. Stephano præsenti, & acceptanti, & gratias referenti &c.* nec non insuper expresserit beneficia, quæ receperat, & in dies recipere sperabat e Donatario, ex quibus videatur inesse donationi conditio si Donatarius supervixerit, quoniam hæredes veniunt sub clausula cæterata *præsenti &c.* in alia æque principali, ac dispositiva parte donationis adjecta, quæ extenditur ad quoscumque hæredes, & successores, ut dixit Rot. in *Veliter. Salviani* 13. *Junii* 1678. *§. Deniq; cor.* Emin.

Emin. Vice Comite, & in Faventina successionis 7. Junii 1680. §. *Minus coram eodem*. Non refragante, quod immo dumtaxat extendi debeat juxta priorem partem Donationis ad ipsummet Joannem Stephanum præsentem, & acceptantem, & gratias referentem, quia contrarium visum fuit in casu, quo prout hic hæredes fuerunt in fine ejusdem donationis specifice nominati ibi, *pro quibus &c. tam supradictus D. Carolus, quam d. D. Jo: Stephanus sese &c. hæredes &c. obligarunt &c.* & concurrunt clausulæ *ad habendum &c. ponens &c. constituens &c.* quæ in hac donatione, quæ nullam præsefert expressam restrictionem, seu limitationem nequeunt dici stare simulative, sed rem faciunt transitoriam ad hæredes quoscumque, & præcise respondit Rota *in Asculana Parochialis* 20. *Martii* 1684. §. *minus, in fine, coram R. P. D. meo Benincasa*, & expressio beneficiorum non facit, quod donatio non transeat ad hæredes Donatarii, Menoch. *præsumpt.* 103. *n.* 12. *&* 13. *lib.* 3. Rot. *decis.* 716. *n.* 3. *&* 4. *coram clar. mem. Card. Cerro*.

Denique non obstat declaratio donantis, quod scilicet donare senserit Jo: Stephano, quatenus ipse sibi supervivere, & hæres existeret, quoniam hæc in donatione juxta ea, quæ superius firmata sunt, satis clara non attenditur in præjudicium Donatariorum *l. perfecta*, C. *de donat. quæ sub mod. &c.* maxime quando, prout hic, prodiit post motam litem, ac tendit in commodum Donantis, & in omnimodam aversionem, seu revocationem donationis, neque illa confovetur ex eo, quod de tempore donationis Donator reperiretur valde senex, paucis ante mensibus apopletico morbo correptus, ac tum etiam in lecto jacens, itaut prævidere nequiverit casum præmorientiæ Donatarii in viridi ætate, & bona valetudine constituti, quia si hunc casum prævidere nequivit, neque per consequens in hoc ipso subintelligere voluit pactum reversivum, seu resolutivum donationis, prout nec etiam ex nobilitate, ac probitate Donantis, quoniam ipse forsan opinari potuit licere sibi declarationem hujusmodi, seu verius revocationem donationis emittere, præobeunte Donatario, neque applicatur *cons.* Decian. 32. *lib.* 3. quia agebatur de puella minore malis artibus inducta ad donandum, de quibus in præsenti suspicari non licet.

Sublato itaque ex his primo objecto conditionalitatis, seu modalitatis donationis, insubsistens quoque visum fuit secundum, quod donatio fuerit improba, & nulla, ex eo quod comprehenderit omnia bona præsentia, & futura, & sic ademerit Donatori facultatem testandi, quia præter quod donationem præcesserunt testamentum, & codicilli, ac in Instrumento donationis Donator nominatim obstrinxit Donatarium ad illorum observationem, & sic in his terminis testandi facultas videtur ea donatione confirmata potius quam prærepta, difficultas cessat in hoc casu, in quo donans reservavit sibi usumfructum vita naturali durante ibi: *reservata tamen sibi sua vita naturali durante usufructu, ac libera dispositione eorundem fructuum sua vita naturali durante*, de quo proinde libere testari potuit, & hæredem sibi invenire, Surd. *cons.* 450. *n.* 54. *& seq.* Gratian. *dec.* 39. *n.* 7. Rota *dec.* 21. *n.* 4. *p.* 9. *rec. & dec.* [illegible] *n.* 14. *coram Dunoz. Jun. non resistente decisione inter eosdem collitigantes edita coram Me sub die* 3. *Julii* 1690. *super articulo redditionis rationis*, in qua dictum fuit Donatarium non teneri ad reddendam rationem administrationis bonorum donatorum, quia hæc emanavit ad alium finem, & fundatur in eo, quod pecuniæ receptæ per Donatarium pro majori parte provenirent ex fundis, seu capitalibus ipsorum bonorum.

Neque vis præfatæ reservationis impugnari valet ex eo quod reservatio ususfructus in Donatore sene, & morti proximo videatur vana, & affectata, prout alias advertit Rota *dec.* 226. *n.* 20. *&* 21. *p.* 12. *rec.* quodque præterea facta fuerit ad effectum libere disponendi vita naturali durante, & sic uti restricta ad effectum disponendi per viam actus inter vivos, suffragare nequeat pro facultate testandi juxta *cons.* 76. Bart. pluries in Rota canonizatum, *ut in dec.* 104. 191. *&* 231. *p.* 7. *rec.* siquidem mors donatoris non adeo dici poterat imminens de tempore donationis, quod vana prorsus, & inefficax censenda esset reservatio ususfructus, in quibus terminis loquitur decisio in objecto allegata, ut patet ex eo, quod post peractam donationem Donator supervixit per aliquot annos, cum quorum fructibus satis abundeque sibi parare potuit hæredem, & ususfructus non fuit specifice reservatus ad effectum disponendi per viam actus inter vivos, in quo dumtaxat casu procedit, & loquitur auctoritas Bartoli, & ejus sequacium, sed fuit, ut supra, simpliciter reservatus ad effectum libere disponendi, vita naturali durante, quo casu reservatio capit utriumque genus dispositionis tam scilicet per actum inter vivos, quam per ultimam voluntatem, non obstantibus illis verbis *vita naturali durante*, quæ consentus apposita ad denotandam durationem ususfructus, non autem ad limitandam facultatem disponendi ad actum inter vivos, ut bene distinguendo, ac rem totam explicando firmavit Rota *dec.* 562. coram clar. mem. Card. Cerro.

Et ita decisum fuit utraque Parte acriter informante &c.

R.P.D. EMERIX DECANO.

Romana Donationis.

Veneris 9. Maji 1692.

INformantes pro hærede Donantis in hac nova Audientia ex benignitate DD. obtenta contra decisiones editas sub die 12. Maji 1690. & 3. Decembris 1691. in quibus firmatum fuit, constare de bono jure Justitiæ hæredis Joannis Stephani Donatarii, etiam ad effectum manutentionis, seu reintegrationis, colligentes in unum quæ in prioribus causæ disputationibus pro diversis, ac separatis resolutionis controversiæ donationis capitibus attulerunt, conabantur unice demonstrare donationem ex pluribus facti circumstantiis, & conjecturis præseferre tacitam conditionem, si Donatarius superviveret Donatori, itaut sensus Donatoris fuerit abdicandi a semetipso facultatem disponendi de bonis donatis per actum donationis irrevocabilis inter vivos favore Donatarii, sub eadem tamen lege, seu conditione ipsius superviventiæ, quæ de jure inerat Testamento, quod præcedenter condideras, in quo ipsum in eisdem bonis postea donatis hæredem instituerat. Magis quidem ad causam accommodate, sed non magis Judicio DD. subsistenter, ac solide, qui proinde, non obstantibus per eos ad hunc effectum adductis, steterunt in decisis.

Bonum jus enim Justitiæ fundatur in publico instrumento donationis irrevocabilis inter vivos, de cujus natura est, ut transeat ad quoscumque hæredes, & successores Donatarii, etiam in casu, quo Donatarius præmoriatus Donati, ex auctoritatibus allegatis in secunda decisione, §. *Constat*. Et licet quandoquidem donatio censeatur personalis, ac per prædecessum Donatarii resolubilis, hujusmodi tamen personalitas, ac resolubilitas tanquam naturæ actus adversa evidentibus indiciis, & conjecturis probari debet, ut advertit Rocc. *disp. jur. select. p.* 2. *c.* 109. *n.* 19. præsertim stantibus (prout hic) clausulis: *ad habendum &c. ponens &c. constituens &c.* ac reservatione ususfructus, quæ sicut tribuunt liberam facultatem disponendi de bonis donatis, ita etiam arguunt donationem esse prorsus realem, & transmissibilem, ut late notat prima decisio, §. *quam etiam, & seqq.*

Talia vero visa non sunt indicia, & conjecturæ ad hunc effectum ponderatæ. Non enim quidquam concludit pars procemialis donationis, in qua donator commemorat servitia, ac beneficia recepta, & quæ etiam in futurum recipere spectabat a Donatario, ibi: *volens se gratum, ac munificum reddere erga Illustrissimum Dominum Joannem Stephanum Gavottum &c. ob grata servitia, & beneficia in ipsum collata, & quæ in futurum recipere sperat &c.* immediate subdendo ibi: *Eidem propterea præsenti, & acceptanti, & gratias referenti irrevocabiliter &c.* quasi quod motus fuerit ad donandum ea causa finali servitiorum, ac beneficiorum recipiendorum, qua per præmorientiam Donatarii cessante, cesset etiam donatio. Quoniam ratio, quam habuit donator servitiorum, ac beneficiorum recipiendorum a Donatario, stat solum per modum præsuppositionis, atque fiducia, quæ generalis est in omnibus donationibus, quæ utique servitia, ac beneficia expectare oportet ab iis, quos propria substantia locupletarunt, non autem per modum conditionis, & causæ finalis, ut patet ex eo, quod illa non deduxit in præceptum, & obligationem, prout est de natura conditionis, & causæ finalis, juxta text. *in l. Cum ita legatum, ff. de condit. & demonstrat.* & tradita per Galganett. *de condit. & mod. part.* 5. *cap.* 88. *num.* 56. quodque noluit revocare donationem posse etiam ex causa ingratitudinis.

Nec paritas quod in corpore donationis Donator voluerit, quod (ut sunt verba præcisa) *D. Joannes Stephanus Donatarius teneatur, & debeat, prout ibidem præsens promisit, & se obligavit attendere, & observare, & adimplere ea omnia, quæ ipse Donator disposuit in ejus Testamento in actibus meis &c. consignata, clauso, & sigillato de mense Januarii proximi præteriti, & in codicillis pariter per M: hodie rogatis, ad quæ &c. in omnibus, & per omnia*

nia relatio habeatur &c. itaut stante hujusmodi præcepto, ac omnimoda relatione ad Testamentum, & Codicillos, & contemporanea stipulatione codicillorum, ac donationis, donatio quodam modo subrogata fuerit in locum testamenti, & codicillorum, ac in testamento, & Codicillos transubstantiata, saltem ad hoc ut adinstar eorum resolvatur, & caducetur per præmorientiam Donatarii, quoniam Donator in hac parte donationis nihil aliud cogitavit, & egit, quam cavere sibi, ne Donatarius agnitis bonis ex donatione, atque omisso testamento, contemnere posset satisfactionem legatorum, aliorumque onerum, quæ ipsi in eodem testamento imposuerat, ut clare præseferunt verba illa, *teneatur*, *& debeat*, quæ sonant in rem Donatario onerosam, & sic magis propriæ referuntur ad legata, atque onera, quam ad institutionem hæredis, & nominationem ad pinguem primogenituram familiæ in testamento per actus favore Donatarii, quæ sunt res eidem Donatario mere lucrosæ, maxime quia repugnat, quod Donator voluerit identificare donationem cum testamento, & Codicillis, atque omnia insimul confundere, & tamen donationem esse irrevocabilem, & sic actus identificatos, ac mutuo confusos existere diversæ naturæ. Et satis est in omnem casum ad excludendum personalitatem, seu resolubilitatem donationis per præmorientiam Donatarii, quod verba quoquo modo pati valeant hunc intellectum, nam semper in dubio natura actus attendi debet ad text. *in l. veteres, C. de contrahend. stipulat.*

Prout nec subsistit, quod Donator instituendo Joannem Stephanum hæredem in testamento in omnibus suis bonis, eumque nominando ad primogenituram familiæ, ac rursus in donatione conferendo in eundem omnia bona præsentia, & futura, etiam feudalia, ac fideicommissaria intellexerit, ac voluerit in uno capite constituere, & cumulare omnia bona tam fideicommissaria, quam propria. Et sic eum hoc assequi non posset, nisi per superviventiam Donatarii, nam alias illo præobeunte, nominatio ad primogenituram in testamento contenta caducata fuisset, pernecesse dici debeat ipsi donasse, quatenus sibi supervivere. Quoniam verum quidem est, quod Donator tam per testamentum, quam per donationem conferre voluit in Joannem Stephanum omnia bona tam fideicommissaria, quam propria. At quod ita voluerit, ut unionem illorum in uno capite efformaret, atque ita efformaret, ut illa in parte cessante, correret in totum, quod est punctus, in quo residet vis objecti, nullum prorsus, etiam minimum, datur argumentum, & conjectura, immo contrarium colligitur ex eo, quod nimium difficilis (ne dixerim impossibilis) futura erat observatio, ac executio hujusmodi unionis, dum primogenialia ex lege primogenituræ per obitum Joannis Stephani transibant ad certas, ac determinatas personas, bona autem libera generaliter ad ejus hæredes.

Frustra denique recurritur ad declarationem editam a Donatore, ac fidem ejus voluntatis exaratam a Religioso illius confessario, quia postquam Donatario quæsitum fuit jus ex donatione (ut ex præmissis patet) satis clara nulla prorsus admittitur declaratio Donatoris in illius præjudicium, juxta text. *in l. perfecta, C. de donat. quæ sub mod. &c.* maxime quando, prout hic, declaratio unice tendit in favorem, & commodum ipsius Donatoris, qui illam tritur ad condicendam donationem ab hæradibus Donatarii, in quibus terminis nulli creditur etiam probo, ac Religioso viro, nam ratio proprii interesse sæpe alterat apud homines opiniones rerum, ex traditis per Menoch. *conf.* 45. *n.* 26. Mascard. *de probation. concl.* 1357. *num.* 56. Rub. *de valid. leg. cap.* 17. *num.* 34. *& seqq.*

Firmaro igitur ex his bono jure Justitiæ, visum fuit id ipsi suffragari etiam ad effectum manutentionis in omnibus bonis liberis Donatoris, stante clausula Constituti Donationi adjecta, quæ transtulit in Donatarium dominium, & possessionem, ad text. *in l. quod meo, ff. de acquir. possess.* cum aliis adductis *in Forosemproniem. manutentionis* 24. *Januarii proxime præteriti &c. Stetit decidendi ratio coram R. P. D. meo Molines.*

Et ita decisum fuit utraque &c.

R.P.D. BENINCASA.

Romana Donationis super Dubio Principali.

Luna 27. *Aprilis* 1693.

Sententiam Reverendissimi mei Decani per quam pronunciatum fuit validam, & irrevocabilem fuisse Donationem a Barone Carolo Gavotto factam Joanni Stephano ejus consanguineo, nec ob Donatarii præmorientiam resolutam remansisse, & per caput separatum absoluta insuper fuit Justina Donatarii mater, & hæres ab intestato a restitutione scutorum 77898. quæ ad manus filii ex administratione bonorum Donatoris pervenerant, DD. confirmandam esse censuerunt, considerantes validitatem illius non impugnati, & Justitiam resultare ex rationibus, & fundamentis infra examinandis.

Agitur namque de Donatione inter vivos solemniter, & irrevocabiliter facta, cujus natura, sicut confirmationem non expectat a morte Donantis, sic per Donatarii prædecessum non resolvitur, ad text. *in l. si quis argent. §. final. C. de donat.* Bald. *in l.* 2. *C. de jure dotium*, Alex. *conf.* 14. *num.* 3. *lib.* 1. Rum. *conf.* 38. *num.* 16. Andreol. *contr.* 232. *num.* 4. Rota coram Dutan. *decis.* 84. *num.* 21. coram Merlin. 664. *num.* 7. coram Bich. 136. *num.* 29. *& seq.*

Et quamvis pro limitatione propositæ conclusionis opponeretur, & quod Donator ad superviventiam Donatarii unice respectum habuit, eumque sibi superstitem præcise contemplatus fuit, ex auctoritatibus congestis apud *Episcopum Isclan. disp.* 109. *num.* 19. & quod Donatio sit mere personalis, ideoque ob singularem ejus proprietatem, nec vitam Donatarii transcendere, nec in hæredes illius transfundi possit, Menoch. *conf.* 84. *lib.* 1. Censal. ad Peregrin. *art.* 6. *num.* 6. Grammatic. *decis.* 103. *num.* 72. *& seqq.* Franc. *dec.* 591. *num.* 1.

Attamen in præsenti hypothesi neutra ex limitationibus adductis applicabilis visa est. Non quidem prima, nam contemplatio superviventiæ Donatarii deduci non potest ex actibus præambulis Donationi, sive elici prætendatur ex Testamento, in quo Carolus postquam hæredem scripsit Joannem Stephanum, vigore facultatis ab R. P. D. Joanne Baptista Gavotto sibi attributæ, eundem nominavit ad particularem Primogenituram, cum vinculis, & conditionibus ibi præscriptis, & ad utriusque hæreditatis negotia Procuratorem constituit. Sive ex capitulis matrimonialibus exaratis inter ipsum Donatarium, & Nobilem Puellam Romanam, in quibus eundem Donator iterum per contractum nominavit ad supradictam Primogenituram, & suum universalem hæredem declaravit, *Summario præteritæ propositionis, num.* 1. 2. 3. *&* 4.

Quamvis enim ex his omnibus nullam aliam usque ab inisio Donatoris intentionem fuisse arguatur, quam in una, eademque persona utramque hæreditatis speciem bonorum, scilicet liberorum, & Primogenialium coacervare, quod nonnisi per superviventiam illius assequi poterat, dum ex propria lege, bona Primogenialia ad alias determinatas personas in casu prædecessus devoluta, & a Bonis sub donatione comprehensis separata forent contra Donantis voluntatem, quæ ex actibus præambulis non minus quam ex concomitantibus, vel subsequentibus contractum desumi solet, ad text. *in l. si servus plurium* 54. *ff. de legat.* 2.

Adhuc tamen omissis iis, quæ generaliter ad eversionem objecti afferri poterant considerando, quod dum omnes, & singuli supra recensiti actus longo temporis intervallo, & per plurium mensium distantiam, donationem prædecesserint, nullum ex eis inferri potest argumentum qualitatis Donationis, quæ ex ipsius contextu, & visceribus desumenda venit, Valas. *de jur. emphyt. q.* 50. *n.* 44. Rot. cor. Merlin. *dec.* 664. *n.* 39. *& dec.* 142. *n.* 8. *p.* 4. *rec.* Cum tritum sit, quod ad alterandam regularem naturam Donationis, non quælibet probatio admitti debeat, sed superlativa, & necessario concludens. Adeout nisi per pactum speciale reversio ad Donantem conventa fuerit, Donatarii superviventia, vel prædecessus attendi non soleat, Grat. *discept.* 386. *n.* 14. *& discep.* 568. *n.* 1. *& seq.* Rot. cor. Cerro *dec.* 716. *n.* 1. *&* 2. *dec.* 458. *n.* 9. *p.* 13. *rec.*

Placuit ulterius uti præcipua, & magis speciali responsione, quam & natura ipsa controversorum Bonorum, & acquisitionis titulus suggerebat. Cum enim alia essent libera, alia vero particulari Legi Primogenituræ subjecta. Si enim attendatur Testamentum, per quod Jo: Stephanus fuit hæres institutus quoad bona libera, & propria Testatoris, nullo fideicommissi, aut restitutionis onera gravatus, & una simul ad Primogenituram præfatam nominatus, nimis aperte excluditur prætensa Bonorum unio per superviventiam illius desiderata, nam quatenus etiam contra naturæ ordinem non prædecessisset Testatori jam senio confecto, & adversa valetudine detento, sicut Bona primogenialia restituere tenebatur filio primo nascituro, juxta legem sibi impositam, ita & de bonis liberis, libere poterat disponere, vel eadem adhuc vivens dissipare, & in his terminis non id quod contigit, sed quod contingere poterat inspiciendum est, *l. si volunt. C. de rescind.*

vendit. Menoch. *conf.* 417. *n.* 53. Peregr. *conf.* 54. *n.* 16. *lib.* 1. Rot. post Torr. *de pact. futur. success. dec.* 130. *n.* 20.

Clarius id convincitur si ad capitula matrimonialia respectus habeatur, nam data superexistentia, vel præmorientia Joannis Stephani, Bona libere a Primogenialibus semper erant separabilia, illa siquidem, quæ libere per Testamentum ipsi acquisita fuerant in casu superviventiæ, poterant similiter ab eodem distrahi, & data præmorientia ad Testatorem, cadocata dispositione, revertabantur, alia vero, quæ in illum, vel ejus filium Primogenitum per nominationem transferabantur, apud eos irrevocabiliter remanebant ex natura contractus, in quo nominatio expleta suis ad tradita per Valasch. *consult.* 102. *n.* 23. Calderin. *de potest. eligen. & nominan. ad emphyteusim lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 18. Hermus ad Lopez *tom.* 1. *tit.* 4. *par.* 5. *lib.* 5. *n.* 21.

Quod autem ex actibus præambulis concludi minime valet, multo minus consequitur ex aliis concomitantibus donationem, seu ex ipsius contextu, & pactis, quibus vestita apparet. Ex concomitantia siquidem actuum, ut sunt præcipue Codicilli eodem die cum Donatione stipulati frustra deducitur, Carolum omnino voluisse, non solum Donatarium, sed & hæredem Joannem Stephanum, omniaque Bona quasi ex Testamento in eo consolidari, & quatenus sibi superstes fuisset, ad tradit. per Salicet. *in l. si filius, C. famil. ercisc. & in l. si inter, ff. de rebus dub. l. frater, ff. de condit. indebit.* Menoch. *conf.* 48. *n.* 14. *& lib.* 1.

Nam ultra quod nulla potest haberi ratio de assersis Codicillis, qui nunquam fuerunt exhibiti, & quorum tenor destruere forsan posset objectum, juxta præsumptionem quæ interim militat contra illos occultantem, ut alias dixit Rota *in Romana Census* 1. *Decemb.* 1687. §. *Sed potius & 9. Jun.* 1690. §. *Quia quicquid coram Me, & in eadem Causa coram R. P. D. meo Muto* 4. *Junii* 1692. §. *sed eadem.*

Cessat omnino adducta interpretatio, nam Donatio eodem die cum Codicillis stipulata, est contractus inter vivos, quæ vim aut naturam Supremi Judicii non obtinet, & Donatarius in ea non consideratur uti futurus hæres, sicut contingit in Donationibus causa mortis, aliisque dispositionibus, quæ mortis indigent confirmatione, in quibus terminis procedunt Auctoritates contrariæ. Ex actuum siquidem contemporaneo concursu correspectivitas, & complicatio illorum non valet induci, quando nullam aliam habent inter se dependentiam, quam occasionalem, & accidentalem, tum etiam contractus diversæ naturæ possunt sub una, eademque stipulatione contineri *l. scire debemus* 29. *ff. de verbor. oblig. l. cum ejusdem, ff. de edilit. Edict.* Abb. *conf.* 45. *per tot.* Dec. *conf.* 421. *n.* 2. Rot. cor. Dunoz. *dec.* 881. *n.* 12. & cor. Bich. *dec.* 21. *n.* 27. *& dec.* 406. *n.* 29. *& seq.*

Nec quidem magis alicui valet ex ipso Donationis Instrumento, quamvis enim in eo cum omnimoda relatione ad Testamentum adjectum fuit particolare pactum, ibi. *Voluit tamen, quod Joannes Stephanus Donatarius teneatur, & debeat, prout ipse præsens promisit, & se obligavit attendere, observare, & adimplere omnia, quæ ipse D. Donator disposuit in ejus Testamento, & in Codicillis, atque in omnibus, & per omnia relatio habeatur*, adhuc manifeste paret, quod relatio ad Testamentum non ita facta fuit, ut illud, & donationem adeo connecteret, ut utrumque contractum redderet ad invicem correspectivum, & pro singulorum validitate prædecessus disponentis requireretur, sed solum facta apparet ad hoc, ut onera, in Testamento injuncta, Donatarius negligere non posses, ut latius dictum fuit in præteritis hujus Causæ decisionibus coram Reverendiss. D. meo Decano 12. Maji 1690. §. *Et hinc nihil*, & 3. Decembr. 1692. §. *Neque conditionalitas.*

Pactum vero in eadem stipulatione adjactum, Donatarii superviventiam contemplatam fuisse necessario non concludit, cum æque bene per hæredes illius expleri potuisset, qui, & specialiter ad hoc fuerant obligati in instrumento, & ex legali interpretatione ad omnia tenebantur, dum in eos quando expresse exclusi non sunt, transeunt omnes obligationes ab eorum Auctore susceptæ, *l. veteres, C. de contrahen. & committen. stipulat.* Calderin. *conf.* 4. *vers. tum etiam de Jurepatron.* Vivian. *eod. tract. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Rota coram Duran. *decis.* 285. *num.* 5.

Non minori facilitate insubsistens comperta est secunda limitatio desumpta ex qualitate personalis Donationis, nam præter ea, quæ ex clausulis *ad habendum, Constituit, ex præservatione ususfructus, ex promissione illa non revocandi*, aliisque in præcedentibus Decisionibus ponderatis in illius evidentem exclusionem fuerunt alias considerata, responsum fuit, quod vel personalitas desumi simpliciter prætenditur ex ipso contextu instrumenti, cujus verba, tanquam directa in solam personam Joannis Stephani, absque ulla mentione hæredum, hujusmodi qualitatem præseferre videntur, & objectum tam in jure, quam in Facto irrelevans detegitur. In facto siquidem habemus stipulationem conceptam etiam fuisse pro hæredibus sub clausula *præsenti cæterata*, sub qua comprehendi hæredes, & successores etiam extranei plurias respondit Rota, *& signanter dec.* 483. *p.* 4. *to.* 2. *per tot.* Seraphin. 703. *n.* 2. *cor. Priol.* 446. *n.* 11. *& in una Faventina successionis* 7. *Junii* 1680. §. *Minus coram Vicecom. & novissime in Romana hæreditatis de Lenuvüs* 18. *Junii* 1685. §. *Cujus fune corum R. P. D. meo Hervault.*

Non subsistente responsione, quod clausula cæterata ex mero stylo Notarii apposita censeatur, & potius referibilis sit ad solum Donatarium, repetendo scilicet acceptationem Donationis, & gratiarum actionem, quoniam cum æque principalis sit, ac dispositiva pars illa orationis, in qua clausula prædicta legitur apposita, eique consonet contextus totius dispositionis, & præcipue in ea parte, in qua Donator pro observantia contractus expressa obligatos voluit hæredes Donatarii, satis deprehenditur illos inclusos etiam fuisse sub præcedenti clausula Rot. *cor. Cerro* 442. *n.* 18. coram Ubald. 259. *n.* 7. coram Cels. 145. *n.* 22. *attenta maxime* concomitantia aliarum clausularum *ad habendum &c. ponens &c. constituens &c.* quæ non simpliciter famulative stare dicuntur in hoc casu, sed efficaciam stipulationis ad hæredes, & successores extendunt Gratian. *discept.* 568. *n.* 5. Rot. *dec.* 434. *n.* 5. *p.* 13. *dec.* 179. *n.* 5. *p.* 15. *& coram Me in Asculana Parochialis*, §. *Minus relevat.* 20. *Martii* 1684.

In jure autem objecti insubsistentia detegitur, quia regulare est, quod contractus omnes, & stipulationes nunquam præsumuntur personales, sed semper transeunt ad hæredes etiam non nominatos, quando expresse non fuerunt exclusi ad Text. *in l. vetere, C. de contrahend. & committen. stipulat.* late Tiraquell. *de retract. convent.* §. 2. *glos.* 6. *n.* 1. & in terminis donationis Cutel. *de donat. tract.* 2. *disc.* 1. *special.* 24. *n.* 1. Gratian. *discept.* 568. *n.* 6. Rot. coram Cel. *dec.* 294. *n.* 9. *& dec.* 587. *n.* 2. *par.* 1. fortius quando nullum adest pactum reversivum, Modern. Melphicten. in addit. ad Grat. *discept.* 386. *num.* 2. ubi quod est hæc communis Sacr. Rotæ opinio, ideoque ab ea non recedendum Rot. apud Torr. *de pact. fut. success. dec.* 48. *num.* 2. *& dec.* 393. *num.* 7. *part.* 5. *& decis.* 434. *num.* 1. *& seqq. & decis.* 458. *num.* 11. *part.* 13. *rec.* ubi namque hæredes venire non possunt vigore expressæ vocationis, veniunt tamen jure successionis, & transmissionis, quod præcipue a natura Donationis irrevocabilis inter vivos oritur, ut rejectis contrariis auctoritatibus, quæ afferri valent, tenet Theodor. *alleg.* 43. *nu.* 16. de Marin. *resol.* 190. *l.* 1. *n.* 5. Rot. *dec.* 98 *nu.* 13. *& seq. par.* 12. *& dec.* 179. *n.* 5. *par.* 52. *recent.*

Vel demum ad arguendam prætensam qualitatem personalis donationis insistitur in declaratione facta ab ipso Donatore, qui morbo apopletico correptus, & morti jam proximus testatus fuis, non alia intentione ad eam devenisse favore Joannis Stephani, quam, ut ab eo in propriis rebus, & domus administratione operam exigeret, & ut Bona donata in ipsum tantummodo transirent, non autem in heredes, & successores illius, cui quidem declarationi tanquam emissa a persona satis notæ fidei, & probitatis, plurimum deferendum esse prætenditur, ut alias firmavit Rot. *dec.* 562. *n.* 26. *& seq. coram Cerro, & in Ferrarien. Pecuniaria* 12. *Maji* 1692. §. *& his demum coram R. P. D. meo Ursino*, præcipue quia adminiculata apparet ex uniformi attestationa Viri Religiosi, & confessarii illius, ex traditis per Gabriel. *conf.* 51. *num.* 8. *lib.* 2. Rot. *coram Bich. dec.* 18. *num.* 9. *& dec.* 296. *n.* 12. *p.* 13. *rec.*

Et respondebant DD. quod depositio Confessarii cum relativa sit ad declarationem Donatoris, nihil aliud ponit in esse, quam id, quod declaratio præsefert. Ista vero quamvis facta a Viro, cujus probitas, & fides non impugnatur, adhuc tamen quia convincitur aperte erronea, & insubsistens, corruit ob falsitatem suppositi, cui innititur. Alex. *conf.* 81. *n.* 16. *vol.* 6. Rot. *dec.* 604. *n.* 4. *p.* 18. *& coram R. D. meo Decano in Casanaten. Dotis* 27. *Junii* 1692. §. *Neque ad probanda.*

Falsitas autem suppositi, satis manifesta apparet rimatis singulis partibus declarationis, non enim subsistit, quod Donatio facta fuerit contemplatione assistentiæ, quam præstare debebat Donatarius negotiis, & rebus Donatoris, quia quamvis hæc per ipsum neglecta fuisset, immo etiamsi ingratum Benefactori suo, ullo unquam tempore sese exhibuisset, non perinde donatio resolvebatur, quia hoc expresse

se promissum fuerat in ipsius stipulatione, ibi *promittens hanc irrevocabilem inter vivos donationem attendere, & irrevocabiliter observare, nec illam revocare quavis prætextu, & causa nempe ingratitudinis &c.*

Multoque minus subsistit, donationam factam fuisse contemplatione solius Donatarii, non autem successorum illius, nam quamvis Donator expressa in instrumento dixisset, quod in declaretiona applicavit, voluisse scilicet donare Jo: Stephano tantum, tamen ad illius personem Donetio restricta non foret, nec Bona donate ad Camlum, e quo procedebant, reversa fuissent, optime Mantic. *de tacit. lib.* 13. *tit.* 21. *n.* 20. Gratian. *discept.* 386. *n.* 14. ubi id firmat, quamvis adesset personalitas, cum dictione *tantum*, Noguerol. *allegation.* 37. *n.* 23. Rota cor. Achill. de Grass. *de donation. dec.* 1. *n.* 6. ubi idem firmatur, & respondetur contrariis auctoritatibus, & cor. Put. *dec.* 273. *n.* 3. *lib.* 3. *& decis.* 98. *n.* 8. *& seq. p.* 12. *& decis.* 434. *n.* 1. *& dec.* 458. *n.* 10. *p.* 13. *rec.*

Quoad secundam partem sententiæ, in qua absoluta fuit Donatarii Mater a restitutiona scutorum 77898. parum DD. insistendum putarunt, quia licet illa ea dispositione Text. *in l. entiones C. de administrat. Tutel. & l.* 2. *ff. de negot. gest.* rationem reddere teneretur, & reliquatum restituere de omnibus Bonis Caroli per Joannem Stephanum administratis, edhuc tamen cum eidem assistat titulus puræ, & irrevocabilir Donationis Bonorum præsentium, & futurorum, & summa prætensa, a cujus restitutione absoluta fuit pro majori parte, proveniet ea Bonis donetis, manifeste convincitur Justitie sententiæ, quæ eam in hac parte liberavit. Et quamvis dubitari posset, quod pro alique rata summa præfata conflari valeet etiam ex Capitalibus sibi a Donatore post donetionem cumulatis, edhuc tamen cum hoc sit incertum retardare non potuit DD. a confirmatione sententiæ, cum alias, quando etiam de hoc clarius constare poterit, præservata remanet actio contra Justinem, & hæreditatem ei devolutam, cujus opulentia satis nota, illam inefficacem, & inanem non reddet.

Et ita &c.

R. P. D. BENINCASA

Romana Donationis.

Super dubio manutentionis.

Luna 27. *Aprilis* 1693.

EAndem donationem, quam irrevocabilem esse censuit hodia Rota coram Me, cum ad sui favorem resolutam remansisse prætenderet Carolus Gavottus per mortem Joannis Stephani, ad cujus favorem emanaverat, omnium bonorum, quæ sub ea comprehendebantur, possessionem cepit. Sed Justine Donatarii Meter adite prædefuncti filii hæreditate, judicioque spolii coram A. C. intentato, mandatum de manutenendo in eisdem bonis petiit, & obtinuit. Interposite postmodum appelletione, causaque ad Rotam devoluta, & ad eam admisso quoque Monasterio Sanctissimæ Annunciatæ Savonæ ea persone Monialis Mariæ Eugeniæ, ejusdem præmortui Donatarii Sororis, concesse iterum fuit, nomine etiam hæreditatis, manutentio Justinæ, appellantibus temen iterum Monesterio, & Augustino Marsa hærede Caroli, qui interim lite pendenre e vivis excesserat, commissaque Mihi causa cum clausule, *et ulteri, qui ad legitimam* dubium commissioni uniforme proposui, & resolutum fuit *procedendum esse ad legitimam executionem decreti pro manutentione jam emanati*, cum illud validum, & justum compertum sit ad terminos textus *in l. si non obtulit* 45. §. *si ex conventione, ff. de re judic.*

In hac siquidem triangulari controversia validitas a solo Monasterio impugnabatur, objiciens defectum citationis, eum qua in hoc judicio vocanda erat; sed consideratum fuit objectum non relevare, dum mandatum de manutenendo ad commodum hæreditatis concessum est, sicut enim Monasterium ad eam adspirat ea persona Mariæ Eugeniæ, uti cohæret ab intestato cum Justine Matre, ita nullum aut sibi, aut hæreditati præjudicium illatum ex omissa citatione valat opponere, per quod causata dici possit nulliter objecta, ut in terminis dixit Rote coram Merlin. *dec.* 360. *n.* 3. *in fine*, & generalitar tenuit Cravett. *cons.* 170. *n.* 6. Surd. *cons.* 181. *n.* 27. *& cons.* 227. *n.* 17. Rota *dec.* 733. *n.* 9. *in fine*, *p.* 2. *& dec.* 30. *n.* 13. *p.* 17. *& decis.* 231. *n.* 4. *p.* 18. *recent.*

Justitia vero quoad Augustinum Mariam, qui illam primo controvertebat, apparuit manifeste. Cum enim dubitari non possit de anteriori possessione, quam Donatarius præcedenter acquisiverat, & apprehend erat controversorum bonorum, dum huic posterior ait altera a Donatore reassumpta, nulle facta deputatione Curatoris hæreditati jacenti consequens est, quod clandestine, & spoliativa censenda sit. Ideoque eidem hæreditati minime præjudicialis, quæ adversus spoliatorem semper est manutenenda Decian. *cons.* 400. *d.* 6. Rota corem Gregor. *decis.* 206. *n.* 7. ibique Adden. n. 10. corem Cerro *decis.* 91. n. 13. *& decis.* 500. *n.* 10. *& seq. p.* 1. *divers.*

Nec obstare visum fuit, quod manutentio, quæ possidenti solum datur, concedi nequeet favore hæreditatis jacentis, quæ tanquam persona ficta corporis, animique expers, non potest neque possessionem acquirere, neque illam continuare juxta text. *in l. pr. §. scævola, ff. si quis testamento*, *ibique* gloss. & DD. Bald. *in l. fin. in principio n.* 1. *cum seq. C. de edict. Div. Adrian. tollen.* Peregrin. *de fideicom. art.* 47. *n.* 79. *in fine*, & Rot. *decis.* 13. *n.* 15. *p.* 16. *rec.*

Nam pro responsione DD. advertebant conclusionem procedere quando hæreditas est vere jacens, hoc est ubi non adest spes ut possit adiri, vel fuit alias repudiata Mantic. *de tacit. lib.* 14. *tit.* 46. *n.* 21. Secus tamen esse dicebant, quando non adite, nec repudiate fuit, nec deficit spes futuræ aditionis, quia tunc quasi possidet, continuando possessionem defuncti, cujus personam repræsentat, ut probat text. *in l. non minus* 31. ubi gloss. *verb. Domina, ff. de acquir. rer. domin.* Rovit. *cons.* 45. *n.* 2. *lib.* 1. Posth. *de manut. observ.* 15. *n.* 50. ubi respondet etiam contrariis auctoritatibus, Castill. *resolut. quotidian. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 17. Mart. *de success. legal. p.* 4. *qu.* 22. *art.* 3. *n.* 9. Rota coram Dunozetto *dec.* 140. *n.* 3. *& dec.* 176. *n.* 8. *&* 9. *coram sanc. me. Alexan. VIII.*

Constare quoque de justitie apparuit, non obstante altera exceptione a Monasterjo proposita, nampe quod ipsi quoque pro medietate, nomine hæreditatis, manutentio concedende esset, cum & ipsum coæquale jus habet in bonis controversis ex persone Mariæ Eugeniæ, quæ tanquam prædefuncti Soror Donatarii ad hæreditatem illius simultanee cum Matre vocatur. Cum enim Moniali resistat amplissima renunciatio occasione ingressus in Religionem emissa, nunquam manutentionem petere potest, pendente lite super subsistentia, vel insubsistentie illius, pro qua interim semper militat præsumptio validitatis, Rote coram sanctæ memoriæ Alexandri VIII. *decis.* 198. *n.* 14. & coram Merlino *dec.* 707. *n.* 1. *& seq.* donec saltem rescissio illius obtineatur, Rota coram Durano *decis.* 258. *n.* 1. *& seq.* & corem Cerro, *dec.* 616. *n.* 15. *& seq.* & in Romana hæreditatis coram bo. me. Rondinino 23. *Mart.* 1685. §. *finali*.

Et ita utraque &c.

RECANATEN.

INTER

PARTES, UT INFRA.)

Responsum pro veritate.

In donatione contemplatione certi, & determinati matrimonii, an succedant solum filii ex illo matrimonio suscepti, vel etiam alii ex aliis matrimoniis, & quid ubi agatur de donatione facta sponsæ, non autem sponso?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *De ratione dubitandi, ob quam in donatione contemplatione matrimonii succedant solum filii ex illo procreati, & non alii.*
3 *Ubi donatio quæritur soli sponso, omnes filii succedunt, etiam aliorum matrimoniorum.*
4 *Secus ubi filii sunt vocati.*
5 *Valent pacta, ut conditio filiorum secundi matrimonii sit melior, & quando secus.*
6 *In donatione facta mulieri per virum, vel ejus conjunctos, debent solum succedere filii illius matrimonii.*
7 *Quando matrimonium sit causa finalis, vel impulsiva donationis.*
8 *De differentia inter donationem, quæ fiat sponso, vel sponsæ.*
9 *De augmento dotis quomodo reguletur.*
10 *Quid ubi in donatione, vel augmento dotis, adest stipulatio pro filiis.*

11 *De*

11 *De verbo hæredibus adjecto verbo* filiis, *an stet ampliative, vel qualificative?*
12 *Jus quæsitum mulieri non potest ex intervallo tolli, vel minui per conventionem inter donatricem, & virum.*

D I S C. X.

1 CAtherina matertera magna Hieronymæ, contempla-
tione matrimonii per ipsam contrahendi cum Ludo-
vico, ut illud sequeretur, ac etiam sub narrativa amoris, quo
dictam proneptem prosequebatur, in eadem apocha dotali
illi donavit omnia ejus bona, sibi reservatis usufructu, &
aliqua summa in instrumento declaranda ad effectum te-
standi, ad aliquos autem menses post jam sequutum matri-
monium, ut circa dictam summam reservatam omnis con-
troversia tolleretur, eadem Catherina in instrumento inito
cum Ludovico viro, absente Hieronyma, declaravit, di-
ctam donationem, seu dotis augmentum esse in scutis mil-
le, ipso Ludovico acceptante tam pro se, quam pro Hiero-
nyma uxore, ac filiis, & hæredibus, cum autem soluto
matrimonio per mortem viri, superstitibus pluribus filiis,
Hieronyma aliud contraxisset matrimonium, ea quo pari-
ter filios suscepit, (ipsa forsan adhuc vivente) pro veritate
consultus fui (incertum est ex cujus parte), an in dictis
scutis mille ea præfata donatione obvenientibus, successio
præcipua esse deberet filiorum primi matrimonii, vel potius
ipsa moriente ab intestato, omnium filiorum utriusque æqua-
lis esset successio, eo modo, quo in reliquis bonis, sive
ipsa volente testari, an intraret facultas aliquos filios desu-
per gratificandi, prout in reliquis asse detracta legitima.

Respondi planum videri, ut omnium filiorum utriusque
matrimonii æqualis esse deberet successio, sive donatariæ
facultas competeret disponendi eo modo, quo de reliquis
bonis, quæstio siquidem desuper pluries disputari solita in
hujusmodi donationibus contemplatione certi ac determi-
nati matrimonii an successio debeat esse præcipua filiorum
ea illo susceptorum, vel omnium, percutit potius dona-
tionem, quæ per patrem, vel alium conjunctum fiat viro,
2 seu sponso, quo casu dubitandi rationem præbet quæstio,
de qua supra *disc. 1. & seqq.* an filii censeantur vocati uti fi-
lii necne, ac etiam ratio, quæ in hujusmodi donationi-
bus viget, prohibens retrodonationes, seu diminutiones,
quod scilicet illæ dicantur pars contractus matrimonialis,
ac sequntæ potius ex correspectiva conventione cum spon-
sa, vel ejus parentibus, seu dotantibus pro jure, ac in-
teresse ipsius sponsæ, ac filiorum procreandorum, quam
ex mera benevolentia erga sponsum donatarium.

Et nihilominus etiam isto casu, decisio pendet a dicta
quæstione vocationis filiorum, ex eo matrimonio procrean-
dorum necne; si enim dicta vocatio non adest, ut in du-
bio est regula, adeout bonorum donatorum dominium soli
3 sponso acquiratur, filii vero, ac mulier non nisi interesse
secundarium habeant alimentorum, vel speratæ successio-
nis, quam tamen non ex propria persona, sed cum hæ-
reditaria qualitate obtinere debeant, tunc verius est, o-
mnium filiorum æqualem esse successionem, nulla data ma-
trimoniorum distinctione, quinimmo in ejusdem donatarii
facultate repositum est, quoties absit fraus, vel collusio, in
vita ex causa onerosa de bonis disponere in omnimodum præ-
judicium, vel etiam in morte, sive in vita per actus gratuitos
habet eandem libertatem, quam, salva legitima filiorum,
de reliquis ejus bonis liberis habet disponendi in extraneos,
ut cæteris relatis plene firmatur apud Otthob. *decis. 99. &*
133. quarum prima est repetita post Merlin. *de legit. dec.*
172. in quibus respondetur omnibus contrariis.

E converso autem, ubi concurreret filiorum vocatio,
tunc secus dicendum esset, ut nonnisi filiis illius matrimo-
nii donatio competat, non quidem jure successorio, sed potius
4 independenter a patre ex propria persona jure dictæ dona-
tionis, ut cæteris relatis plene firmatur *in Melevitana do-
nationis cor. Cerro dec.* 230. *&* 428. *p. 12. rec.* in quibus ha-
bentur concordantes, cum responsionibus ad omnia objecta,
non dubitatur enim ut id, quod intuitu illius matrimonii,
etiam ab uno ex conjugibus citra staodem textus *in l. hac
5 edictali, C. de secundis nuptiis*, fortius vero a tertio da-
tum est, sub lege, ut præcipuum esse debeat filiorum illius
matrimonii istis debitum sit, atque conventio valeat, cum
sola dubitandi ratio cadat, quando dicta fraus intraret, ut
occasione secundarum nuptiarum, quæ in Civitate, vel Re-
gno Neapolis contrahantur more Magnatum, unde resul-
tet præjudicium filiorum superstitum ea primis nuptiis,
contractis more nobilium, sive juxta consuetudines Ca-
puanæ, & Nidi, habetur *sub tit. de dote, disc.* 103.

Verum in hac facti specie dixi, dictam quæstionem etiam
cessare, dum non agebatur de donatione facta sponsæ a viro,
ejusque conjunctis, quo casu verius pro filiis primi matrimo-
nii privative ad alios respondendum esset, etiam cessante con- 6
ventione, ubi tamen ageretur de gratuita, & lucrativa di-
spositione, secus autem, si de onerosa, & correspectiva, ob
quam ipsius mulieris donatariæ verum, ac proprium patri-
monium dicendum esset, puta in compensationem ætatis,
vel nobilitatis, sive alterius inæqualitatis, juxta ea, quæ ge-
neraliter habemus ad materiam reams in *l. fæmina, C. de se-
cundis nuptiis*, ut in sua materia *sub tit. de successionibus.*

Sed agebatur de donatione facta per conjunctam sponsæ
non ex solo motivo matrimonii, sed etiam ex altero amo-
ris, ac benevolentiæ, unde propterea matrimonium dici 7
non potest causa finalis, ac præcisa, sed potius impulsi-
va, seu occasionalis, juxta distinctionem, de qua *in Ty-
burtina donationis, sub tit. de dote disc.* 17.

Ac etiam, quia ut advertitur *supra disc. 7.* In ista do-
natione, quæ fiat sponsæ per ejus conjunctos, non intrat
illa ratio correspectivitatis, quæ intrat in casu converso do-
nationis, quæ fiat sponso, quamvis iste de donatione facta 8
sponsæ sollicitus quoque fuisset, eaque forsan impulsum ma-
trimonio contrahendo tribuisset, cum in tali donatione dari
non possit majus viri studium, seu major correspectivitas,
quam detur in dote, & tamen ista non est præcipua filio-
rum ipsius matrimonii, sed cessante conventione, vel statuto
omnes filii indifferenter veniunt jure successorio, & cum qua-
litate hæreditaria, eo modo, quo in reliquis bonis, unde
propterea dicebam intrare clarum dilemma, ut scilicet summa
in ista dotatione contenta, data erat in dotem pro illius aug-
mento, ut in notulis transmissis (licet subobscure, ut pene
semper) supponebatur, & tunc non intrabant termini do-
nationis contemplatione matrimonii, sed potius termini do-
tis, quoniam dotis augmentum, quod in ipso actu contra- 9
hendi matrimonium constituitur, ita nuncupari solet ad ef-
fectum distinguendi unam bonorum speciem ab altera, reve-
ra tamen totum confunditur tanquam in unico actu, atque
est unica dos, ut distinguendo advertitur in sua materia *d.
tit. de dote disc.* 165. ubi de augmento agitur, aut vero in do-
tem data non erat, sed remanebat in terminis bonorum ex-
tradotalium penes mulierem, & multo minus primus vir,
seu filii primi matrimonii aliquid peculiare prætendere pote-
rant, ea iis, quæ in specie habentur supra *d. disc. 7.*

Supponebatur in notula transmissa, dubitandi rationem
constitui in eo, quod in instrumento super dicta donatione
inita adesset stipulatio expressa pro ipso primo viro, ac filiis,
unde propterea videbatur dici posse, quod potius intrarent 10
firmata *in d. Melevitana coram Cerro, dec.* 230. *&* 428. *p. 12.
rec.* favore filiorum primi matrimonii, verum non videbatur
difficultas considerabilis, tam quia stipulatio non erat pro
filiis illius matrimonii, sed pro filiis in genere, (quæ ta-
men consideratio sola, & de per se insufficiens esset, cum
prorsus improbabile sit virum sollicitum esse voluisse stipu-
landi pro omnino exosis, ac ab ipso verisimiliter non cogita-
tis uxoris filiis alterum nuptiarum, præsupponentium tri-
stem eventum suæ præmorientiæ) tum clarius, quia adje-
ctum quoque fuit verbum, *hæredibus*, junctum cum co- 11
pula, quod ubi capiendum non esset ampliative juxta ve-
siorem opinionem in rebus indifferentibus, potissimum ac-
cedente copula, sed qualificative tantum, juxtam alteram
strictiorem ea iis, quæ super ista quæstione ad nimiam satie-
tatem deducta habentur *in Sarzinen. feudi coram Dunoz.* in-
ter suas *dec. 748. & 760. & in eadem coram Otthob. dec.* 265.
adhuc tamen id excludebat præcipuam vocationem jure pro-
prio, ac exigebat successoriam, seu hæreditariam qualita-
tem, ex qua de consequenti coæquale jus omnium filio-
rum, seu disponendi facultas in ipsa donataria resultabat.

Ac etiam clarius, quoniam jus ex hujusmodi donatione
jam perfecte quæsitum fuerat mulieri donatariæ in ipsa apocha
dotali ex iis, quæ pluries habentur infra, ac etiam *sub tit.
de fideicommissis disc. 134. & 137. cum plur. seq.* ideoque non 12
poterant gesta inter virum, & donatricem, etiamsi essent ex-
pressa, tollere jus illi quæsitum, dictamque præjudicialem
restrictionem inducere, ea iis quæ habentur plene deducta
in Romana residui dotis, sub tit. de dote disc. 24. Potissime
vere quia etiam in illis stipulationibus pro filiis, quæ in
ipsomet instaori fiant ab eodem donatario, verius est ipso-
rum filiorum vocationem non resultare, nisi hæc a dona-
tore directe proveniant juxta distinctionem, de qua supra
in Urbinat. disc. 2. multo magis in præsenti, ideoque ex
pluribus respondi, quod versari videremur in casu plano,
& qui pro meo judicio haberet de indubitabili.

ANNOT. AD DISC. X.

AD materiam exclusionis filiorum secundi matrimonii conferunt ea quæ habentur *sub tit. de renunc. disc.*12. Et in specie quæstionis, de qua agitur, advertitur *sub tit. de succes. disc.* 36. *n.* 9. in quo principaliter agitur de contentis *in præsenti disc. nu.* 5. An sc. & quando valeant pacta, ut conditio filiorum secundi matrimonii, vel e converso sit melior, & conferunt deducta *sub tit. de legat. disc.* 18.

URBEVETANA DONATIONIS
PRO
DOMO MULIERUM POENITENTIUM CUM N. VENANTIO

Responsum pea veritata.

De donatione facta contemplatione matrimonii spiritualis, Promovendo sc. ad sacros ordines ad titulum patrimonii an resolvatur, si Promoto obveniant beneficia ecclesiastica, vel alia bona, cum quibus congrue provisus remaneat, unde cesset causa donandi, & quid ubi id expresse in conventionem deductum est an donatarius possit non acceptare beneficium, sive aliam obventionem, & quatenus acceptet, quænam onera deducenda sint, & de quo redditu haberi debeat ratio ut provisus dicatur?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Donatio ad suscipiendos ordines resolvitur si habet conditionem resolutivam quando Promotus aliunde provideatur.*
3 *De obligatione, vel alienatione bonorum ad quorum titulum quis est ordinatus.*
4 *Ista donationes non possunt retrodonari, neque revocari ex causa ingratitudinie.*
5 *An resolvatur ipsa jure per mortem Promoti, vel per provisionem aliunde, si non adest pactum resolutivum?*
6 *An iste donatarius teneatur acceptare sibi obventam, vel oblatam provisionem?*
7 *De stylo Curia non evagandi in superfluie.*
8 *Quæ onera deduci debeant a beneficio, ad cujus titulum quis est ordinatus, ad effectum videndi, an sufficit ad sustentationem, ut ita cesset donatio.*

D I S C. XI.

1 DOnavit Hippolytus Venantio annuum redditum scut. 30. ad effectum ut ita ad sacros ordines ad titulum patrimonii promoveri posset, sub lege tamen, & conditione resolutiva, quoties Promovendas de sufficienti beneficio ecclesiastico, seu alio reddita provideretur, unde commode vivere posset, triennio vero postmodum, idem donator, donatario acceptanti resignavit cappellaniam a se possessam redditus scut. 32. unde propterea dicta præstatio cessavit donec ipse donator vixit; sequuta vero ejus morte, donatarius cappellaniam permutavit cum Canonicatu minoris redditus, atque sub prætextu quod cum tali beneficio vivere non posset, molestare cœpit locum mulierum pœnitentium præfati donatoris hæredem, ejus intentionem fundando, quod licet dicta cappellania haberet redditum scut. 32. attamen medietas, & ultra absorpta remanebat ab onere missarum, quibus gravata erat, quare desuper ea parte dicti loci pro veritate consultus

2 Respondi, improbabilem, parumque fundatam esse actoris prætensionem, quoniam eo ipso quod Promotus ad titulum patrimonii obtinet beneficium æquivalentis redditus, cessat præstatio assignata sub tali lege, vel pacto resolutivo, ut tanquam certum præsupponitur in celebri *q.* 62. Bartholomæi Brixien. & cæteris relatis, habetur apud Garziam *de beneficiis, p.* 2. *c.* 5. *n.* 169. Barbos. *de Episcop. alleg.* 20. *n.* 31. Et conferunt in idem ea, quæ habentur *in Baren. obligationis, sub tit. de credito*, circa facultatem alienandi, vel obligandi patrimonium, ad cujus titulum sequuta est promotio ad sacros ordines, quoties de beneficio sufficienti provisus est.
3

Atque ubi disputant DD. an hujusmodi donationes retrocedi, seu retrodonari possint, sive revocari ex causa ingratitudinis, aut ob cessantem causam, ob quam factæ sunt, eatenus negativam sustinent, quatenus urgeat ratio interesse secundarii Ecclesiæ, ac decoris ordinis clericalis, vel Episcopi ordinantis, ob quod interesse, retrodonatio, vel diminutio prohibita est, potissime ubi aliqua collusiva conventio desuper præcesserit, ex eisdem rationibus, de quibus idem habetur supra *disc.* 2. *& seq.* in donatione facta sponso contemplatione certi, ac determinati matrimonii, 4
ut in his terminis advertunt Grat. *discept.* 297. *n.* 15. *& seqq.* Riccius *dec.* 19. *p.* 1. & alii, de quibus Rota *in S. Severini census* 23. *Jan.* 1662. *&* 27. *Junii* 1664. *cor. Verospio*, ubi agitur de hoc puncto retrodonationis, sive an promoto donatario donatori præmoriente, adeout cesset causa donandi, resolvatur donatio ipso jure, quamvis nullum pactum, vel conditio resolutiva accederet, adeout bona donata censenda essent de patrimonio potius donatoris, quam donatarii, ejusdemque donatoris creditoribus affecta, atque 5
deciditur negative ob non adhibitum pactum, vel conditionem resolutivam, ac etiam ob verba, & clausulas, ex quibus donatio perfecte, & irrevocabiliter donatario acquisita erat, ideoque magis ex facto, quam ex jure, præsupponendo tanquam absolutum, quod si conditio resolutiva concurreret, seu alias de donatoris voluntate constaret quod illa fuisset causa finalis, ac præcisa, ut tunc resolutioni locus esset, juxta ea, quæ in proposito hujusmodi resolutionis donationis contemplatione certi matrimonii carnalis habentur supra *disc.* 8. *&* 9.

Difficultas etenim in his terminis excitata per Bartho- 6
lomæum Brixiensem *d. q.* 62. percutit diversam quæstionem, an sc. hic donatarius teneatur necne acceptare beneficium, seu aliam provisionem per donatorem oblatam, vel procuratam, atque ubi justa recusandi causa non accedat, absolutam supponit negativam, ut in effectu est, quoniam cessante justa causa, non potest esse in ejus voluntate non acceptare, seu non acquirere, atque alias habendus est pro acquirente, ac possessore juxta ea, quæ *sub tit. de dote disc.* 145. & alibi habentur circa jus detrahendi dotem ex fideicommisso, quod in subsidium competit puellæ descendenti, quoniam si ipsa negligit agnoscere hæreditatem, seu legatum, aut alia bona libera sibi obventa, habetur pro obtinente, dictoque beneficio destituta est, ac etiam habetur *sub tit. de credito*, ad materiam textus *in l. qui autem, ff. quæ in fraudem creditorum*, quod licet debitor possit in præjudicium creditorum nolle quærere hæreditates, seu legata, & fideicommissa, attamen id procedit, ad effectum, ut ipsis creditoribus jus non competat, eorum hypothecas experiri super illis bonis delatis, non tamen agitur in præjudicium aliorum, quibus, debitore non agnoscente, deferantur, sed quoad eum ad effectum ut privetur illis beneficiis, quæ alias debitori pauperi, seu non idoneo conceduntur, habetur pro acquirente, ac possessore, cum similibus.

Quamvis autem illa essent extra controversiæ punctum, 7
dum donatarius jam acceptaverat, cum subsequuto effectu, cappellaniam, adeout adesse videretur aliqua evagasio, tam genio, quam Curiæ stylo exosa, ea tamen excusabilis est quoniam in notulis transmissis supponebatur, quod præfati donatarii Consultores totum fundamentum constituerent *in d. qu.* 62. Bartholomæi Brixiensis, unde oportuit satisfacere.

Unicus ergo punctus examine dignus erat ille, an dicta cappellania cujus valor attendi debebat non curato inferiori valore Canonicatus voluntarie permutati, dici posset sufficiens ad congruam sustentationem, stante dicto onere quod notabiliter valorem minuebat; in hoc autem dicti Consultores hujusmodi prætensionem promoventes, se fundabant in regulis, ac doctrinis Beneficialistarum super *Regula de valore*, ut iste attendendus esset detractis expensis, ac oneribus, verum omnino improbabilem, ac insipidam esse hujusmodi prætensionem respondi, quoniam ut advertitur *sub* 8
tit. de benefic. ad regul. de valore disc. 90. ac etiam *sub tit. de jurepatron. disc.* 10. & alibi; illa consideratio deductionis onerum, ac expensarum, recte procedit circa dictam Regulam de valore, ad sustinendam gratiam, sive ad similes effectus, puta reservationis, vel translationis pensionis, aut pro regulandis decimis Papalibus, seu contributionibus, & collectis solvendis ex fructibus beneficiorum pro rata valoris, secus autem ad hunc effectum congruæ sustentationis, quoniam sufficit, ut Clericus promotus ad sacros ordines habeat honestam occasionem sibi comparandi victum cum labore, vel exercisio clericali ordini ac decori congruo, & proportionato, ne alias cogatur pro victu comparando sordidis, ac mechanicis incumbere, seu alias mendicare, ideoque habenda non est ratio suorum laborum circa opus, vel ministerium ipsi beneficio annexum, quoniam si ita esset, pinguis-

guissimi Canonicatus, & dignitates Ecclesiæ Toletanæ, ac similium Hispaniæ, sive illi Basilicarum Urbis non essent sufficientes, ut quis ad eorum titulum ad sacros ordines promoveri posset, dum omnia emolumenta percipiuntur ad formam distributionum quotidianarum, & per punctos ratione laboris, ac interessentiæ personalis in choro, aliisque divinis, ac celebrando missas conventuales, ac alias, quibus Ecclesia onerata est, atque praxis admittit satisfieri Conc. Trid. quamvis Promovendus non haberet verum beneficium Ecclesiasticum, sed simplicem cappellaniam, quæ speciem legati pii redoleat, juxta ea, quæ pluries habentur *sub tit. de beneficiis*, præsertim *disc. 97.* ad materiam manualium, & magis ad rem promoveri potest ad titulum servitii Ecclesiæ receptitiæ, ad quam cives omnes admittuntur juxta illam speciem, de qua sæpius *sub tit. de Canonicis*, & tamen nullum obtinetur emolumentum, nisi ratione servitii, seu missarum, quæ celebrari debent, atque ubi quæritur de validitate unionis beneficiorum, quæ fiat Canonicatibus, sive an intret necne regula revocatoria ex iis, quæ pluries habentur *sub tit. de beneficiis*, præsertim *in Sorana disc. 43.* attenditur illa præcisa necessitas, ob quam provisus cogatur pro victu sibi comparando, Ecclesiæ servitium deserere, non autem si cum servitio Ecclesiæ, ac labore eorum, quæ beneficio, vel ordini incumbunt, commode vivere potest, cum similibus, ideoque omnino improbabilis, maleque fundata erat talis prætensio, a qua, dato hoc responso, credo eum abstinuisse, dum amplius de hoc negotio actum non audivi.

ANNOT. AD DISC. XI.

DE Donatione facta contemplatione matrimonii spiritualis Promovendo sc. ad sacros ordines ad titulum patrimonii, & de istius prohibita alienatione videantur deducta *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc. 38. & in Ann. ad S. C. T. disc. 14.*

ROMANA DONATIONIS
PRO MARCH. FRANCISCO URSINO CUM PP. S. THERESIÆ, SEU FABRICA S. PETRI.

Casus disputatus in Congregatione particulari deputata, sopitus per concordiam.

An, & quando donatio facta pro erectione, seu fundatinne Monasterii resolvatur ubi fundatio, rinn sequatur, vel sequuta ulteriorem effectum, seu progressum rinn habeat, itaut bona redeant ad donatorem necne?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Distinguuntur species donationum factarum Ecclesiæ, vel Monasterio, an suppresso Monasterio cessent?*
3 *Licet in privatis ob non implementum resolvatur donatio, fallit in Ecclesia, vel pia causa.*
4 *Ubi causa, ob quam facta est donatio, est jam effectuata, sed adest pactum resolutivum in casu cessionis, quando donatio resolvatur.*
5 *Quid ubi causa non impletur, sed agitur de conditione suspensiva.*
6 *De materia regressus reservati ad favorem resignantis beneficium ob non solutam pensionem.*
7 *Purgatio moræ non datur adversus pactum resolutivum.*
8 *De altero casu, in quo ob non implementum, vel cessatam causam, resolvatur donatio facta Monasterio.*

D I S C. XII.

1 MArchio Franciscus Ursinus, ejusque uxor, prole carentes omnia eorum bona, reservato usufructu, donarunt Religioni Carmelitarum discalceatorum S. Theresiæ, ad effectum fundandi Conventum in Oppido Bracchiani, cumque post acceptatam a Diffinitorio Religionis, donationem, ac forte destinatum locum fundationis, ejusdem Religionis Superiores maturius examinatis bonorum donatorum redditibus, aliisque circumstantiis, credidissent dictam fundationem ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum, ipsiusque Religionis institutum sequi non posse, ideoque statuerint ad illam non devenire, hinc orta est difficultas, an hujusmodi bona libere, per donationis resolutionem, reverterentur ad donatores, seu penes eos remanerent, vel potius acquisita essent Religioni in universum, aut Ecclesiæ universali, & consequenter Fabricæ S. Petri, unde per Alexandrum VII. desuper aliquorum Prælatorum particularis Congregatio deputata fuit ad consulendum, seu referendum.

2 In dicta Congregatione, pro donatoribus Scribens dicebam, donationes, quæ Ecclesiis, Monasteriis, vel piis locis fiunt in plures species distinguendas esse, ad effectum dignoscendi, an, & quando destructo, vel suppresso Monasterio, vel pio loco, resolvantur necne? prima enim species est, ubi agitur de simplici, & pura donatione, nullum onus, modum, vel conditionem continente, & tunc cessante Ecclesia, vel pio loco, cui donatio facta est, non per hoc illa resolvitur, sed remanet sub dispositione Summi Pontificis, quoniam illa Ecclesia, vel pius locus consideratur solum tanquam causa impulsiva, finalis vero consistere videtur in favore animæ, ac pietate in universum, adeo ut ab initio ipsi Deo bona elargiri, & acquiri dicantur, ut ex Innoc. *in c. cum super, de causis possess. & propriet. n. 3.* ac aliis per eum relatis late prosequitur, & probat Fagnan. *in c. relatum n. 37. ne Clerici, vel Monaci.*

3 Altera donationis species est, ubi quando onus, vel modum continet successivis temporibus adimplendum, itaut præsupponatur opus jam perfectum, atque donatio jam exequuta, & effectuata, quia nempe facta donatione Monasterio constructo sub onere alendi donatorem, seu alia singulis annis, vel successivis temporibus adimplendi, ab istis cessetur, & tunc quamvis donationes, quæ fiunt privatis personis, ubi non implementum est culposum, ac voluntarium, resolvantur, quia in donatione nihil differt modus a conditione, vel saltem sit justa causa revocationis, *ad tex. in l. 1. C. de donat. quæ sub mod. l. fin. C. de revocan. donat.* Rot. *dec. 203. p. 6. rec. cum concord.* de quibus supra 4 *in Romana donationis de Andosillie disc. 9.* Attamen cessante pacto expresso resolutivo, id cessat in donationibus, quæ fiunt Ecclesiæ, vel pio loco, sed agendum solum est ad implementum, ex ea clara ratione, quod cum donatarius sit culpæ incapax, utpote sub administratore vivens, non debet istius culpa, vel negligentia sibi adeo notabile præjudicium causare, Burat. *dec. 7. n. 12.* Rojas *dec. 370. n. finali*, & habetur deductum præsertim *in Neapolitana donationis, hoc pariter tit. disc. 15.*

Tertia est (ad rem) species donationis, habens certam causam finalem, sub qua, & non alias concipiatur, istaque in duas etiam species subdistinguitur, una enim est, ubi continet conditionem resolutivam, & sic a parte postea præsupponens opus jam sequutum, ac donationem effectuatam, quia nempe donetur Monasterio constructo, vel construendo, sub ea resolutiva conditione, ut illis Religiosis recedentibus, donatio resolvatur, atque bona ad donantem revertantur, & tunc si recessus, vel alter casus in conditione positus proveniat ex facto voluntario, seu alias culposo ipsorum Religiosorum, videtur omnino verius locum esse conditioni, seu pacto resolutivo, atque bona reverti ad donantem, absque eo quod favor Ecclesiæ, vel piæ causæ quidquam operetur, quoniam dicitur deficere donandi voluntas, cujus defectum favor piæ causæ non supplet, ut pluries *sub tit. de testam.* neque Ecclesia, quæ est justitiæ, ac pietatis summa cultrix, atque aliis vivendi normam præbet, capere potest bona aliena invito Domino, ac præter istius voluntatem, aut talis recessus, seu loci suppressio provenit ex facto Papæ, ita pro bono publico Ecclesiæ universalis disponentis, & tunc licet multa dici possent, nihilominus cum essemus in Curia, atque praxis, occasione generalis suppressionis parvorum Conventuum factæ per Innocentium X. de anno 1650. contrarium doceret, idcirco, relinquendo locum veritati, admittebam firmata per Fagnan. *in d. c. relatum n. 38. cum seq.* ut donatio non resolvatur.

5 Ubi vero ageretur de altera specie donationis continentis conditionem suspensivam, ac a parte antea respicientem futurum implementum causæ finalis, sine qua donator non fuisset alias donaturus, quia nempe donetur Religioni pro Monasterio construendo, & quatenus licita constructio, cum successiva habitatione Religiosorum sequatur, & non alias, & tunc, si dictum non implementum sequitur ex ipsius Religionis facto voluntario, nulla videtur subesse causa dubitandi, cum omnino deficiat donandi voluntas, sine qua Ecclesia non potest bona aliena acquirere, vel retinere, ut communiter firmant *Canonistæ in d. c. verum, de condit. apposit.* atque pro absoluto admittitur apud omnes, de quibus *in d. Neapolit. disc. 15.* excusantes Ecclesiam, vel causam piam a caducitate, seu resolutione ob non implementum, cum favor prædictus operetur in dubio, ac ad faciendum præsumere ut implementum adjectum sit per viam modi, seu causæ impulsivæ potius, quam finalis, sed ubi donator sibi consulit de

pacto

pacto resolutivo, ideoque concurrit voluntas clara, tunc non intrant præsumptiones, vel fictiones a lege inductæ, atque non implementum non consideratur tanquam delictum pœnæ, seu caducitatis productivum, sed tanquam conditio, sub qua, & non alias donatoris voluntas fuit donandi.

Hoc autem posito, non spectatur, an id a culpa, vel a casu proveniat, sed attenditur ipsum nudum factum, ut in proposito a simili deducebam ea, quæ habemus in materia regressus, qui ad Beneficium resignatum reservetur ad favorem resignantis in casu non solutæ pensionis per resignatarium, vel successorem, quoniam ubi talis regressus est juxta
6 formam antiquam, in quandam pœnam non implementi, tunc requiritur, ut istud proveniat ex facto culposo, ac pertinacia Titularis, unde propterea justum impedimentum, seu alia causa excusat, sed ubi est juxta formam modernam per viam conditionis, tunc quia in conditionibus nudum factum spectatur, illi locus est, sive non implementum sit culposum, sive sit casuale, ut *in Theatina, seu Nullius Abbatiæ 10. Martii 1641. & 30. Mart. 1642.* cor. Bichio, *Cameram, regressus 5. Decemb. 1645. & 19. Jun. 1647. cor. Peutingerio*, & habetur pluries in sua materia *sub tit. de pensionib.*

7 Prout ponderabam ea, quæ habemus in materia canonicæ æquitatis super purgatione moræ, quæ passim admittitur adversus caducitatem, ubi consideretur tanquam pœna ex non implemento, quod consideretur tanquam delictum, sed ea non admittitur adversus pactum resolutivum in casu non implementi conceptum, quoniam tunc consideratur tanquam conditio indicativa voluntatis alias non faciendi, Grat. *discept. 786. in fine* Greg. *dec. 559. n. 6.* Adden. ad Buratt. *dec. 896. n. 5.* Rota *dec. 203. n. 19. & 20. p. 6. rec. & in aliis.*

Et in specialibus terminis cessantis dispositionis ad favorem Religionis ob non sequutam erectionem conventus juxta formam a disponente præscriptam, adducebam casum, de quo per Rotam *in Roman. hæreditatis 10. Decembris 1655. coram Albergato, & 28. Aprilis 1659. cor. Meltio*, de qua *sub tit. de fideicommissis disc. 155.* ubi de dispositione facta per testatorem ad favorem Congregationis B. Petri de Pisis pro erectione Conventus in certo loco sub conditione impetrandi dispensationem Constitutionibus Apostolicis infra certum tempus, ut eo lapso, atque conditione non adimpleta locus fieret substitutis, non obstantibus excusationibus, quoniam hæc dicitur conditio, non autem pœna, de quo etiam habetur actum *in Marsicana sub tit. de Regularibus*,

Et ideo cum in proposita facti serie ageretur de hac ultima specie donationis conceptæ sub conditione suspensiva exigente implementum a parte antea, atque illud provenisset, non a facto Principis, vel casu, dicebam videri esse in terminis indubitatis pro resolutione donationis, ac reversione bonorum ad ipsos donatores, talisque erat sensus omnium, vel saltim majoris partis Congregationis, verum adhuc opus fuit aliquam, licet satis modicam compositionem facere cum Fabrica.

8 Super eadem materia scripsi in una *Beneventana, seu Nullius* in Congregatione Reformationis Regularium pro Marchione S. Georgii, Cum enim de anno 1591. Pirrus Joannes Spinellus dicti loci Dominus, dicti hodierni Marchionis ascendens, seu auctor, ut vassallis opem in spiritualibus ferret cum erectione alicujus Conventus Regularium, convenisset cum Patre Generali Minimorum de eis donando, cum subsequuto effectu, Conventum suo ære constructum, nec non unam vineam, & quædam alia bona stabilia, & annuum redditum scutorum 100. in pecunia, & 22. tumulorum frumenti, & e converso dictus P. Generalis promisisset continuam habitationem, ac permanentiam ad minus septem Religiosorum, quorum quatuor esse deberent Sacerdotes, duas missas quotidianas celebraturi, atque prædicationibus, & confessionibus, aliisque divinis pro illius Populi adjutorio vacaturi, sub expresso pacto resolutivo in casu inobservantiæ promissorum, atque in vim dictæ suppressionis generalis parvorum Conventuum sequutæ de anno 1654. dictus Conventus fuisset suppressus, ejusqua bona
9 per dictam Congregationem aliis usibus applicata, hinc prætendebat dictus Marchio, in vim pacti resolutivi regressum ad bona prædicta, sed non fuit exauditus, nisi circa modum applicationis ad ejus instantiam variatum, ex dicto fundamento, quod non implementum non provenisset ex facto voluntario, & culposo ipsius Religionis, sed ex casu fortuito, qualis dicitur factum Supremi Principis, ubi præsertim ex causa publicæ utilitatis ita disponit ex deductis *per d. agnan. ubi supra.*

Et licet agnoscerem, quod esset contra stimulum caritatis, contrariam opinionem in Curia, & præsertim in eadem Congregatione sustinendam assumere, attamen relinquendo in hoc locum veritati, dicebam non omnino improbabilem esse actoris instantiam ex defectu applicationis dictæ conclusionis ad factum, quodque non implementum, potius culpæ Religionis tribuendum videretur, quoniam suppressio fuit solum de illis Conventibus, in quibus sustentari, ac residere non possent saltim sex Religiosi, ideoque cum in præsenti ex reciproca conventione deberent residere ad minus septem, ita suppressio proveniebat ex violatione fidei, ac non implemento ejus, quod promissum fuerat, adeout donator ex quodam spiritu prophetico prævidisse videretur casum, cui prudenter cum expresso pacto resolutivo occurrere voluit, præscribendo ex conventione illum numerum, cum quo a suppressione tutus reddebatur, prænoscens forte, si non ipsum casum, tam longo tempore postea sequutum, saltim causam illius productivam, ob regularem observantiam, ac disciplinam in parvis Conventibus deficientem; unde propterea de stricto jure videbatur factum esse casum pacti.

S U M M A R I U M.

1 *De resolutione donationis pro fundatione Monasterii.*
2 *De revocabilitate ante acceptationem.*

ANNOT. AD DISC. XII. cum seqq.

Agitur in his discursibus de resolutione donationis factæ pro erectione, seu fundatione Monasterii, quatenus erectio, seu fundatio non sequutur, de quo actum quoque habetur *sub tit. de Regular. disc. 35. & 77.* Et conferunt deducta *sub tit. de legat. disc. 44.* 1

De revocabilitate donationis ante acceptationem, an & quando procedat ultra deducta *in disc. 52.* habetur infra *disc. 23. & 57. & hoc tit. disc. 74. & sub tit. de Regular. disc. 25. & 58.* Et de incapacitate fratrum Minorum, de qua *in disc. 14. nu. fin.* habetur latius in sua sede *sub tit. de Regular. disc. 35. & 70. & tit. de legat. disc. 5.*

ROMANA CENSUS
PRO DUCE BRACHIANI,
CUM MONASTERIO S. CÆCILIÆ.

Casus pendet in Rota indecisus, vel concordatus.

De eadem materia resolutionis donationis factæ pro erectione, seu fundatione Monasterii, quæ effectum sortita non sit. Et an creditores mutuantes Religioni donatariæ pro fabrica Monasterii construendi jus, vel actionem habeant contra donatorem, & ad bona donata?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An & quando donatio facta Ecclesiæ resolvatur ex causa non implementi?*
3 *De distinctione inter non implementum circa substantialia, vel accidentalia.*
4 *Resoluto jure datoris resolvitur jus accipientis, ideoque resoluta donatione, resolvuntur hypothecæ, & onera adjecta per donatarium.*
5 *Donator tamen tenetur in eo, quod vergat in utilitatem.*
6 *An & quando donator, ad quem ex pacto resolutivo bona donata redeant, teneatur ad debita per donatarium de ejus voluntate contracta?*

D I S C. XIII.

Ad effectum, ut in Oppido Bracchiani Eremum Camaldulense construeretur, illius Dux de anno 1616. quoddam tenimentum donavit, sub quibusdam missarum, & anniversariorum oneribus, cœptaque constructione Eremi, perfectio sequuta non fuit, unde concorditer Congregatio Montis Senarii donataria instrumentum donationis restituit donatori, qui possessionem adeptus est, cumque pro dicto ædificio jam incœpto, eadem Congregatio quandam pecuniarum summam ad censum super eodem tenimento accepisset a Monasterio Monialium S. Cæciliæ, hinc illud post aliquorum annorum decursum, in vim clausulæ constituti, seu pacti de capiendo, obtinuit ab A. C. associationem ad fundum censitum, cum subsequuta etiam executione, cui se opponente Duce successore, aditaque Signatura Justitiæ, commissa fuit causa in Rota coram Bevila- 1

vilaqua, cum clausula translativa *cum facultate manutenendi quem de jure*, assumptaque disputatione super dubio, ex ipso rescripto resultante, an, & cui manutentio competeret, juxta frequentem stylum, ubi de plusquam clare unius manutenibili possessione non constet, nulla capta resolutione, mandatum fuit videri de bono jure, pluriumque annorum spatio (quod sciam) causa siluit, ac solet, nisi honesta concordia eam terminaverit.

Ultra igitur ea, quæ Judicii ordinem percutiebant, super valida, vel invalida executione dictæ associationis, unde pendebat possessorii determinatio, quatenus pertinet ad merita negotii principalis, de quibus ex commendabili Rotæ, & Curiæ stylo incidenter, & pro gustu etiam in nudi possessorii disputationibus agi solet, quamvis Scribentes pro Monasterio nimiam divagarentur in quæstione, de qua habetur *infra in Neapolitana disc.* 15. & in aliis, an
2 scilicet resolutio donationis, quæ ad terminos text. *in l.* 1. *& 2. Cod. de donat. quæ sub modo*, causatur a non implemento, intret in donationibus, quæ fiant Ecclesiis, & Monasteriis, seu piis locis, quibus Administratorum negligentiæ non de facili gravia præjudicia causat, atque cum copiosis allegationum cumulis late deducerent ea, quæ *d. disc.* 15. *& disc. præced.* brevius insinuata habentur, attamen inanis erat labor, ac superflua chartarum repletio, juxta frequens, & commune modernorum vitium, cum quæstio cessaret ex solo facto, ob expressum pactum resolutivum, potissime quia non implementum non consistebat in accidentalibus, quæ substantiam, seu causam finalem
3 donationis percuterent, at in proposito fuisset defectus non celebrandi missas, ac anniversaria, sive alia injuncta onera non adimplendi, firma remanente fundatione, sed erat circa ipsam substantiam, ac finalem, & præcisam donationis causam, erectionis scilicet Eremi formaliter, & cum effectu, non autem cum initio fabricæ materialis postea derelictæ, quo casu etiam de jure locus esset resolutioni, ex iis, quæ habentur *disc. præced.* multo magis accedente expresso pacto resolutivo.

Quare punctus consideratione dignus erat, ne posita etiam donationis resolutione, hypotheca per donatarium contracta, rem hypothecatam afficeret, quamvis ad donatorem redierit, atque in hoc dicebam, regulam assistere donatori, juxta satis vulgarem, ac receptam propositionem deductam ex dispositione text. *in l. lex vectigali, ff. de pignor.* de qua frequenter apud feudistas, ac in sua materia *sub tit. de feudis* pluries, ac etiam *sub tit. de emphyteusi, & sub tit. de servitut. disc.* 22. ut resoluto jure datoris, re-
4 solvatur jus acceptoris, & consequenter evanescant hypothecæ, servitutes, aliaque onera per intermedium rei devolutæ possessorem absque Domini assensu puro, non autem conditionato, suique præjudicii præservativo adjecta, quod etiam sub *tit. de emptione, & venditione*, ac etiam sub altero *de servitut. ad materiam retractus* pluries habetur in proposito resolutionis hypothecarum, aliorumque onerum per intermedium possessorem adjectorum, sequuto retractu legali, vel conventionali, cui possessor subjacebat.

Tunc autem (reflectendo etiam ad solam veritatem) dicebam quod actori aliquod jus, non tamen in intentato judicio, sed in diverso, competere potuisset, quando ædificium, pro cujus constructione controversa pecunia ad censum capta erogata erat, aliquam possessori pareret utilitatem, cum tunc ex æquitate textus *in l. si me & Titium,*
5 *ff. si certum petatur*, sive ex altera æquitativa actione *de in rem verso* contra ipsum donatorem ita foventem causam lucrativam, saltem subsidiaria competeret actio ad quanti interest, ex iis quæ habentur *d. disc.* 22. *de servitut.* & plenius ad hanc materiam actionis *de in rem verso in Romana pecuniaria de Vincentinis, sub tit. de credito*, & alibi, id autem Judicis officio, ac in judicio ordinario, ex legis potius quam hominis dispositione, non autem in vim hypothecæ, vel clausularum adjectarum a donatario jam annihilato, cum dicta resolutione ad suum initium retroactiva, omnesque intermedios actus inficiente, ac si gesti non essent, verum juxta ea, quæ per causæ Patronum in facto præsupponebantur, hæc inspectio cessabat, dum nulla exinde utilitas reportabatur.

6 Difficultatem aliquam Mihi inferebat consideratio, quod cum dictum ædificium construi cœptum esset in executionem voluntatis donatoris, ac pro assequendo fine per eum volito, pro quo tale ædificium omnino necessarium erat, ita dici posset ut debitum contractum esset de ipsius donatoris voluntate, ac assensu, quo concurrente, ipsa res quamvis resoluto jure possessoris devoluta sit, affecta remanet ex iis, quæ pluries deducta habentur in dicta utraque materia *de feudis, & de emphyteusi*, verum non videbatur considerabilis, quoniam dicta conclusio procedit, quando Dominus assensum præstat debito, quod recte scit, ac agnoscit esse perpetuum, & realem, ipsam rem afficiens, atque post devolutionem quoque duraturum, tunc enim nisi de clausulis præservativis sibi consulat, recte dici potest, quod sibi imputet, secus autem ubi ignoret debitum contrahi, cum animus trahi non possit ad ignorata, quamvis etenim donando tenimentum ad finem erectionis Eremi, cogitare potuerit ac debuerit, id sequi non posse absque impensa, quæ necessaria est in ædificio, non tamen exinde resultat cogitasse ad debitum ex hujusmodi causa contrahendum, illudque approbasse, cum potius credere debuerit id ab ipsa Congregatione donataria de proprio, sive ex piorum eleemosynis faciendum esse; alias enim de facili feudales, vel emphyteuticæ, aut livellariæ devolutiones eludi possent, quando bona conceduntur ad fabricandum, seu meliorandum cum pacto devolutionis etiam melioramentorum in casu lineæ finitæ, sive alterius conventionis, dum, ita emphyteuta, vel livellarius, quamvis non indigens, affectate contrahere posset debita pro faciendis melioramentis, ad quæ tenebatur, ideoque excepta dicta actione æquitativa *de in rem verso*, (quatenus in facto verificaretur) aliam non credebam competere actionem.

SYPONTINA DONATIONIS PRO PP. SOCIETATIS JESU: CUM PP. CÆLESTINIS.

Casus disputatus cor. A. C. & in Signatura resolutus, ut infra.

De eodem, an scilicet, & quando donatio facta pro erectione futuri Monasterii, dicatur inter vivos & irrevocabilis, vel potius causa mortis, & revocabilis, & an resolvatur ob conditiones in tempore non impletas?

De donatione facta absenti, an sit revocabilis ante acceptationem, & de donationis excutione, atque manutentione, quæ ex constituto competat donatario?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In vim constituti competit donatario manutentio.*
3 *An constitutum faciat dictam operationem, ubi donatio est de bonis incertis?*
4 *Constitutum collatum in tempus mortis, an operetur?*
5 *Quomodo procedat conclusio, quod clausula constituti, & alia tanquam accessoria pendent a validitate actus principalis.*
6 *Etiam in possessoriis, & executivis Curia Romana solet gustare de meritis negotii principalis.*
7 *An sit donatio causa mortis, vel inter vivos remissive?*
8 *Etiam donatio ad pias causas resolvitur ob non implementum, ubi adest pactum resolutivum.*
9 *Facultas administrandi donatori reservata, an arguat donationem esse causa mortis, vel inter vivos.*
10 *De donatione facta absenti, ut sit irrevocabilis, quamvis non transferat dominium.*
11 *Secus favore piæ causæ.*
12 *Quid ubi donatio non est mere lucrativa, sed habet admixtum aliquod onus?*
13 *An quilibet Religiosus non Superior possit acceptare donationes præsertim onerosas factas Religioni?*
14 *De capacitate, vel incapacitate Minorum Sancti Francisci acquirendi donationes, & an istæ sint revocabiles?*

DISC. XIV.

PEtrus Borsa Civitatis Manfredoniæ, prole carens, per 1
publicum instrumentum, præsentibus Episcopo Trojano, ac duobus PP. Societatis Jesu ad illas partes transmissis pro faciendis missionibus, juxta eorum Institutum, ex tunc donationis titulo irrevocabiliter inter vivos, omnia ejus bona donavit dictæ Societati, ad effectum erigendi Collegium in prædicta ejus Patria, sub diversis oneribus, & conditionibus, et præsertim, quod dicto Collegio non fundato infra triennium ex dd. PP. voluntate, seu culpa, donatio habenda esset pro resoluta, & non facta, quodque ipsi donatori re-

se-

servata conferetur libera facultas administrandi bona dona-
ta, expressa declaratione adjecta, quod per mentionem mor-
tis non censeretur donatio ex ejus causa facta, sed solum
pro simplici exequutione, triennio autem adhuc non elapso,
superventa ejusdem donatoris morte, per sex menses ante-
quam illud expirarat, testamentum condidit, in quo præ-
via declaratione resolutionis dictæ donationis ob non im-
pletas conditiones, illamque ex iis omnibus viis, ex quibus
liceret, revocando, hæredem instituit Josephum Borsam ejus
germanum fratrem Monachum Congregationis Cœlestinæ,
ipsumque Monasterium Cœlestinorum existens in Civitate
prædicta, cumque dictus hæres de facto præoccupasset natu-
ralem possessionem bonorum hæreditariorum, hinc ex parte
PP. dictæ Societatis in vim clausulæ constituti contentæ in
dicto instrumento donationis, institutum fuit coram A. C.
judicium manutentionis, quod hodie receptum est exerce-
ri posse per constitutarium contra constituentem, vel haben-
tes causam ab eo, etiamsi titulo singulari, quoniam clau-
2 sula prædicta transferre diciter civilem, ac naturalem pos-
sessionem manutenibilem, et ultra generalia, in specie ma-
nutentionis dandæ donatario ex dicta clausula, Rota apud
Post. *de manut. dec. 99. & 100. In Bonon. bonorum de Feli-
cinis 10. Junii 1650. cor. Bichio, Ariminen. donationis 18. Mar-
tii 1654. cor. Dunozetto*, inter suas *dec.* 951. & sæpius, & quam-
vis aliquando dubitatum sit, an dicta clausula hujusmodi
operationem faciat, quando adjecta non est certæ rei, sed
universitati bonorum ratione incertitudinis, nihilominus est
3 pariter recepta affirmativa, cum dubitatio prædicta cadat
in casu incertitudinis super certa re, quia nempe quis donet,
obliget, vel vendat decem jugera terræ e a centum quæ in ta-
li loco possideat cum similibus cum tunc incertum sit ex qua
parte præstanda sint, & cujus qualitatis, unde constitu-
sum suam operationem facere non potest, ex deductis per
Surd. *cons.* 221. *nu.* 56. Rot. apud Duran. *dec. 49. dec. 373.
par. 9. rec. Bonon. bonorum de Amorinis* 11. *Maji* 1654. *coram
Bichio & in aliis*.

Prout licet Scribentes pro dictis Cœlestinia impugnarent
efficaciam ejusdem clausulæ, utpote collatæ in tempus mor-
tis, & sic in tempus inhabile, quando constituens, consti-
4 tutarii nomine possidere non poterat, adhuc tamen facilis
erat responsio ex clausula *ex nunc pro tunc*, per quam in Foro
passim receptum est, hujusmodi objectum evitari, ut in spe-
cie donationis Ann. *singul. 156. & in allegatis Bonon. de Fe-
licinis, & Ariminen.* ac generaliter Buratt. *dec. 179. nu. 8. &
5 in aliis supra allegatis ex cons. Oldrad.* 114.

Dicebatur item, clausulam prædictam tanquam accesso-
riam corruere, quoties ipse actus principalis corrueret, ideo-
que agi non posse de illius executione, seu operatione, nisi
prius judicetur super ipsius donationis validitate, ac subsi-
stentia, cum ita esset incipere ab executione ante judica-
tum, verum Scribens pro donatariis actoribus dicebam, pro-
positionem esse in suo casu veram, male tamen applicatam
ad controversam facti speciem, illa enim procedit, quoties
instrumentum, seu alia scriptura, in qua dicta clausula adje-
cta est, aliquod contineret vitium intrinsecum, seu alias in-
continenti appareret de ejus defectu, in quo opponens fundatam
intentionem haberet absque alia extrinseca probatione, qua
potius indigeret altera pars, quæ actus validitatem præten-
dit, itaut exceptio sit clara, replicatio autem turbida, &
in his terminis recte procedit dicta propositio, cum vitium,
seu turbiditas actus principalis influat in omnes clausulas in
eo contentas tanquam accessorias jure sui principalis regu-
landas, secus autem ubi actus ex sui facie validus appa-
ret, prætenditur tamen invalidus ob extrinsecos defectus,
altiorem indaginem postulantes, quoniam tunc pendente
discussione super prætensa donationis nullitate, interim non
retardatur ejus exequutio, atque clausulæ suam faciunt
operationem *Aen. d. singul. 156. Magon. dec. Lucen. 87.* Bu-
ratt. *dec. 149. nu. 9. & in allegatis Bonon. de Felicinis coram
Bichio, & Ariminen. coram Dunozetto*. Prout Judex super
hoc puncto nullam habuit difficultatem, sed tota restricta
fuit ad merita negotii principalis.

Licet enim Ego pro actoribus insisterem, ut exceptiones
6 rejici deberent ad petitorium, atque retardare non deberent
dictum judicium summarium, & exequutivum, seu alte-
rum associationis ejusdem naturæ, & privilegii, quod com-
petebat in vim facultatis capiendi propria auctoritate, quan-
do in constituto, ac judicio manutentionis aliqua haberetur
difficultas, ex deductis *per Magon. d. dec.* 87. cum aliis allega-
tis, nihilominus Curiæ stylus est, etiam apud Judices infe-
riores gustandi de meritis, quamvis in processu exequutivo
ageretur, sine illius præjudicio, cum ita practicet Signatura,

a qua pendet resolutio, an exequutio decernenda sit necne?

Assumpta igitur disputatione in meritis, Scribentes pro
Reo dicebant, quod hujusmodi donationis substantia collata 7
esset post mortem, ideoque potius causa mortis, ac revoca-
bilis censenda esset, transcribendo adamussim fundamen-
ta, & auctoritates, quæ in proposito, per viam objecti, an
pro ratione dubitandi habentur deducta apud Merlin. *dec.*
664. alias *dec. 9. par. 7. rec. & in Melevitan. hæreditatis 17.
Decembris 1646. coram Rojas* inter suas *dec.* 314. Verum fa-
cilis erat responsio, tum ex iisdem decisionibus, in quibus
mutuata objecta diluuntur, tum clarius ex facto, dum litte-
raliter in donatione dicitur, ut mentio mortis pro sola tantum
exequutione adjecta censeretur, non alterata qualitate do-
nationis inter vivos, unde propterea in claris omnes præsum-
ptiones, & argumenta cessabant, ad quotidianam regulam
text. in l. ille aut ille, ff. de legat. 3.

Opponebant item de resolutione ob non impletas in tem-
pora conditiones, quodque dum aderat pactum expressum
resolutivum, cessabat privilegium Ecclesiæ, seu causæ piæ,
de quo *in Neapolit. donationis disc.* 15. & in aliis *hoc eod. tit.*
Verum quamvis Ego non impugnarem juris propositionem,
de qua *in Romana donationis, disc. 13. & in aliis hoc eod. tit.*
Adhuc tamen dicebam cessare applicationem ex facto, dum 8
conditio resolutiva adjecta erat in solo casu voluntariæ negli-
gentiæ in fundatione Collegii infra triennium, ideoque,
ultra plures facti circumstantias, quæ per causæ Patronum,
adducebantur, ad negligentiam, & culpam excusandam suf-
ficiebat dicere quod adhuc durarat terminus præfixus, ut
omnis culpa, vel negligentia cessaret.

Minusque alicujus considerationis erat alterum objectum 9
donationis causa mortis deductum ex reservata facultate
administrandi in vita, quoniam id potius evidenter con-
vincebat perfectionem ab initio, eo modo quo operatur
reservatio ususfructus, dum implicat aliquem eodem tem-
pore esse Dominum, & simplicem administratorem, atq;
administrandi facultate indigere, ipsumque pactum resolu-
tivum convincebat, donationem esse inter vivos perfectam,
& irrevocabilem, cum alias hujusmodi pacta incongrua
sint donationibus causa mortis quandocumque ad libitum
revocabilibus.

Tota igitur difficultas restricta fuit ad defectum accepta-
tionis, quam Scribentes pro Reo omnino necessariam dice-
bant in ea donatione facta absenti, quæ causam onerosam 10
contineat; licet enim magis communis, ac recepta sit propo-
sitio, ut donatio, quamvis absenti facta, sit irrevocabilis,
ac excludat pœnitentiam, etiam ante acceptationem, quæ so-
lum necessaria est ad effectum acquisitionis dominii, ubi
præsertim accedunt juramentum, ac notarii stipulatio, ex
deductis apud Rojas *dec. 314. num. 20. dec. 12. p. 1. rec dec. 27.
part. 7. dec. 189. & 194.* post Zacch. *de oblig. Camer. & in
aliis*, de quibus infra, in quibus de materia.

Fortius autem ubi agitur favore Ecclesiæ, vel piæ causæ,
pro qua Deus ubique præsens acceptare, ac stipulari dicitur, 11
ut *in Baren. donationis 5. Aprilis 1647. cor.* Dunozetto inter suas
dec. 773. Romana legati 22. Junii 1650. cor. Corrado, & sæpius,
ac habetur in aliis *hoc tit.* dictæque conclusiones utpote rece-
ptæ per Scribentes in contrarium non controverterentur.

Nihilominus dicebant, id procedere in donationibus
gratuitis, & lucrativis, quas certum est per donatarios re- 12
spuendas non fore, cum nudum lucrum, & utilitatem
importent, secus autem in onerosis, quoniam cum illæ spe-
ciem habeant contractus correspectivi, seu innominati, do
ut des, seu, do ut facias, hinc donec altera pars acceptet,
quia potest non acceptare, ac sibi non expedire, locus est pœ-
nitentiæ, ut firmatur *d. dec. 27. par. 7. rec.* & supponitur *d.
dec.* 314. apud Rojas *n.* 21.

Ex pluribus autem tollebatur objectum, primo quia facta
erat præsentibus, & acceptantibus duobus ejusdem societa-
tis Religiosis occasione missionum ibi existentibus, ut supra,
licet enim non essent Superiores, vel Officiales, ad quos ra-
tione officii incumberet hujusmodi acceptationes facere, di-
cebam tamen quemlibet Religiosum acceptare posse ad favo-
rem Monasterii, vel Religionis, in terminis Seraphin. *dec.*
724. *num.* 9. Verum de hac responsione dubitabam, quo-
niam recte procederet in donatione simplici mere gratuita,
secus autem in onerosa, & correspectiva, ubi potissime
agitur de onere erectionis novi Collegii, quam prævio ma-
turo consilio ad solos Superiores majores pertinet determi-
nare, an facere expediat necne?

Secundo respondebam, conclusionem in objectum dedu-
ctam recipiendam esse, ubi agitur de donatione facta priva-
to, secus autem Ecclesiæ, vel causæ piæ, licet enim *San-
chez*,

chez. Lugo, & cæteri Morales communiter teneant, etiam in donationibus factis Ecclesiæ, vel piæ causæ, ad effectum irrevocabilitatis, requiri acceptationem, neque operari juramentum, quod regulatur a natura actus, & juxta eam interpositum censetur, attamen Juristæ contrarium tenent, & hæc opinio in Foro recepta est, ex deductis per Tiraquell. *de privil. piæ causæ*, *cap*. 115. ubi Ricc. & Thor. *in addit*. Cavaler. *dec*. 606. *n*. 10 Duran. *dec*. 364. Seraph. *dec*. 724. *n*. 8. Rota *in Dicta Baren. donationis* 5. *Aprilis* 1647. *coram Dunozetto* inter suas *dec*. 773. *& Romana legati* 22. *Junii* 1650. *coram Corrado*, in quibus in specie reprobatur opinio *Sanchez*, & aliorum Moralium, & in specialibus terminis donationis factæ pro constructione Monasterii, cæteris allegatis Jo: Andr. de Georg. *alleg*. 3. Tondut. *qu. beneficial*. 83. *num*. 10.

Verum adhuc intrare videbatur difficultas insinuata in præcedenti responsione, quod scilicet ratio præsumptæ acceptationis, quæ isto casu fieri dicitur per Deum ubique præsentem, procedat in donationibus puris, & lucrativis, non in illis, in quibus ista præsumptio non de facili intrat, cum possit onus esse gravius emolumento, ac non expedire, nisi dicatur in hoc attendi privilegium claudicationis, quod de jure competit Ecclesiis, & piis locis, ut habetur in alienationibus quæ fiunt sine solemnitatibus, dum Ecclesia potest pœnitere, & non stare contractui, quod alteri Pasti non conceditur contra Ecclesiam volentem.

Tertio melius, quod dicta conclusio procedit, ubi onus est talis naturæ, quod potest superare emolumentum, itaut adsit possibilitas, quod donatarius remaneret damnificatus, suique patrimonii jacturam faceret, secus autem ubi onus respectu emolumenti est minus, itaut certum sit donatarium semper esse in utilitate, absque periculo damni, & jacturæ in bonis propriis, cum tunc donatio lucrativa censenda sit, ideoque intrat præsumpta acceptatio, ut explicando *d. dec*. 27. *p*. 7. *rec*. bene firmatur *in Reggien. bonorum* 23. *Februarii* 1647. & melius 23. *Januarii* 1647. *coram Corrado*, quarum prima est *dec*. 387. *p*. 9. *rec*. & habetur etiam apud Cancer. *lib*. 1. *variar. tit. de donat. cap*. 8. *n*. 49.

Clarius autem hanc responsionem veram in hac facti specie credebam, quoniam non agebatur de oneribus estrinsecis, atque a donatarii instituto extraneis, unde pro eis impendia de propria crumena facere oporteret, sed de intrinsecis, & connaturalibus, qualia etiam non expressa subintelligebantur, celebrationis scilicet missarum, ac retentionis scholarum pro publico bono, quoniam etiamsi pure, ac simpliciter donatio facta fuisset, id ratione Instituti subintelligebatur, omnesque donationes, quæ fiunt Religiosis, vel Ecclesiis, implicitum habere videntur hoc onus orandi, & divina faciendi pro benefactoribus, bonaque donata erogandi in pios, & religios usus, adeout adesse non dicatur ea libera profundendi facultas, etiam in malum usus, quæ adesse dicitur in privatis, quibus libere donatum est.

Et demum quarta erat melior responsio facti, quod ea epistolis Præpositi Generalis eidem donatori directis, & ea aliis probationibus constabat de acceptatione, quam etiam per adminicula, & conjecturas probari posse plene firmatur in allegata *Reggien. coram Corrado*, atque justa præmissa pro donationis executione judicatum fuit, Signatura Justitiæ etiam probante, licet judicatum suam exequutionem non habuerit, quoniam immuratis quibusdam facti circumstantiis, Superiores Societatis, mutato consilio abstinuerunt a prosecutione, credentes dictam erectionem Collegii non expedire.

Consimilem controversiam habui in primis diebus Curialitatis assumptæ in Urbe in Tribunali Fabricæ in una *Nullius Baren*. loci Fasani pro PP. Capuccinis; cum enim quædam Lucretia Pistoja donationem omnium ejus bonorum fecisset ad effectum construendi in dicto loco Conventum Capuccinorum, ac deinde donationem prædictam revocasset in testamento, in quo hæredes instituit duas ejus filias maritatas, & congrue dotatas, introducta causa in Congregatione Fabricæ Urbis, post tres sententias latas in Tribunali Fabricæ Neapolis, quarum prima, & tertia erant pro exequutione donationis, secunda vero intermedia erat revocationis canonizatoria, in disputatione restringebatur difficultas ad duos punctos, unum jam dictum revocabilitatis re integra, & ante donatarii acceptationem, alterum vero incapacitatis tam in particulari, quam in communi Religionis Capuccinorum.

Super primo fuerunt deducta eadem, de quibus supra, cum totum hæredum fundamentum constitueretur in auctoritate Moralium, quorum opinionem dicebam in Foro receptam non esse, præsertim ubi copulative concurrunt favor causæ piæ, & juramentum, cum ita dupliciter donator Deo obligari dicatur, ut in supra allegatis auctoritatibus, & decisionibus, & bene in proposito juramenti comprobat Mant. *de tacit. lib*. 2. *tit*. 13. *n*. 22. *cum seq*. ubi *n*. 15. *& seq*. agit etiam de privilegio causæ piæ.

Major difficultas erat super altero motivo incapacitatis donatariorum, dicebant enim Scribentes in contrarium, talem
donationem, vel esse a principio invalidam, vel saltem re- 14
vocabilem, & validam, durante voluntate donatoris per test. *in cap. exiit, de verb. signific. in 6. & Clementina exivi, eodem titulo*, respondebam tamen id procedere, quando per dantem exprimitur modus dictis Religiosis illicitus, & secundum quem eis recipere non licet, quia nempe detur vinea, vel ager ad colendum, seu domus ad locandum ad effectum percipiendi reddituS, ea quibus ipsi Religiosi vivere debeant, cum hoc repugnet Institutum, secus autem ubi dantur bona ad affectum, ut pretium convertatur in ædificia Conventus, vel Ecclesiæ, sive pro sustentatione Infirmariæ, pro utensilibus sachristiæ, & similibus, quæ obtineri non possunt cum ostiaria quotidiana mendicitate, neque percutiunt ipsorum Religiosorum victum, & sustentationem, ut per Bart. *cons*. 5. *nu*. 3. *lib*. 1. *& in tract. minoricarum lib*. 1. *distinct*. 4. *cap*. 2. Abb. *cons*. 63. *nu*. 4. *par*. 2. Frider. de Sen. *cons*. 12. *nu*. 4. Sanch. *oper. moral. tom*. 2. *lib*. 2. *cap*. 26. *nu*. 42. *& cæteri* apud Merlin. *dec*. 456. alias 365. *par*. 5. *rec*. ubi plene, *& in d. Romana legati* 22. *Junii* 1650. *coram Corrado*, unde cum dicta donatio esset pro constructione Conventus, eramus in casu limitationis.

Et licet *in d. cap. exiit*, §. *seq*. expresse disponatur, quod etiam in casu, quo licite dari potest, adhuc datum remaneat in dominio dantis, cum facultate revocandi, nihilominus dicebam textum prædictum in hac parte loqui de pecunia numerata, cujus usus dictis Fratribus omnino interdictus est, quoniam in ea practicabile non est dominium Ecclesiæ universalis, idcirco vel de facili fieret fraus regulæ, ut inducatur in istis Religiosis usus pecuniæ, bene disponitur eam remanere penes dantes, secus autem ubi agitur de bonis præsertim stabilibus, in quibus hæc ratio non viget, atque ita judicatum fuit, sed ob insufficientiam bonorum, ac fortius ob superventam Constitutionem *Innocent*. X. anni 1650. erectio effectum non habuit.

NEAPOLITANA DONATIONIS PRO PP. B. JOANNIS DEI

C U M

FRANCISCO FUSCO, ET CONSORTIBUS.

Casus decisus per Rotam pro PP.

De resolutione donationis, quæ fiat contemplatione ingressus in Religionem, quatenus non sequuta professione, sequatur egressus, & quid ubi pactum accedat, ut egressu non obstante, donatio firma sit, an hujusmodi donatio facta ante susceptionem habitus Monastici, solemnitates exigat, & quas? Et an donatio facta Ecclesiæ, vel piæ causæ resolvatur per non implementum, & remissive, an hujusmodi donationes resolvantur, si sequuta professione, Religiosus exeat a Religione occasione Episcopatus, sive occasione transitus ad aliam Religionem, seu aliud Monasterium?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series*.
2 *In donationibus ob futurum ingressum Religionis in statu sæculari, an requirantur solemnitates præscipta per S. C. T. de affirmativa*.
3 *Contrarium verius*.
4 *An requirantur solemnitates requisita de jure communi, vel ex jure municipali?*
5 *Quando, vel una, vel altera species solemnitatum requiratur*.
6 *Valet pactum irrevocabilitatis etiam in casu egressus a Religione*.
7 *De ratione ob quam solemnitates statutaria in his donationibus non requirantur*.
8 *Resolutio donationis ob non implementum non procedit in donatione facta Ecclesiæ, vel pia causa*.

9 *De donatione facta intuitu ingressus in Religionem pro pupillis; an possit sustineri?*
10 *An Religioso egrediente a Religione occasione Episcopatus, resolvatur donatio facta ob Religionis ingressum, & quid suppressa Religione, remissive?*
11 *Et quid Religioso professo transeunte de uno Monasterio ad alterum, vel de una Religione ad aliam, pariter remissive.*

D I S C. XV.

1 VOlens Scipio Bifulcus ingredi religionem B. Joannis Dei in Hospitali B. Mariæ Pacis Neapoli, dum adhuc laicus esset, eidem Hospitali donationem inter vivos irrevocabilem fecit de omnibus ejus bonis, ea lege adjecta, quod ubi de Religione egrederetur, itant professionem non emittendo, ad statum sæcularem reverteretur, adhuc donatio effectum sortiri deberet, firmo tamen, isto casu, remanente dictorum bonorum usufructu, ejus vita durante, & cum obligatione dictorum PP. eidem præstandi habitationem, aliaque suppeditandi. Eo autem intra annum probationis dimittente habitum, (quem in dicta Religione post donationem assumpsit) ac pœnitens, tam ex cessante dicta causa finali; quam ob non servatas solemnitates a Sacr. Concil. Trid. præscriptas, etiam ob inobservantiam promissorum, prætendere cœpit dictæ donationis nullitatem, vel resolutionem, atque post aliquas controversias in partibus, introducta causa in Rota *cor. Rojas, sub die 8. Junii* 1648. ad favorem dictorum PP. contra dicti Scipionis interim defuncti hæredes, vel alios ab eo causam habentes, prodiit resolutio, ut liquet *ex dec. 370. inter ejus impressas*, ad cujus limites lata fuit sententia transacta in rem judicatam, adversus quam post plures annos commissa fuit causa restitutionis in integrum *in eadem Rota coram Bevilaqua*, coram quo *sub die 27. Februarii* 1654. Hospitali tantum informante, ad istius favorem pariter responsum fuit, non constare scilicet de causis restitutionis in integrum, sed potius de re judicata, ob prioris sententiæ justitiam, atque tentante altera parte eandem restitutionem in alia instantia *coram Cerro, sub die 4. Junii* 1655. pariter rejecta fuit, unde vel acquievit, vel aliqua concordia litem terminavit, dum de illa amplius actum non fuit.

2 Præcipuus punctus, ob quem hæc donatio prætendebatur nulla, consistebat in eo, quod servatæ non essent solemnitates præscriptæ per *S. C. Trid. sess. 25. cap. 16. de Regular.* quas etiam necessarias esse, ubi donatio fiat per ingressurum, antequam habitum susceperit, ac in statu novitii constitutus fuerit, quoties expressa mentio facta est futuri ingressus, quodque illius intuitu donatio fieret, tenent Less. Navar. Paris. Guttier. & cæteri plene congesti *in Romana donationis coram eodem Rojas, decis. 91. num. 3. repetit.* apud Marin. *resolut. 196. tom. 2.* & quam tenuit Rota *dec. 586. part. 5. rec. & in aliis*, in quibus auctoritatibus se fundabant pro altera parte Scribentes.

3 Sed facilis fuit resolutio in contrarium, cum enim iste articulus usque ab anno 1640. fuisset fortiter discussus in superius allegata *dec. 91. coram Rojas*, in ea ex declarationibus Sac. Congregationis Concilii, & ex aliorum auctoritate verius firmatum fuit, dictas solemnitates solum requiri in donationibus, vel aliis dispositionibus, quæ fiunt per novitium, & dum est intra Religionis septa in statu monastico, secus autem ubi ante ingressum, ac in statu laicali, de qua etiam opinione late habetur collectum apud Add. *ad d. dec. 586. n. 22. p. 5. rec.* & Altogr. *cons. 35. n. 9. & 36. n. 1. l. 1.* atque cum hac opinione hodie vivitur in Curia.

Ego in secunda, & tertia disputationibus *coram Bevilaqua, & Cerro* scribendo pro Hospitali donatario, more Advocati præmissa deducebam, exagerando ita punctum esse jam decisum, verum licet in obsequium determinationum Sac. Congregationis, ac Rotæ, quando casus daret occasionem judicandi, vel consulendi ad veritatem, forte ab ista opinione recedere non auderem, attamen intellectus ei acquiescere non videtur, cum non percipiam probabilem rationem, quæ illum captivet, siquidem id assert non posse videtur ex ratione comprehensionis illius casus sub decreto Concilii, quoniam cum Concilium loquatur de uno casu, trahendum non est ad alterum, aliquam diversitatis rationem habentem.

4 Probabilius autem, magisque fundate dici potest, quod hujusmodi donationes, vel dispositiones, quæ fiunt per ingressuros Religionem, quamvis in statu laicali existentes, subjacere non debeant solemnitatibus a jure communi civili, vel statutario præscriptis, quamvis non ad Monasterii, sed ad aliorum favorem fiant ob disponendi libertatem, quæ concedenda est habentibus hoc propositum ad text. *in §. illud, auth. de Monach. & cap. de his, de sepulturis*, & tradunt communiter DD. de quibus Manent. *cons. 58.* Sanch. *ad præcepta Decalogi, lib. 7. cap. 6. nu. 19. & 20.* Barbos. *in Collect. ad Concil. d. sess. 25. cap. 6. n. 35.* atque hanc tenuit Rota apud Buratt. *dec. 461.* pluries approbata, præsertim *in Romana fideicomm. de Cosciaris 16. Martii* 1648. *cor.* Corrado *dec. 161. n. 7. & seqq. par. 10. rec.* & apud Dunozett. *dec. 951. & 954. & in aliis.*

Verum ita resultaret, quod imprudens adolescens, in ea via, quam sapiens sibi prorsus ignotam dixit, ignorando 5 quid agat, sine aliquo freno, vel consilio, posset ita se omnibus bonis spoliare, ut deinde invitus cogeretur in statu religioso persistere, ne alias fame periret, vel miserabilem vitam duceret, quæ est principalis, ac potissima ratio, ob quam Sac. Concilium dictas solemnitates induxit, ideoque omnino probabilior videtur antiqua opinio, ut vel solemnitates a S. Concil. Trid. vel statutariæ adhiberi debeant, ob rationis identitatem, & ne alias utraque solemnitate non requisita, dictum nimis clarum absurdum resultet.

Potissime, ac (pro meo judicio) indubitanter, ubi donatio contineat pactum expressum irrevocabilitatis, etiam in 6 casu, quo non sequeretur ingressus, vel eo sequuto, sequeretur etiam egressus, cujus pacti validitatem canonizavit etiam Rota in dictis hujus causæ decisionibus, & in allegata *Romana donationis coram Rojas*, in quibus concordantes. Ratio enim, in qua potissime fundantur *dec. 461.* Buratt. ac auctoritates ibidem allegatæ, necnon dictæ aliæ decisiones, præsertim *d. dec. 161. p. 10. rec.* (quæ in materia renunciationum, quas faciunt puellæ Monasterium ingressuræ, est satis copiosa, & reputari solet in Curia magistralis) ea est, quod hujusmodi donationes, ob revocabilitatem, seu resolutionem in casu non emissæ professionis, tanquam ex cessante causa assimilantur donationibus causa mortis, earumque jure regulantur, ideoque donationes causa mortis non exigunt solemnitates, quia ob revocabilitatem, nullum inferunt 7 gravamen, vel præjudicium. Et propterea quando dicta ratio cessat, corruere videtur totum dictæ opinionis fundamentum, ideoque in præsenti causa, in qua dictum pactum accedebat per Rotam canonizatum, quamvis obtinuerim, attamen intellectus non omnino acquievit resolutioni, circa hujus ultimæ conclusionis veritatem, cum hujusmodi pacta probabiliter ex Notariorum formulis, vel studiosis donatariorum cautelis, quæ imprudentibus adolescentibus ignotæ sunt, adhiberi soleant, & ad quem effectum, vel Statuta, vel Concilium solemnitates introduxerunt, licet in Regno Neapolitano nulla desuper habeatur provisio, nisi ea, quam jus commune dedit.

Altera vero prætensio donatoris, seu habentium causam ab eo, super resolutione donationis ratione inobservantiæ promissorum, rejecta fuit, ex eo quod dispositio text. *in l. 1.* 8 *C. de donat. quæ sub mod.* locum non habet contra Ecclesiam, vel piam causam, ad quam solum agendum est ad quanti interest implementum sequutum esse, ex deductis per Burat. *dec. 7. n. 12.* cum aliis in hujus causæ decisionibus, præsertim prima *coram Rojas in fine*, & in hac parte resolutio placuit, beneque fundata visa est, non solum quia non implementum negabatur in facto, quod sequutum esset culpa Hospitalis donatarii, sed potius culpa ipsius donatoris, illud vel recusantis, vel negligentis recipere.

Sed etiam in puncto juris, quoniam cum Ecclesia, vel pia causa non possit per se ipsam tanquam res inanimata ejus bona administrare, ac obligationes sibi incumbentes implere, hinc proinde ubi agitur de pœnali caducitate, subjecta esse non debet tam gravibus præjudiciis ex sola culpa, vel negligentia administratorum, neque cadit illa ingratitudinis, vel culpæ ratio, quæ vigat in ipso principali donatario.

Stante autem dicta conclusione, ut volentibus ingredi Religionem, concedenda sit omnimoda disponendi libertas, absque alia solemnitatum subjectione, adeo crevit leguleicorum indiscretio, ut in una *Senen. donationis* disputata coram A. C. inter PP. Olivetanos S. Benedicti Senarum, & Julium Cæsarem de Sanctis, super validitate donationis, seu renunciationis factæ per Bernardinum de Pucciuellis in dicta Religione professum, intuitu ingressus in eam ad favorem fratrum, dum adhuc esset in pupillari ætate, cum occasione successionis ab intestato Dionysii alterius defuncti ex dictis fratribus donatariis, in quo alia bona fratrum prædefunctorum consolidata erant, Ego scribens pro Monasterio allegarem dictæ donationis nullitatem, non ex defectu solemnitatum, sed ex illo voluntatis, quæ in pupillo perfecta

9 non datur ad disponendum de bonis suis, etiam per viam ultimæ voluntatis, replicarent Scribentes in contrarium, ut favor Religionis hunc etiam defectum supplere debeat, ex auctoritatibus supra allegatis, quarum plures agunt etiam de minori, de quo in specie donationis, vel renunciationis factæ dicto intuitu futuri ingressus habetur apud Borsiglier, *de success. ab intest. theor.* 82. majusque fundamentum constituebatur *in cons.* 199. Romani, ubi quod per Statutum pupillus habilitari potest ad testandum.

Verum ista prætensio videbatur meo judicio prorsus vana, quoniam favore piæ causæ, vel Religionis, circa solemnitatum suppletionem, non datur in jure magis explicitum privilegium, quam illud disponendi per ultimam voluntatem ad text. *in cap. relatum il secundo, de testamentis*, & tamen passim receptum est, hunc favorem supplere quidem omnes defectus solemnitatum, nullatenus vero illum voluntatis, ut sæpius habetur in sua materia *sub tit. de testamentis*.

Alia etiam ratione pro meo judicio convincentissima ponderata, quod nulla urget ratio, ob quam in pupillo hujusmodi facultas admittenda sit, cum potissima, ac forte unica ratio dictæ libertatis in eo consistat, ut habentes hoc bonum propositum ab eo non divertantur ob necessitatem adhibendi solemnitates in disponendo de bonis temporalibus, quibus solutus libere ad vitam Religiosam convolare posset; illa enim ratio nullatenus considerabilis est in ætate pupillari post Concil. Trident. ex cujus præscripto emitti non potest professio ante annum 16. expletum, cumque pro emittenda professione annus tantum probationis præcedere debeat, hinc proinde incongruus potius, ac intempestivus est ingressus in Religionem in ætate pupillari, in qua forte ex multis bonis rationibus potius damnandus, ac prohibendus, quam approbandus, ac privilegiandus veniret. Non tamen fuit opus hunc nullitatis articulum formiter disputare, quoniam renunciationis tenor ostendebat, quod ea non erat omnino realis, & extinctiva, tollens personam renunciantis de medio, perinde ac si mortua esset, sed vel translativa, vel personalis non excludens renunciantem a donatarii intestata successione juxta decisionem *in Romana de Perettis* 543. *par.* 3. *rec. repet.* apud Dunozett. *dec.* 346. & sæpius in sua materia *sub tit. de renunciat.* atque ex hoc fundamento magis de plano pro Monastero judicatum fuit.

In hoc autem proposito donationum, quæ fiunt contem-
10 platione ingressus in Religionem, quæri solet, an sequuta etiam professione, resolvantur, si Religiosus ab ea Religione egrediatur occasione assumptionis ad Episcopatum, & de hoc habetur actum *sub tit. de renunciat.* cum sub ea materia frequentius id cadat, ubi etiam habetur, quid de renunciatione, vel donatione facta eodem intuitu, si Religiosi professi egressus sequatur ob Religionis suppressionem.

Vel, an Monaco, seu Moniali transeunte de una Reli-
11 gione ad aliam, sive de uno Monasterio ad alterum, bona donata priori Monasterio, vel Religioni transeant cum persona ad aliam Religionem, vel Monasterium, adeout donatio tanquam ex cessante causa resolvatur, & quæ differentia sit inter bona expresse donata, & ea quæ de jure Monaco delata acquiruntur Monasterio, & de hoc habetur etiam actum *d. tit. de Regularibus*, præsertim *in Neapolitana donationis*.

S U M M A R I U M.

1 *DE resolutione donationis ob egressum a Religione,*
2 *Solemnitates S. C. T. quando requirantur in donationibus ob futurum ingressum.*

ANNOT. AD DISC. XV.

1 DE hac materia resolutionis donationis ob egressum a Religione, ac respective transitum ad aliam, habetur actum *sub tit. de renunciat. disc.* 17. *& sub titul. de Regular. disc.* 39. *&* 67.

2 Quoad solemnitates præscriptas a S. Conc. an & quando requirantur in donationibus ob futurum ingressum late habetur *sub tit. de Regular. disc.* 58. *&* 59. *& in Ann. ad S. C. T. disc.* 40.

ROMANA LIBRARIÆ PRO PP. SANTÆ THERESIÆ SEU CARMELITANIS DISCALCEATIS CUM PP. DISCALCEATIS S. AUGUSTINI.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro PP. Carmelitanis.

Voluntas donandi, an & quando importet donationem perfectam, & irrevocabilem?

Donatio facta intuitu sepulturæ, an sit revocabilis, & causa mortis, seu cessante sepultura resolvatur? Et de donationis probatione.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Donatio non requirit scripturam, & potest etiam aliter probari, sed qualis esse debeat hæc probatio.*
3 *Testes de universitate, vel Religione, an sint pro illa testes idonei?*
4 *De conjecturis exclusivis donationis.*
5 *Voluntas, seu promissio de donando, an favore piæ causæ sit donatio perfecta? & n. 8.*
6 *Verbum*, volo, *quando importet perfectam voluntatem, vel potius propositum, & velleitatem.*
7 *Favor piæ causæ non supplet voluntatem.*
8 *De conclusione, de qua n. 5.*
9 *Legatum exequutum in vita, an transeat in donationem inter vivos?*
10 *Dispositio facta intuitu sepulturæ in Ecclesia, an cesset ob immutatam sepulturæ electionem?*
11 *Donatio remuneratoria, an sit revocabilis, & quando?*
12 *Donatio ex certa causa an ea cessante, cesset, vel revocari possit?*
13 *Electio sepulturæ est quandocumque revocabilis.*
14 *Ex duobus donatariis, an & quando præferatur ille, cui prius traditio facta est.*

D I S C. XVI.

COrnelius Franciscutius, morum probitate, & Ecclesiastica eruditione præditus, qui longo tempore curam 1
animarum in Basilica Vaticana exercuerat, atque fere totum ejus assem erogaverat in librorum emptionem, senio confectus, cogitans de sepultura, de anno 1639. illius locum elegit in Ecclesia PP. Discalceatorum S. Augustini sub Invocatione *Jesus Maria*, ibique pro illa vana memoria, cui etiam viri probi, ex communi humana fragilitate sæpius incumbere solent, monumentum construi curavit, atque tali occasione pluries ejus animum dictis PP. aperiendo, dixit velle eis donare librariam in Conventu ad PP. commoditatem, ejusque perpetuam memoriam custodiendam. Propter in illius propositi exequutionem, de anno 1641. testamentum condidit, in quo, institutis eisdem PP. hæredibus universalibus, cum particulari prælegato dictam librariam una cum picturis, ac ornamentis reliquit, exindeque de anno 1649. cupiens hujusmodi propositum in vita adimplere, supplicem porrexit libellum Diffinitorio generali pro concessione loci, ad quem jam destinatum, aliquas scantias, ac aliquos etiam paucos libros transmisit, deinde vero, ex aliquibus justis causis indignatus, mutato proposito, de eodem anno 1649. aliud condidit testamentum præcedentis revocatorium, in quo sepulturam elegit in Ecclesia PP. Carmelitarum Discalceatorum, seu S. Theresiæ sub Invocatione *B. Mariæ de Scala*, dictosque PP. hæredes instituit, cum speciali pariter prælegato librariæ prædictæ, quam vivens pro majori parte ibi collocavit, & quamvis habita de his notitia per dictos alios PP. in eo triennii intervallo, in quo Testator supervixit, multas adhibuissent diligentias mediante etiam opera, & auctoritate Magnatum, ut ad priorem voluntatem rediret, nihil tamen obtinere potuerunt; sequuta vero ejus morte, prætendentes dictæ librariæ donationem inter vivos irrevocabiliter eis factam esse, judicium super illius vendicatione instituerunt coram A. C. inducendo ad prædictæ donationis probationem in testes plures ex eisdemmet Religiosis, assumptaque desuper disputatione

Scribentes pro actoribus, cum superfluo allegationum apparatu, insistebant in duabus certis, nimiumque notis conclusionibus apud mediocriter versatos præsupponendis, primo scilicet, quod donatio non exigit pernecesse scripturam, sed etiam verbotenus perfici valeat, atque per testes probari, & secundo, quod testes de universitate, seu Religione,

gione, utpote non agentes de proprio, ac singulari interesse, non prohibentur pro illa deponere, neque fide indigni reputandi sunt, atque his conclusionibus constitutis, credebant causam esse in tuto.

2 Scribens Ego pro Reis conventis dicebam, difficultatem non esse in prædictarum conclusionum veritate in abstracto, quam non negabam, sed in illarum applicatione ad factum, licet enim non dubitetur, ut donatio per testes quoque probari possit, attamen ratione subjectæ materiæ, ac ob facilitatem fraudis, quæ committi posset, fortius vero ob verba urbana, & curialia, quæ ad captivandum animum, frequentius absque determinata voluntate donandi, proferri solent, circa liberalitatem cum aliquo exercendam, receptum est, hujusmodi donationem exigere probationes omnino concludentes, ac perfectas, earumque perfectio dupliciter consideratur, primo nempe in qualitate testium, ut sint omni exceptione majores, vel saltem quod numerus, vel adminicula suppleant illas exceptiones, ex quibus forte tales judicandi non essent, & secundo, ut probatio sit univoca, pernecesse concludens perfectam, ac omnino determinatam voluntatem donandi irrevocabiliter inter vivos, quoniam cum donare sit perdere, hinc proinde non de facili iste actus præsumendus est, ut cæteris allegatis bene firmatur per Rotam apud Cavaler. *dec.* 603. *per tot. & dec.* 41. *n.* 2. *& seq. p.* 9. *rec.*

3 Uterque defectus in præsenti concurrebat, aderat enim primus exceptionis, qua testes laborabant, quoniam licet ipsimet Religiosi non prohibeantur pro sua Religione, vel Monasterio testificari, eodem modo, quo generaliter, cessante singulari interesse, illi de Universitate pro ea testificantur, attamen non dicuntur testes omnino integri, ac omni exceptione majores, ob aliquam saltem affectionem, quam erga Universitatem, vel Religionem respective habere dicuntur.

Ut generaliter de testibus Universitatis, Afflict. & Add. *dec.* 400. Greg. *dec.* 340. Burat. & Add. *dec.* 314. & 553. apud quos de materia, & in specialibus terminis Religiosorum, vel Clericorum testificantium pro sua Religione, vel Monasterio, aut Ecclesia, Mantic. *de conject. lib.* 6. *tit.* 3. *n.* 6. Cornens *cons.* 261. *n.* 5. *in fin. & seq. lib.* 1. Potissima quia dici non poterat quod exceptio suppleretur a numero, vel adminiculis, attento siquidem numero, ista omnino deficiebat, dum unus solus Religiosus, qui se auctorem dicebat inducendi dictum Cornelium ad ita disponendum, præcise, & ex certa scientia testificabatur, cæteri vero, vel de auditu ab isto, vel de verbis vagis, ac generalibus, & æquivocis, incidenter ab eodem Cornelio prolatis, ideoque ubi etiam testes prædicti nullam paterentur exceptionem, adhuc tamen probatio dici non poterat concludens, ac perfecta.

4 Minusque suffragabantur adminicula, quæ potius in contrarium nimis vehementia resistebant, primum sc. omnimodæ inverisimilitudinis, ut vir doctus, ac integerrimæ vitæ reputatus, in aliorum animabus curandis tamdiu versatus, & qui omnes ejus labores, ac substantiam reposuerat in hac libraria alicui pio loco pro ejus animæ suffragio relinquenda, voluisset cum manifesto peccato, ac propriæ animæ perditione, illam uni Ecclesiæ auferre, ut alteri Ecclesiæ daret, verisimilitudo enim magnam habet veritatis imaginem, sicuti e converso inverisimilitudo imaginem habet falsitatis juxta recepta, satisque nota axiomata.

5 Secundo, quia si voluntas fuisset donandi inter vivos correspective ad locum sibi pro sepultura concessum, atque in istius beneficii remunerationem, ut actores asserebant, verisimiliter id expressum fuisset in instrumento concessionis dicti loci, atque fortissimum adminiculum deducebatur ex supplici libello, quem dictus Cornelius porrexit de anno 1649. in pleno Diffinitorio generali pro cessione loci, in quo situanda esset dicta libraria, quam ipse asserebat habere in animo donandi, seu relinquendi huic loco, cum enim in eodem Diffinitorio adessent plerique ex eisdem, qui deinde testium partes assumpserant, & præsertim ille, qui magis præcise tanquam de facto proprio deponebat, hinc prorsus improbabile dicebam, quod hujusmodi narrativa admissa fuisset, si jam per decennium perfecta, & irrevocabilis donatio inter vivos præcessisset, & demum, quia si fuisset perfecta donatio inter vivos, opus non erat preces, ac Magnatum auctoritatem adhibere pro ultimi testamenti revocatione, atque ubi iidem actores jam certificati erant de indorato animo donantis, tunc illum (quando memoria erat recens) ad rei donatæ traditionem convenissent.

Deficiebat etiam alterum magis substantiale requisitum super probatione circa actus perfectionem per verba univoca, & pernecesse concludentia, dum verba, de quibus iidem testes deponebant, continebant potius propositum, seu velleitatem.

Agnoscentes actorum Defensores hanc difficultatem, in eo insistebant, quod favore præsertim causæ piæ, sola voluntas, seu determinatio de donando haberetur pro donatione, juxta opinionem deductam ex traditione Bart. *in l. gerit, de acquir. hered.* ap. Menoch. *de arbitr. casu* 496. & Genuen. *in practicabilibus Eccles. c.* 275. Cumulando etiam ad idem deducta per Rot. ap. Merlin. *dec.* 568. *& dec.* 58. *p.* 6. *rec.*
Verum hoc minus tutum fundamentum videbatur, quo- 6
niam verior, magisque recepta est distinctio Baldi, de qua late idem Menoch. *d. casu* 496. *n.* 4. *&* 18. *cum seq.* quam canonizat Rota ap. Dunan. *dec.* 17. *n. ult.* ut tunc verbum *volo* importet dispositionem, quando denotat voluntatem perfectam, ac determinatam, & quæ alium actum post se non expectet, puta quia dicat, *volo esse hæres &c.* Secus autem ubi importat sermonem de dispositione explicanda per actum alterius voluntatis, atque alium actum ad sui perfectionem expectante, puta quia dicatur, *volo eligere, volo relinquere &c.* tunc enim non disponit, sed solum enunciat velleitatem faciendi, ut in sua materia *sub tit. de testam. & ultim. volunt.*

Neque in hoc piæ causæ favor quicquam operatur, quo- 7
niam ista quidem supplet omnes defectus solemnitatum, seu alias a jure positivo provenientes, nullatenus autem illum voluntatis, ideoque juxta celebre *cons.* Oldrad. 119. magis communiter receptum, voluntas, quoties dici potest ambulans, ac non redacta ad terminum, seu ad actum testandi, sed tanquam in via, & non in termino, non attenditur etiam favore piæ causæ, ut non semel *sub d. tit. de testam.*

Atque eatenus favore piæ causæ sustineri posset opinio 8
Bart. quam esse minus communem fatetur idem nimium affectatus Ecclesiasticus Genuen. *in practicabil. d. c.* 275. quando ille, qui talia verba protulit, moriens contrariam voluntatem non explicasset, ob præsumptionem perseverantiæ in ea voluntate, quod, ut dictum est, neque tutum dici potest, atque contraria opinio probabilior videtur, nisi alia perfectæ, seu perseverantis voluntatis adminicula, & conjecturæ concurrant, nullatenus autem dicendum est, id sufficere ad contractum perfectum, ac irrevocabilem, adeout contraria voluntas expresse declarata non debeat attendi.

Decisiones autem supra in contrarium allegatæ, ad rem non faciebant, siquidem *dec.* 568. Merlini agit de donatione perfecta, sed sub certa conditione, & *in disc.* 58. *p.* 7. *rec.* agitur de promissione de donando, an importaret actum obligatorium pœnitentiæ exclusivum, & efficacis actionis productivum, de quo alias *hoc eod. tit.* actum habetur, non autem quod simplex indicata voluntas donandi importet donationem perfectam, ac irrevocabilem inter vivos.

Dicebant item, quod etiam legatum exequutum in vita 9
transeat in donationem inter vivos irrevocabilem, ex Bart. *in l. legatum, ff. de legat.* 2. cujus opinionem esse communem testantur Surd. *cons.* 14. *n.* 5. & Grat. *discept.* 910. *n.* 6. apud quos cæteri, ac propterea, cum ad transmissionem aliquorum librorum deventum esset, hinc inferebant ad exequutionem, ac successive intraret dicta conclusio, verum pariter hoc fundamentum erat leve, tum quia id non posset ad summum operari nisi quoad illos modicos libros transmissos, quorum vendicationem Rei conventi non curabant, tum etiam quia opinionem Bart. esse minus veram, bene de jure probant idem Surd. *d. cons.* 14. *n.* 9. *& seq.* & Vasquez *de success. creat. l.* 1. §. 17. *n.* 111. *&* 112. Atque hanc sequuta est Rota *in Rom. legati scut.* 50. *m.* 17. *Junii* 1641. *cor. Cerro dec.* 41. *p.* 9. *rec. & in Rom. pecuniaria, seu legati* 11. *Martii* 1650. *cor. Albergata*, §. *penult.* Ex ea clara ratione, quod si traditio non operatur irrevocabilitatem donationis causa mortis, quæ licet in facto esse sit ultima voluntas, attamen in fieri est contractus, multo minus id operari potest in legato, quod in fieri ac in facto esse est ultima voluntas semper de sui natura revocabilis.

Demum insistebant in eo, quod hæc dispositio tanquam remuneratoria, ob concessionem loci sepulchri, censenda esset irrevocabilis, verum pariter hoc cæteris levius fundamentum erat, quoniam sicuti donationes, ita etiam legata, sæpius ob bene merita, & in remunerationem fieri censentur, ad tex. *in l. nec adjecit, ff. pro socio*, Vasquez *d. lib.* 1. §. 17. *n.* 111. *in princ.* Et nihilominus jure certum non est, legatum ex causa remunerationis factum esse irrevocabile.

Et quamvis in specialibus terminis legati facti Ecclesiæ, in qua electa fuerat sepultura, adduceretur tanquam specialis auctoritas Marant *resp. 9. p. 1.* Attamen illa ad propositum facere non videbatur, dum ibi agitur de quæstio-
10 ne, an caducetur legatum factum Ecclesiæ, in qua electa est sepultura, si hæc electio mutetur, nulla facta legati mentione, quo casu ratio dubitandi circa legati subsistentiam, vel ad favorem ejusdem Ecclesiæ, vel causæ piæ in genere, consistere videtur in præsumptione perseverantis voluntatis faciendi illud legatum pro anima, unde cum hic haberetur expressa voluntatis mutatio, etiam circa legatum, atque nova dispositio esset pariter ad favorem causæ piæ omnis dubitandi occasio cessare videbatur.

Prout extra propositum etiam erat auctoritas, quæ pariter tanquam punctualis adducebatur ejusdem Marant. *resp. 14. p. 2.* cum ibi agatur de donatione inter vivos, reservato usufructu, cum clausula *ex nunc pro tunc*, & cum narrativa remunerationis ex causa meritorum ad favorem Ecclesiæ, in qua electa fuerat sepultura, nulla tamen illius mentione facta in ipsa donatione, quæstio vero erat de revocabilitate ex causa ingratitudinis, cum alias donatio esset expresse inter vivos, & irrevocabilis.

11 Conclusio autem, ut donatio remuneratoria sit irrevocabilis, etiam in iis casibus, in quibus alias revocari posset, procedit, ubi dispositio concepta est per viam donationis inter vivos de sui natura irrevocabilis, atque revocandi facultas provenit ex accidentali, seu speciali qualitate, quia nempe agatur de donatione inter conjuges, seu alias prohibitos, vel quia revocatio resultet a supervenientia filiorum, vel ab ingratitudine, ac similibus, atque tunc ad effectum, ut donatio remuneratoria tali revocationi non subjaceat, tanquam sapiens potius de contractu oneroso, & correspectivo exiguntur merita de condigno, exigentia talem remunerationem, pro qua actio competeret, juxta unam opinionem, vel saltem, juxta alteram, ita exigeret obligatio antidoralis, itaut esset potius actus justitiæ commutativæ, ac solutio debiti, quam liberalitas, ex deductis par Tiraq. *in l. si unquam, verb. donatione largitus, n. 106.* a Pont. *de potestate proreg. tit. de extract. n. 24. & conf. 59. n. 17. & 21.* cum aliis, de quibus in proposito donationis remuneratoriæ habetur *in Rom. donationis sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum disc. 94.* Unde cum in præsenti voluntas disponentis explicata non esset per actum de sui natura irrevocabilem inter vivos, atque causa obligatoria pro concessione parvi situs ad sepulchrum, non exigeret tantam remunerationem, hinc inapplicabile remanebat motivum alias in suo casu verum.

Quod vero omnem difficultatem tollebat, erat inevitabile dilemma, quod, aut dicendum erat hujusmodi prætensam donationem factam esse intuitu sepulturæ, & concessionis situs pro ea, itaut hæc esset causa finalis. Aut non, si non erat, ergo omnia dicta motiva corruebant, & si erat, hinc resultabat, quod etiam per scripturam, vel alias concludentes probationes constaret de perfecta donatione, ac determinata voluntate donandi, adhuc tamen donatio cessabat, vel ex cessante causa finali juxta regulam tex. *in c. cum cessante*; vel quia regulando actum a sua causa productiva, talis donatio, utpote contemplatione mortis, ac sepulturæ, censenda erat causa mortis.

12 Adinstar illius donationis, quæ fit intuitu, & contemplatione ingressus in Religionem, quoniam sicut est revocabilis finis, seu causa, ob quam illa facta est, ita etiam ipsa donatio tanquam effectus esse debet ejusdem naturæ, nisi expresse in contrarium dispositum esset, ex deductis per Burat. *dec. 581. dec. 586. n. 2. p. 5. rec.* & habetur *in Neapol. donationis disc. præced.*

13 Et in specie, quod donatio facta contemplatione electionis sepulturæ sit revocabilis, quemadmodum ipsa electio revocari potest, ex argumento cessantis causæ, probare videtur tex. *in l. alumnæ, §. Seja, ff. de adimen. legat.* per quem ita in specie firmat Abb. *in c. in nostra n. 4. de sepulturis*, quodque electio sepulturæ sit revocabilis quandocumque, non obstante quocumque pacto, clare disponitur per textum *in c. 1. de sepulturis in 6.* ubi Gemin. Ancharan. *conf. 214. nu. 5. & seq.* Antonin. *lib. 1. vec. c. 112. n. 59.* Cæsar. de Grass. *dec. 1. de sepulturis n. 5.* Barbos. *de Parocho p. 3. c. 26. n. 24.*

Ponderabam quoque (licet ad quandam superabundantiam, quæ in motivando frequens est Advocatorum) duo alia fundamenta, primo sc. quod sufficeret id esse dubium, ut propterea pro declaratione dubiæ voluntatis deferendum esset eidem donatori, ex iis, quæ habentur hoc titulo sæpius, dum præsertim declaratio fulcita erat tot adminiculis, de quibus supra, & secundo, quod ubi etiam ageretur de donatione hinc inde, potior esse deberet conditio Reorum, quibus rei donatæ traditio prior facta fuerat, 14
quamvis essent in donatione posteriores, ad tex. *in l. quoties, C. de donat. quæ sub mod.* de quo in terminis donationis Merlin. *dec. 568. n. 32.* ap. Dunoz. *dec. 773. dec. 273. p. 11. rec. & in aliis*, quoniam est conclusio vera, quoties non concurrit hypotheca, vel constitutum, seu alia circumstantia, ob quam dispositio dictæ legis limitationem recipiat, quorum nil in præsenti concurrebat, dum agebatur de prætensa donatione oretenus facta.

Atque juxta præmissa judicatum fuit, cum justitiæ fun- 15
damento, agnito etiam per Signaturam Gratiæ, ad quam Actores, hac disputatione pendente, recursum habuerunt, petendo ut Judex, quem male inclinatum agnoscebant, procederet de voto Rotæ, sed petitio rejecta fuit, ex eo præsertim motivo, quod iis reputaretur injusta, ac etiam quia videbatur prætensio mali exempli, ita enim interdictum esset cum Religiosis verba benevola proferre, eisque bonum propositum disponendi pro anima communicare, si quod pro solo proposito dicitur, capiendum esset pro perfecta, & irrevocabili donatione, non aliunde quam ex eorundem Religiosorum testimonio probanda.

S U M M A R I U M.

1 *Promissio de donando an importet donationem?*
2 *An dispositio intuitu sepulturæ cesset ob immutatam electionem sepulturæ?*

ANNOT. AD DISC. XVI.

AN, & quando promissio de donando importet per- 1
fectam donationem, habetur annotatum supra *ad disc. 6.* Quodque favor piæ causæ non suppleat voluntatem, sed solum solemnitates, habetur plurias *sub tit. de testam. signanter disc. 12. & seqq. & sub tit. de legat. disc. 42. & alibi.*

Ad punctum vero, de quo *n. 10. & seqq.* an disposi- 2
tio facta intuitu sepulturæ in Ecclesia, cesset ob immutatam sepulturæ electionem, videnda sunt quæ habentur *sub tit. de legat. in hoc tit. disc. 65.*

PISTORIEN. DONATIONIS
PRO MONASTERIO MONIALIUM
S. MERCURIALIS,
CUM HÆREDIBUS FRANCISCI
DE GATTESCHIS.

Responsum ad causam extra Curiam.

An donatio, seu promissio facta sub certo eventu post mortem promittentis, vel donantis, resolvatur per donatarii, seu promissarii præmorientiam, vel potius transmittatur ad ejus successores, & quid ubi talis donatio, vel promissio facta sit Professo, vel Professuro in Religione, seu Monasterio?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De resolutione donationis facta ex certa causa, vel personalis.*
3 *De eodem, & de agentibus de materia.*
4 *Quando dicta resolutio intret, & quomodo in materia procedendum sit.*
5 *Quod ista quæstio non intret in casu controversia, & quando proprie intret.*
6 *Donatio, vel promissio facta intuitu renunciationis non est donatio, sed implicita venditio futuræ alias speratæ successionis renunciatæ.*
7 *Dos dota filiæ, vel sorori correspective ad renunciationem dicitur constituta de bonis propriis ipsius mulieris.*
8 *Pater tenetur dotare filiam, etiam divitem, & provisam.*
9 *De circumstantiis excludentibus resolutionem ob præmorientiam donatarii, vel ejus, cui promissum est.*
10 *Concordia Leonina damnata in jure, & invalida.*
11 *Quomodo doctrinis, & regulis juris deferendum sit.*

D I S C. XVII.

SPirituales nuptias in Monasterio S. Mercurialis, Cassandra eligente, priusquam professionem emitteret, consuetam

1 fuctam renunciationem hæreditatibus, ac successionibus,
præsertim matris adhuc viventis, fecit cum debitis solemni-
tatibus Francisco patri, qui ultra dotem Monasterio tradi so-
litam, aliasque appenditias, in ipso actu renunciationis pro-
misit infra triennium post mortem ejus, ac dictæ matris re-
spective, in casu obitus superstitibus filiis masculis, solvere
scuta 300. in casu vero obitus, absque masculis, scuta mille;
cum autem prædefuncta matre obiisset Cassandra professa,
dicto Francisco patre adhuc superstite, hinc idius etiam
deinde obitu sequuto sine aliis filiis, inter ejus hæredes,
ac Monasterium prædictum orta est controversia super solu-
tione dictorum scutorum mille, prætendentibus hæredibus
hujusmodi donationis, seu promissionis caducationem, seu
resolutionem ob dictæ Cassandræ donatariæ mortem, ante-
quam sequeretur illa patris donatoris, atque pluribus ad fa-
vorem dictorum hæredum scribentibus, præsertim, utroque
patre, & filio *de Altogradis*, ut patet ex responso impresso
inter *controv.* Altogradi jun. *controv.* 29. in prima instantia
pro eis judicatum fuit, commissa vero causa appellationis
etiam in partibus, incertum est quid inde sequutum sit,
cumque, vel ante, vel post dictam sententiam prolata,
communicatis dictis responsis ad favorem hæredum editis,
desuper ex parte Monasterii consultus essem.

Respondi, quod licet in terminis generalibus puræ, &
gratuitæ donationis factæ sub conditione mortis donatoris,
vel etiam ex certa causa postmodum cessata, puta con-
2 templatione certi, ac determinati matrimonii juxta casum,
de quo supra *in Parmen. disc.* 8. & in aliis, etiam si do-
nationes essent inter vivos, ac ab initio perfectæ, & irre-
vocabiles, in quibus non intret illa caducatio, quæ præmo-
riente donatario intrat in donationibus causa mortis, adhuc
tamen dari valeat resolutio ex donatoris voluntate, cujus,
ac facti potius quam juris ista quæstio esse videtur, quia
nempe ex efficacibus argumentis, & adminiculis constet, do-
nationem esse præcise personalem, sive restrictam ad cer-
tam, ac præcisam finalem causam, qua cessante intret Re-
3 gula, *cum cessante, &c.* ex copiose deductis per Altograd.
d. controv. 29. ac etiam *in d. Parmen. disc.* 8. & in aliis,
ac habetur quoque pluries actum *sub tit. de renunciat.*
quando scilicet renunciatio sit personalis, vel realis.

Attamen in hac facti specie (in sensu etiam veritatis)
Mihi videbatur fallacia consistere in applicatione, ex cujus
defectu multæ conclusiones, ac ponderationes pro dictis hæ-
redibus deductæ, quæ in suis casibus forsan veræ sunt, ad
rem facere non videbantur, quodque propterea bonum jus
Monasterio potius assisteret; procedunt etenim hæc, ubi
agitur de donatione pura, & mere gratuita, vel etiam cau-
4 sativa, ita tamen, quod vel donatoris, vel etiam utriusque
voluntas ita limitata sit, neque ultro progrediatur, atque
tunc intrant conjecturæ, & argumenta deducta ex verbis
personalitatem, seu illius præcisi casus purificationem de-
notantibus, super quo tamen certa, & determinata regu-
la generalis tradi non potest, sed procedendum venit cum
nimis frequenter insinuato modo tenendo in decidendis am-
biguæ voluntatis quæstionibus, ut non cortex, ac sola fi-
gura verborum, & clausularum in solo litterali, seu gram-
maticali sensu attendi debeat, sed ex facti qualitate, ac
singulorum casuum circumstantiis, prudentis Judicis arbi-
trio, indagari debeat substantia verisimilis voluntatis, adeo-
ut leguleica simplicitas videatur procedere cum regulis,
vel doctrinis generalibus, vel similibus, cum non omni-
bus casibus eædem præsumptiones, vel operationes verbo-
rum pariformiter congruant.

Verum pro meo judicio non videbatur iste casus contro-
versiæ, a qua extranei videbantur dicti termini cadentes,
vel in simplici, & gratuita, vel etiam causativa donatione,
5 quam probabile sit patrem, vel conjunctum fecisse ad pro-
videndum personam post ejus mortem superstituram, non
autem ejus præmorientis hæredes, juxta ponderationes, de
quibus *supra disc.* 8. *&* 9. *& sub tit. de dote, disc.* 27. sive
ubi agatur, ut supra dictum est, de renunciationibus perso-
nalibus, quia nempe filia renunciet parentum successioni,
cum præsupposito superexistentiæ fratrum; aut ubi agatur
de bonis differentibus non transmissibilibus ad extraneos,
unde cessante persona contemplata, cui renunciatum est, es-
set aperire locum domino, vel remotiori agnato, nec a re-
nunciante, nec a renunciatario verisimiliter contemplato, jux-
ta theoricam Bart. *in l. qui Roma, §. duo fratres, n.* 24. *ff.
de verb. oblig.* cum concordan. in sua materia *sub tit. de renun-
ciat.* præsertim *in Romana, seu Urbevetana successionis, &
in Romana fideicommissi de Steccatis, & in aliis.*

In hac vero facti specie, cum pater ex proprio officio tene-
Card. de Luca, Lib. VII.

retur congrue dotare filiam quamvis divitem, & provisam,
ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de dote, disc.* 1. 6
& 142. unde propterea renunciatio per eum desiderata, de
materna præsertim successione translative ad ejus favorem, ut
etiam non extantibus aliis filiis, libere disponere, seu alias
transmittere posset, remaneret sine causa, ex cujus defectu,
seu altero læsionis ipse probabiliter timere poterat, ac debe-
bat, ut contingente casu, posset impugnari; hinc proinde
futuram aleam tanquam jactum retis, ita præventive pro
hoc minori pretio emere voluit, idem pretium distinguen-
do juxta qualitatem majoris, vel minoris juris, quod ipsi fi-
liæ competere posset, superstitibus, vel respective non super-
stitibus filiis masculis, adeout videatur casus præcisus, vel o-
mnino similis, de quo in celebri *Signina Castrorum, disc.* 12.
292. 320. 323. *p.* 6. *rec.* ut scilicet ille, qui sperabat pinguem
fideicommissariam successionem per mortem hæredis grava-
ti, cum præmoriendo nihil obtenturus fuisset, (quamvis,
cum imprudenti consilio) hanc magnam, sed aventualem
spem pro modico pretio de præsenti accepto cessit, quod at-
iam, sed cum magis prudenti consilio practicatum fuit in
casu, de quo habetur *sub tit. de fideicomm. disc.* 94.

Hinc proinde receptum habemus, quod illa dos, quam
filia, vel soror a patre, vel fratre obtinet correspectiva ad
renunciationem futuris eventualiter speratis successionibus, 7
dicitur adventitia, & constituta de proprio ex bonis ipsius
fœminæ tanquam de pretio dictæ spei anticipata venditæ,
juxta *decis.* 267. *&* 528. Dunozetti, cum aliis, quæ ha-
bentur plurias *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 154. cum
similibus, atque isti Mihi videbantur veri, ac proprii ter-
mini illius causæ, quodque tot conclusiones, & doctrinæ,
ac ratiocinia, seu verborum, & clausularum ponderatio-
nes, cum inani labore, punctum non percuterent, atque
sine applicatione remanerent.

Clarius vero, ac pro meo sensu, ad evidentiam ex dua-
bus circumstantiis, quarum unica sufficeret, multo magis
ais simul junctis, primo scilicet, quod pater dederat exiguam
dotem pro moniali dari solitam Monasterio, quæ inter per- 8
sonas nobiles semper esse solet minor quam ea quæ datur pro
nuptiis carnalibus, cujus oppositum frequentius contingit in-
ter ignobiles, ut advertitur in d. sua materia *sub tit. de dote*,
præsertim *disc.* 144. ubi de dote congrua, vel incongrua, &
quam pater dare tenetur etiamsi filia sit dives, & provisa, ut
d. disc. 1. *&* 142. *de dote*, & consequenter intrare non potest
consideratio cadere solita in renunciatione, quæ fiat occasio-
ne matrimonii carnalis, quod scilicet pater, vel frater hoc
intuitu constituat dotem excessivam, ac ultra propriam obli-
gationem, adeout dici valeat ut pretium jurium renuncia-
torum consistat in illo excessu, & consequenter ista renun-
ciatio remansisset læsiva, & sine causa.

Et secundo fortius, quoniam non agebatur de promissio-
ne facta personæ sæculari ex motivo illam post mortem
promittentis melius providendi juxta casus, de quibus *su-
pra disc.* 8. *&* 9. & in aliis, sive quod incertum esset, an
persona, cui promittitur, habitura esset filios, in quos ma-
gis quam in extraneos transmittere debere cogitatum fuerit, 9
non cogitatis, vel abhorritis extraneis, ac ignotis hæredi-
bus juxta dictos supra enunciatos casus, ac propterea intra-
ret ratio personalitatis; sed agebatur de promissione, quæ
fiebat puellæ, quæ jam suscepto habitu Monastico, ac pe-
racto anno probationis, vel saltem juxta decretum Conc.
Trid. expletis decem mensibus, erat in statu emittendi in
dies professionem, in cujus statu pernecesse casus in con-
ventionem deductus contingere debebat, unde propterea ces-
sant omnes dictæ ponderationes, ex quibus ad personali-
tatem inferri solet, quoniam dicta puella ulteriori provi-
sione non indigebat, atque id, quod promittebatur, non
poterat in propria crumena reponi, neque ad ejus dispo-
sitionem esse, sed directe, ac immediate absque ejus fa-
cto quærebatur Monasterio juxta Canonistarum opinionem,
quæ omnino recepta est, ac tenenda venit in Foro Ec-
clesiastico, in quo præsens causa agebatur.

Ponderando etiam, quod iste contractus initus non fuit so-
lum inter patrem, & filiam, unde propterea verisimilis
utriusque, præsertim vero patris voluntas indaganda esset,
sed etiam cum Abbatissa, & Monialibus ibi præsentibus, &
consentientibus cum licentia Superioris, ideoque pater ita
voluit se tutum reddere etiam a prætensionibus Monasterii,
cum quo principaliter contraxisse videtur, potissime quia
licet verius, magisque receptum sit, ut ingredi volens Reli-
gionem, cedere, seu renunciare possit futuris successionibus
ac hæreditatibus, quamvis obventuris in statu professionis,
& postquam ipse renuncians non habet amplius disponendi

libertatem, attamen non desunt volentes contrarium, quod id fieri non valeat in supplantatione Monasterii, cui contingente casu successionis juxta dictam Canonistarum opinionem directe, ac immediate proprio jure, non autem mediante persona Religiosi, successio debita sit etiam invito ipso Religioso, ut in sua materia *sub tit. de renunc.* & sub altero *de Regularibus*, ideoque prudenter voluit dictus pater ita se ponere in tuto mediante isto contractu, in effectu, ut dictum est, complicante illam speciem concordiæ, vel emptionis, & venditionis futuræ aleæ, de qua locis supra citatis habetur, ac successive motivum personalitatis nullatenus cadere poterat.

Et quamvis dicti Scribentes in contrarium, ut præsertim patet ex *d. contr. 29. Altogradi*, curarent motivo correspectivitatis respondere, admittendo promissionem esse
10 correspectivam, sed sub conditione supervenientiæ, & quatenus deferretur successio materna, attamen videbatur minus tuta, vereque incongrua responsio, quoniam id contineret concordiam leoninam in jure damnatam, ac invalidam, si enim casus contigisset mortis matris, superstite filia ista, debuisset integram successionem obtinere, non autem contenta esse summa scutorum mille, reliquum sine causa patri dimittendo, ideo enim hujusmodi conventiones sustinentur pro longe minori summa, quam ipsum cessum, ac speratum jus importet, quia subest periculum eventualitatis, ut in supra allegatis decisionibus *in Signina Castrorum*, potissime vero quia de facto casus contigerat mortis matris, ipsa filia superstite, ideoque non videbatur ad quid desideranda esset etiam patris renunciatarii præmorientia, cum non intuitu ejus hæreditatis, sed maternæ jam delatæ, ista conventio sequuta esset, ideoque admirationem Mihi dedit, quod in contrarium indicaretur, nisi in alia instantia judicatum retractatum sit, ut probabiliter credendum est, atque hinc semper edocemur judicandi, seu con-
11 sulendi vim non consistere in regulis, ac propositionibus generalibus, vel in doctrinis in suis casibus forte veris, sed in applicando congrue activa passivis juxta præcisos controversiarum casus, eorumque particulares circumstantias, dum plures propositiones, quæ desuper deducebantur, sunt in suis casibus veræ, sed omnino extraneæ ab illo, de quo agebatur.

ANNOT. AD DISC. XVII.

SUper articulo caducationis ob prædecessum donatarii habetur supra *ad disc. 8.* Et quando donatio, seu renunciatio sit personalis, vel realis habetur *sub tit. de renunc. disc. 1. & seq.*

B O N O N. D E B O V I I S PRO MONTE PIETATIS, & ALIIS, CUM ANTONIO, & ALIIS DE BOVIIS.

Casus decisus per Rotam pro Boviis.

De resolutione donationis ob non implementum eorum, quæ a donatore demandata sunt, an & quando intret, præsertim in præjudicium tertii, cujus favore implementum faciendum erat?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De responsis* Surdi, *&* Menochii *in causa.*
3 *De fundamentis Consulentium in causa super resolutione donationis.*
4 *De antiqua decisione Rotæ in causa.*
5 *Stylus Rotæ est non revocandi decisiones incidenter.*
6 *De moderna causæ resolutione, & an moderna quæstio sit eadem cum antiqua?*
7 *De stylo Advocatorum deducendi motiva licet diversa: Et quod quandoque id etiam sequitur in decisionibus, & de ratione.*
8 *Decisiones esse dicuntur in eo solo articulo, qui principaliter disputatur.*
9 *De materia resolutionis donationis ob ejus non implementum.*
10 *De distinctione resolutionis quoad donatarium, sed non quoad tertium, & quod non per hoc bona redeunt ad donatorem.*
11 *An adsit fideicommissum, si constat, quod donator id habuerit in animo, quamvis alteri commiserit ordinationem?*
12 *Data facultate disponendi intra certum genus, non facta dispositione, veniunt omnes de illo genere.*
13 *Donator non potest novæ gravamina donatario adjicere.*
14 *Dispositio donatoris post donationem attenditur pro interpretatione, seu probatione voluntatis, quam habebat tempore donationis.*
15 *De eodem.*
16 *Qualis sit effectus, an vocatus quis censeatur a donatione non resoluta, vel ea resoluta, ab alia dispositione?*
17 *Quod ista sit quæstio voluntatis, & quomodo decidenda sit.*

D I S C. XVIII.

JUlius Bovius donationem de aliquibus bonis fecit Carolo Episcopo Ostunensi ex fratre nepoti, sub ea lege, 1
ut de illis, in vita, vel in morte disponere deberet ad favorem unius ex filiis fratrum ipsius donatarii, cum fideicommissis ei bene visis, illisque ad aliquos annos, Idem donator decedens, in testamento hæredem scripsit Andream unicum filium tunc superstitem Alexandri alterius nepotis, dictique Caroli donatarii fratris, cum perpetuo, & successivo fideicommisso ad favorem ejus descendentium. Cumque post donatorem obiisset etiam ab intestato donatarius, nulla facta dispositione, postmodum vero ex præfato Alexandro alii suscepti essent filii, tunc sequuta dicti Alexandri morte, inter fratres occasione dividendi paternam hæreditatem, orta est controversia super bonis in dicta donatione contentis, prætendente Andrea, illi debita esse præcipua, vel quia censeretur de jure nominatus a donatario, vel quia resoluta donatione eadem bona redirent ad hæreditatem donatoris, cujus ipse etiam erat hæres, e converso autem reliqui fratres prætendebant eadem bona remansisse libera in hæreditate dicti donatarii, & consequenter delata ad Alexandrum fratrem intestatum hæredem, cujus æqualiter ipsi contendentes hæredes erant, quare introducta causa in Rota *coram Millino*, contextualiter pro Andrea scripserunt Menoch. 2
cujus responsum inter ejus consilia registratum est *cons. 922.* & Surd. cujus pariter responsum est registratum inter sua *cons. 375.* ac denuo idem Surd. respondendo quibusdam motivis factis adversus utrumque ejus, & Collegæ responsum, denuo pro eodem Andrea scripsit, ut patet *ex cons. 369.* quod est posterius altero, quamvis ex errore impressionis ordo sit inversus.

Quatuor autem fundamenta dicti Consulentes, cum docto quidem, ac elaborato, nimium tamen prolixo, ac superfluo extero consueto stylo deducebant. Primo scilicet, quod cum 3
donator futuram dispositionem a donatario faciendam ex necessitate injunxisset per verbum *debet*, cum restrictione ad certum genus, ita dictus Andreas ex fratre nepos vocatus censeretur a donatore juxta regulam text. *in l. unum ex familia, ff. de legatis secundo*, cum ibi communiter notatis, & de cujus textus dispositione, ac distinctione habetur alibi *infra hoc eodem tit. disc. 36.* Secundo, quod cum dixisset disponi debere cum uno, ita per quandam speciem primogenituræ ad numerum singularem se restringendo, dispositio dicto Andreæ tanquam primogenito, seu natu majori conveniret, ex iis quæ habentur *in Anconitana, sub tit. de fideicommissis, discurs. 183. & alibi eodem tit.* Tertio potissime, quod fictio regulanda est a veritate, quam excedere non potest, unde cum de tempore mortis dicti donatarii solus Andreas procreatus esset, hinc si idem donatarius nominationem facere voluisset, atque præeligendi facultatem habere, non poterat cum aliis adhuc non procreatis, & ignotis eam exercere, ideoque ipse Andreas ita pernecesse nominatus censetur. Et quarto demum, quod in omnem eventum ob non adimpletam conditionem per donatorem expresse adjectam, donatio resoluta esset, utque bona donata reversa ad hæreditatem donatoris, cujus etiam ipse Andreas erat unicus hæres.

Proposita vero causa in Rota *coram Millino*, *sub die 20. Februarii 1598.* pro Andrea juxta præmissa prodiit resolutio, atque in decisione desuper edita, quæ habetur 4
impressa inter illas ejusdem Millini *dec. 163.* omnia dicta quatuor fundamenta deducuntur, non explicando in quo magis insisteretur, principaliter vero, ac major discursus est super hoc ultimo motivo resolutionis donationis ob conditionem non adimpletam.

Acquiescentibus autem aliis fratribus dictæ resolutioni, atque Andrea dicta bona donata obtinente, hinc illa, vel eorum aliqua distraxit in Montem Pietatis, & alios, contra quos sequuta ejusdem Andreæ morte, Antonius ejus filius, ejusdemque Antonii filii, judicium instituerunt in Rota *coram Bontlemont.* pro dictorum bonorum vindicatione in vim fidei-

fideicommissi a præfato Julio in testamento ad eorum favorem ordinati; eumque causa restringeretur ad punctum, an donatio resoluta esset, adeout bona donata reversa essent ad donatorem, & consequenter caderent sub ejus testamentaria dispositione tanquam hæreditaria necne, vel potius spectarent ad Andream in vim donationis jure propriæ voca-
5 tionis, aliud successivum fideicommissum non continendis; objiceretur autem per actores de *dicta decisione Millini*, per quam dicta resolutio firmatur, atque stylus Rotæ sit ejus decisiones præsupponere, non autem revocare incidenter, &
6 non nisi cum particulari disputatione, an ab eis esset recedendum necne, hinc proinde dato desuper particulari dubio, eoque proposito *sub die* 5. *Decembris* 1670. pro dictæ decisionis confirmatione responsum fuit.

In hac autem disputatione, Ego evocatus ad causæ defensionem, postquam jam firmatum fuerit dubium, an esset standum, vel recedendum a dicta decisione *Millini*, quinimmo propositum, dilata resolutione, pro meo sensu, id laudare non potui, sed quia res non erat amplius integra, idcirco opus fuit per viam jam instructam quamvis incongruam cum aliis ambulare; non videbatur enim quomodo congrueret, ut nos, qui habemus causam ab Andrea, cujus favore prodiit decisio, istam impugnare possemus, ut deberemus, ac etiam quia antiqua disputatio prædicta diversam percutiebat quæstionem, an scilicet bona donata remansissent in hæreditate Caroli donatarii, adeo transmissa fuerint ad ejus intestatum hæredem, & successiva tanquam effecta de istius patrimonio, æqualiter spectarent ad omnes filios, vel potius præcipua essent Andreæ, sive id sequeretur jure donationis, sive jure testamenti, cum unus, & idem esset effectus. In præsenti autem quæstio erat diversa, an scilicet posita vocatione solius Andreæ cum aliorum fratrum exclusione, ipse ulteriori fideicommisso gravatus esset, quod pendebat a puncto, an mereretur ejus jus a donatione, vel a testamento; id autem nunquam discussum fuit, sed quia illi expediebat vincere, sive ex uno, sive ex altero titulo, idcirco, tam dicti Consulentes eateri, quam Curiæ Defensores, plura quamvis diversa cumulabant motiva, juxta regulas Advocatorum, & Defensorum, pro varietate ingeniorum Judicum, opportunas, ac necessarias, ut, si unum displicet,
7 alterum placeat, & e contra; Rota vero respiciendo ad solum finem terminandi controversiam, de qua agebatur, conclusit resolutionem pro singulari successione dicti Andreæ, dum vota in hoc generaliter concordabant, sed quia forte (ut frequenter contingit,) vota erant diversa circa rationes, vel motiva, idcirco omnia admissa fuerunt, utpote ad eundem finem tendentia, eumdemque effectum producentia, non curando examinare, an magis ex uno, vel altero titulo successio competeret.

Et consequenter punctus, de quo in præsenti moderna controversia, non fuit nec discussus, nec decisus, ideoque dici non poterat desuper adesse decisionem, cum hæc esse
8 dicatur in eo puncto, vel articulo, qui principaliter disputatur, ac decisus fuerit, ut sæpius ipsa Rota protestata est, præsertim apud Seraph. *dec.* 299. *n.fin.dec.* 17. *nu.* 9. *part.* 7. *recent. dec.* 196. *part.* 11. *nu.* 38. & frequenter.

Quatenus igitur ad hunc punctum præcisum pertinet, quamvis Scribentes hincinde insisterent in generalitatibus,
9 ut plurimum desumptis ex *dictis cons.* 369. & 375. Surdi, & 922. Menoch. & per Rotam *dec.* 203. *par.* 6. *rec.* & *in Mediolanen. donationis* 10. *Junii* 1645. 16. *Martii*, & 17. *Decembris* 1646. *coram Ghislerio impress.* in add. ad Castill. 8. *tom. decis.* 19. 20. & 22. *in Neapolitana hæreditatis* 27. *Januarii* 1668. cor. Carpinea, edita in causa, de qua *sub tit. de fideicom. disc.* 154. cum similibus, nimium elaborando su-
10 per verbis, & clausulis, præsertim vero in clausula, & *non aliter*, adimente consensum ab actu, cum similibus generalitatibus.

Attamen Mihi videbatur quod ista, utpote quæstio voluntatis, potius facti quam juris esset, ideoque pro facti quali-
11 tate, & circumstantiis decidi debeat, ac propterea, procedendo cum distinctione superius enunciata *in Romana donationis de Andosillis disc.* 9. quod scilicet, aut agitur de resolutione donationis in ordine ad ipsum donatarium non adimplentem, & ne bona donata libere transmittere valeat ad ejus hæredes, ita agendo solum de hoc puncto deciso apud Millin. *d. dec.* 563. & resolutio esset justa, beneque fundata, quoniam ex donationis contextu evidenter constabat, donatorem voluisse, ut in primo donatario de legitima successione jam desperato, utpote in Episcopali ordine constituto, bona essent ad liberam dispositionem, vel transmissibilia ad quoscumque, dum per viam necessitatis, ac præcepti eum obligare voluit ad disponendum juxta fundamenta deducta per Menoch. & Surd. ubi supra; cum in hac parte voluntas videretur clara, atque ad hunc effectum bene operativa essent verba, quæ pro resolutione a Scribentibus in contrarium ponderabantur, præsertim vero clausula, & *non alias* &c. ideoque dicebam, quod in hac parte concordabamus, ut dicta decisio confirmationem mereretur.

Posita vero dicta resolutione quoad donatarium, ad effe- 12
ctum ut per ejus mortem omne jus resolutum esset, neque aliquid remansisset transmissibile, punctus erat, an bona reversa essent ad donatorem, vel ejus hæreditatem, tanquam per reversionem ad suam primævam causam, vel potius spectarent ad eum, qui, non facta per gravatum, seu fiduciarium diversa dispositione, censeretur de jure vocatus, & in hoc, probabiliorem dicebam hanc secundam partem, quoniam de donatoris certa, & determinata voluntate ordinandi in his bonis fideicommissum constabat ad text. *l. cum pater*, §. *finali ff. de legat.* 2. & *in l. si testamento*, *C. instit.* & *substit.* cum concordantibus, de quibus *sub tit. de fideicommissis, disc.* 118. Ac etiam facultas erat per viam necessitatis, cum restrictione ad certum genus, juxta terminos, ac distinctionem text. *in l. unum ex familia*, §. 1. *ff. de legatis secundo*, ideoque censentur vocati omnes æqualis gradus de eo genere, nisi de testatoris expressa, vel conjecturata voluntate constet, excludendi resolutionem numeri singularis in pluralitatem, quo casu vocatio convenit primogenito, seu natu majori, *ut d. disc.* 183. *de fideicommissis*.

Et consequenter, si vocatio resultabat a perfecta, & irre- 13
vocabili donatione inter vivos, venire quidem dicitur vocatus ex judicio, & providentia gravantis potius quam gravati, ita tamen quod per ipsum gravantem ex defectu potestatis revocandi, vel minuendi jam perfectam donationem, non potuerit in alio gravari, quam in eo quod in ipsa donatione continetur, secus autem per subsequens testamentum, ex quo actores suum jus metiabantur, juxta ea, quæ in his specialibus terminis defectus potestatis donatoris gravandi venientes jura donationis cum novis vinculis in testamento adiectis, habentur pluries deducta *sub tit. de fideicommissis, disc.* 134. *cum plurib. seqq.*

Verum, his etiam ita positis, (ut in sensu etiam veritatis 14
probabilius videbatur) adhuc tamen ultima resolutio favore actorum probabilis visa est, eaque fuit juxta votum, quamvis ejus modus, vel ratio non placeret, quod scilicet dicta decisio Millini id decideret; credebam enim firmiter, vocationem dicti Andreæ, a donatione potius quam a testamento resultare ut supra, sed quoniam in eadem donatione expresserat donator ejus animum, ac intentionem, ut donatarius deberet disponere quidem ad favorem unius ex filiis fratrum, non libere, sed cum fideicommissis, & substitutionibus per ipsum ordinandis, ipse autem donatarius nihil horum fecerit, hinc proinde cum donator in testamento utrumque explicaverit, quod scilicet hæredem in aliis bonis instituit eundem, qui, ut supra, per legem supplentem omissam explicationem hominis vocatus censetur, ei vero expresse adjecit illa fideicommissa, quæ, faciendo etiam donationem, in animo habuit, explicanda per dictum primum donatarium tanquam ejus fiduciarium, seu organum, exinde sequitur, ut ipso fiduciario non explicante, indagari deberet ipsius testatoris, seu demandantis verisimilis voluntas, juxta ea, quæ habentur in supra allegata *Anconitana*, ac etiam *in Perusina erectionis Canonicatus*, *d. tit. de fideicommissis disc.* 182. & 183.

Hanc autem voluntatem non oportebat ex conjecturis, ac præsumptionibus desumere, dum ita habeatur expresse declarata, ideoque Mihi videbatur, quod testamentum donatoris attendendum non esset tanquam principalis disposi-
tio, sub qua ista bona controversa venirent, sed tanquam 15
explicatio, seu probatio voluntatis, quam etiam in his bonis donator habuit ab initio, quamvis non explicaverit, sed primo donatario explicandam commiserit ex prudenti motivo, ut ille inter plures fratrum, ac respective nepotum filios, postquam eorum mores, & qualitates expertus fuerit, magis ordinate, tam unius, vel plurium personarum primam electionem facere, quam successivum fideicommissi ordinem præscribere posset; fiduciario autem, seu mandatario non explicante, indaganda est voluntas ipsius mandantis, ut supra, itaque Mihi videbatur hujusmodi controversiæ germanus intellectus, atque videbantur termini proprii, negligendo illa generica, & vaga argumenta, quæ juxta consuetam leguleicam simplicitatem ex regulis, seu propositionibus generalibus, vel ex verborum, & clausularum significatione deduci solent, atque hincinde in ista disputatione deducebantur.

Quinimmo ponderabam recte dici posse, quod dictus donatarius, non imprudenter, vel oscitanter neglexerit adimplere voluntatem donatoris, sed ex justo motivo, dum vidit, quod ab eodem bene omnia ordinata erant, ac propterea necessarium non putavit ad aliam dispositionem devenire, ita moriendo ab intestato, sui auctoris judicium probando.

Effectus autem, an hæc bona competerent jure vocationis a donatione resultantis, attendendo solum testamentum
16 tamquam interpretationem, vel suppletionem ut supra, vel e converso, data omnimoda resolutione donationis, bona donata consolidata essent cum hæreditate, seu patrimonio donatoris, satis notabilis est, quoniam si donator in testamento, ultra genus, intra quod in donatione se restrinxit, ad aliud genus progressus esset, istud veniret in solo secundo casu, non autem primo: Ac etiam quia, si casus dedisset, ut donator intermedio tempore, debita propria, vel fidejussoria contraxisset, istis affecta non essent hæc bona donata, posito primo intellectu, bene tamen affecta remanerent, posito altero, cum similibus effectibus resultantibus ab eo principio, an ex tempore donationis bona jam abdicata essent a donatoris patrimonio, vel respective in illud reinciderint, concludendo, ut supra, quod hujusmodi quæstiones dicuntur facti, & voluntatis potius quam
17 juris, ideoque erroneum est, ex regulis, & propositionibus generalibus, sive ex Consulentium traditionibus, aut decisionibus editis in aliis controversiis decisionem quærere, atque generalem, ac indefinitam regulam statuere, cum totus punctus consistere videatur in bene indagando verisimilem disponentis voluntatem, beneque adaptando activa passivis, combinando circumstantias casuum, de quibus decisiones, vel doctrinæ agunt, an bene connectant necne cum speciali casu controversiæ, eique applicentur.

ANNOT. AD DISC. XVIII. & XIX.

DE hac materia resolutionis ob non implementum, & quando admittatur purgatio moræ, vel restitutio in integrum, habetur quoque actum *in hoc tit. de Donat. disc. 63. & 73. & sub tit. de Testam. disc. 73. de Legat. disc. 34. & disc. 14. de matrim. & sub tit. de fideicom. disc. 254. & 255.*

ROMANA LOCORUM MONTIUM
PRO PP. S. CAROLI AD CATENARIOS CUM OCTAVIA TORNIELLA

Discursus in congressu pro directione.

De eadem materia resolutionis donationis ob non implementum, & an detur purgatio moræ, vel restitutio in integrum ubi de resolutione expresse conventum est, in Ecclesia, vel minore, seu muliere, aliisque privilegiatis?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Donatio resolvitur ob non implementum de jure, & fortius accedente pacto.*
3 *Etiam si agatur de donatione ad pias causas, resolvitur si accedit conditio resolutiva.*
4 *An adversus pactum resolutivum detur purgatio moræ?*
5 *An detur restitutio in integrum, ubi agitur de pœnali amissione juris quæsiti, & de distinctione inter conditionem, & modum?*
6 *Distinguuntur casus ad effectum resolutionis donationis ob non implementum, & quando dicta resolutio intret necne.*
7 *Pœna conventionalis ultra interesse non exigitur.*
8 *Mulier non potest se reddere indotatam.*
9 *Expenduntur controversiæ Cyriaci super resolutione donationis, denegata restitutione in integrum.*
10 *Consulentibus non est deferendum.*
11 *De majori ætate Judæorum.*

D I S C. XIX.

1 OCtavius, pluribus factis donationibus ad favorem diversorum conjunctorum, Octaviæ nepti ex fratre pro dote, ut condecenter nubere posset, donavit octo locs Montium, & quædam alia bona, sub ea lege, ut ejus hæreditatem eximere deberet a quibuscumque molestiis, quas ejus hæreditas pati posset occasione cujusdam census cum Monialibus S. Mariæ Magdalenæ Novariæ, cumque Collegium S. Caroli ad Catenarios hæres molestias reciperet a dictis Monialibus, dictaque donataria monita, non curasset eas in se suscipere, unde Collegium coactum fuit solvere debitum, hinc introducta causa in Rota *coram Dunozetto* super dictæ donationis resolutione, datoque dubio, an donatio sit resoluta, ad ulteriorem disputationem (quod sciam) deventum non est, forsan sopita est causa per concordiam, quam in congressu desuper habito pro directione consului dicto Collegio ob difficultates, quas desuper habebam.

In congressu autem prædicto; ac in discursu præcedenter edito dicebant alii pro eodem Collegio Scribentes, quod versaremur in casu claro pro resolutione etiam ex sola dispositione juris, quamvis conditio resolutiva non adesset,
multo vero magis ea concurrente ad *text. in l. 1. & 2. C. de donat. quæ sub mod.* ubi communiter Scribentes, de quibus 2
Peregr. *cons. 77. lib. 3.* late Cyriac. *controv. 239. & 240.* Rota *decis. 203. n. 1. & per totum, par. 6. rec. in Mediolanen. donationis 10. Junii 1645. 13. Martii, & 17. Decembris 1646. coram Ghisleria impress.* apud add. ad Castill. 8. tom. *controv.* Et in specie resolutionis ob non implementum in solvendo debita donatoris clare disponit *text. in l. 2. C. de donat. ob caus.* & habetur cæteris relatis apud Staiban. *jun. resolut. 36. num. 25.* Rota *decis. 612. n. 2. par. 3. & decis. 338. n. 2. p. 4. rec.*

Quibus Ego addebam, adeo verum esse, quod ubi dispositioni legis accedit etiam dispositio hominis mediante pacto, vel conditione resolutiva, intret resolutio, ut licet ex 3
magis communi, & recepta opinione donatio facta Ecclesiæ, vel causæ piæ non subjaceat dictæ regulæ *text. in l. 1. & 2. C. de donat. quæ sub mod. & in l. finali Cod. de revoc. donat.* ex deductis supra *disc. 12. & 15.* & in aliis, attamen secus est accedente pacto resolutivo in casu non implementi, quoties istud non sequatur ex facto Papæ ob causam publicam; cum enim in piis dispositionibus, ille qui poterat non donare, leges & conditiones sibi placitas, ac visas apponere valent, ut rejecta opinione Innoc. *in cap. verum, de condit. appositis*, firmans magis communites Canonistæ relati per Tiraquell. *de retract. convent. ad finem tituli, n. 24.* Cyriac. *d. controv. 240. n. 52.*, & non negatur in decisionibus dictam regulam favore Ecclesiæ, vel piæ causæ firmantibus *d. disc. 12. & 15.* Et de pluribus resolutionibus donationum ad pias causas habetur *in præcedentibus*, ac etiam apud Rojas *decis. 244.* ubi de lege resolutiva adjecta in fundatione cappellaniæ, quatenus impedita præsentatione per patronos, alias provideretur, ut advertitur in sua materia *sub tit. de Jure patronatus.*

Difficultas autem, præsupposita dicta regula tanquam certa, residebat in ejus limitatione, seu modificatione, an scilicet dicta donataria resolutionem evitare posset cum purgatione moræ, reficiendo hæredi donatoris id quod ex causa dictarum molestiarum, ac debiti per donatariam assumpti solvisset, sive quod, non intrante purgatione prædicta, eidem tanquam mulieri, & minori, succurrendum esset beneficio restitutionis in integrum.

Primum motivum purgationis moræ, capiendo istam simpliciter, & de per se in ea specie purgationis de canonica
æquitate competentis ad evitandam devolutionem, seu pœnalem caducitatem, & de qua pluries *sub tit. de emphiteusi*, non videbatur considerabile, quoniam magis receptum est, ut adversus expressum pactum resolutivum post jam declaratam resolutionem moræ, purgatio non detur, cum resolutio non dicatur sequi in pœnam, sed ob deficientem voluntatem non donandi, Dec. *cons. 452. n. 17.* cum aliis generaliter deductis per Grat. *discept. 786. in fine*, Merl. *de pign. lib. 4. q. 123. n. 66.* Greg. & Adden. *dec. 569.* Et in specialibus terminis donationis, cæteris relatis, Staiban. *d. resol. 36. n. 51. cum seqq.* late Cyriac. *d. controv. 239. nu. 18. & seqq. & controv. 240. ex num. 15.* ubi *num. 20. & 21.* ratio assignatur quod ita esset cogere donatorem invitum ad novam donationem faciendam, dum prima est jam resoluta, & habetur etiam *dec. 203. n. 19. par. 6. rec.* 4

Verum stante qualitate donatariæ, mulieris, ac minoris,
Ego magnam difficultatem habebam, ut dicta purgatio admittenda esset ex beneficio restitutionis in integrum, juxta ea, quæ etiam in casu impossibilis retractationis, seu purgationis super restitutione in integrum adversus præceptum testatoris danda mulieri minori, habentur plene per Rotam *decis. 393. par. 4. rec. tom. 2.* & apud Marcian. *jun. disp. 77. & sub tit. de matrimonio*, præsertim *in Avenionen.* Licet enim dictæ, ac aliæ auctoritates percutiant dispositionem per ultimam voluntatem, unde propterea, quoties non agitur de conditione adjecta a parte antea, quæ tanquam qualitas 5

necess-

necessaria sit ad assequendum, adeout contraventio impediat solum jus quærendum, sed adjecta est a parte postea, & per viam modi, itaut imponet pœnam privationis juris quæsiti, & justa excusatio, seu restitutio in integrum concedatur, quod non ita de facili procedit in pactis resolutivis inter vivos, in quibus dicta distinctio inter conditionem, & modum non ita procedit, præsertim vero in legibus, quæ in donatione adjiciantur juxta firmata in supra allegatis *Mediolanen. coram Ghislerio*, cum aliis super dicta distinctione *sub tit. de fideicomm. disc.154. & seq. & sub tit. de testam. disc.73.* ac etiam in *dicta Avenion. & in aliis, dict. tit. de matrimon.* Attamen ob aliquam rationis identitatem fatis ad rem influere videbantur.

Magis autem proxime discurrendo dicebam, longam
6 differentiam in hoc proposito videri, ut etiam *disc. praced.* advertitur, inter eam contraventionem, quæ concernat personam ipsius donatoris superstitis, puta, illi denegando reservata alimenta, vel conventam præstationem, quod ingratitudinis speciem redolaat, ipseque donator ejus voluntatem declaret, in quibus terminis procedunt firmata *in dicta Mediolan. coram Ghislerio*, quo casu urget convincens, nimiumque probabilis ratio, ob quam hujusmodi purgationis moræ, vel restitutionis in integrum remedia de facili deneganda sunt, ne alias donatario licitum reddatur sub hoc clypeo cum ingratitudine donatorem contemnere, eumque positive offendere, præsertim circa denegationem alimentorum, vel præstationis reservatæ, ut frequentius contingit, ideoque rationabiliter ita rigorose procedendum est, ut etiam in ipsis terminis amphyteuticis ac adversus illam purgationem moræ, quæ de canonica æquitate conceditur pro evitanda pœnali caducitate, quando dicta ratio urgeat, ponderatur in dicta sua materia, *sub tit. de emphyteusi in Florentia, disc.46.*

Quando vero donator mortuus est, atque contraventio non habet eandem injuriæ, vel ingratitudinis rationem, ut contingere solet in desertione cognominis, & insignium, cum similibus juxta ea, quæ ad materiam *cons. 10. Paris. lib. 1.* habentur *sub tit. de fideicom. disc.7. & in aliis*, & quo casu ex rationis identitate aliqua difficultas cadere potest; Sed agitur de implemento concernente nudum interesse bursale, & tunc secus dicendum mihi videbatur, ut sufficiat reficere donatoris hæredi, vel alteri a molestiis eximendo, id quod interest, quoniam cessante dicta ratione ingratitudinis, ac injuriæ factæ donatori, cujus donandi voluntas ita verisimiliter deficere dicatur, ista diceretur
7 potius species pœnæ conventionalis, quæ in iis quæ concernunt bursale interesse, de canonica æquitate non exigitur, sed sufficit reficere id, quod interest, Afflict. & Add. *dec. 135.* Gennen. *in practicabil. Eccl. c. 688.* & habetur pluries deductum, præsertim *sub tit. de locat. disc.43. & 48. & sub tit. de Regal. disc. 117. & alibi.*

Ac etiam ponderabam quod eidem juris conclusioni assisteret verisimilis donatoria voluntas, quod cum finis per eum habitus esset solum, ut ejus hæres pro dicto debito molestias non haberet, neque hæreditas jacturam pateretur; probabile est, quod si resurgeret, ac interrogaretur, oblata suppletione contentus esset, non autem ad favorem extranei hæredis adversus neptem ex fratre, quæ magis ex negligentia viri, vel ejus administratoris defecerat, rigorosum usum dictæ conditionis resolutivæ exerceret.

Ea etiam notabili circumstantia accedente quod dictam donationem patruus nepti, forsan aliunde non provisæ, fecerat, satisfaciendo ejus dotandi obligationi, quam verius est patruo in subsidium incumbere, ex deductis in sua materia *sub tit. de dote, disc.142.* eam faciendo ita qualificatam, seu oneratam, perinde ac si donasset id minus, quod importaret istud debitum incertum, ac eventuale, ut pote fidejussorium potius quam proprium, quod ex bonis principalis debitoris satisfieri potuisset, adjiciendo conditionem resolutivam, potius ad incutiendum aliquem timorem, & pro quadam majori cautela, quam ut vere deficere diceretur donandi voluntas, ideoque in hujusmodi quæstionibus decidendis, ubi præsertim ipse donator non supervivat, ejusque voluntatem in contrarium non declaret, erroneum est cum generalibus propositionibus, vel doctrinis passim, uniformiter in omni casu procedere, sed ad singulorum casuum circumstantias reflectendum est, ac pro facti qualitate judicandum, ut etiam *disc. proxime praced.* advertitur.

Alia quoque considerabili circumstantia accedente, quod dicta donataria adimplendo finem in mente donatoris habitum
8 jam nupserat, atque bona donata in dotem dederat, adeout ubi fieret locus hujusmodi resolutioni, ipsa remaneret omnino indotata, unde propterea si mulier quamvis major etiam per expressum alienationis, vel obligationis actum, suæ dotis conditionem omnino deteriorem efficere non potest, atque se indotatam relinquere, ut pluries in sua materia *sub tit. de dote*, multo minus dicendum est, ut id sequi debeat per hujusmodi negligentiam, quæ potius a culpa viri, seu administratorum provenire potuit, ideoque concludebam, quod dicta donataria per speciem purgationis moræ, ut supra, offerente reficere totum id, quod interest, acceptandum esset, neque in hujusmodi prosequutione immorandum, cum potius timenda succumbentia esset, quam speranda victoria.

Et quamvis in his specialibus terminis denegandi mulieri, ac minori restitutionem in integrum adversus con-
9 simile non implementum in donatione demandatum, plene ac elaborate plura fundamenta deducat Cyriac. *d. controv. 239. & 240.* ex quibus quando scribi debuisset more Advocati ad causæ opportunitatem, nimium facile fuisset, explendo partes transcriptoris, plenas & copiosas informationes edere, istaque auctoritas individualis juxta stylum satis placere potuisset, dum loquitur in individuo mulieris & minoris, attamen mihi videbatur quod de nulla habenda esset ratio, tum ex modica fide, quæ regulariter Consulentibus præstanda est, ut pote doctrinæ venali, seu
10 conductitiæ, ut advertitur apud Franch. *dec. 260. n. 5. & 6.* Rota *dec.438. n.12. & seq. p.9. rec. & frequenter*, tum etiam quia ibi agitur de quadam muliere Hebræa, in qua supponebatur, quod neque adesset circumstantia minoris ætatis, ex eo quod ex lege Mosaica minor ætas compleretur in anno pubertatis, quod late *idem auctor* examinat *controv. 241.*
11 Aliæque concurrebant circumstantiæ diversæ ab hac facti specie, procedendo in reliquis cum doctrinis, ac propositionibus generalibus more Consulentium præsertim de partibus, qui licet docti, ac elaborati, in uno responso adjicere solent totum id quod sciunt, vel in ea materia inveniunt, ut patet ex lectura, ideoque cum ista sit quæstio voluntatis, totum est in applicatione, ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis decidenda, seu regulanda.

ROMANA BONORUM, PRO MONASTERIO S. APOLLONIÆ & illis de PARIS, CUM ALBERTINIS.

Discursus in congressu.

Ad materiam *text. in l. si unquam, C. de revocan. donat.* quando illius renunciatio, seu cogitatio filiorum cassare faciat ejus dispositionem, & an intret in donatione habente annexum aliquod onus, & quatenus intret, an requiratur declaratio donatarii in vita, vel resolutio allegari possit per hæredes?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ægidiana non ligat Ecclesiasticos.*
3 *De interdicto quorum bonorum, ad quæ bona detur, an contra titulo possidentem?*
4 *Pro resolutione* ex l. si unquam, *an requiratur declaratio donatarii, & an facultas id declarandi transmittatur?*
5 Lex si unquam *non procedit in donatione onerosa, vel causativa.*
6 *In qua neque requiritur insinuatio.*
7 *Isti termini insinuationis, &* l. si unquam *parificantur.*
8 *Quando dicatur ad dictum effectum onerosa.*
9 *Quando* d. l. si unquam *cesset ob renunciationem, vel quia de filiis cogitatum sit.*
10 *Expenditur conclusio, quod renunciatio* l. si unquam *non capit casum verisimiliter inopinatum.*

DISC. XX.

JOannes Dominicus de Albertinis habens ex prima uxore tunc vivente unicam filiam, donavit Andreæ fratri quandam domum, aliaque bona in Urbe ejusque districtu existentia, cum onere ea restituendi illi ex ejusdem Andreæ filiis, qui fieret Sacerdos, alio etiam onere adjecto, ut tam a primo, quam a secundo donatario, præstari deberet habitatio in eadem domo filiis masculis ab ipso procreandis, quatenus ad Urbem accederent, ibique morari vellent, cum 1

antem

autem dictus donator, mortuo prima uxore, quæ de tem-
pore donationis senex, usque ad filiorum procreationem
inhabilis judicabatur, ex secunda uxore plures procreasset
filios, hinc isti, mortuo patre, prætendentes dictæ dona-
tionis resolutioni locum factum esse, judicium instituerunt
coram A. C., seu Prælato ab eo deputato, e quo tanquam
patris hæredes ab intestato ex interdicto quorum bono-
rum obtinuerunt sententiam immissionis ad domum præ-
dictam, aliaque bona donata, a qua sententia commissa
per Signaturam causa appellationis in Rota cum clausula,
Consito quod sit locus Ægidianæ, datoque ad formam dicti
rescripti dubio, an esset locus Ægidianæ.

In Advocatorum congressu, juxta laudabilem stylum pro
causæ directione habito, discurrebatur, duas esse hujus dis-
putationis partes, unam ordinis, an scilicet locus esset in-
terdicto quorum bonorum, quod tanquam possessorium in
Urbe, & Statu Ecclesiastico non admittit appellationem
suspensivam ex dispositione Constitutionis Ægidianæ, quæ
sublata contraria dispositione juris canonici admittentis
in quocumque possessorio adipiscendæ, vel reintegran-
dæ, appellationem ad utrumque effectum, reducit rem ad
terminos juris civilis, juxta dispositionem textus *in l. unica*,
C. si de moment. possessione, & alteram circa justitiam, ac
merita negotii principalis, de quibus juxta stylum quo-
tidianum semper agi solet etiam, respectu primæ inspectionis
concernentis solum ordinem, ex receptissima propositione,
quod Ægidiana locum habet in sententiis justis, & validis,
non autem in invalidis, vel injustis, quæ nunquam executio-
nem merentur, ideoque in quantumvis executivis, ac
privilegiatis judiciis appellationem admittunt ad utrumque.

Quatenus igitur pertinet ad primam inspectionem ordi-
nis, plana videbatur resolutio negativa, pro Ægidianæ ex-
clusione, ex eo solo fundamento, quod inter reos conventos
& possessores adesset dictum Monasterium Monialium,
2 quod tanquam Ecclesiasticum non subjacet dictæ Constitu-
tioni, quam receptum est esse legem laicalem non ligantem
clericos, & personas Ecclesiasticas, itaut illius mixtura
causet appellabilitatem in totum, etiam respectu laicorum,
& subditorum, ex deductis per Otthob. *dec.* 170. *n.* 8. *cum
seq.* & alias quotidie, quoniam hoc jure passim vivitur, ut
in sua materia *sub tit. de judiciis*.

Clarius vero ratione manifestæ incompetentiæ hujus in-
terdicti, tam quia illud non datur contra possidentem ti-
3 tulo particulari, quoties hic habitus est in vita ejus, de cujus
successione agitur, & fortius si ab ipsomet, cum tale diffi-
cultas cadat in eo titulo, qui habitus est post mortem de-
functi Bart. *in l. finali*, *C. hoc tit.* *& cæteri* per Mantic. *dec.*
249. n. 9. qui dicit hoc apud omnes legum interpretes rece-
ptum esse, Buratt. *decis.* 772. n. 3. *cum seqq.* Rota *decis.* 263.
n. 2. *p.* 8. *rec.* Tum etiam quia hoc interdictum datur ad bo-
na per defunctum possessa tempore mortis suæ *l.* 1. *ff. hoc tit.*
Menoch. *de adipisc. remed.* 1. n. 78. *cum seqq.* Unde cum bo-
na per defunctum tempore mortis non possiderentur, dum
ab eodem donationis inter vivos titulo in alios translata
fuerant, ita ineptum videbatur hoc judicium, quamvis ob
filiorum supervenientiam locus esset resolutioni, etiam ab
ipso donatore vivente declaratæ, quoniam id operari potest
recuperationem bonorum, ut ad priorem causam, ac do-
natoris dominium, & possessionem denuo mediante facto
judicis revertantur, nullatenus vero talem acquisitionem
in dominio & possessione, quod dici possent possessa per
defunctum tempore mortis, ut requiritur ad effectum com-
petentiæ dicti interdicti, quod inspecta veritate omnino
incongruum videbatur.

Quovero ad justitiam causæ, ac merita negotii princi-
palis, disputationis punctus restringebatur ad dispositionem
tex. in l. si unquam, *C. de revoc. donat.* an scilicet ob filiorum
supervenientiam dicta donatio resoluta esset, in hoc au-
tem, ex triplici fundamento dicebam negative responden-
dum videri, primo, quia dum donatio executioni deman-
4 data erat, bonaque donata jam abdicata erant a donatore,
atque transierant in posse donatarii, ex veriori sententia
ita distinguente, ad effectum talis resolutionis, necessaria
erat declaratio ipsius donatoris in vita, qua non sequuta,
firma remanet donatio, neque jus faciendi talem declara-
tionem videtur transmissibile ad hæredes, ut firmant Alex.
& cæteri collecti per Tiraquell. *in hac lege*, *verbo revertatur*,
n. 10. *cum seq.* *Clar.* §. *donatio*, *quæst.* 23. & cum hac distin-
ctione procedit Rotæ *dec.* 591. *n.* 4. *&* 5. *p.* 5. *rec.*

Secundo, quia non agebatur de pura, & gratuita dona-
tione, sed onerosa & causativa, cum onere scilicet resti-
tuendi ipsius donatarii filio sacerdoti, & cum alio onere
præstandi habitationem filiis masculis ex ipso donatore 5
procreandis, ideoque in hac donationis specie non habere
locum dispositionem *l. si unquam*, firmant Tiraq. *ibidem*, *ver-
bo donatione largitus* n. 141. Gabr. *de donat. conclus.* 2. *n.* 40.
& 79. Cyriac. *controv.* 170. *n.* 3. *cum seqq.* Fontanel. *de pact.
clauf.* 5. *glos.* 8. *p.* 3. *n.* 76. Rotæ *decis.* 320. *n.* 41. *p.* 6. *recent.* Et
conferunt, quæ habentur de insinuatione, vel alia solemni- 6
tate requisita in simplicibus, ac puris donationibus, ut non
requiretur in hujusmodi causativis, vel onerosis, ut apud
Caval. *decis.* 407. *n.* 4. Buratt. *dec.* 461. *n.* 8. Otthob. *dec.* 182.
n. 17. *decis.* 460. *n.* 6. *par.* 4. *recent. tom.* 2. *decis.* 58. n. 50.
& 118. *n.* 11. *par.* 6. Illi enim termini parificantur, ut per
Tiraquell. *dict. verbo donat. largitus*, *n.* 143. *ubi concordantes.*

Et licet pro ratione dubitandi, discurrendo, considera- 7
rem, quod tunc donatio dicitur ob causam, ubi continet
onus ad favorem ipsius donatoris, vel descendentium ab
eo, non autem, ubi ad favorem tertii, & fortius ubi ter- 8
tius est de descendentibus ipsius donatarii, cujus favorem
quodammodo dictum onus videtur continere, nihilomi-
nus contrarium receptum videtur, ut scilicet desinat esse
pura, & simplex donatio eo ipso, quod bona donata non
sunt ad liberam donatarii dispositionem, sive onus respi-
ciat favorem donatarii sive tertii, ut *dicta decis.* 460. *par.* 4.
tom. 2. Otthob. *ubi supra*, *& cæteri ibidem*, atque ita in pro-
posito insinuationis, vel aliarum solemnitatum vidi sæ-
pius judicatum in praxi.

Tertio demum, quia non solum in donationis instrumen-
to aderat renunciatio omnibus legibus ad favorem donato-
rum facientibus, sed in specie *d. l. si unquam*, verum in hoc 9
nullum constituebam fundamentum, cum id esset inter clau-
sulas generales, & executivas, ut plurimum de Notariorum
stylo apponi solitas, ut advertunt add. ad Thesaur. *dec.* 121.

Solidius autem videbatur alterum fundamentum, quod
ex eodem instrumento clare parebat de filiis nascituris co-
gitatum fuisse, dum eis ex pacto consultum est de habitatione
in domo donata, quando a patria ad Urbem accederent, ibi-
que morari vellent, ubi enim de filiis donator jam cogi-
tavit, tunc non intrat *d. l. dispositio*, Gabr. *dict. conclus.* 2. *n.* 49.
Tiraq. *in eadem l. in præfat.* *n.* 78. *cum seqq.* Castill. *lib.* 2.
controv. c. 13. *n.* 50. Rota *dicta dec.* 591. *n.* 7. *p.* 3. *rec.* Dictæ
siquidem legis dispositio fundata est in simplici juris præ-
sumptione, quod si donator de filiis nascituris cogitasset,
non donasset, ideoque cum præsumptio semper cedat ve-
ritati, hinc certum esse dicebam, quod ubi constat cogitas-
se, talis præsumptio cessat, dummodo tamen id constet
certitudinaliter, & explicite, ut in præsenti, secus autem
ubi cogitatio deducitur solum virtualiter, ac implicite per
renunciationem *d. l. si unquam*, cum possibile sit id a Nota-
rio appositum esse, donatore non audiente, vel audien-
te, & non advertente, seu dictæ legis dispositionem igno-
rante, atque renunciationis vim non percipiente, ut adver-
titur *dicta decis.* 591. *par.* 3. *recent.* quæ in materia videtur
notabilis.

Major autem difficultas reducebatur ad conclusionem,
de qua Soccin. *cons.* 126. *lib.* 3 *& cæteri* per Tiraq. *in præfat.* 10
n. 111. Adden. ad Thes. *dec.* 121. Fontanell. *de pact. clauf.* 5.
glos. 8. *p.* 3. *n.* 16. quod scilicet ubi agitur de donatore ha-
bente uxorem senem, vel sterilem, itaut verisimiliter se pu-
tet de filiis desperatum, tunc renunciatio *d. l. si unquam*,
non habeatur in consideratione, neque capiat casum susce-
ptionis filiorum ex secunda uxore, quam mortua priori du-
xerat, cum videatur casus verisimiliter incogitatus.

Ponderebam tamen hoc recte procedere, atque videri
verum, ubi solum ageretur de explicita, vel implicita re-
nunciatione dispositioni *dictæ l. si unquam*, quoniam, opi-
nando donator se filios non esse suscepturum, ita donavit
solem mensis Augusti, proindeque probabile est, quod si ad
istum casum cogitasset, non renunciasset, secus autem ubi
non agitur de simplici renunciatione, seu actu negativo,
sed de cogitatione positive, quia nempe (ut in præsenti)
curaverit providere de habitatione per donatarium præ-
standa filiis masculis ab ipso procreandis, quo magis enim
tunc habebat uxorem senem ac sterilem, eo magis liquido
constat cogitasse de ducendo secundam uxorem, filiosque ex
ea procreando, dum provisio prædicta restricta erat ad filios
legitimos, & naturales ex legitimo matrimonio; quod per-
necesse supponit casum prædictum habitum fuisse in in-
tentione, tota enim hæc materia est præsumptiva, cum
dispositio hujus legis in præsumptione fundetur, itaut si qua-
litas donatarii, vel bonorum donatorum suadeat verisimi-
liter donatorem de filiis cogitando, adhuc donasse, disposi-
tio etiam dictæ legis cesset, quoniam præsumptio e dicta le-

se

ge subintellecta suffocatur n fortiori præsumptione, quæ ex facto resultaret, atque hanc dicebam Mihi videri veritatem, dum præsertim non erat donario absorbens notabilem assis partem, sed de quadam portione bonorum, quam habebat in communi cum fratribus in Urbe, non tamen disputatum fuit, incertumque est ex qua causa, vel quia concordatum, vel quia mutati Defensores.

ANNOT. AD DISC. XX. & seq.

De resolutione donationis ob supervenientiam filiorum habetur quoque *in hoc tit. de donat. disc.* 71.

TOLENTINA DONATIONIS, PRO CATERVO MARIANO, CUM JOSEPHO PASCUCCIO.

Casus resolutus per A. C. pro Catervo.

De eadem resolutione donationis ob supervenientiam filiorum *ex l. si unquam*, C. *de revoc. donat.* Et de donationis nullitate ob non servatas solemnitates statutarias, quamvis extra locum Statuti.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De* Constitutione Ægidiana *circa donationes, &* *qualis sit* Ægidiana, *qualis vero* Carpensis.
3 *An in donatione servandum sit Statutum donatoris, vel illud loci donationis?*
4 *De casu in quo attendendum est illud loci donatoris, quamvis extra illum donatio facta sit.*
5 *Et de altero quando idem dicendum sit.*
6 *Renunciatio* l. si unquam, *an & quando obstet?*
7 *De casu, in quo, etiam si dicta renunciatio adsit, ac de filiis sit cogitatum, adhuc donatio resolvitur.*
8 *De limitatione* l. si unquam, *& quando non intret.*
9 *Testamentum imperfectum an obliget in conscientia?*

DISC. XXI.

1 Catervus Marianus Tolentinas, Romam veniens de anno 1660. ut ibi per aliquos dies moraretur, a concive Josepho inductus fuit, ut omnium suorum bonorum donationem ei faceret; ad breve autem tempus ad patriam rediens, ibique suscepta uxore, ac filiis procreatis, agnoscendo imprudentiam, cum qua ad donationem processerat, judicium instituit coram A. C. super illius invaliditate, vel resolutione, atque deducendo nullitatem ob non servatam formam præscriptam per Constitutionem Marchiæ *lib.* 1. *c.* 25. *in fine*, juxta additionem Cardinalis Carpensis, resolutionem vero, seu revocandi facultatem ex dispositione textus *in l. si unquam*, C. *de revocand. donat.* ob filiorum supervenientiam.

2 Pro actore Scribens, in primo fundamento aliquam habebam difficultatem, quoniam licet Constitutiones Ægidianæ fuerint extensæ per *Paulum III.* ad Urbem, ac universum Statum Ecclesiasticum, cum amplissima confirmatione, per quam sublata remanet omnis difficultas, quæ alias cadere posset super potestate tollendi efficaciam juramenti, attamen in hac parte Constitutio non est Ægidiana, sed Carpensis, ex qua differentia duo resultant. Primo scilicet circa juramentum, adversus quod Statutum laicale sine potestate Papæ non est operativum. Et secundo, quod non egrederetur illam Provinciam Marchiæ, in qua solum Carpensis fuit Legatus, ideoque non attendenda in hac donatione utpote facta in Urbe, & sic extra Territorium statuentis, dum non agebatur de solemnitate alias inhabilitante personam, quo casu Statutum afficit subditum etiam extra propriam ditionem, sed de respiciente formam actus, juxta communem, & receptam distinctio-
3 nem, cum qua Rota, & Curia procedit, ut ultra generalia, de quibus frequenter alibi præsertim *sub tit. de alienat. & contract.* In specialibus terminis donationis factæ non servata forma Statuti donatoris extra ditionem statuentis discusso articulo firmatur *dec.* 238. *p.* 6. *rec.* & apud Buratt. *dec.* 27. *& sub tit. de dot. disc.* 17. Licet contrariam in eisdem terminis donationis stare magis communem, & veram, late probare conetur Menoch. *cons.* 819. *n.* 13. *& seq.*

4 Dicebam tanquam Advocatus, quod, admissa etiam dicta prima opinione, attamen limitanda venit, ubi actus affectate gestus est extra territorium statuentis, ad faciendam fraudem Statuto, illudque eludendum, ut exemplificatur, quando discessus est cum brevi reditu, Aretin. *cons.* 54. Menoch. *d. cons.* 819. *n.* 14. Lamberteng. *de contract. glos.* 2. *n.* 53. Rota *in d. Tiburtina donationis* 31. *Januarii* 1659. §. *finali coram Albergate confirmata cor. eodem, & coram Bourlement*, de qua *disc.* 17. *de dote.*

Dubitabam tamen de applicatione, ob cessantem præordinationem, quod videtur potissimum dictæ limitationis requisitum, licet enim donator accedent ad Urbem, post brevem morem ad Patriam redierit, hic tamen accessus, devotionis, vel curiositatis gratia, nullam habuerat præordinationem, dum donatarius morabatur in Urbe, ubi occasione concivicæ conversationis sibi facile redditum fuit inducere donatorem ad id faciendum.

Unde solum in proposito nullitatis (inspecta veritate) 5
considerabilis videbatur illa circumstantia, cujus ratione, ipsamet Rota *d. dec. Buratt.* 27 *n.* 7. *&* 238. *n.* 10. *p.* 6. *rec.* admittere videtur contrariam opinionem, de qua apud Menoch. *ubi supra*, quod scilicet etiam donatarius esset Statuto subditus, ejusque dispositionis bene conscius, verum opus non fuit hunc punctum multum discutere, quoniam, vel ex dicto altero motivo, vel ex eo quod causæ Patronus aliquas deduceret facti circumstantias præseferentes invaliditatem actus, Judex modicam habuit difficultatem, neque ipsemet donatarius non multum institit in actu sustinendo.

Solidum autem erat dictum alterum fundamentum su- 6
pervenientiæ filiorum, quamvis in instrumento donationis
inter clausulas generales legeretur renunciatio pluribus le-
gibus, præsertim prædictæ *l. si unquam*, quoniam etiam
juratam renunciationem in proposito non obstare firmant
plerique deducti apud Tiraq. *in eadem l. in præfat. n.* 173.
& Rocch. *qui plures colligit*, *respons.* 88. *nu.* 2. *cum seq.*
lib. 2. Quicquid enim sit de dicta propositione, quæ ita
generaliter, ac abstracte sumpta videtur periculosa, illam
tamen dicebam in præsenti bene procedere ex triplici fa-
cti circumstantia, primo scilicet, quod ex tenore instru-
menti constabat nullatenus de filiis cogitatum esse, sed
dictam renunciationem contineri sub involucro verborum,
& in clausulis generalibus de Notariorum stylo frequentius
apponi solitis, itaut non appareret donatorem de dictæ
legis dispositione certioratum esse, & cum qua distinctio-
ne ponderabam dictam renunciationis propositionem intel-
ligendam esse, secundo ratione omnimodæ inverisimilitu-
dinis, cum non ageretur de donatione alicujus certæ rei,
vel quantitatis, itaut cadere posset consideratio, quod etiamsi
de filiis cogitasset, eam fecisset, sed de illa omnium bo-
norum quam omnino improbabile est fieri debere per eum,
qui de filiis cogitaret, cum ita quodammodo resultare vi-
deretur præsertim in juvene, qualis erat donator, impe-
dimentum libertatis matrimonii, & procreationis filiorum,
quos certo sciebat in mendicitata relinquere debere, &
tertio, quia tunc donator uxorem non habebat, ideoque
donare dixit, quia cœlibem vitam ducere intendebat, un-
de propterea renunciatio, quamvis de ipsius donatoris vo-
luntate serio facta non capiebat istum casum, tanquam
inopinatum, ex iis, quæ in donatore habente uxorem se-
nem, vel sterilem, ac expresse renunciantem *dictæ l. si* 7
unquam, ut talis renunciatio non capiat inopinatam pro-
creationem filiorum susceptorum ex secunda uxore, quam
priori mortua, susceperat, firmant Soccin. *cons.* 126. *lib.* 3.
Tiraquell. *in d. præf. nu.* 111. *cum seq.* & cæteri apud Roc-
ch. *d. respons.* 88. *n.* 5. & Fontanell. *de pact. claus.* 5. *glos.* 8.
p. 3. *n.* 16. Istæ autem circumstantiæ etiam singulariter,
& de per se consideratæ sufficere videbantur, multo ma-
gis insimul unitæ, proindeque pro donatore cum justitiæ
fundamento resolutum fuit.

Super eodem puncto resolutionis, seu revocabilitatis do-
nationis ob filiorum supervenientiam scripsi in una *Veli-
terna* pendente coram Judice deputato per Cardinalem De-
canum pro Stephano Colutio, cum Francisco, & aliis
pariter de Colutiis, in qua causa dicebam, dispositionem
dicti textus non intrare cum non ageretur de pura, & 8
simplici donatione, sed causativa pro conservatione scilicet
agnationis, *ut dec.* 320. *nu.* 4. *p.* 6. *rec.* Et quod magis,
quia donatores nihil dederant de bonis propriis, & in eo-
rum patrimonio incorporatis, itaut exinde pauperiores ef-
fecti essent, sed solum remiserant quoddam jus quærren-
dum, quoniam cum quidam communis conjunctus ad fa-
vorem Stephani condidisset testamentum, quod de stricto
jure erat imperfectum, itaut locus esset successioni ab in-
testato, illi, quibus talis successio debita erat, se declaran-
tes conscios determinatæ voluntatis testatoris, dictum te-
stamentum quamvis imperfectum approbarunt, & quate-
nus

nus opus esset, per viam donationis bona hæreditaria sibi ab intestato debita, hæredi scripto remiserunt, unde propterea fuit potius approbatio testamenti, quod imperfectum ex defectu, non voluntatis, sed solemnitatum, ex consensu venientium ab intestato revalidari potest *l. non dubium*, *§. illud*, *C. de testam. l. filio præterito*, *ff. de injuste rupto & irrit. testament.* ubi Bart. *& cæteri*, & sic duplex intrabat ratio, ob quam dictæ legis dispositio cessabat, una nempe, quæ de bonis quærendis, & altera, quia potius actus continere videbatur recognitionem veritatis, & bonæ fidei, et exonerationem conscientiæ, qua premuntur venientes ab intestato ex testamento imperfectu ex sola ratione solemnitatum, quoties constat de perfecta, & determinata voluntate juxta opinionem plurium, de quibus Facchin. *lib. 4. controv. c. 5. & late Magdalen. de num. testium, p. 3. cap. 2. & 3.*

9 Licet enim illa opinio, quæ apud Morales est magis communis, & recepta, reputetur per Canonistas minus vera, atque in Foro nullatenus recepta sit, itaut nunquam practicari visa fuerit illa coactio, quam hæredi scripto in tali testamento adversus venientes ab intestato competere per viam denunciationis Evangelicæ, firmant plerique collecti per *Magdalen. ubi supra*, attamen id non prohibet venientem ab intestato volentem eligere opinionem pro conscientia tutiorem, ne hunc actum gerat pro recognitione veritatis, ac bonæ fidei, unde propterea non dicatur vera donatio cadens sub dicta dispositione *l. si unquam*; si enim potest quis nolle quærere delatam hæreditatem in præjudicium creditorum, ad quorum præjudicium, impeditum habet arbitrium disponendi de bonis suis jam quæsitis, cum tamen istu casu juxta plurium opinionem, id in conscientia, & absque peccato fieri non posset ex iis, quæ habentur hinciude deducta per *Prat. observ. 15. & 16.* & in aliis *sub tit. de credito*, multo magis absque dubio dicebam id fieri posse, conscientiæ motivo in contrarium impellente, ac in præjudicium filiorum procreandorum, cum etiam jam certi, & procreati nullum jus in bonis patris viventis habere dicantur, neque impediant liberam dispositionem bonorum jam quæsitorum, & possessorum, ideoque multominus curandum est de nascituris, & respectu bonorum acquirendorum, ideoque ex hac circumstantia, etiam cum sensu veritatis, dicebam dictæ legi nullatenus locum esse.

MELEVITANA DONATIONIS, PRO MONASTERIO CONVERTITARUM, SEU MULIERUM PŒNITENTIUM.

Responsum pro veritate.

De eadem materia resolutionis donationis per supervenientiam filiorum, & in specie ubi de tempore, quo donatio facta est, donatrix haberet ventrem prægnantem, sed ignoraret.

Metus donatori incussus a tertio, an irritet donationem factam præsertim Ecclesiæ, vel causæ piæ?

In quo Foro tractanda sit causa rescissionis donationis, si donator est laicus, & donatarius est Ecclesiasticus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An attendatur Forum donatoris, vel donatarii in judicio rescissionis donationis?*
3 *Donataria in vim constituti, & reservationis ususfructus competit manutentio.*
4 *An possit renunciari dispositioni text.* in l. si unquam Cod. de revocan. donation.?
5 *Quod materia dictæ renunciationis concernat factum, & voluntatem.*
6 *Quod semper debeat reflecti ad factum.*
7 *In donatione facta Ecclesiæ, vel piæ causæ non intrat* l. si unquam.
8 *Neque in donatione causativa, & onerosa.*
9 *Quomodo in his, & aliis limitationibus sit procedendum.*
10 *Quod limitationes inducant præsumptionem, ac transferant onus probationis.*
11 *De circumstantiis, ob quas dispositio* d. l. si unquam *non intret.*
12 *Quod non intret per procreationem filiarum.*
13 *Illegitimi minus habentur in consideratione.*
14 *De differentia inter patrem, & matrem super filiis illegitimis.*
15 *De Constitutionibus Apostolicis super successione Monasterii Convertitarum in hæreditate mulierum inhonestarum.*
16 *Quod in renunciatione posita inter clausulas generales non sit habenda ratio.*
17 *Favor causæ piæ, vel Ecclesiæ non supplet imperfectionem, ac defectum voluntatis.*
18 *An metus illatus a tertio annullet actum?*
19 *Quod dictus metus influat ad renunciationem* l. si unquam, *ut non obstet.*
20 *Legitima debetur filiis illegitimis in successione matris, & in calculo veniunt bona donata.*

DISC. XXII.

Flaminia vidua, quam supponebatur parum honestam 1
vitam duxisse, cum ad quatuor annos antecedentes cujusdam quantitatis donationem fecisset Monasterio Convertitarum, seu mulierum Pœnitentium, alteram fecit eidem Monasterio nonnullorum bonorum, in quibus dictam priorem donationem comprehensam esse voluit, cum clausulis amplissimis, ac præsertim cum renunciatione dispositioni textus *in l. si unquam*, *Cod. de revoc. donat.* Cumque haberet ventrem tumidum, quem ex Medicorum judicio opinabatur a morbo resultare, eventus autem probasset eam esse prægnantem, ex quo filiam suscepit; hinc prætendere cœpit donationem prædictam resolutam esse, allegando quoque quod per vim, & metum a persona in loco potentissimo ad id inducta fuisset, quare ex parte Episcopi, vel dicti Monasterii Administratorum, de tribus pro veritate consultus fui; primo circa Fori competentiam, in quo scilicet, an Ecclesiastico, vel sæculari causa tractanda esset; secundo circa dictam resolutionem resultantem ex dispositione textus *in d. l. si unquam*; & tertio super alia prætensa nullitate resultante e defectu consensus.

Ad primum respondi idem, quod habetur *in Neapolitana donationis*, *sub tit. de Jurisdictione disc. 62.* ubi quod 2
attendatur persona possessoris, si enim bonorum donatorum possessio naturaliter, ac de facto esset penes Monasterium, adeout donatrix agere deberet ad recuperationem, absolutum erat causam tractandam esse in Foro Ecclesiastico Monasterii rei, & possessoris, secus autem e converso, quod donatrice laica de facto possidente, Monasterium agere deberet ad ipsa bona vendicanda, eorumque possessionem obtinendam.

Quamvis enim dici posset, quod penes Monasterium 3
adesset, nedum dominium, sed etiam possessio, quæ ex juris fictione resultat ob clausulam constituti, & reservationem ususfructus, adeout donatario ita competere valeat interdictum retinendæ, seu manutentionis tanquam legitimo, ac vero possessori *ex collect.* apud Buratt. & Add. *decis.* 145. 179. & 220. in terminis donationis *in Bonon. de Felicinis 10. Januarii 1650. coram Bichio*, *Dunozet. decis. 776. nu. 6. & 951. n. 1.* Attamen cum agere oporteat contra laicum, e quo bona de facto vendicare oportet, hinc proinde in aliis Principatibus, in quibus formalis, ac omnimode distinctio dignoscitur utriusque Fori, nimiumque invigilatur, ne laicus reus, & possessor, exceptis causis Ecclesiasticis, vel spiritualibus, ad Forum Ecclesiasticum trahatur, satis difficile est ad praxim deducere ea, quæ in puncto juris non improbabiliter desuper dici possunt, ut donetarius ea juris potentia, & ex ratione constituti, ac reservationis ususfructus possessor dici debeat, magisque reus, quam actor, ideoque a suo Judice manutenendus.

Quo vero ad alterum quæsitum super resolutione resultante a supervenientia filiorum, juxta terminos dicti textus *in l. si unquam*, *C. de revoc. donat.* dixi duplicem in hoc proposito cadere quæstionem, primo scilicet, an dictæ legis dispositioni renunciari possit, quamvis donator illius conscius esset, adeout quæstio restringatur ad solum defectum potestatis, & alteram, posita potestate circa voluntatem, an scilicet illa concludatur ex ea generali renunciatione huic legi, quæ inter clausulas generales, ac renunciationes aliarum legum favore Donatorum emanatarum adjici solet.

Quoad primam partem, quamvis negativam plures teneant relati per Tiraquell. *in commentar. ad hunc text. in præfat. n. 89.* Gretus *cons. 50. n. 65. l. 1.* Clee. *in §. donatio*, 4
q. 22. n. 4. qui dicit quæstionem esse adeo dubiam, ut vix discerni possit quæ sit magis communis, & vera, adeout

impe-

imperatoria decisione indigeret, aliosque refert Rocch.
responso 88. *num.* 2. & 3. *lib.* 2.

Attamen ubi, ut dictum est, certa est voluntas, solum-
que dubitatio restringitur ad potestatem, omnino verior,
ac recepta est affirmativa, potissime vero, ubi (ut pene
semper) accedit juramentum, quod omnem juris civilis
subtilitatem dirimit, ut per Tiraquell. *ubi supra n.* 77. &
seqq. & 96. *cum seqq.* Clar. *loco citato*, Gabr. *de donat. con-
clus.* 2. *n.* 49. & 63. apud quos concordantes, atque tanquam
absolutum supponit Rota apud Seraph. *dec.* 829. & 837. &
dec. 591. *p.* 3. *rec.* ubi quod sufficit etiam cogitatio, ut ad-
vertitur *disc.* 16. *proxime praecedenti*.

5 Quare, pro meo judicio, difficultas in hac materia resi-
det in altera inspectione voluntatis, cujus, ac facti potius,
quam juris ista quaestio est, an scilicet donator vere de fi-
liorum susceptione cogitaverit, & hoc non obstante dona-
re voluerit, sive quod non constito eum cogitasse, proba-
bile sit, quod etiamsi cogitasset, adhuc donaturus fuisset,
hoc enim posito, non dubitatur, quod praefati textus di-
spositio cesset, ideoque totus punctus est in hujusmodi vo-
luntatis probatione, super qua, ut pluries habetur in prae-
cedentibus, praesertim *disc.* 8. & 9. & in aliis, ac frequen-
tius *sub tit. de fideicomm.* & in omni alia materia, non de
facili certa, & determinata regula generalis tradi potest,
cum totum pendeat ex facti qualitate; ac singulorum ca-
suum particularibus circumstantiis prudentis Judicis arbi-
trio, junctim ponderandis, cum vulgari regula, *ut singula
quae non prosunt &c.* absque eo quod in singulorum admini-
culorum, vel conjecturarum pondere, ac efficacia, certa,
& determinata regula pariter tradi valeat, cum frequen-
ter in uno casu aliqua adminicula abundent, in altero au-
tem, eadem longeque majora insufficientia sint, ut pluries
6 locis citatis advertitur, atque circa superfluitatis vitium;
commendabile potius esset, in omni casu repetere, ad
tollendum frequentia aequivoca, in quae incidi solet, at-
tendendo canonizationem, vel rejectionem aliquorum ad-
miniculorum pro regula generali in omni caso.

7 Hinc proinde, quamvis dispositioni, seu regulae dicti tex-
tus *in d. l. si unquam*, plures a Scribentibus tribuantur limita-
tiones, quarum aliquae *in duobus discurs. proxime praeceden-
tibus* quoque enunciatae sunt, & praesertim ubi agatur de
donatione facta Ecclesiae, vel piae causae, ex plene cumula-
tis per Gabr. *d. conclus.* 2. qui plures alias limitationes re-
fert, inter quas praesertim numerari solet illa, ubi donatio
non esset omnino pure, & gratuite, sed causativa, sive ali-
8 quod onus contineret, ut per Gabr. *ubi supra n.* 45. & 79.
Tiraq. *in commentar. ad eamdem l. verbo donatione largitus*,
Anna *in cap.* 1. *de vassallo decrepitae aetatis*, *n.* 437. ubi Adden.
n. 96. Ac generaliter tradatur limitatio, ubi verisimiliter,
cogitando etiam de filiis, adhuc donaturus fuisset.

9 Attamen, ut saepius in consimilibus quaestionibus dice-
re consuevi, tam Judicantium, quam Consulentium le-
guleica simplicitas videtur, in hujusmodi generalitatibus,
ita simpliciter immorari, idemque judicium in omni casu
desuper proferre, cum potius ex singulorum casuum qua-
litate indaganda sit verisimilis voluntas, praefatis limita-
tionibus, seu conclusionibus suffragantibus ad inducendam
juris praesumptionem transferentem onus probationis in al-
10 teram partem, quod scilicet si donatario ita assistit dictae
legis limitatio, teneatur donator per contrariam probatio-
nem expressam, vel per fortiores praesumptiones, ac ma-
jora adminicula contrarium probare, sicuti e converso illa
praesumptio, quae favore donatoris resultat, quando de
tempore donationis opinabatur se esse de filiis desperatum,
quia nempe uxorem senem, ac sterilem haberet; cessat
ex contraria fortiori praesumptione.

11 Applicando igitur ad rem, plura simul juncta, aliquam
probabilitatem inducere videbantur pro dictae regulae, seu
legis limitatione, primo scilicet, quod ageretur de mu-
liere inhonesta poenitente, disponente ad favorem Mona-
sterii hujusmodi mulierum poenitentium, ut universalis
praxis docet, secundo, quod non esset donatio pure, &
mere gratuita, sed dupliciter onerosa, in compensationem
scilicet praecedentis donationis certae summae, & ob ali-
qua onere adjecta, & tertio omnium fortius, quod non
ageretur de filiis masculis, ac legitime procreatis, sed de
unica foemina illegitime suscepta; si enim plurium sen-
tentia est, sexum foemininum in hoc proposito considera-
bilem non esse, ideoque ob filias foeminas quamvis legi-
12 time procreatas hujus legis dispositionem non intrare, ut
per Corn. *cons.* 4. *num.* 3. *lib.* 3. Mierez *de majoratu*, *p.* 1. *q.*
21. *num.* 6. Mangil. *de imput. q.* 107. *n.* 5. Quod tamen ita
simpliciter sumptum minus tutum videatur, sed pro facti
qualitate attendendum est pro uno ex adminiculis volun-
tatem regulantibus ut supra; multo magis, ubi utraque
qualitas concurrat, sexus scilicet, & illegitimitatis, cum
filii illegitimi haberi non soleant in ea consideratione,
in qua legitimi habentur, neque filiae bastardae ita decen-
ter collocentur, ut occasione dotis congruae, seu de pa- 13
ragio advertitur *sub tit. de dote disc.* 144. & alibi.

Quamvis enim in filiis illegitimis notabilis dignoscatur 14
differentia inter patrem, & matrem, quod respectu patris
aliud jus non habeant nisi subsidiarium alimentorum, vel
dotis ex canonica aequitate, ad proportionem tamen eo-
rum inferioris conditionis, respectu vero matris, ubi haec
non est Illustris, neque agitur de susceptis ex damnato,
& punibili coitu, habent jus successionis, ac legitime,
adeout a legitimis non differant, adhuc tamen ex commu-
ni usu de facto sunt minoris existimationis, neque in eis
praesumitur illa major sollicitudo, quae erga legitimos ha-
betur, pinguius eos providendi, praesertim ubi etiam ma-
ter est vilis, & inhonesta, unde propterea ponderabam,
quod cum bonis per donatricem reservatis ad ejus liberam
dispositionem satis congrue immo in excessu unica filia il-
legitima collocari potuisset, hinc cessabat necessitas re-
scindendi hanc donationem factam in causam piam, do-
natricis qualitati satis adaptatam pro remissione peccato-
rum, ex quibus bona cum turpi quaestu comparata erant.

Ad quod comprobandum ponderabam ea, quae per A- 15
postolicas Constitutiones *Leonis* X. & *Clementis VII.* ac
aliorum Pontificum disposita habentur favore consimilis
Monasterii mulierum poenitentium, seu Convertitarum
Urbis, succedendi mulieribus inhonestis, non obstante
quacumque earum dispositione, ubi certam quotam Mo-
nasterio non relinquant, vel in vita se non componant,
ut habetur in sua materia *sub tit. de Testamentis*, & sub
altero *de successionibus*, ut filiorum legitimorum ratio
habeatur, secus autem illegitimorum.

Nullum vero, pro meo sensu, fundamentum constituen- 16
dum esse videbatur in renunciatione huic legi, quae inter
clausulas, ac renunciationes generales in instrumento do-
nationis aderat, cum id frequentius ex Notariorum for-
mularis provenire soleat, absque eo quod contrahentes
advertant, ubi praesertim agitur de mulieribus, vel idio-
tis, nisi bene constet de distincta certioratione, ut duo-
bus *disc. praec.* Dictaque renunciatio solum attendenda vi-
detur pro dicto arbitrio regulando circa majus pondus,
ac efficaciam praesumptionum, & adminiculorum.

Demum quoad tertium punctum praetensae nullitatis ob 17
vim, & metum, respondi decisionem pendere, potius a
facto, quam a jure, an scilicet metus aptus ad annulla-
tionem sufficienter justificaretur necne, quod incertum
erat, dum probationes non praecesserant, posita enim pro-
batione, nullitas plana remanebat ex defectu consensus,
qui dicitur omnium major, utpote proveniens a jure na-
turae, non autem a subtilitate juris positivi, ideoque piae
causae favor nihil operatur juxta distinctionem; de qua
pluries *sub tit. de testamentis* circa defectum, sive imper-
fectionem solemnitatis, & alteram voluntatis ut primam
favor causae piae suppleat, non autem alteram.

Et quamvis disputent Scribentes in puncto juris, an 18
vis, vel metus a tertio illatus, absque scientia, vel par-
ticipatione donatarii, hujusmodi nullitatem causet, ple-
risque tenentibus negativam, ut apud Afflict. *decis.* 263. &
Grass. *de except. cap.* 11. *n.* 46. & *seq.* Affirmativa tamen est
magis vera, & communis, ut per Ursil. ad Afflict. *ubi
supra*, Faber *in Cod. tit. de eo quod metus causa*, *diffinit.* 7.
num. 3. plene Surd. *alios colligens*, *cons.* 373. cum aliis de
quibus infra *in Romana donationis*, & in alia *Melevita-
na sub tit. de testamentis*, & *sub titulo de dote disc.* 156.
Ac ulterius, posita probatione, ponderabam id nimium
obstare posse, etiam in ordine ad praecedentem punctum
resolutionis ex *d. l. si unquam*, quod scilicet ita renuncia- 19
tio dictae legis dispositioni non remaneret adeo operativa,
cumque dictae filiae jam conceptae de tempore donationis,
de jure debita esset legitima, habita ratione totius assis,
ponendo in calculo etiam bona donata, ut pluries in sua 20
materia *sub tit. de legitima*, & *detractionibus*, ac alibi,
hinc proinde dixi casum videri honesta concordia dignum.

CA-

CATANIEN. DONATIONIS,

INTER

COLLEGIUM, ET DOMUM PROFESSAM SOCIETATIS JESU CATANIÆ.

Responsum pro veritate.

De resolutione donationis factæ Ecclesiæ, seu causæ piæ ob non implementum, & an privilegium, quod desuper a jure piæ causæ tribuitur, cesset, seu conquassetur per favorem alterius causæ piæ, cum qua donator disponat?

An favore piæ causæ sustineatur donatio universalis omnium bonorum, per quam testandi facultas adempta maneat, & an donatio facta eidem piæ causæ absenti sit ante acceptationem revocabilis?

Et de potestate Prælati non acquirendi in toto, vel in parte bona Ecclesiæ, vel pio loco donata.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod expediat inter Religiosos concordare controversias.*
3 *Donatio universalis adimens testandi facultatem est invalida, & quando ista conclusio cesset.*
4 *Quid ubi facta est, reservato usufructu.*
5 *Potest fieri favore Ecclesiæ, vel piæ causæ, & de ratione.*
6 *Eodem favore sustinetur, ac perfecta est donatio absenti facta.*
7 *Fallit ubi habebat admixtam causam onerosam.*
8 *Quilibet Religiosus acceptat donationem pro Religione.*
9 *Stipulatio Notarii reddit irrevocabilem donationem factam absenti.*
10 *Item ubi adest juramentum cum voluntate perfecta.*
11 *Omnia hæc procedunt in donatione lucrativa, non autem onerosa.*
12 *Declaratur quomodo, & quando id procedat.*
13 *De distinctione oneris ad eundem effectum.*
14 *Donatio facta Ecclesiæ, vel piæ causæ, an & quando resolvatur ob non implementum?*
15 *De distinctione inter conditionem, & modum.*
16 *De conclusione, quod Prælatus possit non quærere, ac repudiare jus quærendum.*
17 *De potestate Præpositi Generalis Societatis Jesu.*
18 *Quando transactio in jure commendetur, ut obliget etiam successores independenter venientes.*
19 *An ea, quæ dicuntur favore piæ causæ, procedant contra aliam piam causam?*

DISC. XXIII.

1 FActa per nobilem Matronam Joannam Gravinam de Moncada donatione universali omnium ejus bonorum ad favorem Collegii Societatis Jesu Civitatis Cataniæ ejus patriæ sub aliquibus oneribus, ac implementis, pœnitens deinde, ex motivo non implementi, dicta donatione revocata, hæredem instituit Domum professam ejusdem Societatis, ac Civitatis, unde propterea orta desuper extrajudiciali controversia, eaque ad ejusdem Societatis Præpositum Generalem delata, desuper pro veritate consultus fui, tam super meritis, quam super potestate aliquod adhibendi arbitrium, per quod bona utrique loco proportionate assignarentur; quare duas, respondendo, efformabam inspectiones, unam scilicet in meritis negotii principalis, & cuinam contendentium in puncto juris justitia assisteret, & alteram super potestate interponendi dictum arbitrium.

Quatenus pertinet ad primam, tria erant fundamenta, ex quibus Scribentes pro domo Professa hærede prætendebant donationem esse invalidam, vel potuisse revocari, primo quia erat donatio omnium bonorum, jurium, & actionum, præsentium, & futurorum, absque alicujus quotæ, vel quantitatis reservatione, ad effectum testandi, ob cujus sublatam facultatem donatio de jure infecta remanet, secundo quia facta, absente legitimo Superiore, ad quem pertinebat illam acceptare, quodque propterea licitum fuerit re integra pœnitere, potissime quia non agebatur de mere gratuita, sed onerosa donatione, & tertio, quod ob non implementum onerum, & conditionum resoluta fuerit, potissime dum ipsa donatrix supervivens, ita non adimplendo, sibi commissam fuisse ingratitudinem, ac de consequenti donationem resolutam esse declaravit, atque super singulis hujusmodi motivis, cum eo elaborato quidem, ac docto, sed intolerabili prolixo stylo, præsertim circa nauseativam coacervationem allegationum, sive faciant ad rem, sive non (ut *Giurba*, & *Amati*, ac alii similes nos docent) pene volumina edita fuerunt per Scribentes hincinde.

2 His tamen non obstantibus, Collegio donatario justitiam, seu majorem probabilitatem assistere respondi, non tamen improbando, sed potius commendando aliquod probabile temperamentum concordiæ, juribus utriusque partis proportionatæ, atque ex prudentialibus saltem motivis nedum congruæ, sed forte necessariæ, ne inter ejusdem corporis membra, lites, & controversiæ in Foro audirentur, potissime ob illam mixturam sæcularium, quæ ratione Monarchiæ, etiam in causis inter Ecclesiasticos in ea Regione practicatur.

3 Examinando siquidem singula fundamenta prædicta, dicebam, notoriam, ac incontrovertibilem esse dictam regulam super invaliditate donationis omnium bonorum, præsentium, & futurorum, per quam testandi facultas adempta remaneat, adeout sit principium, quod etiam apud callentes primos legum terminos præsupponi valeat, absque necessitate tam magni inanis allegationum cumuli, cum quæstiones desuper cadentes potius facti, & applicationis esse videantur, ad excludendam dictam qualitatem universitatis, quia scilicet sub nomine bonorum non veniant jura, & actiones juxta ea, quæ cæteris relatis habentur *dec.* 273. *par.* 11. *rec.* Sive quia reservatio ususfructus possit sufficere ad conservandam testandi facultatem cum similibus, aut quod justum, & rationabile motivum reciproci fideicommissi conventionalis, juramento præsertim accedente, possit, juxta unam opinionem, inducere hujus regulæ limitationem, ex iis quæ plene deducta habentur *sub tit. de fideicomm. disc.* 141.

4 Verum non versabamur in casu regulæ ob reservationem ususfructus, ex deductis per Franch. & Adden. *decis.* 168. a Pont. *cons.* 110. *lib.* 1. Rota *dec.* 10. *n.* 5. & *dec.* 578. *n.* 8. *par.* 5. *rec.* & alias frequenter, quod tamen ex magis communi, ac recepto sensu DD. admittendum est, quando ususfructus sit talis, ut ultra congruam sustentationem verisimiliter ab excrescentia aliquod peculium parari valeat, in quo testandi facultas verificabilis remaneat, & non alias, Mantic. *de tacit. lib.* 13. *tit.* 32. *n.* 16. Guttier. *de juram. par.* 1. *cap.* 11. *n.* 14. Facchin. *lib.* 1. *cons.* 7. *n.* 7. Marta *cons.* 148. *n.* 4. & alii, quos colligit Cirocc. *controv.* 50. *n.* 35. Rot. *in Spoletana hæreditatis* 30. *Maji* 1647. cor. Meltio & *in aliis*.

5 Item posita regula, ea limitationem recipit in donationibus, quæ Ecclesiæ, vel causæ piæ fiant, tum quia congruum potius, ac laudabile est, ut amore Dei, ac pro salute animæ, omnibus temporalibus quis privetur, tum quia melior testandi facultas desideranda non est, ac etiam quia in hac donationis specie, utpote non redondanta ad alicujus privatum commodum, non intrat illa sinistre suspicio, quæ ubi fiat favore privati, ponderatur *d. lo disc.* 141. *de fideicom.* & de qua limitatione cæteris relatis habetur apud Tiraquell. & Add. *de privil. piæ causæ*, *c.* 120. Franch. *dicta dec.* 168. *n.* 2. Buratt. *dec.* 7. *n.* 3. Dunozett. *dec.* 773. & *in aliis*, cum sit propositio hodie recepta.

6 Quo vero ad secundum objectum revocabilitatis propter absentiam donatarii, qui legitime acceptare potuerit, dicebam, quod ubi etiam intraret regula super invaliditate donationis factæ absenti, sive super facultate illam revocandi re integra, adhuc tamen, quicquid aliqui contradicant, præsertim vero Theologi, seu Morales, in Foro, & Curia Romana recepta est limitatio, ex eodem supra insinuato favore Ecclesiæ, vel piæ causæ, cum ita fieri dicatur Deo, qui est ubique præsens, nostrasque oblationes, ac bona opera acceptat, ut post antiquiores relatos habetur apud Tiraquell. & *adden. d. tract. de privil. piæ causæ*, *c.* 205. Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 13. *n.* 15. & *seqq.* Rota apud Caval. *dec.* 606. *n.* 10. apud Dunoz. *dicta dec.* 773. & in aliis, de quibus *in Sypontina disc.* 14.

7 Nisi facti circumstantiæ suadeant, quod vere non agatur de donatione, sed potius de correspectiva conventione, ut concurrentibus scientia, & notabilis temporis silentio, intret præsumptio quod Ecclesia, vel pia causa acceptare noluerit, quia non expediret, juxta ea, quæ habentur infra occasione agendi de donatione sub onere perpetuo missarum, quæ in substantia redolere dicitur potius contractum correspectivum, qui perfici non debeat, vel non possit, quam donationem.

Præ-

Præterea obi etiam cessante favore Ecclesiæ, vel piæ
causæ, ageretur de donatione ad favorem privati, adhuc
tamen cessare videbatur difficultas, tum ob præsentiam, &
8 acceptationem Rectoris Collegii juxta ea, quæ in simili
habentur supra *in dicta Syponcina discurs.* 14. Tum etiam
ob stipulationem, & acceptationem Notarii, quæ sufficiens
reputatur ad excludendam pœnitentiam, ex iis, quæ cæ-
9 teris relatis habentur apud Gregor. & Adden. *decis.* 97. Bu-
ratt. & Adden. *dec.* 149. *dec.* 27. *p.* 2. *rec. dec.* 389. post Zac-
chiam *de oblig. Camer. & frequenter*.

Ac ulterius, quoniam ubi dubitatio non cadat super per-
fectione actus ab initio, quia nempe ille remaneat in termi-
minis simplicis pollicitationis, seu velleitatis, ac propositi, sed
voluntas perfecta sit, ac redacta ad actum, seu terminum
donandi, tunc, quicquid plures contradicant, ubi præsertim
accedat juramentum, magis communiter, præsertim vero
10 in Curia, & Rota receptum est, ut actus remaneat per-
fectus in ordine ad excludendam pœnitentiam, etiam re
integra, & ante acceptationem expressam, vel præsum-
ptam resultantem ab expressa, seu præsumpta scientia dona-
tarii, cum necessitas acceptationis potius in jure desidera-
ta sit in ordine ad acquisitionem dominii bonorum donato-
rum, idque non in gratiam ipsius donatoris, ut libere pœ-
nitere valeat, ac donationem retractare, sed in gratiam
tertii, in quem intermedio tempore post donationem, sed
ante acceptationem, citra collusionem, ac fraudem, bono-
rum dominium valide, ac perfecte translatum sit, ex iis
quæ juxta stylum ad satietatem colligit Amat. *resol.* 30. *n.* 4.
cum duob. seqq. & de possessione apud Royas *decis.* 314. *n.*
20. *& seqq.* Atque in hoc versatur frequens æquivocum
in hac materia, confundendo terminos acquisitionis domi-
nii in concursu alterius, cui interim illud quæsitum sit,
cum terminis pœnitentiæ in ordine ad ipsum donatorem.

Est bene verum, quod id procedit in mere gratuita, &
lucrativa donatione, secus autem in onerosa, in qua re in-
tegra, & ante acceptationem pœnitentia quoque admitti-
11 tur, ut cæteris relatis habetur *dicta decis.* 27. *p.* 7. *rec.* & in
aliis modernioribus frequenter, atque super hoc pariter di-
cti Scribentes contra donationem nimium se diffundebant,
ita excludendo præsentiam, & acceptationem Rectoris Col-
legii donatarii, vel stipulationem Notarii, quasi quod ex
istius Societatis Instituto plena administratio sit penes Præ-
positum Generalem, ut habetur etiam supra *in dicta Sy-
pontina disc.* 14. dum stantibus oneribus, poterat dictus
Præpositus non acceptare.

12 Verum circa istam quoque limitationem generaliter, ac
in abstracto veram, frequenter æquivocari solet in appli-
catione, ut enim allegando in specie *dictam dec.* 27. *p.* 7.
rec. & alias, bene advertitur *in Reggien. bonorum* 23. *Janua-
rii* 1647. *coram Corrado*, & prius dictum fuit *in Romana
donationis* 18. *Maji* 1618. *coram Manzanedo*, & in aliis, id
recte procedit, quando onus, quod donationi adjicitur est
tale, quod corrumpat contractus naturam, illumque tran-
sire faciat in contractum onerosum, ac mere correspecti-
vum, adeout incertitudo adsit, quod donatarius ratione
oneris possit damnificatus remanere de proprio, unde pro-
pterea potius expediat non acceptare juxta casum, de quo
dicto disc. seq. super donatione cum onere missarum, ac al-
terum magis exiosæ donationis *infra in Romana, seu Alba-
nen. vineæ hoc tit.* secus autem ubi onus comparative
ad emolumentum est modicum, ac tale, quod semper do-
natarius remanet in lucro in eo quod onus excedit, abs-
que periculo quod possit remanere damnificatus de proprio
cum tunc semper dicatur actus utilis, & lucrativus, ut ad-
vertitur etiam *in dicta Syponcina disc.* 14. in cujus casu pro-
13 habiliter dubitari poterat, quod hæc limitatio intraret,
quodqua inferioris Prælati, vel Religiosorum acceptatio,
seu Notarii stipulatio attendenda non esset, dum agebatur
de donatione facta ad effectum novæ erectionis Collegii in
loco, quod non nisi per ipsum Præpositum Generalem,
cum maturo consilio deliberari solet an expediat necne
acceptare, tam pro decore Religionis, quam pro periculo
cui subjicitur, ut, non sufficientibus bonis donatis, ipsa
Religio damnificata remaneat, atque cogatur erectionem
de proprio sustinere; hujusmodi autem difficultates, seu
considerationes non cadebant in præsenti, dum agebatur de
Collegio jam erecto, cujus aliquam majorem impinguatio-
nem solum ista donatio importabat, atque onera erant
longe inferiora emolumento, illaque instituto connaturalia,
adeout etiam quod donatrix illa non adjecisset, adhuc ex-
pleta essent, ut etiam advertitur in *dicta Syponcina disc.* 14.
& consequenter motivum non intrabat.

Demum quoad tertium fundamentum resolutionis ob
non implementum, magis plana erat ejus resolutio, tum ob
privilegium Ecclesiæ, vel piæ causæ, ut ob non implemen-
tum donatio non resolvatur juxta deducta supra *in Neapoli-* 14
tana donationis disc. 15. Nisi adsit expressum pactum re-
solutivum, sive defectus implementi concernat causam fi-
nalem, unde alias deficere dicatur voluntas, juxta ea, quæ
habentur in eadem *Neapolitana, & in aliis ibi proximis*,
tum etiam quia plures probabiles in facto dabantur excusa-
tiones ad id sufficientes, cum ageretur de implemento adje-
cto a parte postea, & per viam modi, non autem per viam
conditionis a parte antea, unde propterea resultaret pœna
privationis juris quæsiti, ad quem effectum culpa positiva 15
requiritur, juxta distinctionem in præcedentibus pluries in-
sinuatam, & latius *sub tit. de fideicommiss. disc.* 154. *& seq.*

Quovero ad alteram inspectionem potestatis Præpositi
Generalis non acceptandi hanc donationem in parte, ut ita
pars non acceptata cederet commodo domus professæ hære-
dis, iidem Scribentes de partibus insistebant in conclusio- 16
ne, de qua, cæteris relatis, habetur apud Barbos. *de Episco-
po, alleg.* 53. Franch. *dec.* 14. *n.* 56. Buratt & Adden. *dec.*
773. Put. *dec.* 507. *lib.* 2. ut possit Prælatus, quamvis prohibitus
alienare bona quæsita, nolle quærere, ac repudiare quæren-
da, verum dicebam, neque motivum esse tutum, quoniam
ultra plures restrictiones, quas ista conclusio patitur, ut in
sua materia *sub tit. de alienationibus*, non versabamur in
casu, dum agebatur de bonis jam quæsitis.

Verum quia in hac Societate, ex ejus particulari Institu-
to, Collegia sunt sub sola, & absoluta administratione Præ-
positi Generalis, cum aliqua specialitate in ordine ad ge-
nerale Institutum aliarum Religionum, ut apud Pelizzar. 17
in Manual. c. 119. *&* 120. & Suarez *de Religione tom.* 4.
lib. 2. *c.* 25. *n.* 11. & alios de hoc Instituto agentes, hinc
proinde cum facultas hujus Prælati sit longe major, quam
illa aliorum inferiorum Prælatorum, quamvis in aliquo
moderata per Decreta Apostolica sub *Urbano VIII.* edita de
anno 1624. ad effectum illius liberæ potestatis alienandi,
vel applicandi bona unius domus alteri (super quo relinqui-
tur locus veritati) sufficiens potestas adesse videbatur tran-
sigendi ex justo motivo resecandi lites, & controversias in-
ter Religiosos ejusdem Instituti, cum tamen, ubi bona fi-
des exuberat, adeo ut fraudis, & collusionis suspicio absit,
etiam inter privatos datur in iis, qui alienare, vel remitte-
re sunt prohibiti, facultas transigendi, obligando successo- 18
res jure proprio, ac independenter succedentes, ex iis,
quæ habentur in hac materia transactionis factæ per fidei-
commissarium, vel feudatarium, seu emphyteutam in suis
respective materiis *sub tit. de feudis, de emphyteus. & de
fideicommiss.* qui termini adaptabiles videntur, ac etiam
advertitur *infra sub dicto titulo de alienat.* in proposito alie-
nationis bonorum Ecclesiæ, & quando procedat supra insi-
nuata facultas Prælati non acquirendi, seu remittendi jura
quærenda, & adhuc non incorporata necne, atque credo
quod ita sequutum sit.

Motivabatur etiam quod ea, quæ speciali favore piæ
causæ, ut supra, procedunt, in præsenti cessare deberent,
dum agebatur de alterius Ecclesiæ, vel piæ causæ concursu
ea regula conquassationis privilegiorum inter æque privile- 19
giatos. Verum ultra limitationes huic regulæ tradi solitas,
ubi unus privilegiatus in genere, & alter in specie, sive
unus de lucro, alter de damno, aut unus de majori, alter
vero de minori damno, ex iis, quæ in contractibus inter
æque privilegiatos initis habentur in sua materia *sub tit. de
alien. & contr.* difficultas cessabat in radice, dum ex facti
qualitate neque intrabat regula procedens, quando privile-
gium alterius concurrentis jam vigeat de tempore quo alter
privilegiatus jus quærere velit, adeout unum privilegium
impediat alterum, ne suam consuetam faciat operationem,
quod in præsenti dici non poterat, quoniam de tempore, quo
donatio facta est, atque ob Dei præsentiam, & acceptatio-
nem, perfectionem sortita est, ac successive jus Ecclesiæ do-
natariæ quæsitum, altera Ecclesia, vel pia causa nullum
jus, vel interesse habebat, ejusque superveniens jus ex facto
donatoris tollere non potest illud, quod jam quæsitum est,
neque donator in eam transferre potuit id, quod non ha-
bebat ex regula *nemo plus juris, &c.* ideoque motivum nul-
la penitus consideratione dignum videbatur.

ANNOT. AD DISC. XXIII.

Donatio, seu alia dispositio universalis adimens testandi
facultatem, an & quando sustineatur, habetur *sub tit.
de fideic. disc.* 141. *& in disc.* 213. *& sub tit. de testam. disc.* 42.

De

De conclusione autem, an Prælatus possit, vel non repudiare in præjudicium Ecclesiæ, habetur in sua sede *sub tit. de alien. & contr. prohib. disc.* 20. *per tot.* Et conferunt ad materiam potestatis Prælatorum deducta *sub tit. de Regul. disc.* 55.

ROMANA DONATIONIS CUM ONERE MISSARUM, PRO CATHERINA PAULINA, CUM MONASTERIO SANCTI URBANI.

Casus disputatus coram Vicario S. Mariæ Majoris credo resolutus pro Catherina.

An donatio facta Ecclesiæ, vel pio loco cum onere perpetuo missarum ante acceptationem sit revocabilis, vel ob notabile tempus, in quo acceptatio sequuta non sit, censeatur resoluta, & an hæc sit vera donatio?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Donatio facta Ecclesiæ, vel piæ causæ absenti est valida, & perfecta ab initio.*
3 *An per alienationem rei, vel pecuniæ legatæ censeatur ademptum legatum?*
4 *De differentia inter cedulas, & ordines directos bancho.*
5 *Si Ecclesia acceptat onus, istud non cessat ob peremptionem bonorum assignatorum.*
6 *De Decretis Sacr. Congregationis super oneribus perpetuis missarum.*
7 *Monasteriis Monialium hæc onera non congruunt.*
8 *De ratione differentiæ inter Monasteria virorum, & Monialium.*
9 *Quomodo acceptari soleant onera perpetua missarum.*
10 *De adminiculis denotantibus non acceptationem.*
11 *Quod in actibus non debeat attendi formula verborum, sed substantia veritatis, & de pluribus contractibus diversis ab eo, quod verba important.*
12 *Licet dicatur fieri donatio, non tamen censenda est talis, si pacta aliud suadeant.*

DISC. XXIV.

1 Cum Moniales S. Urbani Institutum Capuccinorum profitentes clausuræ ampliatione indigerent, ideoque ex Superiorum approbatione emere debentes quasdam adjacentes domos, ad effectum illas incorporandi, pecunia indigerent, hinc Marcellus Pelle Monasterii Administratoribus ordinem tradidit Sacro Monti Pietatis directum scutorum 500. solvendorum, ad effectum tamen præcisum erogandi pecuniam in emptionem dictarum domorum, ac si postquam idem Monasterium cum legitima Superiorum auctoritate onus acceptaverit, ac se obligaverit celebrari faciendi in ea Ecclesia duas missas privatas, & unam missam solemnem quolibet mense, pluresque alias missas privatas, & unam solemnem singulis annis, quodque dictæ domus specialiter pro hoc onere obligatæ esse deberent, atque in casu devolutionis ad id subrogari deberent tot loca Montium ipsius Monasterii, observantia vero dedit, quod Monasterii Administratores, dicti ordinis exactionem negligendo, acceptisque pecuniis ad censum, cum illis dictam emptionem, ac respective incorporationem perfecerunt, post plurium vero annorum decursum, cum de dicti Marcelli statu notitia amplius non haberetur, adeout Catherinæ matri tanquam proximiori, ac legitimæ hæredi, decreta fuerit patrimonii, vel hæreditatis tenuta, & administratio, de qua habetur actum *in Romana administrationis* pro eadem Catherina contra remotiores conjunctos oppositores *sub tit. de success.* Monasterium prædictum contra dictum patrimonium judicium instituit pro dd. scutorum 500. solutionem coram Vicario Basilicæ S. Mariæ majoris, cujus dictus Marcellus erat Beneficiatus, atque inter causæ Patronos, ut plurimum de Curiæ stylo causas tractantes, ac disputantes absque Advocatia, subsidiarie, ac post acceptum vulnus evocari solitis, restricta fuit difficultas, an dicta donatio utpote facta absenti, re integra, & ante acceptationem revocari potuerit, & quatenus potuerit, an illa sequuta esset implicite ob exactionem pecuniarum in dicto Monte Pietatis existentium ab eodem Marcello postmodum factam.

Super hac autem restrictiva, requisitus ex parte Catherinæ reæ conventæ ad scribendum, impendens consilium credidi, ut ad hos punctos causa restricta esset, cum in utroque nimium periculosæ viderentur nostræ partes, atque de succumbentia probabilius timendum esset, tam scilicet in primo circa potestatem pœnitendi, cum ex pluries deductis in præcedentibus (quicquid Theologi, seu Morales dubitent,) verius, magisque receptum sit, donationem factam Ecclesiæ, vel causæ piæ, quamvis absenti, esse perfectam, & irrevocabilem, eo quia Deus est 2
præsens ubique, nostrasque pias oblationes, ac bona opera acceptat, quam etiam circa secundum punctum voluntatis, cum juxta ea, quæ *sub tit. de legatis* in materia ademptionis habentur, subsequens alienatio probationem præbeat revocationis, ac mutatæ voluntatis, ubi agatur de legato speciei, vel etiam quantitatis taxativæ ad certam speciem
depositam, secus ubi de hujusmodi dispositionibus quanti- 3
tatis in genere adimplendis per depositarium, vel campsorem ex alia pecunia, quæ deinde deponi potuit, quamvis impenderetur ea, quæ de tempore demandatæ solutionis aderat, cum hujusmodi ordines, seu mandata non impediant intermediam dispositionem, sicuti faciunt cedulæ, quæ alteri tradantur, & sine quibus solutio non fit, juxta distinctionem inter cedulas, & ordines, de qua habe-
tur *sub tit. de censibus*, super puncto, an per unam, vel 4
alteram speciem satisfactum dicatur formæ in censuum creationem per *Constitutionem S. Pii V.* præscriptæ.

Quare neglecta, quinimmo improbata dicta restrictiva, dicebam, etiam cum sensu veritatis, nullatenus in hac facti specie cadere terminos donationis puræ, vel causativæ ob aliquam oneris mixturam, adeout intraret inspectio, an, non obstante onere, ob commodi exuberantiam præ-
sumeretur acceptatio ab initio juxta distinctionem *de qua* 5
disc. praced. cum potius ageretur de contractu mere correspectivo ad rigorosos limites justitiæ commutativæ pro susceptione dicti oneris perpetui, quod tractu temporis redundare poterat in damnum, ac præjudicium Monasterii obligati ad oneris implementum, quamvis investimentum faciendum cum pecunia ad hunc effectum data, periret, vel diminutionem pateretur, juxta firmata apud Mantic. *dec.* 242. & apud Buratt. *dec.* 560. *n.* 10.

Unde propterea ex decretis de anno 1625. editis per Sac. 6
Congregationem Concilii, quæ vulgo dicuntur *Decreta de celebratione missarum*, registratis *in Constit.* 43. *Urbani VIII.* onera perpetua missarum acceptari non possunt sine speciali licentia Episcopi, & in Urbe Cardinalis Vicarii, seu (ut supponebatur) ipsius Sacr. Congregationis, illaque mature, ac circumspecte conceditur, sub investimento in stabilia vera, & fructifera, prohibito investimento censuum, ut in eisdem decretis disponitur.

Item supponebatur, (istudque suppositum Mihi reflecten- 7
do ad observantiam videbatur probabile) quod Monialium Monasteriis hæc licentia acceptandi onera perpetua missarum dari non solet, & merito, ratione incongruitatis, nisi quatenus ageretur de suppeditatione eleemosynæ pro Cappellano ordinario, qui pernecesse singulis diebus missam pro monialibus celebrare debet, ut ita Monasterium ab illo onere eximatur, dum est onus absque hoc subsidio de necessitate adimplendum; Capitulis etenim, vel Collegiis, & Congregationibus Clericorum sæcularium, vel Conventibus, aut Monasteriis Regularium, congrua, & utilia sunt hujusmodi onera, cum Clerici, vel Religiosi singulis diebus missas celebraturi sint, ideoque expedit habere hoc subsidium neque probabiliter ipsum Monasterium, vel Capitulum potest esse in damno.

Id autem Monialibus non congruit, dum oportet condu- 8
cere Sacerdotes, & Cappellanos pro oneris implemento, ac etiam quia incongruus, & aliquorum inconvenientium productivus esse videtur plurium conductitiorum Cappellanorum concursus in Ecclesiis Monialium, & tamen etiam in Capitulis, vel Monasteriis, ut supra, hæc onerum susceptio, stantibus dictis decretis, non resultat ab ea implicita, vel præsumpta acceptatione, quæ in donationibus incontinenti favore piæ causæ inesse dicitur, sed requiratur acceptatio solemnis prævia licentia Superioris, & cognitione causæ, an scilicet adsit occasio investimenti fructiferi, &
an fructus, qui, deductis oneribus, ac expensis, ex investi- 9
mento sit percipiendus, adæquet eleemosynam missarum celebrandarum, pro locorum, vel Ecclesiarum consuetudine, taxari, vel conveniri solitam in duplo, vel triplo pluri, puta si eleemosyna pro consuetudine loci in missis quotidianis devotionis, est ad rationem unius julii pro qualibet, aliquæ Ecclesiæ non solent onus perpetuum acceptare,

re, niſi ad rationem trium, ac etiam quatuor juliorum, & conſequenter rorum fit per viam conventionis, & contractus mere correſpectivi.

Hinc proinde advertebam, quod dictus ordo datus per Marcellum non continebat donationem, vel alium contractum perfectum, ſed oblationem, ſeu exhibitionem tractatus, juxta quem, Monaſterio acceptante, ipſe hujuſmodi contractum correſpectivum facere volebat, unde Monaſterio non acceptante, tractatum reſolutus ſuit, eo modo, quo in dies tot tractatus de futuro contractu celebrando evaneſcunt, ad quod comprobandum obſervabam recte conſerre dictam circumſtantiam, quod deinde Marcellus, pecuniam, quam in Monte habebat, huic operi deſtinatam, reaſſumpſit, atque in alios uſus erogavit, ita
10 accipiendo hunc actum tanquam adminiculum hujus reſolutionis, vel ineffectuationis tractatus, non autem in terminis revocationis voluntatis, cum illi non intrarent, ut ſupra.

Potiſſime ob alia adminicula lo idem tendentia; primo ſc. ob tamdiu neglectam dictæ pecuniæ exactionem; ſecundo ob inveriſimilitudinem, dum in facto conſtabat, quod pro dicto opere perficiendo, Monaſterium pecuniam ad cenſum acceperat, unde omnino probabile eſt, quod Adminiſtratores iſta pecunia prompta, & numerata uſi eſſent, ſi in animo fuiſſet onus acceptare; & tertio fortius, quia cum in ſupplici libello Cardinali Vicario, ſeu Cardinali Protectori ex parte Monaſterii porrecto pro licentia acceptandi hoc onus, aliaſque pecunias ad cenſum accipiendi pro dicto opere perficiendo, implicite in hac parte licentia negata fuerit, utpote conceſſa pro cenſibus conſtituendis, cum ſubſequuta obſervantiæ, ideoque his omnibus ſimul junctis, Mihi videbatur, quod res eſſet in claris.

11 Scribentes pro Monaſterio magnam vim conſtituebant in eo, quod dictus ordo conceptus eſſet per viam donationis, quia nempe Marcellus diceret donare hanc pecuniam Monaſterio, ad præfatum tamen effectum, & cum dicto onere, & non alias; verum id erat nimis leve fundamentum, ex eo veriſſimo principio, quod in quibuſcumque viventium, ac morientium diſpoſitionibus, vel actibus, principaliter attendi debet, ut non cortex, & formula verborum, ſed ſubſtantia veritatis inſpiciatur, unde propterea ap. Franc. *dec.* 392. *n.* 2. *& ſeqq.* & Merlin. *dec.* 210. *n.* 7. *& alios*, habetur, quod ſi contrahentes dicant facere contractum emphyteuticum, pacta vero, & conditiones oſtendant illum eſſe potius emptionis, & venditionis, non attendatur vocabulum, ſed natura ſeu veritas actus, ita pariter ſi in verbis dicant permutare, pacta vero, & conditiones redoleant magis emptionem, & venditionem, iſte dicenda eſt juxta receptam theoricam Bald. *in l.* 1. *n.* 5. *& ſeq. C. de rerum permut. cum concord.* ap. Mantic. *de tacit. lib.* 1 *tit.* 2. *n.* 13. Gutrier. *de gabellis*, *qu.* 25. *nu.* 4. cum aliis *in Ferrarien. ſub tit. de regal. diſc.* 49. Ac inſinuatur pluries *ſub tit. de feudis*, quod ſi in verbis dicatur concedi feudum, pacta tamen ſint talia, quod feudi naturam, vel ſubſtantiam corrumpant, in effectu bona allodialium jure regulabuntur, cum ſola feudi nuncupatio feudalem qualitatem non inducat, & frequentius *ſub tit. de emphyteuſi* in quæſtione, an contractus importet veram emphyteuſim, vel potius locationem perpetuam, ſive livellum cum ſimilibus.

12 Et in ſpecie verborum denotantium donationem, ut ſpernenda ſint, ſi ſubſtantia diſpoſitionis, aliæque facti circumſtantiæ diverſam ſpeciem contractus redoleant, cæteris relatis advertitur per Rotam apud Dunozets. *deciſ.* 223. *n.* 10. *cum ſeqq. dec.* 166. *n. finali*, *p.* 9. *rec. dec.* 27. poſt Salgad. *in labyrint.* & in aliis frequenter, & inſinuatur pluries *ſub tit. de dote*, & ſub altero *de renunciat.* ut donari non dicatur, ſeu dari de proprio illa dos, quæ correſpectiva ſit ad renunciationem, quæ a puella dotata fiat dotanti, cum potius redoleat contractum emptionis, & venditionis, in quo id, quod datur, dicitur pretium futuræ aleæ ceſſæ, cum ſimilibus, illoſque dicebam eſſe veros, ac proprios hujus cauſæ terminos, atque ita credo, quod ſolutum ſit.

ANNOT. AD DISC. XXIV.

DE acceptatione onerum ſuper perpetua celebratione miſſarum, an & quomodo ſequi debeat, & de aliis ad materiam, videantur deducta *in Miſcell. Eccleſ. diſc.* 33. *& in Ann. ad S. C. T. diſc.* 17. *&* 21. *& de regul. diſc.* 63.

Card. de Luca, Lib. VII.

JANUEN. DONATIONIS PRO ANTONIOTTO, ET FRANCISCO; CUM CAROLO DE RAGGIIS.

Caſus diſputatus in Sacra Congregatione Concilii, & terminatus ut infra.

An donatio alicui facta ad certum uſum, ſeu effectum, qui in donatario ſequi non poteſt, reſolvatur omne, & in ſpecie, ubi donatio facta eſt Religioſo profeſſo ſub conditione, ut Monaſterio, vel Religioni nullatenus acquiri valeat, an iſta conditio vitiet donationem, vel potius vitiata remaneat, & incidenter an alienari, vel remitti poſſit annua præſtatio vitalitia Religioſo profeſſo donata, vel aſſignata?

S U M M A R I U M.

1 F*acti ſeries.*
2 *De ſtylo Curiæ circa partes Advocatorum.*
3 *De punctis, ſeu inſpectionibus cauſæ.*
4 *Regulares ſunt incapaces beneficiorum ſæcularium.*
5 *De differentia inter beneficia aſſequuta, & aſſequenda.*
6 *An Canonici Regulares ſint capaces beneficiorum?*
7 *Privata diſpoſitio non poteſt facere Religioſum capacem bonorum.*
8 *De uſu tolerato Religioſis.*
9 *De quæſtione an conditio adjecta donationi factæ Religioſo, ut non acquiratur Religioni, vitietur, vel vitiet.*
10 *Attendenda eſt præciſa voluntas teſtatoris.*
11 *Ideo ubi de illa conſtat, non intrat præſumptio favore Religionis.*
12 *Donatoris declarationi defertur.*
13 *Religioſi, & Religiones poſſunt a fideicommiſſis, & ſucceſſionibus excludi per teſtatorem.*
14 *De differentia inter contractus, & ultimas voluntates, circa conditiones vitiandas.*
15 *Tranſactio cadit ſub alienatione prohibita per* Extravag. Ambitioſæ.
16 *Alienatio fructuum non cadit ſuper dicta prohibitione.*
17 *Diſtinguitur quale jus Religioſi ad vitam remitti poſſit.*
18 *Quale intereſſe habeat Religio in vitalitia aſſignatione Religioſo facta.*
19 *De diſtinctione inter alienationem uſusfructus, & commoditatis.*
20 *Læſio habet locum in tranſactione.*
21 *De ſtylo Congregationum in remiſſione cauſarum ad Tribunalia.*

D I S C. XXV.

CUm Antoniottus Raggius, nobilis, ac presbyter Januenſis, Urbis domiciliarius, octuagenario major, deſti- 1
naſſent erogare centum loca Montium pro fundatione unius beneficii, ſeu Abbatiæ, quæ eſſe deberet de jurepatronatus Franciſci fratris, ejuſque deſcendentium cum ordine primogenituræ, hinc hujuſmodi propoſitum exequendo, dictorum locorum 100. donationem fecit Carolo ex dicto germano fratre nepoti Canonico Regulari Lateranenſi profeſſo, ad effectum ut eſſe deberet primus beneficiatus, cum præſuppoſito quod dicti beneficii capax eſſet, non obſtante ſtatu regulari, & quatenus non eſſet capax, adhuc voluit eundem Carolum, donec viveret, conſequi debere fructus, effectum ſortiente libera præſentatione ad favorem dicti fratris, & deſcendentium poſt dicti Caroli mortem, ſub ea tamen lege, & conditione, per nimis ampla, & effrænata verba, ut nullum jus ſuper dictis fructibus acquiri poſſet Religioni, cujus Superiores nullatenus, nec directe, nec indirecte deſuper ſe ingerere poſſent, dictumque Carolum moleſtare, vel in libera perceptione, ac adminiſtratione impedire, cum autem donator pœnitens, dictam diſpoſitionem ad favorem Caroli revocaſſet, declarando ex tunc ad beneficii erectionem cum dicto jurepatronatus deveniri debere, dictæque erectioni præfatus Carolus ſe opponeret, poſt Reſponſum pro veritate deſuper a Me traditum favore donatoris, ad quandam concordiam deventum eſt, qua mediante, Carolo ſuo juri cedente cum licentia, & approbatione ejus Superiorum, dicta erectio ſequuta fuit, tractu vero temporis Carolus pœnitens, cauſam introduxit in Sacra Congregatione Concilii ſuper impugnatione dictæ tranſactionis, quæ Me pariter pro dicto Fran-

cisco, vel ejus filio primogenito Scribente, canonizata fuit, unde propterea controversiæ finem habuit.

2 Tam in primo Responso pro veritate, quam in dictæ disputatione habita in Sac. Congregatione, ultra ea, quæ nudi facti supponebantur, super dicti senis donatoris deceptione, ac falsis suggestionibus (quibus juxta vere magnifaciendum stylum Romanæ Curiæ) illi qui puri, & qualificati Advocati partes implent, nullatenus se ingerunt, nisi cum præsupposito quod ea, quæ a causæ Petrono asseruntur, bene in facto subsisterent, insinuando juris illationes, vel effectus exinde resultantes; tres erant puncti, primo sc. an dictus Carolus professus esset capax dicti beneficii, seu fructuum jure proprio independenter a Religione, juxta donatoris voluntatem, secundo (posita incapacitate) an stante conditione, ut Religioni non acquireretur, donatio resolveretur, ac transitum faceret ad alios successive vocatos, vel potius, dicta conditione vitiata, donatio effectum sortiri deberet, & tertio super subsistentia dictæ transactionis, quæ invalida prætendebatur ob defectum Beneplaciti Apostolici, ad terminos *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.*

3 Primus punctus materiam beneficialem potius quam hanc prophanam respiciebat, quie vero influebat ad punctum donationis, hinc in Responso pro veritate (cum in Sac. Congregatione de hoc actum non sit) dixi, probabilius pro incapacitate respondendum esse.

4 Indubitatum siquidem est, quod Regulares absque Apostolica dispensatione sunt incapaces beneficiorum sæcularium, quinimmo pensionum ecclesiasticarum super eis, sicuti e converso sunt sæculares de regularibus, adeout beneficia quamvis obtenta, & possessa per professionem in Religione vacent, ac pensiones amittantur, ut in suis respective materiis *sub tit. de beneficiis, & de pensionibus*, multo igitur magis extra principium dubitandi existunt incapaces assequendorum, cum longe facilius intret incapacitas

5 assequendi, quam privatio assequuti, ut utroque insinuato titulo *de beneficiis, & de pensionibus* habetur in proposito inhabilitatis resultantis a crimine, vel ejus diffamatione, sive a censuris, vel ab irregularitate.

Et quamvis illa Religio, seu Congregatio Canonicorum Regularium Lateranensium, ex mente antiquorum Canonum, ac sensu aliquorum Canonistarum, quodam peculiari jure, e dicta generali incapacitate exempte esse prætendat, attamen verius, magisque receptum videtur, vel an-

6 tiquos Canones correctos remanere per Constitutionem *Gregorii XIII.* editam ad mentem S. C. T. Vel probabilius, juxta modernas declarationes ad ejusdem Congregationis favorem editas, hujusmodi capacitas procedit, ac admittenda est in solo exercitio curæ animarum in Ecclesiis sæcularibus, quæ ipsius Congregationis domibus, vel Monasteriis annexæ sunt, ut Gonzal. *ad regul. 8. gl. 7. n. 53.* Garz. *p. 7. c. 10. n. 31. cum seq.* Lauret. de Franc. *contr. regular. p. 2. q. 86.* ubi Pesqualig. *in addit.* Pirr. Corrad. *in praxi dispensationum, lib. 6. c. 1. n. 26.* apud quos cæteri, & habetur *sub tit. de benef. disc. 75.* atque occasione hujus erectionis, ap. Officiales Datariæ comperii id haberi pro absoluto.

7 Quo vero ad secundum punctum, in quo totus cardo difficultatis residebat, dum etiam in casu incapacitatis provisum fuerat cum suspensione fundationis beneficii, donec usufructus ad favorem Caroli donatarii duraret, decisio pendebat a subsistentia, vel insubsistentia dictæ conditionis, ut usufructus prædictus esse deberet ad liberam pertinentiam, ac administrationem Religiosi, absque aliquo jure, vel participatione Religionis ejusque Superiorum, quod absque dubio sustineri non potest ex privata dispositione, cum id Pontificiæ tantum potestati reservatum sit, neque valeat privatus reddere Religiosum professum proprietarium, atque super voto paupertatis dispensare, ut tanquam absolutum supponunt omnes, de quibus infra.

8 Ideoque intrabat quæstio adeo inter Scribentes controversa, an dicta conditio tanquam impossibilis, vel turpis vitiata remaneret, eaque non obstante, donatio usufructus effectum sortiri deberet ad favorem Religionis, vel etiam ipsius Religiosi pro illa rata, quæ ex quadam tolerata consuetudine per Superiores permitti solet pro honestis, ac Religiosis occurrentiis extraordinariis, ut habetur in sua materia *sub tit. de regul.* ac etiam insinuatur sub altero *de dote*, occasione agendi de illis annuis vitalitiis assignationibus, quæ de communi fere usu monialibus fieri solent, atque pars dotis reputantur, vel potius dicta conditione vitiata, donatio resolveretur, sive præberetur locus aliis successive vocatis.

Ista quæstio frequentius contingit in ultimis voluntatibus, in quibus, ut plurimum loquuntur DD. illam disputantes, ut habetur *sub tit. de testamentis*, & sub altero *de legatis*, ac etiam sub altero *de regularibus*, occasione agendi, an hujusmodi dispositionum usus, vel acceptatio generaliter prohibenda sit ob fraudem, quæ professatæ paupertati resultare solet.

Insinuebam ergo illius controversiæ occasione, in præfatis terminis dispositionum per ultimam voluntatem, magis quam per contractum, tres haberi opiniones, unam sc. ut dicta conditio tanquam turpis, ac a jure reprobata, vitiata remanere debeat, ac habenda sit pro non scripta, & successive quod dispositio tanquam pura effectum sortiri debeat, & hanc tenent relati apud Campanil. *divers. jur. canon. rubr. 12. cap. 7. n. 13.* Ricc. *collect. 337. vers. quoad primum*, Sanchez *ad præcepta Decalogi, lib. 7. c. 57. n. 2. & per alios, de quibus infra.* 9

Altera est opinio de directo contraria, quam late, ac nervose sustinet Bimius *cons. 6. per totum*, ut conditio vitiet dispositionem, quæ inutilis, ac pro non scripta habenda sit, ideoque nullum sortiatur effectum.

Tertia est probabilior, magisque in praxi recepta opinio, conciliative, seu compatibilis inter validitatem actus, ac observantiam voluntatis disponentis, ut sc. prohibitio non sustineatur in ordine ad dominium, vel jus habituale, quod tali conditione non obstante acquiratur Religioni, voluntas autem suum sortiatur effectum, quia Religioso permittatur administratio pro illis Religiosis, ac etiam piis, & honestis usibus, qui sibi videantur, absque eo quod prohiberi possit, juxta *cons. Abb. 44. lib. 2.* fundatum in doctrina Bart. *auth. excipitur, nu. 2. C. de bon. quæ liberis, & in l. si alienum, ff. de hæred. institut.* atque pertranseunt magis communiter DD. ut per Sanchez *ad præcepta Decalogi, ubi supra, lib. 7. c. 17. n. 2.* Carena *resol. 199.* Franch. *dec. 718.* late Fagn. *in c. ne Monaci, de statu monachorum, n. 21. cum seqq.* Et hanc sequuta est Rot. ap. Peniam, *dec. 1214.* & apud Burat. *dec. 584. n. 13.*

Quamvis autem Ego admitterem hanc esse probabilem, ac receptam sententiam, adeout disponentis voluntas in hoc præseferre videatur quandam speciem Apostolicæ dispensationis, quæ super hujusmodi administratione, ac usu Religiosis professis concedi solet, intelligenda tamen pro solis usibus Religiosis, vel piis, & honestis, juxta ea, quæ occasione declarandi invalidam censum vitalitium factum a quodam Religioso, ita dispensato, habentur plene fir- 10
mate per Rotam *dec. 252. p. 11.* ac propterea dicto Carolo donatario id sufficeret ad intentum, adhuc tamen dicebam, hujusmodi theoricam in hac facti specie non intrare ex ejus qualitate, & circumstantiis, tum quia plurium opinio est, de qua ap. Sanchez *ubi supra*, & ex professo Moron. *cons. 46.* ut hæc tertia opinio cesset, ubi per verba nimium ampla, & effrænata constet de præcisa disponentis voluntate, ut tunc recipi debeat secunda opinio Bimii, *d. cons. 6.* & sequacium, atque hunc sensum pluries habuit S. Congregatio Episcoporum, & Regularium.

Tum clarius, quoniam illa inspectio cadit post mortem 11
disponentis, adeout agatur de interpretanda ejus incerta, seu ambigua voluntate, cum tunc intret præsumptio, quod verisimiliter voluerit actum sustineri, ac effectum sortiri eo meliori, & compatibili modo, quo potest, spectato effectu, nullatenus curata dicta subtili, ac intellectuali distinctione inter dominium habituale, & usum actualem.

Ista vero præsumptio cessat ubi ipsemet donator, seu 12
alias disponens adhuc vivit, atque expresse ejus voluntatem declaret, cum in claris, & expressis non intrent præsumptiones, atque licet donatori non concedatur facultas revocandi, seu alterandi perfectam donationem inter vivos, conceditur tamen facultas eam declarandi, ejusque declarationi deferendum est, potissime vero ubi est verisimilis, nullumque suum continet interesse, vel affectationem, ex iis, quæ cætera relatia habentur apud Cyriac. *controv. 291. n. 30. & seqq.* Otthob. *dec. 119. n. 8. & dec. 195. n. 18. dec. 402. par. 9. rec. n. 31.* cum aliis, de quibus infra *in Rom. donationis scut. 30. mil. disc. 36. & frequenter*, potissime vero attenta qualitate donatoris pissimi, ac probatissimi viri, cum enim esset Sacerdos, ac octuagenario major in dies mortem expectans, illudque opus ex sola pietate, nullo cogente faciens, nimium improbabile est quod mendacium cum animæ propriæ detrimento, absque aliqua ejus utilitate in tertii præjudicium dicere vellet, illæque ac similes circumstantiæ prudenti arbitrio in hujusmodi ambiguæ voluntatis quæstionibus attendi debent.

Et

Et quemadmodum in fideicommissis, aliisque ultimis voluntatibus (quicquid aliqui male dubitent) receptum est, servari debere expressam, vel conjecturatam disponentis voluntatem excludendi religiosos, ac Religiones, & Monaste-
13 ria, quoties exclusio non est principaliter in odium Religionis, vel status religiosi, seu clericalis, sed est ex alio honesto fine præsumendo, quamvis non exprimatur, ut bona conserventur in familia, sive sint effective pene illos de sanguine, & ad eorum commodum personale, ex iis quæ habentur pluries *sub tit. de fideicommissis, disc. 63. & sequen.* ac etiam *sub tit. de dote, disc.* 12. & alibi, ita in proposito recte dici posse observabam, ut donator volens in ejus domo hoc beneficium erigere, ad providendum secundo, vel ultra genitos vitam ecclesiasticam eligentes, juxta magis communem nobilium familiarum usum, ac finem, ob quem majoris partis beneficiorum de jurepatronatus fundatio, vel dotatio sequi consuevit, providere quidem voluisset dictum Carolum ex fratre nepotem, quatenus cum hoc redditu honorificam figuram in familiæ decus facere posset, non autem quod hujusmodi fructus cederent ad commodum Religionis, vel Monasterii, juxta eam distinctionem, quæ inter clericos sæculares, & regulares ponderatur *in Romana fideicommissi de Cuppis, sub tit. de fideicomm. disc. 64.*

Fortius vero, ex duplici circumstantia, una juris, & altera facti, ea scilicet juris, quod in actibus inter vivos non intrat ita de facili ea regula, quam habemus in voluntatibus, ut conditiones turpes, vel impossibiles, seu alias prohibitæ vitientur, & non vitient, cum in his regula videatur
14 in oppositum, ut generaliter Ricc. *in addit.* ad Tiraquell. *de priv. piæ caus. cap. 18. in princ.* Sanchez. *de matrim. lib. 1. disp. 34. n. 2.* Rota apud Gregor. *decis. 117. num. 1.* & in his terminis admittit Sanchez. *ut sup. n. 13.* ac firmant Moronus *d. cons. 46. n. 47.* Et altera facti, quod donator in hoc supponeretur a donatario deceptus, atque cum in parum veris præsuppositis inductus, quicquid enim sit de utroque assumpto tam juris, quam facti, super quibus Ego nil mature firmabam, attamen ea nimium conferre dicebam, ut facilius præmissa intrarent.

Tertius demum punctus validitatis transactionis, & an in ea necessarium fuisset necne beneplacitum Apostolicum, percutit magis materiam alienationis bonorum Eccle-
15 siæ, de qua agitur *sub tit. de alienationibus & contractibus*, ubique pluries habetur conclusio, quam in præsenti deducebam, a Sac. Congregatione in hac disputatione admissam, quod scilicet, quamvis juxta magis communem ac in Rota, & Curia receptam opinionem, rejecta distinctione, quam plerique sequuntur, an Ecclesia possidens dimittat necne, indistincta receptum sit, ut sub prohibita alienatione, ac necessitate beneplaciti Apostolici, juxta terminos *Extravag. ambitiosæ, de rebus Eccles. non alienan.* veniat quoque transactio, illa excepta, quæ fiat inter ejusdem Ecclesiæ clericos, vel ministros super participatione emolumentorum, seu jurium, ac præeminentiarum exercitio, firma remanente integra eorundem jurium substantia penes ipsum corpus intellectuale Ecclesiæ, ut in dicta sua materia, ac etiam alibi pluries, præsertim *sub tit. de Canonicis, & dignitatibus, disc. 40. & de Paroch. disc. 26.*

Attamen id recte procedit, quando transactio, vel alia species alienationis percutiat rei substantiam, aut aliquod
16 jus formale, secus autem ubi est super fructibus, ut generaliter *ex Abb. & aliis in cap. nulli, de reb. Eccles. non alien.* advertitur *per Rotam in Veneta pretii bonorum 15. Novembris 1602. coram Pamphilio*, quæ reputatur in materia magistralis, sæpius canonizata, præsertim apud Royas, *dec. 16. n. 9. dec. 311. n. 10. & dec. 364. nu. 13.* In specialibus terminis alienationis fructuum spectantium ad religiosum, cui particulariter assignati sint pro ejus usibus Religiosis, vel honestis, juxta consuetudinem ab Ecclesia toleratam, de qua apud Merlin. *dec. 675. repetit. dec. 30. num. 31. & 32. p. 7. rec. d. decis. 253. par. 11.* & in aliis, de quibus pluries in sua materia *sub tit. de Regular.* ac etiam alibi firmatur *in Romana Salviani 31. Jan. 1646. cor. Verospio.* Quamvis enim *in Viterbien. Salviani 20. Junii 1659. coram Cerro, & in Bonon. prædii 14. Jan. 1665. coram Carpinea*, & in aliis, agendo in specie de jure ad solam Religiosi vitam Monasterio, vel Religioni competente, dicatur illius remissionem prohibitæ alienationis speciem sapere, ideoque cadere sub dispositione *Extravag. ambitiosæ*. Attamen, ut in dicta sua materia, & alibi advertitur, id recipiendum est, quando agitur de jure directe delato Religioni, vel Monasterio ex persona Religiosi, cujus vita durante, illud imponere dicatur verum, ac formale dominium, ac possessionem bonorum, & jurium, quamvis resolutioni subjaceant, ut (e. g.)
est fideicommissum habens tractum successivum, cujus re- 17
ligiosus professus durante ejus vita sit capax, juxta ea, quæ habentur *in d. tit. de fideicommissis, d. disc. 63. & seq.* quoniam ipsa remissio juris in genere speciem alienationis sapere videtur, & in his terminis loquitur dicta decisio *in Bonon. prædii coram Carpinea*, cum ibi deductis, secus autem, ubi agatur de redditibus, ac vitalitiis subventionibus, quæ religioso in particulari, ut supra statuantur, vel assignentur, cum illæ dici non possint de bonis, vel juribus Monasterio, aut Religioni quæsitis, & incorporatis, solumque in remissione hujusmodi assignamentorum, quam religiosus faciat
assignantibus, sive in alia dispositione, intrare videtur illa 18
prohibitio, de qua *supra disc. 2. cum seq.* ob jus, vel interesse secundarium, quod Monasterium, vel Religio desuper habeat, quod scilicet ita religiosus, vel monialis provideatur de illis extraordinariis occurrentiis, quibus alias oporteret provideri per Monasterium, adeout in monialibus hujusmodi assignatio dicatur de appenditiis dotis, ejusque pars, ut habetur *sub tit. de dote, disc. 144. & 145.* & pluries, ac etiam advertitur *sub tit. de Regal.* ad materiam locorum montium, *disc. 34.* & in dicta sua materia *sub tit. de Regular.* & confert
distinctio, de qua *sub d. tit. de dote, disc. 148.* ac etiam *sub* 19
tit. de feudis, disc. 61. & seqq. inter alienationem fructuum seu commoditatis, prout facti est, & alienationem ususfructus formalis, prout juris, cum similibus.

Ideoque justa, & probabilis visa est resolutio, quoniam licet Scribentes pro actore insisterent in læsione, quod scilicet pro dicta ejus prætensione quid modicum, ac incerto futuro eventui non proportionatum datum esset contra naturam transactionis, in qua juxta opinionem, quam tenet
Rota, & Curia, intrant etiam termini textus *in l. 2. C. de* 20
rescind. vendit. ut in sua materia *sub tit. de emption. & vendit.* pluries, attamen dicebam id esse extra punctum quæstionis disputatæ in Sac. Congregatione, cujus institutum est præbere oracula super Sac. Conc. Trid. interpretatione, vel aliis, quæ ex ejusdem Concilii dispositione, vel sensu pendent, non autem tractare hujusmodi causas indifferentes, in quibus formalis processus cum examine testium, aliisque probationibus, & actis in figura Judicii requiritur, cum
tunc Judices ordinarii adeundi sint, quibus Sacr. Congre- 21
gationes eas remittere solent, ut in sua materia *sub titul. de Judiciis in Romana Curia relatione, & praxi.*

S U M M A R I U M.

1 *De conditione ut Monasterio non acquiratur.*
2 *De præstatione vitalitia assignari solita Religiosis.*

ADNOT. AD DISC. XXV.

Conditio ut Monasterio, vel Religioni legatum, vel donatio acquiri non valeat, an & quomodo sustineatur, *vid. sub tit. de Testam. disc. 23. & 56. & tit. de Regul. disc. 57.*

De materia annuæ vitalitiæ præstationis, quæ Religioso assignari solet, videantur deducta *sub tit. de Regular. disc. 56. & seqq. & in Ann. ad S. C. T. disc. 34.*

FULGINATEN. CENSUS
PRO CREDITORIBUS DONATORIS
CUM FRANCISCO BERNABO'.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Creditoribus.

De solemnitatibus per Statuta particularia desiderata in donationibus, in qua donationum specie requirantur, & in qua non, præsertim in donatione contemplatione matrimonii, & in specie de Statuto Fulginaten. quando locum habeat, & an juramentum illud cessare faciat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto Fulginaten. in materia donationum.*
3 *Quod non sit in usu ex testimonio Doctoris Regionis, cui deferri debet.*
4 *Actus jurati non veniunt sub Statuto.*
5 *Donatio contemplatione matrimonii non subjacet solemnitatibus statutariis.*
6 *Reprobatur non usus, de quo n. 3.*

7 *Quod non sit deferendum attestationibus Doctorum.*
8 *De inconstantia Consulentium, ac de errore eis deferentium in judicando.*
9 *Statutum tollit juramentum indirecte & quomodo.*
10 *Renunciatio Statuto inhabilitanti non attenditur.*
11 *Sæpe Advocati deducunt motiva levia, & fallacia, & de ratione.*
12 *An amplitudo verborum limitet conclusionem, de qua n.5.*
13 *De ratione ob quam recepta est dicta conclusio, de qua n.5.*
14 *Non est inhærendum formalitati verborum, vel sensui grammaticali, sed rationi.*
15 *Quod dicta conclusio de qua nu. 5. procedat in donatione necessaria, non autem voluntaria.*
16 *Reprobatur in majoribus, & de ratione.*
17 *Respondetur ad auctoritates contrarias.*
18 *Antiquitus dicta conclusio erat dubia.*
19 *Ut eadem conclusio procedat quid requiratur.*
20 *Quando matrimonium sit causa finalis, vel impulsiva donationis.*

DISC. XXVI.

1 POstquam jam conclusum, & contractum fuerat matrimonium inter Franciscum Bernabò, & N. occasione instrumenti publici, quod super apocha dotali juxta frequentiorem usum fieri solet, sponsi frater, donationem ei fecit de omnibus bonis, reservata solum quadam summa, ad effectum testandi, quod pro cautela adhiberi solet pro donatione sustinenda & ne alias intraret illa nullitas, quæ in donatione universali datur, quando adimat liberam testandi facultatem; cumque donator, isto clypeo forsan tutus, (credens ita majorem sibi concedi licentiam impendendi alienum) plura debita contraxisset, atque creditores contra ipsum adhuc viventem, seu ejus defuncti bona hæreditaria, mandata executiva in Tribunali A.C. obtinuissent, illaque curassent exequi super bonis alias ad ipsum debitorem spectantibus, ac ab eo possessis, se opposuit dictus Franciscus donatarius tanquam tertius possessor in vim dictæ donationis, cum ea nimium frequenti in Curia cautela, quæ *Angeli* dicitur, & de qua pluries *sub tit. de judiciis*, atque excipientibus, vel replicantibus creditoribus dictæ donationis manifesta, & continenti probata nullitate ob non servatam formam præscriptam a Statuto Civitatis Fulginatensis, continente alias decretum annullativum, & quod
2 Statutum canonizatum fuit pluries per Rotam, præsertim *dec.* 293. *p.* 4. *rec.* *tam.* 2. repetit. post Gilian. *ad Statut. dec.* 89. & in *Fulginaten. datis* 19. *Aprilis* 1660. *cor. Albergato*, edita in causa, de qua *sub tit. de dote*, *disc.* 18. Hinc proinde assumpta desuper disputatione in dicto Tribunali A.C. pro creditoribus resolutio prodiit, nullitatem dictæ donationis canonizando, atque puto, quod donatarius acquieverit, dum amplius de causa actum non andivi.

In hujusmodi autem disputationibus, Scribentes pro do-
3 natario, ex pluribus dicebant, huic donationi non obstare Statutum prædictum, cujus dispositio alias clara, & litteralis est, primo scilicet, quod illud non esset in usu, secundo quod procedere non deberet in actibus juratis, ubi præsertim accedat (ut in præsenti) expressa jurata renunciatio & tertio, quod non ageretur de pura, & simplici donatione, de qua Statutum loquitur, sed potius de causativa, utpote facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii, ideoque statutaria dispositio non intraret.

Quoad primum super non usu, deducebant attestationem *Cirocchi Doctoris Fulginaten. discept.* 53. nimium in hoc se diffundendo super ea quæstione, an DD. attestantibus de consuetudine deferendum sit, ut quamvis regula sit negativa, ea tamen limitationem recipiat, ubi agitur de Doctore versato in Regione, ideoque informato, ut ita distinguendo post alios Mascard. *de probat. concl.* 558. *n.*5. Gabr. *de probat. concl.* 4. Capyc. Latr. *consul.* 98. *n.* 10. apud quos cæteri.

4 Ad secundum autem juratæ renunciationis, cum copiosis allegationibus deducebant satis vulgarem, ac receptam propositionem, de qua pluries *sub tit. de alienationibus, & contractibus*, præsertim *disc.* 16. ac etiam *sub tit. de dote*, *disc.* 143. de Statuto laicali non complectente contractus juratos ex defectu potestatis, quinimmo etiam in Papalibus, seu Papali auctoritate confirmatis idem procedit, non quidem ex defectu potestatis, sed ex illo voluntatis, quoties de illa explicite, vel implicite non constet, *ut dicto disc.* 143. *de dote*, cumulando in idem vulgare axioma, ut quilibet juri suo renunciare valeat, neque ad jura renunciata regressus competat.

Et quoad ad tertium fundamentum, dicebant, quod quicquid apud antiquiores disputatum fuerit, hodie ubique, præsertim vero in Rota, & Curia (ubi non constet, quod Statutum hanc speciem quoque comprehendat) receptum,
ac extra controversiam est, donationes contemplatione cer- 5
ti, & determinati matrimonii factas, statutariis solemnitatibus non subjacere, allegando aliquas ex decisionibus editis *in Urbinaten.* de qua supra *disc.* 2. ac auctoritates in eis deductas.

Duo priora fundamenta de facili tollebantur, ad illud enim non usus, in specie respondetur per Rot. *d. dec.* 293.
*par.*4. *tam.*2. & *repetit.* apud Gilian. *dec.*89. quod scilicet ille 6
non usus non præsumitur, sed ab allegante probandus est, istaque probatio videbatur impossibilis, dum per causæ Patronum ex hac parte dabatur notula copiosi numeri donationum, in quibus hujusmodi solemnitates adhibitæ fuerunt.

Et quoad attestationem Cirocchi doctoris regionis *dict. controv.* 53. ultra inspectionem juris, quod Doctori atte-
stanti de his, quæ facti sunt, credendum non est, qualitas 7
vero, ut sit versatus in regione, operetur, ut aliquando magis credi debeat, aliis tamen probationibus, vel adminiculis concurrentibus, ut advertitur apud eosdem supra allegatos, ideoque habetur *decis.* 574. *par.* 4. *rec. tom.* 3. *nu.* 18. quod Rota non consuevit id recipere, atque in casu, de quo *dict. disc.* 2. auctoritates Doctorum regionis neglectæ fuerunt.

Tollebatur magis de plano hujus assertionis fides, ex eodem *Auctore*, *discept.* 50. *cum duobus seqq.* ubi scribendo super invaliditate alterius donationis, innixus auctoritati
Rotæ *d. decis.* 298. respuit hoc motivum non usus, adeout 8
mirandum sit, quomodo immediate postea adjecta fuerit dicta alia controversia, in qua contrarium dicitur, sed non declarando, vel utrumque dictum conciliando, unde proprerea edocemur, quantum manifestus error, atque leguleica simplicitas sit, in judicando, vel consulendo ad veritatem, deferre auctoritati Consiliorum, vel controversiarum, seu responsorum, aut quocumque vocabulo, nominentur, quoties eduntur eo modo, quo ipsi consulentes ad pecuniam, vel affectionem, causæ inserviendo scripserunt, cum sæpius contra proprium votum scribi soleat, immo, quo majorem difficultatem causa parturit, eo magis ingenium acui solet, atque volitare solet dicterium (damnandum tamen) quod excellentia Advocatorum, & Consulentium in causis periculosis dignoscitur.

Alteri objectu juramenti, vel renunciationis, pariter in eadem decisione respondetur, quod scilicet defectus potestatis statuentium circa juramentum versatur ubi directe de illo disponatur, secus autem si indirecte, adimendo fi-
dem scripturæ, sive præsumendo illud dolo, vel metu extor- 9
tum, ut de his omnibus ad sufficientiam *dict. disc.* 143. *de dote*, & in dicta materia *de alienat. & contract.* Et quoad renunciationem bene quoque in eadem decisione advertitur, ut de illa nulla haberi debeat ratio, utpote ex Notariorum stylo, vel alterius contrahentis calliditate adjecta, quodque
cum eadem facilitate, cum qua persona imperfecti judicii 10
inducta fuit ad donandum, seu faciendum alium actum præjudicialem, induci etiam potuit ad renunciandum Statuto, cui nimis de facili fraus ita fieri posset, illudque de vento redolet, atque ita impositum potius esset verbis, quam rebus, ut pluries in dicta sua materia, *sub tit. de alienat. & contract.* ideoque in his objectis removendis, parum, ac fere nihil oportuit laborare, cum apud Judicem in nulla consideratione haberentur.

Quo vero ad tertium, circa solemnitates non adhibendas in donationibus contemplatione matrimonii, quamvis
more Advocati cumulando motiva, tam solida, quam levia 11
(ex stylo forsan necessario, ob experientiam, quod sæpius bonis, ac solidis neglectis, levia amplecti solent,) duas dabam responsiones, primo scilicet, quod admissa etiam pro regula magis communi opinione firmante, ut in hujusmodi donationibus utpote causativis & correspectivis, hujusmodi statutariæ dispositiones locum non habeant, adhuc tamen fallit, ubi amplitudo verborum, seu alias contextus Statuti suadeat, statuentium voluntatem fuisse, istum quoque
casum complectendi, ex auctoritatibus deductis supra *in* 12
dict. disc. 5. & in specie hujus Statuti adducebam auctoritatem *dict. Cirocchi*, *discept.* 51. *n.* 15. & *seqq.*

Verum reflectendo ad veritatem (partibus de more insinuatam) agnoscebam motivum esse minus tutum, ob experientiam habitam in dicta *Urbinaten.* quod non obstante majori verborum amplitudine, ac etiam magis considerabili circumstantia, ibi ponderata, quod secundum decretum

Duca-

Ducale prodient ampliative ad tollendam in specie hanc difficultatem, quæ adversus primum decretum prodierat ex ibi allegato *cons. Eugen.* adhuc tamen his non obstantibus, in eo casu id neglectum fuit in longe fortioribus terminis, dum non deducebatur motivum ad effectum annullandi actum, sed ad solum effectum inducendi probabilem dubitatem pro sustinenda concordia.

Ac etiam, ob rationem satis probabilem, & convincen-
13 tem, cui innixa est dicta magis communis, ac recepta opinio pro exclusione statutariæ dispositionis ab hac donationum specie, quod scilicet fieri dicatur, magis in gratiam sponsæ, ejusque parentum, vel dotantium, qui alias non contraxissent, unde speciem habet contractus correspectivi potius quam donationis, ex pluries deductis in præcedentibus, ideoque in judicando, ratio, vel subjectæ materiæ natura prævalere semper debet grammaticali significationi,
14 seu litteræ verborum, cum id, ut pluries advertitur, Judæorum, atque Grammaticorum potius quam Jurisconsultorum munus continere videatur.

Secundo deducebam ea, quæ habentur firmata per Rotam *dec. 22. n. 8. cum seqq. post Pichum ad statuta*, cum aliis apud *eundem* Crocc. *discept. 51. num. 20. in principio*, Custell. *de donat. contemplat. matrim. tract. 1. disc. 3. partis. ob.*
15 *nu. 12. & 18. & tract. 2. discurs. 1. speciali 4. per totum*, Michalor. *de fratr. p. 1. cap. 20. n. 12.* ut scilicet dicta conclusio excludens necessitatem solemnitatum Statuti in hac specie donationum, procedat in iis personis, quæ de jure ad hanc donationem faciendam tenentur, adeout dicatur actus potius necessarius quam voluntarius, secus autem ubi ex mera voluntate resultat.

Verum ista quoque responsio periculosa erat, ac fallaciam continebat, cum hæc distinctio inter necessitatem, & voluntatem, ex veriori sententia, procedat solum in minore inhabilitato etiam de jure communi, non autem in iis, qui
16 eodem jure communi attento, habiles, ac integri judicii reputantur, liberamque suorum bonorum Administrationem habent, quamvis fragilitas sexus quoque concurrat, dum mulieres majores a jure inhabilitatæ non sunt, ex iis, quæ pluries habentur *sub tit. de dote*, præsertim *disc. 16. cum seq.* ubi concordantes cumulantur, ac etiam ob dictam aliam rationem occasione præcedentis motivi insinuatam, quod istæ donationes habent speciem contractus correspectivi, atque sequi solent magis ex studio, & diligentia mulieris, vel ejus parentum, seu conjunctorum, ideoque cadere non debent sub legibus municipalibus, quæ de simplicibus donationibus disponunt, quoniam si non sunt causativæ ob necessitatem faciendi, adhuc tamen causativæ remanent ob dictam correspectivitatem, ac interesse tertii.

Dicta vero auctoritas Rotæ *dec. 22. post Pichum*, quæ ma-
17 gis urgens in hoc proposito videtur (cum alii sint magis collectores, ac relatores, qui juxta frequentiorem stylum referunt quid ab aliis scriptum inveniant absque alio examine) salvari potest, vel ob illius facti particulares circumstantias, vel quod, ut advertitur *in Romana donationis de Sylla, sub tit. de fideicomm. disc. 140.* eo tempore sub quæstione id erat, atque non ita decisum, ac receptum, ut de præsen-
18 ti, adeout in dicta causa consistente in hoc articulo, ob votorum scissuram, capta non fuerit resolutio, sed laudata concordia, ideoque non mirum, si antiquiori tempore in eam sententiam deveniri potuit.

Solida vero, ac tuta responsio, quam Judex amplexus est, a me in sensu etiam veritatis deducta, consistebat in defectu applicationis ad factum, quoniam, ut in proposito augmenti dotis, sive donationis in ejus causam, vel in istam
19 contemplatione matrimonii habetur in dicta alia *Fulginaten. sub tit. de dote, disc. 18.* ac pluries *eod. tit. disc. 145.* & alibi juxta *decis. 433. & 479.* Coccini, cum aliis ibidem deductis, ac etiam pluries supra, & infra, tunc dicitur vera donatio causativa, quæ tanquam redolens speciem contractus onerosi, & correspectivi non subjacet hujusmodi solemnitatibus, quando duplex circumstantia copulative concurrit, primo scilicet, quod illa sit finalis, ac principalis contemplatione certi, ac determinati matrimonii, non autem pro matrimonio incerto, ac indefinito, cum tunc ista dicatur potius causa impulsiva, quæ non facit donationem causativam, juxta distinctionem, de qua cæteris relatis apud Add. ad Buratt. *dec. 861. dec. 118. n. 10. & 127. n. 12. p. 6. rec. & sæpius*, & secundo, ut ea sequatur ante matrimonium,
20 vel saltem in executionem promissionis, sine qua matrimonium sequutum non esset, adeout dici valeat pars contractus matrimonialis, & correspectiva, ut habetur locis citatis, præsertim *in dicta alia Fulginaten. sub tit. de dote*, ac etiam infra *in Romana pecuniaria, seu Augmenti dotis, disc. 28.* Ista siquidem donatio sequuta erat post jam sequutum matrimonium, & constitutam dotem, & quamvis diceretur, quod præcessisset promissio, seu tractatus, non tamen dabatur sufficiens probatio, quinimmo potius, si non probatio, saltem vehemens fumus ex hac parte dabatur, collusionis, ac fraudis, quæ etiam ad debita non contracta, sed contrahenda recte dari potest, ut advertitur *infra dict. disc. 28.* ideoque probabilis, ac justa visa est resolutio.

ANNOT. AD DISC. XXVI. cum seqq.

AGitur in his discursibus de solemnitatibus per Statuta particularia desideratis in donationibus, super quo videantur ea quæ habentur *in hoc tit. disc. 66.* ubi an requirantur in donatione annuæ præstationis vitalitiæ, de quo etiam habetur actum *hoc tit. disc. 32.* Et quid in donatione facta per Magnatem proprio Familiari cum assertione meritorum, ac etiam *disc. 67. cum seq.* in quorum primo agitur de eadem materia, de qua in præsenti *disc. 26.* super solemnitatibus scilicet a Statuto Fulginei requisitis in donationibus.

De solemnitatibus autem Statuti Urbis 150. & 151. habetur pluries actum in sua sede *sub tit. de Alien. & Contr. prohib. signanter disc. 31. cum seqq.*

Et de materia insinuationis in donationibus requisitæ, habetur particulariter actum *disc. 60. per tot.*

ROMANA PRÆTENSÆ DONATIONIS,

PRO PP. S. LAURENTII IN LUCINA, ET CONSORTIBUS,

CUM BENEDICTELLIS.

Discursus in congressu super casu concordato.

An in donationibus, quæ in Urbe fiunt per mulieres, ultra solemnitates, quæ in hoc speciali contractu donationis requisitæ sunt per Statuta 149. & 150. adimpleta esse debeant requisita per Statutum 151.

SUMMARIUM.

1 *FActi series:*
2 *De Statuti Urb. 151. solemnitatibus, & causa, & qualis hæc esse debeat.*
3 *Læsio non datur in donatione.*
4 *Quod donationes mulierum sine solemnitatibus Statuti 151. sint canonizata.*
5 *In causam dotis mulier major valide se obligat.*
6 *Donationes continentes onus fideicommissi non exigunt solemnitates,*
7 *Statutum 151. in verbis loquitur de donationibus.*
8 *Procedit in omnibus actibus, in quibus dari potest læsio.*
9 *In specie de decisionibus agentibus de donatione.*
10 *De differentia inter Statuta 149. & 150. & Statut. 151.*
11 *Quando, & quomodo in donatione verificetur justa causa desiderata a Statuto 151. cum pluribus exemplis.*
12 *Declaratur conclusio, de qua num. 5.*
13 *Et altera, de quo n. 6.*
14 *An inter mulieres æque privilegiatas cesset Statutum?*

DISC. XXVII.

ADversus donationem ab ea factam Margaritæ judicium instituit in Rota *coram Buratto*, coram quo de 1
anno 1626. prodiit resolutio super nullitate ob non servatam formam Statuti 151. ut patet ex *decis. 924.* Buratti, qua edita deventum est ad concordiam, quam deinde donatariorum filii, utpote ex persona propria jure substitutionis venientes, impugnare curarunt in eadem Rota *coram Royas*, sed succubuerunt, ut patet *ex decis. 437. & 477. ejusdem*, quibus non acquiescentes Benedictelli dictorum filiorum successores causam reassumpserunt in eadem Rota *coram Albergato subrogato*, eaque proposita *sub die 23. Februarii* 1660. rescriptum fuit revideri debere dictam decisionem 2
Buratti, quare PP. S. Laurentii in Lucina, & consortes donatricis mediati successores, in hoc statu Me ad causæ defensionem evocarunt, habitoque juxta laudabilem stylum congressu pro directione, ac futuræ disputationis præparatione, subsequuta honesta concordia ulterioris disputationis occasionem sustulit.

In congressu autem prædicto, atque in discursu desuper edito, inspectis occasione primæ disputationis informatio-

nibus datis ex parte Actorum, punctus restringebatur ad inspectionem, an stantibus *Statutis* 149. & 150. specialiter providentibus super contractu donationis, attendi quoque deberet in mulieribus alterum Statutum 151. juxta firmata *in dict. dec.* Buratti.

Pro negativa Scribentes pro actoribus potissimum fundamentum in eo constituebant, quod cum Statutum 151. ultra solemnitates interventus Judicis, & proximiorum, vel curatoris respective, exigeret etiam causam, (quam juxta opinionem modernam inconcussè tentam reintegratoriam opinionis antiquæ reprobata opinione media receptum est esse debere veram de jure, & de facto, ideoque utilem, vel saltem non damnosam, ex iis, quæ pluries habentur infra *sub tit. de alienat. & contract.*) hinc proinde dicebant hoc Statutum inapplicabile esse contractui donationis, cum semper donare sit perdere, ideoque verificari non potest interventus causæ utilis, vel non damnosæ.

Juris enim conclusionem habemus, quod leges disponentes de læsione intelligendæ veniunt in emptione, & venditione, ac permutatione, vel transactione, aliisque contractibus correspectivis, non autem in isto donationis con-
3 tractu, in quo non datur læsio, *l. majoribus, Cod. commun. utriusque jud.* DD. communiter relati per *Caren. resol. 6.* ubi agis de Ministratore, aliisque limitationibus, Hodiern. *contr.* 16. Rot. *dec.* 125. *p.* 5. *rec.*

Alias enim esset omnino inhabilitare sexum foemininum ad istum contractum faciendum, quod nullibi in jure communi, vel Statutario dispositum est, deducentes e converso plures donationes factas per mulieres in Urbe effe-
4 ctum sortitas, & a Rota canonizatas, præsertim decisiones *in Romana renunciationis coram Ottbabona* inter suas *dec.* 182. & *in eadem cor. Cerro dec.* 23. *p.* 11. *rec.*

Et ulterius dicebant, quod ubi etiam in pura, & simplici donatione hujusmodi solemnitates quoque in mulieribus desiderandæ venirent, adhuc tamen requisitæ non essent in hac specie, vel quia donatio facta esset etiam mulieribus æque privilegiatis, unde propterea intraret regula conquassationis privilegiorum, vel quia facta esset in causam dotis, in qua receptum est, mulieres majores, non cu-
5 rata distinctione inter causam necessariam, & voluntariam, valide ac sine solemnitatibus contrahere posse ex iis, quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 16. & *seqq.*

Vel demum, quod hæc non esset donatio pura, & gratuita, sed continens onus fideicommissi ad favorem filiorum, & descendentium donatariarum, ideoque juxta ma-
6 gis communem, & in Curia receptam opinionem, non requiruntur solemnitates alias in donationibus requisitæ, rejecta distinctione, an onus percutiat commodum donatarii, vel tertii, ut *decis.* 260. *p.* 4. *rec. tom.* 2. late in *Reggien. bonorum* 23. *Februarii* 1647. *coram Corrado* cum aliis, quæ habentur *in Romana fideicommissi de Ursinis*, *sub tit. de renunciat.*

His tamen non obstantibus, credebam probabilitatem huic parti assistere, quodque dictæ decisionis *Buratti* confirmatio speranda esset, adhuc tamen libenter, juxta stylum, consului extinctionem litis, dum offerebatur satis honesta concordia.

Quatenus enim pertinet ad punctum principalem, an scilicet in contractu donationis, quæ fiat per mulierem, ultra solemnitates requisitas a Statutis 149. & 150. adhiberi
7 quoque deberent aliæ requisitæ a Statuto 151. Dicebam casum esse litteraliter decisum, ideoque dubitationis incapacem juxta regulam vulgaris textus *in l. ille aut ille, ff. de legat.* 3. dum inter quatuor contractus, qui in eodem Statuto ad speciem deducuntur, legitur ille donationis, cum tamen hodie post accerrimam disputationem, de qua in votis, ac decisionibus registratis apud *Fenzon. post idem Stat.* 151. absolutum, ac extra controversiam sit, ut dicti quatuor
8 contractus sunt demonstrative, non autem taxative, ideoque illud locum habeat in quibuscumque actibus, ex quibus mulier lædi potest, seu alias præjudicium pati, ut in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.*

Et in specie hujus contractus donationis factæ per mulierem, ut istius quoque Statuti solemnitates desiderentur, plures habemus Rotæ decisiones, præsertim apud Coccin.
9 *dec.* 433. & 479. apud Peniam *dec.* 239. Cavaler. *dec.* 257. quæ omnes præcedunt hujus causæ decisionem 924. Buratti, & postmodum apud Cels. *dec.* 40. *nu.* 13. & in aliis, *coram Albergata, & Bourlemont* editis *in Tiburtina donationis*, de qua *sub tit. de dote, disc.* 17. Ex ea probabili, & convincenti ratione, quod Statuta 149. & 150. percutiunt ipsum contractum in genere, a quocumque fiat, quamvis generaliter ad contrahendum habilitam, ac liberam disponendi facultatem 10
habente, alterum vero Statutum 151. respicit habilitatem personæ, in qua alias imperfectum præsumitur judicium, ita cum interventu Judicis, & proximiorum, vel curatoris supplendum, ideoque Statutum 151. operatur, ut mulier alias imperfecti Judicii, ita habilitetur atque reddatur æqualis viris majoribus, liberam donandi, ac disponendi facultatem habentibus, in quibus adhuc aliæ solemnitates præscriptæ in dictis Statutis 149. & 150. desiderantur, ideoque recte compatibilis est hujusmodi Statutorum concursus pro diversitate respectuum.

Ad argumentum vero impracticabilitatis causæ utilis, vel non damnosæ a Statuto desideratæ, dicebam quod istud requisitum intelligendum est proportionabiliter juxta subjectam materiam, adeout cesset illa suspicio circumventionis, quæ de facili in personis imperfecti Judicii cadit, ut scilicet in contractibus correspectivis regulandis cum termi-
nis justitiæ commutativæ, inspiciatur, ut mulier sit in lucro, 11
vel saltem non in damno, in isto autem gratuito, ac liberalitatis actu regulando cum terminis justitiæ distributivæ potius quam commutativæ, inspicitur, an concurrat justa vel honesta causa, quæ de congruo, ac citra circumventionem, hujusmodi actum exigat, puta ita exigente obligatione antidorali ratione meritorum juxta ea, quæ in materia remuneratoriæ donationis deducta habentur *sub tit. de feudis, disc.* 94. occasione agendi, an Bulla Baronum intret pro debitis ex causa donationis remuneratoriæ, sive ex rationabili motivo agnationis, juxta casum, de quo *in d. Romana renunciationis*, apud Otthob. *dec.* 182. & *dec.* 23. *p.* 11. *rec.* Aut ex motivo pietatis pro aliqua puella dotanda, dummodo sit causa finalis, ac præcisa, non autem color quæsitus, juxta deducta *in d. Tiburtina, sub tit. de dote, disc.* 17. vel quod natura ad id impellat juxta insinuata, *dec.* 271. *n.* 7. *par.* 11. *rec.* ubi de pecunia mutuo accepta per mulierem, & donata filio pro expensis necessariis in Episcopatu obtento, cum similibus, adeout dici valeat actus prudens, ac laudabilis, qui a prudenti, & perfecti judicii viro gestus etiam esset, unde cesset ratio Statuti, atque justa causa ab eo desiderata verificari valeat, hæc autem in præsenti omnino cessabant, quinimmo facti circumstantiæ aliquam redolebant circumventionem.

Quo vero ad alia fundamenta, facilis eorum solutio vi-
debatur, illud enim privilegii dotalis intrat ubi in certam, 12
ac præcisam causam dotis donatio facta sit, adeout ea dicatur causa finalis, vel principalis, secus autem ubi vaga, cum aliis etiam causis cumulata, adeout dici valeat color quæsitus ad ipsam donationem colorandam juxta distinctionem, de qua *in d. tit. de dote, disc.* 19. atque in hac facti specie verificabatur secunda pars distinctionis.

Et quoad alterum, conclusio procedit in ordine ad solemnitates ex dictis Statutis 149. & 150. desideratas indefinite
in contractu donationis, per quemcumque ille fiat, quamvis 13
perfecti judicii esset, liberamque haberet suorum bonorum dispositionem, ut scilicet hujusmodi Statuta intelligenda veniant in donationibus puris, & gratuitis, non autem in causativis, secus autem, ubi agatur de altero Statuto respiciente potius habilitationem personæ, quam formam, sive solemnitatem contractus, & consequenter nihil refert, quod dicta forma in actu non desideretur, si persona non est habilis ad contrahendum, ideoque conclusio quamvis in suo casu vera, cessabat ex defectu applicationis.

Ex vero circumstantia, quod ageretur inter mulieres æque privilegiatas, hodie non venit habenda in conside-
ratione, quoniam licet antiquiori tempore id sub aliqua 14
esset quæstione, attamen ista videtur hodie sopita, ut scilicet potior sit conditio illius privilegiati, qui contendit de damno adversus contendentem de lucro, sive in concursu etiam æquali damni, potior sit conditio ejus, qui agit de majori damno, ut pluries in sua materia, *sub tit. de alienat. & contract.*

ROMANA DONATIONIS
PRO HIPPOLYTA MACE,
CUM MONASTERIO S. CLARÆ,

Casus decisus per Rotam pro Hippolyta.

De eadem materia Statuti 151. quoad requisitum causæ, an locum habeat in donationibus, quæ fiunt per mulieres, & quomodo habenda veniat ratio

ratio læsionis, & de alia solemnitate insinuationis requisita a Statuto 150. an impleri possit post revocationem factam a donatore, & quomodo de ista revocatione constare debeat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Distinguuntur puncti disputati.*
4 *Quod non de declarationibus disputatis agatur in decisionibus.*
5 *Primus donatarius non potest retrodonare in præjudicium aliorum vocatorum.*
6 *Mulier major de jure non est prohibita donare, & alienare.*
7 *Retrodonatio, vel remissio juris quæsiti exigit solemnitates alienationis.*
8 *An sententia lata contra prædecessorem præjudicet successori venienti jure suo?*
9 *In Curia de facili tollitur res judicata per restitutionem in integrum ob injustitiam.*
10 *An dolus, vel metus a tertio illatus annullet donationem?*
11 *Ubi etiam de dolo, vel metu non constet concludenter, ad quid prosit ejus fumus.*
12 *Tutor, vel Prælatus potest recognoscere bonam fidem, ejusque confessio adminiculata præjudicat.*
13 *Transactio an obest successori?*
14 *Contractus minus solemnis, quamvis non obliget, attenditur tanquam probatio.*
15 *De Statuto Urbis circa insinuationem.*
16 *An constare debeat de revocatione expressa donationis ante insinuationem?*
17 *De revocatione alienationis feudi qualis esse debeat.*
18 *An insinuatio cesset per juramentum?*
19 *Insinuatio ad quem finem, seu effectum introducta est, & quod sufficiat tacita pœnitentia.*
20 *Ex quibus actibus inferatur ad pœnitentiam donatoris.*
21 *Post pœnitentiam non potest fieri insinuatio.*
22 *Quod retrodonatio minus solemnis attendatur pro adminiculo.*
23 *Quod revocatio donatoris debeat esse expressa.*
24 *De invalida donatione facta per mulierem in Urbe, sine justa causa, vel solemnitatibus Statuti 151.*
25 *Quomodo consideretur læsio etiam in donatione.*
26 *Sententia obtenta contra primum donatarium, quamvis etiam non præjudicet successoribus venientibus jure suo, attamen facit adminiculum.*

D I S C. XXVIII.

1 Hippolyta pinguius, quam aliæ Sorores a parentibus, vel aliis conjunctis dotata, habens virum, illo absente, donationem aliquorum bonorum, vel quantitatis fecit ad favorem unius ex sororibus, cujus actus illico die sequenti pœnituit, id exagerando cum matre, aliisque conjunctis, unde propterea donataria prompte dictæ donationi retrocessit, postmodum vero revocationem formalem per instrumentum fecit, insinuatio autem a Procuratore in eadem, juxta stylum constituto, hoc intermedio tempore inter hanc revocationem expressam, & pœnitentiam, ut supra, conjunctis communicatam, facta fuit, eademque Hippolyta usque ab anno 1612. sententiam in Foru Capitulino super dictæ donationis invaliditate reportavit, cumque ad plures annos, mortua donataria, Monasterium Monialium S. Claræ ex persona ejus filiarum, utpote vocatarum ex persona propria, judicium pro dictæ donationis executione instituisset, in-
2 troducta causa *in Rota coram Meltio, sub diebus 25. Junii 1660. & 18. Martii 1661. cor. Bourlemont subrogato*, contra Monasterium actorem resolutiones prodierunt, donationem scilicet non subsistere, neque executionem mereri, neque causa ulteriorem progressum, quod sciam, habuit.
3 In his autem disputationibus, quinque fuerunt puncti, primo scilicet, an dicta retrodonatio subsisteret necne, secundo, an præfata sententia, quæ transitum fecerat in judicatum, obstaret dictis filiabus donatariæ actricibus, seu Monasterio ex earum persona venienti, tertio, an constaret de seductionibus, cum quibus supponebatur donatricem inductam esse, & quatenus constaret eas sequutas esse a tertio, non autem a donataria, inficerent actum, quarto, an solemnitas insinuationis post dictam retrodonationem, ac pœnitentiam respective sequutam atrendi deberet, & quinto, an obstaret etiam Statutum 151. ex defectu causæ utilis, vel non damnosæ, juxta ea, quæ habentur *disc. præced.* Quamvis de his omnibus ita distincte, non agatur in dictis decisionibus in causa editis, cum sæpius ex laudabili stylo non immorandi in superfluis, quando aliqua 4
motiva satisfaciunt, ac sufficientia reputantur ad resolutionem aliorum, discussio utpote non necessaria negligi soleat.

Quatenus igitur pertinet ad primum, magna disputatio 5
fuit inter Scribentes hincinde, super dictæ retrodonationis validitate, ac efficacia, quod pendere dicebatur ab eo, an filii vocati essent ad donationem ex persona propria necne, laborantibus scribentibus pro Monasterio actore in probando vocationem, atque Scribentibus pro hac Parte in eam negando, posita etenim vocatione, indubitatum remanebat, primum donatarium gravatum aliis restituere, quatenus donatio jam valida, & perfecta supponenda esset, non potuisse dictam retrodonationem facere, cum neque negligendo, seu non adimplendo aliis successive vocatis præjudicare valeat in amissione juris quæsiti juxta ea, quæ habentur supra *in Romana donationis de andosilla disc. 9.* & pluries *sub tit. de fideic.* Si etenim hujusmodi retrodonationes invalidæ reputari solent ob solum priorum, & conjugis interesse secundarium, ut pluries in præcedentibus, præsertim *disc. 2.* multo magis, & absque dubio, ubi agatur de jure, vel interesse primario.

E converso autem, ubi filii non essent vocati ex per- 6
sona propria, unde venire deberent tanquam hæredes matris donatariæ, quamvis inspecta dispositione juris communis, certum esset, dictam retrodonationem obstare debere, cum, dicto jure attento, mulier major prohibita non sit (excepto casu Vellejani, vel ubi remaneat indotata) donare, seu alias libere disponere, atque hæredibus non conceditur impugnare illud factum sui auctoris, quod ipsemet impugnare non posset, juxta terminos vulgaris text. *in l. cum a matre, C. de rei vendic.*

Adhuc tamen dicebant Scribentes pro Monasterio acto- 7
re, id non obstare, ob evidentem nullitatem dictæ retrodonationis, ob non servatas solemnitates tam dicti Statuti 151. cum ageretur de muliere, quam etiam aliorum Statutorum 149. & 150. præscribentium donationum formam, quoniam ubi donatio jam valida, & perfecta est, retrodonatio, vel remissio, utpote importans novam donationem, easdem exigit solemnitates, *ut dec. 217. n. 29. p. 11. rec.* & in sua materia *sub tit. de alien. & contract.* ubi de solemnitatibus statutariis in contractibus minorum, & mulierum, ac etiam *hoc tit. in Engubina donationis*, ideoque Ego scribens pro Hippolyta rea conventa, dicebam, hujusmodi quæstionum disputationes inanes esse, quia vel non sufficiebant, vel erant inanes.

Idemque dicebant circa secundum punctum, an scilicet 8
dicta sententia lata contra donatariam afficeret filios jure proprio venientes, quamvis enim Ego, & alii ex hac parte Scribentes deduceremus conclusionem, de qua apud Peregr. *de fideicomm. art. 53.* Menoch. *cons.* 1118. Rovit. *dec. 1. n. 38.* Posar. *quæst.* 622. Capyc. Latr. *consult. 52. num. 2. cum seqq.* ut sententiæ, & acta contra gravatum, non constito de collusione, afficiant successores fideicommissarios, quamvis ex propria persona venientes, attamen e converso Scribentes in contrarium insistebant in auctoritatibus volentibus oppositum, ubi potissime non accedat citatio per edictum pro jure, ac interesse vocatorum, juxta *decis.* Put. 91. *lib. 3.* cum qua in Curia procedi videtur, ut in sua materia *sub tit. de judiciis*, ideoque ad hanc difficultatem evitandam ex hac parte insistebatur in eodem puncto, de quo supra, negando scilicet vocationem filiorum ex propria persona, quam e converso Scribentes in contrarium etiam ad hunc effectum acriter sustinebant.

Verum, & hic videbatur labor parum necessarius, quo- 9
niam ubi donatio valida, & perfecta fuisset, retrodonatio autem ex defectu solemnitatum, & causæ esset, ut supra, invalida, tunc nil referebat adesse dictam rem judicatam, cum in Curia res judicata satis modicæ æstimationis esse soleat, dum etiam post longissima tempora, adversus eam ex capite injustitiæ de restitutione in integrum responderi solet ex recepta propositione, quod sententia injusta nunquam transit in judicatum, ut in dicta sua materia *sub tit. de judic.* & alibi frequenter.

Hinc proinde in congressibus dicebam, quod omnes isti labores inanes essent, utpote, vel non necessarii, vel insufficientes, quoniam si donatio ex aliis sequentibus motivis (ut etiam in sensu veritatis credebam) invalida, & irrita erat, tunc nulla suppetebat necessitas constituendi fundamentum in retrodonatione, vel sententia, sine quibus ex integro in-

tentum obtineri poterat, attendendo solum istos actus tanquam adminicula invaliditatis, ut infra, si autem e converso erat valida, & perfecta, id nil proficiebat, & tamen commune Jurislarum vitium esse solet, in hujusmodi, vel non necessariis, vel parum proficuis motivis magnas retexere quæstiones, ac facere digressiones cum nauseativis, ac intolerabilibus regularum generalium, & allegationum cumulis, frequentius, vel nullatenus, vel satis leviter attingendo punctum, in quo difficultatis cardo residet.

10 Tertius punctus totus erat facti, an scilicet constaret necne de iis, quæ hincinde supponebantur super libera, & sincera, vel respective non libere donatricis voluntate, versum de hoc, juxta laudabilem Curiæ stylum, actum fuit inter causæ Patronos, dum Advocati in eis, quæ facti sunt, se ingerere non solent, solumque articulus juris cadebat, an posito quod constaret de dolo, vel seductione, non tamen per donatariam, sed per tertium inficeret necne actum, super quo deducebantur hincinde eadem quæ insinuata habentur supra in *Melevitana disc.* 22. ubi patet, magis veram, & receptam esse opinionem pro actus invaliditate.

11 Hujus autem puncti discussionem magis profanam Ego credebam, quamvis de præsupposito dolo, vel falsis suggestionibus non ita bene, & concludenter constaret, quod motivum solum, & de per se sufficeret ad irritationem actus, pro coadjuvatione scilicet aliorum sequentium motivorum, ac etiam primi super retrodonatione, quæ ita facta censeretur potius in recognitionem veritatis, ac bonæ fidei, quam per viam integræ donationis ejus, quod valide, ac perfecte quæsitum esset.

12 Quamvis enim tutor, vel Prælatus, sive procurator, aut gravatus alieni restituere, actum expressum voluntarium præjudicialem facere non valeant, non tamen prohibentur veritatem, ac bonam fidem recognoscere; talisque recognitio, quoties ita adminiculata sit, quod fraudis, & collusionis suspicio absit, attendenda venit, ut cæteris relatis apud Buratt. *dec.* 49. *num.* 19. *dec.* 154. *num.* 3. *dec.* 239. *num.* 10. *& dec.* 453. *num.* 6. *dec.* 39. *&* 89. *par.* 7. *recent. & sæpius*, & habemus etiam in transactione bona fi-
13 de inita per gravatum, seu feudatarium, vel emphyteutam, præjudicante successori quamvis ex propria persona venienti, *ut sub tit. de fideicomm. disc.* 137. *& seq. & pluries*, & sub alio *de feud. disc.* 49. *& sub tit. de emphyteusi disc.* 52. & insinuatur supra *disc.* 2.

14 Et magis in specie mulieris, vel alterius alienare, vel contrahere prohibiti, absque certa solemnitate, ut ejus actus quamvis non habilis ad obligandum, habilis tamen dicatur ad probandum, ideoque tanquam confessio, vel probatio præjudicet, habetur *in Romana dotis* 10. *Februarii* 1600. *coram Sacrato*, quæ in materia reputatur magistralis, ut in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* & congerunt cumulata apud Altograd. *cons.* 5. *num.* 7. *cum seq. lib.* 1.

15 Quo vero ad quartum punctum, bene, vel male adhibitæ solemnitatis insinuationis, quæ ultra juris communis dispositionem, pro forma requiritur intra sex menses in Urbe ex statuto 150. sub decreto irritanti in summa excedente ducatos carolenorum biscentum, qui important summam sc. 150. monetæ, quatenus dicta insinuatio nullatenus secuta esset, tunc nulla cadebat difficultas super actus invaliditate, cum Statutum sit litterale, & e converso, ubi valide, ac re integra huic solemnitati satisfactum esset, tunc motivum absque dubio corruebat.

16 Quia vero præcesserat dicta revocatio, seu pœnitentia deducta ex conquestibus, qui dictæ retrodonationi causam dederunt, formalis autem revocatio subsequuta erat post dictam solemnitatem jam adimpletam, hinc proinde punctus difficultatis erat, an ad hunc effectum requireretur formalis, ac expressa revocatio, vel potius sufficeret, ut quomodocumque constaret de pœnitentia, & mutatione voluntatis.

17 Super hoc autem Scribentes pro Monasterio actore dicebant constare de expressa, & positiva revocatione, in id deducendo ea, quæ habentur in hoc proposito apud Cutell. *de donat. tom.* 1. *tract.* 1. *disc.* 1. *par.* 8. *num.* 30. Fontanell. *de pact. clauf.* 4. *gl.* 9. *par.* 5. *n.* 194. *cum seq.* Giurba *observ.* 43. *n.* 8. *& seqq. ubi cæteri*, ad quod comprobandum Ego observabam cumulari quoque posse auctoritatem illorum feudistarum, qui tenent revocationem alienationis, vel obligationis feudi, quæ ab eodem contrahente fieri potest, esse debere formalem, ac expressam, ex iis, quæ habentur deducta *in Civitatis Castelli jurisdictionis*, *sub tit. de feud. disc.* 66.

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis, dicebam contrarium verius esse, (ut fuit etiam sensus Rotæ cum justitiæ fundamento) quoniam cum insinuatio a jure communi introducta pateretur difficultatem, an juramen- 18 tum illius necessitatem cessare faciat, ex deduct. apud Rovit. *dec.* 48. Gratian. *discept.* 531. *num.* 34. *& seqq.* Addent. ad Buratt. *dec.* 47. *& alias frequenter*.

Hinc per jura municipalia id strictius demandatur pro 19 eodem ejus introductionis fine, ad effectum scilicet conjiciendi, an donator in eadem voluntate perseveret, atque ita se certificandi, an actus donationis, utpote regulariter damnosus, ac imprudens, ex libero, & sincero animo sequutus sit necne, ut cæteris relatis advertunt Mantic. *de tacit. lib.* 21. *tit.* 9. *&* 10. Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 23. apud quos plures recensentur præsumptiones, & conjecturæ, ex quibus pœnitentia, seu mutatio voluntatis probetur, ideo- 20 que eo ipso quod per conquestus, aliosque actus constat, ut non ex libero, & sincero donatoris animo id sequutum sit, quodque voluntatem minus liberam, vel sinceram fuisse donator declaraverit, seu alias vere pœnituerit, tunc adimpletur finis, ob quem lex communis, vel municipalis hanc solemnitatem induxit, & consequenter re non integra, atque donatore in eadem voluntate non perseverante, adimpleri non potest, Bart. *in l. modestinus, ff. de donat.* cum concord. apud Surd. *cons.* 361. *n.* 10. Gratian. 21 *discept.* 483. *n.* 24. *cum seq.* Rota *dec.* 456. *n.* 2. *cum seq. par.* 4. *rec. tom.* 3. *cum aliis in hujus causa decisionibus*.

Clarius vero, quia donataria conscia pœnitentiæ donatri- 22 cis, quæ se deceptam dicebat, illico dictam retrodonationem fecit, quam retrodonationem quamvis minus solemnem attendendam esse dicebam, tam pro recognitione veritatis, & bonæ fidei, quam etiam in comprobationem pœnitentiæ, & revocationis per donatariam agnitæ, & acceptatæ, ideoque alia non suberat necessitas novam, ac expressam revocationem faciendi, dum habitum fuerat intentum.

Illa vero explicita revocatio, quam desiderari credunt 23 Cutell. Fontanell. & Giurba ubi supra, ac alii apud eos, percutit diversos terminos, illius scilicet donationis, quæ sincera, & valida, ac jam perfecta, ex reservata facultate, seu alias est revocabilis, quoniam tunc cum agatur de destruendo actum jam validum, & perfectum, requiritur consimilis, perfectus, ac explicitus actus, secus autem ubi desideretur perseverantia voluntatis pro actu perficiendo, cum tunc sufficiat, ut constet de pœnitentia, seu voluntate non perseverante, ut advertunt iidem Cutell. Giurb. & Fontanell. *ubi sup.*

Demum quoad quintum, deducebam eadem, quæ in ter- 24 minis Statuti 151. ob defectum causæ utilis, vel non damnosæ habentur *disc. præc.* cum in muliere habente proprios filios ac nulla concurrente justa causa, ex iis, quæ *eod. disc. præc.* insinuantur, actus remaneret absque dubio imprudens, ac damnosus, atque læsionem quoque considerabilem esse advertebam, tanquam adminiculum minus liberæ, an sinceræ voluntatis, & in corroborationem tertii motivi, ut in specie, cæteris relatis, bene advertitur apud Hodiern. *con-* 25 *trov.* 16. *n.* 46. *& seqq.* Ideoque his omnibus simul junctis, reflectendo etiam ad solam veritatem, justæ, beneque fundatæ visæ sunt dictæ resolutiones, attendendo etiam dictam sententiam latam de tempore proximo actui, tan- 26 quam unum ex adminiculis tendentibus in idem, cum aliis conjungendum ut supra, quamvis illa tanquam sententia non afficeret successores venientes jure suo, juxta ea, quæ habemus de sententia lata cum tertio, cum similibus.

CIVITATIS CASTELLI DOTIS
PRO JOANNE VINCENTIO MARZOLO
CUM HÆREDITATE PYRRI DE PAZZIS, ejusque CREDITORIBUS.

Casus varie decisus per Rotam.

De insinuatione in donationibus requisita de jure communi, vel ex Constitutione Ægidiana, seu Carpensi. Et quando illius defectus obstaret necne, seu cui incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam, & aliqua de donatione inter virum, & uxorem.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *De materia præsumptæ solutionis remissive.*
3 *In materiis conjecturalibus, & arbitrariis non de facili convincitur injustitia.*

4 *De*

4 *De conclusione actionum, ubi debitor succedat creditori remissive.*

5 *Donatio inter conjuges expectans confirmationem a morte donatoris caducatur per donatarii prædecessum.*

6 *De insinuatione requisita de jure, & per Constitutionem Ægidianam.*

7 *Quare Ægidiana locum habeat in Urbe, & toto Statu Ecclesiastico immediato.*

8 *Donatio inter conjuges est valida ab initio, si accedit juramentum.*

9 *Quare juramentum non validet implicitam donationem contentam sub confessione dotis.*

10 *Summa scut. 500. exceptuata de jure ab insinuatione, quantum importet.*

11 *Juramentum tollit necessitatem insinuationis requisitæ de jure communi.*

12 *De præsumptione insinuationis, & aliarum solemnitatum ex longissima observantia.*

13 *De distinctione inter Constitutionem Ægidianam, & Carpensem.*

14 *De quæstione cui incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam insinuationis.*

15 *De distinctione, & de regula quod onus est actoris, & dantur similia.*

16 *Etiam negativa probanda est per allegantem pro fundamento intentionis.*

DISC. XXIX.

LUdovica de Pazzis Joannis Baptistæ Marzolo viro dotem donavit, unde propterea contra hæreditatem Pyrri donantis, pro debito residuali judicium instituit Joannes Vincentius donatarii hæres, & introducta causa in Rota cor. Emerix, pro actore responsum fuit 28. *Aprilis* 1662. & 4. *Maji* 1663. In repropositione autem a decisis recessum fuit, absolvendo hæreditatem ream conventam, quam creditores tuebantur *sub diebus* 3. *Julii* 1664. & 3. *Junii* 1665. ad quarum normam expedita sententia, & commissa causa *coram Albergato*, pro confirmatione sententiæ responsum fuit Me tamen non scribente *sub die* 15. *Martii* 1669.

2 Recessus a prioribus decisionibus principaliter provenit ex motivis facti potius quam juris, ratione sc. solutionis debiti ex præsumptionibus, & adminiculis deductæ, ad materiam tex. *in l. procula, ff. de probat.* cum concord. ap. Afflict. *dec.* 13. Surd. *dec.* 105. Merl. *dec.* 124. cum aliis in causæ decisionibus, & in sua materia *sub tit. de credito*, ac etiam in proposito præsumptæ solutionis dotis *sub tit. de dote disc.* 68. & 115. Magnum etiam fundamentum constituendo in quadam renunciatione, seu concordia, cujus inspectio pariter facti potius quam juris erat, an istud residuale debitum dotis complecteretur necne.

3 Hinc proinde non de facili judicium efformari potuit super hujusmodi pugnantium resolutionum majori, vel minori probabilitate, cum ista materia præsumptæ, seu adminiculatæ solutionis, vel interpretationis concordiæ super comprehensione alicujus partitæ ex præsumptionibus, & adminiculis pariter deducenda, dicatur arbitraria ex facti qualitate, & circumstantiis regulanda, atque in arbitrariis, ingeniorum varietas frequenter causat, ut quod uni videtur album, alteri æqualis doctrinæ, ac integritatis, videatur nigrum, ideoque temerarium est positive dicere, quod resolutio sit justa, vel injusta, ut alibi pluries advertitur, præsertim *sub tit. de fideic. disc.* 25. & *frequenter*.

4 Quo vero ad ea, quæ juris sunt, cum actor veniret jure donationis factæ per uxorem viro, Scribentes pro hæreditate rea conventa ad commodum creditorum insistebant in dictæ donationis invaliditate, qua posita de plano excludebant actorem, cum Ludovicæ creditricis intestata hæreditas eidem patri, ac debitori delata esset, unde propterea intrabat confusio actionum, quæ, debitore succedente creditori, resultat, & de cujus confusionis materia pluries *sub tit. de credito*, præsertim *in Senen. disc.* 40. ac etiam *sub tit. de herede, & hereditate*.

5 Ex duplici autem capite prætendebatur hæc donatio invalida, primo sc. ob prohibitionem, quæ in jure civili habetur donationis inter conjuges, cujus confirmatio, seu revalidatio prætendi non poterat per subsequutam mortem donatoris in eadem voluntate perseverantis ob donatarii prædecessum, unde propterea inducta est caducatio, cum substantia ipsius donationis a morte confirmationem, seu revalidationem recipiat, ideoque requiritur extremum habile, ut occasione agendi de Statuto Urbis super donationibus inter conjuges, & quando per mortem sequatur revalidatio necne, habetur *infra disc. seqq.*

Et secundo deducebatur invaliditas ex defectu insinuationis requisitæ, tam ex dispositione juris communis, quam 6 etiam fortius per *Constitutionem Ægidianam, lib.* 5. *c.* 25. per quam iidem Scribentes dicebant tolli eam difficultatem, quæ ratione juramenti caderet circa insinuationem a jure communi requisitam, dum istud expresse quoque infringitur, neque de potestate dubitandum est, quoniam quicquid sit de puncto, an Cardinalis Ægidius dictæ Constitutionis Auctor eam edidisset pro sola Provincia Marchiæ, & tanquam illius Legatus, vel tanquam Legatus Ge- 7 neralis universæ Ditionis Ecclesiæ in Italia ob residentiam Papæ in Gallia, omnis difficultas desuper sublata est per confirmationem, ac extensionem ad universum Statum Ecclesiasticum, etiam Urbem, factam prius per *Sixtum IV.* deindeque clarius per *Paulum III.* ideoque hoc jure passim vivitur, ut in proposito contractuum, qui gesti fuit per minores, non adimpletis dictæ Constitutionis solemnitatibus, præsertim ista insinuationis habetur infra in sua materia *sub tit. de alien. & contractib.* ac etiam sub altero *de renunc.* & frequentius *sub tit. de judiciis* in materia ejusdem Ægydianæ reintegrantis dispositionem tex. *in l. unic. C. si de momentanea possessione*, adimendo in judiciis possessoriis appellationem suspensivam a jure canonico inductam.

His tamen non obstantibus, quatenus ad istos punctos pertinet, cum sensu etiam veritatis, dicebam hujusmodi objecta nullam habere subsistentiam, ut etiam agnovit Rota in prioribus decisionibus, a quibus in hac parte non recessit, dum recessus fuit, ut dictum est, potius ex facto, quam ex jure.

Quo enim ad prohibitionem juris civilis, difficultas de 8 plano cessabat ratione juramenti, quicquid enim aliqui desuper dubitaverint, hodie hujusmodi quæstio scholis, & academiis pro ingeniis exercendis congrua est, in Foro autem disputationem non admittit, ut sc. (data in reliquis sinceritate actus, adeout non concurrat defectus naturalis circa consensum) dispositio juris civilis cesset propter juramentum semper servandum, ubi æternæ saluti, vel bonis moribus naturalibus, sive bono publico principaliter inducto non adversetur, juxta terminos tex. *in cap. cum contingat, de jurejur. & c. per vestras, de donat. inter virum, & uxorem*, ut cæteris relatis per Manticam *de tacit. lib.* 21. *tit.* 9. *n.* 8. *cum seq.* Rota post Pacif. *decis.* 208. *n.* 3. & ap. Greg. *dec.* 563. *nu.* 7. *cum aliis in hujus* 9 *causæ primis decisionibus*, & habetur etiam deductum *sub tit. de dote disc.* 159. Ubi advertitur, quod licet verius, magisque receptum sit, ut juramentum non sit operativum in ea implicita, seu præsumpta donatione inter conjuges, quæ inest confessioni receptæ dotis, attamen id provenit ratione fraudis, ac mendacii, cum juramentum, quod est vinculum Religionis, fovere non debeat simulationem, seu fraudem, ac mendacium, ex auctoritatibus, & decisionibus ibi deductis, præsertim latius *in Rom. dotis cor. Corrado dec.* 22. & 23. post Salgad. *in labyrint.*

Quovero ad alterum objectum insinuationis de jure com- 10 muni requisitæ, ultra quod ille non inficit totum actum, sed solum excessum 500. aureorum, super quorum valutatione, seu perequatione cum moneta nostri temporis licet nimis varient Scribentes, magis tamen communis videtur, ut importent, quantum vere important scuti aurei nostrorum temporum, vel parum minus, ac circa summam scut. monetæ 700. vel 800. ut cæteris relatis Gabr. *de donat. concl.* 1. *n.* 58. Bellon. *cons.* 4. *n.* 13. & 14. Rot. ap. Burat. *dec.* 7. *n.* 5. unde propterea obtinebatur intentum; cessabat difficultas etiam dicta ratione juramenti, quod pariter juxta opinionem in Foro receptam, neglectis quæstionibus, quæ scholasticis etiam, & Academicis relinquendæ sunt, ex eadem ratione de qua supra, cessare facit juris civilis dispositionem, ut cæteris relatis habetur ap. Grat. *discept.* 531. *nu.* 34. *cum seq.* ap. Rovit. 11 *dec.* 48. *n.* 4. (ubi de tenentibus contrarium) & tenuit sæpius Rota, præsertim apud Mantic. *decis.* 166. *nu.* 17. Burat. *dec.* 76. *n.* 11. Adden. *ad eum dec.* 924. *dec.* 58. *n.* 52. & *seq. p.* 6. *rec.* & in hujus causæ decisionibus.

Quare difficultas restringi videbatur ad Constitutionem Ægidianam, quæ dupliciter cessabat, primo sc. ob præsumptionem insinuationis resultantem a lapsu longissimi temporis 30. annorum juncto cum observantia, ut ultra generalia, quæ circa solemnitatum præsumptionem ex hac observantia resultantem habentur infra *sub tit. de alien. & contr. disc.* 1. & *seq.* etiam in alienatione bonorum

Eccle-

12 Ecclesiæ & *sub tit. de dote disc.* 143. in proposito præsumptæ derogationis Sixtinæ, seu alterius legis prohibentis dotis excessum.

In his specialibus terminis insinuationis habetur apud Burat. *dec.* 120. *n.* 37. *dec.* 122. *n.* 5. *&* 447. *n.* 2. *p.* 1. *rec. & dec.* 161. *n.* 13. *p.* 10. *rec.* & in alus, de quibus in hujus causæ primis decisionibus.

13 Et secundo magis de plano, quoniam dictum *cap.* 25. *lib.* 5. *Constit. Marchia* duas habet partes. In prima enim continet Constitutionem Cardinalis Ægidii, e quo nomen desumpsit, & hæc per dictos Pontifices, ad Urbem, & universum Statum Ecclesiasticum extense, & confirmata, loquitur tantum de contractibus gestis per minores, ideoque non percutiebat casum, altera vero posterior pars, per quam ea quæ de minoribus disponuntur, ad mulieres indefinite, ac alios quoscumque respectu donationis extenduntur, non est Cardinalis Ægidii, sed Carpensis, ideoque non egreditur provinciam Marchiæ, cujus tantum ipse Legatus erat, minusque habet dictam Apostolicam confirmationem, ac extensionem respective, unde propterea non adaptabatur ad rem, tam ratione loci utpote extra provinciam, quam ratione juramenti, ut de dicta differentia inter Ægidianam, & Carpensem, habetur *decis.* 88. *&* 238. *p.* 6. *rec.* cum aliis per Add. ad Greg. *dec.* 260. & ad Burat. *dec.* 424. *& frequenter*.

14 Item in his disputationibus, ac in aliis frequenter, actum fuit de puncto, super quo Rotam variasse videtur, cui sc. incumberet onus probandi insinuationis affirmativam, vel negativam, an innitenti donationi pro ejus validitate sustinenda, vel potius alteri illam impugnanti, ejusque invaliditatem alleganti ex hoc defectu, priorem etenim partem, ut onus incumbat donatario, vel habenti causam ab eo, tenuit Rota. *dec.* 97. post Gilian. *ad Statuta, & in Ariminen bonorum* 22. *Junii* 1661. *&* 26. *Februarii* 1663. *cor. Bevilaqua*, in quibus concordantes, & de qua *Ariminen.* habetur actum *sub tit. de renunc.*

Contrarium vero, ut onus incumbat volenti impugnare actum, probandi negativam, ea ea probabili, & convincenti ratione, quod ista solemnitas intervenire non debet in ipso actu, sed intervenire potest, quinimmo debet, ex intervallo, atque per actum separatum, idcirco ejus negativa ex ipsius actus inspectione non resultat, atque stante hac possibilitate, præsumptio assistit potius validitati, ut habetur *dec.* 671. *n.* 3. *p.* 1. *rec. dec.* 128. *n.* 14. *p.* 10. & habetur pluries ap. Thomat. *dec.* 13. *n.* 18. *dec.* 276. *n.* 12. *& dec.* 295. *n.* 13. istaque opinio, loquendo in abstracto, verior est, atque pro regula constituenda, quoties non agatur de solemnitate, quæ pernecesse intervenire debet contemporanee in ipso actu, ex cujus inspectione probatur negativa, juxta veram, ac receptam distinctionem.

15 Verum agendo pluries de hoc puncto, præsertim in Responso pro veritate edito *in Firmana pro Fortie*, & in aliis frequenter, credebam decisionem pendere e distinctione Actoris, & Rei, cum qua fere generaliter Rota, & Curia procedere videtur in ista materie, cui scil. incumbat onus probandi, ut in his terminis, ita distinguendo, habetur *dec.* 121. *n.* 8. *cum seq. p.* 4. *rec. tom.* 2. & generaliter *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 145. super puncto cui incumbat onus probandi subsidium, seu affirmativam, vel negativam bonorum liberorum ad effectum admittendi, vel excludendi beneficium *Auth. res quæ*, *& disc.* 144. super puncto an dos præsumatur congrua, vel excessiva, ac etiam *sub tit. de benef.* in proposito probandi publicationem, et validitatem resignationis, cum similibus, ideoque ubi donatarius, vel habens causam ab eo sit actor, qui petat bona donata, seu aliam actionem in vim donationis exerceat, sive quod alias excipiendo, vel replicando adversus collitigantem jam habentem intentionem fundatam, deducat donationem tanquam suæ intentionis fundamentum, & tunc de illa valida, & efficaci docere debet, alias deficere dicitur in salutari, &

16 e converso si donatarius est reus, alter vero infringendo alleget insinuationis negativam pro fundamento allegatæ nullitatis, de illa docere debet, ex recepto axiomate, ut aliquid allegauti pro fundamento intentionis incumbat onus probandi, quamvis consistat in negativa, ex collectis apud Burat. & Add. *dec.* 10. Gregor. & Add. *decis.* 13. 210. 842. 262. *&* 288. *& passim*, ut pluries advertitur *sub tit. de benef.* ubi frequentius de materia oneris justificandi.

ROMANA DONATIONIS DE CERATTIS
PRO MARTHA PASSARINA
CUM ANNA CERATTA.

Casus disputatus coram A. C. in Signatura, & resolutus pro Martha.

De Statuto Urbis annullante donationes inter conjuges, quando locum habeat necne, & quando in tempus mortis collata dicatur substantia, vel executio donationis pro ea sustinenda, utpote collata in tempus habile.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In Urbe ex Statuto prohibita est donatio inter conjuges, & in quo alteret dispositionem juris communis.*
3 *Quomodo donatio de jure recipiat confirmationem a morte.*
4 *Cessat prohibitio, ubi donatio confertur in tempus soluti matrimonii.*
5 *Declaratur dummodo sit donatio causa mortis.*
6 *Solemnitates statutariæ non requiruntur in donatione causa mortis.*
7 *Si donatio causa mortis est irrevocabilis, adhuc prohibita est inter conjuges.*
8 *Improbatur declaratio, de qua n. 5.*
9 *Quod potius placeat dicta declaratio.*
10 *Quæ sint requisita, ut intret prohibitio donationis inter conjuges.*
11 *Proprietas dilato usufructu, vel commoditate est pretio æstimabilis, & in commercio;*
12 *Quando recipienda sit opinio, de qua n. 8.*
13 *Etiam spes est pretio æstimabilis.*
14 *De ratione, ob quam isto casu intret potius opinio, de qua n. 8. quam altera n. 5.*
15 *Moribundus habetur pro mortuo.*
16 *Valet donatio inter conjuges ubi fit ad effectum, ut donatarius disponat juxta voluntatem donatoris.*
17 *Conjuge disponente de bonis alterius conjugis præsentis, & consentientis, bene disponit.*
18 *Quod donationes inter conjuges non sunt amare accipienda.*
19 *Hæredibus conjugis valide donatur, & n. 21.*
20 *Ex voluntate testatoris potest fieri transmissibile id, quod non est tale.*
21 *An existente nulla donatione favore conjugis, sustineatur favore hæredum?*

DISC. XXX.

ANtonius Cerattus in testamento condito de ann. 1649. Magdalenæ uxori indotatæ, ultra usumfructum universalem, facultatem dedit disponendi de scutis mille, intra tamen communes filias, vel earum descendentes, cumque de ann. 1652. eodem Antonio convalescente, Magdalena ex morbo incurabili constituta esset in statu morti proximo, dictus Antonius vir eidem, vel ejus hæredibus inter vivos donavit scuta mille, solvenda post ipsius donatoris mortem, atque incontinenti, coram eisdem Notario, & testibus, ipsoque viro præsente, dicta mulier testamentum condidit, in quo de præfatis scut. mille disposuit, hoc est centum pro anima, 200. reliquit Annæ & N. communibus filiabus, & in reliquis instituit hæredem Martham neptem ex dicta N. filia, cumque sequuta etiam morte Antonii, institutis hæredibus dictis duabus filiabus, Anna sub prætextu nullitatis donationis resultantis a Statuto Urbis, renueret dictam summam pro ejus virili solvere, hinc introducta causa coram A.C. post plures acres disputationes, ad favorem donatariæ relaxatum fuit mandatum, a Signatura Justitiæ quoque canonizatum, cum solita clausula, *sine præjudicio executionis*, quod controversiæ finem dedit. 1

In his autem disputationibus, non dubitabatur de regula ad favorem reæ conventæ militante pro nullitate donationis inter conjuges, dum in Urbe clara est dispositio Statuti 135. quod continet decretum irritativum ipso jure, atque expresse tollit vim juramenti, quod præsumit dolo, ac metu extortum, unde propterea cessant omnes quæstiones, quæ pro hujusmodi donationibus sustinendis in terminis juris communis cadunt ratione juramenti, vel ratione perseverantis voluntatis usque ad mortem, per quam talis donatio confirmationem recipiet, quatenus alter conjux sit superstes, 2 3

ftes, & quo casu cadit altera quæstio, an donatio operetur, et nunc de tempore confirmationis, vel retrotrahatur, juxta ea quæ habentur *in Bon. disc.* 37.

Quia vero idem Statutum, in verbis ab hujusmodi regula annullativa, excipit casus, in quibus ex juris communis dispositione donatio inter conjuges valeat, hinc proinde scribens Ego pro Marta actrice, dicebam quod versabamur in casu limitationis potius quam regulæ, dum donatio collata
4 erat post mortem viri donatoris, & consequenter in tempus soluti matrimonii, in quo, cessante ratione prohibitionis, hæc donatio sustinetur, quamvis matrimonio constante facta sit, ad text. *in l. si eum §. fin. & l. sed interim, §. sed quod dici, de donat. inter vir. & uxor.* ac firmant Alex. *in l. si socer, §. Lucius*, n. 6. *ff. solut. matrim.* Soccin. *cons.* 114. *n.* 8. *vol.* 1. Ruin. *cons.* 53. n. 5. *lib.* 1. *& cons.* 44. n. 22. *lib.* 2. Molin. *de ritu nupt. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 43. Tiraquel. *post connub. glos.* 2. *n.* 291. Sanch. *de matrim. lib.* 3 *disp.* 3. *n.* 8. bene, ac late Barbos. *in l. qua dotis*, n. 131. *& seq. ff. solut. matrim.* Valasc. *dec.* 135. n. 21. & admittit Rota coram Merlin. *decis.* 80. *in fine*.

5 Non negabant Scribentes in contrarium veritatem dictæ limitationis in casu suo, negabant tamen applicationem, quoniam juxta traditionem Imol. *in l. si divortio, ff. de verb. obligat.* cum qua procedunt Raminald. *in l.* 1. *§. nunciatio, ff. de novi operis nunciat.* n. 62. *& ibidem* Alciat. *num.* 29. Bald. Novell. *de dote*, *p.* 7. *priv.* 22. *nu.* 13. *ante finem*, Campeg. *eodem tract. par.* 4. *quæst.* 2. *ad medium*, *vers. nec obstat si dixeris* Aretin. *cons.* 74. *num.* 5. Purpurat. 274. *n.* 5. Mantic. *de tacit. lib.* 22. *tit.* 4. *n.* 21. id procedit in donatione causa mortis, cujus substantia post dissolutum matrimonium conferri dicitur, atque in matrimonio est irrevocabilis, quod operatur, ut conjux donator non dicatur fieri pauperior, neque conjux donatarius fieri ditior, ideoque cessat ratio prohibitionis.

6 Unde propterea habemus, quod solemnitates statutariæ in contractibus mulierum, vel similium personarum in genere, vel in donationibus in specie requisitæ, non desiderantur in donatione causa mortis, utpote quandocumque revocabili, & consequenter nullum causante præjudicium seu læsionem, ut habetur infra in *Romana legitimæ d.* 34.

Secus autem ubi agatur de donatione inter vivos, quamvis implementum dilatum sit post mortem, quoniam tunc, juxta passim receptam conclusionem, de qua pluries in aliis supra, & infra, substantia dicitur perfecta ab initio, atque actus remanet irrevocabilis, solumque ad tempus mortis dilata est executio, vel effectus, & consequenter intrat ratio prohibitionis, quod conjux donator efficitur pauperior, alter vero locupletior, adinstar debitoris, vel respective creditoris, dilata solutione, adeout si fiat donatio
7 causa mortis sub pacto irrevocabilitatis, adhuc cadit sub eadem prohibitione, juxta traditionem Salyc. *in l. si eum*, n. 2. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Covar. *in rubr. de testam. p.* 3. n. 4. Thomingius *dec.* 9. *ad finem*.

8 Pro hujusmodi objecto removendo, dicebam hanc Imolæ traditionem in specie reprobari per Alex. & alios super limitatione jam allegatos, præsertim latius per Barb. *ubi sup.* qui temerarium, ac divinativum appellat intellectum per Imolam tributum ad text. *in d. l. si eum, §. finali*, qui clare de donatione quamvis inter vivos loqui videtur, dum paria sunt, aliquid fieri in tempore permisso, vel quod fiat in prohibito, sed conferatur ad permissum, atque hæc opinio Alex. & Barbosæ, & sequacium contra Imolam Judici placuit.

Quamvis autem in hoc articulo, Ego victoriam reportarem, atque ex aliis motivis, de quibus infra, justam beneque fundatam crederem resolutionem ad favorem actricis, pro donationis validitate, & executione, attamen, reflectendo ad veritatem, Mihi magis placebat altera opinio, quod scilicet ad evitandam juris prohibitionem, dare opor-
9 tet formalem collationem substantiæ in tempus mortis, e qua actus perfectionem recipiat, ac substantiari dicatur, adeout interim in libera conjugis donatoris facultate repositum sit donationem revocare, quod in substantia est idem, ac donatio causa mortis.

10 Ideo etenim dicta limitatio intrat, quia cessat ratio prohibitionis, quod constante matrimonio conjux donator pauperior, & conjux donatarius ditior effici dicatur, ut copulative requiritur, ad text. *in l. si sponsus, ff. de donat. inter vir. & uxor.* id autem sequi dicitur eo ipso, quod damus donationem inter vivos irrevocabilem, quamvis ejus executio, vel effectus conferatur in tempus soluti matrimonii, quoniam ut dictum est, id continet solum speciem dilationis, interim vero donator dicitur in ejus patrimonio habere id minus, atque pauperior effici, donatarius autem, id quod plus, atque ita effici ditior, adinstar donationis, quæ fiat reservato usufructu, vel debiti constituti sub dilatione, quoniam illa 11 certa proprietas, quæ ad tempus habeat commodi, ac fruitionis suspensionem, est pretio æstimabilis, atque in commercio cadit, ut quotidiana praxis docet, eamque minus habet in patrimonio donator, ac plus habet in patrimonio donatarius, ideoque absolutum videtur intrare prohibitionis rationem, ac cessare alteram limitationis.

Solumque ponderabam Alexandri, & Barbosæ opinio- 12
nem recipiendam esse, ubi donatio, quamvis inter vivos, ac irrevocabilis, esset mere personalis ad favorem conjugis donatarii, quatenus supervivaret, adeout eo præmoriente resolveretur tanquam ex cessante causa, juxta ea, quæ habentur supra *in Pistorien. disc.* 17. cum ibi proximis, sive juxta casum, de quo *sub tit. de dote disc.* 27. cum similibus, quoniam licet donator ita quoque ejus patrimonium diminuere dicatur, dum de bonis ita aventualiter donatis, ac effectis, omnino liberam dispositionem non habet, attamen donatarius dici non potest effectus locupletior, quodque bona donata in ejus patrimonio sint, dum id importat solum spem eventualem, atque per ejus præmorientiam non contingibilem.

Et quamvis etiam spes sit pretio æstimabilis, atque in com- 13
mercium deduci valeat, suumque pretium habeat juxta terminos tex. *in l. spem, C. de donat.* ut advertitur *sub tit. de renunciat.* ac etiam *sub tit. de dote* in proposito illius dotis quæ constituatur correspective ad renunciationem speratis successionibus, ac hæreditatibus, ac adinstar illius contractus, qui cadit super jactu retis, vel altera incerta alea frequenter cadente in sponsionibus, vel scommissis, juxta casum de quo *sub tit. de usur. disc.* 36. & sub altero *de alien. & contract. disc.* 47. *&* 48. attamen videtur nimia subtilitas, ut scilicet prohiberi debeat conjux alterum conjugem providere pro eo tempore, vel statu, in quo soluto matrimonio, ideoque cessante illa provisione, quam eo constante habebat, aliquo subsidio indiget, juxta ponderationes, de quibus *d. disc.* 27. *sub tit. de dote*, atque in hoc sensu recipiendam esse credebam dictam traditionem Imolæ, & sequacium.

In hac vero facti specie, ex ejus particularibus circum- 14
stantiis, Mihi videbatur, quod recte intraret limitatio, seu ratio traditionis Imolæ, & sequacium, ideoque justa visa est resolutio, quoniam agebatur de donatione facta uxori moribundæ, quæ utpote indotata, nullam de facto habebat testandi facultatem, ex motivo pissimæ consolationis, ut hujusmodi facultatem haberet, potissima vero stante subsequuta immediata dispositione facta præsente eodem viro, coram eisdem Notario, & testibus, ad favorem filiarum, ac neptis ejusdem donatoris, excepta modica summa pro anima.

Hinc enim tria resultare observabam, primo scilicet, quod vere ac de facto, spectato effectu, uxor donataria dici non poterat fieri locupletior, ideoque non intrabat ratio prohibitionis, ne conjuges mutuo amore spoliarentur,
dum donataria ex morbo incurabili vivendi spe destituta, 15
atque morti proxima, inter mortuos potius quam inter viventes computanda erat, juxta ea, quæ habentur *d. disc.* 27. *de dote*, ubi de hac materia moribundi.

Secundo, quoniam ita donatio principaliter facta vide- 16
batur, ut bona donata transirent ad personas ab eodem donatore volitas, ac dilectas, ita concedendo uxori morienti eam facultatem gratificandi proprios filios, & descendentes, quam ipse donator mori putans, in testamento eidem conjugi in eadem summa reliquerat, quo casu prohibitio non intrat, cum ita dicatur facta ob solam rationem dictæ pissimæ consolationis habendi aliquam testandi facultatem inter suos ad text. *in l. Sulpitius, ff. de donat. inter vir. & uxor. l. donatio, C. eodem* cum aliis per Alex. *cons.* 206. *in fine lib.* 6. Soccin. *d. cons.* 114. *num.* 9. *lib.* 1. Caldas. *de inoff. testam. n.* 35.

Et tertio, quod ubi etiam hæc donatio invalida, & pro 17
non scripta dicenda esset, adeout bona donata nullatenus abdicata essent a donatoris patrimonio, adhuc tamen, dum uxor donataria de hac summa ad favorem filiarum, ac neptis respectiva disposuerat, ipso viro donatore præsente, & approbante, ita sustineri debebat dispositio, ac si ab eodem viro facta esset, per ipsius mulieris organum, & tanquam suæ voluntatis instrumentum, ut cæteris relatis advertit Peregr. *de fideicomm. art.* 44. n. 39. *&* 41. Potissime vero quia agebatur de dispositione facta per mulierem moribundam, præsente & approbante viro valido, de ipsius viri bonis, unde propterea non cadebat illa ratio metus reverentialis, quæ cadere solet in muliere, ut

non

non audeat contradicere viro, ut ponderat Pereg. *ubi sup. n. 41.*

18 Accedente etiam generali ponderatione, de qua apud Capyc. Latr. *dec.* 114. *n.* 26. & Rota apud Merlin. *d. dec.* 80. *in fine*, quod hujusmodi donationes inter conjuges non ita male accipi debeant.

19 Ponderando quoque scribendo in causa more Advocati, quod donatio facta erat uxori, ejusque hæredibus, quibus donari posse receptum est, ex deductis apud Merlin. *dec.* 664. *repet. decis.* 9. *part.* 7. *rec. n.* 25. quodque propterea, ubi etiam ista dicenda esset donatio causa mortis, sive quod alias in tempus mortis substantia collata esset, unde de consequenti sine dubio ob præmorientiam donatarii intraret caducatio, neque locus esset transmissioni, adhuc donatio sustineri deberet, utpote facta hæredibus non habentibus conjugalem qualitatem, ideoque non prohibitis, ac etiam quia licet donatio causa mortis, quæ in facto
20 esse consideretur potius ultima voluntas, quam contractus, non sit transmissibilis, sed caducetur, attamen in ipsismet puris ultimis voluntatibus fieri potest transmissibile ex voluntate testatoris id, quod alias absque dubio non esset tale, ut pluries habetur *sub tit. de fideicomm.*

21 Verum reflectendo ad veritatem, magis placebat, ac probabilior videbatur responsio data per Scribentes in contrarium, quod scilicet cum donatio concepta esset inter vivos principaliter in persona conjugis, unde propterea juxta regulam generalem Statuti esset invalide, hæredes autem vocati non essent propriis nominibus, & ex motivo personalis affectionis, sed accessorie, & consecutive ad personam donatarii, & ob solam ejus hæreditariam qualitatem, proinde nullitas, quæ militat respectu principalis, militare etiam dicitur respectu accessorii, seu consecutivi, contrarium vero procedit, quando hæredes principaliter, & de per se considerari essent, Bald. *cons.* 391. *n.* 1. *lib.* 3. Dec. *consult.* 470. *n.* 10. Mantic. *de tacit. lib.* 13. *tit.* 21. *nu.* 23. Menoch. *cons.* 84. *n.* 15. *& seq.* Thomingius *dec.* 9. *n.* 9. *cum seq.* Berlich. *p.* 2. *concl.* 15. *nu.* 5. Molin. *de ritu nupt. lib.* 3. *quæst.* 21. *n.* 36. Seraph. *dec.* 369. *n.* 6.

SUMMARIUM.

1 *De Donationibus inter Virum, & Uxorem.*
2 *De augmento dotis, & donationis propter nuptias.*
3 *Solemnitas an requiratur in donatione præstationis vitalitiæ?*

ANNOT. AD DISC. XXX. & seqq.

1 DE hac materia donationis inter Virum, & Uxorem habentur aliqua *in hoc tit. de donat. disc.* 67. & signanter an, revocata censeatur per clausulam in testamento contentam *cassans &c.*

2 Et de contentis *in dis.* 31. *de augmento dotis, & donationis propter nuptias &c.* late habetur actum *sub tit. de dot. disc.* 165.

3 De puncto autem contento in *disc.* 32. an solemnitates requirantur in donatione annuæ præstationis vitalitiæ habetur in specie *in hoc tit. disc.* 66.

ROMANA AUGMENTI DOTIS PRO ANNA MARIA THOMASINA, CUM NUNTIA TACCHINA.

Casus disputatus coram A.C. & resolutus pro Anna Maria.

De eodem Statuto Urbis prohibente donationes inter conjuges, vel sponsos, an locum habeat in ea donatione, quam vir uxori faciat sub nomine augmenti dotis?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *De Statuto Urbis circa donationes inter conjuges, ejusque moderationes.*
3 *Donatio propter nuptias, vel in augmentum dotis etiam constante matrimonio fieri potest.*
4 *An dictæ conclusioni obstet, quod antiqua donatio propter nuptias recesserit ab aula?*
5 *De distinctione plurium specierum donationis inter conjuges.*
6 *Quales sit proprie antiqua donatio propter nuptias.*
7 *De alia donatione, quæ idem importat, ac lucrum, seu antephatum.*
8 *De donatione, quod vir faciat mulieri.*
9 *De donatione ob augmentum dotis, distinguitur, an ex tractatu ante matrimonium, vel postea.*
10 *Valida est donatio in compensationem inæqualitatis.*
11 *Nil refert si in verbis dicatur fieri in augmentum dotis, si est voluntaria.*
12 *Non est immorandum in verbis, sed in substantia veritatis.*
13 *In prohibitis non creditur assertionibus aliunde non justificatis.*
14 *De alio casu donationis factæ ex causa dotis per minorem.*
15 *De alio casu, & an Statutum Urbis de donationibus habeat locum in donatione facta extra locum Statuti?*
16 *De eodem.*
17 *De casu, in quo posterior ex causa onerosa debet vincere anteriorem ex causa lucrativa.*

DISC. XXXI.

AD annum post contractum matrimonium, Francisci Nuntiæ uxori donationem fecit in summa excedente in duplo dotem, quam habuerat, sub narrativa 1
augmenti dotis conventi in ipso matrimonii tractatu; anno vero sequenti censum imposuit ad favorem Petri auctoris Annæ Mariæ, adversus quam pro fructibus decursis intentantem coram A.C. judicium associationis ad fundum censitum, Nuntia prædicta opponebat de retentione pro ejus creditis anterioribus resultantibus, tam a dote, & lucro statutario, quam etiam a dicta donatione, seu augmento, ad quod restricta fuit difficultas, cum super credito dotis, & lucri nulla caderet quæstio, neque actrix id impugnaret, dum fundus erat utriusque crediti capax, verum pro dicto credito exceptio rejecta fuit, atque concessa immissio pro indiviso juxta praxim, de qua apud Cavaler. *dec.* 652. *& sub tit. de empt. & vend. disc.* 21. ac etiam *sub tit. de credito*, & sub altero *de judiciis*, & credo quod Nuntia judicato acquieverit, dum non audivi amplius actum de causa.

In disputationibus desuper habitis, non negabant Scri- 2
bentes pro dicta Nuntia uxore debitorix, infectionem donationis sibi factæ per virum, quando actus stetisset in puris terminis donationis, ob expressam dispositionem Statuti *Urbis* 135. continentis decretum annullativum, ac expresse inficientis juramentum, quod præsumit dolo, & metu extortum, ut advertitur etiam *disc. prox.* Insistebant vero in eadem limitatione in *prox. discursu* insinuata, quod scilicet ipsum Statutum ad litteram excipit casus, in quibus, attenta juris communis dispositione, donatio inter conjuges sustineatur, atque hunc dicebant esse casum, quoniam de jure prohibita non est inter conjuges donatio, quamvis constante matrimonio sequatur, ubi fit propter nuptias, vel ex causa dotis, ejusque augmenti, ad text. *in l. si constante, & l. cum multa, C. de donat. ante nuptias*, §. *est & aliud*, *instit. de donat. cum concord.* apud Mantic. *de tacitis*, *lib.* 5. *tit.* 2. *n.* 3. *&* 18. Gratian. *discep.* 490. *nu.* 23. *&* 29. plene Rota *in Albanen. donationis cor. Merlino* inter suas *dec.* 80. *repet.* post Zacch. *de oblig. Camer.* 3
dec. 245. Ubi excitato motivo, quod illa donatio, de qua jura allegata loquuntur, hodie recessit ab aula, respondetur, quod licet id recte procedat ad effectum, ut ex juris dispositione peti non valeat, non per hoc tamen, si deducatur in conventionem, invalida sit, & cadat sub legibus prohibentibus donationem inter conjuges.

His tamen non obstantibus, cum sensu etiam veritatis, 4
contrarium dicebam probabilius esse, ad quod probandum, ac tollenda æquivoca, quæ desuper cadere possunt ac solent, dicebam, advertendum esse ad distinctionem plurium specierum hujusmodi donationum inter conjuges, 5
vel sponsos, quæ occasione agendi de augmento dotis insinuantur etiam in sua materia *sub tit. de dote disc.* 165.

Prima enim species est illa donatio, quæ in æquivalenti 6
summa, seu valore dotis, per virum, vel socerum antiquitus, mulieri constituebatur juxta text. *in auth. dos data, C. de donat. propter nuptias cum concordan.* ibidem deductis, & hæc donatio, ut loco citato, ac etiam *disc.* 145. *eod. tit. de dote* advertitur, nullam continebat viri jacturam, ac depauperationem, vel mulieris locupletationem, ideoque merito sub hujusmodi prohibitione non cadebat, quoniam fiebat solum in recompensam dotis, & pro ejus cautela, dum dotium fidejussores prohibiti erant, ideoque unum de duobus mulier petere, ac assequi poterat, vel scilicet dotem, vel donationem, unde si hanc obtinebat, remanebat in viri patrimonio dos, itaque species ab aula recessit.

Altera est illa, quæ a quadam consuetudine, præsertim in Italia, e Longobardorum legibus derivata, importat in-

equam,

erum, quod alicubi sola mulier in præmium amissæ vir-
7 ginitatis obtinet, alicubi vero uterque, eventualiter scilicet superstes in bonis præmorientis, & alicubi solus vir, juxta jurium municipalium diversam qualitatem, & quæ species, sub nomine lucri, vel antephati, seu cum aliis vocabulis explicari solet, ut latius in dicta sua materia *de dote disc.* 165. & in aliis *ad materiam lucrorum*.

Tertia est species illorum donativorum, quæ, attentis
8 pariter legibus municipalibus, vel moribus, inter sponsos sequi solet ab initio, de vestibus, gemmis, & aliis, vel etiam de aliqua summa post mortem viri assequenda, & quæ species sub vocabulo sponsalitiæ largitatis, vel donasivi, seu arrharum, explicari solet. Et in hac pariter dicta prohibitio non cadit, cum totum videatur pars contractus matrimonialis.

Quarta demum (ad rem) est donatio, quam vir uxori, vel sponsus sponsæ faciat pro augmento dotis ex privata conventione, absque eo quod jus municipale, vel mores Regionis ad id cogant, sive impellant, & tunc si ta-
9 lis conventio accedat ab initio, priusquam contraheretur matrimonium, quod sub tali lege contractum sit, & pariter donatio sub dicta prohibitione non cadit, sed valida est, tanquam causativa, & pars contractus matrimonialis, forte alias non sequuturi, unde propterea hoc augmentum ab initio dicitur vera dos, ut advertitur *d. disc.* 165. *de dote*, atque si de tempore matrimonii accesserit tractatus, super quo deinde, matrimonio constante, ac in ejus executionem, ad hujusmodi donationem deveniatur, tunc de validitate dubitandum non est, atque hic est casus, de quo agitur apud Merlin. *in d. Albanen. dec.* 80. quod scilicet præcedebat conventio, in cujus executionem postmodum, constante matrimonio, donatio facta erat.

Multo vero magis, ubi aliqua probabilis ratio accedat, puta compensandi inæqualitatem resultantem a nobilitate,
10 vel ætate, seu forma, aut infirma valetudine, cum tunc neque intret sermonus donationis, sed dicatur contractus mere correspectivus, tanquam per speciem emptionis, & venditionis dictæ inæqualitatis, adeout mulier donataria de suo id obtinere dicatur, & non subjaceat dispositioni text. *in l. fæminæ, C. de secundis nuptiis*, ac aliorum jurium disponentium de iis, quæ conjux superstes ex liberalitate, ac substantia prædefuncti obtinuerit, ut *sub tit. de dote, disc.* 27. *& sub tit. de successionibus*.

Ubi vero ista donatio, præcedentis conventionis necessitate non urgente, ex nuda voluntate fiat, tunc de plano intrat, tam juris communis, quam Statutarii dispositio, non obstante quod donatio sub pallio, seu vocabulo augmenti do-
11 talis facta sit, seu alias intuitu matrimonii, quoniam lex non est imposita verbis, sed rebus, juxta text. *in l. fin. C. de Usur.* ideoque rerum vocabula attendenda non veniunt, sed inhærendum est substantiæ veritatis, ut advertitur pluries
12 in præcedentibus, præsertim *disc.* 24. ubi quod si in effectu contractus est onerosus, & correspectivus, nil refert, quod in verbis nuncupetur donatio, ita e converso, ideoque hujusmodi donationes sub dicto vocabulo velatæ habendæ sunt tanquam puræ, ut apud Coccin. *dec.* 433. *&* 479. Burat. *dec.* 422. *n.* 12. *&* 13. *& dec.* 782. *&* 925. cum aliis, de quibus supra *disc.* 26. *& sub tit. de dote disc.* 18. Et conferunt ea, quæ frequenter *eod. tit. de dote*, præsertim *disc.* 159. habentur in materia confessionis dotis, quæ cessantibus adminiculis redolet implicitam donationem ita factam ad fraudandam legis prohibitionem, quoniam ut dictum est, negligenda veniunt rerum vocabula, sed attendi debet substantia veritatis, ne alias quod directe est prohibitum, indirecte fieri valeat, atque ita fieri fraus legi, quæ solis verbis, non autem rebus imposita esset.

Et quamvis in hac donatione diceretur, eam sequi ex præcedenti tractatu, & conventione ante matrimonium, juxta
13 casum, de quo *in d. dec.* 80. Merlini, facilis tamen erat responsio, quod scilicet sola assertio Partis aliunde non justificata nullum in prohibitis facit probationis gradum ex iis, quæ habentur *d. disc.* 159. & in aliis pluries *d. tit. de dote*, in materia dotis confessatæ, cum aliis ad aliud propositum apud Otthob. *dec.* 6. *n.* 10. & latius *dec.* 224. *n.* 7. *p.* 10. *recent.* & pluries *sub tit. de alienat. & contract.*

Hinc proinde *in una Asculana*, consultus pro veritate, an similis donatio in augmentum dotis facta per virum uxo-
14 ri, subjaceret illi Statuto, vel Constitutioni Ægidianæ ob donatoris minorem ætatem, respondi sine dubio affirmative, quamvis etiam ab initio ante matrimonium ita conventum esset, quoniam in materia solemnitatum a Statuto requisitarum, dos privilegiata est quoad mulieres majores, secus autem quoad minores, quorum respectu attenditur causa necessaria, unde propterea, ubi actus est voluntarius, cadit sub prohibitione, ut in dicta sua materia *sub tit. de dote*, multo magis ubi concurreret dicta circumstantia, quod factus esset post jam contractum matrimonium, absque eo, quod præcedens conventio urgeret.

Et in una *Romana Dotis, seu Augmenti* pro Creditoribus Petri Augustini Donati, cum ipsius debitoris uxore, cum dict. Petrus Donatus Romanus uxorem duxisset Joan- 15
nam Mariam Reatinam, animo eam traducendi ad proprium domicilium, (ut jam sequutum fuit) atque post initum contractum dotalem in ipsamet Urbe, nec non contractum, atque consummatum matrimonium in patria mulieris, ad aliquos dies, ibi vir donationem fecisset uxori sub nomine augmenti dotis de summa ipsam dotem excedente, pro qua ad aliquos annos, tanquam anterior, creditores viri excludere prætendebat, eo quia Reatina Civitas esset extra districtum, ideoque non intraret Statutum Urbis, sed procedendum esset cum juris communis dispositione, qua attenta non poterat de actus validitate dubitari, stante juramento, per quod hodie in Foro receptum est, cessare juris civilis prohibitionem, atque donationem quamvis puram, & voluntariam, inter conjuges valere.

Dicebam Ego scribens coram A. C. pro creditoribus, (non negando dictam conclusionem, circa operationem ju- 16
ramenti, quatenus Statutum Urbis non intraret) ut probabilius dicendum videretur, statuto locum fore, quoniam quicquid sit de quæstione in abstracto, an illud inhabiliset cives Romanos ejus subditos contrahentes extra territorium, satis quæstio caderet, quando actus extra Ditionem statuentis initus esset animo contrahendi cum non subdito, qui in proprio domicilio ibi permansurus, non tenetur indagare jura municipalia alterius contrahensis, ideoque sciens in loco contractus aliud non habere obstaculum, nisi illud resultans a jure communi, recte scivit sublatum esse cum juramento, hoc autem ad rem non videbatur applicabile, cum contractus dotalis initus esset in Urbe, pro matrimonio in eadem Urbe effectum sortituro, dum ibi destinata erat continuatio domicilii, & successive mulier tanquam viri domicilium sequens, istius loci, salsem destinatione, subdita effecta erat, & consequenter, quod intraret ratio Statuti, quod ejus subditis providere voluit, ne cum donationibus erga conjuges depauperentur, juxta ponderationes de quibus in terminis statuti moderatorii dotium habetur *sub tit. de dote, disc.* 23. *&* 143. Quodque ibi contractus initus esset affectate ad fraudandum statutum, juxta ea, quæ habentur *eod. tit. de dote, disc.* 17. *& sub tit. de alien. & contr.* ubi de hac materia contractuum extra locum statuti absque istius solemnitatibus.

Vel quod, ubi etiam actus esset validus, attamen, 17
cum donatio inita esset constante matrimonio absque præcedentis tractatus, & promissionis necessitate, ita, ut supra, remaneret pura, & mere voluntaria donatio, & consequenter, quod ex facti circumstantiis, amplectenda esset opinio, ut ista mulier tanquam creditrix ex causa lucrativa postponenda esset creditoribus posterioribus ex causa onerosa, ut in hac eadem causa habetur actum in sua materia *sub tit. de dote, disc.* 31. Ita ad rem concludendo quod absolutum esset, ut non obstante affectato pallio augmenti dotis, esset pura, ac mere voluntaria gratuita donatio.

ROMANA VITALITIÆ PRÆSTATIONIS PRO JOANNE BODESSON CUM N. VILLEROY.

Casus disputatus coram A. C. & sopitus per concordiam.

An Statuta Urbis certam formam, vel solemnitatem præscribentia in donatinnibus, locum habeant in donationibus, quæ fiant Clesicis, & personis Ecclesiasticis, & in specie in donatione, vel promissione quæ fiat Monali annuæ vitalitiæ præstationis Monialibus assignari solitæ?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quæ solemnitates requirantur in Urbe in donationibus.*
3 *Dicta solemnitates requiruntur etiam in remissione debiti,*

biti, ac etiam inter patrem, & filium.
4 *Non requiruntur ubi manualiter donentur pecunia, vel bona.*
5 *Quod Statuta procedant etiam cum eccleſiaſticis.*
6 *Contrarium hodie eſt magis receptum.*
7 *Judices in Urbe, & Statu Eccleſiaſtico procedunt cum opinionibus Rotæ.*
8 *Non poteſt ſubditus contrahere cum non ſubdito, ſpreta lege ſui Superioris.*
9 *Annuæ vitalitiæ præſtationes Monialium ſunt pars dotis.*
10 *Contractus in cauſam dotis non ſubjacet ſolemnitatibus ſtatutariis.*
11 *Declaratur, ut non procedat poſt contractum matrimonium.*
12 *De hujus declarationis ſubdeclaratione.*
13 *Diſpoſitiones ad piam cauſam non ſubjacent ſolemnitatibus.*
14 *Diſpoſitio ad favorem conjuncti refertur ad motivum ſanguinis.*
15 *Annuæ vitalitiæ ſubventiones religioſorum debent erogari in uſus pios, & religioſos.*
16 *An diſpoſitio pro dote ſit pia?*
17 *Inſinuatio quando non requiratur.*

D I S C. XXXII.

1 MOniali jam profeſſæ in Monaſterio Viterbien. forori
primæ uxoris Joannis, promiſit iſte per apocham ſol-
vere quandam annuam vitalitiam præſtationem, Moniali-
bus aſſignari ſolitam, ex tolerata Eccleſiæ conſuetudine, pro
extraordinariis uſibus, & indigentiis, quibus Monaſterium
ſufficienter providere non ſolet; cumque mortua dicta uxore,
ac ſecunda ducta, ideoque ceſſata primæva affectione, re-
nueret Joannes dictam promiſſionem adimplere, utpote in-
efficacem, ob non ſervatam formam per Statutum Urbis
149. in donatione præſcriptam, ut ſcilicet ſcriptura, quæ
donationem continet, a donatore, ac duobus teſtibus ſub-
2 ſcribi debeat, ac etiam ob non ſervatam alteram inſinua-
tionis formam, quæ infra ſex menſes ab altero Statuto 150.
præſcribitur, & quæ forma neceſſaria eſt etiam in majo-
ribus habilitatis generaliter ad contrahendum, hinc intro-
ducta fuit cauſa coram A. C. poſt aliquas tamen diſpu-
tationes (ipſo Judice, ac Me cooperantibus) honeſta con-
cordia controverſiæ finem dedit.

In hujuſmodi autem diſputationibus, quamvis cauſa, ob
exiguam ſummam, tanta dote digna non eſſet, attamen
quia eadem eſt juſtitia, & articulorum diſcuſſio in ma-
gnis, ac in parvis, de tribus articulis actum fuit, primo
ſcilicet, an hujuſmodi Statuta efficerent dictam Monialem
tanquam perſonam eccleſiaſticam. Secundo, an dici poſſet
quod hujuſmodi promiſſio eſſet potius in cauſam dotis,
quam donationis, & conſequenter quod non caderet ſub
Statutis, & tertio, quatenus etiam eſſet donatio, an ſu-
ſtineri deberet, utpote facta in piam cauſam, dum dicta
Monialis aliunde proviſa non erat.

Super his etenim tribus fundamentis inſiſtebant Scriben-
tes pro Moniali, ut evitarent nullitatem alias clare re-
ſultantem a Statuto 149. ſuper forma ſubſcriptionis ut ſu-
pra, quæ requiritur in omni ſpecie donationis, etiam ta-
citæ, ſeu virtuali, quæ reſultet a remiſſione debiti, vel
3 actionis, non obſtante conjunctione ſanguinis, ut in ſpecie
remiſſionis debiti, vel actionis inter patrem, & filium
habetur per Rotam *dec.* 217. *p.* 11. *rec. n.* 29. *repetit.* poſt
Salgad. *in labyrint. dec.* 3. ubi concordantes, & in aliis,
cum ſit concluſio recepta.

Solum etenim ab hujuſmodi forma, juxta magis receptam
opinionem, exempta eſt illa ſpecies donationis, ſeu elar-
4 gitionis, quæ abſque ſcriptura per ſolum actum facti, manua-
lis ſcilicet traditionis ſequatur, puta, quod dentur manuali-
ter pecuniæ, vel gemmæ, aliaque mobilia ex plene firmatis
per Rotam apud Merlin. *dec.* 692. *repetit. dec.* 69. *p.* 6. *rec.*
ubi aſſignatur ratio communis uſus, & commercii.

Quatenus igitur pertinet ad dictum primum articulum
comprehenſionis eccleſiaſticorum, quamvis Ego ſcribens
more Advocati pro donatore, deducerem pro comprehen-
ſione eccleſiaſticorum in ſpecialibus terminis hujus Statuti
149. auctoritatem Rotæ apud Seraph. *dec.* 1170. *nu.* 3. &
5 *dec.* 124. poſt Fenzon. *ad Statuta*, cum quibus procedit idem
Fenzon. *in commentar. ad ipſum Statut. n.* 21. Agnoſcebam
tamen, (ut parti de ſtylo ab initio inſinuavi) hoc aſſum-
ptum non eſſe ſuſtentabile, quoniam licet Ego, ſive ex pro-
prio ſenſu, ſive quia ad Curiam accidentaliter (abſque ani-
mo exercendi hanc profeſſionem) tarde accedens trigenario
major, ac in hujuſmodi Statutis Urbis novus, primas ſpecies
ſuper eis receperim a celebri J. C. Andoſilla Romano in
eis inſtructiſſimo, qui mordicus dictam antiquam ſenten- 6
tiam omnino veriorem credebat, eundem ſenſum quoque
habeam, ut inſinuatur in ſua materia *ſub tit. de ſucceſſio-
nibus*, ac etiam *ſub tit. de dote, diſc.* 22. & 143. Nihilominus
cum Rota, & Curia moderna diverſam teneat opinionem
in Romana donationis coram Coccino, dec. 58. *p.* 6. *rec.* quæ
reputatur in materia magiſtralis, ſæpius in aliis canoniza-
ta, præſertim in deciſionibus editis in cauſa, de qua *d. diſc.*
22. *de dote*, hinc proinde, donec eadem Rota, mutando
ſententiam, ad antiquam redeat, vanum eſt coram inferio-
ribus Judicibus Urbis, & Status Eccleſiaſtici, qui cum opi- 7
nionibus Rotæ procedere ſolent, ut colligit Niger. *de lau-
dem. tom.* 1. *quæſt.* 45. contrarium ſuſtinere.

Adhuc tamen credebam, ut retenta dicta opinione, ſu-
ſtineri poſſet hæc nullitas, dum donator erat laicus ſtatuto
ſubditus, quoniam cum ſolemnitates percutiant inhabilita-
tem perſonæ donatoris, ne alias quam juxta eam formam 8
donare valeat, hinc proinde dicebam, ejus ſubjectionem
attendendam eſſe, ex regula, ſeu propoſitione, quod non
poteſt ſubditus ſpreta lege ſui Superioris, qui alias eum ad
contrahendum inhabilem reddit, valide contrahere cum non
ſubdito, dum non attenditur exemptio ejus, cum quo con-
trahitur, ſed inhabilitatio ipſius contrahentis, quem Judex
ſæcularis, coram quo convenitur, recte abſolvit ob non
ſervatam formam legis per ipſum attendendæ, juxta do-
ctrinam Bart. *in l. cunctos Populos, C. de ſumma Trinita-
te, n.* 31. & Abb. *in Eccleſia S. Mariæ de Conſtit. n.* 35.
cum concordan. per Surd. *conſ.* 2. *n.* 41. Pic. *ad Statuta,
gloſ.* 7. *n.* 81. & *diſc.* 22. & 143. *ſub tit. de dote*; In caſu
enim de quo *d. diſc.* 22. iſta concluſio deducitur ſolum per
augmentum, cum ibi ageretur de obligatione facta per cle-
ricum, ideoque non intrabat dicta ratio inhabilitationis
perſonæ, adhuc tamen occaſio non præbuit iſtum pun-
ctum formiter diſputare in Rota.

Quovero ad ſecundum articulum, adhuc dubitabam con-
tra donatorem, quoniam juxta firmata apud Merlin. *dec.*
671. alias *dec.* 30. *p.* 7. *rec.* & pluries *ſub tit. de dote*, præ- 9
ſertim *diſc.* 145. & 167. hujuſmodi vitalitiæ præſtationes,
quæ Monialibus aſſignantur, dicuntur pars dotis, vel de
ejus neceſſariis appendiciis, adeo ut intret etiam ſubſidia-
rium remedium *Auth. res quæ, Cod. commun. de le-
gatis* ſuper bonis fideicommiſſariis, ex ibi deductis, & pro-
pterea cum non agatur de donatione, ſed potius de dote,
intrat concluſio, de qua pluries *eod. tit.* præſertim *diſc.* 17.
cum ibi proximis, ut contractus præciſe factus in cauſam 10
dotis non ſubjacet ſolemnitatibus Statutariis, non curata
diſtinctione, an ex cauſa neceſſaria, ſeu voluntaria ſequa-
tur, cum ea procedat ſolum in minoribus, ac pluries ad-
vertitur etiam in præcedentibus, in terminis donationis
contemplatione matrimonii.

Et quamvis, ſcribendo more Advocati, deducerem ea,
quæ pluries in præcedentibus habentur, ut ſcilicet in cau-
ſam dotis, ſeu donationis contemplatione matrimonii fieri 11
dicatur id quod conſtituitur, antequam matrimonium ſe-
quatur, ad effectum, ut illud ſequi valeat, ſecus autem poſt
jam contractum, cum tunc ceſſante neceſſitate, ſeu ratione
illud facilitandi, actus remaneat mere voluntarius, atque
titulus dotis, vel matrimonii videatur potius color quæſitus,
diſc. præc. Attamen dubitabam de hujuſmodi concluſionis alias
veræ applicatione ad caſum, quoniam ſi mulier virum du-
xit, adhuc tamen in toto, vel in parte indotata dici po- 12
teſt, ac non bene proviſa, ideoque proviſio, quæ illi tribua-
tur ſub nomine augmenti, recte dotis, vel augmenti natu-
ram, & privilegia ſortitur ex deductis ad materiam aug-
menti dotis, *dicto ejus tit. diſc.* 165. ac etiam *diſc.* 142. &
145. ſuper obligatione dotandi etiam nuptam; Ita enim ea-
dem urget ratio privilegii, atque ceſſat altera, ob quam
actus dicatur mere voluntarius, cui titulus dotis, vel matri-
monii tribuatur tanquam color quæſitus, & hic erat caſus,
dum iſta monialis hoc pene neceſſario ſubſidio deſtituta erat,
neque actus dici poterat omnino voluntarius, ſed potius
quandam neceſſitatis ſpeciem redolebat, ex ea obligatione,
quam ſorori pinguius proviſæ erga alteram indotatam pau-
perem incumbere habetur *d. tit. de dote, diſc.* 142.

Demum quoad tertium articulum, dicebant Scribentes pro
Donataria, quod cum apocha donationis expreſſam haberet 13
cauſam pietatis, ut ſcilicet hæc annua præſtatio per Monia-
lem in pios, ac Religioſos uſus erogari poſſet, hinc proinde
intraret concluſio, ut diſpoſitiones factæ in piam cauſam Sta-
tutariis ſolemnitatibus non ſubjaceant, ex deductis *hoc eod.
tit.* ac etiam habetur actum *in Romana cenſus, ſub tit.*

de

de alienat. & contract. Verum dicebam id procedere, ubi agatur de dispositione in piam causam pro anima, & ex solo motivo pietatis, secus autem de contractu correspectivo indifferenti, in quo Ecclesia, vel pia causa consideretur tanquam privatus contrahens, ut locis citatis.

14 Illud motivum, etiam in sensu veritatis, Mihi minus tutum videbatur, quoniam ipsius apochæ tenor in parte procemiali, quæ causam finalem, seu principaliter inductivam probat, exprimebat, id fieri ex motivo benevolentiæ, tam erga ipsam Monialem affinitate conjunctam, quam erga propriam uxorem, ideoque, utpote in claris, & expressis, opus non erat assumere quæstionem, an dispositio, quæ fiat erga sanguine conjunctos, dici mereatur pia necne, quamvis expresse diceretur fieri pro amore Dei, seu ex motivo pietatis, & in qua quæstione magis communiter receptum est, ut potius actus referendus veniat motivo temporali sanguinis, ut cæteris relatis habetur apud Franch. & Adden. *dec.* 565. Tiraquell. & add. *de privil. piæ causæ in præfat.* Rot. apud Cavaler. *dec.* 212. & 377. & *in Romana hereditatis* 1. *Aprilis* 1658. & 16. *Junii* 1659. *coram Albergato*, edita in causa, de qua habetur actum in sua materia *sub tit. de testamentis*, ubi particulariter de hoc articulo.

15 Neque alicujus momenti videbatur dicta expressio piorum usuum, quoniam ea sequuta non fuit ad denotandum, quod donator ex motivo pietatis principaliter ad id motus fuerit, sed explicando id, quod de jure inest, quod scilicet hæc tolerata Ecclesiæ consuetudo, ut Religiosi professi, citra contraventionem voti paupertatis, ac notam proprietarii, hujusmodi redditus, seu præstationis dispositionem habeant, intelligatur cum præsupposito, quod deservire debeant pro usibus piis tantum, ac religiosis, & non alias, ut in præcedentibus etiam insinuatur, præsertim *disc.* 25. & cæteris relatis firmatur per Rotam *dec.* 253. *p.* 11. *rec.* ac habetur pluries in sua materia *sub tit. de Regularibus*.

16 Considerabam, an stante hujus monialis paupertate, dici posset intrare istud motivum causæ piæ ex propositione, de qua in dicta sua materia *sub tit. de dote*, ut causa dotis erga pauperem aliunde non provisam pia dicenda sit, verum credebam non intrare, quoniam id procedit quando agitur de paupere puella, quæ dotis provisione indigeat, ad effectum contrahendi carnale, vel spirituale matrimonium, quo mediante ejus honestati consultum sit, & ne alias se prostituere cogatur, secus autem ubi his finis impletus est, itaque provisio conceditur ad quandam majorem commoditatem, non autem ad dictam præcisam necessitatem, quamvis enim, ut supra, id reputetur pars dotis, etiam ad dictum subsidiarium remedium *Auth. res quæ*, attamen id provenit, quia, ut bene advertitur *in d. dec.* 671. Merlin. alias *dec.* 30. *p.* 7. *rec.* non debet attendi necessitas præcisa naturæ, sed illa convenientiæ, ut adversus conjunctos, vel eorum bona competat actio dotis, ideoque magna est differentia inter unum effectum, & alterum.

17 De altera solemnitate insinuationis ex Statuto 150. parum, vel nihil actum fuit, tum ex præmissis, quia si non intrabat alterum Statutum, minus istud, tum etiam quia insinuatio requiritur in donatione excedente summam 200. ducatorum de carolenis, ejusque defectus vitiat in excessu, non autem intra dictam summam, ultra quam hæc donatio excessiva dici non poterat, dum agebatur de incerta vitalitia donatione, quæ poterat ipso primo anno terminare, ut in terminis juris communis receptum est.

NEAPOLITANA DONATIONIS
PRO STEPHANO COLUMNA DUCE BASSANELLI,
CUM HÆREDIBUS OCTAVII DE TUTTAVILLA.

Discursus pro directione.

De eadem materia Statutorum 149. & 150. Urbis super solemnitatibus adhibendis in donatione etiam per majores, & quid, ubi agatur de minore, an requirantur aliæ solemnitates Statutorum 113. & 151. Et quid ubi minor extra territorium statuentis donationem contra formam Statuti factam ratificavit, cum clausula, *quatenus opus sit, de novo faciendo?*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Motiva facti sunt meliora, quam illa juris, & de ratione.*
3 *De probatione præsumpta solutionis.*
4 *Non intrat hæc species probationis præsumptæ in debito impugnato.*
5 *Sed quando, non obstante præcedenti impugnatione, præsumptio intret.*
6 *Insinuatio potest sequi ex intervallo, & cui incumbat onus probandi ejus affirmativam, vel negativam.*
7 *Lapsus temporis non sufficit ad præsumptionem insinuationis, vel alterius solemnitatis, nisi etiam concurrat observantia.*
8 *De eodem, de quo n.6. cui incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam insinuationis.*
9 *Geminatio actus habet vim insinuationis.*
10 *Insinuatio cessat ob juramentum de solo jure communi.*
11 *Dicitur impleta donatio, si id quod donatur, transfunditur in alium contractum.*
12 *Cui incumbat onus probationis in genere.*
13 *De forma consuum in Regno Neapolitano, & an servetur Bulla S. Pii V. & de aliis ad materiam?*
14 *De concursu cumulativo solemnitatum Statutorum Urbis* 151. & 113.
15 *Quod debeant deduci etiam motiva parum tuta, & de ratione.*
16 *Quod ex Statuto* 151. *requiratur justa causa utilis, vel non damnosa.*
17 *In minoribus juramentum validat eorum contractus, & num.*20.
18 *Ratificatio actus nulli non attenditur absque scientia nullitatis tam facti, quam juris.*
19 *An attendatur clausula*, & quatenus &c. de novo facit, & *adducantur similia?*
20 *Conclusio, de qua n.*17. *non procedit ubi accedit læsio.*
21 *Metus reverentialis cum læsione est considerabilis.*

DISC. XXXIII.

MArtius Columna tunc Dominus totius Status Zagarolæ, ac etiam Olevani, & Montis Fortini in Statu Ecclesiastico, & Comitatus Cicoli in Provincia Aprutii Regni Neapolitani, juxta illam dominiorum seriem, ac distinctionem, de qua *in Romana, seu Prænestina sub tit. de feudis*, de anno 1608. in Urbe donationem fecit Octavio Tuttavillæ ducatorum 12500. intra certos terminos solvendorum, vel quod annuus redditus ducatorum mille constituendus esset, & cum promissione accessionis, ac ratificationis Patri Francisci filii minoris in ætate 17. annorum constituti, qui eadem die, coram eisdem Notario, & testibus, cum decreto Judicis, & auctoritate curatoris ad id deputati ob defectum proximiorum, dictam donationem ratificavit, & quatenus opus esset, denuo fecit. Postmodum vero, eodem anno ad sex circiter menses, præfati Martius, & Petrus Franciscus in Civitate Neapolis morantes, facta narrativa dictæ donationis in Urbe, eamque ratificando, cum clausula, *ad majorem cautelam denuo eam faciendo*, atque præveniendo statutos terminos solutionis; cum dictus Petrus Franciscus ex refutatione Martii patris esset possessor dictorum feudorum, ac bonorum tam in Regno, quam in Statu Ecclesiastico, de ejusdem patris consensu imposuit ad favorem dicti Octavii donatarii annuum redditum ducatorum mille ad rationem octo pro centenario super fructibus, & redditibus dicti Status Cicoli, defuncto vero Martio de anno 1614. Petrus Franciscus initio anni 1615. judicium instituit in Sac. Cons. Neapolitano contra dictum Octavium super donationis nullitate, e converso autem, dicto judicio jam intentato non obstante, Octavius curavit obtinere in M. Curia Vicariæ tam pro fructibus, quam pro sorte liquidationem instrumenti prædicti, juxta formam ritus ejusdem M. Curiæ, adversus quam liquidationem Petrus Franciscus obtinuit a Prorege, de mense Julii ejusdem anni rescribi, quod fieret relatio in ejus Collaterali Consilio, atque interim supersederetur, neque constat quod ad ulteriora processum esset, sed penultima die ejusdem anni, idem Octavius a dicti Petri Francisci procuratore conduxit ad triennium Civitatem Sarni, paulo antea ab eodem Petro Francisco emptam, pro annua pensione ducator. 5. m. circiter, ad effectum retinendi, & excomputandi cum dicto credito, defunctoque Octavio de anno

anno 1619. instituta hærede Portia uxore, quæ obiit de anno 1636. neque per eam, neque per quatuor communes filios, ac hæredes, usquequo tam dictus Petrus Franciscus, quam Pompeus Gallicani Princeps ejus filius vixerunt; aliquid petitum, vel innovatum fuit; dicto autem Pompeo defuncto de anno 1660. scripto hærede Stephano Columna Duce Bassanelli, filio Principis Carboniani, cum per talem mortem devoluta essent feuda existentia in dicto Regno, & consistentia in dicto comitatu Cicoli, & in Statu Pacentri, per dictum Petrum Franciscum quæsita, juxta seriem, de qua *in d. Romana, seu Prænestina*, proindeque efformatus esset concursus creditorum dictorum Statuum super aliquibus bonis allodialibus in illa Regia Camera Summariæ, hinc inter creditores comparuerunt præfati filii Octavii, vel eorum aliqui pro dicto credito in sorte, & fructibus, atque tam Stephano hærede, quam creditoribus opponentibus de nullitate præfatæ donationis, a qua de consequenti resultabat nullitas dicti crediti, non absque votorum scissura, emanavit sententia ad favorem Actorum super donationis validitate, & crediti subsistentia, super qua pendet discussio nullitatum juxta illum stylum.

In hoc autem judicio, dicti Stephani hæredis, & creditorum posteriorum Defensores plura deducebant. Primo scilicet de dictæ donationis invaliditate tam respectu Martii, quam Petri Francisci, ex defectu insinuationis demandatæ a Statuto Urbis 150. Secundo de invaliditate dicti census, seu redditus ob non servatam formam Bullarum Nicolai V. & S. Pii V. Et tertio de præsumpta satisfactione ex pensionibus affictus Civitatis Sarni, ut supra, ac etiam ex longissimo silentio, ad terminos text. *in l. Procula, ff. de probat.* Et quarto respectu Petri Francisci minoris deducebant in terminis juris communis pro infringendo contractu inito in Civitate Neapolis (ubi Statuta Urbis non intrant, neque lex particularis super donationum forma habetur) restitutionem in integrum ex causa minoris ætatis, ac etiam læsionis, concurrente potissimum etiam metu reverentiali paterno.

2 Desuper autem ex parte dicti hæredis consultus, in Responso tradito in forma discursiva, potius ad instructionem, seu notitiam opinionum, cum quibus vivitur in Curia super interpretatione Statutorum Urbis, ex quorum forma non servata donationis invaliditas deducebatur, insinuando (pro stylo) quod semper meliora sunt motiva facti, quibus concurrentibus, imprudens consilium est assumere disputationes articulorum juris, in quibus ob tot Scribentium, ac ingeniorum varietatem, species casus fortuiti est victoria, semper incerta; hinc proinde censui, principaliter insistendum esse in tertio motivo satisfactionis resultante a dicto affictu Sarni, qui dicebatur effectuatus, cum ita de plano, donec actores docerent de negativa, seu non continuatione, intentio Rei conventi esset fundata, deducendo diuturnum silentium, aliaque adminicula, quæ cæteris relatis
3 habentur in hac materia apud notissimas *decis.* 13. Afflicti 105. Surdi 124. Merlini, apud Capyc. Lat. *consult.* 46. *& frequenter sub tit. de credito*, pro corroboratione dictæ novæ conventionis post litem, dictique affictus effectuatione, non autem solum, ac de per se juxta generales terminos textus *in d. l. Procula, ff. de prob.* cum quibus in allegatis decisionibus proceditur, quoniam cum ex dicto judicio moto per Petrum Franciscum de anno 1615. ac subsequutæ in M. Curia super liquidatione instrumenti, constaret, quod tunc debitum non esset satisfactum, illudque tanquam indebitum impugnatum esset, hinc proinde dicta præsumptio non intrat, quoniam non præsumitur solutum illud de-
4 bitum, quod prætenditur non deberi, ac impugnatum est, ut cæteris relatis Rota *dec.* 192. *in fin. & dec.* 219. *n.* 11. post Zacch. *de oblig. Camer.* & apud Dunoz. *dec.* 849. *in fin.* & sæpius in sua materia *sub tit. de credito*, etiam in fortioribus terminis præscriptionis statutariæ, quæ in Urbe habetur.

5 Ita enim, stante dicta nova conventione post impugnationem, tanquam per speciem concordiæ, cessabat dicta difficultas, quæ ab impugnatione resultabat, unde propterea clarius intrabant ea, quæ habentur apud Merlin. *d. dec.* 124. *repetit. dec.* 124. post Fenzon. *ad Statuta*, quod scilicet quamvis præscriptio Statutaria cesset per interpellationem, ac litem, attamen postquam creditor obtinuit, ex tunc nova incipit præscriptio, seu præsumptio, quæ facilius intrat, quoniam dum ita constat, creditorem diligentem fuisse, litem etiam sustinendo, ob quam, ut notum est, ultra illum impulsum, qui resultat ab interesse bursali, causatur alter, non commiserandi, neque benevole agendi cum colligante, ita fortius præsumptio intrat, & quidem attentis aliis facti circumstantiis simul junctis, Mihi videbatur, quod esset veritas indubitata, quæ palparetur manibus, bene agnita per plures ex Judicibus, si non majorem, saniorem tamen partem constituentibus, verum quia vota numerantur, & non ponderantur, idcirco id non profuit.

Quatenus vero agendum esset de articulis juris super di- 6
ctæ donationis invaliditate, quoad primum motivum insinuationis, quod indefinite percutiebat, tam Martium, quam Petrum Franciscum, cum Scribentes pro actoribus potissimum fundamentum constituerent, vel in præsumptione resultante a lapsu 30. annorum, vel quod allegansi nullitatem incumberet onus probandi negativam, ex ratione insinuata supra *disc.* 29. quod scilicet cum hic actus possit, immo debeat sequi ex intervallo, ac per instrumentum separatum, idcirco possibilitas negativam excludit, probari solitam ex ipso actu, quando solemnitas præcise contemporanea esse debet; dicebam, etiam in sensu veritatis, neutram ex hujusmodi responsionibus habere subsistentiam, quoniam pertinet ad primam super præsumptione resultante a longissimi temporis decursu, ut habetur pluries *infra sub tit. de alien. & contract.* ac etiam *sub tit. de jurisdict. disc.* 24. &
frequenter alibi, solus lapsus temporis aptus non est ad hu- 7
jusmodi præsumptionem inducendam, nisi etiam accedat pacifica, & continuata observantia, de qua constet per probationes veras, non autem præsumptas, atque per actus univocos, non autem æquivocos, ne detur specialitatum, seu præsumptionum cumulus, de qua observantia in præsenti non constabat, sed potius de contrario, ut supra.

Et quoad alteram responsionem, cui scilicet incumberet 8
onus probandi hujusmodi solemnitatis affirmativam, vel negativam, deducebam eadem, quæ habentur supra *d. disc.* 29. super distinctione Actoris, ac Rei, & consequenter, cum adversarii agerent pro donationis observantia, tenebantur docere de illa valida, juxta auctoritates ibi deductas.

Verum, reflectendo ad veritatem causæ Defensoribus in- 9
sinuatam pro directione, nimium dubitabam de hujus motivi relevantia ex triplici difficultate, primo scilicet, quod secundus actus gestus in Civitate Neapolis, ita vim haberet insinuationis, eamque suppleret, quoniam ut advertitur *disc.* 28. *& alibi supra*, illa introducta est ad se certificandum de perseverantia liberæ voluntatis donatoris, quæ certificatio ita resultare dicitur, ut de geminatione habente vim insinuationis advertitur cæteris relatis apud Gratian. *discept.* 535. *n.* 31. *&* 34. apud Buratt. *dec.* 640. *n.* 8. quod expenditur *infra disc.* 60. ubi generaliter de insinuatione.

Secundo, quod in Civitate Neapolis factus fuis dictus se- 10
cundus actus ratificativus, etiam tanquam ex integro, ibique vigente solum dispositione juris communis, insinuationis necessitas cessat ex juramento, ut pluries advertitur in præcedentibus, cum sit hodie conclusio in Foro recepta.

Et tertio, quia donatio jam suum effectum sortita fuit 11
ob conversionem pecuniæ in ea solvi promissæ in alium contractum censualem, unde propterea intrat formalis novatio, per quam juxta pluries deducta in præcedentibus fingitur, quod pecunia, quæ ex priori causa debita erat, soluta sit, eaque brevi manu denuo data solventi, tanquam pretium census, vel redditus quæsiti per creditorem, seu donatarium, qui propterea ejus actionem non fundabat in priori donationis contractu, sed in altero posteriori census, vel annui redditus, pro cujus impugnatione debitor allegabat indebitum, ex quo iste secundus contractus initus erat, qui ita remanebat sine pretio ob invaliditatem primi, impugnando secundum tanquam per speciem repetitionis indebiti, & consequenter ipse reus in ejus replicatione erat actor, deducendo pro fundamento suæ exceptionis, seu replicationis dictam insinuationis defectum, quem proinde juxta superius insinuatam distinctionem justificare tenetur, quamvis in negativa consistat; sicut enim, ubi actor bene fundavit actionem, reus, qui ad eam elidendam deducit
exceptionem, in ista dicitur actor concludentis probationis 12
onera gravatus, ita e converso, ubi reus fundavit exceptionem, actor autem ad eam elidendam deducat replicationem, debet eam concludenter probare, juxta vulgata, passimque recepta axiomata, de quibus apud Mantic. *dec.* 251. Gregor. & add. *dec.* 228. *dec.* 25. *n.* 2. *par.* 7. *rec.* & passim, ideoque, licet Scribentes in ista causa, tam ante sententiam, quam postea super ejus impugnatione, ac sustentatione respective docte quidem, ac elaborata (parum autem commendabili prolixo, ac evagatorio stylo) pene volumina confecerint, edendo quandam speciem tractatus de materia insinuationis, attamen pro meo sensu videbatur labor inanis, quodque motivum periculosum esset.

Pari-

Pariter inanem credebam laborem super altero motivo invaliditatis secundi contractus censualis, seu annui redditus super defectu rasultante a forma præscripta in Consti-
13 tut. S. Pii V. *de censibus*, vel ab altera Nicolai V. cum qua Tribunalia sæcularia supponunt, ac raceptum habent in eo Regno procedendum esse, ob usu non receptam Constitutionem *Pianam*, saltem circa formam pecuniæ numeratæ, ac pacta rescissoria, ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de censibus*, dum hæc inspectio parum proderat, tum quia ea poterat quidem impedire cursum fructuum, non autem tollebat debitum in sorte principali, cujus extenuatio prætendi non poterat ex imputatione fructuum indebitorum, cum de solutione non constaret.

Tum etiam quia, ut pluries advertitur in dicta sua materia *sub tit. de censibus*, & sub altero *de usuris*, cum in eo Regno, ejusque Tribunalibus laicalibus raceptum sit, ut requisita lucri cessantis posita per Castrensem in *l. 3. ff. de eo quod certo loco*, tanquam notoria non egeant illa specifica probatione, quam Romana Curia desiderat, hinc proinde data mora, datur cursus interusuriorum, & consequenter nihil, vel parum rafert contractum sustineri uti censualem, vel remanere creditum productivum interusuriorum, nisi in eo effectu (qui notabilis etiam est) ut hoc secundo casu non currant fructus fructuum, sive, ut ibi dicunt, interasse tertiarum, quod in censibus passim datur, ut in prædicta propria raspective materia advertitur.

Igitur dicebam punctum consistere in validitara, vel in invaliditate donationis, tanquam in radice, seu causa productiva crediti, si enim donatio invalida erat, unde propterea nihil deberetur, utique secundus contractus ad solos terminos Bullæ Nicolai, ac pragmaticarum illius Regni (etiam omnino seclusa Bulla Piana) remanebat invalidus, quia sine pretio, seu pro indebito; si vero donatio subsistebat, juxta opinionem, quæ ibi firmiter tenetur, & quam saltem implicite per facilem concessionem sanatoriæ non omnino improbat Romana Curia, & tunc secundus contractus validus remanebat.

Super iis, quæ concernunt tertium punctum præsumptæ solutionis, laudando præ omnibus illud motivum, utpote facti, ideoque solidius, breviter insinuabam ea, quæ superius habentur, atque reflectendo ad facti circumstantias, Mihi tanquam dicti Pompei Principis Gallicani pene ab ipso initio Advocationis clientis, informato, in solo etiam sensu veritatis, omnino absolutum, ac firmum videbatur, quodque revera illa prætensio contineret cartharum veterum ravolutionem post defunctos eos, qui informati erant, contra hæredem ignarum.

Solidum quoque videbatur quartum motivum impugnationis dictæ donationis ob Petri Francisci filii minorem ætatem, tam de jure Statutario Urbis, quam etiam de jure communi, quamvis enim istud fundamentum non tolleret actionem ad bona Martii patris, cujus raspectu illud non intrabat, attamen erat actio inanis, cum illius bona absorpta remanerent a creditis anterioribus, etiam ipsiusmet Petri Francisci & aliorum, ideoque punctus erat in infringenda filii, non autem patris obligatione.

Motivabam Ego, quod cum ageretur de contractu censuali, seu annui radditus perpetui, attento jure Statutario Urbis, sufficientes non erant jam adhibitæ solemnitates, quæ in contractibus minorum præscriptæ sunt per *Statutum* 151. in isto donationis contractu cumulative desideratas, cum aliis
14 solemnitatibus, quæ per *Statuta* 149. & 150. desiderentur in donationibus, quæ etiam a majoribus, & non prohibitis fiant, ut occasione donationis factæ per mulierem advertitur pluries in præcedentibus, præsertim *disc.* 27. & 28. Sed requiruntur etiam aliæ solemnitates præscriptæ in *Statuto* 113. in alienationibus bonorum stabilium, quæ per minores fiant, quamvis enim apud nostros majores utrumque assumptum sub quæstione fuerit, primo scilicet, an *Statutum* 113. compatibile sit cum altero *Statuto* 151. adeout utriusque forma cumulative impleri debeat, necne, & secundo, an idem *Statutum* 113. quod loquitur de alienatione stabilium conveniat impositioni census, attamen utraque quæstio hodie sopita est, atque extra controversiam remanet, ut utriusque Statuti solemnitates necessariæ sint, & sub nomine alienationis stabilium veniat etiam census impositio juxta pluries deducta in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* præsertim *in Romana census, disc.* 28. deducendo in hoc discursu easdem rationes, & auctoritates ibi deductas, cum de hoc tempore illa causa jam disputata, & decisa esset.

15 Insinuabam tamen quod motivum videbatur periculosum, quamvis laudarem, ut deduceretur, ex pluries insinuata ratione, ob quam Advocati omnia motiva, quamvis pro eorum sensu levia, deducere, & colere debent, ob ingeniorum scilicet varietatem, in dies edocentem, quod solidis, beneque fundatis motivis neglectis, levia, & fallacia plausum habent, unde propterea justitia, quæ ex aliis vere adest, ita per viam quamvis indirectam, (dummodo tamen facti mendacium absit) locum obtineat, siquidem in Urbe minor fecerat donationem quantitatis, pro cujus solutione postmodum in diverso loco, ac extra jurisdictionem statuentium diversum contractum census, ut supra inierat, & consequenter motivum remanebat sine congrua applicatione.

Bene tamen solidum, & applicabile credebam alterum resultans a *Statuto* 151. quoniam licet in hac donatione, ultra formam præscriptam a *Statuto* 149. adhibitæ quoque 16 essent solemnitates materiales præscriptæ *in dicto Statuto* 151. circa scilicet decretum Judicis, ac interventum curatoris ob defectum proximiorum, attamen deficiebat solemnitas magis substantialis ab eodem Statuto requisita circa justam causam, quam hodie receptum est requiri veram de facto, & de jure, ideoque esse debet utilis, vel non damnosa, ex iis, quæ in his terminis donationis factæ per mulierem habentur supra, *dicto discurs.* 27. & 28. ideoque nihil refert intervenisse Judicem, ac proximiores, vel curatorem, nisi adimpleatur finis, ob quem Statutum id præcipit, cum interventus cæremonialis ad nil deserviat, ut pluries in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* Ideoque cum ista donatio nullam habebat causam probabilem, a qua vestita ramanet, juxta ponderationes, de quibus *in dictis discurs.* 27. & 28. quas in præsenti etiam discursu deducebam, ita nullitas ramanebat indubitata.

Major autem difficultas oriri videbatur ex secundo contractu inito in Civitate Neapolis, ubi non intraute hoc statutario jura, in hoc proposito vivitur cum sola dispositione juris communis, qua attenta juramentum tollit ea, 17 quæ per jus civile in contractibus minorum disposita sunt, ad vulgarem text. *in auth. Sacramenta puberum, Cod. de Sacros. Eccles. & cap. per vestras, de donat. inter. vir. & uxor. & sub tit. de alien. & contract.*

Credebam tamen, etiam in sensu veritatis, motivum 18 adhuc subsistere, cum iste secundus contractus initus esset in ratificationem primi facti in Urbe, ac pro illius implemento, & satisfactione, ideoque dicebam intrare veram, atque receptam conclusionem, ut ratificatio contractus invalidi non attendatur, nisi constet de certa, & explicita scientia nullitatis tam facti quam juris, adeout constet de determinato animo ratificantis faciendi secundum actum ex integro omnino independenter a primo; secus autem ubi cum ejus præsupposito, ac in executionem, putans se obligatum, cum tunc dicatur deficere consensus, atque intret ratio falsi præsuppositi, ut cæteris relatis add. ad Gregor. *decis.* 208. *n.* 9. add. ad Buratt. *dec.* 410. *num.* 15. apud Otthobon. *dec.* 204. *n.* 5. 9. & 14. *dec.* 80. *p.* 10. *n.* 2. & 3. & *dec.* 98. *n.* 7. *p.* 11. *rec.* & habentur pluries infra in dicta sua materia *sub tit. de alienat. & contract.*

Et quamvis in hoc secundo contractu (juxta consuetas 19 Notariorum formulas in ratificationibus adhiberi solitas) diceretur, quod nedum prima donatio ratificabatur, sed quatenus opus esset, fiebat de novo, attamen juxta ea, quæ in proposito confirmationis actus invalidi, cum clausula, *& quatenus opus sit, de novo concedimus*, habentur *sub tit. de feudis discurs.* 4. & in proposito illius donationis, quæ adjici solet in contractu emptionis, & venditionis super convento pretio, ut scilicet si *plus valeret, venditor donat, &c.* ut apud. Duran. *decis.* 121. *num.* 20. *& seqq. decis* 128. *num.* 213. *p.* 4. *recen. tom.* 2. late *in Romana rescissionis transactionis* 16. *Junii* 1651. *coram Corrado*, §. *non obstat*, *quod læsio*; sive in illa translativa renunciatione, seu donatione, quæ adjiciatur ranunciationi hæreditatis viventis, ut in sua materia *sub tit. de renunciat.* cum similibus, hujusmodi clausulæ, seu cautelæ, tanquam accessoriæ ac potius de stylo, seu formulario adjici solitæ, corruunt, corruente ipso actu principali, ac operativæ non sunt, nisi constet de enixa, & determinata voluntate, ut supra faciendi ex integro, ac principaliter hunc alium actum indipendenter a primo, quamvis certa scientia illius invaliditatis habeatur.

Verum, ubi etiam, secluso hoc jure statutario, cum puris 20 terminis juris communis procedendum esset, adhuc dicebam invaliditatem videri certam, non obstante juramento, quod ubi intervenit magna læsio, operativum non est, unde, vel intrat invaliditas contractus ratione doli præsumpti ab enormissima læsione resultantis, vel beneficium restitu-

tionis in integrum ad communiter notata *per Canonistas in cap. cum contingat, de jurejur.* & habetur pluries infra in dicta sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* ita insinuando motivum, cum ageretur de discursu directo Advocatis, ac viris doctissimis, qui hodie illas nimium notas conclusiones, (ut dici solet) in extremitate digitorum habent, adeo ut legulaica ineptia videatur desuper allegationum cumulum facere, idque transcriptorum, seu collectorum potius quam DD. minus continere videtur.

Addito etiam motivo metus reverentialis, qui solus, ac de per se ex veriori sententia, accedente juramento, nullius
21 est operationis, sed accedente læsione, satis considerabilis est ex relatis per Rovit. *pragm.* 1. ad Macedon. Capye. Latr. *consult.* 54. *n.* 11. *cum seq.* Buratt. *dec.* 751. *n.* 14. ubi Adden. *litt.* C. cum aliis in dicta sua materia *sub tit. de alienat. & contract.* ubi articulus metus reverentialis examinatur.

ROMANA LEGITIMÆ PRO MAGDALENA VIALARDA, CUM ISABELLA SORORE.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Magdalena.

De eadem materia solemnitatum adhibendarum in donatione facta per mulierem per Statuta 149. 150. & 151. an requirantur in donatione causa mortis: vel in ea tacita & virtuali donatione, quæ resultat a reservatione alicujus juris vitalitii, seu alias ad favorem post mortem ipsius donatoris: & de dicta donatione implicita resultante a reservatione, quæ fiat in officiis, vel locis montium, seu censibus vitalitiis ad favorem alicujus, & de jurium vitalitiorum æstimatione, ad effectum calculandi bona donata pro legitima filiorum?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De æstimatione jurium ad vitam juxta computationem text. in l. hæreditatem.*
3 *Pro legitima habentur fructus ipso jure de bonis fructiferis.*
4 *Bona donata ponantur in calculo ad augendam autem pro impinguanda legitima.*
5 *De solemnitatibus requisitis ex Statutis Urbis in donationibus præsertim mulierum.*
6 *Resolutio causæ, ac sensus proprius.*
7 *De donatione, quæ resultat a reservatione jurium, quæ fiant ad favorem alicujus.*
8 *Jura vitalitia solent per aliquem emi ad commodum proprium in faciem alterius.*
9 *Solemnitates statutariæ non requiruntur in donationibus consecutive, & virtualiter resultantibus ab alio actu.*
10 *Quod sit donatio causa mortis illa, de qua nu. 7. & non exigat solemnitates:*
11 *In donationibus causa mortis non requiruntur solemnitates, & de ratione.*
12 *Vera ratio ob quam dicta virtualis donatio non exigit solemnitates.*
13 *Ea donatio, quæ de facto fiat manualiter, non exigit solemnitates.*
14 *Impugnatur ratio, seu conclusio, de qua n. 10. ut ista implicita donatio sit causa mortis.*
15 *Impugnatur valutatio jurium ad vitam juxta modum, de quo n. 2. & de ratione.*
16 *Jura ad vitam plurium personarum plus æstimantur.*
17 *Quomodo valutatio jurium ad vitam fieri debeat.*

D I S C. XXXIV.

1 ACquisivit Felix, mediante pretio scutorum 600. cum Ecclesia Picenorum annuum censum vitalitium scutorum 48. ad vitam, tam ipsius Felicis, quam Septimiæ, & Magdalenæ ejus filiarum, cum jure accrescendi, vel non decrescendi inter eas, quibus ex tunc dictum censum post ipsius Felicis vitam acquisitum esse, ac spectare & pertinere stipulatum est, mortua vero dicta Felice instituta hærede universali dicta Magdalena, defunctoque etiam antea dicta Septimia, superstite Isabella altera filia, inter has sorores orta est controversia super detractione legitimæ, quam Felix Isabellæ tantum reliquit, illaque sopita super aliis bonis, ad plures annos, eadem Isabella novam excitavit prætensionem super legitima sibi debita, etiam ex hoc censu, tanquam remanso in hæreditate matris, introductaque lite coram A. C.

Scribentes pro actrice calculabant sibi deberi (stante numero duarum filiarum) medietatem trientis, sive sextam partem in sorte, quam dicebant importare scuta 100. dum census, ut supra emptus erat pro scutis 600. quatenus attendendum veniret pretium acquisitionis, sin minus, dicebant illum in sorte valutandum esse, attanto tem- 2 pore mortis matris, juxta computationem textus *in l. hæreditatum, ff. ad leg. falcid.* habita ratione ætatis ejusdem Magdalenæ reæ conventæ, ad cujus vitam durabat, dictamque computationem pro æstimatione jurium vitalitiorum faciendam esse probabant cum auctoritate Rotæ apud Cavalar. *dec.* 387. cum qua in aliis quandoque processum fuit.

Et de consequenti dicebant, debitos esse fructus interim decursos, atque per dictam hæredem perceptos, quoniam cum legitima sit quota bonorum jure dominii ab ipso instanti competentium, quoties illa sunt fructifera, veniunt fructus ab initio ipso jure, non ratione moræ, 3 sed ratione dominii, tanquam ejus sequela ex deductis apud Otthobon. *dec.* 38. & 81. & in sua materia *sub tit. de legitima & detractionibus* pluries, ac etiam *sub tit. de feudis, disc.* 108. & *alibi*.

Scribens Ego pro Magdalena rea conventa, dicebam, etiam cum sensu veritatis, quod in omnibus æquivocabatur, quodque actricis aliud debitum non esset nisi ex aliis bonis hæreditatis, quæ erant infructifera, utpote consistentia in mobilibus, & nominibus debitorum, rata duarum unciarum valoris hujus census, juxta valutationem, de tempore mortis matris, quoniam ipse census utpote in ipsa creatione donatus filiabus, de istarum dominio effectus erat, & non remanserat in hæreditate, & consequenter legitima in illo prætendi non poterat, sed solum ejus valoris ratio habenda erat, ad effectum, ut poneretur in calculo assis hæreditarii pro impinguanda legitimam, detrahendam tamen ex aliis bonis remanentibus, non autem de bonis do- 4 natis, nisi in subsidium, quatenus alia non sufficiant, juxta conclusionem, de qua cæteris relatis Surd. *cons.* 332. *n.* 14. Rovit. *dec.* 100. *n.* 20. Rota *dec.* 86. post Merlin. *de legitima, decis.* 57. & 136. *p.* 11. *rec.* & pluries in dicta sua materia *sub dicto tit. de legitima & detractionibus*.

Cum autem ex hoc resultaret, ut non intraret pertinentia fructuum, super quibus ob plurium annorum decursum major erat prætensio potius quam super rata sortis principalis, hinc proinde ad hunc effectum, quodque census dicendus esset hæreditarius, recurrebant ad dictæ per Ma allegatæ donationis invaliditatem, ob non servatam formam, quæ in donationibus etiam factis per viros majores non prohibitos in Urbe requiritur per Statuta 149. & 150. multo vero magis ubi agitur de muliere, in qua requiruntur etiam solemnitates generaliter in omnibus con- 5 tractibus præscriptæ per Statutum 151. ut advertitur *discurs. præced. & discurs.* 27. & *alibi*.

Verum, eodem veritatis sensu retento, dicebam istud fundamentum quoque corruere, & consequenter quod aliud peti non posset, nisi dicta rata valoris in aliis bonis, ut supra, quodque valor æstimandus esset judicio peritorum, 6 attento pretio, pro quo census acquisitus erat, minusque attenta dicta computatione facta per dictum textum *in l. hæreditatem*, cum id contineat æquivocum manifestum, atque ita juxta meum sensum judicatum fuit.

Examinando siquidem dictos punctos seu articulos, quatenus pertinet ad illum implicita donationis census resultantis a reservatione, quam mater fecerat ad favorem filiarum, deducebam eadem, quæ in hoc proposito habentur pluries deducta *sub tit. de Regalibus ad materiam* 7 *officiorum*, præsertim *disc.* 1. & ad materiam *locorum Montium*, præsertim *disc.* 24. super acquisitione officiorum, vel locorum montium, quæ absque libera & indefinita reservatione decreti, vel dispositionis, per aliquem de propria pecunia acquisitis, fiat in faciem, ac respective favorem alterius, ut ita ad istius favorem implicita donatio adesse dicatur, cum eadem quæ ibi habentur de officiis, vel locis montium vacabilibus ac vitalitiis, ob omnimodam rationis identitatem procedant in censibus vitalitiis, quoties conventum est de pertinentia ad favorem personæ superstitis, secus autem ubi hæc demonstratio solum esset pro periculo vitæ, ad commodum tamen acquirentis, juxta ea, quæ præsertim in proposito officiorum vacabilium habentur pluries in dicta sua materia *sub* 8 *tit. de Regalibus*, ac etiam *sub tit. de Societ. officiorum*, cum istæ

ilta quoque frequenter; de pecunia unius, & ad ejus commodum, contrahi soleant sub periculo vitæ alterius quamvis extranei ita solum demonstrati.

9 Quo vero ad objectam nullitatem hujusmodi donationis ob non servatas solemnitates, ut supra requisitas, duas dabam responsiones, primo scilicet, quod dictæ solemnitates non requiruntur in illis donationibus, quæ non ordinantur principaliter, neque in eis consistit contractus, sed consequutive, seu tacite, ac virtualiter ex juris dispositione resultant, ex generaliter firmatis apud Burat. *dec.* 408. *n.* 5. & in his terminis reservationis decreti super officio apud Dunozett. *dec.* 560. & 579. & *dec.* 41. *p.* 9. *rec.* quæ sunt in eadem causa, & habetur *dicto tit. de Regalibus*.

10 Et secundo, quod ea firmarit in proxime allegatis decisionibus, ac insinuatis *dicto disc.* 24. *de Regal.* ista implicita donatio, quæ resultat ex hac reservatione ad favorem alterius post mortem primi reservatarii, vel acquirentis, dicitur donatio causa mortis potius quam inter vivos, quasi quod substantia in tempus mortis collata sit, & consequenter dictæ solemnitates non requiruntur, ut ea doctrina Bart. *in l. filiusfam. n.* 1. *ff. de donat.* cæteris relatis habetur apud Pich. *ad Statut. glos.* 7. *nu.* 46. Rota apud Burat. *dec.* 461. *nu.* 2. & apud Dunozett. *dicta dec.* 560. *num.* 20. & 579. *nu.* 21. & *seq.* & *dicta dec.* 41. *n.* 14. *p.* 9. *recent.* & *in aliis*, cum sit conclusio vera.

11 Ex ea nimium probabili, & convincenti ratione, quod hujusmodi solemnitates introductæ sunt ad occurrendum circumventionibus, ac læsionibus, & præjudiciis resultantibus præsertim ea donatione, quæ importat perdere, atque actum de sui natura læsivum, ac præjudicialem continet; ideoque desiderandæ non veniunt in donationibus causa mortis, ob cessantem dictam rationem læsionis, ac præjudicii, ob liberam facultatem revocandi quandocumque, ac ob eandem rationem, ob quam solemnitates non desiderantur in ultimis voluntatibus, quarum naturam, in facto esse, ac spectato effectu donationes causa mortis sortiuntur, quamvis in fieri speciem contractus habeant, ut infra ad hanc materiam donationis causa mortis plenius habetur.

12 Ex his duabus responsionibus (reflectendo ad veritatem) solida, & concludens videbatur prima, tum ex dicta propositione generali, ut solemnitates, quæ desiderantur in actu principaliter ordinato, desiderandæ non veniant in illo, qui virtualiter ex legis potentia, vel subintellectu ex alio actu resultat, tum etiam ex ratione communis usus, & commercii, ob quam rationem non requiruntur hujusmodi solemnitates in illis donativis, quæ ma-

13 nualiter, ac de facto fiant de pecunia, & gemmis, aliisque mobilibus manualibus, juxta plene firmata per Rotam apud Merlin. *dec.* 692. repetit. *decis.* 69. *p.* 7. *recent.* ac etiam *dec.* 315. *p.* 11. de cujus casu habetur mentio *in dicto tit. de Regal. disc.* 1.

14 Non tamen placebat altera responsio (quamvis illa forte majorem plausum habuerit ob dictas speciales auctoritates) quoniam cum non ageretur de stipulatione facta per patrem ad favorem filiorum de juribus titulo oneroso quæsitis, quo casu ob prohibitam donationem inter patrem, & filium in potestate, id remanet in terminis peculii profectitii, ex deductis *sup. disc.* 2. ac etiam infra in aliis, sed ageretur de actu facto per matrem, in qua non intrat hæc prohibitio, hinc adesse diceretur valida donatio ab initio inter vivos, juxta ea, quæ habentur *dicto disc.* 24. *sub tit. de Regal.* Potissime dum non reservabatur jus census ad favorem filiarum post ipsius mortem, ad quam substantia donationis collata esset, sed ex tunc dicebatur ad ipsos matrem, & filios spectare debere, quia tamen per Scribentes in contrarium id motivatum non fuit, idcirco defuit occasio disputandi hunc punctum.

Quo vero ad dicti census valutationem, ad effectum impinguandi legitimam ex aliis bonis hæreditatis detrahendam, quodque nullatenus attendenda esset computatio contenta *in d. l. hæreditatum*, deducebam eadem, quæ in hoc proposito valutationis locorum Montium vinculato-

15 rum habentur deducta *eod. tit. de Regal. ad materiam locorum Montium disc.* 30. ac etiam habetur infra *disc.* 54. ubi id particulariter discutitur.

Et quidem quo magis ad id reflectendi occasionem habui, eo magis hoc assumptum prorsus fabulosum credidi, tum ex ibi ponderatis rationibus, quod scilicet non omnium hominum æqualis est vita, æqualisque habitus, seu complexio, ac valetudo, tum etiam quia, cum in dicta lege detur casus, ut in juvene, vita per 30. annos valuta-

tur, ita esset dare, quod in tertia parte pluris valeret jus vitalitium, quam valeat dominium, vel jus perpetuum, quod juxta receptam *glos. in auth. perpetua, Cod. de Sacros. Eccles.* (nisi mos Regionis, aliæque facti circumstantiæ contrarium in pluri, vel minori suadeant) valutationem recipit a fructu 20. annorum.

Considerabam quoque, quod si ita esset, dum iste census per Ecclesiam venditus ad vitam trium personarum, quarum duæ erant de tempore contractus in adolescentia, unde propterea juxta dicti textus computationem earum vita calculanda veniebat pro annis 30. creari debuisset cum longe majori pretio, etiam ultra duplum, & tamen per diligentissimos, ac zelantissimos dictæ Ecclesiæ Administratores, ex motivo utilitatis, ac ad industriam ita creatus erat, cum moderato fructu octo pro centenario, ita etiam totius Orbis communi usu docente, & fortius, quia licet dictæ vitæ trium personarum non multiplicarent annos, 16
dum omnium pariformis cursus habebatur, attamen absque dubio id auget de pretio, seu valore, ratione minoris periculi, ac verisimiliter magis duraturi juris, unde propterea sine dubio pro longe majori pretio venduntur bona ad vitam duorum, quam unius, licet ætas esset æqualis, juxta casum de quo *sub tit. de empt. & vendit. disc.* 1.

Ideoque dicebam, hanc valutationem, ex judicio proxe- 17
netarum, ac peritorum in hac specie commercii juris vitalitii, faciendam esse cum proportione, quæ in regulis arithmeticis habetur, quod scilicet dum hoc jus pluribus annis præcedentibus, ad vitam trium tunc juniorum, valutatum fuit pro scutis 600. quanti nunc, habita proportione, valutandum esset ad vitam unius tantum effectæ senioris, istaque in hujusmodi controversia Mihi videbatur veritas, quam etiam, ut supra, Judex agnovit.

ANNOT. AD DISC. XXXIV.

De æstimatione jurium ad vitam habetur alibi actum, & signanter *sub tit. de Regal. dis.* 30. & latius infra *hoc tit. disc.* 54. & *disc.* 66. *tit. de hæred. disc.* 34. & *de legitim. & detract. disc.* 36. & *alibi*.

De enunciata in præsenti discursu *Romana, seu Albanen. Vineæ* habetur *in hoc tit. disc.* 61.

EUGUBINA DONATIONIS PRO BAPTISTIS, CUM HIERONYMO MENGACCIO.

Casus disputatus coram A.C. in possessorio, resolutus pro Hieronymo.

De decretis Ducalibus Status Urbini super solemnitatibus adhibendis in donationibus, an vigeant hodie post dicti Status devolutionem, & præsertim an locum habeant in Civitate Eugubina, & quatenus vigeant, quid ubi accedat juramentum, vel fiant extra territorium, & an donatio facta per uxorem filiis viri, cadat sub prohibitione donationis inter conjuges?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Etiam in possessorio disputatur de meritis, & de ratione.*
3 *De responso* Andreoli *in hac eadem causa.*
4 *Donatio facta filiis viri dicitur facta ipsi viro, & cadit sub prohibitione.*
5 *Lex debet publicari in loco, ut afficiat.*
6 *Leges editæ per feudatarium cessant feudo devoluto.*
7 *Quod multa deducant Consulentes contra proprium sensum.*
8 *Doctori loquenti dubitative, & de auditu non defertur.*
9 *Minusque in iis, quæ consistunt in facto.*
10 *De decretis ducalibus Status Urbini, ejusque declarationibus.*
11 *Lex nova edita per viam declarationis retrotrahitur ad præterita.*
12 *Fortius ubi idem est Legislator.*
13 *Declaratur conclusio, de qua n. 6.*
14 *An & quando actus jurati subjaceant Statutis laicalibus?*
15 *Quod non sit deferendum Consulentibus, & de ratione.*
16 *De indirecta enervatione juramenti, & quomodo fiat per Statuta laicalia.*
17 *An & quando contractus extra territorium non servata forma Statuti valeant?*
18 *De conclusione, de qua nu. 4.*

D I S C. XXXV.

1 LUcretia Mengaccie Eugubina, otor Cæfaris Cantagallinæ Parufini, degens cum viro in territorio Perufino, contemplatione matrimonii contrahendi inter Carolum dicti Cæfaris filium ex prima uxore, & Eufrodifiam ipfius Lucretiæ fororem, donavit ejus bona dicto Carolo, quo dafuncto, ioter illos de Baptiftis ejus hæredes, vel donatarios, & Hieronymum dictæ Lucretiæ hæredem, vel donatarium, foper bonis donatis orta eft lis coram A. C. in poffeffòrio tantum determinata ad favorem dicti fucceffòris donatricis, satione melius juftificatæ poffaffioois anterioris, incertumque eft, an caofa in petitotio ulteriorem progreffum habuerit, dum amplius de illa ectum non andivi.

2 Quamvis autem principalis difpotatio effet in poffefforio ratiuendæ, nihilominus, juxta Curiæ ftylum, incideoter actum quoque foit de meritis negotii priocipalis, utpote nimium iofluere folitis ad poffefforii determinatiohem, licet enim generalis juris propofitio fit, quod in hoc judicio non quæritur de juftitia, vel injuftitie, fed attenditur nudum factum poffeffionis, attamen juftitia nimium in confideratione haberi folet, ubi præfertim concurrentibus actibus poffefforiis hinc inde, non agitur de omnioo clara anteriori poffeffione untut.

3 Quatenus igitur pertinet ad merita, Defenfores Hieronymi dictam donationem impugnantis, freti auctoritate *Andreoli* in refponfo edito fupra hujus donatiohis invaliditate jam impreffo de tempore hujus difputationis inter ejus *controverfias*, *to. 6. contr.* 414. duo deducebant fundamenta. Primo fcillcet, quod fervatæ non effent folemnitates præfcriptæ in decretis ducalibus Ducum Urbini.

4 Et fecondo, quod ageretur de prohibite donatione inter conjuges, quamvis non viro, fed ejus filio illa facta effet, quoniam ex vulgari propofitione, ut quicquid acquirit filius, aquiratur patri, idem fit donare filio, ac patri, juxta textum *in l. 3. §. qui in ejufdem poteftate, ff. de donat. inter vir. & uxor.* cum concordan. deductis per Andreol. *ubi fupra*, a quo totum defumebatur.

Scribens Ego pro donatario, vel ab eo caufam habentibus, quatenus pertinet ad primum fundamentum, dicebam ex pluribus dictum defectum folemnitatum obftare non debere, primo fcilicet, quod decreta Ducalia in hac Civitate Eugubine publicate non effent, ideoque vim legis habere non deberent, cum unam ex legis requifitis fit
5 illud publicationis in loco, ut in his individualibus terminis firmat Conciol. *alleg. 39. n. 1.* ubi late concordantes; fecundo, quod ubi etiam de temporibus Ducum, adimpletis omnibus requifitis, legis vim habuiffent, adhuc tamen ob Status devolutionem, ac refolutionem cujufcumque juris Legislatoris, illa evanuiffent ad vulg. text. *in l. lex vectigali, ff. de pignor.* ut in fpecie habetur per Rot. *in Urbinaten.*
6 *pecuniaria 13. Junii 1668. cor. Vicecomite*, tertio ubi atiam dicta decreta vigerent, adhuc tamen, retione juramenti, ac etiam ceffantis fraudis, ejus rationa eadem decreta prodierunt, iotrare non deberent, & quarto demum, quod donatio facta effet extra territorium ftatuentis, ideoque ejufdem folemnitetibus non fubjaceret, ut infra.

7 Quamvis autem hæc deducerem Advocati more ad caufæ opportunitatem, attamen excepto hoc ultimo fundamento, quod ageretur de actu extra territorium, reliqua omnia (reflectendo ad veritatem) parum tuta videbantur, ut ab initio, juxta ftylum, partibus, vel agentibus pro eis infinuevi; quatenus enim pertinet ad primum deductum ex defectu publicationis, illud in primis advertebam,
8 quod nullatenus affartioni alioquin docti amici mei Conciol. *d. alleg. 39. n. 1.* daferendum erat, tum quia ipfe, agendo de Opoido Cantiani ejus Patrie, incidenter, & a fimili loquitor de hac Civitate Eugubioe, fubdubius, & ex incerta tsaditione, unde propterea fi etiam agaretur de tefte fuper iis, quæ nudi facti funt, deponante de auditu in genere, abfque bene diftincta caufæ fcientia, nullatenus deferendum effet, juxta fatis vulgarem conclufionem, quam in Foro frequentem habemus, & in fua probationum materia *fub tit. de judic.* pluries deductam.

9 Tum etiam quia circa ea quæ facti funt, & in fpecie circa confoetudines particulares locorum, non defertur DD. attettationibus, quamvis effent verfati in Regione, juxta opinionem quam Rota fequitur, ut apud Mantic. *dec. 357. num. 6. decif. 574. num. 17. & feq. p. 4. rec. tom. 3. & decif. 193. num. 13. par. 6. in Sulmonen. diftributionum 20. Junii 1653. coram Bichio, & in aliis*, multo magis ubi non eft verfatus in loco, atque loquitur fubdubius.

Et ulterius omnis dubietas ceffare videbatur ex eo, 10
quod potius conftat de contrario, fiquidem in hoc propofito duo habentur decreta Ducalia, unum antiquum editum de anno 1561. fuper cujus ufu in hac Civitate non eft dubitandum, quoniam cum ejus indubitato præfuppofito Eugen. *conf. 14. lib. 1.* pro fuftinenda confimili donatione facta per mulierem Eugubinam, plura ponderat ex dictis fundamentis, cumque hujus Auctoris confilia in volumen redacta, publicæ luci edita effent, ac propterea ob illius Doctoris auctoritatem, ac tot limitationes, præfatum Decretum pane inane remaneret, hinc proinde idem Dux de anno 1621. per viam declarationis potius quam novæ legis, aliud edidit decretum, per quod præcife occurritur omnibus limitationibus *in dicto Eugenii confilio* deductis, adimendo fcilicet vim juramento per confuetum indirectam viam, per quam legibus laicalibus id conceditur, quod alias directe negatur, præfumendo actum dolofum, feu per vim, & metum geftum effe, nec non per ampliffima verba decernendo folemnitates requiri ex quacumque caufa id fequatur, unde propterea plurium fententie eft, quamvis non admiffa, ut neque donatio contemplatione certi, ac determinati matrimonii ad id fufficiat, ex deductis fupra *difc.* 2.

Cum itaque id, non per viam legis novæ, fed per 11
viam declarationis dictæ legis antiquæ prodierit, ita refultabat requifitas non effe folemnitatas, quæ in lege omnino nova defiderantur, unde propterea quamvis de natura novæ legis fit refpicere folum futura, non autem trahi ad præterita nifi expreffe dicatur, attamen ubi agitur de lege prodita per viam declarationis, habet oculos retro, ac trahitur etiam ad præterita, ex collectis per Farinac. *in fragm. verbo Lex n. 51. cum feq.*

Idque fortius, & abfque dubio procedit, accedente cir- 12
cumftantia, de qua in hac facti fpecie, quod prima lex, ad cujus declarationem altera prodiit, edita erat ab eodem Legislatore, ita declarante quid in animo habuerit ab initio, tunc etenim intrat frequens, ac recepta conclufio deducta ex text. *in leg. adeo, ff. de acquirend. rerum domin.* quod qui declarat, nihil de novo facit, fed quod jam factum fit, nobifque obfcurum remanet, melius aperit, juxta ibi deductum exemplum excutientis grana e fpicis.

Quo vero ad alterum motivum refolutionis legum ob 13
feudi devolutionem, ac refolutionem juris Legislatoris, quamvis vera fit regula fuperius infinuata, attamen ex iis, quæ habentur *fub tit. de feud. difc.* 83. ac etiam fupra *d. difc.* 2. & dictum fuit pluries per Rotam, præfertim *dec. 41. n. 7. dec. 50. nu. 23. & dec.* 51. poft Pattell. devolutione fequuta; primus Gubernator per Urban. VIII. deputatus, ea illius oraculo, ejus edicto cavit, ut continuari deberet cum eifdem legibus, cum quibus prius vivebatur, idque nimium verifimile videtur, quod Urbanus mandaverit imitando id, quod prudenter egit Clemens VIII. in devolutione Status Ferrariæ, ut fcilicet illi Populi libentius vivent cum antiquis eorum legibus, ac ftylis, atque occafione dictæ alterius caufæ Eugubinæ, quæ pendet in Rota, & de qua habebitur *hoc eod. tit.* juftificatum quoque fuit per atteftationes plurium Curialium hujus Eugubinæ Civitatis, ac etiam per plura inftrumenta, necnon per fanationes obtentas a Cardinali Legato adeo, ut quicquid ubiter dicatur *in d. Urbinaten. coram Vicecomite*, in præfata alia *Eugubina*, in qua eadem decifio deducebatur, id habitum fuerit pro certo, quamvis pro validitate retrodonationis refponfum fuerit ex aliis motivis.

Et ad tertium motivum juramenti, quamvis ultra ge- 14
neralia, de quibus fuper conclufione, ut actus jurati non fubjaceant Statutis laicalibus, habentur *fub tit. de dote difc.* 143., ac pluries *fub tit. de alienat., & contract.* In terminis fpecialibus iftorum decretorum deducerem ea, quæ habentur apud Eugen. *dict. conf.* 14. *& recentius* per Andreol. *controv. 6. num. 37. & feqq.* Attamen quoad Eugen. refponfio patet ex fupra deductis, quod fcilicet ipfe loquatur, attento primo decreto, priufquam prodiret fecundum declaratorium, qui dictum confilium caufam dedit.

Et quoad Andreol. inculcabam errorem fæpius inculcari 15
folitum deferendi Confulentibus publicæ luci edentibus eorum refponfa, vel allegationes ad caufarum opportunitatem, prout jacent, dum idem *in controv. 55. nu. 11. & feq.* firmare conatur invaliditatem actus ex defectu hujufmodi folemnitatum, quamvis ibidem *n.* 13. enunciet, ac fupponat

aut

agi de contractu jurato, ideoque incertum remanet an uno, vel altero loco veritatem dicat.

Et quamvis illa indirecta juramenti enervatio, quæ Statutis laicalibus conceditur, adimendo fidem scripturæ, vel
16 inducendo præsumptionem doli, vel metus &c. importet solum simplicem juris præsumptionem elidibilem per contrariam probationem veritatis actus, ex deductis *d. disc.* 143. *de dote*, *& d. tit. de alien. & contract.* nam alias si induceret præsumptionem juris, & de jure, ac tolleret contrariam probationem, ita esset directe tollere vim juramenti, eique dispensare, attamen id recte procedit in casu, quo hujusmodi extrinseca probatio accedat saltem adminiculativa, & per fortiores præsumptiones dictam juris præsumptionem suffocantes, secus autem ubi dicta probatio non accedit, sed desumi prætenditur ea qualitate personarum, puta quia inter patrem & filium, &c. cum verius sit id non sufficere, ex collectis per Andreol. *d. controv.* 55. atque hoc jure vivimus, quod ubi alia probatio non accedat, statutaria dispositio suam faciat operationem.

Demum quoad quartum fundamentum, quod donatio facta esset extra territorium in fraudem, ex cumulatis per
17 Andreol. *d. contr.* 414. ut pluries advertitur *sub d. tit. de alien. & contract.* ista est potius quæstio facti quam juris, an scilicet id affectata factum sit cum animo cito redeundi, vel potius absque ista fraude, ita interpretando *cons.* 54. *&* 73. Aretin. ex deductis *dec.* 126. post Fenzon. *ad Statut. dec.* 238. *p.* 6. *rec. & in aliis pluries*; idemque Andreol. *ubi supra* fatetur, ut quicquid aliqui dicant de inhabilitatione proprii subditi extra territorium, verior, ac recepta opinio sit cum dicta distinctione, de qua etiam plene Conciol. *d. alleg.* 39. ubi in specie de circumstantia militante quoque in illo casu, quod dici non poterat actum gestum esse in fraudem, ac affectare, dum vir erat Perusinus, in cujus territorio mulier reperiebatur, sequendo virum, juxta dictum præcisum casum, de quo agit Engen. *d. cons.* 14. istudque motivum videbatur solum considerabile, ob quod hujusmodi defectus obstare non deberet.

Quamvis enim adesset altera circumstantia, quod donatio facta esset contemplatione matrimonii, ideoque hujusmodi solemnitatibus non subjecta, attamen, quia causa non erat unica, & finalis, idcirco in hoc motivo tutum fundamentum constitui non poterat ex iis, quæ habentur *sub tit. de dote*, *disc.* 17. *& alibi*.

Circa vero aliud motivum, cui principaliter quoque innititur Andreol. *dicta controv.* 414. ex eo quod ageretur de
18 donatione facta filio viri, quod idem est, ac facere eidem per supra allegatum text. *in l.* 3. §. *qui in ejusdem potestate ff. de donat. inter vir. & uxor.* Dicebam ipsum in hoc procedere cum æquivoco manifesto, cum dicti text. dispositio procedat attento jure Digestorum, quando non habebatur illa peculiorum distinctio, quæ indicta fuit per novum jus *Codicis Justiniani in l. cum oportet*, *Cod. de bon. quæ lib.* unde propterea quicquid dabatur filio, dari dicebatur patri, cui pleno jure quærebatur; hodie autem id cessat, ut distinguendo jus novum, & antiquum in proposito contractuum filiorum familias, advertitur *d. titulo de alien. & contract. disc.* 37. *& in aliis*, adeout, non constito de fraude, in dubio non de facili præsumenda, etiam in terminis fortioribus donationis, quæ fiat filiis secundi matrimonii per parentem binubum, unde facilius intret fraus, quæ fiat dispositioni text. *in l. hac edictali*, *C. de sec. nupt.* adhuc tamen, ubi extrinseca dictæ fraudis adminicula non accedunt, ejus sola suspicio non sufficit, ex deductis in sua materia *sub tit. de successionibus*, igitur multo minus in præsenti.

S U M M A R I U M.

1 *De Decretis Ducalibus Status Urbini.*
2 *Juramentum quando validet donationem factam filio illegitimo.*

ANNOT. AD DISC. XXXV.

1 DE Decretis Ducalibus Status Urbini, ejusque declarationibus ultra deducta in *præsenti disc.* videri poterunt ea, quæ habentur infra *hoc eodem tit. in Eugubina Donationis*, *disc.* 68.

Juramentum an, & quando sustineat donationem alias
2 invalidam, habetur infra *disc.* 62. occasione agendi de articulo, an valeat donatio facta per patrem filio illegitimo, si filios legitimos haberet.

ROMANA SCUTOR. XXX. MIL.
PRO CONVENTU SUPRA MINERVAM
CUM ECCLESIA NATIONIS PICENORUM.

Casus varie decisus per Rotam.

Facta donatione uni aliquorum bonorum sub reservatione usufructus, & redditus ad favorem alterius, cui data sit facultas disponendi etiam in morte de eorundem bonorum proprietate in parte, an dictæ facultatis concessio importet perfectam, ac irrevocabilem donationem, vel potius revocari, seu minui, aut primo donatario remitti valeat?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *In quo consistat controversiæ punctus.*
4 *De duobus cons*[l]. Baldi, *quæ in materia invicem pugnare videntur.*
5 *De distinctione conciliativa an actus importet donationem, vel mandatum?*
6 *De eodem, & quod ubi importat mandatum, facilius sit revocabile, re integra.*
7 *Quod sit quæstio facti, & applicationis, an de una, vel altera specie agatur?*
8 *An onus adjectum primo donatario ad favorem tertii possit a donatore remitti?*
9 *De stipulatione Notarii pro interessatis contenta in obligatione Camerali.*
10 *Ubi est mandatum, est revocabile, ubi vero est donatio, præsumitur acceptatio ex scientia.*
11 *Quid operetur juramentum, vel dicta stipulatio Notarii sub obligatione Camerali.*
12 *De conclusione, quod ea, quæ sunt in facultate, non dicuntur in bonis nostris, quomodo procedat, ac intelligenda sit.*
13 *Quod mandatum de sui natura sit revocabile.*
14 *Quid operetur conditio, ut, non facta dispositione, bona remaneant penes primum donatarium.*
15 *In competentibus ex contractu intrat transmissio, non autem caducatio.*
16 *In quæstionibus facti, utpote arbitrariis non datur certa regula generalis.*
17 *Ponderatur æquitas, seu verisimilitudo pro facultate revocandi.*
18 *Donatoris declarationi in dubio est deferendum.*
19 *An obtinens ex dispositione nominantis, vel facultatarii agnoscat istum, vel primum testatorem in ejus auctorem?*
20 *De distinctione in eadem materia.*
21 *Qualis videatur proprius casus controversiæ.*

D I S C. XXXVI.

DOnavit Ioannes Andreas Castellanus omnia ejus bo- 1
na Ecclesiæ Nationali Picenorum Urbis, sub nuncupatione Almæ Domus Lauretanæ, sub diversis legibus, ac oneribus, ac præsertim sub reservatione annui redditus scutorum bis mille ad favorem Joannis Mariæ ejus fratris ad vitam, data eidem facultate disponendi in morte de tot bonis in sorte principali pro summa scutorum 30. mil. ita tamen quod, dicta facultate ad exercitium non deducta, remanerent omnia bona Ecclesiæ donatariæ; cum autem postea donator dictam disponendi facultatem moderatus esset, illam reducendo ad scuta 10. m. dictusque Joannes Maria prætendens primam concessionem irrevocabilem esse de integra summa scutorum 30. mil. disposuisset ad favorem Conventus S. Mariæ supra Minervam ordinis S. Dominici, hinc orta desuper controversia, introductaque causa in Rota *coram Albergato*, ad favorem dicti Conventus actoris prodiit resolutio sub *die* 23. *Januarii* 1658. super pertinentia integræ summæ scutor. 30. m. Reproposita
vero causa coram eodem, *sub die* 9. *Aprilis* 1660. receden- 2
do a decisis, dictum fuit solum 10. m. deberi, istaque posterior resolutio confirmata 21. *Junii* 1661. & in hoc statu causa pendet, dictæque posteriores resolutiones habentur impressæ *post collectat. Bonden. dec.* 77. *&* 90.

In hujusmodi autem disputationibus, cardo quæstionis restringebatur ad punctum, an concessio dictæ facultatis dispo-

disponendi importaret perfectam, ac irrevocabilem donationem, sub resolutiva conditione conceptam si non disponeret, itaut dicta bona, sive id quod dictæ facultatis æstimatio importat, dicantur de bonis ipsius Joannis Mariæ, vel potius importaret mandatum ad disponendum, adeout
3 ille, in quem dispositum sit, a mandante potius quam ab ipso mandatario agnoscere dicatur; primo enim casu non dubitabatur per Scribentes hincinde, quod concessio esset irrevocabilis; secus autem secundo, in quo simplex mandatum, seu exequutoriam importaret, cum tunc non proprio, sed ipsius mandantis nomine disponere diceretur, ut infra.

Hinc proinde advertebam, quod non pugnarent invicem duo consilia *Baldi*, circa quorum repugnantiam Scriben-
4 tes hinc inde multum laborabant, an scilicet verior esset opinio Bald. *cons.* 377. *lib.* 5. ubi pro revocabilitate, vel potius altera *ejusdem cons.* 270. *lib.* 2. ubi pro irrevocabilitate, quoniam iste auctor in hoc non est contrarius, sed bene diversimode in uno, ac altero casu respondet, ob ipsorum casuum diversas circumstantias, ex quibus in uno concessio importabat mandatum, & in altero donationem, ideoque infrascripta doctrina Bart. *in l. qui Roma*, §. *Flavius*, *n.* 1. *ff. de verb. oblig.* super qua pariter multum elaborabant quoad revocabilitatem, intelligenda est, ubi concessio sit talis, quod mandatum, seu exequutoriam potius quam donationem importet, secus autem e converso, eademque distinctio habetur, vel supponitur per Bald. *in l. senium*, *n.* 3. *cum seqq.* & sequuntur Guglielm. de Benedict. *in cap. Raynutius*, §. *condidit*, *il primo*, *num.* 2. Soccin. *cons.* 114. *in fine* *l.* 1. Peregr. *de fideicomm. art.* 44. *num.* 37. Thesaur. *in addit.*
5 *ad decis.* 70. *litt. D.* Rota *dec.* 253. *nu.* 10. *p.* 4. *rec.* cum aliis in decisionibus desuper editis, atque eundem sensum habent illi, qui sequuntur *d. cons.* 377. Bald. ut præsertim Dec. *cons.* 521. *n.* 12. *in fine*, Alex. *cons.* 29. *n.* 17. *& seq. lib.* 5. Ruin. *cons.* 54. *nu.* 12. *&* 17. *lib.* 1. Peregr. *cons.* 76. *num.* 18. *lib.* 1. &
6 cæteri apud Castill. *lib.* 4. *cap.* 54. *n.* 30. Potissime ubi revocatio mandati sequatur re integra, & antequam dictum mandatum ad exercitium deducatur, quo casu aliqua major dubitandi ratio cadere potest, ut apud allegatos, & in causæ decisionibus.

7 His igitur ita se habentibus, dicebam quod ista videatur quæstio facti, & applicationis potius quam juris, an scilicet circumstantiæ casus, de quo sit quæstio, suadeant, quod de una potius quam de altera specie dispositionis agatur, ac propterea extraneas credebam duas quæstiones desuper assumptas, in ipsis etiam decisionibus enunciatas.

Primo scilicet, circa dictam doctrinam Bart. *in l. qui Roma*, §. *Flavius*, *n.* 1. *ff. de verb. oblig. ad materiam* textus *in l. quoties*, *& l. si quis argentum*, *Cod. de donat. quæ sub mod.* an
8 & quando onus donatario adjectum ad favorem tertii absentis, re integra, & ante acceptationem revocari valeat, ipsique donatario remitti, super quo Scribentes nimium variant, aliis sequentibus Bartolum, aliis vero sequentibus Cumanum de directo contrarium tenentem, & aliis distinguentibus, an adsit stipulatio Notarii, vel juramentum ex iis quæ, cæteris relatis, habentur ad hanc materiam apud Larream *dec.* 91. *nu.* 5. Ciarlin. *controv.* 158. *num.* 17. Hodiern. ad Surd. *dec.* 209. *n.* 2. *&* 4. qui in prima decisione allegantur, melius vero agunt Arias de Mesa *lib.* 3. *variar. cap.* 50. *n.* 16. Rovit. *dec.* 89. *nu.* 3. Merlin. *lib.* 1. *controv.* 59. ubi elaborate materiam examinat Rot. *decis.* 37. *par.* 7. *rec.* cum aliis *sub tit. de fideicom. disc.* 137. *& seqq.*

Ac propterea magna fuit quæstio, an juramentum a dicto donatore præstitum, & obligatio cameralis, quæ con-
9 tinet stipulationem Notarii pro omnibus, quorum interest, adjecta censerentur favore ipsius Ecclesiæ principalis donatariæ, non autem favore dicti Joannis Mariæ habentis interesse accessorium, seu consecutivum, & de quo agitur pluries *sub tit. de credito*, ac sub altero *de alien. & contract.*
10 Ponderabam enim, quod aut dicta reservatio importabat simplex mandatum, seu executoriam ut supra, & supervacanea erat hæc inspectio, dum mandatum est de sui natura revocabile, aut e converso importabat donationem, & cum ageretur de actu mere lucrativo, & favorabili absque onere ad favorem fratris in eadem domo conviventis, cujus scientia non videbatur impugnabilis, ita de consequenti resultabat tacita, seu præsumpta acceptatio, quæ sufficit ex deductis *decis.* 27. *par.* 7. *recent.* & latius *decis.* 387. *part.* 9. *repet. dec.* 110. post Merlin. *de pignorib.* & in aliis pluries. Atque tunc cadebat inspectio operationis juramenti, vel alterius stipulationis contentæ in obligatione camera-
11 li, quarum una, vel altera circumstantia produceret irrevocabilitatem donationis factæ absenti, etiam ante acceptationem, quæ necessaria est ad acquisitionem dominii, ut pluries in præcedentibus advertitur, & sic cum præsupposito, quod reservatio importaret donationem, super quo tamen præsupposito erat quæstio.

Prout estranea videbatur conclusio, in qua nimium duæ posteriores decisiones insistere videntur, quod scilicet ea, quæ sunt facultatis, non dicantur esse in bonis nostris, nostroque dominio, antequam sequatur agnitio, ex plene 12
collectis per Salgad. *in d. dec. allegatum in labyrint. part.* 2. *cap.* 10. *n.* 103. *cum seq.* Id enim percutit diversum effectum, an scilicet creditores ejus, cui hæreditas, vel fideicommissum, seu legatum delatum est, aliquod jus desuper habeant, ante ipsius debitoris acceptationem, magisque in Foro recepta est negativa, eo quia debitor potest nolle quærere ad text. *in l. qui autem*, *ff. quæ in fraudem creditorum*, & consequenter, licet id quod remanet in terminis facultatis, ante istius exercitium, ac animi declarationem, non dicatur in bonis nostris, non per hoc tamen sequitur, quod si donatarius potest non acceptare, & non quærere, ergo donator possit interim pœnitere, ubi præsertim accedat, vel præsumpta acceptatio, quæ resultat a scientia verisimili, vel juramentum, vel explicita, vel implicita stipulatio Notarii pro absente, vel fortius utrumque simul, quoniam aliud est facultas acquirendi, aliud vero facultas disponendi de eo, quod quæsitum sit sub resolutiva conditione, quatenus non disponatur.

Ideoque instat idem dilemma; aut hic actus importat solum mandatum tanquam speciem executoriæ, ut supra, & isti termini extranei sunt, quoniam etiamsi mandatarius sit præsens, & acceptet, mandatum est de sui natura revoca- 13
bile, quoties non agatur de eo mandato, quod per actum correspectivum, detur principaliter in rem, & gratiam mandatarii, cum promissione irrevocabilitatis, ut *sub tit. de tutor. & procur. disc.* 20.; aut importat donationem, & quamvis ista in verbis concepta sit de facultate disponendi de bonis, attamen importat ipsorum bonorum donationem.

Nil obstante, quod in casu, quo facultas non deduceretur ad exercitium, donator mandet bona remanere penes primum donatarium, quoniam id non impedit quin sit donatio, sed operatur, ut ista non remaneat pura, sed conditionalis, sub conditione tamen resolutiva, qua purificata, actus 14
quamvis perfectus resolvatur; sive quod ad impediendam transmissionem ad ipsius donatarii hæredes, ita per quandam speciem substitutionis alter donatarius vocetur, dum in iis quæ competunt ex actu inter vivos ab initio perfecto, cujus executio magis quam substantia in tempus mortis collata sit, datur transmissio etiam conditione pendente, 15
neque intrat caducatio, quæ per præmorientiam donatarii, vel legatarii, intrat solum in ultimis voluntatibus, ac etiam in donationibus causa mortis, ad text. *in l. spem*, *C. de donat.* cum concordan. quæ, ceteris relatis, plene collecta habentur apud Capyc. Latr. *dec.* 2. *n.* 9. *& seqq.* & per Rotam *in Narnien. prædii* 8. *Februarii*, *&* 10. *Junii* 1669. *coram Bevilaqua*, & de qua *Narnien.* habetur *sub tit. de fideicomm.* in proposito quæstionis, an fideicommissum conditionale ex contractu transmittatur, pendente conditione necne, ubi cum distinctione casuum declaratur illa conclusio, quam æquivocum est ita generaliter, ac indefinite statuere in omni casu.

Quatenus ergo pertinet ad dictum punctum præcisum, in quo unice pro meo sensu hujus disputationis cardo 16
consistit, an scilicet dicta reservatio unam, vel alteram præfatæ distinctionis partem redoleret, reflectendo ad veritatem, adhuc subdubius remansi, neque omnino determinatum judicium desuper efformavi, illud reservando, quando novæ disputationis trutina id concederet; cumque, ut dictum est, sit quæstio facti, & voluntatis potius quam juris, hinc juxta generalem naturam hujusmodi quæstionum, certam non recipit regulam, seu determinationem generalem, sed particularem pendentem a singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis pro Judicis arbitrio pensandis, & consequenter, quoties agitur de arbitrariis, non de facili una, vel altera resolutio positive justa, vel injusta dici valet; ideoque dicebam istam esse unam ex illis quæstionibus, in quibus congrue magna præsertim Tribunalia concordiam demandare debent, potissimum inter duas Ecclesias.

Attenta siquidem quadam naturali verisimilitudine, seu æquitate, pro ultimarum resolutionum probabilitate re- 17
spondendum potius videbatur, quodque donator in animo non habuerit dictam facultatem concedere per viam

per-

perfectæ, ac irrevocabilis donationis, sed potius per viam mandati quandocumque revocabilis; cum enim ageretur de Prælato, & Sacerdote octuagenario exercente adeo insigna pietatis opus, ac disponendo da nimium pingui asse ex ejus laboribus canalitatis parto ad favorem Ecclesiæ, & pro saluta ejus animæ, hinc proinde nimium improbabile videtur, ut absque aliqua ejus utilitate, in præjudicium germani fratris, cum quo in eadem affectione continuabat, dum nulla intermediaverat indignationis causa, atqua reservationem annui redditus scutorum bis mille ad vitam, eandemque facultatem disponendi de summa notabili scutorum 10. mille firmam esla voluit, ita voluerit actum juratam revocare, atque jus alteri quæsitum tollere, cum peccato, ejusqua animæ præjudicio, juxta consimilem ponderationem, de qua supra *disc.* 25.

18 Addita etiam conclusione pluries in præcedentibus insinuata, atque in ultimis decisionibus plene deducta, quod cum negari non possit casum esse dubium, idcirco ipsius donatoris declarationi deferendum veniat.

19 De stricto autem jure, attentisque ejus regulis, ac propositionibus, omnino probabilior videbatur prima resolutio, juxta distinctionem, seu quæstionem, quam habemus ad materiam taxt. *in l. unum ex familia*, §. 1. *ff. de legatis* 2. de qua cæteris relatis Peregrin. *de fideicommissis*, *art.* 36. *num.* 8. Rot. *dec.* 205. & 314. *part.* 9. *recent. cum concordan. supra disc.* 18. ac pluries *sub tit. de fideicommissis*, & magis ex professo *sub titulo de legitima*, & *detractionibus*, quando scilicet ille, in quem per hujusmodi facultatarius disponitur, in ejus auctorem agnoscat ipsum secundum, seu immediatum disponentem, de cujus bonis obtinere dicatur, vel potius primum, ac mediatum, adeout secundus expilicet actum, tanquam simplex mandatarius, seu organum, vel instrumentum.

20 Distinguitur enim, quod, aut facultas necessaria ast, atque ad personas certas, vel etiam incertas de certo genere restricta, & tunc importet simplex mandatum, seu executoriam, adeout ille, in quem fit dispositio, directe, ac immediatè obtinere dicatur a mandante, per aacquentis, vel nominantis organum, aut vero id repositum est in libera facultate ipsius facultatarii, absqua aliqua restrictione ad personas, vel usus, seu opera, adeout libere in quascumque personas, vel opera pro libito disponere valeat, & tunc ille, in quem fit dispositio, agnoscat in solum auctorem ipsum immediatum disponentem, de cujus bonis, ac substantia dispositio fieri dicatur, cum tali casu concessio facultatis disponendi de bonis, ipsorum bonorum donationem importet.

21 Hæc autem vara, & recepta theorica bene ad rem applicabilis remanebat, cum dicta facultatis concessio nullam contineret necessitatem, nullamque restrictionem, ideoque in puncto juris videbatur, quod in hac posteriori parte potius versaremur, & consequenter quod intrarent termini perfectæ, ac irrevocabilis donationis, non autem concessionis mandati, seu executoriæ, ideoque videbatur quod casus præcisus esset, ut ita donator duos bonorum suorum donatarios constituere voluerit, unum scilicet universalem, ac purum, hæredis loco succedentem (qualis est Ecclesia rea conventa) alterum vero particularem in certa summa, sub conditione resolutiva expressæ dispositionis, qua non facta, donatio resolveretur, istaque bonorum rata, ad suum primævam causam, vel unitatem rediret, sive quod ita, alter condonatarius censeretur substitutus ad solam exclusionem transmissionis ad alterius donatarii expresse non disponentis hæredem.

S U M M A R I U M.

1 *De revocatione mandati.*
2 *An onus remitti valeat in præjudicium tertii?*

ANNOT. AD DISC. XXXVI.

1 Circa ea quæ concernunt materiam revocationis mandati, conferunt deducta *sub tit. de Tutor. & Curator. disc.* 20. ubi agitur de quæstione, an concessio administrationis importaret mandatum, quandocumque revocabile, vel potius irrevocabilem contractum locationis, & conductionis operarum.

2 An onus adjectum primo donatario ad favorem Tertii, possit in istius præjudicium a donante remitti, quodque per stipulationem Notarii Tertio acquiratur, Vid. *disc.* 81. *de Servit.* & *disc.* 55. *de credito*, *sub titulo de fideicommissis*, *disc.* 137. & *seq.* & *sub tit. de jurepatron. disc.* 16. & *seqq.* & conferunt deducta *hoc tit. de donat. disc.* 65.

BONON. DONATIONIS
PRO HIERONYMO DE BRITIIS
CUM VIRGINIA CHIOCCA.

Responsum ad causam, cum consilio pro veritate.

An donatio, seu promissio collata post mortem donatoris importet ab initio perfectam, & irrevocabilem donationem inter vivos, dilata executione, vel potius donationem causa mortis, præsertim ubi promissio sit inter conjuges occasione matrimonii in augmentum dotis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Donatio continens mentionem mortis dicitur in dubio causa mortis.*
3 *In specie illa inter conjuges, ut superstes habeat bona præmorientis.*
4 *Pactum de futura successione invalidum est, vel revocabile, & num.* 11.
5 *Revocatio resultat ab inimicitiis, & divortio.*
6 *Promissio dotis post tempus soluti matrimonii est invalida.*
7 *Quomodo debeant se gerere Advocati, & Consultores.*
8 *De donatione in augmentum dotis, quando importet veram dotem, vel donationem.*
9 *Declaratur conclusio, de qua n.* 6. & *quod augmentum dotis congruat differri in tempus mortis viri.*
10 *De conclusionibus, de quibus n.* 2. & 3. *ut non applicentur ad casum.*
11 *De materia conclusionis, de qua n.* 4.

D I S C. XXXVII.

In instrumento dotali super matrimonio contrahendo inter Franciscum de Desideriis, & Virginiam Chioccam., post dotis constitutionem, ac restituendi obligationem respective, Franciscus, sub assertiva, quod cupiabat sponsæ dotem augere, promisit, ut ipso præmoriente absque communibus liberis, Virginia superstes pro toto tempore vitæ (quamvis etiam ad secundas nuptias convolaret) ejus bonorum usufructuaria esse deberet, cumque ob dissidia inter conjuges, ad thori separationem cum Superioris legitima auctoritate, ac dotis restitutione deventum esset, atque Franciscus facta ejus bonorum donationa Britio, cum onere illi suppeditandi alimenta ad vitam, nec non uxori, quatenus ad cohabitandum rediret, ac dotes communicares, dicta separatione continuante obiisset, hinc Virginia prætendendo factum esse locum dictæ donationi usufructus ad ejus favorem, introduxit judicium in partibus, unde ea parte donatarii rei conventi ad scribendum ad causæ opportunitatem requisitus fui. 1

Quare ita scribendo ad causam, seu clientia opportunitatem more Advocati, duo deducebam fundamenta, primo scilicet, quod cum promissio facta esset in tempus mortis, ita regulariter (non constito de contrario) censenda potius esset donatio causa mortis, quam inter vivos, adeout non simplex executio, sed substantia donationis in illud tempus collata esset, ad text. *in l. scio*, *ff. de dote prælegata*, *cum concord.* per Barbos. *in l. qua dotis*, *n.* 94. *ff. solut. matrim.* Clar. §. *donatio*, *q.* 4. *num.* 4. Menoch. *lib.* 3. *præsump.* 35. *lib.* 1. cum aliis *disc. seq.* Et magis in specie conventionis inter conjuges, ut superstes alterius præmorientis bona habere debeat donec vixerit, ut importat potius donationem causa mortis, ex auctoritate Lopez, & Guttierez, ac aliorum firmat Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disput.* 10. *n.* 3. 2 3

Et secundo, quod cum ista promissio concepta non esset per viam donationis, sed per speciem successionis post mortem, ita continere diceretur pactum de futura successione, quod etiam ubi accedat juramentum, vel favor matrimonii, ex quibus evitetur nullitas ipso jure, adhuc intret revocabilitas, juxta distinctionem Bart. *cons.* 112. *lib.* 1. *cum concord.* apud Cyriac. *contr.* 88. *n.* 5. & *seq.* & apud Rojas *dec.* 282. 317. & 455. 4

Posita autem facultate revocandi, intrabat implicita re-
5 vocatio resultans ex inimicitiis, & subsequuta thori separatione, ad text. *in l. cum hic status*, §. *si divortium*, *ff. de donat. inter. vir*, *& uxor.* & post antiquiores ab eis relatis Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 37. *num.* 17. Sanch. *de matrim. lib.* 6. *disput.* 15. *n.* 10. *&* 13. ubi *n.* 15. *in fine* ex Lopez advertit id procedere, quamvis inimicitiæ ex facto, seu culpa ipsius viri prodierint, quoniam ad regulandum animum, spectatur effectus inde sequutus, non autem causa productiva, ac etiam ob subsequutam donationem alteri factam pleno jure, cum expressa declaratione animi, eatenus obligandi donatarium, quatenus sequeretur reconciliatio.

6 Neque obstare dicebam, quod dicta promissio facta esset ex causa augmenti dotis, quoniam cum dos nomen, ac essentiam recipiat a matrimonio, sine quo non datur, ut in sua materia *sub tit. de dote*, hinc proinde promissio dotis in tempus soluti matrimonii invalida est, ad text. *in l. Julianus*, *ff. de jure dot. cum concordan.* collectis per Cyriac. *d. controv.* 83. *num.* 2.

7 Reflectendo autem ad veritatem, magnam sentiebam difficultatem contra donatarium requirentem meam operam, ideoque pro stylo (Dei gratia nunquam violato, multum quidem ac assidue peccando in intellectu in hoc munere, nunquam vero in volontate) id libere insinuavi, consulendo, ut curaret eo meliori quo posset modo, se concordare, ut credo sequutum esse.

8 Dubitandi autem ratio in eo residebat, quod ageretur de conventione correspectiva ad matrimonium, ac dotis constitutionem, quæ propterea dicitur pars contractus matrimonialis, ac dotis, ejusque augmentum potius quam donatio, juxta distinctionem, quæ inter augmentum voluntarium constante matrimonio, ac istud in ipso actu contrahendi habetur *sub tit. de dote disc.* 165. & pluries *supra hoc eodem titulo*, unde propterea perfecte mulieri jus ab initio quæsitum fuit, absque necessitate recurrendi ad quæstionem examinatam *in Albanen. dotis coram Merlino*, inter suas *decis.* 80. *& repet.* post Zacch. *de oblig. Cameral. decis.* 245. pluries in præcedentibus insinuatam, & in qua pro consueto moderno pragmatico stylo, unice se fundabant Scribentes pro dicta muliere, cum vere non essemus in terminis puræ donationis.

9 Neque obstare videbatur conclusio proxime insinuata de invalida constitutione dotis post dissolutum matrimonium, quoniam id procedit, quando substantia donationis in dictum tempus confertur, adeout interim mulier indotata esse debeat, secus autem ubi constituitur augmentum effectum sortiturum post mortem viri pro pinguiori mulieris provisione, vel pro aliis nuptiis digne contrahendis, vel ut in statu viduitatis congruentius pro ipsius defuncti viri memoria se sustentare valeat, juxta ea, quæ in hoc proposito habentur *sub tit. de dote disc.* 27. Ideo enim effectus hujus augmenti post mortem viri differtur, quia illud est tempus, in quo mulier hac provisione indiget, cum ipso viro vivente, utpote ab eo provisa, hoc non indigeat, *ut d. disc.* 27. *de dote*.

10 Hinc proinde advertebam, non subsistere primum fundamentum, quod hæc dici posset donatio causa mortis, cujus substantia in tempus mortis collata esset, dum vere illi termini non intrabant, minusque alii, de quibus agunt Sanchez, & alii Hispani, per eum relati, agentes de conventionibus reciprocis, ibi usitatis per quandam speciem hæreditamenti, ac juxta terminos, de quibus in secundo fundamento pacti super successione ad materiam text. *in l. pactum quod dotali*, C. *de pact.*

11 Et nihilominus in his terminis advertebam, quod aliqua difficultas caderet, ubi ageretur de quota hæreditatis, in quibus terminis loquuntur dictæ decisiones, de quarum etiam subsistentia nimium dubitari potest, ex deductis *sub tit. de renunc. & sub altero de hæreditate*, *& sub tit. de fideic. disc.* 141. Sed ubi agitur de re certa, tunc nulla cadit dubitatio, ut *locis citatis*, & hic erat casus, dum agebatur de usufructu, qui rem certam sine dubio importat.

ANNOT. AD DISC. XXXVII. & seqq.

QUando donatio dicatur inter vivos, vel causa mortis, & quomodo ab altera distinguatur, videantur deducta *hoc tit. disc.* 68. ubi in specie tangitur articulus, de quo *in præsent. dec.* 37. an scilicet donatio facta per iturum ad bellum, censenda sit inter vivos, vel causa mortis.

Et juxta præmissa in isto casu præciso decisum fuit postea per Rot. contra donatarium, ut patet *ex dec.* 166. *&* 189. *par.* 14. *rec.*

Mentio autem mortis quando respicere dicatur substantiam, vel potius exequutionem dispositionis, notatum fuit supra *disc.* 8. *&* 9.

ROMANA DONATIONIS DE VIDMAN
PRO HÆREDIBUS COMITIS VIDMAN
CUM FRANCISCO TOPHANO.

Responsum pro veritate.

An donatio inita sub commemoratione mortis, præsertim per militem, seu accessurum ad bellum, dicatur inter vivos, vel causa mortis, & quomodo una ab altera distinguatur?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Regulariter mentio mortis facit donationem causa mortis.*
3 *Et an aliud requisitum desideretur?*
4 *Quando mors dicatur percutere substantiam, vel executionem.*
5 *Expenduntur conjectura pro donatione inter vivos, quodque mors stat pro dilatione, seu executione, & primo, ubi est donatio ob merita, quod declaratur.*
6 *Altera conjectura ex clausula omni modo meliori.*
7 *Quid de illa omissi numeri quinque testium.*
8 *Et quid de irrevocabilitate.*
9 *Quæ circumstantiæ requirantur, ut donatione facta sub mentione mortis transeat in donationem inter vivos.*
10 *Privilegia militaria circa ultimas voluntates quando procedant.*
11 *De Statuto Ferrarien. circa donationes.*
12 *Insinuatio non requiritur in donatione annua præstationis ad vitam.*
13 *In conjecturalibus, & arbitrariis certum judicium dari non potest.*

D I S C. XXXVIII.

COMES DAVID VIDMAN, cum Ferrariæ moraretur militando pro servitio Sedis Apostolicæ in bello, quod hæc sustinebat cum aliquibus finitimis Principibus, de anno 1643. per apocham privatam voluit, ac disposuit, obligatos esse debere ejus hæredes ad præstandum Francisco Tophano ejus vita durante annua scuta 200. monetæ, declarando illam esse ejus ultimam voluntatem irrevocabilem, unde sequuta morte dicti Comitis de anno 1659. condito testamento, in quo scriptis hæredibus nepotibus ex fratre, declaravit revocare quascumque præcedentes dispositiones revocabiles, orta est controversia cum dicto Tophano vivente, an dicta donatio esset revocabilis necne, ut proinde sub dicta generali revocatione caderet, atque pro veritate ex parte dd. Hæredum consultus, priusquam lis assumeretur, respondi, ut sequitur. 1

Regula est, quod ubi in donatione fit mentio mortis, illa censeatur potius causa mortis, quam inter vivos, juxta text. litteralem *in l. Seja*, *ff. de dote prælegata*, *glos. in l. quæ dotis*, *ff. solut. matrim. ubi communiter Scribentes*, de quibus Barbos. *ibid. n.* 49. Clar. §. *donatio*, *q.* 4. *n.* 4. Crass. *de success.* §. *donatio causa mortis*, *q.* 10. *n.* 2. Mantic. *de conject. lib.* 1. *tit.* 13. *n.* 4. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 35. *n.* 1. Fontanell. *de pact. claus.* 4. *glos.* 3. *n.* 1. Franch. *dec.* 436. *n.* 2. Burat. *dec.* 581. *n.* 1. *& cæteri communiter*. 2

Et licet aliqui, non simplici mortis mentione contententur, sed etiam desiderent, ut in illius tempus donatio collata sit, ut per Clar. *d. q.* 4. *in fine*, cum quo pertransseunt Mantic. & Menoch. *locis citatis*, quod acriter impugnat Barbos. *ubi supra*, attamen quicquid sit de hoc articulo, opus non erat ejus disputationem assumere, dum quæstio cessabat ex facto, in quo utrumque concurrebat, mentio scilicet mortis, atque in illa donatio collata erat, dirigendo obligationem ad hæredes, & fortius dum facta erat donatio per militem actu militantem, quando mortis cogitatio magis proxime habetur, ut *in Eugubina hoc tit.* 3

Quæstio enim est inter DD. an simplex mentio mortis sufficiat ad faciendam talem donationem, vel etiam requiratur illius cogitatio, quæ sit ipsius donationis causa, vel occasio, quia nempe donans esset infirmus, sive iturus ad bellum, vel ultra mare, quando id est incertum, ut hinc inde bene agit Franch. *d. dec.* 436. *n.* 2. *&* 3. unde quicquid esset de unius, vel alterius opinionis veritate, de quo *in d. Eugubina*,

cessa-

cessabat omnis quæstio ex dicta circumstantia, quod donatio facta est occasione belli actualis.

4 Verum quia regula hæc procedit, ubi substantia donationis collata est in tempus mortis, secus autem, ubi mors graria dilationis, seu executionis adjecta est juxta communem omnium distinctionem; hinc proinde nodosa quæstio intrat in proposito super hac facti circumstantia dijudicanda, quando scilicet mors dicatur, substantiam, vel simplicem dilationem percutere: illa vero communi omnium voto deciditur ex conjecturis, ac præsumptionibus, quibus cessantibus potius substantiam percutere dicatur, ut plene Barb. *in d. l. qua dotis*, *n.* 109. *cum seq.* Mantic. & Menoch. *loc. cit.* Magon. *decis. Lucens.* 87. *n.* 2. Galeot. *lib.* 2. *contr.* 11. *n.* 4. *& seq.* Franch. *ubi supra*, *& cæteri*, itaut quæstio sit potius facti, & voluntatis, quam juris, an scilicet tales concurrant conjecturæ, quæ mortis mentionem ad solam dilationem trahant, ideoque donationem inter vivos potius suadeant quam causa mortis.

5 Plures autem conjecturæ concurrere videbantur pro donatione inter vivos. Quarum prima resultat ex eo, quod narrantur merita obligatoria, ut in specie post alios firmant Magon. *dec. Lucen.* 84. *n.* 4. *cum duob. seq.* Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 35. *n.* 13. Mantic. *de conjectur. lib.* 1. *tit.* 13. *n.* 14. Verum valde levis est ista conjectura, quoniam etiam donationes causa mortis propter gratitudinem, & ex motivo alicujus antidoralis obligationis fieri solent, ut bene observat Mant. *loco supra cit.* Maxime quia merita non fuut deducta ad aliquam speciem, sed per verba nimis vaga, & generalia expressa fuerunt, ut distinguendo inter merita deducta ad speciem, quamvis non probata, & illa sic generaliter enunciata, late firmatur *in Sarsinaten. feudi coram Dunozetto, dec.* 748. *&* 760. *ubi concordantes*, ideoque ista conjectura, vel nullius, vel satis levis ponderis esse videtur.

Secunda conjectura deduci poterat ex illis verbis, *nella più ampla forma*, *che mai possa*, quasi quod importet clau- 6 sulam, *omni modo meliori*, per quam donatio interpretatur potius inter vivos quam causa mortis, ut *dec.* 366. *cum seq. par.* 1. *divers.* Menoch. *d. præsumpt.* 35. *n.* 14. Verum ista etiam conjectura non multi facienda videbatur, quoniam verba obligatoria non erant directa in ipsum donatorem, sed in ejus hæredes, qui pariformiter tam ex donatione inter vivos, quam ex ista causa mortis obligati remanent, quinimmo præsupposita morte donatoris, magis expedire videtur donatario, ut sit donatio causa mortis, quoniam ita tutus redditur a quacumque nullitate, quæ ex defectu insinuationis, vel solemnitatum prætendi posset, atque; ut cumque sit, negari non potest esse conjecturam valde æquivocam.

Tertia oriebatur conjectura ex omisso interventu quinque testium in donationibus causa mortis adhibendorum, quia, ne dicatur donatorem facere voluisse actum prorsus inutilem, intelligitur facta inter vivos, Mantic. *d. tit.* 13. *n.* 15. Menoch. *d. præsumpt.* 35. *n.* 5. Cyriac. *controv.* 314. *n.* 14. Rot. *decis.* 9. *n.* 15. *& seqq. par.* 7. *rec.* alias apud Merlin. *decis.* 664.

Ista conjectura est alicujus ponderis, ubi concurrunt aliæ 7 tam considerabiles conjecturæ, quæm verba, aliæque circumstantiæ, ex quibus probabiliter deduci valeat, ut potius inter vivos, quam causa mortis disponens donare voluerit, alias enim si verba, vel potentiores conjecturæ contrarium suadeant, illa remanet nullius ponderis, quoniam de vento essent leges præscribentes numerum quinque testium sub pœna nullitatis actus, si tali numero deficiente, ille resolvendus esset in donationem inter vivos, ut bene observat Barbos. *d. l. qua dotis*, *n.* 107. ex Angel. *cons.* 254. cui cæteri subscribunt, ideoque id præbet aliquod adminiculum, quod in casu satis dubio junctum cum aliis videtur alicujus operationis, sed per se non videtur multum considerabile, maxime quia neque duos testes in donationibus inter vivos adhiberi solitos donator adhibuit, ac etiam quia licet existens in Civitate tanquam accinctus ad quotidianum belli conflictum, credere potuit, quod more militari absque testium interventu etiam per ultimam voluntatem disponere posset, ad text. *in l. Marcellus*, *ff. de mortis causa donat.* licet sit falsa opinatio, ut *disc.* 28. *de testam.*

Quarta accedit omnibus aliis fortior conjectura, (& quæ meo judicio majorem in hoc negotio inferebat difficultatem) resultans ab irrevocabilitate dispositionis in illis verbis, *Che questa è la mia ultima volontà irrevocabile*; cum enim irrevocabilitas repugnet naturæ, ac substantiæ donationis causa mortis, ita dicitur transire in donationem inter vivos juxta text. expressum *in l. ubi ita donatur*, *ff. de donat. caus. mortis*, per quem post antiquiores ita plene firmant Menoch. *d. præsumpt.* 35. *n.* 21. *cum seqq.* Rota *d. dec.* 9. *n.* 9. *cum seq. p.* 7. *rec.* alias *dec.* 664. apud Merlin.

Super ista limitatione, ac intellectu dicti text. *in l. ubi ita donatur*, satis certant Doctores, ut est præsertim videre apud Barbos. *loco citato*, qui ex professo materiam discutit, ali- 8 qui enim distinguunt inter promissionem de non revocando adjectam in dispositivis, vel exequutivis, quasi quod primo casu operetur transitum ad diversam naturam, secus autem in secundo, verum in casu, de quo agitur, non videbatur super hac distinctione immorandum ob defectum applicationis, dum apocha non continebat hujusmodi diversas partes, alii vero credunt, tunc demum irrevocabilitatem operari, quando incerta est donantis voluntas, an uno, vel alio modo donare voluerit, secus autem ubi, vel ex verbis expressis, vel ex aliis circumstantiis certa reddatur voluntas donandi causa mortis, quoniam tunc pactum de non revocando, tanquam naturæ actus contrarium, remanet potius vitiatum ex ratione text. *in l. cum precario*, *ff. de precario*, quod docte, ac omnium plenius discurrit Barbos. *ubi supra n.* 120. *cum seqq. ubi n.* 119. ponderat etiam aliam distinctionem tradi solitam, an scilicet promissio hujusmodi concepta sit per verba universalia, vel potius simplicia, & indefinita.

Longum vero esse dicebam veritatem opinionum examinare, præsertim quia aliorum negotiorum urgentia non concedebat, verum in casu, de quo agitur, Mihi videbatur hujusmodi conjecturam non esse considerabilem, tum quia ex claris demonstrationibus initio deductis constare videtur donantem aliud gerere noluisse, nisi dispositionem causa mortis, dum se non obligavit, sed direxit dispositionem in hæredes, ac expresse illam vocavit ultimam voluntatem, neque concurrebant illæ aliæ circumstantiæ, quæ apud allegatos insimul ponderari solent, præsertim apud Merlin. *dict. dec.* 664. alias 9. *p.* 7. *rec.*

Tum fortius, quia omnes, qui ex hujusmodi promissione deducunt transitum ad contractum inter vivos, loquuntur 9 in terminis pacti, seu alterius conventionis habentis naturam contractus gesti donatario præsente, vel saltem Notario pro eo stipulante, & acceptante, sive ad minus accedente juramento, per quod juxta unam opinionem Deo stipulari dicimur. Hæc autem omnia cessabant in casu, de quo agitur, quoniam irrevocabilitas non adest, nec per viam pacti, nec per viam promissionis, seu alterius conventionis, sed simplicis enunciativæ adjectæ ultimæ voluntati, & quod magis erat donatario absente, ac nemine pro eo stipulante, unde videbamur vere & proprie esse in casu legati, seu alterius ultimæ voluntatis factæ cum expressione irrevocabilitatis, nullatenus attendendæ, ut apud omnes proxime allegatos, atque in defensione causæ magis distincte deduci posse advertebam. Est bene verum, quod cum agatur de materia conjecturali, certum ac omnino tutum judicium dari non potest, cum ob intellectuum varietatem, in conjecturalibus quotidie decisiones diversimode emanare soleant; in hac etenim conjecturali materia recte intrat vulgare dictum, *quot capita*, *tot sententiæ &c.*

Posita donatione causa mortis, de plano resultat ejus in- 10 subsistentia, tum ex defectu numeri testium, nil obstante privilegio militari, quod solum procedit, dum milites sunt in Castris, & in acie belli, ex plene deductis per Merlin, *dec.* 862. *& in Romana testamenti* 22. *Martii* 1656. *coram Cerro*, *dec.* 150. *par.* 12. *rec.* de qua *d. disc.* 28. *de testam.* ideoque non habent locum in gestis in Civitate, tum etiam quia per subsequens testamentum potuit revocari.

Sed quando dici posset donatio inter vivos, adhuc ejus insubsistentiam probabiliter prætendi posse dicebam ob non servatam formam Statuti Civitatis Ferrariæ, ubi donatio 11 facta fuit, *lib.* 12. *tit.* 70. *& ultimo de donationibus &c.* ubi clare disponitur, quod donatarius teneatur infra tres dies insinuare donationem excedentem valorem centum librarum Judici, sub pœna omnimodæ nullitatis, de quo Statuto loquitur in specie Riminald. jun. *cons.* 811. *n.* 30. *cum seq. & per tot.* Est bene verum, quod loquitur de donatione facta donatario præsenti, unde excusabilis videtur donatarius absens, donec scientiam habuerit, ex quo tamen tempore videtur Statuto subjectus, unde intrare videtur dilemma; aut donatarius scivit, & acceptavit, & intrat Statutum, quia in termino præfixo denunciationem non fecit; aut ignoravit, & recte potuit revocari.

Et licet motivari posset, quod Statutum Ferrariæ non liget donantem, & donatarium tanquam forenses, replicabam tamen, quod cum agatur de forma, seu solemnitate requisita in contractu, qui celebratur in loco, attendendus est locus celebrati contractus, quamvis inter forenses, Rot. *dec.* 355. *n.* 25.

n. 25. par. 5. rec. cum aliis *sub tit. de contractibus*, *& sub tit. de dote*, *disc.* 143.

52 Super defectu autem insinuationis requisitæ de jure communi dixi fieri non posse fundamentum, cum agatur de donatione annuæ præstationis, juxta text. *expressum in l. sancimus*, *C. de donat.* Nil obstante limitatione, ut non procedat, quoties fit mentio hæredum, quoniam procedit, ubi agatur de hæredibus donatarii, per quam donatio non remanet vitalitia, sed efficitur perpetua, secus autem ubi mentio fit solum de hæredibus donatoris, quia sufficit donationem terminare cum vita donatarii, ex deductis per Grat. *discept.* 355.

Ex his igitur dixi sustentabilem videri dictæ donationis insubsistentiam, verum quia materia est conjecturalis, & consequenter Judici arbitraria, dixi hinc proinde omnino certum, ac maturum judicium desuper efformari non posse super causæ exitu, ac propterea, quando honestæ concordiæ occasio se offerret, illam laudavi.

Edito hoc responso forsan expetito occasione tractatus
53 concordiæ, qui desuper habebatur, relatum est quod illo effectum non sortiente litigatum fuerit, incertum vero remanet, quem finem causa habuerit, cum Ego a neutra Partium ad scribendum requisitus fuerim, juxta frequentiorem effectum, quem producere solent hujusmodi Responsa pro veritate, ut plurimum studiose petita ab iis, qui jam proprios Defensores habentes, ita cum hoc artificio student privare collitigantem illis Defensoribus, quos timent.

SPOLETANA DONATIONIS, PRO ALEXANDRO ANGELUCCIO, CUM N.

Casus disputatus coram A. C. pro Alexandro resolutus.

De donatione causa mortix facta per filiumfamilias de consensu patris ad favorem ejusdem, an sustineatur, itaut pater sibi ipsi auctorari potuerit?

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *In donationibus, & actibus inter vivos gestis per filiumfamilias, an præsentia & consensus sit pro interesse, vel solemnitate?*
3 *Quid in donatione causa mortis, an possit pater sibi consensum præstare?*
4 *De differentia inter jus antiquum, & novum circa peculia, & bona filiorumfamilias.*
5 *Enumerantur doctrinæ, ut consensus sit pro interesse.*
6 *An sit considerabilis fraus viri in donatione facta per filiumfamilias de consensu patris?*

DISC. XXXIX.

1 MOriens Alexandri filia, quamplura bona adventitia ex successione matris, aliorumque conjunctorum possidens, cum consensu patris, de dictis bonis, per viam donationis causa mortis disposuit ad favorem unicæ filiæ superstitis, cui morienti substituit eundem patrem, quod ægre ferens ejus vir, cui alias in casu invalidæ donationis ob intestatam dictæ filiæ superstitis jam defunctæ successionem, bona debita essent, judicium instituit contra dictum Alexandrum super dictæ dispositionis invaliditate, assumptaque desuper disputatione coram A. C. cum de jure non dubitaretur, filiumfamilias licet testari prohibitum, posse tamen de consensu, ac auctoritate patris donare causa mortis, hinc restricta fuit difficultas ad punctum, an pater possit in hoc sibi ipsi auctorari, quod pendet ab alio puncto, an paternus consensus a lege requiratur ad integrandam personam filii, & sic pro solemnitate, vel potius pro solo ejusdem patris interesse.

Ista quæstio, cum adolescens addiscerem praxim Sacri Consilii, aliorumque Tribunalium Neapolis, celeberrima erat
2 in ea Civitate, occasione interpretandi *Regiam pragmat. primam ad S. C. Macedon.* atque super laboribus pro utraque opinione per plures Advocatos, & practicantes editis Merlinus composuit *penultimam*, *& finalem controversias*, *lib.* 2. ubi de hoc principaliter agitur in ordine ad actos inter vivos, in quibus de jure communi filiusfamilias non est inhabilitatus, ideoque probabilior opinio est, ut leges municipales patris consensum desiderantes percutiant solum istius interesse, istamque opinionem sequitur etiam Rota, & Curia Romana, & quatenus etiam esset pro quadam specie habilitationis, atque ad consulendum fraudibus, quibus filiifamilias subjacent, aliisque rationibus a *S. C. Macedon.* consideratis, adhuc tamen receptum est, ut prohibitum non sit consensum præstari ad beneficium, vel in causam ipsius patris, vel quod præcedere, aut subsequi valeat, ut etiam habetur sæpius *sub tit. de alienat. & contractibus*, ac etiam in *Romana legitima de Assis*, *sub tit. de legitima*, *& detractionibus*.

Difficultas autem est in donationibus causa mortis, quæ licet in fieri speciem habeant contractus, attamen in facto esse, ultimæ voluntatis potius speciem redolent, dum 3
in ultimis voluntatibus, de jure communi generaliter filiusfamilias inhabilitatus est, unde propterea videtur patris consensus pro habilitatione potius requisitus, ideoque pro solemnitate, quæ non potest prodesse auctorizanti, ac intervenire debet in ipso actu per Merlin. *d. contr.* 99. n. 22. ubi cæteri.

Verum, (cum sensu etiam veritatis) inspectis, tam auctoritatibus, quam rationibus, in his quoque donationibus causa mortis, verius omnino dicebam, prohibitum non esse patri, donationi ad sui favorem consensum præstare, seu eam absque illo factam per subsequentem ratihabitionem, re integra, & donatore vivente revalidare.

Rationibus etenim, quia cum jus patriæ potestatis inductum sit favore patris, qui potest illud solvere per emancipationem, hinc non debet hoc in ejusdem odium retorqueri, iniquum enim esset, ac naturali rationi contrarium, ut deterior esse debeat conditio patris, quam cujuslibet extranei, quodque posset pater validare actum favore tertii, ipse vero ad acquirendum esset inhabilitatus.

Item quia, licet donatio causa mortis in facto esse dicatur ultima voluntas quoad plures effectus, attamen vere & realiter in fieri est contractus, qualis ad hunc effectum potius reputandus est, nam alias sicuti de consensu patris donare potest, ita etiam posset legare, & tamen hoc est expresse prohibitum, per text. *in l.* 3. *ff. de legat.* 1. Igitur pernecesse in ratione contractus iste actus capiendus est, quoniam alias esset dare inconveniens; quod ultima voluntas penderet ab alieno arbitrio, quod adversatur principiis.

Probatur quoque idem auctoritate text. *in l.* 5. *C. de imponenda lucrativa descript. lib.* 10. ubi supponitur donatio per filios parentibus, quem textum ad hoc communiter expendunt DD. de quibus infra, divinativum reputantes intellectum glos. ut intelligendus veniat de filiis emancipatis, atque textus *in l. fin.* §. *filiis autem*, *Cod. de bonis quæ liberis*, *& in* §. 1. *auth. ut liceat matri*, *& aviæ*, clare disponunt, ut de iis bonis, quorum usufructus, ex legis, vel testatoris judicio patri non quæritur, liberum sit filiofamilias quoquomodo sine patre disponere, eo quia cessat ejus interesse; ergo istius ratione lex ejus consensum exigit, quod in dubio præsumendum est, juxta distinctionem Bart. & Aret. *in l. si quis Mihi bona*, §. *jussum*, *ff. de acquir. hæred.* canonizatam per Rotam *dec.* 241. *n.* 7. post Zacch. *de oblig. Camer.* quod scilicet ubi lex requirit consensum alicujus, qui in actu nullum habere potest interesse, tunc dicatur requisitus tanquam auctoritas, seu solemnitas, e converso autem potius pro interesse.

Opinio autem Covarr. & Clar. ac aliorum, quam bene expendit præsertim Polidor. Ripa *infra allegan.* tota fundatur in textu *in l. filiusfamilias*, §. *finali*, *ff. de donat.* Verum hoc videtur æquivocum clarum ex duplici fundamento, quorum unum est alterius consequutivum; primo scilicet, quod ibi textus præsupponis filiumfamilias æqualiter prohibitum esse donare inter vivos, & causa mortis, ibi, *pari autem ratione, qua donare filiusfamilias prohibetur, ita & mortis causa &c.* Ergo nulla differentia est inter unum casum & alterum, licet enim idem textus in fine subjungat, quod dispensatio ad donandum, censeatur inter vivos, & non causa mortis, attamen glos. quæ ibi bene solvit, intelligit de dispensatione data ab homine, non autem a lege, atque receptam habemus in facultate disponendi inter vivos, ut non sit extendenda ad dispositionem per ultimam voluntatem, uti in sua materia.

Secundo corollarie, quoniam jus *Digestorum* non agnovit peculiorum distinctionem inductam per jus novissimum 4
Codicis & Authenticorum, unde propterea quicquid filius acquirebat, patri acquirebatur, ideo non mirum, si patris consensus requirebatur, tanquam forma, quoniam in effectu ipse erat, qui donabat de bonis suis, non autem filius, atque donatarius a patre potius acquirere dicebatur considerata persona filii tanquam per nudum organum, seu instrumentum, ideoque consensus paternus erat ille, qui animabat,

bat, seu substantiabat actum, ex deductis *sub tit. de dote, disc. 33.*

Cum autem per jus novissimum inducta sit peculiorum distinctio, atque in filiosfamilias detur dominium, cum libera facultate disponendi, tunc ubi cessante usufructu, qui patri debetur, cessare dicatur ejus interesse, nulla videtur subesse ratio dubitandi, quoniam cum lex sit generalis, generaliter intelligenda est, exceptis casibus, qui juxta ejusdem novissimi juris sensum ita potius per DD. intellectum reperiuntur exceptuati, qualis est ille per eam dispositionis speciem, quæ tam in fieri, quam in facto esse, est ultima voluntas, non permittenda filiisfamilias; etiamsi patris voluntas, vel consensus accedat, ex ea ratione, quod id dicitur esse illius publici juris, cujus filiusfamilias omnino incapax est, neque ultima voluntas ab aliena voluntate pendere debet.

Eo etiam ponderato, quod merito attento Jure *Digestorum* dari non poterat casus, ut pater sibi ipsi auctoraretur, ratione scilicet incompatibilitatis, & ne daretur actio, & passio in eodem subjecto, quoniam ita esset donans, & donatarius, cum cessante distinctione peculiorum, dominium bonorum penes ipsum patrem resideret, unde propterea dicto jure attento, filio moriente, non debatur ejus successio, vel hæreditas, sed totum pater occupabat jure peculii, contrarium vero hodie attento jure novissimo in prædictis est verius, quoniam in peculio adventitio, vel etiam profectitio improprio, pater non venit, nisi jure hæreditario cum aliis æquale jus intestatæ successionis habentibus, ut in sua materia *sub tit. de successionibus.*

Ex quibus, & aliis fundamentis, ita in terminis donationis factæ ad favorem ejusdem patris, vel in terminis non requisiti consensus, ubi cesset interesse, ultra alios ab eisdem allegatos, quos dum hæc scriberem (licet præter stylum, ac genium, quod hunc improbum laborem abhorret) firmant istius causæ occasione, visi Castrens. *in l. senium, num. 6. & 7. C. qui testam.* ubi refert Petr. de Bellapert. & quod ita vidit consultum per antiquos DD. Perusinos, idemque repetit. *in l. qui in potestate, num. 10. ff. de testam.* Jas. *in l. 1. §. fuit quæsitum, num. 3. vers. ad contrar. ff. ad* Trebell. *& in l. nemo ex lege, num. 3. circa finem, vers. retenta communi opinione, Cod. qui testam.* ubi optime resolvit contrarie, & *in l. senium, num. 9. post medium vers. hinc est quod hodie &c.* Angel. *in l. 1. §. fuit quæsitum, num. 1. ff. ad Trebell.* & Alex. *ibidem, num. 7. & 8.* Jo. Andr. *in Addit. ad Specul. de instrum. edit. §. 14. incipiente porro in prima addit. versic. adde quod pater* Guglielm. de Benedict. *in cap. Raynutius verb. matrem insuper, num. 46.* Ripa *in l. 1. §. fuit quæsitum, num. 2. & 3. ad Trebell.* Bart. *in auth. ut lex matr. & avi in princ. num. 7. versic. sed quæro,* Oltrad. *cons.* 26. Roman. *cons.* 315. Bald. *cons. 63. num. 3. volum. 4.* ubi quod in puncto juris indistincte est verior opinio Petri de Bellepert. Angel. *cons. 143. num. 1.* Cepoll. *cons. civil. 58. n. 21. volum.* 1. Cephal. *cons.* 531. ubi plene contraria resolvit, *addon.* ad Alexan. *cons. 106. litt. A. lib.* 1. Epitom. ad Decium *cons. 245. alias 144.* Tusch. *tom. 1. concl. 565. nu. 30.* Vasq. *de success. resol. lib. 2. §. 12. n. 16.* ubi optime Fachineus *lib. 5. controv. jur. cap. 24. 25. & 26.* Cevell. *commun. contra comm. tom. 3. c. 795.* Polidor. Rip. *singul. observ.* 104. & 105. qui respondet Clar. Covarr. & aliis in contrarium sentientibus, Franch. *dec. 4. nu. 17.* Thesaur. *dec. 150. n. 15. & 16.*

Et his addi possunt cæteri relati per Merlin. *d. controv. 99. num.* 29. Idque adeo per modernos verum habetur, ut contenti sint ad hunc effectum illo solo implicito consensu, qui resultet ex præsumpta donatione, quam pater dicitur facere propriæ filiæ de dote sibi constituta cum stipulatione eidem filiæ reddi, qui est casus longe fortior ex iis, quæ deducta habentur *sub tit. de dote disc. 32. & 33.* ubi etiam de ista quæstione.

Scribentes in contrarium magnum fundamentum con-
5 stituebant in auctoritate Dec. *cons.* 295. & 279. & Covarr. & Clar. ac aliis, de quibus apud Merlin. Thesaur. Cevall. & Polidor. Rip. *ubi supra*, verum facilis erat responsio, quod scilicet eorum opinio est minus vera, utpote fundata in dicto minus vero præsupposito, quod paternus consensus requisitus esset pro solemnitate, seu ad integrandum.

Instabant etiam super fraude, cum quæ dicta donatio facta dicebatur, ad excludendum scilicet mulieris virum, ac respective filiæ superstitis patrem ab intestata istius successione, verum satis leve fundamentum erat, quoniam si ul-
6 tra legitimam, poterat mater, privando filiam, donare inter vivos, vel de consensu patris causa mortis ejus bona extraneo, non videbatur, quid prohiberet ea relinquere eidem filiæ, quatenus viveret, sin minus ejus patri. Ideoq; humanæ rationi oppositum esse dicebam, ut licitum esse deberet mulieri virum sibi parum gratum, ac forte male meritum excludere, quodque non posset ad favorem patris facere eam dispositionem, quam posset ad favorem cujuscumque extranei, atque secundum præmissa per A.C. judicatum fuit pro patre, & quidem juste, ut fundate.

FOROSEMPRONIEN. FIDEICOMMISSI, PRO THOMA TANERA, CUM N.

Casus disputatus coram Prælato Judice commissario, & resolutus ut infra.

De donatione inter patrem, & filium, an inducta censeatur ex eo, quod pater, aliquid acquirendo, stipuletur pro filiis, & quatenus illa inducta censeatur, an sit revocabilis, bonaque ita quæsita cadant sub ejus fideicommisso, vel alia dispositione?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *De distinctione, an, & quando bona data, vel assignata per patrem filiis, cadant sub fideicommisso per ipsum patrem ordinato.*
3 *Non est quærendum an donatio sit valida, & revocabilis ubi incertum est, an adsit ipsa donatio, de qua prius est videndum?*
4 *De distinctione contractuum pro regulanda conclusionem, de qua n. 2.*
5 *Donatio inter patrem, & filium est invalida, & bona non abdicantur a patre.*
6 *Secus accedente juramento, atque in bonis ab ipso patre donatis deterior est ejus conditio, quam in iis, quæ filio donantur ab extraneo.*
7 *Assignatio facta filiis in causam legitimæ est quandocumque revocabilis de jure.*
8 *Quid in hoc operetur juramentum.*
9 *Quando dicta assignatio sit irrevocabilis, & transferat dominium bonorum in filios, & quomodo quæstio decidenda sit.*
10 *De acquisitionibus factis per patrem pro filiis quando censeantur tanquam pro ejus hæredibus, vel jure proprio.*
11 *Excluditur donatio, si acquisitio pro filiis habet etiam aliam causam.*
12 *De donatione implicita sub acquisitione officiorum de aliena pecunia.*
13 *De abusu circa auctoritatem doctrinarum.*
14 *Quomodo decidenda sit quæstio, an pater voluerit perfecte donare filiis necne?*

D I S C. XL.

CUm Alphonsus unus ex filiis N. Taneræ Comen. emisset ab alio negotiatore fundacum, seu tabernam mercium in Civitate Forosempronien. nomine proprio, alio non expresso, sub obligatione faciendi accedere dictum ejus patrem negotiatorem, in patria commorantem, pro 1
solutione pretii conventis temporibus promisse, dictus pater ratificando emptionem, ac se principaliter ad pretii solutionem obligando, declaravit ita stipulari, & acquirere nomine omnium aliorum ejus filiorum, quorum fundacum deberet esse commune, decedens vero eosdem filios instituendo, fideicommissum ad favorem descendentium ordinavit, cumque Thomas testatoris nepos, cujus pater, ac patrui, tam dictum fundacum, quam alia bona distraxerant, seu eorum creditores distrahi fecerant, immissionem ad dictum fundacum in prima instantia obtinuisset, in secunda instantia coram Prælato, cui causa commissa erat, excitata fuit difficultas, an dictum fundacum, utpote filiis inter vivos donatum, caderet necne sub fideicommisso, ac etiam an altra dictam donationem deberetur etiam eisdem filiis legitima, in cujus causam aliæ alienationes caderent, incertumque est quid sequutum sit, credo autem quod prima sententia in parte reformata fuerit, ex eo quod illud fundacum ita pro filiis quæsitum, in toto, vel in parte electum censeretur, ac cedere deberet in causam legitimæ, unde propterea pro rata huic detractioni congrua sustineretur alienatio.

Unicam autem desuper edidi informationem, absque communicatione jurium alterius partis, ac ulteriori discussione, unde propterea maturum judicium super judicato

super

super puncto donationis non de facili efformari potuit, potissime ob dictum alium punctum alectionis, ac respective imputationis in legitimam, de quo agitur in sua materia *sub tit. de legitima, & detractionibus*.

Quatenus argo pertinet ad punctum donationis, dicebatur ax parte Rei convanti, quod ob dictam stipulationem pro filiis in instrumento jurato resultabat valida, & perfecta donatio, & consequenter bona non caderent sub fideicommisso, a converso autem Ego scribens pro Actore jure fideicommissi veniente, dictamque donationem impugnante, dicebam, duas in hoc proposito cadere quæstionas, primo circa substantiam donationis, an scilicet pater acquirendo, vel stipulando pro filiis, ita censeretur eis donare voluisse, vel potius acquirere pro eisdam tanquam ajus hæredibus, & secundo, posito quod axinde implicita donatio resultaret, an ista esset ab initio valida, & perfecta, adeout bona transierint in eorundem filiorum peculium adventitium de pleno, ac perfecto dominio filiorum, vel potius remanerent in terminis peculii profectitii, ac in dominio ipsius patris, & consequenter sub ejus dispositione caderent, juxta distinctionem, de qua (posita donatione, val assigna-
2 tione, itaut non de istius substantia, sed solum de natura, seu validitata sit quæstio) ita distinguendo ad hunc effectum præcisum comprehensionis, vel non comprehensionis sub fideicommisso, plena ac elaborate pro consueto axtensoris stylo deductum habetur per Rotam *in Reggien. bonorum 23. Februarii 1646. & 23. Januarii 1647. coram Corrado*, quarum prima est impressa *dec. 387. part. 9. rec. & repetit.* post Merlin. *de pignor. dec.* 110. ac etiam *dec.* 11. *post controv. Contrii*, in quibus cumulantur omnès de ista quæstiona agentes, præsertim Gratian. *discep.* 82. & ubi cum commendabili quidem, nimiumque fortunato stylo, plures in proposito colligit conclusiones, quas ex plurium causarum positionibus, & Advocatorum hincinde scribentium informationibus, absque tamen proprii ingenii operatione aliqua desumpsit.

Incongruum siquidem dicebam assumere quæstionem, an juramentum quod in isto instrumento continebatur, utpote principaliter emissum super ratificatione contractus emptionis ad favorem venditoris pro solutione pretii, tra-
3 hendum esset ad hanc prætensam implicitam donationem, adeout tollendo juris civilis prohibitionem, eam validam, ac perfectam redderet, dum principalis dubitatio erat circa substantiam, an scilicet pater donare voluerit necne. Non datur enim accidens absque substantia, isteque in meo sensu circa hujusmodi bonorum comprahensionem sub hæreditate, ac dispositione patris, arat punctus, in deficientia scilicat substantiæ donationis potius quam in accidentibus circa perfectionem, vel imperfectionem, seu validitatem, aut invaliditatem donationis.

Ad dignoscendum autem, an iste contractus contineret necne hanc prætensam donationem, dicebam duas haberi species contractuum, quibus mediantibus, filii ax substantia, vel providentia patris bona obtineant; unam scilicet il-
4 lorum, qui principaliter, seu primario fiant directe inter ipsos patrem, & filios, quia nempe pater filiis det, vel assignet aliqua bona, & ad quem finem contractus celebratus sit absque mixtura alterius contractus cum tertio; & alteram ubi principaliter contractus fiat cum tertio, incidenter autem, seu consecutive resultet commodum filiorum, quia nempe pater, acquirendo bona a tertio, stipuletur pro filiis, seu pro eis acquirere dicat, atque in prima specie, distinctio est, an exprimatur necne titulus donationis, vel potius alter titulus simplicis assignationis, vel nullus exprimatur titulus, quia simpliciter pater in vita filiis bona tradat, vel distribuat.

Primo casu, in quo axplicitus habeatur donationis titulus, nisi accedat juramentum, val alia causa, ob quam de jure resultet limitatio regulæ prohibentis donationam inter
5 patrem, & filios, planum est ut bona quamvis axpresse donata, peculii profectitii naturam habeant, ideoque filiis non acquirantur, sed continuent in dominio patris, & consequenter remaneant in ejus hæreditate, ajusque dispositionibus subjecta sint, juxta textus expressos *in l. 1. §. si pater filio, ff. de donat. & l. donationes parentes, C. de donat. inter vir. & uxor.* utrobique Scribentes collecti per Gratian. *d. discep.* 82. Marzaned. *consul.* 25. *n.* 11. *cum seqq.* Rot. *dec.* 234. *nu.* 28. *& seqq. p. 9. rec. & d. dec. 387. eadem par. 9. & frequenter.*

Ubi vero talis donatio juramento munita sit, quamvis apud antiquiores sub quæstione fuerit, attamen scholis, & accademiis solum id hodie congruum remanet, quoniam in Foro receptissimum est, ut per juramentum juris civilis obstaculum cesset, atque ipsa donatione valida, ac perfecta ab initio existente, bona transeant in plenum dominium filio- 6
rum, assumantque naturam peculii adventitii magis quam alia bona, quæ ex aliorum conjunctorum, vel extraneorum donatione, vel successione obveniant, cum in illis pater habeat usumfructum legalem, ubi ajus prohibitio non accedat, quem non obtinet in illis ab ipsomet patre ex valida, & perfecta donationa obvenris, ex deductis apud proxime allegatos, ac etiam *sub tit. de dote, disc.* 32. & alibi, cum sint principia in Foro hodie præsupponenda.

Dicto autem axplicito titulo donationis non concurrente, sed altero simplicis assignationis axplicitæ, vel implicitæ, sive illius distributionis, quam prudentes patres inter filios jam effectos majores facere solent, occurrendo discordiis, quæ eo defuncto super modo dividendi frequenter contingere solent, & tunc quamvis etiam assignatio explicitam haberet causam legitimæ ipsis filiis debitæ, adhuc 7
tamen, ubi cessante juramento cum solis terminis juris civilis procedendum sit, talia bona remanent in terminis peculii profectitii, & consequenter perseverant in dominio patris, dictaque assignatio quandocumque revocabilis est, ax relatis apud Gratian. *d. discept.* 82. Surd. *dec.* 167. *num.* 2. *&* 3. apud Buratt. *dec.* 3. *nu.* 9. & præsupponitur tanquam absolutum *d. dec. 387. par. 9. rec. & in supra dicta ajus confirmatoria 23. Januarii* 1647. Ex quibus patet quæstionem
cadere, quando huic actui accedat juramentum, an scili- 8
cet istud adinstar juramenti, quod adjicitur donationi causa mortis, regulandum veniat a natura actus simplicis divisionis, seu distributionis, ideoque remaneat revocabilis, juxta regularem naturam assignationis, vel distributionis, vel potius transeat in donationem perfectam abdicativam dominii bonorum a patre, ac translativam in filios, dicto effectu resultante a contractu donationis, cum juramentum aliam non facit operationem, nisi tollere obstaculum prohibitionis juris civilis, ideoque non inducit titulum donationis ubi non adsit.

Ista vero dicitur quæstio potius facti quam juris, certam non recipiens regulam, seu determinationem generalem
cuicumque casui applicabilem, sed decidendam in singu- 9
lis casibus pro eorum particulari qualitate, & circumstantiis, attendendo verba, vel clausulas, an scilicet hujusmodi abdicationem, ac respective translationem importent necne, aliasque circumstantias, ut *in allegatis decisionibus 334. & 387. p. 9. rec.* in quibus respondetur pro donatione perfecta, & pro valida translatione bonorum in filios, nedum ex verbis, & clausulis prægnantibus, sed potissimum ax reservatione ususfructus bonorum assignatorum ad favorem ipsius patris; cum enim servitus non detur in re propria, hinc reservando sibi usumfructum, per necessarium antecedens, dominium, ac possessionem bonorum in filios transferre in animo habuit, atque de eisdem distinctionibus habetur atiam *dec. 633. p. 3. rec.* edita in causa, ax cujus positione Grat. *compilavit d. discept.* 82.

In altera vero specia contractus, qui principaliter fiat inter patrem, & tertium, a quo accessoria, & consecutive resultet jus filiorum, ut frequentius in acquisitiona feudi,
vel emphyteusis, quam pater faciat pro se, & filiis, val in 10
donationa contemplationa matrimonii facta sponso stipulanti pro se, & filiis, cum similibus, recepta distinctio ast, quod aut filiorum jus directe provenit ab infeudante, vel donatore concessionis verba dirigente ad patrem, & filios, & isti acquirant jus irrevocabile, quia non a patre, sed a tertio, quoties tamen gratuita sit concessio; aut jus filiorum provenit a vocatione, seu providentia patris, quia stipulatus fuerit pro se, & filiis, aut quod ipsius concedentis verba in filios directa etiam sint, sed ax providentia atiam patris, quia nempe titulo oneroso, & correspectivo acquisitio, ac respective concessio facta sit, adeo ut verificetur quod filii ex substantia, vel providentia patris eorum jus metiantur, & tunc dicitur peculium profectitium cadens sub aa libera disponendi facultate, quam pater habet de aliis ejus bonis, ut advertitur pluries *sub tit. de feud.* præsertim *disc. 75. & sub tit. de emphyt. disc.* 10. 18. *&* 32. ac etiam *supra, disc.* 2. & alibi, quoniam est distinctio vera, atque in Foro hodie recepta, adeout tyronum, vel scholasticorum partes videantur quæstiones desuper suscitare.

Applicando autem ad ram, principalis actus, quem pater facere in animo habuit, fuit ratificatio emptionis tabernæ, seu fundaci, ac sa obligandi erga venditorem pro solutione
pretii residualis, dum ajus pars numerato da ejusdem patris 11
pecunia, ac effectibus per dictum Alphonsum filium soluta arat, dictamque obligationem percutiebant juramentum, & clausulæ, ac verba obligatoria, mentio autem filiorum acci-

accidentaliter fuit, & consecutive, ex eo quod in instrumento per dictum Alphonsum in loco contractus inito, ipsius tantum nomine, ejusque hæredum dicebatur acquisitionem fieri, unde propterea, ad id advertendo prudens pater, ne alias, ipso dictom instrumentum simpliciter ratificante, dictus solus filius prætendere posset sibi id quæsitum esse jure implicitæ donationis, quam pater non de fundaco jam sibi quæsito, sed de pretio facere voluisset,
12 adinstar illius implicitæ donationis, de qua habetur *sub tit. de regal. disc.* 1. *& seq.* præsertim *disc.* 150. ubi in specie de acquisitione officii facta per patrem in personam filii de ejus pecunia, ita declarare voluit, ut res quæsita communis esse deberet omnibus filiis, quos æqualiter (ut sequutum fuit) juxta regularem naturæ ordinem, ac impulsum, hæredes instituere intendebat, non autem, quod ex tunc dominium jure perfectæ, ac irrevocabilis donationis transferre voluerit.

Et tamen quia Grat. *d. discept.* 82. in aliquibus numerie, seu partibus dicit nescio quid super donatione, hinc proinde omnia hæc videbantur Advocatorum subtilitates, ac ratiocinia, adeout oporteret dispungere per partes eandem disceptationem, ponderando, quod licet in numeris, seu partibus præcedentibus dicerentur ea, quæ dicebant Scribentes pro filiis, deinde edita decisione in eo casu quæ impressa est *p. 3. rec. dec. 633.* moderatur antecedenter dicta, beneque comprobantur supradictæ distinctiones (talis est nostrorum temporum miseria, quod hujusmodi simplicium collectorum verba examinare oportet, perinde ac si essent verba legis in Pandectis.)

In plerisque autem similibus controversiis sub hoc articulo cadentibus, tam occasione comprehensionis fideicommissi per patrem ordinati, sive frequentius occasione eludendi paternos creditores, aut etiam inter ipsosmet filios evitandi communicationem, sive imputationem juxta casum, de quo *d. disc. 150. de regal.* cum similibus, dicere consuevi, istam esse quæstionem facti, & voluntatis potius quam juris, ex singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis decidendam, indagando verisimilem patris voluntatem, ac propterea prorsus erroneum esse pro adeo inepto pragmaticorum stylo decisiones, ac auctoritates in uno casu donationem firmantes, vel respective excludentes, omnibus aliis applicare.

ANNOT. AD DISC. XL, & XLI.

Agitur in his discursibus de quæstione an donatio facta per patrem filio importet simplicem destinationem, seu velleitatem, vel potius remaneat irrevocabilis, de qua etiam habetur alibi actum, & præsertim *sub tit. de Testam. disc. 63. & sub tit. de legit. & detract. dis. 21.*

ROMANA REDOTATIONIS ET AUGMENTI PRO PETRO PAULO NALDO, CUM MAGDALENA SORORE.

Casus disputatus cor. A. C. & resolutus ut infra.

De eadem materia donationis inter patrem, & filium, quando facta censeatur, vel potius importet simplicem destinationem, seu velleitatem, & quatenus adsit, an sit revocabilis necne, & in specie quando dicatur facta filiæ pro augmento dotis, & incidenter de onere patris, vel ejus hæredis denuo dotandi, vel alendi filiam nuptam, quæ dotem amiserit?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Filia, quæ amisit dotem, petit denuo dotem a patre in subsidium.*
3 *Intelligitur soluto matrimonio pro altero contrahendo, non autem primo constante.*
4 *Et quando constante eodem matrimonio dotans teneatur redotare.*
5 *An constante eodem primo matrimonio amissa dote, filia petat alimenta a patre, & quomodo hæc sint taxanda?*
6 *An actus importet velleitatem, vel perfectam voluntatem?*
7 *Filia per matrimonium non eximitur a patria potestate, & quando secus.*
8 *Juramentum validat donationem inter patrem, & filium.*
9 *An juramentum præstitum super primo actu operetur quoad alios actus consecutivos?*
10 *Donatio in casum dotis valet inter patrem, & filiam.*
11 *Quod non cadit sub dote ad favorem viri, dicitur extradotale.*
12 *Et de donatione facta per patrem filiis ad æqualitatem servandam.*

DISC. XLI.

Collocavit in matrimonium Nicolaus Magdalenam filiam Paulo Æmilio extra Urbem, cum dote soluta in quantitate scut. 700. Ad aliquos vero annos, melioris fortunæ effectus, Annam Mariam alteram filiam natu minorem collocavit in Urbe cum Antonio, cum dote scut. 1500. & quinta parte hæreditatis, seu bonorum reperiendorum tempore obitus, declaratione adjecta, ut ex eadem hæreditate, ac bonis priusquam dictæ quotæ detractio fieret, detrahi deberent sc. 1500. pro Petro Paulo filio masculo, & alia sc. 800. pro dicta Magdalena altera filia, ut ita inter filios induceretur æqualitas, quam ipse cupiebat, ac in animo habere declaravit, sibi reservata facultate dictas summas detrahendi, ac filiis dandi etiam in vita ad ejus libitum, cumque exortis dissidiis inter Magdalenam, & Paulum Æmilium virum (vel de jure, vel de facto) ad separationem thori deventum esset, dictique viri bona absorpta essent a creditoribus anterioribus, vel saltem ob eorum concursum intricata remanerent, unde propterea dotis restitutio sequuta non erat, Nicolaus dictam Magdalenam ad Urbem regredientem, quandoque domi, & quandoque alibi, donec vixit, aluit, moriens vero in testamento scripto hærede dicto Petro Paulo filio, ac prævia revocatione dictæ destinatæ assignationis scut. 800. eidem Magdalenæ jam nuptæ, & dotatæ ad vitam reliquit menstrua scuta quinque circiter, verum sequuta morte patris, ipsa expresse repudiando hoc legatum, judicium instituit contra fratrem cor. A. C. super tribus, primo sc. super redotatione, stante prioris dotis amissione, secundo super alimentis, & tertio super assequutione dictorum sc. 800. quæ per instrumentum dotale alterius sororis supponebantur ei donata, seu data pro dotis augmento, super prima vero petitione prodiit sententia Rei conventi absolutoria pro dictæ redotationis exclusione, atque decreta actrici quadam menstrua præstatione pro alimentis, decretum quoque fuit mandatum exequutivum in vim obligationis cameralis in dicto instrumento dotali contentæ pro dictis sc. 800. adhuc tamen sub eodem Judice causa pendet, absque aliqua executione, decernendo interim quasdam summas provisionaliter in causam declarandam. 1

Tres igitur fuerunt puncti in hac controversia cadentes, primo sc. redotationis ob primæ dotis amissionem, secundo alimentorum, & tertio dictæ donationis, sive augmenti dotis scut. 800.

Quatenus pertinet ad primum, scribens Ego pro reo 2 convento, cum sensu veritatis (qualem Judex quoque habuit) dicebam, improbabilem, parumque fundatam esse actricis prætensionem, quamvis enim filiam jam dotatam, quæ dotem præsertim sine ejus culpa amisit, vel adeo intricatam habeat quod sibi inutilis remaneat, pater, vel ejus hæres denuo dotare teneatur, cum ea differentia, quod prima dos pure, non autem in subsidium debetur filiæ, quamvis diviti ac aliunde provisæ, ut *sub titul. de dote disc.* 1. ista vero subsidiario tantum, & quatenus aliunde provisa non sit, ut *eod. tit. de dote disc. 4. & disc.* 142.

Attamen id intelligitur soluto eo matrimonio, pro quo 3 prior dos constituta fuit ad effectum, ut denuo nubere valeat, & ne viduitatem mulier pati cogatur, atque honestatis periculo subjaceret. Secus autem eo matrimonio adhuc durante, cum tunc viro inope, neque ipsa filia aliunde provisa, intrare solum videatur patris, vel ejus hæredis obligatio ad alimenta, ut quicquid aliqui teneant in contrarium, volentes etiam eo matrimonio constante, redotationi locum esse (cum Scribentes in hac facultate nihil pacificum relinquere voluerit) ut præsertim tenent Cavat. *de indemn. mulier. per tot. signanter n. 229. & seq.* Lara *in l. si quis a liberis, §. idem Judex, ff. de liber. agnoscendis, n.* 31. & alii relati per Andreol. *contr.* 332. *n.* 12. & per Mangil. *de evict. q. 74. n. 6. & seq.* Omnino tamen verior, magisque recepta est contraria, ut patet ex deductis in dicta sua materia *sub tit. de dote disc. 4. &* 142. & aliis collectis per Boss. *de dote, c. 4. n. 28. & seq.* Tunc etenim, eodem matrimonio constante, patris, vel alterius dotare obligati redotandi obligatio adhuc viget, quando amissio prioris dotis ipsius dotantis culpæ adscribi potest,

quia

quia nempe, juxta conventione de illius toto investimento, postmodum muliere non consentiente, libere soluta fit viro, qui detegatur minus idoneus, juxta *dec. 77. &* 93. Merlini, *& d. disc. 4. de dote.*

Super secundo puncto alimentorum, nulla fuit controversia in genere super illorum debito in substantia, cum Ego posito casu subsidii, quodque filia aliunde provisa non esset, id admitterem, solaque controversia fuit super majori, vel minori taxa, cum actrix prætenderet eam faciendam esse inspectis facultatibus, ac statu paterno de tempore mortis, in quem sensum aliqualiter Judex inclinabat.

5 Id autem, etiam in sensu veritatis Mihi videbatur non subsistere, cum patris, vel ejus hæredis obligatio, utpote mere subsidiaria, egredi, seu transcendere non debeat obligationem viri, si esset idoneus, dum pater dotando congrue de tempore matrimonii (quod ad congruitatem regulandam attendi debet ex deductis in dicta sua materia *sub tit. de dote disc.* 144.) ita propriæ obligationi satisfecit, non curato ejus facultatum, & fortunæ incremento, cum in casu decrementi filia non subjaceret dotis jam constitutæ diminutioni, & consequenter, cum ipsa contenta esse deberet ea sustentatione, quæ congrua esset qualitati, seu conditioni viri, quatenus perseverasset in eodem statu, in quo erat de tempore contracti matrimonii extra Urbem in loco, in quo longe minores sunt sumptus, prorsus improbabile dicebam prætendere alimenta ad terminos congruentiæ in Urbe, juxta ponderationes, quæ habentur super loco domicilii viri, *eod. tit. de dote disc. 2. & seq.*

Quo vero ad tertium punctum præsentis donationis scutorum 800. deductæ ex reservatione, ut supra, facta occasione constituendi dotem alteri filiæ, duæ erant inspectiones; primo sc. an dicta voluntas per patrem explicata, esset perfecta, adeout donationem redoleret, vel potius remaneret in simplicibus terminis propositi, seu velleitatis; & secundo quatenus voluntas perfecta esset, an esset revocabilis necne.

6 Super primo, cum sit potius facti, ac interpretationis verborum, quam juris, hinc non facile est redarguere judicatum de improbabilite, utpote in re arbitraria, cum ob ingeniorum varietatem, eadem doctrina, ac integritate concurrente, frequenter varia soleant esse judicia; Mihi tamen, inspecto contextu verborum, probabilius videbatur, quod ea continerent velleitatem, seu propositum, ac solum per viam reservatæ facultatis detrahendi ab asse istas summas aliis filiis destinatas, ne alias conjuges, quibus quinta pars hæreditatis promissa erat, dictam deductionem impugnare possent, ut de jure potuissent, nisi dicta reservatio facta esset, non autem voluntatem perfectam donandi.

7 Juris autem articulus cadebat (posita etiam perfecta voluntate donandi) super revocabilitate, vel irrevocabilitate; in hoc autem Ego scribens pro revocabilitate dicebam, regulam juris huic assistere ob prohibitam donationem inter patrem, & filiam in potestate, a qua, cessante jure municipali scripto, vel non scripto, ut est in Civitate Neapolis per illas consuetudines, ac in aliquibus Hispaniæ, & Lusitaniæ partibus, & alibi, in terminis juris communis, verius, magisque receptum est, matrimonium non liberare ex deductis per Galeot *lib. 2. contr.* 30. Castagna *in tract. deductis, q. 7. n. 30. & seqq.* Castill. *de usuf. c. 3. n. 75. & seqq.* Hodiern. *contr.* 13. & habetur etiam *sub d. tit. de dote disc.* 32.

8 Non negabant Scribentes pro actrice dictam juris regulam, insistebant vero in tribus limitationibus, quas omnes, e converso Ego in abstracto admittebam tanquam veras, negabam tamen applicationem, cujus proinde tota quæstio fuit; primo sc. ratione juramenti, quod admittebam ex veriori sententia, validam, ac irrevocabilem reddere donationem inter patrem, & filium; verum dicebam quod juramentum in hoc instrumento contentum percutiebat dotationem alterius filiæ, ac observantiam illius contractus, non autem hujusmodi enunciatam detractionem, ac assignandi voluntatem respective, ut de juramento præstito 9 super una obligatione non trahendo ad alios actus consecutivos habetur ex Fabro, & Ger. Spino, & aliis apud Manzium *cons.* 22. quod tamen non procedit ita simpliciter, sed pro facti qualitate, cum dicta opinio Ger. Spin. Giovagno. & aliorum rejecta sit per Rot. *dec.* 189. post Zacch. *de oblig. repet. dec. 40. p. 9. rec.* & in decisionibus editis in causa, de qua *sup. disc.* 1.

10 Altera erat limitatio, quod id factum esset ob augmentum dotis, in cujus causam recte cadit donatio inter patrem, & filiam, ex deductis *dec. 137. n. 2. cum seq. p. 8. rec.* & in dicta sua materia *sub tit. de dote disc.* 154. Verum eam admittendo, negabam applicationem, cum nullum verbum de dote, ejusque augmento haberetur, unde propterea observabam quod si vir ad meliorem fortunam 11 redeundo, atque sequuta reconciliatione, matrimonii onera sustentare deberet correspective ad dotem, dicta vero voluntas paterna effectum sortita esset, illa rata sine dubio remansisset in terminis bonorum extradotalium, neque vir invita muliere prætendere posset sibi deberi tanquam dotem, ut sequeretur, si ejus augmentum esset, cum verum augmentum tanquam species alluvionis confundatur cum dote, ejusque jure censeatur tanquam unum, & idem, ex deductis in dicta sua materia *disc.* 165.

Tertia erat limitatio resultans ex motivo servandi inter 12 filios æqualitatem, verum in hoc advertebam, quod istud sit quidem justum, ac rationabile motivum ad cohonestandam donationem, de qua alii filii conqueri non possint, ac etiam forte ad illam reddendam quodammodo causativam, ut non subjaceret illis rigorosis statutariis solemnitatibus, quibus puræ donationes subjacent ex solo liberalitatis motivo manentes, non autem ut exclusis juramento, attentaque sola dispositione juris civilis, vel excluso titulo dotis, id reddere perfectas, ac irrevocabiles donationes inter patrem, & filium, quoniam etiam assignationes, vel distributiones, de quibus *disc. præc.* idem motivum habere solent servandi æqualitatem inter filios, sive pro tollendis dissentionibus inter eos post mortem patris super divisiona, non tamen irrevocabilitas resultat, ideoque non percipiebam motivum irrevocabilitatis, nisi quod crederetur id importare augmentum dotis juxta secundam limitationem, quod Mihi non satisfaciebat.

ROMANA ANNUÆ PRÆSTATIONIS
PRO TITIO,
CUM BERTA.

Casus disputatus in Rota non resolutus, sed concordatus.

An valeat donatio facta per militem concubinæ, & quid de donatione facta Histrionibus in genere, vel quando utraque qualitas concurrat?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Militi prohibitum est donare amasiæ, vel concubinæ, & n. 5.*
3 *De invalida donatione, quæ fit Histrionibus.*
4 *Milites nostri temporis an, & quando gaudent privilegiis antiquorum militum, vel in eis procedant quæ de illis in jure disponuntur?*
5 *Limitatur conclusio, de qua n. 2. ubi sit bono animo, ut mulier ad meliorem frugem redeat.*
6 *Quid ubi donatio est jurata.*
7 *Distinguuntur species Histrionum, & qui sint illi, quibus prohibitum est donare.*

DISC. XLII.

Quidam strenuus, ac generosus miles, vir nobilis, 1 Primarium obtinens, & exercens militare munus, amore captus cujusdam mulieris, quæ Histrionatus artem exercebat, atque scenicas partes mirabiliter agebat, aliasque bonas qualitates formæ, & suavitatis morum habendo conjunctas, hominum corda nimis trahebat, eidem donationem fecit de quadam annua vitalitia præstatione, ab ipso, vel ejus hæredibus præstanda, ultra confessionem debiti summæ notabilis in sorte principali sub assertione mutui, cumque (ut frequens est hujusmodi amantium consuetudo) prædictæ donationis pœnituisset, ideoque præstationis solutionem denegaret, hinc donataria eum judicialiter pulsavit, & introducta causa in Rota *coram Verospio*, assumptaque disputatione super dubio manutentionis per actricem intentatæ, præcipua disputatio fuit potius facti quam juris, an scilicet per ipsam probaretur quasi possessio exigendi, quam deducebat ex unica solutione unius termini semestrualis, ob plures exceptiones, quas testes ad id inducti patiebantur, unde propterea proposita causa *sub die 10. Februarii* 1653. nulla capta resolutione, rescriptum fuit, ut videretur de bono jure, quod causavit terminationem litis dum actrix, aliquo accepto, acquievit.

In hac autem disputatione super dicto summarissimo ju- 2 dicio possessorii, ad illud, vel impediendum, vel offuscandum pro donatore reo convento Scribens, deducebam dictæ donationis infectionem dupliciter de jure resultantem, primo sc. quia facta esset per militem actu in castris existentem con-

concubinæ, seu amasiæ, juxta text. claros *in l. miles ita, §. mulier, ff. de milisar. test. l. mulierem, ff. de indignis l. 2. C. de donat. inter vir. & uxor. cum concord.* per Roland. *cons. 98. nu. 1.*
3 *& per tot. lib. 1.* Puregr. *de jure fisci, lib. 2. tit. 9. n. 3.* Et secundo, quia facta exercenti artem histrionatus, cui prohibitum est donare, atque donatio reputatur illicita, & peccaminosa ex sententia D. Augustini *registrata in Can. Donare 86. dist.* ubi *Turrecremata*, Alberic. *in diction. verb. Histrionibus*, Bertachin. *in repert. verb. Histrioni donare non potest.*

4 Scribentes pro actrice, quatenus ad primum fundamentum pertinet, plures dabant responsiones, primo scilicet, quod milites nostri temporis non æquiparentur militibus antiquis, neque sub legibus de iis disponentibus veniant ex auctoritatibus, de quibus infra, verum hoc motivum parum tutum videbatur, cum conclusio procedat, quando milites remanent in otio propriæ domi, secus autem ubi sunt actualiter in expeditione, vel castris, cum tunc ea, quæ de jure in illis militibus disponuntur, in istis etiam locum habeant, ex deduct. per Bovadill. *lib. 4. Politica, cap. 1. sub n. 14.* Magdalen. *de num. testium in testam. requisit. part. 1. cap. 18.* Thesaur. jun. *quæst. forens. 99. libr. 1.* Mattrill. *decis. 173.* a Pont. *de potestate Proreg. tit. de consens. regis, § cumque nu. 41.* Rot. *in Romana Testamenti 21. Martii 1656. cor. Cerro impress. dec. 150. p. 12. rec.* ubi occasione testamenti conditi per militem more militari de hoc disputatum fuit.

5 Secundo dicebatur, talem donationem sustineri, quoties fieret bono animo reducendi inhonestam mulierem ad melioris vitæ frugem, atque ut ita de alimentis provisa, a vita peccaminosa abstineret, cum tunc potius diceretur donatio ad pias causas, Gugliel. de Benedict. *in cap. Raynutius, par. 1. verbo, & uxorem nomine Adelasiam, sub n. 161.* Thomas. *de pia caus. tit. 1. c. 10. sub n. 155.* Marta *de success. p. 4. q. 18. art. 4. sub n. 19.* Grat. *discept. 31. n. 25.* Marant. *tom. 1. resp. 2. n. 77.*

In hoc admittebam propositionem veram de jure, quam longe post hæc scripta firmavit etiam Rota *in Romana annuæ præstationis 4. Julii 1662. cor. Bevilaqua impress.* post Zuff. *de legit. process. dec. 102.* de qua *sub tit. de testam. disc. 46.* ubi de legato facto per quendam Magnatem ad favorem inhonestæ mulieris.

Verum negabam applicationem ad factum, quoniam scriptura donationis hujusmodi causam non exprimebat, ut verisimile omnino exprimeret, si ea in animo donatoris fuisset, sed potius aliæ exprimuntur causæ, mere personalem ac prophanam affectionem denotantes, & quod magis id excludebatur ab effectu, quoniam in facto justificabatur quod etiam post assertam exactionem, & de tempore præsentis disputationis dicta mulier in eodem statu continuabat.

6 Tertium erat fundamentum juramenti, ex deductis per Gugliel. de Benedict. *d. n. 161.* Amendol. ad Franch. *dec. 18.* Ricc. *collect. 791.* Thesaur. *dec. 111.* idque aliquam præbebat difficultatem, cum receptum sit ut per juramentum cesset quæcumque Juris Civilis dispositio, atque ubi illud non est contra bonos mores naturales, itaut absque interitu salutis æternæ servari possit, est semper servandum ad text. *in cap. per vestras, de donat. inter. vir. & uxor. cum concord.* de quibus pluries in præcedentibus, nisi diceretur, quod hæc prohibitio fundata etiam dicatur in tollendo occasionem peccandi, quæ in militibus, ut plurimum uxore carentibus, atque licentiosæ vitæ magis vacantibus est satis prompta, sed cum hæc omnia incidenter tunc deducerentur, atque lis deinde cessaverit, defuit occasio maturius ea examinandi pro indaganda veritate.

Quovero ad alterum fundamentum histrionatus, obstare quoque videbatur dicta ultima responsio ratione juramenti, nisi subsisteret jam dicta replicatio, quod cum ex dicta sententia S. Augustini, cum qua transeunt D. Thomas, & cæteri, de quibus *Turrecremata*, hujusmodi donatio peccaminosa reputetur; non debeat juramentum actus illicitos, & peccaminosos revalidare, & consovere, cum illud esse non debeat vinculum iniquitatis.

7 Dicebant etiam Scribentes pro actrice quod duo sunt genera histrionum, unum scilicet illorum, qui joculatores, & mimi nuncupantur, scænam in postribulum vertentes, & obscænissima facta repræsentantes, & qui lenonibus, ac meretricibus comparabantur, atque inter personas infames connumerabantur, adeout neque testes esse possent, eosque exhæredare licitum esset, cum aliis, quæ in jure circa eorum personas habentur, alterum vero est histrionum nostri temporis, qui mediantibus fabulis, ac fictis argumentis humanæ vitæ similitudinem veluti in speculo repræsentant, potius *Comici* nuncupandi, ac reputandi, ut advertit cæteris allegatis Menoch. *de arbitr. casu 69. sub n. 17. 24. 42. & plur. seq. in addit.* Istis autem histrionibus dicebant non convenire præfatam Divi Augustini sententiam, cum nullum malum, vel peccaminosum exerceant, atque ab Ecclesiâ etiam in ipsamet Urbe permittantur, ac tolerentur.

Dupliciter huic fundamento respondebam, primo quod *Turrecremata loc. cit.* omnium melius pro meo judicio distinguens *ex Divo Thoma*, & aliis, dicit quod histrionibus primi generis nihil, nec quidem minimum donari potest sine peccato, aliis autem secundi generis donari potest moderate ad sustentationem, & pro congrua mercede eorum ministerii, secus autem immoderate, & in excessu, cum tunc etiam peccaminosum videatur, neque ab hoc sensu deveniant Morales, qui primæ tantum distinctioni inhærentes, ad hanc subdistinctionem non descendunt, verum de hac responsione dubitabam, quoniam si hæc secunda species histrionatus non est illicita, neque peccaminosa, sed ad Ecclesia permissa, neque inducit illam infamiam, aliosque effectus, quos prima, idcirco nulla videtur subesse ratio, ob quam hujusmodi personæ inferioris esse debeant conditionis quacumque alia de Populo, cui donari potest, enim quodammodo ista videatur species virtutis, ac eruditionis, & talenti exercitium.

Solidam tamen credebam alteram, quod scilicet ubi cum histrionatu, seu comico exercitio, conjungitur etiam vita inhonesta mulieris, quæ cum corporis forma hoc exercitium conjungendo, facilius homines ad peccandum cum ipsa allicit, adeout histrionatus, seu scænica gestio sit causa satis proxima, & inductiva peccati, tunc debeat reputari jure histrionum primi generis, cum adamussim conveniant eædem rationes, verum hæc omnia in sola ratione discursiva, & incidenter deducebantur, reservato super eorum veritate maturiori judicio, quando disputandi occasio præberet, cum hujus Curiæ Advocatis non concedatur ob occupationes, ac stylum extra præcisam negotiorum necessitatem in non necessariis evagari.

ANNOT. AD DISC. XLII.

AN Milites nostri temporis gaudeant privilegiis militaribus circa facultates disponendi de eorum bonis, & de aliis ad materiam, videantur ea quæ habentur *sub tit. de jurisdict. disc. 33. & 107. & sub tit. de testam. disc. 28. & in Summa fideicommissorum, n. 54. & seq.*

ROMANA,
SEU VOLATERRANA SPOLII
PRO PRINCIPISSA LUDOVISIA, ET CONSORTIBUS
CUM VINCENTIO SACCHETTA.

Casus decisus per Cameram pro Vincentio, postea concordatus.

Donatarius Principis an possit molestari a Domino bonorum donatorum, ad materiam textus in *l. omnes, & in l. bene a Zenone, Cod. de quadrien. præscript.*

Et generaliter quæ actio competat rei Domino contra donatarium, qui a non Domino rem donatam habuit, ubi ea non extet?

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *De probatione identitatis argumentorum, & bonorum ad effectum excludendi spolium.*
3 *De regula* text. in l. omnes, & l. bene a Zenone, Cod. de quadrien. præscript. *& limitationibus.*
4 *Qua actio competat Domino contra donatarium, quem non constet habere bona.*
5 *Quomodo constare debeat de versione, seu locupletatione.*
6 *De hærede putativo ad quid teneatur.*
7 *Quod liberaliter obtinetur, ac libenter impensum est, vel alteri donatum, non est restituendum.*
8 *De exitu causa.*

D I S C. XLIII.

SEquuta morte Episcopi Volaterrani, Nuntius Apostolicus Florentiæ, juxta stylum, sub sequestro posuit 1
omnia bona mobilia per ipsum possessa, inter quæ præsertim aderant multa vasa argentea in pondere librarum 550. circiter, aliaque bona, utpote sub spolio cadentia, & quamvis Vincentius Sacchettus ejus frater, ac legitimus hæres ab

ab intestato se opponeret, allegando quod bona prædicta, præsertim vasa argentea sub spolio non caderent, utpote quæsita ante Episcopatum, partim titulo emptionis, & partim donationis ab Imperatore, aliisque Principibus, apud quos defectus ante status immutationem, oratoris munere pro magno Duce Etruriæ functus erat. Nihilominus Nuntius per sententiam, dicta oppositione rejecta, declaravit sub spolio cadere, eaque incamerata transmisit ad Innocentium X. qui per chirographum vasa argentea elargitus fuit ejus nepotibus, hoc est libras 120. Principissæ Ludovisiæ ex fratre nepti, alias 120. Principissæ Justinianæ, 130. & quædam alia bona Principi Pamphilio, eodem gradu conjunctis, & 80. Cardinali Astallio, tunc in Familiam Pamphiliam adoptato, & Cardinalis nepotis figuram gerenti.

Sepunta morte Pontificia, post 12. annos, urbem adiit prædictus Vincentius, atque obtenta ab Alexandro VII. successore apertitione oris adversus clausulas in chirographo contentas, judicium instituit contre prædictos super dd. argentorum restitutione coram Thesaurario Generali, a quo sententiam obtinuit reos conventos condemnantem *ad exhibendum, & restituendum argenta controversa, & in casu non exhibitionis ad solutionem pretii, & valoris*, ut sunt ejusdem sententiæ verba præcisa, a qua interposita appellatione, & commissa causa in *Camera Gastaldo, sub die 19. Januarii* 1664. prodiit resolutio super dictæ sententiæ confirmatione, atque in aliis disputationibus, tam in eadem, quam in sequenti instantia habitis persistitum fuit in resolutis.

Tria autem erant fundamenta, ex quibus rei conventi credebant, injustam esse Thesaurarii sententiam, atque ad restitutionem urgeri non posse, primo in facto, quod scilicet non bene probaretur de assertis acquisitionibus ante Episcopatum, vel saltem de identitate, quod scilicet illa essent eadem, ex donationibus præsertim, ut supra, provenientia.

Secundo ob dispositionem text. *in l. omnes, & l. bene a Zenone, C. de quatrienn. præscrip.* per quæ jura disponitur, ut obtinens bona quamvis aliena ex donatione Principis, illico tutus reddatur, neque ab ipsorum bonorum Domino, neque a fisco possit molestari, competente solum Domino actione contra fiscum intra quatriennium, quo elapso præscripta actio remanet, & tertio incompetentiæ actionis ob non probatam existentiam bonorum donatorum de tempore motæ litis, vel saltem non probato, quod rei prædicti dolo possidere desiissent, qua probatione cessante, dicebatur nullam exerceri posse actionem contre tertium, contra quem non datur personalis resultans ab obligatione per contractum, vel quasi, seu delictum, vel quasi, cum actio personalis dicatur filia obligationis, non producenda sine matre.

2 Reflectendo ad veritatem, tam in congressibus Advocatorum, quam etiam post resolutiones, dubitabam de subsistentia primi, & secundi fundamenti, quæ juste rejecta fuisse videbatur, quatenus enim pertinet ad primum, de quo utpote in solo facto consistente non pertinebat ad Advocatos inspicere, testes per actorem inducti satis bene concludebant acquisitionem ex dictis titulis emptionis, vel donationis in quantitate, solaque difficultas cadebat circa plurium identitatem, quam non bene concludebant, verum id Mihi non videbatur considerabile, stantibus facti circumstantiis, quod scilicet ageretur de viro satis provido, & œconomiæ nimium professore, atque possidente tenuem Episcopatum, cum cujus redditibus vix necessariam sustentationem reportabat, unde duplex resultabat improbabilitas, una scilicet quod priora argenta ante Episcopatum quæsita dissipasset, & altera, quod ex Episcopatus fructibus excrescentibus alia nova in tanta quantitate acquirere potuisset, sed omnino probabilius erat ut respectu illorum argentorum, quæ per testes non bene identificantur, aliqua intercesserit immutatio, ut frequens est consuetudo, ut scilicet vasa habentia formam modernis moribus incongruam, in aliam usitatam, seu de uno in alterum magis opportunum usum convertantur, unde propterea licet aliqui ex collitigantium Defensoribus super hoc fundamento insisterent, Mihi semper illud visum fuit contemptibile.

3 Major pars Defensorum, qui ob pluralitatem dictorum correorum multi erant, magnum constituebat fundamentum in altero motivo deducto ex allegatis *Juribus in l. 1. & 2. C. de quatriennali præscriptione*, licet enim Scribentes pro Actore plures eis darent limitationes desumptas præsertim *ex Petra*, qui omnium latius materiam agit *in tractatu de fideicommiss. q. 14. cu num.* 139. & Castill. *lib. 2. contr. cap.* 5. apud quos cæteri collecti habentur, illam præsertim quod dictorum Jurium dispositio, utpote exorbitans, & rigorosa attendenda non sit de jure Canonico, quod in Romana Curia servandum est, & alteram, ut cessent, ubi agitur de bonis litigiosis, vel quod alias Princeps esset in mala fide, attamen dicti Scribentes pro reis conventis dicebant (& in hac parte bene) dictas limitationes non subsistere.

Non quidem primam plene deductam per Paris. *cons.* 27. *lib.* 1. Riminald. *cons.* 435. & alios per Petr. *ubi supra*, n. 147. quoniam in contrarium est magis communis, ac bene fundata, ut liquet ex deductis per Honded. & alios relatos per Castill. *ubi supra*. Altera vero limitatio cessabat ex facto, quoniam non constabat, quod prædictæ litis agitatæ in Curia Nuncii Florentini, fuissent conscii, tam Papa donator, quam donatarii, & nihilominus adhuc satis probabiliter dubitari etiam poterat in puncto juris de prædictæ limitationis veritate, dum vera textus prædicti percutere videntur casum, in quo Princeps sciens, bona aliena elargiatur, verum super hoc discutiendo immoratum non fuit, cum difficultas cessaret ex facto.

Solida tamen credebam alteram limitationem resultantem ex cessante præsupposito, cum quo Papa hujusmodi donationem fecerat, dum non donaverat simpliciter, sed expresserat causam spolii prædicti, & sic eatenus donandi animum habuit, quatenus credidit dicta bona sub spolio cadere, atque ad se pertinere, alias non donaturus, ideoque dicto præsupposito cessante, dicitur cessare voluntas, sine qua potestas nullam facit operationem, juxta sensum Cini, & Baldi, & aliorum ibidem, de quibus Soccin. *cons.* 46. *lib.* 4. & cæteri apud Petr. n. 146. Castill. *d. cap.* 5. Et licet Alciat. & cæteri per eosdem relati contrarium etiam isto casu sustinere conentur, nihilominus occasione cujusdam congressus, visis in fonte *Repetentibus*, atque bene consideratis utriusque opinionis fundamentis, verius videbatur, hanc esse magis communem, ac melius fundatam, ex dicta præsertim ratione verisimiliter cessantis voluntatis.

Tertium vero motivum Mihi, ac cæteris omnibus istorum correorum Defensoribus, omnino firmum videbatur, & cujus ratione credidimus quod resolutio in puncto juris vere non sustineret, quodque potius ex quadam non scripta æquitate prodierit, seu ex quodam arbitrio, quod egrediendo juris cancellos solent Judices, & præsertim magna Tribunalia, quandoque sibi assumere.

De jure siquidem contra tertium dari non potest actio 4
personalis, cum hæc, ut supra insinuatum est, non detur nisi ex præcedenti obligatione resultante ex contractu, vel quasi, seu delicto, vel quasi, illaque præsertim contra donatarium nunquam datur, nisi quoties ageretur de donatario universali, qui habendus est loco hæredis, idque potius ex quadam æquitate deducta ex ratione inanis circuitus evitandi, quam ex dispositione juris, ex deductis *in Romana census disc.* 45. Actio autem realis practicabilis non est, nisi ad rem extantem, atque existentia cessante, ad summum contra tertium aliud competere non potest, nisi (data mala fide) actio de dolo, quatenus non constet de locupletatione, quodque bona aliena donata versa fuerint in utilitatem, cum tunc competat actio de in rem verso, vel condictio sine causa, vel judicis officium deductum ex æquitate text. *in l. si Me, & Titium, ff. si cert. petat.* itaut perneccesse unum ex his concurrere debeat, vel scilicet quod bona extent, & ab ipso possideantur, vel quod dolo, & mala fide possidere desierit, cum tunc habeatur pro possidente, vel demum quod ex eis factus esset locupletior, itaut contenderet de lucro captando, ac de se locupletando cum aliena jactura ex iis, quæ in proposito habentur deducta *in Romana, seu Civitatis Vetulæ mercium, sub tit. de Regalib. decis.* 129. *& in Romana pecuniaria, sub tit. de credito, disc.* 72. ac etiam *sub titulo de empt. & vendition. in Januen. disc.* 42. ac liquet ex omnibus agentibus de materia actionis de in rem verso, sive de æquitate desumpta ex text. *in dict. l. si Me, & Titium, ff. si certum petatur*, quoniam omnes fundamentum constituunt in locupletatione, seu versione in utilitatem, ex deductis per Merlin. *dec.* 533. *num.* 25. Otthob. *dec.* 40. *num.* 46. *& seq.* Capyc. Latr. *consultat.* 95. *num.* 9. Rota *in Romana pecuniaria* 15. *Junii* 1664. *coram Bevilaqua*, edita in causa, *de qua dict. disc.* 72. *sub titul. de credito*.

Locupletatio, seu versio in utilitatem exigitur de tempo- 5
re quo quis convenitur, itaut de præsenti agat de lucro capiendo contre agentem de damno vitando, ut ad litteram probat text. *in l. si pro patre in §. versum autem, ff. de in rem verso*, ibi, *versum autem sic accipimus, ut versum duret*, & in eadem *l. §. si domini debitor*, ibi: *Nihil videri versum, sive postea debitor esse domini cœpit, desinere esse versum*, ubi *glos. verb.*

subventum, subjungit illa verba, *ergo cum non sit in lucro, non tenetur*.

6 Ad quod ponderabam jura litteralia *in l. sed si lege*, *§. eos autem*, *& l. item veniunt*, *§. consuluit*, *ff. de petit. hæred.* ubi Castrens. & cæteri, de quibus *in Rom. hæredit. 23. Junii 1662. cor. Ninot*, & in eadem causa *sub tit. de regal. ad materiam officiorum disc. 3.* ubi quod hæres putativus bonæ fidei restituere non tenetur vero hæredi, minusque in propriam portionem imputare, nisi id quod in specie, vel in æquipollenti haberet de tempore, quo suus non titulus detectus est, idemque habemus in tertio possessore bonæ, vel non malæ fidei, percipiente fructus ex re aliena, quoniam nisi extet, vel concurrat locupletatio, non restituuntur, cum similibus.

7 Et merito quoniam bona, quæ ita obveniunt, de facili consumuntur, seu aliis liberaliter conceduntur, quod alias factum non esset, unde propterea contra scripti, ac naturalis juris rationem, beneficium converteretur in maleficium, si id, quod liberaliter obtentum est, liberaliter etiam impensum, seu aliis erogatum fuit, restituendum esset de proprio, verum quamvis contra hæc nil relevans deduceretur, nihilominus Camera credidit quod argenta prædicta utpote ex quotidiano usu non consumptibilia, præsumerentur existere, atque hujusmodi probatione præsumptiva contenta fuit, & quod magis est, neque attendere voluit juramentum exhibitum per unum ex eis, nempe Principem Pamphilium jurantem se dicta bona, nec in specie nec in æquipollenti habere, vel dasiisse possidere, cum revere aliis donasset.

Quatenus autem pertinet ad Principissam Ludovisiam, pro qua Ego scribebam, controversia finem habuit per honestam concordiam, quam ejusdem Principissæ interim defunctæ hæredibus libenter consului, etiam pro exoneratione conscientiæ eiusdem, quoniam spectatis ejus moribus, & consuetudine, omnino improbabile erat, quod argenta prædicta non asservent, saltem æquipollenter ob eorum erogationem in aliam argentorum speciem, vel in alios effectus adhuc durantes, quo casu jus actoris erat certum, idemque fecit soror forsan ex eodem motivo.

S U M M A R I U M.

1 *De donatione facta a Principe.*
2 *De actione competente Domino contra rei possessorem.*
3 *De hærede putativo.*

ANNOT. AD DISC. XLIII.

1 AD materiam text. *in l. omnes*, *& l. bene a Zenone*, *C. de quadrien. præscript.* conferunt deducta *sub tit. de regal. disc. 148.* Et de casu converso, an scil. valeat donatio facta Principi, ut privatorum jura excludat, habetur actum *hoc tit. disc. 74.*

2 Quæ autem actio competat rei Domino contra Tertium bona sua possidentem, conferunt deducta *sub tit. de regal. disc. 129. de cred. disc. 72. & sub tit. de emption. & venditione disc. 42. & hoc tit. de Donat. disc. 65.*

3 Et de hærede putativo ultra deducta *disc. 1. de regal.* habetur in sua sede *sub tit. de hæred. disc. 8. 17. 18. & 27.*

M U T I N E N.

PRO CREDITORIBUS ALEXANDRI.

Responsum extra Curiam ad causam cum aliquo sensu veritatis.

Donatarius omnium bonorum an teneatur ad confectionem inventarii, & an ob ejus omissionem teneatur creditoribus donatoris insolidum etiam ultra vires bonorum donatorum, & de donatario hæreditatis?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Donatarius universalis an teneatur conficere inventarium, & non conficiendo ad quid teneatur.*
3 *Tenetur ad debita, & dicitur stare loco hæredis.*
4 *Cessionarius hæreditatis dicitur hæres directus, & immediatus.*
5 *Ideo tenetur conficere inventarium.*
6 *De pœnis resultantibus ex omissione inventarii.*

D I S C. XLIV.

ALesandro debitori successit Franciscus Filius, qui nullo confecto inventario, paternæ hæreditati se immiscuit, deindeque ingrediens Religionem, donationem universalem omnium bonorum, jurium, & actionum, præsentium, & futurorum fecit Alexandro agnato, qui acceptata donatione, pariter nullum confecit inventarium, pluraque bona distraxit, vel alias de eis tanquam Dominus disposuit, atque stante hac facti serie consultus fui, an creditoribus dicti Alexandri senioris jus competeret ad bona propria alterius Alexandri donatarii, ultra vires hæreditarias dicti Alasandri eorum debitoris, vel dicti Francisci donatoris, & hæredis. 1

Pro donatario videbatur primo aspectu respondendum, ut sc. non nisi ad bona donatoris, illius creditoribus jus competat, cum omnes DD. qui donatarii universalis obligationem ad solvendum debita donatoris firmant, illam restringant, quatenus bona donata suppetant, quamvis Inventarium non confecerit, dum ad illius confectionem de jure non est obligatus, cum vere non sit hæres, quoniam hæreditas non datur per contractum, licet ad dictum affectum loco hæredis habeatur, Carocc. *dec. 125.* Cancer. *l. 3. var. c. 7. de pact. n. 129.* Amat. *var. resol. c. 58. n. 3.* & admittitur ap. Hodiern. *contr. 15. n. 8. cum seq. & per Rotam in Perusina bonorum 30. Maji 1650. coram Cerro, §. quod autem, dec. 31. n. 13. p. 11. rec.* 2

Contrarium, his non obstantibus, visi verius videri, ex duplici fundamento, primo quia, admissa etiam supradicta conclusione, illa procedit ad effectum, ut donatarius universalis non teneatur præcise ad confectionem inventarii, verum adhuc ad id tenetur causative, ad effectum sc. tollendi malam præsumptionem subtractionis, ac dissipationis bonorum transferentem in eundem donatarium onus probandi concludenter negativam existantiæ aliorum bonorum, præsertim mobilium, ac jurium, & actionum in eum obventorum, ut satis bene firmat Rota *in allegata decis. 31. p. 11. rec. n. 13.* Et ideo donec per dictum Alexandrum donatarium, vel ejus hæredem probaretur concludenter negativa bene coarctata, quæ videbatur verisimiliter improbabilis, dicebam quod contra eum urgebat præsumptio existentiæ aliorum bonorum, ac jurium, & actionum ab eo occultatorum, & consequenter, ut contra eum exerceri possent actiones etiam personales in persona, & bonis propriis, dum ex magis communi sententia, recepta etiam per Rotam, donatarius universalis dicitur stare loco hæredis, ut per creditores donatoris directe conveniri possit, præsertim mortuo donatore, ac non existente alio ejus hærede, ex plene congestis per Amat. *d. resol. 58. n. 7. & 13.* Giurb. *observ. 104. n. 13.* Rot. *dec. 98. nu. 5.* post Merlin. *de pignor.* ubi aliæ decisiones referuntur, & habetur *disc. seq.* 3

Quod etiam ad sensum probari videtur ea ipsa æquitate, seu ratione naturali, quoniam alias lata via fraudibus aperiri posset, eludendo omnem legis dispositionem, ac mentem, dum donator ære alieno pressus, omnem ejus substantiam transferre posset in donatarium universalem, cui licentia concederetur, impune, ac in fraudem creditorum dissipare bona præsertim mobilia, & nomina debitorum, quorum existentia per creditores de facili probari non posset, ideoque, ut bene advertit Rota in allegata *dec. 31. p. 11. rec. nu. 13.* si contra talem donatarium non militat directe dispositio pœnalis, tex. *in leg. fin. §. Et si præfatam, C. de jur. deliber.* attamen militare debet mala præsumptio occultationis, quæ ex eadem lege ob omissum inventarium resultat, transferens in eundem donatarium onus probandi contrarium, cum ista sit præsumptionis operatio, transferendi onus contrariæ probationis, in eum, contra quem præsumptio urget.

Secundo quia dum Franciscus professus est donare, non solum bona, sed etiam quæcumque jura, & actiones, dicitur ita donasse paternam hæreditatem sibi delatam, unde resultare observabam, quod dictus Alexander junior diceretur cessionarius hæreditatis Alexandri senioris, & consequenter, quod esset habendus tanquam hæres directus, ac immediatus in universo jure activo, & passivo, cum ista sit virtus venditionis, vel cessionis hæreditatis, ut faciat subintrare emptorem, seu cessionarium in universum jus activum, & passivum, perinde ac si ipse esset hæres ab initio, juxta tex. *in l. 2. §. si quid publici, ff. de hæred. vel act. vend.* in terminis Monticul. *de Inventar. c. 9. n. 161. in fine*, ubi de emptione hæreditatis, cum aliis *sub tit. de empt. & vendit. disc. 26.* Et magis in terminis donatarii, seu cessionarii gratuiti Monti-

cul. *n.* 163. eumque refert, & sequitur Gilarb. *d. observ.* 104. *nu.* 20. *in princ.* Unde quemadmodum cedenti non suffragaretur beneficium inventarii, ita dicebam non posse suffragari cessionario, qui in universum ejus jus successit, dum hic fingitur hæres ab initio, ut supra.

5 Ideoque aliud est agere de debitis propriis donatoris, aliud vero de debitis alterius hæreditatis comprehensæ in dicta donatione; ad primum enim effectum, procedere posset conclusio supra deducta in objectum, secus autem ad secundum, dum ita dicitur donatarius hæreditatis, unde propterea bene intrat limitatio dictæ conclusionis, atque donatarius tenetur ad confectionem inventarii, ut ex Cravett. & Caroc. ac aliis, Cancer. *d. p.* 3. *c.* 7. *n.* 129.

Idque convincitur ex clara ratione (quæ dicitur anime legis, ac super omnia, pro meo judicio, semper attendenda venit) ideo enim donatarius non tenetur ad confectionem inventarii, neque tenetur ad jura passiva ultra valorem bonorum donatorum, quia successio universalis per contractum dari non potest, ut ex Fabi. & aliis, quos allegat Amat. *d. resol.* 58. *n.* 2. ubi *nu.* 3. observat hinc resultare illationem, quod non teneatur ad confectionem inventarii, hæc autem ratio militans in bonis, ac hæreditate donatoris viventis, non militat in hæreditate jam delata, quam non dubitatur in contractum deduci posse, ut *toto tit. ff. & C. de hæred. vel act. vendit.* igitur nil urgere videtur, quod excuset hujusmodi hæreditatis cessionarium ab omnibus oneribus hæreditariis, dum ipse fingitur ab initio hæres, ut supra.

6 Observando potissime, quod de jure antiquo *Digestorum*, vel unico *Codicis, & Authenticorum*, cognitum non erat beneficium inventarii, sed solum alterum anni ad deliberandum, quo elapso, non curatur, an vires hæreditariæ suppetant necne, sed indefinite, hæres, vel hæreditaris possessor ad omnia onera tenebatur, ideoque quando inventarium omittitur, nulla incurri dicitur nova pœna, sed solum per subtractionem, seu cessationem hujus novi beneficii introducti per jus novissimum *Justiniani in l. fin. C. de jur. delib.* res remanet in terminis juris antiqui, vel medii, perinde ac si dictum jus novissimum non adesset, ut pluries *sub tit. de cred.* & sub altero *de hærede*, ac alio *de legitim. & detract.* Ideoque ex uno, vel altero fundamento, & fortius ex utroque, fundatam videri dixi intentionem creditorum.

S U M M A R I U M.

1 *An donatarius omnium bonorum teneatur ad confectionem inventarii?*

2 *De pœnis resultantibus ex omissione inventarii.*

3 *Quando Donatarius teneatur ultra donationis emolumentum.*

4 *De duplici hærede.*

ANNOT. AD DISC. XLIV. & seq.

1 DE quæstione principali in his discursibus peracta, an & quando donatarius omnium bonorum teneatur ad debita, & confectionem inventarii, non videtur alibi pertractum, conferunt tamen ad effectum contributi pro solvendis debitis deducta *sub tit. de legat. disc.* 52. Et de pœnis resultantibus ab omissione inventarii habetur in 2 pluribus locis, & signanter *sub tit. de credit. disc.* 36. & latius *sub tit. de Herede, disc.* 17. *& seqq. & sub tit. de legit. & detract. disc.* 25.

Quando autem Donatarius teneatur ultra donationis 3 emolumentum, seu valorem, videri poterunt deducta in novissima *Romana, seu Albanen. Vinea in hoc tit. de donat. disc.* 61.

De duplici hærede, duplicique patrimonio habetur ple- 4 ne actum *sub tit. de hæred. disc.* 3. *per tot.* ubi alia loca concordantia adducantur.

ROMANA CENSUS
PRO PAULO CRESCENTIO,
CUM CREDITORIBUS MARCHIONIS MONTORII.

Casus disputatus cor. A.C. & in Signatura resolutus pro Creditoribus, postea concordatus.

De eadem materia donatarii universalis, quando dicatur talis necne, ut stare dicatur loco hæredis, & teneatur ad debita etiam in actione personali, & executiva?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*

2 *De requisitis, ut Donatarius directe conveniatur pro debitis donatoris.*

3 *De quæstione an quis habere possit duo patrimonia, & duos hæredes.*

4 *Feuda in Regno Neapolitano habent admixtam qualitatem hæreditariam etiam ultimi.*

5 *Quod provinciæ, seu Regiones, de quibus donatio loquitur, stent demonstrative, non autem restrictive.*

6 *Datur donatio universalis in certa bonorum universitate, licet non sit de toto patrimonio.*

7 *Feudum quando sit universitas, vel consideretur tanquam res particularis.*

8 *Non dicitur esse extra patrimonium id quod per creditorem jure pignoris prætorii possidetur.*

9 *De duplici hærede, & duplici patrimonio feudatarii.*

10 *Non est facienda excussio bonorum extra Provinciam, seu Principatum.*

11 *Donatarius universalis tenetur ad onera, & debita donatoris.*

12 *De differentia inter donatarium universalem, & particularem.*

13 *Quod contra donatarium tanquam tertium non detur actio personalis executiva, & quando secus.*

14 *Non autem in persona, & bonis propriis.*

15 *Hæres convenitur executive, etiam in bonis propriis, si non est beneficiatus.*

16 *Quod Donatarius non reguletur jure hæredis.*

17 *Non tenetur Donatarius ad confectionem inventarii.*

18 *Sed quid in donatario universali operetur omissio inventarii.*

19 *De differentia inter actorem, & reum, & hæredem agentem, vel excipientem.*

D I S C. XLV.

FActa per Marchionem Montorii, Paulo ex fratre ne- 1 poti utriusque Signaturæ Prælato, donatione omnium, & quorumcumque bonorum, jurium, & actionum allodialium, tam in Urbe, & Statu Ecclesiastico, quam in Regno Neapolitano, ac ubique existentium, feudalibus tantum non comprehensis, quæ in dicto Regno possidebat, cum sequuta ejus morte, uxor pro dote, ac juribus dotalibus tenutam feudi Montorii cum annexis obtinuisset in illis Tribunalibus, hinc reliqui creditores, præsertim illi Urbis, & Status Ecclesiastici, judicium executivum cor. A.C. instituerunt contra donatarium, contra quam simpliciter mandata obtinuerunt, eoque recurrente ad Signaturam, (in qua solum pro eo scripsi) incertum est, an rescriptum fuerit, cum clausula, *sine præjudicio*, vel quod dilata resolutione, agnito tamen sensu ita rescribendi, idem donatarius cum dictis creditoribus se concordaverit, dum causa, quod sciam, ulteriorem progressum non habuit.

In hac autem disputatione, nulla erat quæstio in meritis circa substantiam æris alieni, quod non controvertebatur, sed tota fuit ordinis, an sc. contra ipsum donatarium actio personalis executiva directe exercibilis esset, cum privilegio processus executivi non admittentis exceptiones altioris indaginis a donatario deductas, super detractionibus in bonis donatoris ex persona propria sibi competentibus, cum quibus supponebatur plures ex creditoribus excludi posse tanquam posteriores.

Hinc proinde duo erant puncta, primo scilicet, an iste esset donatarius universalis, ideoque obligatus ad debita donatoris, utpote succedens loco hæredis, & secundo, an ob non confectum inventarium, dicta actio personalis, & executiva contra ejus personam, ac bonorum directe exerceri posset.

Quatenus pertinet ad primum, quamvis verba donatio- 2 nis essent universalia de omnibus bonis mobilibus, & stabilibus, juribus, & actionibus, attamen dicebam, Scribens more Advocati, ut non exinde dici posset donatio universalis, ad effectum, de quo erat quæstio, ut sc. loco hæredis habendus veniret, atque ad debita donationis conveniri posset, eo modo, quo potest hæres, quoniam ad hunc effectum, duo copulative requiruntur, primo quod donatio contineat ipsam patrimonii universitatem, adeout donatarius succedat in donatoris universo jure activo, & passivo, & secundo de consequenti, quo alium, actu, vel habitu hæredem non habeat, Guid. Pap. & Adden. *dec.* 103. *&* 460. cum aliis plene collectis per Amat. *var. resol. c.* 58. *n.* 13.

Rota

Rota *dec. 228. num. 5. & seqq. par. 7. rec. dec. 43. num. final. part. 11.*

3 Hujusmodi autem requisita non justificari dicebam dupliciter, primo quia donatio quamvis concepta per verba universalia, restricta erat ad bona, & jura existentia in Urbe, & in Statu Ecclesiastico, ac ad allodialia tantum in Regno Neapolitano, unde propterea dupliciter cessabat universitas, primo sub donatione comprehensa non erant bona & jura extra dictas Provincias, vel Ditiones existentia, in quibus hæredem habere poterat, quicquid enim sit ad alios effectus potioritatis, vel concursus creditorum unius, vel alterius patrimonii, sive super modo succedendi, quoties diversa vigeant Statuta, vel consuetudines, ex iis, quæ aliis relatis, plene habentur deducta apud Salgad. *in labyr. par. 2. cap. 12.* & per Rotam apud Rojas *dec. 157. & 268. recent. dec. 66. dec. 363. p. 9. & dec. 228. par. 8.* & pluries in sua materia *sub tit. de credito*, occasione agendi de articulo, an creditores unius Principatus, vel Provinciæ, in bonis ibi existentibus, potioritatem adversus alios habere debeant, ac etiam *sub tit. de successione.* Ita negari non potest, quod donator alium habere potest hæredem, quodque non verificatur universitas successionis in donatario.

4 Et secundo ob non comprehensionem bonorum feudalium consistentium in Oppido Montorii cum annexis, quoniam, ut pluries habetur in sua materia *sub tit. de feudis*, illa feuda, quamvis jure sanguinis deferantur, admixtam tamen habent qualitatem hæreditariam, tam primi acquirentis, quam etiam ultimi morientis, adeout feudi successor teneatur etiam ad debita, quamvis sine assensu, contribuendo pro rata cum bonis allodialibus, ex ibi pluries deductis, & consequenter in istis hæredem donator habebat, ergo donatarius dici non poterat successor in universum jus donatoris, neque hic alio carebat hærede, dum ita feudalem hæredem habebat.

5 Reflectendo autem ad veritatem (libere pro stylo insinuatam) hæc fundamenta periculosa videbantur; quoenim ad primum, bene respondebant Scribentes pro creditoribus, quod inspecto tenore, seu contextu donationis, dictæ Provinciæ, seu Ditiones Status Ecclesiastici, ac Regni Neapolitani vere non starent taxative, seu restrictive, sed demonstrative, ex eo quod non alibi bona haberentur, atque eatenus ad dictam discretivam deventum erat, quatenus ita suaderet exceptuatio feudalium in eo Regno existentium, ita attendendo substantiam veritatis potius quam verba.

6 Et ulterius, quicquid sit ad alios effectus de conclusione, an unus, & idem, in quo una tantum persona, tam materialiter, quam formaliter consideretur, habere possit necne duo patrimonia, duosque hæredes universales insolidum, attamen ad hunc effectum, ut donatarius alicujus particularis universitatis, generaliter teneatur, etiam adinstar hæredis, & per quandam assimilationem, ad onera in ea universitate existentia, id implicare non videtur juxta ea quæ habentur firmata per Rotam *in Romana de Ceulis coram Orano* apud Gratian. *discept. 256. n. 6. & seqq.* circa donationem rationis bancariæ, quoniam licet donatio non dicatur universalis in ordine ad reliquum patrimonium, dicitur tamen talis discretive in universo eo jure activo, & passivo, in quo donatarius tanquam per speciem hæredis ipsum donatorem repræsentare dicatur, quoniam aliud est considerare universitatem de per se, & in suo genere, aliud vero comparative ad aliam universitatam majorem. Licet enim istius respectu, altera universitas consideretur potius tanquam res particularis, non tamen exinde tollitur, quin ipsa in se sit universitas, ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur de-

7 ducta apud Capyc. Latr. *consult. 9. & 10. d. tit. de feudis*, quod scilicet feudatario possidente plura feuda, universitas patrimonii feudalis ex omnibus constitui dicatur, adeout unum feudum comparative habeatur pro re particulari, & tamen ut quodlibet feudum de per se sit universitas, ideoque non implicat dari donationem universalem jurium activorum, & passivorum unius patrimonii, vel negotii, juxta dictum casum rationis bancariæ.

8 Et ad alterum motivum exceptuationis feudalium, quamvis Scribentes pro creditoribus, ac etiam Judex in eo solum insisterent, quod bona feudalia absorpta jam fuerant per donatoris uxorem, idque etiam in Signatura magnam faceret impressionem, attamen legaliter magna erat simplicitas, quoniam non ex eo quod creditor immitti obtineat ad aliqua bona debitoris ex aliquo interdicto, vel remedio possessorio, exinde resultat, quod bona sint extra hæreditatem, vel patrimonium, quodque in eis non habeatur hæres.

Solidior autem responsio (ad quam tamen Scribentes non cogitabant) erat altera, quod, ut patet ex deductis locis citatis *sub tit. feudis*, adinstar eorum, quæ in jure communi habemus in duplici patrimonio, ac duplici hærede, militari, & paganico, quorum quilibet dicitur universalis insolidum, ita feudatarius dicitur duplex homo, duplex habens patri- 9
monium, feudale scilicet, quod idem est, ac militare, & allodiale, seu burgensaticum, quod idem est ac paganicum, data solum inter hujusmodi patrimonia, vel hæredes contributione per æs, & libram ad debita defuncti, qui fuit utriusque patrimonii possessor, per speciem etiam illius contributionis, de qua habetur *eodem tit. de feudis disc. 89. cum ibi deductis*, seu tanquam per speciem cujusdam societatis, seu communionis hujusmodi patrimoniorum, ideoque donatarius patrimonii allodialis, in eo dicitur universalis, neque ex eo, quod feudatarius habet alium hæredem in patrimonio feudali, dicitur eum habere in allodiali.

Fortius vero, quia omnium fere Provinciarum, seu 10
Principatuum praxis dedit, ut creditores unius Provinciæ, seu Principatus non teneantur excutere bona in alio existentia, sed ibi existentium excussio sufficiat tam ad effectum agendi contra fidejussores, quam etiam ad alterum exercendi actiones subsidiarias, ut habetur præsertim deductum in proposito subsidiarii beneficii competentis ex dispositione textus *in auth. res quæ, C. commun. de legat. sub tit. de dote, disc. 145.*

Quo vero ad alterum supra distinctum punctum, seu 11
principalem inspectionem, an scilicet posita qualitate donatarii universalis, ac præsupposita etiam certa juris conclusione, de qua *disc. præc. & seq. & passim*, ut hic donatarius teneatur ad omnia debitoris onera, & debita, præsertim ante donationem contracta (cum difficultas consistat in eis, quæ postea contraherentur, ut *disc. seq.*) quæstio erat, an conveniri solum posset in ipsis bonis donatis, vel etiam directe in persona, & bonis propriis.

In hoc autem, de stricta juris censura, veriorem esse 12
dicebam negativam, ut scilicet in persona, & bonis propriis conveniri non posset, sed solum in bonis, ac juribus donatis, ea differentia militante inter donatarium universalem, & particularem, quod adversus illum creditoribus hypothecariis competunt interdicta, aliaque remedia realia, vel rei persecutoria, quæ in vim hypothecæ competunt contra quemcumque tertium possessorem bonorum hypothecatorum, chirographariis autem non competit nisi subsidiarium remedium rescissorium ex edicto *de iis, quæ in fraudem creditor. &c.* Contra vero universalem exercibilis est directe processus executivus ad bona donata, eo modo, quo contra hæredem quamvis beneficiatum ad bona hæreditaria.

Licet enim in puncto juris indefinite donatarius conside- 13
retur tanquam tertius, contra quem regula est, exercibilem non esse actionem personalem directam, ac executivam, sed solum realem, vel rei persecutoriam, aut dictum subsidiarium remedium revocatoriæ juxta *gl. in l. æris alieni, C. de donat.* ubi Bald. & alii, de quibus apud Guido Pap. *dec. 105. in princ.* & plene Amat. *d. resol. 58. n. 8.* Rot. *dec. 245. n. 5. & seq. p. 11. rec. & in aliis*, attamen ubi agitur de donatario universali, in quo non urgeat ratio discutiendi alia bona, quæ militat in particulari, ad evitandos inanes circuitus, recepta videtur illa æquitas, quam originaliter habemus practicatam per Senatum Gratianopolitanum apud Guidon. Pap. *d. dec.* 105. ut actio personalis executiva, in ipso tamen patrimonio donato, ejusque bonis ac juribus, detur contra donatarium universalem, eo modo, quo contra hæredem beneficiatum in bonis hæreditariis, secus autem in persona, & bonis propriis, cum id nullum juris habeat fundamentum, aliaque actio ad bona propria competere non videatur, nisi pro rete- 14
ctione ejus, quod in bonis donatis donatarius consumpsisset, ut *disc. præc.* non tamen in processu executivo.

Quamvis enim attento jure *Digestorum*, & *Codicis*, prius- 15
quam a jure novissimo *Justiniani* prodiret beneficium inventarii, quod omnimodam separationem induxit inter hæreditatem, ac personam, & bona propria hæredis, competeret contra illum eadem actio personalis, ac executiva, quæ contra defunctum, quod etiam hodie practicatur, quando jam certitudinaliter constat illum non esse beneficiatum, quia inventarium non confecerit, ut *dec. 29. par. 6. rec. dec. 252. & 269. post Zacch. de oblig.* & pluries *sub tit. de credito*, & sub *altero de hæred.* ac altero *de judiciis*.

Non tamen idem procedit in donatario universali, cum 16
hic habeatur quidem loco hæredis, sed improprie, & per quandam assimilationem, non tamen identificatur cum persona defuncti, eo modo, quo (secluso beneficio inven-

tarii)

tarii) identificatur hæres. Dinftin&ho autem inter conficientem, vel non conficientem inventarium, non intrat
17 in donatario, quem in jure cantum non est ad id teneri, ut advertitur *disc. præc.*

18 Et quamvis ex ibidem deductis, ex inventarii omissione facta per donatarium universalem, resultet quædam mala præsumptio, attamen hæc operativa quidem erit ad repellendum donatarium excludere volentem creditores ex juribus, ac detractionibus ex persona propria sibi competentibus, ob præsumptionem existentiæ, ac sufficientiæ bonorum (qualis erat proprie casus præsentis controversiæ) non autem, ut agendo possent creditores directe prosequi actionem personalem contra personam, & bona propria, quoniam aliud est illum repellere, ne excipiat de juribus propriis, aliud vero, ne in persona, & bonis propriis molestetur, ut habemus in hærede beneficiato, quod si excipiendo de juribus, & creditis propriis, velis repellere creditores, seu alias impugnare factum sui auctoris, tunc te-
19 netur, reddendo rationes de bonis inventariatis, docere de non existentia bonorum, ex regula, quod in dubio hæreditas præsumitur opulenta, sed non exinde conveniri potest in persona, & bonis propriis, nisi præcedat praxis posita per *Salust. Tiber.* quod citetur ad docendum de legitimo inventario, ac reddendum rationes, ut in dictis suis respective materiis, & est praxis quotidiana, & quamvis Scribentes pro creditoribus tanquam punctualem deducerent *dec.* 231. *Carilli* super protestu executivo contra donatarium, quæ magnum faciebat rumorem, nil tamen ad rem concludit, cum mandatum exequutivum fundatum esset in re judicata contra eundem donatarium contumacem, & sic ex diversa particulari facti circumstantia.

TERRACINEN. PECUNIARIA PRO PRINCIPE BURGHESIO CUM BALLADORIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Burghesio.

De eadem materia donatarii universalis obligati ad debita donatoris, an teneatur ad ea debita, quæ donator consraxit post donationem?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Donator sicuti non potest revocare donationem, ita non potest alienare, vel obligare bona donata.*
3 *De quæstione an creditor anterior ex causa lucrativa præferatur posteriori ex causa onerosa?*
4 *Declaratur conclusio, de qua num. 2. ut procedat in donatione particulari.*
5 *Quid autem dicendum sit in donatione universali.*
6 *De eodem, & num. 7.*
8 *Fortius donatarius universalis tenetur ad debita si vult bona post donationem quæsita.*
9 *Donator dicitur administrator patrimonii donati.*
10 *Fidejussor quandoque inspecta veritate est potius debitor principalis.*

DISC. XLVI.

1 Postquam Angelus Balladorus, donationem universalem cum onere fideicommissi de omnibus ejus bonis, & juribus præsentibus, & futuris fecit ad favorem ejus fratrum, eorumque descendentium, negotiationem continuando, dum appaltum impressionis cameralis tenebat, ac etiam affictum Oppidi Normæ, curavit per ejus juvenes, seu ministros suscipi quoque a ministris Principis Burghesii affictum Castri, seu Oppidi Olevani, pro eis fidejubendo cum obligatione æque principali, & insolidum, eumque pro pensionibus decursis, relaxato contra eum mandato executivo obtento ab A. C. facta esset executio super quodam censu per dictum Angelum post donationem quæsito, hinc se opposuerunt donatarii cum ea adeo frequenti cautela, quæ in Curia *Angeli* nuncupatur, apponi solita per eos, qui se prætendunt tertios possessores, ex eo quod census utpote comprehensus in donatione universali omnium bonorum præsentium, & futurorum, ad ipsos uti donatarios pertineret.

Et quamvis Scribentes pro eis, non impugnarent certam conclusionem in præcedentibus insinuatam, de obligatione donatarii universalis ad onera, & debita donatoris tanquam per speciem hæredis, dicebant tamen, id recte procedere in ordine ad exercitium actionis personalis, ac directæ absque necessitate adhibendi circuitum actionis revocatoriæ juxta receptam praxim *disc. præced.* insinuatam, 2
quoad debita, & onera de tempore donationis jam contracta, secus autem quoad ea, quæ postmodum contracta essent, quoniam quod directe prohibitum est, non est indirecte concedendum, ne alias diceretur lex imposita potius verbis, quam rebus; quemadmodum enim donator perfectam donationem inter vivos revocare, vel minuere non potest, ita neque alienare, vel obligare bona donata, ubi præsertim agatur de ipsis bonis sub donatione cadentibus, cum solum quæstio sit quoties agatur de donatione quantitatis, an scilicet donatarius tanquam creditor ex causa lucrativa postponendus veniat creditoribus hypothecariis posterioribus ex causa onerosa, quo etiam casu ubi ratio fraudis non urgeat, magis recepta hodie videtur opinio ipsi donatario 3
favorabilis, ut firmatur *dec. 262. par. 11. rec. cum ibi deductis*, & in sua materia *sub tit. de credito*, sed quoties agitur de donatario bonorum, nulla desuper cadit difficultas.

Scribens Ego pro Burghesio, dicebam præmissa esse vera 4
in casibus suis, fallaciam vero consistere in applicatione ad casum, de quo agebatur, ideoque ad æquivoca tollenda, advertebam distinguendum esse quod, aut agitur de donatione particulari aliquorum bonorum, quæ ad speciem deducta sint, & tunc planum est donatorem non posse alienare, nec hypotecare, seu alias jus donatario perfecte quæsitum restringere, vel minuere, nisi aliqua concurrat justa causa, ob quam etiam ad donatarii majorem utilitatem id admittendum veniat, juxta casum, de quo *sub tit. de fideicom. disc. 539.* cum firma remanente donatione (quia nempe non intret resolutio, vel facultas revocandi) aliud donatori non concedatur nisi dubiam donationem declarare, vel interpretari, dummodo declaratio bona fide inita sit, ac verisimilitudinem contineat, non autem fraudem, vel affectationem, ut pluries in præcedentibus.

Aut vero agitur de donatione universali omnium bono- 5
rum, tam præsentium, quam futurorum, quæ tamen valida præsupponenda sit, juxta eos casus, in quibus illa in jure valida reputatur, & tunc quæstio videtur potius facti quam juris ex facti qualitate pro Judicis prudenti arbitrio decidenda, an scilicet alienatio, vel obligatio, seu alter præjudicialis actus proveniat mala fide, sive absque probabili causa, & tunc idem dicendum veniat, ut in facti contingentia pluries Ego sustinui jura donatarii adversus legata, seu voluntarias confessiones debiti factas per donatorem, sive ubi de voluntario, ac imprudenti debito fidejussorio ageretur, cum similibus, cum eadem quoque militet ratio defectus potestatis non faciendi indirecte id, quod directe prohibitum est.

Ubi vero (ut in præsenti) ageretur de industrio donato- 6
re, qui facta donatione universali, pro conservandis bonis in ejus sanguine, vel familia, bona fide incumbat negotiationibus, ac industriis more diligentis patrisfamilias, ut majores faciat acquisitiones ad favorem donatarii, ita patrimonium melius impinguando, & tunc, quia ad hunc effectum oportet habere commercii libertatem, atque juxta negotiorum opportunitatem debita contrahere, ac aliquas etiam alienationes facere, hinc proinde si casus negotiationi connaturalis præbeat jacturam potius quam lucrum, unde propterea bona donata diminutionem patiantur, recte intrat propositio, de qua per Rotam *decis. 89. num. 5.* post Merlin. *de pignor. & in Urbevetana restitutionis dotis 22. Maji 1645. coram Peutingerio*, quod donatarius tanquam succedens loco hæredis, ad omnia debita, & onera donatoris tenetur, ex ea nimium probabili, & convincenti ratione, quæ a scripto, & non scripto jure derivat, quod sicuti in casu lucri, & acquisitionis, donatarius commodum reportasset, ita incommodo subjacere debet, juxta regulam *secundum naturam*, de qua in proposito lucri, vel jacturæ in bonis fideicommissi ex negotiatione hæredis gravati habetur *sub tit. de fideicom. disc. 291.* Et in his terminis specialibus per plura fundamenta bene advertit 7
Fontanell. *de pact. clauf. 11. glof. unica a n. 16. ad 39.* ubi late materiam expendit, *& idem* Fontanell. *dec. 209.* atque in hoc sensu, & cum hac distinctione intelligendæ veniunt proxime allegatæ decisiones Rotæ, cum alias eas ita simpliciter attendere periculosum sit.

Clarius vero, aderat dubium in hac facti specie, quo- 8
niam non agebatur de bonis extantibus de tempore donationis, sed de censu post illam quæsito, unde propterea iniquitas esset, quod donatarius approbare vellet factum donatoris post donationem in iis, quæ solum commodum con-

cernunt,

cernunt, atque obtinere futuras acquisitiones, illud vero improbare in damnosis contra dictam regulam *secundum naturam*, ac etiam quia esset species locupletationis de alieno, nimiumque lata via aperiretur fraudibus, & collusionibus, quod sc. negotiatores hujusmodi donationes filiis, vel fratribus facere possent, deindeque negotiationis aleam continuare sub sola certitudine lucri absque timore damni, quoniam si fierent lucrosæ acquisitiones, essent propriæ & caderent sub donatione, si vero contingeret jactura, esset creditorum, quod scripti, ac naturalis juris principiis, ac rationi repugnat.

9 Ideoque dicendum est, quod facta hujusmodi donatione de præsentibus, & futuris, implicita adesse dicatur reservatio administrationis patrimonii donati ipsi donatori, & consequenter, quod ipsum patrimonium donatum, commodo lucri, ac incommodo damni, seu jacturæ pariformiter subjacere debeat, juxta eosdem terminos negotiationis factæ per hæredem gravatum ex deductis *d. disc. 191. de fideicommissis*.

10 Non negabant Scribentes in contrarium veritatem dictæ theoricæ in abstracto, cum revera ex scripto, & non scripto jure incontrovertibilis videatur, dicebant tamen è converso, fallaciam quoque esse in applicatione, ex eo quod ageretur de debito alieno, ac fidejussorio, dum affictus initus erat per alios, pro quibus ipse donator fidejusserat, verum nimis plana erat solutio ex solo facto, in quo bene constabat ipsum donatorem plures alias præmanibus habentem negotiationes, ac appaltus, seu affictus, præsertim impressionis cameralis, ac alterius Oppidi, vel Castri cum eodem locatore, ita honestatis, ac melioris negotiationis causa iniisse contractum, sub nomine eorum, qui sui negotii juvenes, ac etiam conjuncti erant, sub ejus tamen assecuratione, ut frequens est negotiatorum usus; ideoque in effectu proprium negotium erat, attendendo magis veritatem, quam formalitatem verborum, ea regula, *plus valere quod agitur*, *&c.* ut sæpe in sua materia *sub tit. de credito*, ideoque cum justitiæ fundamento executionis ulterior progressus demandatus fuit, nisi solutio debiti sequuta sit.

ROMANA DONATIONIS
PRO MAURITIO DE ASTE
CUM FRATRIBUS DE SOJERS.

Casus disputatus cor. A. C. postea concordatus.

Donatio facta patri, & filiis, an censeatur ordine simultaneo, vel successivo, & an patre retrodonante, jus competat filiis ipso vivente adversus donatorem?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De distinctione inter donationem factam ab ascendente, vel extraneo patri, & filiis, an ordine simultaneo, vel successivo.*
3 *Intelligitur in dubio, secus ubi constat de diversa voluntate etiam præsumptiva.*
4 *Expenduntur conjecturæ, ex quibus censetur ordine successivo etiam si ab extraneo.*
5 *An distinctio, de qua n. 2. procedat solum in ultimis voluntatibus, vel etiam in contractibus?*
6 *Recensetur causæ exitus.*

D I S C. XLVII.

1 MAuritius de Aste, paulo post completam minorem ætatem annorum 20. ad quam ex Statuto Urbis illa restricta est, per mortem patris sui juris effectus, juxta consuetas adolescentiæ imprudentias, Gulielmo Sojers Germaniæ inferioris Viro qualificatæ nobilitatis, qui ob Catholicam fidem, bonis patrimonialibus spoliatus, in Urbe cum numerosa familia non multum affluenter vivebat, donationem fecit pro se, ejusque filiis, & descendentibus in infinitum scut. 10. m. solvendorum post ipsius donatoris mortem, interim vero ejus vita durante annuorum scut. 300. Verum paulo post pœnitens, donationem prædictam revocavit, habitaque de hoc notitia, Gulielmus prædictus ejus ingenitæ nobilitati respondendo, inexplicabili quidem morum, ac vitæ ingenuitate præditus, dictæ revocationi adhæsit, cuicumque juri ex donatione quæsito retrocedendo; ejus autem filii jam majores, patre adhuc vivente, ac invito, ex persona propria pro dictæ annuæ præstationis assequutione, judicium instituerunt contra donatorem cor. A. C. Assumptaque desuper disputatione, illa restringebatur ad punctum, an filii prædicti vocati essent ordine simultaneo, vel successivo, quoniam posito quod vocati essent ordine successivo, casus eorum vocationis adhuc non advenerat, ideoque nullam actionem contra donatorem exercere poterant.

Super hoc igitur assumpta disputatione, Scribentes pro actoribus, totam vim constituebant in magis communiter recepta distinctione, quod aut agitur de dispositione ascendentis cum descendentibus cum quibus urget, ultra charitatem, necessitas, & censetur ordine successivo, aut de dispositione transversalis, vel extranei, in quo sola ratio charitatis militet, & secus, Jas. *in l. Gallus*, §. *quidem recte*, *n. 24. & seq. ff. de lib. & posth.* ibique cæteri plene congesti per Mantic. *de conject. l. 4.* tit. *9. n. 17. cum seq.* Rot. *decis. 574. num. 2. & seq. par. 4. rec. & dec. 424. num. 14. & seq. p. 4. rec.* rejecta contraria sententia Bart. ibidem volentis, ut etiam isto secundo casu vocatio ordine successivo censenda sit. 2

Pro donatore reo convento Scribens, non impugnabam distinctionem, utpote magis communiter in Foro receptam præsertim in Rota, & Curia, dicebam tamen, eam pro procedere in dubio, secus autem ubi ex adminiculis, vel conjecturis constat de diversa voluntate, quæ semper attendenda est, Cæs. de Graff. *decis. 2. sub num. 3. de testam.* Bellon. *de jur. accresc. cap. 5. quæst. 26. n. 227.* admittitur *dict. decis. 574. par. 4. rec. num. 6. & seq. & dict. dec. 424. par. 9. num. 14. & seq.* ad quem effectum plures ponderabam conjecturas, ac probationes. 3

Primo quia in eodem instrumento expresse dicitur, ut decedente Gulielmo succedant filii, quam dicebam non esse conjecturam, sed probationem claram, & licet responderetur ista verba contineri in donatione sortis principalis scut. 10. m. Replicabam tamen, quod cum agatur de una eademque dispositione, hinc proinde una pars declarat alteram, præsertim quia non erat circa diversa, cum annua præstatio per donatorem viventem promissa videretur loco fructuum, quos dicta sors principalis produceret, nisi solutio ad mortem dilata esset. 4

Secundo quia dicebatur dictam annuam præstationem scut. 300. donari, ut dictus Gulielmus honorificentius, se, suamque familiam sustentare posset, igitur principaliter dispositio directa erat ad personam patris, qui integrum redditum habere deberet, non autem ut sequeretur inconveniens verisimili voluntati donatoris, & acquirentis contrarium, ut idem redditus in plures portiones divideretur, quot erant plures filii.

Tertio quia tenor donationis, aliæque circumstantiæ ostendebant, quod totum gestum erat contemplatione ipsius patris, qui dictæ donationis causa fuerat, Mantic. *loc. cit. n. 23.* Peregr. *de fideic. art. 17. n. 28.*

Quarto omnium clarius (& quod reflectendo ad veritatem, istam talem esse ostendebat) quia non solum vocati erant filii, sed nepotes, pronepotes, & descendentes in infinitum, cum tunc impossibile sit dare vocationem simultaneam, Mantic. *ubi supra*, *n. 26.* Fusar. *q. 476. n. 46.* plene Sord. *dec. 346. n. 14. & seqq. dec. 127. n. fin. p. 6. rec. dec. 97. n. 10. & seqq. p. 4.* Licet enim hæc ultima decisio revocata sit per dictam posteriorem *dec. 574. eadem par. 4.* attamen difficultas cadit quando filii primi gradus solum vocati sunt, quasi quod intelligatur de jam natis, & cognitis tantum, admittendo contrarium, ubi donatarius sensisset de nascituris, & fortius ubi de gradibus ulterioribus.

Alii pro hac eadem parte Scribentes satis insistebant in eo, quod distinctio prædicta, quæ hodie pro regula constituitur, procedat in ultimis voluntatibus, secus autem in contractibus, in quibus absque distinctione filii semper censentur vocati ordine successivo, ex Bart. *in d.* §. *quidam recte*, *num. 4. & 8.* Peregr. *d. art. 17. n. 24.* Put. *dec. 4. de locat.* 5

Verum Ego, reflectendo ad veritatem, dubitabam de congrua applicatione ad casum, id enim recte procedere videtur in contractibus correspectivis, in quibus totum id quod filii, & ulteriores descendentes obtinent, habere dicuntur ea providentia, vel stipulatione patris, secus autem in mere gratuita dispositione, in qua sola concedentis voluntas spectatur, cum tunc nulla differentia considerabilis videatur inter actus inter vivos, vel per ultimam voluntatem, ideoque veritas consistere videtur in theorica feudistarum, super quæstione, an feudum concessum patri, & filiis, censeatur concessum simultanee, vel successive,

de quo præsertim actum habetur *in Romana pecuniaria de Pallavicinis*, *sub titul. de feudis ad materiam Balla Baronum disc. 75.*

6 Quia vero ista exceptio erat potius dilatorie, quam peremptoria, cum nihil referret quoad substantiam donationis, ac debiti, quod dicti filii agere non possent vivente patre, si agere potuissent eo defuncto, ideoque victoria super hoc puncto, parum, vel fere nihil profutura fuisset, hinc proinde, alia excitata fuerunt motiva nimium relevantia, quæ percutiebant dictæ donationis substantiam, ac invaliditatem, unde propterea donatori reo convento debita esset absolutoria, & ex his, Me etiam nedum consulente, sed etiam cooperante, controversia per concordiam finem habuit, mediante etiam opera, & interpositione cujusdam satis qualificati Cardinalis, cujus honorario servitio præfatus Gulielmus mancipatus erat.

ANNOT. AD DISC. XLVII.

QUando pater, & filii vocati dicantur ordine simultaneo, vel successivo, ultra deducta in præsenti discursu videri poterunt deducta *sub tit. de feud. disc. 75. & de dot. disc. 209.*

ROMANA FIDEICOMMISSI DE CÆSIIS PRO DOMITILLA CÆSIA, CUM DUCE AQUÆSPARTÆ.

Casus decisus per Rotam pro Duce.

An secunde donatio facta ad favorem ejusdem donatarii censenda sit duplicata, & diversa a præcedenti, adeout utraque debeatur, vel potius secundus actus initus censeatur in executionem, ac implamentum primi, adeout unica sit donatio?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Legatum factum creditori non censetur animo compensandi.*
4 *In specie quod secunda donatio non censeatur facta in compensationem primæ contemplatione matrimonii.*
5 *De ratione ob quam secunda donatio cum onere sit diversa a prima facta contemplatione matrimonii ob istius particularem naturam.*
6 *Libertas est opposita fideicommisso, quod importat servitutem.*
7 *Donationes contemplatione matrimonii non subjacent solemnitatibus statutariis.*
8 *De fundamento principali dictarum resolutionum, de quibus n. 2.*
9 *Donatio in dubio non præsumitur, & capienda est præsumptio pro exclusione.*
10 *Actus in dubio referendus est ad causam necessariam potius quam voluntariam.*
11 *Quando secundus actus censeatur initus in exequutionem primi.*
12 *Promissio de donando, an importet donationem perfectam?*
13 *Quod ista sit quæstio facti potius quam juris.*
14 *De argumentis ex quibus secundus actus censetur idem cum primo, & in ejus exequutionem.*
15 *Observantia est optima interpres voluntatis contrahentium.*
16 *Conclusio, de qua n. 3. limitatur ex contrariis conjecturis.*
17 *De ratione ponderata n. 5. super donatione contemplatione matrimonii.*
18 *Donata, vel promissa annua reddita, censentur in contractum deducta tot bona, quæ fructent dictam redditum.*

D I S C. XLVIII.

1 JUxta facti seriem plenius enarratam in hac eadem causa *sub tit. de fideic. disc. 134.* Cum Cardinalis Patrus Donatus Cæsius occasione matrimonii contrahendi inter Fridericum ex fratre nepotem, & Pulcheriam Ursinam, promisisset facere dicto Friderico donationem annui redditus scutorum ter mille, postmodum vero ad aliquod tempus in Civitate Bononiæ (ubi erat Legatus) nulla dictæ promissionis, vel causæ promittendi mentione facte, donationem dicto Friderico fecisset unius Castri aliorumque bonorum, quæ dictum redditum scut. ter mille, & ultra constituebant cum onere fideicommissi juxta ibi recensitum ordinem, ab eodem Cardinali in testamento repetitum, ac denuo præscriptum, hinc ejusdem fideicommissi casu facto per mortem alterius Cardinalis Petri Donati ultimi ex filiis masculis dicti Friderici, inter plures controversiæ punctos disputatos inter Ducem Aquæspartæ 2 fideicommissarium, & Domitillam dicti Cardinalis junioris sororem, & hæredem, fuit iste, an secunda donatio facta in Civitate Bononiæ cum vinculo fideicommissi, diversa esset e dicta præcedenti promissione facta in Urbe contemplatione matrimonii, cum hæc nullum fideicommissi vinculum contineret, itaut ex fideicommissaria hæreditate licitum esset detrahere primam donationem tanquam liberam, & introducta desuper causa in Rota *cor. Meltio*, ad favorem fideicommissarii prodierunt decisiones *sub diebus 13. Maji 1658. & 10. Decem. 1659.* quarum prima est impress. *dec. 339. par. 12. rec.* deindeque concordia tam istam, quam alias controversias terminavit.

Super hoc autem præsertim puncto, Ego unus ex Domitillæ Advocatis, magnam contra eam ab initio habui difficultatem, unde propterea resolutiones fuerunt juxta votum, atque in congressibus habitis antequam disputationes assumerentur, eram in sensu, ut disputationis alea omnino effugi deberet, sed procurari concordia eo meliori quo fieri posset modo, ut de facto Me cooperante sequutum fuisset, nisi diversus sensus aliorum seniorum Advocatorum, qui tunc rationabiliter majoris erant existimationis, ipsiusque principalis qualitas dictum proficuum tractatum inanem non reddidissent.

In disputationibus igitur desuper habitis, alii hujus 3 partis Defensores, & Ego more Advocati ad causæ opportunitatem scribendo, ad probandum, quod secunda donatio esset diversa a prima, non autem in ejus compensationem, vel implementum, plura deducebamus fundamenta, primo scilicet conclusionem generalem, de qua apud Menoch. *lib. 4. præsumpt.* 109. & pluries in sua materia *sub tit. de legatis*, ut legatum factum per debitorem creditori regulariter, non constito de contraria voluntate, censeatur diversum, & accumulativum, non autem animo compensandi cum debito trahente originem ex causa voluntaria, dictosque terminos recte intrare dicebamus, cum legatum donatio quoque dicatur, atque eadem militet ratio.

Secundo magis in specie deducebamus ea, quæ deducte 4 habentur ap. Marcian. jun. *disp. 84. n. 2. & 3. & seq. per tot.* ad probandum, quod secunda donatio, vel alia dispositio facta per donatorem ad favorem donatarii diversa sit a præcedenti donatione facta contemplatione matrimonii.

Et tertio, Ego ex genio, & stylo, solitus insistere ma- 5 gis in rationibus, quam in simplicibus doctrinis, dicebam quod donatio contemplatione matrimonii non est vera, & propria donatio, quæ ex motivo benevolentiæ, & causa lucrativa fiat, sed dicitur pars contractus matrimonialis, admixtam etiam habens causam onerosam, cum frequentius illa procurari soleat ex parte mulieris, ejusque parentum, vel conjunctorum ob ejusdem mulieris, ac filiorum procreandorum interesse, adeout neque per ipsum sponsum donatarium volentem remitti, vel minui valeat, ut deductis *supra disc. 2. cum pluribus seqq.* Et consequenter, quod secunda donatio habens pro causa benevolentiam donatoris erga donatarium, ac motivum conservationis bonorum in agnatione, omnino diversa censeri deberet tam ratione voluntatis ob dictam causæ diversitatem in verbis explicatam, quam etiam ratione potestatis, a qua voluntas regulari solet, quoniam cum prima donatio esset libera, ita adjiciendo vinculum fideicommissi, esset absque dubio illam notabiliter diminuere, quod ob interesse secundarium uxoris, ac filiorum fieri non poterat, deducendo eadem fundamenta, quæ post has disputationes habentur firmata in decisionibus editis in casu, de quo supra *d. disc. 2.* ac etiam tunc editas decisiones *in Romana donationum de Aleleona*, de qua habetur actum *sub tit. de fideicommissis, disc. 138. & in Romana donationis de Cervis, eod. tit. disc. 137. cum ibi deductis.*

Clarius vero, quia in dicta promissione dicitur, dictum 6 redditum scutorum trium millium esse debere liberum ab omni onere, fideicommissum enim continet onus, ac servitutem, ideoque illud incompatibile est cum libertate, ut auctoritate Rotæ & aliorum advertitur *sub tit. de fideicomm. disc. 109.*

Ac etiam quia in secunda donatione in Civitate Bononiæ, dili-

diligentissimæ adhibitæ fuerunt solemnitates ad formam juris communis, ac illorum Statutorum requisitæ in mere gratuitis, ac voluntariis donationibus, quod argumentum esse dicebam, ut hæc esset nova, diversaque donatio ea diversa causa, quoniam si fuisset in exequutionem dictæ promissionis, opus non erat solemnitates prædictas adhibere, utpote contemplatione certi, & determinati matrimonii,
7 juxta veriorem, passimque receptam opinionem, de qua *supra disc.* 2. & in aliis pluries, ac etiam verisimiliter ea efficacior causa expressa fuisset potius quam aliæ magis vagæ, minorisque ponderis, dum non solum ipse donator erat peritissimus, sed Auditorem habebat *Tuscum*, qui postea ad Cardinalatus apicem quoque evectus fuit.

Quamvis autem Rota, quasi per transennam in hoc puncto insistendo, principale fundamentum constituerit in eo, quod Cardinalis donator bona omnia etiam in hac promissione contenta in animo habuerit comprehendere sub fi-
8 deicommisso ordinato in testamento, quod per Fridericum donatarium acceptatum fuit, ea conclusione, quod testator gravare potest hæredem, etiam in istius bona propriis, *ut dicto disc.* 134. *sub tit. de fideicommissis*, attamen ubi secluso dicto fundamento, ad hunc punctum causa restringaretur, adhuc reflectendo ad veritatem, probabiliores Mihi videbantur fideicommissarii partes, ideoque resolutiones laudavi.

Regula enim juris est, quod ubi primus actus non est omnino absolutus, ac perfectus, sed, vel ex dispositione juris, vel ex voluntate agentium, alium ad sui perfectionem, vel exequutionem expectat actum, ut tunc alter actus subsequens initus censeatur pro observantia, & perfectione,
9 seu exequutione primi, tum quia in dubio excludenda est donationum multiplicitas, cum etiam ejus unicitati juris præsumptio in dubio non assistat, ex deductis per Tiraquell. *in l. si unquam, verbo donatione largitus*, n. 206. Cavaler. *dec.* 603. n. 5. *& 6. dec.* 41. *p.* 9. *rec. n.* 3. *& seqq.*

Tum etiam quia, ubi duæ causæ concurrunt, una obligatoria, & necessaria, altera vero voluntaria, ad neces-
10 sariam potius actus est referendus, quia nemo in necessitatibus liberalis existit, ad text. *in l.* 4. *§. quæri potest, ff. de manumiss. & l. ad solutionem*, C. *de re judic. cum concordan.* per Menoch. *l.* 2. *præsumpt.* 74. *& l.* 3. *præsumpt.* 10. *n.* 23. Cyriac. *controv.* 479. *n.* 5. *cum seq.* Et in specie obligationis post promissionem de donando, Abb. *cons.* 116. *sub n.* 12. *p.* x. Surd. *cons.* 19. *n.* 27. *&* 28. cum aliis in hujus causæ decisionibus.

Quæstio etenim major cadit, ubi primus actus est jam perfectus, & absolutus, aliudque non superest nisi solutio, vel implementum, an scilicet secundus actus impor-
11 tet præventivum implementum, juxta quæstionem adeo disputatam *in Romana Scutorum* 30. *mil. coram Cerro*, *d. decis.* 41. *p.* 9. *rec. & coram Dunozett.* inter suas *decis.* 560. *&* 579. sed ubi expectat alium actum, tunc dicta regula procedere videtur de plano.

Et quamvis Ego, & alii pro hac parte Scribentes diceremus quod dicta sola promissio de donando importaret actum perfectum, & irrevocabilem, unde propterea alter actus
12 perficiens desiderandus non esset, juxta plene firmata *in Romana donationis de Castellanis coram Coccino*, *dec.* 58. *p.* 6. *& decis.* 393. *par.* 5. *rec. & in dicta Romana donationum de Alaleona coram Verospio d. disc.* 138. *de fideicommissis*, attamen ultra difficultates desuper cadentes, ac in eisdem decisionibus *coram Coccino* enunciatas, ac etiam in præcedentibus, ut scilicet promissio sit quidem irrevocabilis, atque producat actionem ad factum, seu ad damna, & interesse, non autem transferat dominium bonorum, quæ medio tempore in alium transferri potuerint, ubi potissimum promissio munita non est hypotheca, magis vero in hac facti specie ob incertitudinem bonorum assignandorum, unde propterea ad effectum translationis dominii omnino alter actus perficiens necessarius erat, adhuc tamen intrebat dicta regula de secundo actu perficiente ex voluntate Partium, dum promissum est fieri debere donationem, unde propterea alterius actus confectio expresse reservata est.

13 Item quia, tam ista regula, ut secundus actus, quoties primus non omnino perfectus præcedat, initus censeatur ad perfectionem, ac executionem primi, quam alia opposita, ut primo jam perfecto, secundus censeatur diversus, ac reduplicativus, recte procedunt ad inducendam in dubio præsumptionem, contraria tamen probatione, quinimmo fortioribus præsumptionibus elidibilem, cum ista, utpote quæstio facti, & voluntatis potius quam juris, vere certam, ac determinatam regulam generalem non recipiat, sed pro facti qualitate, & circumstantiis, unam, vel alteram

voluntatem verisimiliter suadentibus, decidenda venit, adeout erroneum sit, (eo modo quo generaliter in omnibus voluntatis quæstionibus) doctrinas, ac decisiones de uno casu agentes alteri applicare.

Ponderetis autem simul, ac unitim omnibus facti circumstantiis, cum consueta regula, *ut singula quæ non prosunt &c.* clara pro meo judicio videbatur voluntas faciendi secundum actum in executionem primi, non obstantibus generalitatibus in contrarium, ut supra ponderatis.

Primo scilicet ponderabam regulam ut supra huic præsumptioni assistentem, secundo tempus præcisum ad limites dictæ promissionis, dum illa facta occasione sponsalium 14
pro futuro matrimonio, quod conventum erat, ut illinc ad triennium contrahendum esset, promissum fuerat facere donationem per duos menses antea, ut sequutum fuit, tertio ob reservationem in eadem promissione contentam, adjiciendi bene visas leges, conditiones, & onera, quarto, quia bona in secunda donatione contenta respondebant summæ promissæ in prima annui redditus scutorum 3. m. circiter, & parum plus, quinto nimium stringenter, quod in præcedenti promissione in specie promissum fuit inter bona dare unum Castrum jurisdictionale, ut in hac secunda donatione sequutum fuit, & sexto demum observantiam tam donatoris, quam donatarii, quæ optima interpres dicitur etiam contractuum, seu voluntatis contrahentium, cum donator in testamento, repetendo idem fideicommissum in hac donatione ordinatum, omnia bona ita descripse- 15
rit, quod arguit ut perinecessa comprehensa essent contenta in primo, & secundo actu; donatarius vero dictam dispositionem testamentariam expresse acceptando, omnia bona indefinita in inventario pariter descripsit, ideoque advertebam, nullam subesse necessitatem assumendi altiorem inspectionem, de qua *dicto disc.* 134. *de fideic.* An scilicet testator possit gravare hæredem in ejus bonis propriis, & quatenus possit, an voluerit, quoniam ita res magis de plano procedebat, capiendo hunc actum magis pro interpretatione, quam pro nova dispositione.

E converso autem ponderata in contrarium, leviora magisque vaga, & generalia videbantur, præsertim vero primum argumentum genericum, ut legatum factum creditori non præsumatur animo compensandi, tum quia de facili ab hac præsumptione receditur, ut in dicta sua materia *sub tit. de legatis* pluries, tum etiam quia in illis terminis secundus actus nullam habet connexionem cum primo jam perfecto, & ex diversa causa, & tamen etiam ubi primus actus est perfectus, quoties aliqua connexionis ratio urget, adhuc duplicatio de facili excluditur, *ut disc. sequen.*

Alterum argumentum deductum a defectu potestatis, 16
stante quod agebatur de promissione facta contemplatione certi, & determinati matrimonii, alicujus ponderis esset, ubi dicta reservatio alias adjiciendi conditiones, & onera in eadem promissione non contineretur, potissime quia cum in eadem promissione nulla haberetur mentio filiorum, non urgebat ea ratio juris proprii, quod dicimus primarium, quæ urgebat in casu, de quo pluries *alleg. disc.* 138. *de fideicom.* sed erat interesse secundarium, quod soluto ma- 17
trimonio evanescit, & fortius ubi adjectio oneris dicto juri, vel interesse secundario non præjudicat, justumque, ac rationabile motivum habet, adeout non urgeat ratio fraudis, & collusionis, juxta ea, quæ habentur in hac materia *supra d. disc.* 2. Et demum quoad promissam libertatem, difficultas tollebatur ex facto, dum verba libertatem denotantia directa erant ad ipsum redditum, & sic magis ad fructum, quam ad proprietatem, & ad quem principaliter respici solet pro honorifica matrimonii sustentatione, quamvis enim Ego, & cæteri pro hac parte Scribentes nimium in eo insisteremus, quod illud verbum *redditus*, ad bona in sorte principali referri deberet, & consequenter, quod alterum verbum *usufructus*, ad causalem potius quam formalem referendum veniret ea conclusione, quod promisso annuo redditu, promissa censentur tot bona, quæ illum consti- 18
tuant, ad text. *in l. si quis argentum*, *Cod. de donat. cum concordan.* apud Soccin. junior. *cons.* 60. *n.* 40. *& sequen. lib.* 4. Surd. *cons.* 319. *n.* 9. *cum seq.* Rot. *in Romana prætensi supplementi dotis* 5. *Decembris* 1653. *coram Cerro*, & in aliis, attamen cum ageretur de id ponderando tanquam argumentum voluntatis, iste possibilis intellectus sufficiat ad illud reddendum æquivocum.

ANNOT. AD DISC. XLVIII. & XLIX.

AD hanc materiam quando secundus actus censeatur initus in exequutionem primi, adeout unus, non autem

tem multiplex dicendus veniat, conferunt deducta *sub tit. de legat. disc.* 51. 54. & 60.

Et de quæstione contenta *in disc. 49. n. 6. & seqq.* an facta secunda dispositione, minori debeatur illud plus, quod est in prima, habetur *eodem tit. de legat. disc. 51. n. 4.*

ROMANA DONATIONIS DE PERETTIS, PRO CARDINALI SABELLO PERETTO, CUM CAMILLA PERETTA MONIALI.

Discursus pro veritate,

De eadem materia discursua præcedentia, an scilicet secunda donatio facta eidem donatario importet duplicationem, vel potius insit primæ, ac in ejus executionem facta sit, itaut utraque unicam constituat, & quid ubi secunda est minor, an debeatur illud plus, quod in prima continetur?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series,*
2 *An per secundum legatum censeatur ademptum primum, vel potius debeatur utrumque?*
3 *Subventiones vitalitiæ Monialium sunt dos, vel ejus pars.*
4 *Legatum in causam alimentorum non recipit duplicationem.*
5 *Observantia est interpres contractuum, alterumque dispositionum, & voluntatis.*
6 *De quæstione, an facta secunda dispositione minori debeatur illud plus, quod est in prima.*
7 *Donatio facta absenti est irrevocabilis ob stipulationem Notarii.*
8 *De speciali auctoritate Rotæ, ut secunda dispositio debeat solum attendi.*
9 *Declaratur conclusio, de qua n. 7. quando procedat.*
10 *Magis expedit habere minorem summam bene assecuratam, quam majorem minus tutam, & de novatione primi actus per secundum,*

D I S C. XLIX.

1 Venaphri Princeps Michael Perettus Camillæ filiæ absenti, quæ habitum Monasticum susceperat, donationem fecit post ejus mortem effectum sortituram menstruorum scutorum 50. ad vitam ab ejus hæredibus solvendorum, seipsum tamen viventem in aliquo non obligando, cum munificentius cum filia agere in animo habere diceret, cum autem anno sequenti tempus emittendi professionem immineret, ideoque, juxta communem præsertim Nobilium usum, dicta puella renunciam facere deberet, hinc illius occasione, soluta jam dote, & acconcio, idem pater, nulla dictæ præcedentis donationis facta mentione, vitalitiam assignationem monialibus fieri solitam, dictæ Camillæ præsenti, & acceptanti, ac etiam acceptantibus Abbatissa, & Monialibus, constituit in menstruis scutis 30. cum ejus obligatione ex tunc, ac etiam cum cautela cedulæ bancariæ, & cum promissione præstationis duorum rubrorum frumenti quolibet anno, atque ad hanc rationem continuatum fuit diuturno spatio annorum 30. & ultra, tam per dictum patrem, quam per Cardinalem de Montealto nuncupatum, filium, & hæredem, cumque dictus Cardinalis hæredem instituisset Paulum Sabellum ex germana sorore nepotem, ad purpuram quoque postmodum avectum, hinc Monialis prædicta primæ donationis prætensionem excitavit, quare desuper pro veritate a dicto Cardinali consultus,

Respondi duplicem desuper cadere posse quæstionem, primo scilicet duplicitatis donationis, & an secunda esset primæ accumulativa, adeout utraque præstatio debita sit, vel potius unitiva, unde una alteri insit, & secundo posito quod sit unitiva, an dum secunda est inferior prima, debeatur illud plus, vel potius secundus actus sit primi ademptivus.

Quatenus pertinet ad primum, dicebam, quod licet in terminis legati ad libitum revocabilis non modica inter Scribentes videatur quæstio, an secunda dispositio facta
2 censeatur cumulative, seu additative, vel potius ademptive
ad primam, ad materiam textus *in l. libertis quos, & l. legato, §. his verbis, & l. libertis, ff. de alimentis, & cibariis legatis, l. quinquaginta ff. de probat. utrobique Scribentes, de quibus* apud Menoch. *lib. 4. præsumpt.* 128. Fab. de Ann. *cons.* 91. Franch. *dec.* 422. Rota *decis.* 41. *p. 9. rec.* & apud Dunozzett. *decis.* 560. & 579. ac alios, de quibus infra, & in sua materia *sub tit. de legatis*, ubi concluditur quod ista quæstio, utpote facti, & voluntatis non de facili certam, ac generalem determinationem recipit, sed pro cujuslibet casus particulari qualitate, ac circumstantiis decidenda est, prout verisimilis disponentis voluntas ex dictis circumstantiis desumpta suadere videatur.

Attamen in hac facti specie, tum ex qualitate personarum, tum fortius ratione subjectæ materiæ, sine dubio pro duplicationis exclusione respondendum esset, siquidem hujusmodi annua, vel menstrua assignatio vitalitia, quæ per parentes, vel alios dotare obligatos fit monialibus pro earum extraordinariis occurrentiis, quibus non de facili Monasterium providet, juxta consuetudinem ab Ecclesia
toleratam, dicitur dos, seu illius pars, ut in specie firmatur 3
apud Merlin. *decis.* 671. repert. *dec.* 30. *n.* 31. *& seq. p.* 7. *rec.* & habetur pluries in sua materia *sub tit. de dote*, *disc.* 144. & 145. & 167. ac propterea dupliciter excluditur reduplicatio, primo quia videtur dispositio in causam alimento-
rum, quæ duplicationem non recipiunt, ex deductis per Surd. 4
de alim. tit. 9. *q.* 4. Castill. *eodem tract. aliat* 8. *tom. controv. c.* 37. & 41. Et secundo, quia dum est dispositio facta per patrem ad favorem filiæ in causam dotis, certum est non intrare duplicationem, sed unam dispositionem alteri inesse, ob unicitatem causæ, ad text. *in l. filia legatorum. Cod. de legatis cum concord.* de quibus apud Fab. de Ann. *d. cons.* 91. Franch. *d. dec.* 422. Surd. *cons.* 119. *nu.* 10. *& sequen.* Arias de Mesa *lib. 2. var. c.* 11. *n.* 15. & 18. & habetur pluries *sub tit. de dote*, præsertim *dicto disc.* 144. & *alibi*.

Clarius vero, concurrente diuturna observantia, quæ in omnibus humanis actibus inter vivos, vel per ultimam voluntatem aliquam habentibus ambiguitatem, dicitur opti-
ma interpres, ideoque nimium ei deferendum est, ut in spe- 5
cie quod sit interpres contractuum, seu voluntatis contrahentium, Gregor. *dec.* 502. *n.* 10. & *dec.* 511. *n.* 8. Rot. *dec.* 323. *n.* 13. *p.* 11. *rec. dec.* 199. *n.* 12. *& seqq. p.* 10. & *sæpius*.

Quo vero ad alterum punctum, seu inspectionem, videbatur primo aspectu responderi debere pro suppletione majoris summæ in prima donatione contentæ, licet enim in quæstione inter Dynum volentem ut secunda dispositio
censeatur omnino ademptiva primæ, & Oldradum volen- 6
tem, ut secunda primæ non præjudicet, adeout residuum adhuc debeatur, magis communis, ac recepta videatur hæc posterior opinio Oldradi, ubi diversæ voluntatis conjecturæ, vel argumenta non concurrant, Franch. *d. dec.* 422. late Fab. de Ann. *cons.* 91. *n.* 10. *cum seq.* (quod tam in ista, quam in præcedenti quæstione videtur satis elaboratum, ac magistrale) plene Capyc. Latr. *consult.* 17. Adden. ad Gregor. *dec.* 236. Atque id procedit in legatis, ac dispositionibus revocabilibus, in quibus etiam tacita, seu conjecturata voluntas attenditur, multo magis in donatione inter vivos irrevocabili, quamvis facta absenti propter obli-
gationem cameralem continentem in ventre stipulationem 7
Notarii pro omnibus, quorum interest, ex deductis per Gregor. & Adden. *dec.* 97. Burat. & Adden. *dec.* 149. *dec.* 40. & 387. *p.* 9. *rec.* & *pluries in præcedentibus*.

His tamen non obstantibus, contrarium dixi in hac facti specie de jure verius, primo ob specialem, satisque proximam auctoritatem Rotæ apud Millin. *dec.* 424. *num.* 2. &
per tot. ubi licet agatur de dispositione revocabili, atta- 8
men ex identitate rationis ad rem bene facere videtur, dum in specie consideratur illa particularis circumstantia, quæ in præsenti concurrebat, quod scilicet secunda assignatio facta fuit correspective ad renunciam generalem continentem omne, seu totum, & quicquid filia a patre prætendere posset, unde propterea illud jus ex prima donatione resultans sub ea comprensum dicitur.

Et secundo fortius, quoniam ut pluries in præcedentibus habetur, conclusio ut donatio facta absenti, accedente juramento, vel stipulatione Notarii pœnitentiam excludat,
atque irrevocabilis fiat, recte procedit ubi sit vere lucra- 9
tiva, adeout sub se contineat præsumptionem verisimilis acceptationis ex parte donatarii, secus autem ubi agitur de donatione onerosa, vel correspectiva, quam donatarius possit non acceptare, quia sibi non expediat, & hic erat casus, tum quia ista non dicitur pura, & gratuita donatio, sed pars dotis, ad quam pater quamvis invitus erga filiam tenetur, tum etiam, quia cum pater vivens ad eam se obligare noluisset, sed direxisset obligationem ad hæredes, unde propterea ejusdem patris, adhuc in florida ætate, diuturna vita durante ipsa remanebat incerta, & sine provisio-

ne,

ue, ac etiam postea sine illa majori cautela facilioris, magisque promptæ exactionis, quæ resultat a cedula bancaria, ubi præsertim agitur de debito præstando a Magnatibus, & conjunctis, quos nolentes non de facili mulier in Mo-
10 nasterio reclusa urgere potest, hinc proinde magis expediebat habere minorem summam ita assecuratam, quam majorem incertam, ac difficilis exactionis, & consequenter claram resultare dicebam voluntatem dictæ Monialis donatariæ non acceptandi primam donationem, quodque ea neglecta, atque omnino novata, occasione solutionis dotis, & acconcii factæ Monasterio, ac renunciæ respective, cum præsentia, & consensu Abbatissæ, ac Superioris, ita mature conventum fuerit, deducendo in idem supra insinuatum motivum observantiæ tanquam optimæ interpretis.

Quamvis autem de stricta juris censura ita sine dubio procedere crederem, adhuc tamen consului requirenti, ut neglecto juris rigore cum matertera unica hujus familiæ superstite, aliquam majorem exerceret benevolentiam, ut credo concorditer sequutum, dum de hoc negotio amplius actum non audivi.

ROMANA LUCRI,
SEU DONATIONIS
PRO GRISCIANIS,
CUM MARIACONSTANTIA
CAPPELLINA.

Casus decisus per Rotam pro Griscianis.

An valeat donatio facta per conjugem binubam tertio conjuncto, vel extraneo in præjudicium donationis propter nuptias, seu lucri dotalis debiti secundo conjugi superstiti, & quid respectu portionum, quæ debentur filiis primi matrimonii, ut conjugi lucrum obtinenti reddantur æquales ad terminos text. *in l. hac edictali, C. de secundis nuptiis?*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De lucro dotali, seu donatione propter nuptias non debenda in casu mixto.*
3 *Statutum lucri non censetur derogasse* l. hac edictali.
4 *Lucrum dicitur pars quotitativa dotis.*
5 *Lucrum habet eandem anterioritatem dotis, non autem privilegium.*
6 *Conjux nihil facere potest, per quod lucro conjugi debito præjudicetur.*
7 *De materia* l. hac edictali, *& quomodo concurrat cum Statuto super lucro.*
8 *Donatio non præjudicat legitimæ filiorum, quæ per eam non minuitur.*
9 *Portio debita filiis, ut æquales fiant secundo conjugi ex* l. hac edictali, *supere dicitur legitimam auctam.*
10 *Lucrum statutarium, vel conventionale dicitur debitum necessarium, & irrevocabile, utpote onerosum.*
11 *Pro dote mulier major valide se obligat etiamsi ex causa voluntaria.*
12 *Secus quando dos habeat speciem donationis, & de distinctione causæ lucrativæ, & onerosæ in dote.*
13 *Quare lucrum patiatur diminutionem in* l. hac edictali.
14 *Quid in casu, quo mulier ex causa onerosa alienet, vel debita contrahat.*
15 *De ratione* tex. in dicta l. hac edictali, *& in quo casu procedat.*
16 *An mulier, quæ primo loco nupsit juxta consuetudines Capuanæ, & Nidi, possit postea nubere more Magnatum?*
17 *Quod mulier detrahat lucrum non curato an aliquod supersit pro filiis.*
18 *Vir, & mulier circa pœnas secundo nubentium a pari procedunt.*
19 *Quando etiam in alienatione, vel obligatione ex causa onerosa procedat* tex. in l. hac edictali.
20 *Resolutio causæ.*

DISC. L.

1 Constantia Zoila Vidua habens ex primo matrimonio duas filias, secundas nuptias contraxit cum Gaspare Grisciano cum dote scut. 6500. sub expresso pacto lucri ad formam Statuti 131. Urbis, cumque eadem Constantia donasset nepti ex una dictarum filiarum scuta 3. m. pro dote, hinc sequuta ejus morte, nullis filiis ex hoc secundo matrimonio superstitibus, inter Gasparem virum, seu ejus postmodum defuncti hæredes, & Mariam Constantiam filiam, & hæredem dictæ Constantiæ orta est controversia, causaque delata post quandam sententiam A. C. ad Rotam *coram Bourlemont*, assumptaque disputatione super summa, seu quantitate præfato viro debita pro lucro statutario consistente in quarta parte dotis.

Quamvis Scribentes pro dicta hærede mulieris rea conventa, in eo insisterent, quod nullum lucrum deberetur utpote in casu mixto, juxta *dec. 255. p. 4. divers.* attamen iste punctus nullam, vel modicam habebat difficultatem, cum de tempore hujusmodi disputationis, jam sopitus esset per decisiones editas in casu, de quo *sub tit. de dote disc. 130. & 131.* ubi distinguendo plures casus, tollitur æquivocum, cum quo in hac materia procedebatur, unde propterea, posito pro constanti, quod lucrum in genere debitum esset, cum ex deductis in eisdem *disc. 130. & 131. de dote*, receptum pariter sit, Statutum Urbis non derogare dispositioni textus *in l. hac edictali, C. de secundis nuptiis*, sed compatibiliter cum eo intelligendum esse ex ibi deductis, & consequenter, quod detracta prius præcipua legitima dd. filiarum, juxta opinionem, quam inconcusse tenet Rota, & Curia Romana, ex reliquo besse detrahi deberet lucrum in quantitate æquali singulis primi matrimonii filiabus, hinc exorta est dubitatio, an ex eodem besse detrahi deberet tanquam æs alienum dicta summa scut. 3. m. quam mulier titulo dotis nepti ex filia donaverat, unde propterea repartitio facienda esset in eo, quod supererat. 3

In hoc autem, etiam cum sensu veritatis, dicebam pro viro, seu ejus hæredibus respondendum esse, ut ex integro besse, nulla dictæ donationis ratione habita lucrum deberetur, quoniam ut pluries habetur in dicta sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *d. disc. 130. & seq.* ac etiam *disc. 128.* lucrum statutarium dicitur pars quotitativa, dum quarta pars dotis delata est. Et consequenter, excepta moderatione resultante a dicta dispositione textus *in l. hac edictali*, in reliquis tanquam æs alienum, diminutionem pati non debet, quoniam lucrum utpote reciprocum, dicitur potius correspectivum, & onerosum, quam lucrativum, illudque, ubi potissimum dispositioni statutariæ accedat etiam pactum expressum cum hypotheca contenta in obligatione camerali, dicitur debitum contractum ab initio, ex quo anterioritatem quoque desumit, sicut dos, absque aliqua differentia, nisi circa privilegium potioritatis, quod competens doti non competit lucro, ut in dicta sua materia *sub tit. de dote disc. 166. & in aliis*, ac propterea de consequenti resultat, quod debitor nihil facere potest, etiam per actum onerosum, & correspectivum, multo minus per mere voluntarium, & lucrativum, per quod ejus creditori præjudicetur, ejusque jus tollatur. 4 5

Ut ultra satis nota, & indubitata principia generalia, in his terminis specialibus, quod mulier nihil facere possit, per quod præjudicetur lucro debito viro, vel e converso, cum eadem sit ratio, cæteris relatis Castrens. *cons. 82 n. 2. l. 1. cum concord. per* Surd. *cons. 572. n. 72.* Dunozett. senior. *dec. 162. n. 8. repert. dec. 15. p. 4. rec. tom. 2.* Duran. *dec. 129. repet. dec. 138. nu. 23. p. 5. rec.* & apud Barz. *dec. 83. cum aliis apud eos.* 6

Difficultas autem in eo residebat, quod ita verificabilis remanere non posset dispositio dicti text. *in l. hac edictali*, ut scilicet secundus conjux esse non possit melioris conditionis, quam essent singuli filii primi matrimonii, quoniam si ex reliquo besse detrahendum esset lucrum, vel integro, vel saltem ad mensuram portionis singulorum filiorum, isti ex portionibus remanentibus utpote eas obtinentes, tanquam hæredes matris, tenerentur ad dictum debitum, quod portiones integras absorbebat. 7

Super hoc autem Scribentes in contrarium nil deducebant speciale, cum solum immorarentur in dicta generali conclusione, ut per Statuta deferentia lucrum non censeatur derogatum *d. l. hac edictali*, sed cum ea compatibiliter intelligenda sint, e converso autem Ego aliquibus adhibitis diligentiis, neque inveni descendentem ad hos terminos speciales, constituebam tamen fundamentum in dicta conclusione, ut mulier nihil agere valeat, per quod lucro saltem habitualiter, & in spe jam quæsito viro, vel e contra, præjudicare valeat.

Ratiocinando autem, (ut genio nimium arridet, e converso abhorrenti improbum laborem humerorum auctoritates

tates

tates perquirendi) dicebam quod vir, vel habentes causam ab eo assistebant potius ipsis filiabus, (quæ tamen ita collusive affectabant effectuationem dictæ donationis) quodque effectus quæstionis percuteret jacturam dictæ donatriæ.

8 Ad id autam probandum ponderabam in proposito receptam conclusionem, de qua cætaris relatis apud Surd. *cons.* 332. *n.* 14. Rovit. *dec.* 100. *num.* 26. Rot. *dec.* 86. post Merlin. *de legitimo*, & in sua materia *sub tit. de legit. & detractionibus*, ae atiam *sub tit. de dote ad materiam inofficiositatis disc.* 156. ut bona per parentum donata, seu alias titulo lucrativo distracta, habeantur pro extantibus, ad effectum impinguandi assem, ac detrahendi legitimam ex reliquis bonis non donatis, quatenus sufficiant, ac non sint de deterioribus, in subsidium vero his non sufficientibus, etiam ex ipsis bonis donatis, adeout in eo, quod importat legitimam filiorum, donatio pro infecta habenda sit.

9 Cumque in parente binubo constituente lucrum secundo conjugi, lex ita inducat in filiis primi matrimonii quandam necessariam successionam, ad mensuram ejus, quod lucrum prædictum importare debet, hinc proinde, ita implicite aucta videtur filiorum legitima, adinstar illius necessariæ successionis filiorum in dota, quam in plerisqua partibus Statutom induxit juxta *decisiones* 818. & 853. Merlini, Rojas *dec.* 157. cum aliis *in Neapolitane, & Bituntina, & in Urbevetana sub tit. de dote disc.* 104. *cum duob. seq.* quod scilicat ita totum id, quod necessaria successio importat, legitimæ naturam assumere videatur, ut in his terminis majoris, ac necessariæ portionis in bonis parentis binubi ax Castrensi *cons.* 468. *n.* 3. *lib.* 2. & aliis habetur apud Hodier. *in l. hac edictali q.* 22. *n.* 8. & *per tot.*

Et consequenter quod per actum mere voluntarium, & gratuitum, non potuerit mulier præjudicare viro in lucro, tanquam debito necessario, ac irrevocabili, utpote correspectivo, & oneroso magis quam lucrativo ex deductis per Eugen. *cons.* 76. *n.* 75. *lib.* 2. Surd. *d. cons.* 571. *n.* 71.
10 & *seq.* Manz. *consult.* 36. *n.* 9. cum aliis de quibus supra, minusque filiis, quibus ita parens binubus per secundas nuptias, ac lucrum secundo conjugi constitutum auxissa videtor legitimam alias de jore minorem, ita sibi adimendo eam libertatem, quam alias habebat de ejus bonis etiam ex liberalitate disponendi, & sic quod donatio prædicta remaneret non operativa.

11 Neque obstare videbatur, quod a titulo dotis donatio colorata esset, iste siquidem titulus in mulieribus majoribus opetativus est circa solamnitates statutarias alias in contractibus mulierum requisitas, ut in dote non requirantur, quamvis ex liberalitate, & causa voluntaria dispositio sequatur, in reliquis autem, si vere sit voluntaria, & ex liberalitate, ut in præsenti, dum puella habebat patrem, seu patris bona, ac etiam matrem, ex quibus prius dotanda erat, quam obligatio aviæ maternæ intraret, neglecta verborum formalitata, attentaqua substantia veritatis, actus puram donationem lucrativam redolere dicitur, potissime dum factus erat cum ipsa puella pro futuris nuptiis, adeo ut non intraret illa consideratio causæ onerosæ, quæ vigee in viro juxta eam distinctionem causæ onerosæ, & lucrativæ in viro, ac muliere respective, de qua pluries in sua
12 materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 156. & 157. Ipsaque facti qualitas clare comprobabat istam fuissa affectatam cautelam supplantandi secundum virum in lucro ex statutaria, & conventionali lege debito.

Quamvis autem in ista causa, ax dicta circumstantia, quod ageretur de dispositione ex causa lucrativa, casus promeo judicio videretur planus, dum ita consultum remanet filiis, atque suum effectum sortitur æqualitas desiderata per dictum textum *in l. hac edictali*, absque eo quod præjudicaretur viro in lucro, nisi in aliqua diminutione justa calculum, de quo *d. disc.* 130. & *seq. de dote*, quod non
13 provenit a voluntate, vel facto mulieris, sed a legis dispositione, quam ipse vir, contrahendo cum muliere binuba filios habente, scire potuit, vel debuit ab initio, adeoue illud minus in conventionem deductum diceretur.

Attamen istius disputationis occasione cogitabam ad casum diversum, in quo mulier, ex ejus indigentiis, vel alia justa causa, citra fraudem, vel collusionem aliquam, bona in parte distraxisset, vel hypothecasset, ex causa vere one-
14 rosa, & correspectiva, adeout detracto lucro conjugi debito, præsertim ex conventione, quæ affectata, vel fraudolenta dici non valeat, utpote a jure municipali scripto, vel non scripto, sive a communi usu cohonestato, ac etiam detractis debitis, parum, vel nihil pro filiis superesset, unde propterea dicta inæqualitas resultaret, quia vero adhuc occasio non præbuit hunc punctum disputare, hinc proinde maturum judicium desuper efformare non potui, forsan de illo haberi poterit in sua propria materia *sub tit. de successionibus*.

Credebam tamen isto casu cessare dictæ legis dispositionem, atqua filiis locum remanere se conquerendi de parentis imprudentia, non autem quod aainde lucrum conjugi, præsertim reciprocum, & correspectivum cum bona fide ad juris municipalis, vel communis usus præscriptum, tolli debeat, quoniam dispositio dicti textus *in l. hac edi-*
ctali inducta est ad coercendam parentis binubi liberta- 15
tem, seu facultatem, ne ob amorem erga secundum conjugem, filios primi matrimonii excoriare possit, ideoque intelligenda venit in dispositionibus voluntariis, quibus ratio textus congruat, non autem in debito necessario, ut ita distinguendo inter necessariam, & voluntariam dispositionem, habetur *in dicto decis.* 169. Dunozetti senioris *repet. dec.* 15. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *n.* 10. *cum seq.* quoniam punctus est in dicta fraudis præsumptione, quæ contraria veritate, vel fortiori præsumptione tollitur, juxta eam distinctionem, de qua in dicta sua materia *sub tit. de dote pluries*, præsertim *disc.* 104. in aa quæstiona, an mulier, quæ primas nuptias contraxerat in Civitate Neapolis more Nobilium, alias juxta consuetudines Capuanæ, & Ni-
di secundas nuptias contrahere posset more Magnatum, 16
per quem jus filiorum primi matrimonii deterius efficitur, ut scilicet attendatur justa causa a communi usu regulata, quæ fraudem, ac malam fidem excludat, cum similibus.

Ita etiam docente praxi frequentius contingenta in casu converso lucri debiti mulieri in bonis viri, quoniam in dies videmus, ut decedentibus viris obæratis, filii primi
matrimonii maternam dotem in concursu creditorum de- 17
trahant, deinde vero juxta anterioritatis ordinem concurrat secunda uxor, quæ tam pro dote, quam pro lucro anterioritatem sumit a die constitutionis dotis, (cum sola differentia privilegiativæ potioritatis inter dotem, & lucrum) & reliquum absorbeatur per alios creditores, adeout pro filiis primi matrimonii nihil remaneat, & tamen non per hoc mulieris lucrum cessat, vel ais communicatur, ita in casu converso, cum ubi præsertim lucrum est reciprocum, vir, & mulier in hoc proposito videantur correlativi, præsertim quia juxta opinionem hodie magis communem, & receptam (quicquid antiquiores dubitaverint) leges loquentes de secundis nuptiis, seu de pœnis secundo nubentium, quamvis in verbis de muliere loquan-
tur, viro etiam congruunt, ut *sub tit. de success.* ubi de 18
materia secundarum nuptiarum, ideoque censentur in proposito correlativi, unde propterea rationis identitas intrat, dummodo tamen bona fides exuberet, ne alias ad supplantandum filios primi matrimonii parens binubus in aliena-
tionibus, vel obligationibus causam supponat correspecti- 19
vam, quæ quoad tertium, cujus favore alienatio, vel obligatio facta est, vera sit talis, in effectu autem ad secundi conjugis commodum, ac utilitatem tendat, ut quandoque practicari vidi, ideoque pro facti qualitate quæstio decidenda videtur.

Atque proposita causa cor. *eodem Bourlemont* 20. *Feb.* 20
1671. juxta præmissa ad favorem hujus partis prodiit resolutio.

ANNOT. AD DISC. L.

AD materiam text. *in l. hac edictali*, C. *de secund. nupt.* videri poterunt ea, quæ habentur *sub tit. de dote disc.* 230. & *seq.* & 210. & *sub tit. de success. disc.* 32. & *seq.*

SABINEN. DONATIONIS, PRO ADRIANO GENTILE.

Responsum pro veritate.

De evictione in donatione præstanda, & an donatarius qui ad annuam præstationem erga donatorem se obligavit, ejus solutionem denegare valeat ob molestias, vel imminentem evictionem in bonis donatis?

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *De materia evictionis præstanda in donatione, vel dote.*

3 *Dona-*

3 *Donatio sub onere, quod donatori utilitatem, & donatario damnum causare potest, non est vera donatio, sed potius emptio, & venditio futuræ aleæ.*
4 *Emptor an possit recusare solutionem pretii ob molestias, vel imminentem devolutionem, & quod idem procedat in onere assumpto per donatarium.*

D I S C. LI.

1 CUm Joannes Baptista Lavius donasset sub diversis vinculis, & substitutionibus ejus bona Adriano ex sorore nepoti, se obliganti donatori ad vitam solvere annuam præstationem in aliqua notabili summa excedentem ipsorum bonorum donatorum fructus, postmodum vero quoddam Monasterium Monialium, ex persona sororis ipsius donatoris, litem excitasset super vindicatione medietatis eorundem bonorum, hinc ex parte donatarii pro veritate consultus fui, an stante hac lite, denegare posset solutionem dictæ præstationis, & an evictionis actionem contra donatorem haberet, cumque alter desuper consultus, pene integrum tractatum edidisset super quæstione, an, & quando in donatione cadat evictio, transcribendo pene omnia, quæ cum consueto nimium effuso sermone in hac materia, cæteris re-
2 latis, deducit Fontanell. *de pact. claus.* 5. *glos.* 8. *p.* 14 occasione agendi de evictione præstanda in dote, quæ frequentius per Scribentes cum eisdem terminis donationis, vel e converso tractari solet (licet meo judicio male) recurrendo ad vulgarem distinctionem, an inceptum sit a promissione, vel a traditione, ut primo casu evictio intret, non autem in altero, nisi expresse promissa sit, ex iis quæ habentur deducta *sub tit. de dote*, *d.* 157. ubi etiam consideratur, an in donante, vel donatore adsit dolus, ac habetur etiam apud Merlin. *de pign. l.* 3. *q.* 44. & per Rotam, *dec.* 150. *p.* 8. *rec.* ac in aliis.

Respondi, in hoc proposito extraneam videri hujusmodi quæstionem, cum ob dictum onus, quod fructus bonorum donatorum excedebat, ac etiam ob substitutiones ad favo-
3 rem causæ piæ donatario adjectas, vere non ageretur de donatione, sed potius de contractu oneroso, & correspectivo, in quo donatarius notabiliter damnificatus remanere poterat, cum ipso donatore longo tempore supervivente, incommodum haberet solvendi de proprio summam, quæ excederet fructus, intuitu speratæ proprietatis consolidandæ cum fructibus post donatoris mortem, quæ ob brevem donatarii vitam, nullius, vel modicæ utilitatis esse poterat, damni jam passi non restaurativa, & consequenter, quod contractus contineret potius implicitam emptionem, & venditionem futuræ incertæ aleæ, juxta casum, de quo in celebri *Romana, seu Albanen. vineæ* 20. *Junii* 1670. *coram Albergato, de qua forte hoc titulo*. Et hoc posito, intrare dicebam terminos generales evictionis, quæ de natura contractus, alia contraria conventione non accedente, præstanda est in emptione, & venditione, ut *disc. seqq.*

Hinc proinde, neglecta dicta inspectione utpote superflua, & a casu quæstionis extranea, atque procedendo cum dictis terminis emptionis, & venditionis, vel similis con-
4 tractus correspectivi, dicebam juste per donatarium denegari posse præstationem, nisi per donatorem idonea præstaretur cautio *ad not. per glos.* Cinum, Bart. Bald. *& alios in l. si post perfectam. C. de evict.* cum concord. per Sard. *cons.* 36. *n.* 14. *& dec.* 495. *n.* 6. *cum seq.* Rot. *dec.* 481. *nu.* 11. *& seq. & per totum*, *par.* 2. *divers.* cum aliis in sua materia *sub tit. de emptione, & venditione* super quæstione, an, & quando emptor, ob molestias, vel imminentem evictionem, solutionem pretii denegare valeat, cum isti viderentur termini proprii in hac facti specie cadentes, ea vero quæ concernunt quæstionem evictionis præstandæ in contractu donationis essent extranea, ideoque superfluum inanem laborem continebant, ut est frequens pragmaticorum vitium.

ANNOT. AD DISC. LI. & seqq.

AGitur in his discursibus de materia evictionis in donationibus præstanda, de qua habetur actum etiam in materia dotali *l.* 6. *disc.* 157. Et quando bona assignata dicantur stare taxative, vel demonstrative, adeout intrare debeat suppletio, vel non, habetur *sub tit. de Legat. disc.* 14. *&* 20.

Et de materia donationis remuneratoriæ, de qua *in disc.* 53. *n.* 7. habentur aliqua supra *disc.* 16. *&* 38. *& in hoc eodem tit. disc.* 66. *&* 70.

NEAPOLITANA HÆREDITATIS PRO CONGREGATIONE LUCENSI.

Responsum pro veritate.

De eadem materia evictionis præstandæ in donatione, & in specie donans bona cum assertione ejus fructus, vel redditus, an ad aliquid teneatur, si iste minuatur?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quod in donatione incipiente a traditione non præstetur evictio.*
3 *Declaratur non procedere, si donatio sit causativa, & onerosa.*
4 *Diminutio reddituum donatorum, vel cessorum cedit damno donatarii.*
5 *De locis Montium, & juribus cum Principe, eorumque valore intrinseco, & extrinseco.*
6 *Diminutio fructuum locorum Montium est cessionarii non cedentis.*
7 *Si redditus assignati pro fundatione Ecclesia diminuuntur, fundator non tenetur supplere.*
8 *Idem de legato redimibili.*
9 *Quando suppletionis obligatio intret.*

D I S C. LII.

JUxta facti seriem latius recensitam *sub tit. de fideicom- 1
missis*, *disc.* 154. Felix Maria Ursina Gravinæ Ducissa donavit primo loco Congregationi Lucensi domos, vineas, & alia bona sub narrativa annui redditus ducatorum 600. sub lege, ut in domibus ædificari deberet Conventus, vel Domus pro eisdem Religiosis, deinde vero aliam fecit donationem, ac demum eandem Congregationem hæredem instituit sub diversis legibus, & oneribus ad rem non facientibus; cum autem bona, ut supra primo loco donata, tum ob erogationem domorum, & partis vinearum in constructione Conventus, & officinarum, tum etiam ob generales diminutiones non tanti, sed longe minus fructarent, hinc pro veritate, a Me, & aliis consilium expetitum fuit, an hæreditas, quæ ab eadem Congregatione administrabatur, teneretur de dicto reddito deficiente evictionem præstare, vel dictum redditum supplere.

Concordes omnes desuper consulti fuimus in negativa, quamvis in ratione aliqua diversitas primo discursu adesset, aliqui enim opinabantur, ita respondendum fore ex regula generali, quod in donatione, quæ incipit a traditione, non autem a promissione, non præstatur evictio, nisi pro-
mittatur, juxta auctoritates deductas *disc. praced.* & in pro- 2
xime infra allegandis decisionibus, verum id non videbatur tutum, quoniam non agebatur de pura, & simplici mere lucrativa donatione, sed potius causativa, vel correspectiva, & onerosa pro fundatione Conventus, per quam Religio se obligat ad illius sustentationem, juxta deducta *supra disc.* 14. & in aliis ibi proximis, adeout si detegatur, quod
bona ad hunc effectum non essent propria donatoris, pro- 3
babilius videretur evictionem intrare, nisi expresse protestatus esset ea dare talia qualia, & prout sibi competunt, ut *disc. seqq.* secus autem si dedisset tanquam sua, cum iste non sit actus mere lucrativus.

Illa vero judicata fuit ratio solidior, quod diminutio redditunm contigit in aliquibus ex natura rei, seu facto proprio donatarii, quia nempe in domibus, ac in parte soli vineæ, seu aliorum bonorum, fundata fuit ipsa Domus Regularis cum viridario, aliisque officinis, & consequenter intrare non poterant termini evictionis ex duplici causa cessantis in aliis vero bonis, vel juribus donatis, consistentibus in fiscalibus, seu aliis juribus cum Principe, notabilis diminutio fructuum, seu redditum provenit ex illius Regni calamitatibus ob revolutiones populares, & pestem, quod neque importat evictionem, sed peremptionem accidentalem, seu casualem in parte, tanquam per speciem casus fortuiti, qui cedere debet damno donatarii tanquam domini, cujus
etiam fuisset augmentum, quod sequi potuisset, ut in ter- 4
minis fortioribus diminutionis fixæ, ac perpetuæ hujusmodi redditunm sequutæ ex provisione Principis, vel alterius Magistratus, cæteris relatis, habetur apud Tondut. *quæst. civil.* 49. *n.* 53. & Olea *de cess. jur. tit.* 7. *q.* 3. *n.* 31. *cum seqq. & sub tit. de credito* pluries occasione agendi de frequentibus quæstionibus inter cedentem, & cessionarium, an bona,

vel

vel jure assignata sint pro solvendo, vel pro soluto, & cujusnam sit commodum, vel incommodum augmenti, vel decrementi.

Multo magis quia in hac facti specie diminutio non erat fixa, & perpetua, utpote sequuta ex facto Superioris, neque substantia jurium in aliquo immutata erat, cum de jure idem antiquus redditus competeret, sed diminutio sequuta esset de facto ob diminuta emolumenta gabellarum, & jurium per Principem assignatorum, juxta ea, quæ pluries ha-
5 bentur *sub tit. de Regal.* ad materiam locorum montium, quæ idem important, ac hujusmodi fiscalia, seu jure cum Principe, vel Republica, ex ibidem pluries intimatis, quod scilicet duplex habent pretium, seu valorem. Unum intrinsecum, & naturalem, quod est (e.g.) scutor. 100. pro quolibet loco fructante quatuor, vel plus pro centenario. Alterum vero extrinsecum ratione incrementi, vel decrementi, propter bonitatem, seu diminutionem redditutum, sive magis, vel minus promptam illorum exactionem, unde videmus, quod aliqua loca montium, quæ communi opinione bona reputantur, sunt in commercio pro notabili majori pretio, quam importet suum intrinsecum, & naturale scutor. 100. pro quolibet, cum periculo amittendi illud majus pretium extrinsecum in casu extractionis, vel suppressionis, & e converso ob deteriorata bona assignata pro dote montis pleraque adsunt, quæ vix venduntur pro medietate, vel tertia parte ejus, quod importat pretium intrinsecum.

6 Unde propterea si quis donaret pro fundatione Ecclesiæ, vel Conventus, aut alias, centum loca montium cum narrativa quod fructarent scuta 400. ut vere tunc fructabant, si deinde post jam perfectam, & exequutam donationem contingeret accidentalis dicti redditus diminutio ob diminutionem dotis, & assignamentorum, vel ob reductionem factam a Principe, vel alio Magistratu, utique dicendum non est donatorem teneri supplere, quoties donationis substantia consistit in ipsis bonis, vel juribus fructiferis in sorte, eorum autem fructuum quantitas demonstrative narrata est.

Ut in specialibus terminis assignationis bonorum, cum
7 assertiva certi redditus pro fundatione Monasterii, vel pii loci firmatur per Rotam *in Romana prætensi supplementi dotis 5. Decembris 1653. coram Cerro*, ubi allegantur Lotter. *de benef. lib. 2. q. 14. num.* 12. Penna *decis.* 616. *num.* 9. *decis.* 230. *num.* 5. *p.* 1. *& dec.* 56. *num.* 3. *p.* 2. *divers. & decis.* 520. *num.* 2. *par.* 2. *recent.* agentes in terminis dotis, quam Patronus assignat Ecclesiæ, vel beneficio.

8 Et de legato, vel alia dispositione pro dote Ecclesiæ in annuo reddita redimibili pro certa quantitate in sorte, quod si ex illius sortis restitutæ investimento tantus fructus percipi non possit, non per hoc intrat obligatio supplendi, firmatur per Rotam *in Camerinen. dotis Eccles.* 22. *Jun.* 1650. *& 9. Maji* 1653. *coram Meltio*, quarum prima est impressa *decis.* 62. *par.* 11. *rec.* Difficultas enim caderet quando donatio substantiata esset in ipso annuo reddita, quem manutenere donator promisisset, bona vero, seu jura in sor-
9 te principali, ex quibus redditus percipiendus esset, starent potius demonstrative, juxta ea, quæ pluries habentur *sub tit. de legatis*, ad hanc materiam, an certa assignatio pro annua præstatione, fiat demonstrative, vel taxative, & de quo etiam alibi pluries.

Super plerisque aliis consulti fuimus extra hanc donationis materiam, & quæ in facto potius quam in jure consistebant, sive super interpretatione voluntatis donatricis, ac testatricis respective.

BONONIEN. PRÆTENSÆ EVICTIONIS PRO COM. JOANNE DE PEPULIS CUM ÆMILIO AZZOGUIDO

Casus decisus per Rotam pro Joanne.

De eadem materia evictionis præstandæ in donatione remuneratoria, & in præmium servitii, seu aliorum meritorum, & quid ubi donator declaravit velle solum teneri de dato ex facto suo.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *In claris, & expressis non cadunt quæstiones juris.*
4 *In venditione non præstatur evictio si venditor voluit teneri, vel eam restrinxit ad datum, & factum suum.*
5 *Neque si emptor esset conscius juris alieni.*
6 *Quando conclusio, de qua num. 4. non procedat si non adest scientia.*
7 *De materia donationis remuneratoriæ quando vere sit talis, & in ea cadat evictio.*
8 *De stylo Curiæ non assumendi quæstiones superfluas.*
9 *Quando cadat dubitatio in conclusione, de qua nu. 4.*
10 *Operæ non habent certum pretium, ideoque in eis non cadit læsio.*
11 *Resolutio causæ.*

D I S C. LIII.

Æmilio ejus operas præstanti in litibus, aliisque nego- 1
tiis Comitis Joannis de Pepulis, cum accessu etiam, ac mora per aliquod tempus in Urbe, sub menstrua moderata mercede, idem Joannes in præmium, ac remunerationem diligentis servitii, donationem fecit cujusdam domus de proximo recuperatæ ex effectibus debitoris, & super qua molestias jam ab aliis habere cœperat de tempore donationis, in qua evictionem promisit pro dato, & facto suo tantum, & non alias. Cumque ex dictis jam inceptis molestiis a molestantibus prosequutis contra donatarium, evictio sequuta esset, hinc idem donatarius evictionis judicium instituit contra donatorem, ac sententiam favorabilem in partibus obtinuit, confirmatam in Curia a Prælato Judice commissario, prævia revocatione intermediæ absolutoriæ per donatorem obtentæ ab A. C. unde propterea 2
deducta fuit per appellationem causa in Rota *cor. Albergato*, datumque dubium, an constaret de duabus conformibus, quæ ad formam Statuti Bononiensis exequendæ venirent, favore Joannis resolutum, ut infra in fine.

Cum autem disputatio adhuc sequuta non esset dum hæc scribebam, unde propterea inspici non potuerunt fundamenta, quibus inniteretur donatarii prætensio super hujusmodi evictionis præstatione, hinc proinde maturum judicium pro veritate tunc desuper efformari non potuit, ex juribus tamen exhibitis per donatorem, pro quo scripsi, super futura hujus dubii disputatione, in sensu etiam veritatis, Mihi improbabilis videbatur hæc donatarii prætensio, nisi aliæ ignotæ accederent facti circumstantiæ, ex quibus, ut frequenter contingit, jus variatur, atque ita exitus comprobavit.

Advertebam etenim non intrare quæstiones juris ubi habemus partium voluntatem claram, & quæstio removetur ex facto, ad regulam vulgaris textus *in l. ille aut ille, ff. de legatis tertio*, etiam in contractibus late exornatam per Rotam *dec.* 44. *nu.* 14. *p.* 11. *rec.* Cum enim donator expresse 3
dixisset velle solum teneri de evictione de dato, & facto suo tantum, & non alias, atque cedere solum jura talia qualia sibi competunt, &c. Hinc proinde non oportebat assumere quæstionem evictionis præstande in donatione, quæ non sit pure, & mere gratuita, sed remuneratoria, quoniam ubi etiam ageretur de vero, ac formali contractu emptionis, ac venditionis pretio mediante, adhuc tamen si venditor 4
protestatus est vendere jura talia qualia sibi competunt, atque promissionem evictionis ad factum proprium restrinxit, non solum non tenetur de evictione, sed juxta magis communem, ac receptam sententiam, præsertim in Rota, & Curia, neque ad restitutionem pretii, cui ex æquitate plerique credunt locum esse, etiam in casibus, in quibus evictio præstanda non est, ut cæteris relatis ibi de facili videndis firmatur per Rot. apud Mantic. *dec.* 109. *n.* 6. *&* 7. apud Buratt. *dec.* 399. *in fine* & plenius *dec.* 453. 457. *&* 469. *par.* 9. *rec. & dec.* 155. *n.* 21. *&* 215. *n.* 14. *par.* 12. quæ sunt editæ in casu, de quo *sub tit. de credito*, ubi de donatione in solutum facta per debitorem creditori de pluribus nominibus debitorum cum dicta expressione, quod dabantur talia qualia, &c. Atque Ego scribens pro creditore qui cessionem acceperat, dictarumque decisionum revocationem obtinuit, admittebam veritatem dictæ conclusionis, negabam tamen ejus applicationem ad factum, ex cujus circumstantiis recessus prodiit, & habetur etiam de eadem conclusione, *sub tit. de feudis*, *disc.* 32.

Clarius vero, ubi, ut in præsenti, per aliquas attestationes justificabatur, atque erat nimium verisimile, dum idem Æmilius donatarius in negotiis forensibus magis quam aliis ejus operam præstiterat, quod donatarius, vel emptor esset conscius juris alieni, ex quo evictio sequuta est, juxta dispositionem textus *in l. si fundum sciens, Cod. de evict.* cum ibi notatis, de quibus in eisdem supra *allegatis decisionibus p.* 9. *&* 12. *rec.* cum utraque circumstantia concurrente casus nullam recipere videatur dubitationem cadentem ubi 5
prima tantum accederet, cedendi scilicet jura talia qualia, ac promittendi evictionem pro solo facto proprio, deficiat autem altera scientiæ in emptore, quæ tamen concurrat in ven-

venditore, quo casu intrare potest actio de dolo, ex iis quæ habentur in sua materia *sub tit. de emptione, & venditione*, & cujus doli ratione, etiam in donatione evictionem præstandam esse habetur apud Fontanell. *& alios allegatos supra disc. 51. & sub tit. de dote, disc. 157.*

Hinc proinde nulla suberat necessitas assumendi quæstionem, super qua DD. nimium se involvere videntur, an de jure præstanda sit evictio in donatione remuneratoria, & quando hæc ad istum effectum vere, ac proprie, dicatur ta-
7 lis, quod plures habet inspectiones, primo scilicet, an merita deducantur ad speciem, vel sufficiat eorum assertio generica, secundo, quatenus ad speciem deducantur, an probata dicantur per assertionem donatoris, vel debeant justificari aliunde, quod pendet ab eo, an agatur inter prohibitos necne, & tertio, an merita debeant esse talia, quod in ratione justitiæ distributivæ obligent ad remunerationem, pro qua actio, vel Judicis officium competere valeat, vel sufficiat naturalis obligatio antidoralis, & an dentur hæc merita in filio erga patrem, in milite erga Ducem, vel Principem, vel in famulo salariato erga Dominum, cum similibus, qui causam benemerentiæ præstant ex debito, ex iis quæ super hac materia insinuantur *in Romana donationis, sub tit. de feudis disc. 94.* occasione agendi de articulo, an Bulla Baronum locum habeat in donatione remuneratoria, quam Baro fa-
8 mulo benemerenti faciat, nimium enim commendabilis Curiæ stylus in causarum defensionibus prohibet illam evagationem, quæ adeo connaturalis est stylo extero, assumendi scilicet extra causæ necessitatem illas juris quæstiones, quæ sublatæ remanent ex solo facto.

Ubi vero dictum factum non assisteret favore donatoris, atque ageretur de vere donatione remuneratoria, in qua evictio de jure præstanda esset, adhuc tamen dubiratio cadere posset, ubi ageretur de cessione, seu alio contractu pro
9 certa summa, cum tunc ea regula, quod a pretii quantitate desumitur voluntas Partium, & quid in contractum deductum sit, prætendi posset, quod si valor rei respondet quantitati, tunc non præstando evictionem, esset locupletari de alieno, unde propterea æquitas resisteret (quæ tamen adhuc cessat, ubi ita conventum est, ut supra) secus autem ubi agitur de donatione facta in remunerationem servitiorum, ac meritorum resultantium ab operibus personalibus præstitis cum aliqua majori diligentia, & ultra id quod conventum sa-
10 larium importet, cum tunc propria, ac præcisa æstimatio, seu pretium non detur, unde propterea habemus, quod in locatione operarum non intrat læsio, neque dispositio text. *in l. 2. C. de rescin. vend.* ut apud Gratian. *discept. 185. n. 8. cum sequent.* Buratt. *decis. 234. num. fin. & 468. n. 6.* Atque recte dici potest, quod donator congruum premium judicaverit donare hanc aleam, eo modo quo donaretur jactus retis, cum similibus, alias forte non donaturus, cum præcisa necessitas non impelleret, & fortius quia dabantur attestationes potissimum cujusdam Religiosi mediatoris nullum habentis proprium interesse, quod hæc fuisset intentio donatoris cognita etiam donatario, & juxta
11 præmissa favore donatoris prodiit resolutio *sub die 16. Februar. 1671. coram eodem Albergato.*

NEAPOLITANA, SEU BAREN. DONATIONIS.

Responsum pro veritate, suppressis nominibus.

An in donatione cum oneribus ad vitam donatoris detur læsio ex parte donatarii, & quomodo vita hominis æstimanda sit?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De computatione vitæ hominis ad text.* in l. hæreditatum, ff. ad l. Falcid.
3 *Quando læsio dicatur enormissima.*
4 *In casu enormissimæ veniunt fructus.*
5 *An donatarius teneatur ultra emolumentum donationis remissive?*
6 *Quomodo debeant se gerere Consulentes.*
7 *Pro regulanda læsione attenditur tempus contractus.*
8 *Anni calamitosi non attenduntur in valore.*
9 *Ubi contractus reducitur ad injustitiam, debet admitti reductio.*
10 *Sed hoc respicit tempus futurum.*
11 *Non est evagandum ultra punctum præcisum.*
12 *De auctoritatibus firmantibus contrarium ejus, de quo num. 1.*
13 *De rationibus idem probantibus, & quomodo vita æstimari debeat.*
14 *Quod ætas sit regula fallax.*
15 *Bona æstimantur a fructibus 20. annorum.*
16 *Quomodo vendi soleant commoditates pensionum, seu vendi loca montium vinculata.*
17 *Quod etiam in vitalitiis detur læsio, sed quomodo hæc regulanda sit.*
18 *De modo regulandi læsionem in transactione.*
19 *Et de modo regulandi usuram ob majus pretium victualium conventum pro tempore futuro.*

DISC. LIV.

Facta per nobilem virum equestris ordinis donatione 1
quorundam bonorum ejus conjuncto ordinis magnatitii, sub onere notabilis præstationis annuæ partim in pecunia, & partim in speciebus, seu victualibus ad ipsius donatarii vitam; cum notoriæ, divini, ac etiam humani intestini belli calamitates Regni Neapolitani, redditus, ac emolumenta bonorum notabiliter minuissent, hinc ea isto accidenti, atque ex diuturna donatoris vita, quæ ob prosperam valitudinem, notabili tempore duratura credebatur, donationem nimium damnosam, ac præjudicialem, donatarius expertus, ex plurium Sapientum illarum partium consilio prætendere cœpit, ob enormissimam læsionem, non solum contractum rescindere, sed etiam ob nullitatem ab enormissima resultante, repetere totum id, quod excessive solutum esset ultra ipsorum bonorum fructus, atque ita ipsa bona absorbere, immo creditor in summa notabili remanere, quare ea parte donatarii, communicatis consiliis desuper editis, pro veritate (suppressis nominibus) meum votum expetitum fuit.

Præsupponebant autem dicti Consulentes regulam, seu 2
computationem textus *in l. hæreditatum, ff. ad l. Falcid.* super æstimatione vitæ hominis ab ejus ætate regulandæ, juxta diversas computationes in dicta lege contentas, quam in proposito attendendam esse, ex originali traditione Salicet. *in l. si ex actione n. 3. C. de usur.* firmant Scac. *de judic. lib. 2. cap. 2. n. 476. & seqq.* Valasch. *consult. 66. n. 23. & seqq.* Surd. *de aliment. tit. 9. quæst. 11. n. 19. in fine, & n. 26. cum seq.* Adden. ad Greg. *decis. 186. in fine*, Rot. apud Caval. *decis. 387. nu. 4. & dec. 27. n. 26.* post Salgad. *in labyrin. & in aliis.*

Istoque præsupposito retento, atque calculando, juxta hanc computationem quantum annua præstatio importabat, ita facta peræquatione fructuum, ac etiam valoris ipsorum bonorum donatorum in sorte, ostendere conabantur, claram adesse læsionem enormissimam, utpote longe ultra bessem, & quo casu enormissimam dici, cæteris relatis, habetur apud Fontanell. *decis. 66. & seq.* cum aliis 3
deductis *sub tit. de empt. & vend. disc. 27.* ac in decisionibus in ea causa editis, ibique recensitis, & in aliis.

Dictaque læsione posita, quæ ratione doli præsumpti actum annullat, inferebant locum esse restitutioni ejus, quod solutum erat, ex iis, quæ distinguendo inter læsionem enormem, & enormissimam habentur circa restitu- 4
tionem fructuum *dicto disc. 27.* & in aliis, in dicta sua sede *sub tit. de empt. & vendit.*

Non agebatur autem de alio puncto, seu articulo, de quo agit Rota *in Romana, seu Albanen. vineæ 20. Junii 1670. cor. Albergato*, (& de qua utpote adhuc pendente, 5
habebitur hoc *eodem titulo*) an scilicet donatarius cogi valeat ad adimplendum donationis onera de proprio, ultra ipsius donationis emolumentum, vel potius offerre possit supportationem pœnæ donatario non adimplenti a jure injunctæ, *in l. 1. & 2. C. de donat. quæ sub modo, & in l. fin. Cod. de revoc. donat.* resolutionis scilicet donationis, & super quo articulo plura hinc inde insinuantur *in d. Romana, seu Albanen. vineæ coram Albergato*, ut formiter tractabitur in ea causa, quoniam illa quæstio percutit casum, in quo donator non curet donationis resolutionem, sed ejus observantiæ continuationem petat, (qualis erat casus, de quo *in d. Albanen.*) In præsenti autem donator se promptum exhibebat dictæ resolutioni, quæ tamen donatario non sufficiebat, dum punctus erat in dicto cumulo ejus, quod plurium annorum spatio excessive solutum fuerat, quo mediante, nedum ipsa bona sibi appropriare sperabat, verum etiam creditor donatoris in summa notabili remanere.

Contrarium vero, præmissis non obstantibus, pro meo judicio, probabilius videri respondi, consulendo, ut ab- 6
stinendo ab hoc assumpto, quod inspecta personarum qualitate,

litate, aliisque circumstantiis, aliquam notam inferre vi-
debatur) libenter acceptari deberet quoddam honestæ
concordiæ temperamentum, quod supponebatur per com-
munes conjunctos, vel benevolos jam præparatum esse;
ad hoc autem juris Professores pro conscientiæ, & con-
gruentiæ ratione nimium advertere debent, non autem
exigui turpis lucri gratia de facili consulere lites, quæ
adeo magna damna, & inconvenientia producunt, quod
utinam frequenter non contingeret, ac propterea revela-
tio, seu visio S. Brunonis Chartusiani in Causidicis, &
Professoribus non verificaretur.

Advertebam siquidem primo in facto quod æquivocaba-
tur procedendo cum præsenti valore fructuum, ob dictas
Regni calamitates notabiliter diminutorum, cum id con-
tigisset post jam sequutam donationem, ideoque attenden-
dum non veniebat pro regulanda læsione, quæ metienda
7 est de tempore contractus, non autem ex futuris acciden-
tibus, ex quibus etiam augmentum resultare potuisset,
ut in fortioribus terminis alienationis bonorum Ecclesiæ,
ac regulandi evidentem utilitatem habetur *sub tit. de*
alien. & contract. disc. 5. & in aliis, atque est certum
juris principium in omni fere materia insinuatum, præ-
sertim *sub tit. de fideicomm. disc. 94.*

Anni siquidem accidentales belli humani, vel divini,
ac alii subsequentes, in quibus etiam post cessatam cala-
8 mitatem idem damnum durat, non veniunt in calculo,
seu valore, ut cæteris relatis advertitur *sub tit. de præemi-*
nentis, disc. 11. & in decisionibus in ea causa editis, ac
etiam pluries *sub tit. de Regal. & sub altero de locat. &*
conduct. occasione agendi de materia defalchi, seu remis-
sionis pensionis in hujusmodi annis accidentalibus, ac et-
iam *sub tit. de benef.* ad materiam valoris.

Unde propterea, quando ob hujusmodi accidentia val-
de notabilis fuisset fructuum diminutio, ad summum præ-
tendi posse dicebam, ut intrarent termini textus *in c. sug-*
gestum, de decim. ut scilicet in iis præsertim conventioni-
bus, quæ tractum habent successivum, quando contractus re-
9 ducitur ad iniquitatem, seu magnam inæqualitatem, intra-
re debeat Judicis officium pro eo reducendo ad justitiam,
& æqualitatem, ex deductis per Thesaur. *dec. 227.* Capyc.
Latr. & adden. *dec. 18.* Rot. *dec. 345. n. 7. p. 11. rec.* & habe-
tur præsertim actum *sub tit. de decim. in Calaguritana decim.*

Id etenim respiciebat solum moderationem oneris pro
tempore futuro, quam donator non negabat, nullatenus
10 tamen intrare poterant termini læsionis, præsertim enor-
missimæ, producentis inter alios dictum effectum restitu-
tionis fructuum ratione doli, seu malæ fidei ob adeo ma-
gnam læsionem a lege præsumptæ, cum impossibile sit,
dolum, vel malam fidem regulari ab eo damno, quod
casualiter contingat post contractum, qui ejus tempore
spectato, justus erat.

Hinc proinde cessabat necessitas agendi de altero assum-
pto, seu puncto juris, super modo computandi vitam, &
an attendi deberet dicta computatio textus *in l. hæredita-*
tum, cum dicta difficultas cessaret ex solo facto, quo non
assistente, prorsus inanis, ac evagatorius labor est juris
11 quæstiones assumere, quod tamen modernus abusus fre-
quenter docet, dum inaniter cum copiosissimis allegationi-
bus, magnoque improbo labore per speciem formalis tra-
ctationis plures assumuntur quæstiones a casu controver-
siæ prorsus extraneæ, intactum ut plurimum relinquendo
ipsius causæ punctum præcisum, ac essentialem, ut ad-
vertitur *sub tit. de judiciis in relatione Curiæ*, occasione
agendi de Advocatis, ac modo scribendi.

Verum ubi de dicto juris articulo agendum esset, dice-
12 bam contrarium omnino verius videri, non solum ob au-
ctoritates, quæ in contrarium deduci solent, & præsertim
Covarr. *lib. 1. var. c. 9. n. 8.* Roderic. *de ann. redd. lib. 1.*
q. 5. n. 17. & seq. Molin. *de primog. lib. 1. cap. 19. n. 40.*
Crivell. *dec. 25. n. 17. & seq.* Rot. *dec. 514. n. 8.* post Cenc.
de Cens. add. ad Buratt. *dec. 685. n. 14. & alii.*

Sed clarius ob vivas, nimiumque convincentes rationes,
per Me ponderatas *sub tit. de regal. disc. 30. & alibi*, quod
13 scilicet cum non omnium hominum æqualis sit complexio,
ac valetudo, neque omnium Regionum, seu aerum æqualis
sit conditio, hinc prorsus ineptum est, uniformem regulam
desuper statuere, quoniam determinatio in singulis casibus
facienda est pro complexione, seu valetudine personæ, ac
etiam pro qualitate aeris, vel Regionis, cum similibus, ut
occasione regulandi justum pretium in censibus vitalitiis
bene advertitur per Rotam *in Bonon. Salviani 25. Junii*
1629. coram Verili, & in Romana Domus 3. Decembris
ejusdem anni cor. Pirovano, & habetur per Leotard. *de*
usur. q. 49. n. 6. & dicto disc. 30. de Regal.

Frequenter enim contingit, ut brevior justo reputetur vi-
ta juvenis, vel adolescentis malæ valetudinis, quam illa vi-
ri maturi, vel senis robusti, ac validi, & quamvis deinde
de casus diversimode præbeat, ut nostris temporibus vidi- 14
mus in Urbe, præsertim in persona adeo qualificati Cardi-
nalis Caponii, quod cum esset juvenis (juxta frequentem con-
tingentiam eorum, qui sunt gracilis naturæ) reputabatur mo-
ribundus, adeo ut rogaretur pro venditionibus Palatiorum,
aliorumque bonorum ad vitam, pro exiguo pretio, & tamen
vixit octuagenarius, atque attestari possum de Meipso, quem
in adolescentia tabe pene confectum, Medici reputabant ci-
to moriturum, ideoque ætatem 25. annorum non excessu-
rum concorditer concludebant, attamen id est per accidens,
neque exinde ad læsionem inferri potest, dum contrahens
super aliena vita, eo tempore spectato, lucrum potius fa-
cere, atque alterum contrahentem circumvenire credidit.

Ponderabam ulterius ad convincendum hanc ineptiam
æstimandi vitam cum dicta computatione text. *in l. hære-*
ditatum, (quæ ad diversum finem, vel effectum ibi facta
est) quod per illum textum in pueris, vel adolescentibus
præscribitur meta annorum 30. quorum cumulus in tertia
parte excederet valorem bonorum in sorte principali, quo-
niam juxta receptam glossam in *Auth. perpetua, Cod. de* 15
Sacrosanct. Eccles. æstimatio bonorum regulariter facienda
est a quantitate fructuum per spatium annorum 20. ut cæ-
teris relatis habetur apud Buratt. *decis. 115. & decis. 65.*
n. 2. Dunozett. *decis. 672. n. 9. & in aliis frequenter*, un-
de propterea esset dare absurdum, quo nullum majus,
quod si bona pleno jure, & cum perpetua translatione va-
lerent mille, ita ad solam vitalitiam fruitionem valerent
1500. & sic in tertia parte pluri.

Ita etiam docente communi praxi, vel usu circa vendi- 16
tiones domorum, aliorumque bonorum ad vitam, & de
qua venditionis specie habetur *sub tit. de emption. & vendit.*
disc. 1. Frequentius vero in Urbe in cessionibus commodi-
tatis pensionum ecclesiasticarum, quod fiunt ad aliquos an-
nos, prout inter Partes conveniri potest, quoniam, ut plu-
rimum fiunt pro quinque, vel sex annatis anticipate solu-
tis, ut in sua materia *sub tit. de pensionib.* Ac etiam fre-
quens praxis docet in locis montium habentibus vinculum
fideicommissi omnino extituri, adeout in effectum venda-
tur sola vita possessoris, quoniam pretium pro ætate, &
qualitate possessoris circumfertur in tertia, vel quarta,
ac etiam quinta, & forsan minori parte valoris in sorte
principali, nulli autem, vel nimium rari sunt casus, in
quibus tertia pars excedatur, ut advertitur *sub tit. de regal.*
disc. 30. & 31. cum seq. & alibi.

Non negabam etenim, tam respondendo in ista causa,
quam in plerisque aliis, in quibus de hoc puncto agere 17
occasio dedit, præsertim *dicto disc. 30. & 31. de Regal.* ut
etiam in hujusmodi vitalitiis contractibus dari possit circum-
ventio, & consequenter læsio, nedum enormis, sed etiam
enormissima, redolens dolum præsumptum, eo modo,
quo in aliis contractibus, sed punctum esse dicebam in ap-
plicatione, seu modo regulandi læsionem, non ex dicta
generali computatione tex. *in l. hæreditat.* cum id vere le-
guleicam ineptiam continere videatur, sed ex communi
æstimatione regulanda a judicio proxenetarum, & perito-
rum juxta communem usum, utpote in eo loco, atque inter
personas consimilis ætatis, ac valetudinis (adeo ut non
urgeat accidentalis ratio valoris diminutiva) venditio ad
vitam fieri solet pro quantitate octo, vel decem annuali-
tatum, si ex emptoris calliditate, ac venditoris fragili-
tate, vel suffocatione fiat pro duabus, tribus, vel qua-
tuor respective, aderit læsio enormis, vel respective et-
iam enormissima, & sic similiter pro facti qualitate, cu-
jus potius, quam juris est quæstio, ideoque prorsus erro-
neum est generalem regulam desuper statuere.

Ad quod ponderabam ea, quæ habentur *sub dicto tit.* 18
de empt. & vendit. d. disc. 27. & alibi in proposito re-
gulandi læsionem in transactione non a valore bonorum in
lite existentium, sed ab illo æstimationis incerti, ac dubii
eventus litis, ac etiam ea, quæ habentur pluries *sub tit. de*
usur. ad materiam text. *in c. in Civitate, & c. fin. de*
usur. super taxa incerti pretii frumenti, aliorumque vi- 19
ctualium de futuro, ut verisimilitudo, vel inverisimilitu-
do totum faciat cum similibus, istique videntur veri, ac
germani hujus materiæ termini, ut scilicet pro singulo-
rum casuum qualitate, & circumstantiis quæstiones deci-
dantur.

AN-

ANNOT. AD DISC. LIV. & LV.

AN detur læsio in donatione habetur quoque actum hoc tit. de donat. disc. 61. Et quomodo vita hominis æstimanda sit, notatum est supra ad disc. 34.

SANCTI SEVERINI DONATIONIS, AD REQUISITIONEM JO. ANDREÆ TUCCI.

Responsum pro veritate.

An, & quando in donatione detur læsio, & de invalida donatione facta per mulierem, ex eo quod remaneat indotata, si ipsa est soluta?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De Constitutione Ægidiana circa solemnitates in donationibus.*
3 *Donatio contemplatione matrimonii, quando sit exempta a solemnitatibus.*
4 *De donatione inofficiosa regulanda cum terminis dotis inofficiosæ.*
5 *De prohibitu viduitate.*
6 *De invalido contractu, ob quem mulier remaneat indotata.*
7 *Procedit etiam in muliere vidua, vel puella innupta.*
8 *Quod dos destinata in plerisque habeatur pro vera dote.*
9 *De stylo Curiæ, ut Advocati se non ingerant in iis, quæ facti sunt.*
10 *De conclusione, quod in donatione non datur læsio, & de limitationibus.*
11 *Præsertim in mulieribus.*
12 *De rationibus, ex quibus facilius id procedit in mulieribus.*
13 *Limitatur præsertim conclusio, de qua nu. 10. ubi donans non bene scit quid donat.*
14 *Quando in muliere donatio non reputetur læsiva.*
15 *Rarum est in mulieribus sustinere donationes.*
16 *De Statutis exclusivis fœminarum, & de rationabilitate renunciationum.*
17 *Quod ista quæstio sit facti, & quomodo decidenda sit.*

D I S C. LV.

1 CAmilla Vidua mater, Maria Francisca, & Maria Pieria sorores innuptæ, Joanni Andreæ filio, ac fratri respective, ut facilius, ac decentius uxorem ducere, & sustentare valeret, ac etiam ob amorem, aliasque causas, &c. omnia earum bona, sub aliquibus reservationibus pro earum sustentatione ad vitam donarunt, postmodum vero uxore ducta per dictum donatarium, eortisque illis domesticis dissidiis, quæ a diversi generis fœminarum mixtura, seu conviventia frequenter oriri solent, dictæ donatrices, præsertim sorores, judicium instituendo cor. A. C. super dictæ donationis invaliditate, sententiam favorabilem reportarunt, a qua interposita, & commissa appellatione, in hoc statu ea parte dicti donatarii pro veritate consultus fui, ad effectum forte determinandi, an expediret causam prosequi, incertumque est, quid inde sequutum sit.

2 Pro dictæ sententiæ justitia, contra requirentem, majorem probabilitatem assistere respondi, primo ex capite nullitatis, ob non servatas solemnitates præscriptas a Constitutione Ægidiana *l. 5. c. 25.* præsertim circa insinuationem, absque eo quod caderet distinctio, in præcedentibus considerata, inter primam partem continentem Constitutionem Ægidianam loquentem solum de minoribus, & postremam continentem Constitutionem Carpensem loquentem de omnibus mulieribus quamvis majoribus, ac in genere de donationibus, tum quia dictæ puellæ supponebantur minores, tum etiam quia locus controversiæ supponebatur intra Provinciam Marchiæ, in qua Constitutio Carpensis recte procedit, tum dicta distinctio intret respectu extensionis ad Urbem, ac universum Statum Ecclesiasticum immediatum factæ per *Sixtum IV. & Paulum III.* de Ægidiana, non autem de Carpensi, quæ tamen firma remanet in propria Provincia, pro qua edita est.

Neque suffragari posse observabam privilegium, quod, juxta veriorem, hodieque receptam opinionem, competit donationibus contemplatione matrimonii circa exemptionem a solemnitatibus statutariis, quoniam ut pluries in præcedentibus advertitur, ac etiam *sub tit. de dote disc. 17.* id
3 procedit, quando agatur de donatione facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii, quod sit causa finalis,
ac præcisa; secus autem ubi plures aliæ causæ recensentur,
illa vero matrimonii sit generica, & pro incerto, cum
tunc dicatur impulsiva, non autem finalis ea ibi deductis.

Secundo credebam fortius donationem prædictam non
subsistere ex capite læsionis, quæ dupliciter quoad dictas
puellas concurrebat, primo scilicet, ut privatæ remanerent
materna hæreditate, saltem in legitima, unde donatio
remanebat inofficiosa juxta ea, quæ ad materiam inoffi-
ciosæ dotis habentur *sub tit. de dote disc. 156.* cum isti ter- 4
mini, saltem quoad dotatam, (quicquid sit quoad virum)
parificentur, ideoque ibi deducta quoad dotem, recte do-
nationi congruunt, tum etiam quia ipsæ remanebant o-
mnino indotatæ, & consequenter inhabilitatæ ad matri-
monium carnale, vel spirituale contrahendum, ideoque
dupliciter donationem invalidam esse dicebam, primo, ut-
pote inductivam viduitatis ad tex. *in l. cum tale, §. si arbitratum* 5
ptum aliter si arbitratum, ff. de condit. & demonstr. cum
concord. per Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 34.* Altog.
cons. 77. n. 1. & seq. lib. 2. & habetur *sub tit. de fidei-*
com. disc. 44. ac etiam *sub tit. de matrimonio.*

Tum etiam quia ipsa omnimoda indotatio ob enormis-
simam læsionem exinde resultantem inducit nullitatem,
pro qua sufficit non remanere medietatem dotis, multo
magis ubi nihil remanet, sed alienatio est de toto, ea 6
iis, quæ in hac materia habentur *sub d. tit. de dote disc.*
20. 95. & 96. quamvis enim ibi deducta percutiant do-
tem, quæ vere & proprie non cadit nisi in muliere nu-
pta, cum dos a matrimonio nomen, ac essentiam recipiat,
& sine quo illa non datur, adeout in stricta juris censu- 7
ra, soluto matrimonio, titulus dotis evanescat, attamen
quemadmodum receptum est idem procedere in muliere
vidua, in qua saltem improprie, seu abusive ea commu-
ni usu, ratione præcedentis status, ac destinationis, dos in
pluribus suam naturam, ac privilegia retinet, ut *locis pro-*
xime citat. sub tit. de dote cum ibi deductis, ita etiam
pluries in facti contingentia consultus dicere consuevi
(quamvis adhuc occasio non dederit formiter disputare)
ut idem dicendum veniat in puellis innuptis, quarum as-
sis, seu patrimonium ex juris intentione, vel communi
usu, earum donationi destinatum est, tum ea conclusio- 8
ne, ut etiam dos destinata, quamvis adhuc ex defectu
matrimonii essentiam dotis non acquirens, in plerisque
dotis naturam, ac privilegia sortiatur juxta ea, quæ ex
Bart. *in leg. Titio genero, ff. de cond. & demonstr.* &
Bald. *in l. non sine, C. de bon. quæ liber.* habentur apud
Bal. Novell. *de dote in principio operis, seu par. 1. n. 20.*
Thesaur. *dec. 101.* Ursin. *de feud. p. 3. q. 1. art. 2. & 4.*
Tum fortius ob dictam rationem prohibitæ viduitatis,
magis in puellis innuptis, quam viduis, in quibus prohi-
bitio non urget, nisi quando facti circumstantiæ limita-
tionem suadeant.

Cumque in discursu edito per causæ Patronum, (super 9
quo Advocatorum Romanæ Curiæ stylus est, antiquorum
Juris Consultorum more, absque eo, quod se ingerant in
mecanico, ac improbo labore inspiciendi processus, ac
agere ea, quæ facti sunt, solum de jure respondere) in-
sinuaretur conclusio, seu regula, de qua apud Carenam
resol. 6. Rota *decis. 125. n. 2. & seqq. par. 5. rec.* & plurica
supra, quod in donatione, ubi præsertim est pura, & sim-
plex continens actum gratuitum, ac liberalem, (adeout
dici non valeat correspectiva, quo casu conclusio limita- 10
tur) non datur læsio, cum ipse actus de sui natura dica-
tur pernecesse læsivus, attamen dicebam, ut admissa et-
iam dicta regula, adhuc ea præfatis limitationibus ea suf-
fragari non posset.

Inter alias etenim dictæ regulæ, seu conclusionis limi- 11
tationes, illa recensetur, quoties donator non remanet
congrue provisus de necessariis, præsertim vero ubi agitur
de muliere, ea deductis per Molinam *de primogenitura,*
l. 2. cap. 3. n. 30. & 32. Castill. *lib. 3. controv. c. 2. n. 69.*
& in sua materia *sub tit. de renunciat.* quarum occasio-
ne frequentius Forum hujusmodi quæstiones tractat.

In mulieribus enim ita multiplex ratio intrat, primo 12
scilicet supra insinuatæ indotationis, secundo facilis præ-
sumptionis doli, ac seductionis, ob sexus imbecillitatem
ex deductis apud Hodiern. *controv. 56. nu. 46. & seq.* &
advertitur pluries in præcedentibus, & tertio, quia, ut
plurimum, mulieres præsertim puellæ informatæ non sunt
de earum bonis, ac juribus, atque ignorant quid donent,
vel remittant, opinantes nihil, vel parum remittere, ideo- 13
que satis de facili præfatæ regulæ limitatio intrat, ex iis,
quæ cæteris relatis habentur apud Ruin. *cons. 170. n. 21.*
& 22.

& 22. lib. 2. Surd. *conf.* 46. *n.* 13. *& seq.* Grammat. *dec.* 103. *n.* 53. *& seq.* Rota, *decis.* 502. *nu.* 10. *par.* 2. *divers. dec.* 130. *nu.* 8. *& decis.* 318. *per tot. par.* 4. *recent. tom.* 2. *& dicta decis.* 125. *nu.* 31. *p.* 5. & in dicta sua materia *sub tit. de renunciat.*

14 Ideoque nisi accedat satis justa, & honesta causa, quæ talem donationem, seu renunciationem rationabilem reddat, juxta casum, de quo apud Otthob. *dec.* 182, *& dec.* 23. *p.* 11. *rec.* quod scilicet mulier senex juri quærendo, quod sperabat in successione filii, reportata congrua provisione renunciet, ex justo, & laudabili motivo conservationis bonorum in agnatione, vel descendentia, cum similibus ponderatis in præcedentibus, in proposito satisfaciendi causæ in contractibus mulierum requisitæ per Statutum Urbis 151.

15 Rarum ac difficile est, hujusmodi donationes factas per mulieres, præsertim autem per inexpertas puellas sustinere, ubi non intret illa ratio congruentiæ, & communis usus præsertim Italiæ, circa eas renunciationes, quæ per puellas fiunt occasione matrimonii carnalis, vel spiritualis correspective ad congruam dotam; quia (dicto communi usu attento) sufficere debet eas esse provisas, ut divitiæ in agnationibus, & familiis conserventur, & ne alias, fœ-16 minis mediantibus, ad alienas familias transeant, juxta antiquos Romanorum, ac Italiæ mores, ut pluries advertitur *sub tit. de successions.* ac etiam sub altero *de testamentis*, & alibi occasione improbandi, seu redarguendi illos vere legoleicos, ac insipidos rigores, quos in sequendo aliquam antiquiorum simplicitatem, adhibemus super stricta interpretatione Statutorum, fœminas, vel cognatos excludentium favore masculorum, vel agnationis.

17 Hinc proinde, hujusmodi quæstiones facti potius videntur, pro facti scilicet qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis decidendæ pro Judicis prudenti arbitrio, an actus prudens, ac laudabilis, vel potius de circumventione suspectus sit, pro personarum, & locorum, ac bonorum qualitate, &c. cum desuper certa, & determinata regula generalis tradi non valeat.

PARMEN. DONATIONIS DE TERTIIS, PRO COMITE ANTONIO MARIA DE TERTIIS, CUM FRATRIBUS,

Responsum pro veritate.

Ad materiam textus *in l. quoties*, *Cod. de donat. quæ sub modo*, an scilicet, & quando donator remittere possit donatario onera illi adjuncta favore tertii absentis, pro quo nemo legitime stipulatus fuerit?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An donator remittere possit primo donatario onera in præjudicium secundi?*
3 *Perfecta donatio revocari, vel minui non potest* ad l. quoties.
4 *De hac materia remissive.*
5 *Cessat accedente juramento, quod irrevocabilem reddit donationem factam tertio, & quando secus.*
6 *Quid ad effectum acquisitionis dominii.*
7 *In donationibus habentibus tractum successivum, unica acceptatio prodest omnibus.*
8 *Donatio facta infanti absenti est valida, & irrevocabilis.*
9 *Donatio facta cum primogenitura, vel fideicommisso non subjacet solemnitatibus.*
10 *Ex scientia donationis resultat acceptatio.*
11 *Et quando secus.*
12 *Ubi habemus acceptationem, cessat omnis quæstio.*
13 *Facultas reservata disponendi in vita, an conveniat dispositioni per ultimam voluntatem?*

DISC. LVI.

COMES LUDOVICUS de Tertiis tres habens filios
1 primogenituram ereait in feudis Sissæ, & Belvederii, secundogenitis provisis ad vitam de quodam annuo congruo reddito, tanquam per speciem illius vitæ militiæ, quæ in feudis juris Francorum secundogenitis reservata est, postmodum vero, ut duos secundogenitos in pupillari ætate adhuc constitutos pinguius provideret, ac etiam in satisfactionem legitimæ, & dotium maternarum, donationem eis fecit de quibusdam bonis pleno jure, etiam in proprietate, Notario pro eis absentibus acceptante, & stipulante, de quibusdam vero aliis stabilibus in solo usufructu, cum reciproca inter eos, atque utroque decedente voluit, ut usufructus consolidari deberet cum proprietate ad favorem dictæ primogenituræ, ad aliquos autem annos, dictis secundogenitis effectis majoribus, idem pater, ut omnem discordiarum occasionem inter fratres post ejus mortem dirimeret, de omnium consensu, eisque acceptantibus quandam fecit divisionem, ac assignationem, per quam dicti fratres aliqua bona pro eorum respective commoditate permutarunt, cumque postmodum idem pater moriens, in testamento aliquas fecisset dispositiones, dictis secundogenitis, vel eorum alteri favorabiliores, primogenito autem in juribus, ex dicta secunda donatione quæsitis præjudiciales, hinc proinde ex parte dicti primogeniti pro veritate consultus fui, an præfatæ donationi fretus, paternam testamentariam dispositionem, pro se ejusque in primogenitura successoribus impugnare posset, dubitandi rationem præbente, quod dicta donatio proprietatis facta esset primogenito absenti, nemine pro eo acceptante, ac stipulante, dum Notarii acceptatio, & stipulatio erat pro dictis secundogenitis, ad quos verba stipulationis dirigebantur, unde propterea supponebatur ex parte volentium sustinere dictam testamentariam dispositionem, quod intrarent termini tex. 2 *in l. quoties*, *C. de don. quæ sub mod. cum ibi notatis per Scribentes*, vel theorica Bart. *in l. qui Romæ*, *§. Flavius Hermes*, *ff. de verb. oblig.* ut re integra, & ante acceptationem factam a tertio, cujus favore donator donatario onus adjecerit, illud in toto, vel in parte remitti valeat.

Ex facti autem qualitate, juxta notulam transmissam, ac instrumentorum seriem, (non tamen visis fundamentis, quibus secundogenitorum prætensio innitteretur) dixi probabilius pro ipso primogenito, ejusque in primogenitura successoribus respondendum videri, quodque pater non potuerit jus ex dicta donatione primogenituræ quæsitum, per subsequentem dispositionem tollere, vel diminuere ad tex. *in l. perfecta*, *C. de don.* cum concord. plene deductis *sub* 3 *tit. de fideicommissis a disc.* 134. *ad* 140. ubi de materia potestatis donatoris gravandi donatarium in bonis donatis, seu alias ei præjudicandi, posita donationis validitate, ac perfectione.

Neque obstare dicebam, quod dispositio ad favorem pri- 4 mogenituræ facta esset ad favorem absentis, nemine pro ea acceptante, & stipulante, juxta dictos terminos text. *in l. quoties*, *C. de don. quæ sub mod. cum ibi notat.*, *& theoricam* Bart. *in d. l. qui Roma*, *§. Flavius Hermes*, *ff. de verb. oblig.* Quoniam inter plures limitationes, vel declarationes, quibus ista conclusio subjacet, & de quibus agunt relati per Gratian. *discept.* 405. *nu.* 19. *& seqq.* & *discept.* 575. *n.* 3. *& seqq.* Fab. de Ann. *conf.* 32. Rovit. *dec.* 89. late Merlin. *controv.* 59. *&* 60. *lib.* 1. Rot. *decis.* 37. *n.* 6. *par.* 7. *recent.* *& dec.* 174. *num.* 21. *par.* 6. & in aliis, de quibus infra, tres ad rem facere videbantur.

Primo scilicet ratione juramenti, quod ex magis communi receptaque opinione reddit donationem irrevocabilem, quamvis absenti factam, ac nemine pro donatario acceptante, & stipulante, quoties agitur de donatione lucrativa, 5 quæ utilitatem importet, quamvis aliquod admixtum sit onus emolumento inferius, unde propterea absit dubietas, quod possit causare damnum in bonis propriis, ut est ea donatio insinuata *disc.* 34. ut antiquioribus relatis habetur apud Gabriel. *de verb. oblig. conclus.* 1. *n.* 69. Fab. de Ann. *d. conf.* 32. *n.* 4. Grat. *d. discep.* 575. *n.* 13. Buratt. *dec.* 149. *n.* 2. *& dec.* 373. *n.* 11. *&* 12. Duran. *dec.* 364. *n.* 1. *&* 2. Dunozzett. *dec.* 773. *n.* 9. *in fin.* late *dec.* 387. *p.* 9. *rec.* *n.* 31. *repetit. dec.* 110. post Merlin. *de pignor.* *& in Rheggien. bonorum* 23. *Januarii* 1647. *coram Corrado* confirmatoria alterius proxime supra allegatæ, & advertitur pluries in præcedentibus, cum sit conclusio recepta quoad punctum pœnitentiæ, & ne donator possit revocare, vel alterare, quicquid sit quoad acquisitionem dominii pro jure tertii, in quem medio 6 tempore ex causa onerosa, & bona fide, citra collusionem, idem dominium translatum sit, ad quem effectum intrat difficultas, de qua apud Merlin. *d. contr.* 60. *l.* 1. ubi an actio competeret secundo donatario sit realis, vel personalis, Rot. apud Rojas *dec.* 314. *& in aliis*.

Secundo, quia ad primogenituram vocata erat universa ipsius donatoris descendentia, juxta linearum ordinem, & 7 consequenter ipsimet secundogeniti (quorum nomine Notarii stipulatio, & acceptatio accesserat) erant etiam do-

nata-

natarii, utpote ad eam vocati, unde resultat recepta con-
7 clusio, de qua plene, cæteris relatis, *dec. 40. & 387. par. 9. rec.*
quamee prima est repetit. *dec. 189.* post Zacch. *de oblig. Ca-
mer. & in supra allegata Rheggien. bonorum* a 3. *Januar.* 1647.
coram Corrado, *& d. tit. de fideicommissis a disc. 138. ad* 140.
quod in hujusmodi donationibus conceptis ad favorem per-
sonarum universi generis cum tractu perpetuo, ac successi-
vo, & consequenter ad favorem etiam nasciturorum, quos
impossibile erat ut essent præsentes, vel acceptare, ac sti-
pulari possent, idcirco stipulatio unius sufficit pro omni-
bus; si enim ex dicta ratione impossibilitatis, infantilis ætas
8 operatur, ut in actibus lucrativis, in quibus, data scien-
tia, acceptatio præsumenda est, ipsa lex nomine infantis
acceptat, & stipulatur, ex deductis in dictis decisionibus
Rheggien. coram Corrado, *ubi concordantes*, multo magis
in non natis, ac successive ad sæcula procreandis.
9 Accedente etiam ratione favoris agnationis, vel sangui-
nis, ob quem hujusmodi donationes nimium benigne ca-
piuntur, unde non procedunt in eis rigores juris commu-
nis, vel statutarii, ut in proposito solemnitatum non ad-
hibendarum, seu læsionis non admittendæ in donationibus
factis pro erectione primogenituræ, vel fideicommissi in
familia, seu descendentia, *ex Molina de primogenitura*, &
aliis allegatis habetur apud Otthob. *dec.* 182. *& dec.* 23. *par.*
51. *rec.* utrobique in fine, & occasione insinuationis pariter
in hac donationum specie non desiderandæ, habetur *disc.
seq.* ac generaliter pluries in præcedentibus in proposito
donationum factarum per mulieres, vel alios, in quibus
ob intellectus imbecillitatem solemnitates aliquæ desideren-
tur, sive circumventionis præsumptio de facili intret.
10 Tertio demum (per quod omnis dubitandi ratio cessa-
bat in radice ex solo facto, absque necessitate recurrendi
ad apices, vel propositiones juris) quod ex posteriori actu
supra recensito divisionis, ac assignationis respective factæ
per patrem inter dictos tres filios præsentes, & acceptan-
tes, constat ex instrumento desuper inito, quod donatio
hæc enunciatur cum dispositione ad favorem primogenitu-
ræ, ideoque dicebam ita probari in dicto primogenito
scientiam certam, ac expressam, ista vero posita, in acti-
bus lucrativis, ac certam utilitatem in toto, vel saltem
in parte excedente onus continentibus, lex præsumit ac-
ceptationem, & ad quem effectum etiam scientiæ proba-
tio præsumptiva, seu adminiculativa sufficit, ut iis, quæ
cæteris copiose relatis habentur *d. dec. 40. & 387. p. 9. rec.
& in d. Rheggien. 23. Jan. 1647. coram Corrado*, ac frequen-
ter, cum sit conclusio hodie recepta non admittens am-
11 plius controversiam cadentem in solo casu, in quo agatur
de illa specie donationis onerosæ, quæ in substantia po-
tius contineat contractum correspectivum cum incertitudi-
ne, an ex futuro eventu utilis, vel damnosus esse possit,
ut satis bene ita declarando firmata *dec. 27. p. 7. rec.* & in
aliis advertitur *in d. Rheggien. bonorum cor. Corrado*, & plu-
ries insinuatur in præcedentibus.
12 Sed (quod magis) ultra scientiam, quæ acceptationis præ-
sumptionem redolet, ex eodem actu resultabat certa proba-
tio acceptationis expressæ, & consequenter intrabat regula
tex. *in l. ille aut ille*, *ff. de legatis tertio*, quod in claris, & ex-
pressis cessant omnes quæstiones, & argumenta, ideoque
cessabat, ut dictum est in radice omnis quæstio, dum remis-
sio, quam per testamentariam dispositionem donator dona-
tario fecerat, erat re non integra, & post acceptationem.
13 De plerisque aliis super hac facti specie consultus fui, in
facto potius quam in jure consistentibus, præsertim vero
quoad reliqua bona libera patris in erectione primogenitu-
ræ, vel in subsequenti donatione non comprehensa, caden-
tia tamen sub dicto ultimo actu divisionis, ac assignationis
respective, an idem pater testando potuerit disponere, di-
ctamque assignationem alterare, dubitandi rationem præ-
bente protestatione per eundem patrem adjecta, ut per
dictum actum, qui pro filiorum quiete post ejus mortem
gerebatur, nullum in ejus dominio, ac possessione genera-
retur præjudicium, sed integra remaneret libertas dispo-
nendi in vita, an scilicet hæc præservativa, utpote restri-
cta ad dispositionem in vita, suffragaretur pro dispositio-
ne per ultimam voluntatem, respondi tamen dubitatio-
nem non cadere, illa etenim, de qua pluries habetur *sub
tit. de fideicom.* percutit diversos terminos facultatis alicui
concessæ disponendi de alienis, an scilicet explicata in una
specie dispositionis trahatur ad alteram, vel etiam termi-
nos facultatis reservatæ in bonis propriis, quæ tamen per
donationem jam perfectam alteri quæsita sint, secus au-
tem in præsenti, quod disponendi facultas non dici pote-

rat dativa, sed nativa, competens jure proprio, ac primæ-
vo, reservatio autem continebat expressionem ejus, quod de
jure inerat, seu declarationem animi non donandi, sed fa-
ciendi simplicem assignationem, vel distributionem inter
filios, quæ de sui natura est quandocumque revocabilis,
ex deductis supra, in *Forosempronien. disc.* 40. & in aliis.

ANNOT. AD DISC. LVI.

AD materiam *text. in l. quoties*, *Cod. de donat.* nota-
tum est supra *ad disc.* 36. Et videri poterunt dedu-
cta *in eodem tit. de Donat. disc.* 65. ubi agitur an secundo
donatario competat actio ad bona donata contra Tertium,
in quem primus donatarius distraxerit.

FARFEN. DONATIONIS SEU FIDEICOMMISSI PRO PETRO JANNOTTO, ET CONSORTIBUS CUM JOANNE BAPTISTA ROSCETTO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus ut infra.

An in donatione facta cum ordine successivo, vel fideicommissi ad favorem plurium, necessaria sit acceptatio primi donatarii, qua non sequuta illa evanescat quoad alios successive vocatos necne, vel potius substituti venire possint jure proprio? Et quando donatio dicatur lucrativa, vel onerosa ad eundem effectum.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Factum primi donatarii non præjudicat aliis in donatione successive vocatis.*
3 *De dictione donationis ex causa lucrativa, vel onerosa, & quando acceptatio sit præcise necessaria ad perfectionem donationis.*
4 *De eodem, & quando dicatur donatio vere onerosa, & correspectiva.*
5 *Ubi actus est imperfectus, atque recipit perfectionem ab acceptatione, vel alio implemento primi donatarii, si id non sequatur, corruit, & quando non.*
6 *Observantia contraria declarat voluntatem resolvendi actum.*

D I S C. LVII.

DE anno 1592. Jo: Bernardinus Soldanus presbyter, ex 1
motivo conservandi bona in agnatione, donationem
facit Camillo, & Octaviano ex fratre nepotibus, & succes-
sive eorum filiis, & descendentibus, ac in istorum defectum
ad favorem proximiores, sub onere quod donatarii ipsi vi-
venti suppeditare deberent annua scuta 60. monetæ, &
certam quantitatem frumenti, hordei, vini, & olei, necnon
habitationem in domo cum necessaria suppellectili, ac te-
nere pro eo equum, vel mulum paratum ad equitandum.
Nulla vero sequuta acceptatione expressa, ad annos inter
dictos donantem, & donatarium, deventum est ad divisio-
nem bonorum, quæ pro communi possidebantur, eodem-
que defuncto, præfati Camillus, & Octavianus ab initio
hæreditatem adierunt, istoque titulo ejus bona possidere
professi sunt, atque ipsimet, vel eorum filii aliqua ab iis di-
straxerunt, omnibus autem defectis, Jo: Baptista proxi-
mior, prætendens ejus vocationi locum factum esse, ju-
dicium instituit coram A. C. ad dicta bona contra eorum
possessores, atque in disputationibus desuper habitis, ultra
inspectionem in puro facto consistentem super bonorum
identitate, cujus nullæ erant partes Advocatorum,
Quatenus pertinent ad ea, quæ juris sunt, Scribentes pro 2
actore se fundabant in conclusione, de qua pluries in præce-
dentibus, quod scilicet ubi agitur de hujusmodi donationi-
bus cum quodam ordine fideicommissi ordinatis favore plu-
rium personarum, vel generum ordine successivo, atque ac-
cedit stipulatio Notarii pro omnibus (quæ in instrumentis
celebratis in Statu Ecclesiastico semper adesse dicitur ra-
tione obligationis cameralis habentis in ventre stipulatio-
nem pro omnibus quorum interest) tunc omnes dicuntur ab
initio donatarii, adeout tot dicantur donationes quot sunt
personæ, ideoque factum negativum, vel positivum primi
non possit aliis præjudicare, ex deductis supra in *Romana
donationis de Andosillis disc. 9. & in aliis pluries*, *hoc eod. tit.*
ac etiam *sub tit. de fideic. disc. 134. cum plur. seqq.* Quodque

propterea primi donatarii non potuerint, negligendo forsan studiose expressam acceptationem donationis, eludere donatoris voluntatem, atque ita reddere liberæ dispositionis ea bona, quæ restitutionis oneri subjecta erant.

3 Scribens Ego pro reis conventis, non negabam dictæ theoricæ veritatem, negabam tamen applicationem, illa etenim procedit in mere gratuita, & lucrativa donatione, vel etiam in onerosa, quæ tamen lucrum adhuc redoleat, quia nempe onus sit emolumento inferius, unde propterea, facta oneris compensatione, remaneat excessus, in quo donatarius contendat de puro lucro, absque periculo, vel timore, ut dampnificatus remanere possit de proprio, secus autem ubi onus est tale, quod ex eventualitate, damnum donatario, lucrum vero ac utilitatem donatori importare potest, juxta casum insinuatum *supra disc. 54. & in aliis*, atque declarando *dec. 27. p. 7. rec.* ita distinguendo bene advertitur in *Rhegg. bonorum 23. Januarii 1647. coram Corrado*, pluries in aliis canonizata, tunc enim dicitur contractus mere onerosus, & correspectivus, donationis vocabulo coloratus, ac potius in verbis quam in re, qui propterea indiget formali, ac expressa acceptatione, quoniam potest donatario expedire eam non acceptare, prout etiam expedis donatori certificari de acceptatione, ut ita tutus reddatur de oneribus, magis pro ejus utilitate, quam pro liberalitate adjectis, quodque alias non donasset, adeout non sequuta formali acceptatione, actus resolvatur, nedum ex deficiente donatarii acceptatione, sed etiam ex deficiente voluntate donatoris, quæ influit in omnes successive vocatos, tanquam ex defecto principio, sine quo alias actus gestus non esset, quod scilicet ideo donator actum gessit, quia voluit de congrua sustentatione se tutum reddere, & consequenter non acceptantibus primis, qui onus supportaturi erant, nulla ratio suppetit ut integrum esse debeat jus ulteriorum venientium, postquam cessata vita donatoris, & consequenter cessato onere, agerent de mero lucro.

4 Supponebatur autem ex hac parte, quod hæc donatio respectu donatariorum primi gradus esset de hac ultima specie contractus vere onerosi, qui damnum, & jacturam in donatario importare poterat, ideoque expediebat eis non acceptare, dum supponebatur, quoad annuum onus ut supra reservatum, longe excederet bonorum donatorum fructus; ubi enim donatio fuisset libera ipsorum bonorum in proprietate, tunc onus, quamvis excedens notabiliter fructus singulis annis, non corrumpit totaliter naturam donationis, cum illud, utpote vitalitium, cessaturum esset, unde propterea absorptum esse potest ab emolumento lucri in sorte principali, ideoque ea facti qualitate actus remanere potest semper lucrativus, juxta dictum casum insinuatum *supra d. disc. 54.* & alibi, sed cum esset cum vinculo fideicommissi, in quo neque spes caducationis aderat, ob ultimam genericam vocationem proximioris, hinc proinde (spectato effectu) quoad primos donatarios, quorum inspecta ætate, verisimiliter dictum onus futurum erat, importabat simplicem usumfructum ad vitam, & consequenter poterat id eis esse notabiliter damnosum, quia donatori post dicti oneris supportationem plurium annorum spatio, præmori poterant, vel paulo postea decedere, adeout non daretur casus reintegrationis.

5 Atque hinc resultat non esse considerabile jus successorum, cum illud procedat, quando donatio jam pure, ac perfecte suum effectum sortita est, atque jus quæsitum omnibus donatariis, unde agatur de caducitate ex culpa, vel conventione primi donatarii, potius tanquam in pœnam, juxta casum, de quo *in d. Romana donationis de Andosilla, disc. 9.* cum similibus, secus autem ubi agatur de conditione, quæ suspendat perfectionem actus, atque se opponat principio acquisitionis, cum tunc defectus non impletæ, seu non purificatæ conditionis, influat in omnes, ob resolutionem, seu nunquam sequutam perfectionem actus, ut advertitur *dec. 203. num. 23. cum seq. p. 6. rec.* atque ita distinguendo inter conditionem, & modum, & quando sit per viam non acquisitionis, vel per viam privationis, habetur plene actum *sub tit. de fideicomm. disc. 154.* Et consequenter quæstio reducebatur ad punctum facti super quantitate fructuum ipsorum bonorum donatorum, an excederent onus, vel illud eos superaret.

6 Dictæ autem veritatis recognitionem comprobari observabam ex subsequuta divisione inter donantem, & donatarium incompatibiliter cum dicta donatione, cum ita clare comprobata remaneret utriusque partis voluntas habendi actum pro infecto, ob non purificatam suspensivam conditionem, alias admittentem consensum ab actu, qui proinde omnium respectu evanescere dicitur, non per viam caducitatis, ac privationis juris quæsiti, sed per viam impedimenti præstiti principio acquisitionis, ac perfectionis actus alias indefinite invalidi. Exitus fuit, quod reis conventis data fuit absolutoria pro aliquibus bonis, ob non probatam eorum comprehensionem in donatione, in aliis autem comprehensis data fuit immissio ex deficiente dicto facti præsupposito, quod onus excederet fructus bonorum.

ADNOT. AD DISC. LVII.

QUando acceptatio sit præcise necessaria ad perfectionem donationis, *Vide notata supra ad disc. 14.*

N E A P O L I T A N A
SEU CAMPANIEN. DONATIONIS
PRO MONTE FAMILIÆ BERNALLÆ.
C U M N.

Responsum pro veritate.

An donator teneatur eximere donatarium a molestiis, quas patiatur ab ejus creditoribus in bonis donatis, & quatenus ex facto donatoris aliqua bona donatarius amiserit, an teneatur ad reintegrationem.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De quæstione an donator teneatur de evictione?*
3 *Quando proprie ista quæstio cadat.*
4 *An donatarius teneatur ad census, & alia onera rei donatæ?*
5 *Ubi agitur de debitis, & oneribus personalibus, spectans ad donatorem.*
6 *Quod hic esset casus quæstionis.*
7 *Quando donator scivit onus, tenetur de evictione.*
8 *Item intrat evictio, vel obligatio ad æstimationem ob dilectionem, vel qualitatem donatarii.*

D I S C. LVIII.

FLaminius Bernallus, cupiens in vita prævenire id, quod jam in testamento disposuerat, per donationem inter vivos de anno 1623. pro erectione montis ejus familiæ in subventionem puellarem, ac aliorum indigentium, nonnulla bona in ipso donationis instrumento assignavit cum solita narrativa, quod ad se pleno jure spectarent, sibi reservata donec viveret facultate administrandi, ac etiam alienandi ad affectum erogandi pretium in alia bona, vel jura. Cum autem donatore defuncto, pro aliquibus ejus obligationibus forsan fidejussoriis contractis de anno 1616. bona, vel jura, ut supra assignata, in parte evicta, vel subhastata, seu adjudicata fuissent, hinc orta controversia inter dicti montis administratores, vel interessatos, ac donatoris hæredes super reintegratione, ex parte administratorum, vel agentium pro monte, communicatis aliquibus Responsis, vel allegationibus hincinde editis, de proprio judicio expetitus fui. 1

In dictis autem Responsis, vel allegationibus, doctæ quidem, ac nimium elaboratæ, quasi per speciem formalis tractationis, assumpta fuit quæstio, de qua *supra disc. 51. & seqq.* ac etiam *sub tit. de dote disc. 157.* An scilicet, & quando donans teneatur de evictione, expendendo vulgarem distinctionem, an donatio incipiat a traditione, vel a promissione, magis vero super dictæ distinctionis applicatione, super qua vere cadunt controversiæ, cum juris theorica in abstracto videatur extra quæstionem. 2

Commendando autem laborem, ac ingenium, respondi quod Mihi extranei videbantur illi termini a casu præsentis controversiæ, illi siquidem cadunt in casu evictionis, quæ sequatur alias quam ex facto, vel culpa ipsius donatoris, puta quia possidendo bona, quæ bona fide putabat esse sua, & libera, eorumque liberam dispositionem habere, illa donet, deindeque detegatur esse aliena, vel antiquorum hypothecis, ac oneribus obnoxia esse, atque in his terminis vere, ac proprie dicta quæstio cadit. 3

Sivnubi onus proveniet quidem a facto ipsius donatoris, 4 vel alias illi bene notum sit, sed cadere valeat dubitatio, an sit onus reale, & connaturale, quod cum ipsa re transeat in donatarium, vel legatarium, ad materiam text. *in l. si res obligata, ff. de legat. 1.* puta in censu consignativo super ipsa re imposito, in quo cadat quæstio, an importet onus reale, vel personale (cum in reservativo sit extra controversiam, ut sit onus reale, ac intrinsecum) ex eis, quæ cæteris relatis

sis, habentur plene deducta per Cenc. *de cens. sive* per Ranuccium *eximium hujus Curiæ Advocatum in Responsa ibi impress. quæst.* 79. *ex num.* 4. *ad fin.* de Marin. *resol.* 12. *lib.* 1. & Roc. *in decisione registrata* apud Marin. *ibid. & repetit. decis.* 143. *part.* 5. *recent*, & habetur *sub tit. de feud. & sub altero de censibus.*

Ex quibus, ac alijs apud eos patet, quod sola quæstio cadit super natura census, vel alterius oneris, an scilicet dicatur onus reale, an intrinsecum, vel potius personale,
5 quoniam posita hac secunda qualitate, extra controversiam est, ut onus sit donatoris, non autem donatarii.

Et consequenter, cum in hac facti specie ageretur de debitis indifferentibus mere personalibus, & quantitatis,
6 & forsan, ut dictum est alienis, ac fidejussoriis, planum est, ut bona donata, quæ jam erant in dominio donatoris, censeantur ab his oneribus exempta, utpote penes ipsius donatoris personam remanentibus, qui teneretur ex parte sua facere, ut donatio sortiatur effectum.

In idem quoque suffragante conclusione, de qua *d. tit. de*
7 *dot. disc.* 157. Olea *de cess. jur. tit.* 7. *q.* 2. *n.* 19. Rota *dec.* 281. *n.* 2. *par.* 10. *rec.* & in aliis, ut scilicet etiam in casu, quo donatio incipiat a traditione, adeout, juxta receptam distinctionem, regula sit pro evictionis exclusione, adhuc ea præstanda sit, ubi donator sciat rem esse alienam, vel alteri affectam.

Ac etiam altera conclusione, de qua *eadem dec.* 281. *n.* 2. *par.* 10. Cen. *dict. q.* 79. *n.* 17. *& seqq. & per totum*, Gra-
8 tian. *discept.* 611. *n.* 7. *& seqq. & d. disc.* 157. *de dote*, ut scilicet intret obligatio evictionis, vel æstimationis, ubi agatur de donatione ad pias causas, sive ad favorem personæ conjunctæ, ac prædilectæ, adeout assistat donatoris verisimilis voluntas, cujus potius quam juris est quæstio, ea deduct. *d. disc.* 157. *de dote*, & alibi, & hic videbatur casus, tum ex qualitate operis ad favorem familiæ, tum etiam ex nimium enixa voluntate desumpta quoque ex testamento, quæ tamen ponderabam ad exuberantiam, cum vere non essemus in casu quæstionis circa evictionis præstationem, sed in diversis terminis, ut supra, ideoque Mihi videbatur casus planus favore Montis donatarii.

ANNOT. AD DISC. LVIII.

NOtatum est supra *ad disc.* 51. *& seqq.* Et conferunt deducta *sub tit. de Legat. disc.* 26. occasione agendi de articulo, an & quando Legatarius teneatur ad onera rei legatæ, vel potius spectent ad hæredem?

GALLIPOLITANA PECUNIARIA, PRO PRINCIPE ROCCHÆ, ET DOMINICO ANGRISANO, CUM JOSEPHO FRANCISCO COPPOLO.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus ut infra.

Facta per patrem donatione bonorum uni ex filiis, sub lege ut post mortem patris teneretur ea conferre, & communicare cum aliis filiis, adeout omnium filiorum æqualis esset conditio, an pro ea rata, quæ caderet sub aliorum filiorum portionibus bona continuare dicantur in dominio patris, adeout affecta sint ejus creditoribus? Et de simulatione donationis in fraudem creditorum, & de processu executivo contra donatarium tertium possessorem.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Distinguuntur inspectiones.*
4 *Quomodo sit decidenda quæstio super simulata donatione, ac in fraudem creditorum.*
5 *De eodem, & de differentia ubi principaliter agatur inter donantem, & donatarium, & ubi agatur cum tertio.*
6 *De circumstantiis, ex quibus fraus præsumatur.*
7 *An medietas dicatur esse in hæreditate donatoris ratione reservationis? & n.* 8.
8 *Hæres gravatus dicitur perfectus Dominus.*
9 *De conclusione, de qua n.* 7.
10 *Summa reservata in donatione non debetur in pecunia, sed in bonis.*
11 *Donatio inter patrem, & filium non præsumitur.*
12 *Donatio in dubio non præsumitur.*

13 *De differentia ubi agatur inter filium donatarium, & alios fratres, & tertium creditorem pro excludenda donatione.*
14 *Reservationes factæ pro filiis non important perfectam donationem.*
15 *An, & quando contra tertium donatarium, seu ejus hæredem procedi possit executive? & n.* 17.
16 *Transactio est prius rescindenda per tres conformes.*
17 *De eodem, de quo n.* 15.

D I S C. LIX.

DOminicus de Arrigo rationem campsoriam exercens 1
cum Jo: Baptista Campanario, morti proximus, cum filium in pupillari ætate relinqueret in testamento deputavit dicti negotii institorem, seu administratorem pro ejus parte Antonium sibi pro mercede, tam dictæ administrationis, quam tutelæ, assignata quadam participatione utilium, cumque Princeps Rocchæ, & Angrisanus creditores dicti negotii socialis etiam ex causis initium habentibus vivente Dominico, quædam computa solidassent cum præfato Antonio, qui jam de annis 1642. & 1643. quorundam bonorum pene totum ejus assem absorbentium, donationem fecerat Nicolao filio, sub ea lege, ut bona donata post ipsius donatoris mortem aliis ejus filiis, ac fratribus respective, æqualiter conferre, seu communicare deberet, dictoque Antonio defuncto, creditores prædicti obtinuissent mandatum executivum contra ejus bona hæreditaria, atque Josaph Franciscus alter filius tanquam hæres dicti fratris donatarii defuncti, repudiata patris hæreditate, ut dicti mandati executionem impediret, opposuisset tanquam tertius de illa cautela, quæ *Angeli* vulgo nuncupatur, hinc delata causa appellationis ex quodam incidenti ad A. C. coram isto disputatum fuit de puncto executionis dicti mandati super bonis donatis, donatione, & cautela prædictis non obstantibus, atque post plures disputationes, decreta fuit executio pro sola medie- 2
tate, utpote cadente sub dicta reservatione ad favorem alterius filii, & in hoc statu adhuc causa pendet.

In his autem disputationibus, tres fuerunt puncti ad hanc materiam pertinentes, primò scilicet super invaliditate dictæ donationis utpote simulatæ, ac in fraudem creditorum, 3
secundo an saltem medietas ratione dictæ reservationis esse dicere tur in hæreditate donatoris, & tertio circa ordinem, an scilicet contra dicti donatarii hæredem procedi posset executive, vel potius procedendum esset in solo judicio reali, vel rei persequutorio, quod ratione hypothecæ solum competit contra tertium possessorem titulo singulari.

Primus punctus videbatur potius facti, quam juris super fraudis, vel simulationis præsumptionibus, & argumentis, 4
super quorum pondere, & efficacia, certa, & determinata regula dari non potest, cum juxta generalem naturam omnium conjecturalium, de qua in omni fere materia, præsertim vero, ac frequentius *sub tit. de fideic.* totum commissum sit prudentis Judicis arbitrio regulando ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ex quibus in uno casu aliquæ conjecturæ licet modicæ, ac leves videri possunt sufficientes, in altero autem eædem, ac aliæ longe majores, & ponderosiores non sufficiant, adeout, sicuti pluries advertitur, manifesta sit ineptia, doctrinas, ac decisiones in uno casu editas, alteri indefinite applicare, vel cum regulis generalibus hanc materiam regulare, suffragante solum regula generali præexistentiæ, vel non præexistentiæ causæ simulandi, non quod causa ad id præcise necessaria sit, quoniam data sufficienti probatione simulationis, talis defectus negligitur, sed ad effectum regulandi arbitrium pro dicta probatione, quæ concurrente verisimili causa, levior, ac imperfecta sufficit, ea vero deficiente, major, magisque perfecta desideratur, juxta distinctionem, quam hodie frequentem, ac vulgarem habemus juris dispositioni, ac rationi bene innixam.

Advertebam quoque in proposito hujusmodi probationis, ac arbitrii regulandi, nimium referre, an de simulatione agatur principaliter inter ipsos donatorem, & donatarium, vel habentes causam ab eis pro nullitate 5
actus, vel ubi de hoc ageretur incidenter cum tertio ad solum effectum vitandi præjudicium, quod huic resultet; primo etenim casu strictius, ac rigorosius proceditur, cum sit impugnare factum proprium, propriamque turpitudinem allegare, ideoque non de facili debet quis admitti ad allegandum proprium, vel proprii auctoris mendacium, secus autem in altero, juxta distinctionem, de qua præsertim habetur pluries *sub tit. de dote*, occasione agendi de dote confessata, ac etiam habetur plu-

ries *sub tit. de fideicomm.* occasione agendi de præsumptiva, seo adminicolativa probatione filiationis; & *sub tit. de alienat. & contract.* occasione agendi de jure patriæ potestatis, vel emancipationis filiifamilias, cum similibus.

In hac autem facti spetie Mihi videbatur, quod suffi-
6 cientia adessent hujusmodi fraudis, ac simulationis probabilia argumenta, primo ex illarum Regionum fere generali more, quod parentes hujusmodi donationes, nedum stabilium, sed etiam mobilium, ita simulate faciant filiis clericis, tam ad effectum exemptionis a gabellis, & oneribus laicalibus, quam ad effectum ita se reddendi tutos a repræsaliis, ac molestiis Commissariorum pro debitis communitativis, unde probi, & periti Episcopi, vel Superiores Ecclesiastici ex quadam æquitate in bonum publicum ipsorum quoque laicorum tendente, tueri solent hujusmodi bona donata, utpote de dominio Clericorum ad dictum effectum repræsaliarum, secus autem ad alterum exemptionis, nisi pro congrua rata cadente sub patrimonio, ad cujus titulum sit promotus, vel debeat promoveri, regulando prudens arbitrium tam circa excessum, quam etiam circa tempus ante promotionem pro facti circumstantiis, sinceritatem, vel respective fraudem redolentibus, ut forte insinnabitur ad materiam Clericorum, & ecclesiasticæ immunitatis *sub tit. Miscellaneo rerum Ecclesiasticarum*.

Secondo ex pluribus insolitis, ac affectatis cautelis, & clausulis, ex quibus fraudis, ac simulationis suspicio, vel conjectura desumi solet, tertio fortiter ex verisimili causa simulandi, quoniam licet debitum contractum esset post donationem, attamen initium trahebat a causa præcedenti susceptæ administrationis, pro qua intrabat etiam hypotheca legalis, dum agebatur de administratione rerum pupillarium, & quarto demum clarius a dicta lege, seu conditione communicationis, seu æqualis participationis aliorum filiorum natorum, ac nascendorum cum reservatione usufructus ad favorem ipsius, unde clare dignoscebatur, quod id non provenerit ex aliquo particulari donatarii merito, stante potissimum ejusdem pupillari ætate dictum meritum proprium excludente, verum cum agatur de materia arbitraria, ob ingeniorum varietatem, quam data etiam experiuntur æquali doctrina, & æquali integritate, id quod Mihi sufficiens videbatur, insufficiens visum est Judici.

Quo vero ad secundum punctum, cui Judex adhæsit,
7 quod scilicet donatio abdicativa dominii a donatore, & translativa in donatarium, verificaretur solum in medietate, dicebant Scribentes pro reo convento, quod attento sensu litterali verborum, omnia bona donata erant filio clerico, cui tanquam per speciem fideicommissi injunctum erat onus de tempore mortis patris restituendi aliis fratribus proprias portiones, sive patiendi quod ipsi reliqua paterna bona insolidum obtinerent juxta naturam collationis, vel imputationis spectato fine per patrem volito æqualitatis inter eos, ideoque id non impediret interim translationem dominii in ipsum translatarium, adinstar eorum, quæ habentur pluries *sub tit. de fideic.* & sub altero *de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, circa dominium verum, quod
8 esse dicitur penes hæredem restitutionis onere gravatum, pendente conditione, quæ potest deficere per præmorientiam substitutorum, sive quod ipsi non curarent fideicommissum agnoscere, unde propterea ad duo inferebant, primo scilicet quod cum ipsemet reus conventus cujus favore dictum onus adjectum erat, illud non curaret, ita ob non factum casum restitutionis, per non jus decrescendi, seu jure continuationis, bona continuabant in hæreditate primi donatarii per ipsum possessa, cum ita sibi magis expediret, & secundo, quod ita aliis filiis ex tunc, & ab initio eadem bona pro eorum portione donata essent.

E converso autem Ego scribens pro creditoribus dice-
9 bam, probabilius esse, ut posita etiam sinceritate, ac validitate donationis quoad donatarium in ejus portione, altera tamen portio censeretur non donata, sed solum assignata, seu destinata alteri filio, idque probabam cum alibi deducta brevi *decis. 663. part 3. recent.* pluries recepta, & quæ in Curia circumfertur tanquam magistralis, quod scilicet facta donatione bonorum, sibi reservata aliqua
10 summa pro facultate testandi, ista summa non debetur in pecunia, sed in bonis pro rata, ex ea ratione, quia pro hac rata non censentur donata, seu non comprehensa in donatione, sic a pari, quoniam donator non processit per viam substitutionis, vel oneris restituendi, sed per viam coæqualis primæ, ac directæ successionis, in qua termini collationis cadunt, cum inter gravatum, & substitutum non dicatur conferri, sed restitui.

Aliqua tamen probabilis difficultas cadere videbatur circa alterum motivum implicitæ donationis, circa quod deducebam ea, quæ habentur supra *disc. 40. & 41.* super donatione irrevocabili non inducenda inter patrem, & filium, nisi amplitudo verborum, & clausularum, ac etiam 11
juramentum, vel causa in jure excepta, id probarent, tanquam per speciem limitationis regulæ prohibitivæ, ex plene firmatis in ibi *allegat. Reggien. bonorum 23. Febr.* 1646. *coram Corrado* impres. *dec. 383. par. 9. recent.* repetit. post Merlin. *de pign. dec.* 110. & in ejus confirmatoria 23. *Januarii* 1647. *coram eodem*, unde cum in præsenti processum esset per viam simplicis reservationis, nulla subesse videbatur ratio, ob quam ab initio perfecta, ac valida donatio inter patrem, & filium deduci posset.

Atque advertebam sufficere, ut ex his dici posset quod versaremur in dubio pro donationis exclusione, tum ex pluries insinuata conclusione, de qua Tiraq. *in l. si unquam*, 12
verbo donatione largitus, n. 206. *& seq.* Cavaler. *dec.* 603. *n. 5. & 6. dec. 41. n. 2. & seq. par. 9. rec.* & frequenter in dubio, etiam inter non prohibitos, donatio præsumenda non est, quando alter possibilis titulus, vel intellectus dari potest, multo vero magis inter prohibitos, tum etiam, si 13
quæ difficultas in proposito cadere posset, ea procederet inter ipsos patrem, & filium, sive inter filium donatarium, & alios fratres de paterna æquali successione contendentes, adeout omnes contenderent de causa lucrativa, secus autem, ut in præsenti, in concursu creditorum foventium causam onerosam, pro qua juxta nimium frequentia, & recepta axiomata in dubio contra foventem causam lucrativam est respondendum.

Et in idem conferre dicebam ea, quæ habentur plene apud Casanat. *cons. 45. per tot.* Cancer. *var. par. 3. cap. 7. n. 81.* Seraph. *dec. 1265. n. 1. in princ.* quod reservationes factæ 14
pro filiis non importent donationem perfectam, ac translativam dominii ab initio, sed solum jus successionis, cum qualitate tamen hæreditaria, ac jure peculii juxta ea, quæ habentur *supra disc. 1. & 2.*

Demum quoad tertium punctum, quando ageretur de exequendo super toto, & sic etiam super portione propria 15
donatarii ex capite nullitatis ratione simulationis, tunc agnoscebam difficultatem, quoniam oportebat prius tollere de medio donationem in judicio ordinario rescissorio, vel annullativo, quo mediante bona redirent ad patrimonium donatoris, a quo scissa fuerunt, ut postmodum super eis tanquam in bonis debitoris, creditores suum jus exercere possent, adinstar eorum, quæ in simili habentur apud Cavaler. *dec.* 16
550. *n. 4. dec. 86. n. 9. par. 6. rec.* & alibi pluries; quando obstet transactio, quæ invalida prætendatur cum similibus, sed quoad dictam aliam portionem, dum ex præmissis constat, eam nunquam abdicatam fuisse a bonis, ac patrimonio donatoris, ita dicebam non intrare difficultatem, & nihilominus, ubi etiam de stricto juris rigore iste dicendus 17
esset tertius, adhuc tamen cum foveret causam lucrativam, ex illa æquitate, de qua in his terminis processus executivi contra donatarium habetur supra *disc.* 45. hujusmodi rigor attendi non deberet, cum in hac materia notabilis differentia esse videatur inter tertium possidentem ex causa onerosa, & alterum ex causa lucrativa, ut advertitur apud Buratt. *dec. 166. n. 7.* & in sua materia *sub tit. de judic.* occasione agendi de puncto, an, & quando directe, & executive agi possit contra tertium, in quem lite pendente, sive imminente executione, alienatio facta sit.

Potissime vero, quia in effectu id continebat inanem circuitum, quoniam licet istud debitum directe cum donatore contractum esset post donationem, attamen illud prius habebatur cum ratione bancharia per ipsum donatorem administrate, & pro qua, ut supra, ejus bona ex hypotheca legali affecta erant ab ipso initio susceptæ administrationis, idque per ejusdem rationis, ac pupilli creditoris deduci poterat, ex recepta conclusione, de qua frequenter in sua materia *sub tit. de cred.* & alibi, quod creditor dicitur procurator sui debitoris, ejusque nomine deducere, ac exercere potest omnia jura ipsi competentia, & sic, quod obligatio per administratorem postmodum contracta ad favorem creditorum rationis administratæ, non importaret novum debitum tunc contractum, sed potius recognitionem veritatis ejus, quod jam debebat, ex dicta causa de præterito, & ante donationem.

ANNOT. AD DISC. LIX.

Super iis quæ concernunt simulationem donationis, videantur deducta *hoc eod. tit. disc. 63.*

Discur-

Discursus generalis instructivus, seu informativus ad requisitinuam Magnatis in materia insinuasionis donationis.

S U M M A R I U M.

1 *OCcasio edendi discursum.*
2 *Insinuationis terminus de jure communi congruit donationibus.*
3 *Sed in Statu Ecclesiastico ex Constitutione Ægidiana congruit omnibus contractibus minorum.*
4 *De dicta Constitutione Ægidiana, ejusque extensione, & de differentia inter Ægidianam, & Carpensem.*
5 *De quæstionibus circa Ægidiana insinuationem cadentibus.*
6 *De jure, quod induxit insinuationem in donationibus excedentibus aureos 500.*
7 *De ratione, ob quam dicta solemnitas introducta est.*
8 *Si insinuatio non fit, donatio corruit in solo excessu aureorum 500.*
9 *Aurei 500. quantos scutos nostri temporis faciant.*
10 *Etiam hodie viget necessitas insinuationis rejecta contraria opinione.*
11 *Nisi accedat juramentum, per quod cessat.*
12 *An, & quando juramentum non faciat hanc operationem, si adsint Statuta?*
13 *De Statuto Urbis præscribente insinuationem in donationibus excedentibus scuta 150.*
14 *Quomodo istud, & similia Statuta regulari debeant circa actus juratos.*
15 *Locum habet Statutum etiam in donatione inter conjunctos, ac patrem, & filium.*
16 *Vel in donatione tacita, qua resultat a remissione debiti, sive in retrodonatione.*
17 *Donec donatio insinuetur dicitur imperfecta, & potest revocari.*
18 *Non potest fieri insinuatio post mortem donatoris, absque consensu hæredis.*
19 *Neque post lapsum terminum statutarium.*
20 *An insinuationi possit renunciari?*
21 *Distinguitur inter jus commune, & statutariam, & de ratione differentiæ.*
22 *An insinuatio præsumatur ex lapsu temporis?*
23 *An debeat intervenire incontinenti, vel ex intervallo?*
24 *Cui incumbat onus probandi affirmativam, vel negativam insinuationis.*
25 *Coram quo Judice fieri debeat insinuatio.*
26 *Tertius non opponit de hoc defectu.*
27 *De jure communi in puris donationibus hac solemnitas requiritur, ideo rara est.*
28 *Non requiritur in donatione, qua ita fiat manualiter per actum facti.*
29 *Item de donatione facti per lacerationem, vel restitutionem scriptura.*
30 *Neque requiritur in donatione causa mortis.*
31 *Nec in donatione juris quarendi.*
32 *Quod declaratur.*
33 *Neque in annua vitalitia præstatione infra summam.*
34 *Quando ratio prævaleat legi, vel e contra?*
35 *Quid in donatione per Epistolam familiarem.*
36 *An requiritur in donatione, qua fiat occasione transactionis?*
37 *Neque in donatione accessoria venditioni.*
38 *Vel in actu geminato.*
39 *Aut in ea, qua fiat coram Judice, & penes acta.*
40 *Sive in reciproca.*
41 *Neque in onerosa, vel remuneratoria, quod declaratur.*
42 *Et in altera cum onere primogenitura, vel fideicommissi.*
43 *Et in ea, qua fiat Ecclesia, vel causa pia.*
44 *In facta contemplatione ingressus in Religionem.*
45 *Et pro dote, sive contemplatione matrimonii, quod declaratur.*
46 *Et in causam studii, vel militia.*
47 *Quid in donatione, qua fiat per Clericum, vel alias non subditum Statuto.*
48 *Quid ubi donator sit subditus, sed donatarius exemptus.*
49 *De aliis ad materiam.*
50 *Quid ubi extra territorium statuentis.*
51 *Non requiritur in refutatione feudi.*

D I S C. LX.

1 CUm in Rota, aliisque Romanæ Curiæ Tribunalibus, nimium frequentes habeantur quæstiones super contractuum invaliditate ex defectu insinuationis, atque pleraque habeantur, quæ ab insinuatione donationum extranea sunt, quod apud pragmaticos in sola littera auctoritatum ambulantes frequentia producit æquivoca, capiendi quid pro quo, hinc proinde quidam nimium studiosus, ac elaboratus Magnates, intellectus tamen claritate a natura non multum dotatus (quod dictum effectum capiendi quid pro quo de facili operatur) occasione cujusdam controversiæ coram eo agitatæ, Me requisivit, ut super hac materia insinuationis desideratæ in donationibus, succinctam informationem præberem, & quando illa desideranda sit necne, quare discursum informativum desuper edidi, ut sequitur.

Quamvis attenta juris communis dispositione hic insi- 2
nuationis terminus, in ejus lata significatione congruus
omnibus actibus, qui apud Judicem in actis publicantur,
adaptetur solum donationibus, in quibus per legem modernam Codicis hæc solemnitas inducta est, *a* attamen
quia Ægidiana Constitutio edita per Ægidium Sedis Apostolicæ tunc Avenione morantis (juxta unam opinionem in
Provinciis Marchiæ, & Æmiliæ, justa vero alteram, in
universa Italica temporali Ditione Ecclesiæ Legatum) Sta- 3
tutum est, ut omnes contractus quomodolibet obligatorii, ac præjudiciales minorum utriusque sexus hanc solemnitatem habere debeant, ut coram Judice, ac penes
ejus acta insinuentur, quod Cardinalis Carpensis dictæ
Provinciæ Marchiæ Legatus successor ad quoscumque contractus mulierum ampliavit, *b* dictaque Constitutio Ægidiana, non autem Carpensis, ad Urbem, ac universum
Statum Ecclesiasticum immediatum per Summos Ponti-
fices, *Sixtum IV. & Paulum III.* extensa fuit. Hinc 4
proinde resultat, ut super hac specie solemnitatis, indefinite in omnibus contractibus, ac obligationibus per
minores, ac mulieres respective, adeo frequentes habeantur quæstiones, quamvis non agatur de donationibus,
sed de alia contractuum specie, cum id non proveniat
a dispositione juris communis, quod in donationibus
tantum hanc solemnitatem præscripsit, sed a dicto jure particulari, circa quod frequentius ad duas species
quæstiones restringuntur, primo scilicet ad illam com- 5
patibilitatis, vel incompatibilitatis cum locorum Statutis particularibus, quibus Statutum generale cedit, &
secundo super non usu, cum in plerisque ejusdem Status Ecclesiastici immediati locis prætendatur hujusmodi
Constitutionem, vel solemnitatem usu receptam non
esse. *c*

Quatenus igitur pertinat ad peculiares terminos insi- 6
nuationis requisitæ in donationibus, lex antiqua, & media eam non cognovit, experientia vero docente, quod
ob crescentem hominum malitiam ab imbecillis judicii
personis per fraudem, ac circumventionem, ab aliis vero quamvis perfecti per vim, & metum, seu aliam machinationem, bona cum hoc donationis titulo captabatur, hinc supra insinuatum jus novum hanc solemnitatem introduxit, ut scilicet postquam donatio facta est,
coram Judice ab eodem donatario, vel ejus mandatario,
quoties dictam summam 500. aureorum excedat, insinuari debeat.

Ita lege credente, ex hujusmodi actu duplicem resulta- 7
re effectum dictorum inconvenientium consultivum, primo scilicet, ut Judicis auctoritas, ac judicii calor, violentiæ, vel circumventionis exercitium excludat, & secundo, ut ita lex certa reddatur de voluntate perseverante donatoris in libertate jam constituti. *d*

Ubi vero hæc solemnitas omittatur, actus non corruit 8
in totum, sed in sola summa excedente, firma remanente donatione intra limites dd. aureorum 500. juxta magis
communem, ac receptam, quamvis non pacificam opinionem, pluresque contradictores habentem, *e* nisi alia extrinseca accedat probatio deficientis voluntatis, cum tunc,
non ex hujus positivæ solemnitatis defectu, sed potius ex 9
illo naturæ, & consensus, omnimoda infectio resultet,
dictis aureis 500. importantibus scutis 700. circiter nostrorum temporum. *f*

Quamvis autem plurium sensus sit, ut hæc solemnitas ab 10
aula recesserit, verius tamen est dictam juris dispositionem
adhuc vigere, *g* quia vero nimium rari sunt casus, in quibus ad praxim deducantur, suamque faciat operationem, ratione juramenti, in quibuscumque actibus inter vivos quasi
de communi stylo apponi soliti, quod ex Sacrorum Cano- 11
num dispositione ubique recepta cessare facit illas nullitates,
quæ ea sola subtilitate, vel dispositione juris positivi, non

autem ex defectu juris naturæ proveniant ob generalem rationem, ut jurisjurandi religio afficere, ac servari debeat, quoties id absque salutis æternæ interitu, vel absque favoris primario publici præjudicio sequi potest, unde propterea, neglecta contraria sententia, magis communiter receptum est, ut donationes juramento munitæ huic solemnitati non subjaceant, eaque non obstante validæ, ac firmæ existant. *h*

12 Hinc proinde in plerisque præsertim Italiæ Ditionibus, & locis, edita fuerunt Statuta hanc juris communis dispositionem renovantia, dictæque cessationi occurrentia, vel cum directa juramenti annullatione, quoties Apostolica auctoritas id in forma specifica concedat (cum laicali potestati id absque dubio concessum non sit), vel cum ea indirecta, quæ dictæ laicali potestati conceditur, adimendo scilicet fidem scripturæ, vel præsumendo alias actum dolo, vel metu extortum, ita inducendo præsumptivam probationem defectus juris naturæ, quo posito actus corruit, non ex dispositione ipsius juris positivi, sed ex defectu consensus, ac juris naturæ. *i*

13 Inter loca vero, in quibus ita statutum est, ipsa Urbs Roma recensetur, ubi ex ejus particulari Statuto (quod tamen proprium districtum 40. milliarium non egreditur) cautum est, ut donationes, quæ summam biscentum ducatorum de carolenis excedunt, illam scutorum centum quinquaginta monetæ currentis decem juliorum pro quolibet constituentium, intra sex menses, atque per acta diversi Notarii, coram Judice insinuari debeant, ac alias in summa excedente, juramento non obstante, invalidæ sint, nulliusque roboris, ac momenti, intra summam prædictam tamen validæ, *l* cumque alia similia Statuta per Italiam habeantur circa summam, vel tempus, aut modum forte diversificantia, hinc proinde, quæ de hoc Statuto Urbis ha-
14 bentur, aliis quoque applicari valent, cum eo tamen præsupposito, ut ob specialem Apostolicam confirmationem, directe vis juramenti tollatur, vel quod saperius indirecta ejusdem enervatio accedat, adimendo nempe fidem scripturæ, vel metu, ac dolo illud extortum præsumendo, cum alias in actu jurato locum non sortiri receptum sit, ut supra.

15 Procedit igitur hæc statutaria dispositio, quamvis de donatione inter sanguine conjunctos, immo inter patrem, & filium agatur, *m* sive de tacita, & implicita, seu vir-
16 tuali donatione, quæ ex retrodonatione, seu remissione debiti, ac liberatione debitoris resultet. *n*

17 Donec autem illa sequatur, donatio in suspenso stare dicitur, adeo ut ab ipsa insinuatione tanquam actu perficiente expectet validitatem, ideoque ab ea nomen, & essentiam recipere dicitur, *o* & de consequenti, antequam sequatur, admittitur revocatio, seu pœnitentia, eo modo, quo in jure habemus in illis contractibus, vel alienationibus, quæ fiant de rebus, vel juribus in libero commercio non existentibus absque alterius consensu, qui
18 actum perficit, atque hinc de consequenti resultat, quod post mortem donatoris fieri non potest, nisi hæredis assen-
19 sus accedat, cum deficiat extremum habile, tunc extantis, & continuantis consensus, *p* minusque fieri potest, lapso tempore per Statutum præscripto. *q*

20 Sub quæstione autem est, an insinuationi renunciari valeat, seu alia adjici verba, vel clausulæ, ex quibus eadem renunciatio resultet, atque ubi dispositioni juris communis accedit, ut supra altera juris municipalis, quod juramenti quoque vim enervet, tunc recepta est negativa, ne alias lex verbis, non autem rebus imposita dicatur, dum ex eadem facilitate, cum qua quis inducitur ad donandum, induci potest ad renunciandum, potissimè vero, quia, ut plurimum hujusmodi renunciationes, vel clausulæ, & cautelæ ex Notariorum stylo, ac formulario adjici solent,
21 absque eo quod partes advertant, seu vim percipiant, *r* in solis autem terminis juris communis, in Foro idealis quæstio remanere videtur ob frequentiorem stylum interponendi desuper juramentum; si enim illud etiam absque renunciatione, insinuationis defectum supplet, ut supra, multo magis quando utrumque accedit.

22 Super ejusdem insinuationis præsumptione ex lapsu temporis disputari solet, decisio autem pendet ab iis, quæ generaliter de quacumque extrinseca solemnitate actum perficiente habemus, quoties ex intervallo accedere potest, ut concurrente observantia vera, continua, & pacifica lapsus longissimi temporis hanc præsumptionem inducat, non autem sine observantia. *f*

Certum enim est hanc esse solemnitatem de necessitate substantiae in ipso actu non adhibendam, dum ex intervallo sequi potest, quamvis etiam contextualiter sequi possit,
quod tamen Mihi non placet, quoniam ibi de plano intrat 23
eadem ratio, de qua supra occasione renunciationis, quamvis enim ea fraus, quæ legis inseparabilis gemella est, cum ea nasci solita, cautelam pro communi usu induxerit, ut in eodem donationis instrumento procurator constituatur ad insinuandum, & consequenter dicta lex cæremonialis remanere videtur, ad verborum formalitatem redacta, adhuc tamen durat potentia post actum perfectum, ac donatorem in libero statu repositum, revocandi mandatum, cum talis revocatio sufficiat, quamvis mandatario notificata non sit, adinstar eorum, quæ in mandato dato ad resignandum beneficium advertunt Beneficialistæ, cum similibus.

Super probatione item affirmativæ, vel negativæ, cer- 24
tant quoque Scribentes, an scilicet donatario incumbat onus probandi hujusmodi solemnitatis implementum, vel potius donatori, seu habenti causam ab eo, illius negativam, magis tamen probabilis, ac recepta videtur opinio, ut actori hujusmodi onus incumbere debeat, quamvis in negativa consistat; si etenim donatione effectum sortita, atque donatario bona donata possidente, velit donator agendo infringere donationem, ipsaque bona donata vindicare, allegando donationis invaliditatem ex hoc defectu, tunc de hoc docere debet tanquam suæ intentionis fundamento, & e converso donatario agenti pro donationis effectuatione, ac bonorum, & jurium donatorum assequutione, onus incumbit probare validum actum, cujus executionem petit, ita justificando id, quod est suæ intentionis fundamentum. *t*

In Judice quoque cadere solet quæstio, coram quo hu- 25
jusmodi solemnitas fieri debeat, an tanquam in actu voluntariæ jurisdictionis coram quocumque, licet incompetenti fieri valeat, vel potius nonnisi coram Judice competente donatoris, unde propterea si iste sit Clericus, fieri non valeat coram laico, & hoc probabilius videtur, quamvis non desint contradicentes. *u*

De illius vero solemnitatis defectu non licet tertio op- 26
ponere, sed solum ipsi donatori, vel habenti causam ab eo, tam jure, vel titulo universali, quam etiam singulari. *x*

In plerisque vero casibus, vel donationis speciebus, et- 27
iam ubi lex municipalis accedat, quæ insinuationem in donationibus simpliciter demandet, adhuc ejus necessitas cessat, si de jure non requiritur, quoniam, alio non expresso, Statutum a jure communi interpretationem recipit, adeout raro Forum audiat, vel practicet donationum nullitatem ex hoc defectu, cum nimium raræ sint puræ, ac simplices donationes, quæ sub hac regula cadant, non autem sub tot limitationibus, quarum plures habemus.

Primo scilicet in ea, quamvis pura, ac mere voluntaria, 28
& gratuita donatione, quæ absque scriptura per actum facti manualiter sequatur in pecuniæ, vel mercibus, aliisque mobilibus, vel semoventibus, in quibus hic liberaliteris actus cum solo traditionis facto sequi potest, ac solet, *y* unde propterea, ex rationis identitate, idem dicendum videtur in ea debiti remissione, quæ per eundem actum facti sequatur, restituendo scilicet debiti apocham, vel aliam
scripturam, seu deliberate, atque ad hunc effectum eam 29
lacerando, vel comburendo, ut frequens praxis docet.

Secundo in donatione causa mortis, seu alias ad libi- 30
tum revocabili, vel quia in facto esse, ultimæ voluntatis potius quam contractus speciem habeat, vel quia ob revocabilitatem ad omne liberum placitum, cesset ratio, ob quam solemnitas introducta est. *z*

Tertio in donatione, vel remissione juris quærendi, cum 31
ita donator patrimonium diminuere non dicatur, *a* quod tamen intelligendum est in eo jure, quod nec re, nec spe competat, adeout utraque pendeat a causa de futuro, quo casu Scribentes concordant, secus autem ubi agatur de jure futuro radicato in re de præterito, adeout de tempore, quo fit donatio, æstimationem recipiat, atque emptorem inveniret pro pretio excedente, tunc etenim, quoties agatur 32
de actu concepto per viam donationis, vel translativæ renunciationis, quæ idem importat, probabilius videtur solemnitatem requiri, secus autem si agatur de renunciatione extinctiva, sive abdicativa, per quam, tollendo se de medio, renunciatario locum aperiat, in quibus terminis loquuntur plerique agentes de donatione juris de futuro trahentis causam de præterito, atque hujus solemnitatis necessitatem negantes, ea quorum mala intelligentia, sive ad hujusmodi distinctionem non reflectendo, resultant modernorum Collectorum æquivoca, negativam simpliciter, ac indefinite firmando in bonis, vel juribus quærendis. *b*

Quarto, ubi incertum sit, an summa excedens sub dona- 3

sione

tione cadere debeat necne, effectumque sortiri; puta quis
33 de annua præstatione ad vitam, vel sub certe conditione
resolutive agatur infra summam insinuationi subjectam, eo
quia casus dari valeat, ut non nisi in primo anno, quinimmo
neque in eo effectum sortiatur, c quamvis enim hæc non
videatur probabilis ratio, cum ista etiam jura vitalitia suum
habeant pretium eo modo, quo in qualibet incerta alea
ab initio datur, a probabilitate majoris, vel minoris dura-
tionis regulandum, adeout juxta unam sententiam, læsio-
nem quoque juxta regulares terminos emptionis, & ven-
ditionis, seu cujuslibet correspectivi contractus admittat, d
etiamen quia lex dictæ solemnitatis inductiva ita statuit,
eam attendere oportet, quamvis ratio deficiat, nimium
34 enim deferendum est rationi, quæ legis anima dicitur, su-
per ejusdem legis intelligentie, seu interpretatione, atque
ut Scribentium indigestis traditionibus prævaleat, secus
autem ubi lex est clara, cum illud sit ejus peculiare pri-
vilegium, ut quamvis dura, atque rationis resistentiam ha-
beat, adhuc servanda sit.
35 Quinto ad instar illius donationis, quæ ut supra per so-
lum actum secti sequatur, aliquorum sententie est, ut
idem procedat in ea donatione, quæ per epistolam familia-
rem sequatur, quod tamen non omnino tutum videtur. e
36 Sexto in donatione impropria, quæ fit in transactionibus,
per quas unus ex transigentibus, alteri tam jura, & bona in
litem deducta, quam expensas donare, ac remittere profite-
tur, f & ex eadem ratione, in ea accessoria, & consecutiva
donatione, quæ in contractu emptionis, & venditionis, vel
37 permutationis, aut simili adjici solet, quia nempe venditor
convento pretio contentus, id quod plus res valeret, dona-
re profiteatur, cum in effectu non sit donatio, neque læ-
sionem excludat, quatenus ille adesse dignoscatur. g
38 Septimo in donatione geminata, cum secundus actus
utpote implens finem, seu rationem insinuationis super
perseverantie voluntatis, insinuationis speciem habere vi-
deatur. h
Octavo, ubi ipse primus actus coram Judice, vel Magi-
stratu ita sequatur, quod pariter dicta ratio, seu finis legis
impleatur, nisi Judicis interventus ad alium finem sequa-
39 tur, habilitandi scilicet personam donatoris, quæ imperfe-
cti, seu imbecillis judicii reputetur, unde propterea in quo-
cumque alio contractu ejus interventus desideretur. i
40 Nono in donatione reciproca, cum hæc potius emptio-
nis, & venditionis futuræ aleæ speciem habere dicatur,
ut quilibet contrahentium ad commodum, & incommo-
dum se habeat. l
41 Decimo in donatione correspectiva ex causa onerosa,
puta cum onere alendi, &c. cum tunc impropria dicatur
donatio correspectivi contractus speciem redolens, ut qua-
tenus tamen onus emolumento ad limites justitiæ commuta-
tivæ, vel circa respondeat, adeout incertitudo accedat, ut
donatarius etiam de propriu damnificatus remanere possit,
etque onus excedere emolumentum, secus autem ubi cer-
tum sit, quod onus emolumento sit inferius, adeout dictum
propriæ jacturæ periculum absit, certumque remaneat dona-
terii lucrum in rata excedente oneris æstimationem, quo
casu in terminis puræ donationis actus remanere videtur,
idemque in donatione remuneratoria, quod cum eadem
modetatione intelligendum est ad limites meritorum. n
42 Decimo in donatione facte cum onere primogenituræ,
vel fideicommissi, vel simili, adeout impropria, & causati-
ve dici mereatur, licet enim aliqui credant, id eatenus
procedere, quatenus unus respiciat commodum donatoris,
non autem filiorum, ac descendentium ejusdem donatarii,
contrarium tamen est verius, magisque receptum. o
43 Undecimo in donatione facta Ecclesiæ, vel piæ cau-
sæ. p
44 Duodecimo in facta contemplatione ingressus in Reli-
gionem. q
45 Decimotertio in causam dotis, vel contemplatione cer-
ti, ac determinati matrimonii, dummodo una, vel altera
causa sit finalis, ac præcisa, seu principalis. r
46 Decimoquarto in facta in causam studii, vel militiæ. s
Et decimoquinto in donatione, quæ fiat per Clericum,
47 seu Ecclesiasticum non subjectum Statuto, quod sit laicale,
ut esse illud Urbis tenet moderna Curiæ opinio, t hæc
tamen non placet, quoniam ubi etiam ea tenenda esset in iis,
quæ sunt Clericis, ac exemptis onerose, & præjudicialle, non
tamen admittenda videtur in favorabilibus, in quibus Eccle-
siastici utantur Statuto tanquam favore, ac privilegio. u
48 Ubi vero donator est Statuto subditus, donatarius ve-
ro exemptus, licet non desint contradicentes, probabilius
videtur solemnitatem requiri, eo quia non potest subditus
contrahere cum non subdito, spreta lege sui Superioris,
qui proprium subditum inhabilitare potuit ad alias con-
trahendum. x
Iste pro nunc in ista materia insinuationis donationum
memoria suggerit, alia vero in Foro minus frequentia, 49
quando casus præbebit, examinari poterunt, & de aliis cir-
ca insinuationem requisitam a d. Constitut. Ægydiana ha- 50
bebitur infra *sub tit. de alien. & contract.* Ubi etiam de at-
tendendo locum, in quo facta est donatio, juxta regulam
generalem aliarum solemnitatum, quæ in contractibus ex
Statuto desiderantur, nisi affectate extra locum actus ge-
ratur. y
In feudi autem refutatione quamvis facta sub nomine do-
nationis, insinuatio non requiritur, quoniam in jure feu-
dorum id statutum non est. z

a *L. sancimus*, C. *de donat.* & *l. si quis argentum*, C. *eod.* §. 2. *instit. eod.*
b Const. March. *lib.* 5. *cap.* 25. *supra*, *disc.* 26. & *plur. seq.*
c *De his infra*, *sub tit. alienat.* & *contract.* &c.
d Bal. *in d. l. sancimus*, *in princ. n.* 7. Gabr. *cons.* 158. *n.* 6. *lib.* 1. Rot. *dec.* 456. *n.* 4. *par.* 4. *rec. tom.* 2.
e Fenzon. *ad Statut. urb.* 150. *nu.* 45. Buratt. *dec.* 7. *n.* 6.
f Fenzon. *ad dictum Statut. nu.* 32. & *seq.* Gabr. *de donat. conclus.* 1. *n.* 59. Buratt. *dec.* 7. *nu.* 5.
g A Pont. *cons.* 84. *lib.* 1. Rovit. *dec.* 48.
h Rovit. *dict. dec.* 48. Burat. *dec.* 76. & 924. *dec.* 58. *par.* 6. *rec.* & *sæpius ut supra*, *disc.* 33.
i *De hac materia*, *sub tit. de dote*, *disc.* 143. & *dict. disc.* 33. & *supra*, *disc.* 29.
l *Statut.* 150. ubi Fenzon. & *supra*, *disc.* 32. & *seqq.* & *disc.* 29.
m Fenzon. *ad idem stat. n.* 26. Gregor. *dec.* 334. *num.* 4.
n Gelvan. *cons.* 37. *dec.* 69. *n.* 14. *p.* 7. *rec. dec.* 217. *n.* 28. *p.* 11.
o Menoch. *cons.* 292. *n.* 3. & 5. & *cons.* 318. *n.* 32. Capan. *de relev. q.* 22. Cutell. *de donat*, *disc.* 3. *partic.* 6. *nu.* 14. Rot. *dict. dec.* 456. *n.* 2. *par.* 4. *rec. tom.* 2. & *dec.* 69. *n.* 25. *par.* 7. & *supra*, *disc.* 54.
p *disc.* 69. *n.* 15. *par.* 7. *rec.* & *sub tit. feud. disc.* 109. & *supra disc.* 54.
q Gratian. *discept.* 783. *num.* 11. Fenzon. *ad statut. n.* 37. Magon. *dec. Florent.* 55.
r Gabr. *de donat. concl.* 1. *n.* 9. Rovit. *dec.* 200. *n.* 9. *p.* 5. *rec.*
s *Dec.* 319. *num.* 10. *par.* 10. *rec.* cum altera *sub tit. de dote disc.* 147. & *sub tit. de alienat.* &c. *disc.* 1.
t *Supra disc.* 29.
u Tusch. *verbo insinuatio*, *conclus.* 196. *n.* 3.
x *Dec.* 126. *num.* 15. *par.* 7. *rec.*
y Late Merlin. *dec.* 692. quæ est repetit. *dec.* 69. *par.* 7. *rec. num.* 84.
z Buratt. *dec.* 461. *n.* 1. & 2. Dunozett. *dec.* 579. *n.* 22.
a Buratt. & adden. *dec.* 333. *dec.* 12. 292. 320. & 323. *p.* 6. *rec.* & *sæpius ex thor.* Bald. *in l. illud*, *n.* 11. C. *de Sacrosanct. Eccl.*
b *Agitur in Romana fideicommissi de Ursinis*, *sub tit. de renunciat.*
c *Ad litteram in d. l. sancimus*, §. *sin quis autem*, *Cod. de donat.*
d *Supra disc.* 54.
e A Pon. *cons.* 84. *lib.* 1. Gratian. *discept.* 531. *n.* 27. & *seq.*
f *Dec.* 74. *par.* 5. *rec.* & *dec.* 34. & 65. *par.* 6.
g *Sub tit. de emptione*, & *venditione*.
h Gratian. *disceptat.* 531. *n.* 31. & 34. Buratt. *decis.* 640. *num.* 8.
i *In d. Romana fideicomm. de Ursinis*, *sub tit. de renunciat.*
l Buratt. *dec.* 7. *n.* 7.
m Buratt. *d. dec.* 7. *n.* 7. *dec.* 65. *p.* 6. *rec.*
n *Dec.* 358. & 363. *par.* 6. *rec. cum aliis sub tit. de feud. disc.* 94. *dec.* 200. *n.* 12. *par.* 5. *rec.*
o *Dec.* 460. *par.* 4. *rec. tu.* 2. *dec.* 387. & 334. *par.* 9. *dec.* 118. *part.* 6. Otthob. *dec.* 182.
p Gabr. *de donat. conclus.* 1. *n.* 28. Buratt. *dec.* 7. *n.* 9. Dunozett. *dec.* 773. *num. final.*
q Buratt. *dec.* 461. *dec.* 161. *par.* 11. *rec.*
r *Pluries supra disc. praced.* & *sub tit. de dote*, *disc.* 17. & *proximis*.
s Merlin. *dec.* 692. *repetit. dec.* 69. *p.* 7. *rec. n.* 88. & *seqq.*
t *Dec.* 58. *par.* 6. *rec. cum aliis sub tit. de dote*, *disc.* 143. & *disc.* 22.
u *D. disc.* 22. & 143. *de dote*.
x *Locis proxime citatis*, & *supra disc.* 33.
y *Dict. tit. de alien.* & *contract.* & *de dote*, *disc.* 17. & 143.

2 Rosentas. *de feud. cap. 9. conclus. 79. an. 3. & 12. Rot. dec. 253. n. 5. par. 4. rec.*

ANNOT. AD DISC. LX.

DE insinuatione, aliisque solemnitatibus in donatione requisitis, notatum est supra *ad disc. 26. cum seq.*

ROMANA
SEU ALBANEN. VINEÆ
PRO MARCHIONE NUNEZ
CUM DOMINICO BERTO.

Casus decisus per Rotam pro Dominico, postea concordatus.

An in donatione facta cum onere donatarii erga donatorem ad vitam, detur læsio, quæ contractus rescissioni locum præbeat?

An donatarius gravari possit, ac teneri ad onera ultra rei donatæ valorem, seu emolumentum, vel potius donationi cedendo, onus evitare possit?

Et an in contractu donationis, vel alio de bonis in libero commercio non existentibus absque domini directi, vel alterius assensu, detur pœnitentia in uno ex contrahentibus, altero invito re integra, & ante impetrationem assensus, vel ante implementum, quod contractum perficiat?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De pactis cadentibus sub quæstione.*
4 *Quod in donatione non detur læsio, & quando secus, remissive.*
5 *Non intrat læsio in actibus, qui possunt se habere ad damnum, & lucrum.*
6 *De contractu sponsionis, vel alio super incerta alea.*
7 *Quod etiam in ista specie contractus detur læsio.*
8 *Quod vita hominis debeat æstimari juxta computationem l. hæreditatum, ff. ad l. falc.*
9 *Ubi de hoc agatur.*
10 *Quando intret inspectio læsionis.*
11 *Pretium victualium varium, & alterabile.*
12 *De venditione victualium pro pretio, quo valebunt certo futuro tempore.*
13 *De censibus Vitalitiis, & Societatibus Officiorum.*
14 *An sit usurarius contractus, per quem mutuator obliget mutuatarium ad vendendum, vel emendum, seu locandum, & conducendum?*
15 *Ex quibus deducatur contractus donationis.*
16 *Donatario non adimplente, resolvitur donatio.*
17 *Non potest donatarius gravari ultra commodum donationis.*
18 *Contrarium, quod tenetur etiam ultra emolumentum;*
19 *& 20. Respondetur ad auctoritates in contrarium super conclusione, de qua n. 17.*
21 *Quod auctoritatibus, non expendendo earum fundamenta, non sit deferendum.*
22 *Expenduntur auctoritates firmantes conclusionem, de qua num. 18.*
23 *Quod contractus, de quo agitur, non importet donationem, sed potius emptionem, & venditionem.*
24 *Quod non sit immorandum in vocabulis, sed attendi debeat rei substantia.*
25 *Concessio ad vitam quem contractum importet.*
26 *In contractibus nominatis non implementum non causat resolutionem, sed actionem ad interesse.*
27 *Feudatarius an possit refutare feudum domino invito?*
28 *Resolutio inducta dicitur ad favorem ejus, cui implendum est ipso volente.*
29 *De articulo, seu conclusione, an in contractibus expectantibus perfectionem ab alterius assensu, re integra detur pœnitentia?*
30 *Pro affirmativa ubi liceat pœnitere.*
31 *Contrarium, quod non detur pœnitentia.*
32 *Respondetur auctoritatibus, de quibus num. 30.*
33 *Pro congrua decisione articuli distinguendæ sunt plures classes Doctorum pro casuum diversitate.*
34 *De pœnitentia in materia matrimoniali, vel beneficiali.*
35 *Quod etiam in ista materia detur quædam refectio damnorum, & interesse, & qualis.*
36 *De alia pœnitentia in materia feudali.*
37 *Et de alia circa alienationem bonorum Ecclesiæ, cum similibus.*
38 *De casu generali in terminis juris communis absque aliqua speciali ratione, quæ pœnitendi facultatem concedat.*
39 *Favore tertii dicta pœnitendi, seu revocandi facultas bene procedit.*
40 *Secus quoad ipsum contrahentem, vel hæredem, & quatenus detur, intret obligatio ad quanti interest.*
41 *Quod in hoc nil referat, an jus sit hæreditarium, & an Dominus teneatur assentiri?*
42 *De exemplis Officiorum, & Locorum Montium.*
43 *Quando detur pœnitentia etiam in sensu illam negantium.*
44 *De eodem ubi adest declaratio voluntatis alias non contrahendi.*
45 *Distinguitur an alienans fit conscius impedimenti ignoti alteri contrahenti?*
46 *Possunt stare simul, ut assensus non sit necessarius pro evitando incursum caducitatis, & tamen sit necessarius pro validitate actus.*

D I S C. LXI.

VIneam, quam in solo per Oppidi Mareni Dominum, in emphyteusim hæreditariam, sub strictissimis prohibitionibus alienandi, vel obligandi concesso, plantaverat, atque ad statum perfectionis reduxerat, sub donationis vocabulo concessit Dominicus Francisco, sibi reservatis ad vitam uvis, & quibusdam aliis fructibus, adjecto onere donatario ex mutua acceptata obligatione, emendi totum vinum singulis annis ex ea colligendum, ad rationem juliorum 17. pro quolibet cado, pluribus initis capitulis, & conventionibus super modo faciendi vindemiam, ac aliis vini qualitatem concernentibus, cum autem ad aliquos annos Franciscus comperierit hujusmodi contractum ob diminutum, præsertim in Urbe, vini valorem, sibi præjudicialem, nimisque damnosum esse, hinc sumpta occasione, quod Dominus directus, nedum reservatum assensum denegaverat, sed judicium contra Dominicum super caducitate ob hujusmodi contractum instituerat coram A. C. (a quo tamen emphyteutæ sententia absolutoria prodiit) contractum expresse revocavit, ac propterea orta lite, & introducta causa *in Rota coram Cerro*, plures habitæ fuerunt disputationes in judicio summariissimo manutentionis, ac altero executivo in vim obligationis Cameralis super obligatione accipiendi vinum, ac solvendi pretium respective, super quo variæ prodierunt decisiones Dominico favorabiles, assumptaque disputatione in bono jure super dubio, an contractus esset resolutus, post sextam propositionem *coram Albergato in locum Cerri subrogato, sub die 20. Junii 1670.* ad favorem pariter Dominici donatoris negativa prodiit resolutio, quæ habetur *impress.* post Torr. *de pact. futur. success. dec. 81.* deindeque subsequuta est concordia, quæ causæ quidem singulari finem dedit, quod scilicet donatario nimium gratum fuit, ut donator reassumeret vineam donatam, ac etiam contentus esset quadam alia notabili pecuniarum summa pro debito ex causa vini non soluti, & non accepti in annis decursis, curiosissima quidem species donationis. 1 2

In dictis aliis disputationibus super judicio possessorio, & executivo respective, quamvis Ego, & alii Advocati pro Francisco scriberemus, attamen quodammodo cæremonialis videbatur Advocatorum opera, cum tota controversia esset inter causæ Patronos in iis, quæ facti sunt, super modo scilicet culturæ vineæ, ac vindemiæ, & custodiæ vini, ex quibus, illius melior, vel deterior conditio resultabat, unde de consequenti proveniebat major vel minor valor.

Quo vero ad negotium principale, ex tribus fundamentis Ego & cæteri Scribentes pro Francisco donatario, dicebamus, contractum esse resolutum, sive rescissionem mereri, primo scilicet ex capite læsionis, secundo ex eo, 3 quod donatarius gravari non posset ultra donationis emolumentum, quodque propterea sibi nolenti adimplere contractum, vel in eo perseverare, alia non reperiretur in jure statuta pœna, nisi illa resolutionis contractus, ac amissionis rei donatæ, & tertio, quod stante strictissima alienandi, & obligandi prohibitione sine assensu domini, re integra,

gia, & ante istius concessionem, pœnitere licuerit, atque a contractu recedere, utpote imperfecto, stante potissimum ejusdem assensus expressa reservatione in contractu.

Examinando autem singula hæc fundamenta, seu capita, quatenus pertinet ad primum læsionis, magna inter Scribentes hincinde fuit quæstio, an ex eo quod ageretur de contractu vitalitio, ex quo ob celerem donatoris mortem, donatarius magnum lucrum reportare poterat, intrarent termini læsionis, ex eo, quod casus aliter præberet; sive an iidem termini læsionis intrarent in contractu donationis, & quatenus intrarent, quomodo æstimatio facienda esset, dum ageretur de onere vitalitio, ideoque tres erant puncti, primo sc. an intraret læsio in genere, dum ageretur de contractu donationis, secundo, an eadem læsio caderet in contractu vitalitio, & tertio super modo probandi læsionem, quod pendebat a modo computationis vitæ donatoris.

4 Primus punctus planus videbatur pro hac parte, quamvis enim ex deductis supra *disc.* 55. regula sit, quod in donatione non intrat læsio, cum ipse actus, de sui natura jacturam, ea læsionem pernecesse importet, attamen, ultra alias limitationes, quas hæc regula patitur, ea est ad rem adaptabilis, quando sc. non agatur de pura, & mere gratuita donatione, sed causativa, seu correspectiva, ex iis, quæ habentur *eod. disc. seq.* unde merito Scribentes pro Dominico donatore, in hoc motivo modicum, vel nullum constituebant fundamentum.

5 Quo vero ad secundum, quamvis ex dispositione textus *in l. Præses, C. de transactionibus, & l. de fideic. Cod. de fideic. ubi Civilistæ, & Canonistæ in c. Suggestum, de decimis*, regula sit, quod in iis actibus, qui ex futura contingentia possunt se habere ad damnum, & lucrum, non intret læsio, quæ deducatur ex damno a malo eventu causato, dum poterat eventus bonus causare lucrum; atque æqualiter contrahentes ab initio utrique se subjecerunt, ut cæteris relatis habetur ap. Surd. *de alimen. tit.* 6 *9. q. 41. n. 21. & 22. & tit. 4. q. 23. dec. 12. 292. 320. & 323. p. 6. rec. & sæpius*, idque contractui vitalitio recte congruit eo modo, quo habemus in emptione, & venditione jactus retis, vel aleæ, sive in contractu sponsionis, de quo *sub titul. de usuris disc.* 36. ac etiam infra, *sub tit. de contractibus in genere*.

Attamen, ut probat *textus in d. c. Suggestum, de decimis, cum ibi notatis*, non exinde resultat, hanc regulam incapacem esse limitationis, quoties, transcendendo consuetam formam, vere contractus ab initio læsivus esset, attenta sc. æstimatione dubii futuri eventus, seu incertæ 7 aleæ, quæ æstimationem quoque recipit, ut admittunt, seu præsupponunt DD. proxime infra hinc inde allegandi super tertio puncto modi æstimandi, seu regulandi læsionem, & admittitur infra *sub tit. de empt. & vend. disc.* 1. ubi de emptione, & venditione bonorum ad vitam, ac etiam *sub tit. de regal. ad materiam locorum Montium disc.* 30. ubi de læsione in emptione Locorum Montium vinculatorum, atque receptum est in censibus vitalitiis, ac etiam juxta magis communem, vel saltem in Rota, & Curia Romana magis receptam opinionem, in transactionibus, super dubio, ac incerto litis aventu, qui æque bonus, ac malus esse poterat, nam adhuc læsio intrat, habita æstimatione ipsius dubii eventus, ex deductis *eod. tit. de empt. & vendit. disc.* 27. *& alibi*.

8 Quare major, ac pene tota disputatio erat super modo probandi æstimationem vitæ dicti donatoris, an sc. illa regulanda esset juxta computationem positam per *tex. in l. hereditatum, ff. ad l. falcid.* Atque super hoc articulo Scribentes hincinde pro consueto improbo, ac inepto Juristarum labore, & stylo, curabant congerere auctoritates, ita qualibet partium affectante majorem numerum, quasi 9 quod ageretur de facienda electione, vel alio actu collegiativo, in quo major numerus concludat, ut frequentior modernus vere ineptus stylus irrepsisse videtur, sed quia de hoc puncto jam actum est alia occasione supra *disc.* 54. hinc proinde ad ibi deducta sufficit relatio.

10 Potissime, quia tunc ista inspectio intraret, quando incerta esset ab initio alteratio justi pretii, quæ de sua natura redoleat læsionem, quæ excludi prætendebatur per incertitudinem vitæ juxta casus, de quibus in proxime allegatis locis, quia nempe res, quæ attenta ejus intrinseco, & naturali valore valeat centum, ita vendatur pro 20. vel 30. habita ratione incertitudinis vitæ, vel alterius periculi, quod alterationem justi pretii causet, ac juxta ea, quæ ex eadem ratione habentur pluries ad materiam nautici fœnoris, vel contractus trini *sub titul. de usuris disc.* 1. *cum pluribus seq.*

In hac autem facti specie id verificari non videbatur, cum 11 adhuc incertum esset, an futuris temporibus, pretium vini, pro tempore, & accidentium qualitate, majus, vel minus esse deberet, ob notabilem pretii alterationem, quam in dies in victualibus cernimus, ideoque non de facili intrat illa probatio læsionis, quæ justificabilis est in bonis stabilibus, vel aliis, quodammodo certum, ac non de facili variabile pretium habentibus, ut propterea solum attendendum veniat illud pretium, quod facta plurium annorum perequatione ex communi judicio reputatur verisimile, juxta ea, quæ ap. Canonistas, & Morales habentur pro regulando 12 contractu, de quo *in c. in Civitate, & c. finali de usuris* super venditione sc. frumenti, vel aliorum victualium, seu mercium convento pretio, ut valebit aliquo mense, vel tempore futuro, *ut d. tit. de usur.* Ideoque in hac facti specie duplex alea, seu incertitudo concurrebat, primo scil. circa vitam donatoris, cujus incertitudo aliquam quamvis certam pretii alterationem licitam reddit in compensationem lucri proprietatis, vel sortis, ex iis, quæ in termi- 13 nis censuum vitalitiorum habentur in sua materia *sub tit. de censibus*, & frequentius in terminis contractus societatis officiorum, *& sub tit. de Societate officii*, ac in aliis supra allegatis locis, & altera erat dicta incertitudo futuri pretii, quod ex annorum sterilitate, seu alio accidenti impediti commercii vini exteri poterat esse longe majus cum notabili lucro donatarii, ac damno donatoris.

Non data vero probatione injustitiæ pretii ab initio, quod attentis dictis circumstantiis regulandum est, de consequenti intrare non poterat læsio, neque contractus dici poterat onerosus, vel injustus, quamvis obligaret alterum contrahentem ad emendum, ex iis, quæ habentur *sub tit. de usuris disc.* 4. super quæstione, an usuraria dicenda esset necne conventio, per quam mutuatarius se obliget erga mutuatorem emendi, seu vendendi, aut locandi, vel conducendi respective, quoniam si conventio est pro justo pretio, nulla dicitur inesse usura, dum nulla inest injustitia ex ibi deductis, ideoque rejectio hujus motivi Mihi quamvis in contrarium scribenti probabilis visa est.

Quo vero ad alterum motivum, an sc. donatarius, ultra donationis emolumentum gravari valeat, vel potius in ejus facultate repositum sit, non curando injunctum onus adimplere, a donationis commodo cadere. Ego & cæteri pro donatario Scribentes probare in primis conabamur, quod vere in contractu donationis versaremur, tum quia talis 14 a partibus appellabatur, cumulando juxta consuetam insipidam, multas auctoritates, ac decisiones super propositione, quod talis dicendus est contractus, qualis a partibus nuncupatur, tum etiam ob verba procemialia instrumenti, quod donator id agebat ob amorem, & benevolentiam erga donatarium, id agnoscentem, & gratias agentem, ac etiam ob clausulas in parte exequutive continentes pro consueto Notariorum formulario renunciationem *l. si unquam, & l. finali, C. de revoc. donat.* ac aliis legibus ad favorem donatorum aditis.

Hoc autem posito, quod ageretur de vero contractu donationis, dicebamus exinde resultare, quod ad aliud donatarius urgeri non posset, nisi ad caducitatem, sive amissionem emolumenti, cui donatarius libenter cedebat ex sperata utilitate post mortem donatoris, non obstante notabili damno jam passo in emptione vini annorum præcedentium, quod pro longe minori pretio vendere oportuerat. 15

Ad id autem probandum, Ego & cæteri adducebamus dispositionem *textus in l. final. C. de revoc. donat. & l.* 1. *& 2. C. de donat. quæ sub modo*, ex quibus patet, donatario non adimplenti injuncta sibi onera, seu alias contravenienti, quinimmo ingratitudinem cum donatore committenti, aliam non esse injunctam pœnam, nisi illam resolutionis, vel revocationis donationis, quod etiam patet ex tot casibus, de quibus in præcedentibus super donationis resolutione ob non implementum, sive ob cessantem causam donandi. 16

Quodque donatarius teneri, vel gravari non debeat ultra donationis emolumentum, ea dispositione, vel ratione textus *in l. cum proponas, C. de pactis*, & aliis firmant Bald. *cons.* 18. *n.* 1. *lib.* 1. Ripa *in l. generaliter, n.* 114. *& seq. C. de revoc. donat.* Mantic. *de tacit. lib.* 13. *tit.* 40. *n.* 26. *& 27. plene, & ex professo* Rot. *in Anconitana bonorum* 19. *Decembris* 1641. *cor. Ghislerio*, ubi de hoc puncto principaliter actum fuit, ut donatarius teneri non debeat ultra bonorum donatorum emolumentum, ideoque ubi illud negligat, ad aliud cogi non debeat, sed sufficiat, tam donatam 17

tam dimittere, ad quod alii Scribentes allegabant etiam Besoldum *conf.* 179. *n.* 75. *&* 76. *lib.* 4. Fab. *in C. lib.* 8. *tit.* 58. *de revoc. donat. diffin.* 12. *& alios*, ac etiam rationem, quod cum donatio sit beneficium, resolvi non debet in maleficium, neque actus de sui natura lucrativus, & beneficus effici debet damnosus.

18 E converso, quod ubi donatarius, cum expressa obligatione se adstrinxit ad aliquid erga donatorem in vita, pœnitere non possit, neque onus evitare, sub prætextu, quod excedat emolumentum, Scribentes in contrarium (quibus Rota adhæsit) adducebant auctoritatem Fabri *in C. d. lib.* 8. *tit.* 37. *diffin.* 4. Christin. *dec. Belg. l.* 8. *tit.* 55. *dec.* 191. *n.* 13. Surd. *de alim. tit.* 9. *q.* 25. *n.* 8. *cum seq. & n.* 19. *cum seq.* Coler. *de alim. lib.* 8. *c.* 14. *nu.* 20. *& seq.* Castill. *lib.* 8. *contr. c.* 14. *n.* 20. *& seq.* Hodiern. *controv.* 15. *n.* 55. *n.* 48. *&* 54. ac per totum, ubi agendo de articulo, an legatarius gravari posset ultra emolumentum, quod ex legato reportat in donatione, per quam tanquam per actum correspectivum donatarius se obligavit, contrarium concludit, cum aliis in decisione edita in causa.

19 Atque respondendo ad dictas auctoritates in contrarium, præsertim ad *d. dec. Auenitana bonorum cor. Ghislerio* editam in caso, de quo habetur actum *sub tit. de cred. disc.* 135. super puncto, an bona per debitorem creditori data censeantur in pignus, vel in solutum, dicebatur (& in hac parte bene) quæstionem cessare ex facto, quia donatarius præcise se restrinxerat ad ferenda onera ex bonis do-
20 natis, cum protestatione nolle teneri de proprio, & *ad conf. Baldi, ac doctrinam* Ripæ, & Mantice respondetur, id inductum esse favore donatoris, ut electionem habeat dicendi donatario, quod, vel impleat promissa, vel restituat donata, stante præsertim clausula, *rato manente pacto*, quæ hanc operationem faciat, & super qua clausula e converso, ut potius ex sensu allegatorum inducta sit favore donatarii super dicta electione, vel adimplendi, vel dimittendi bona nimium insistebant Scribentes.

21 Mihi vero ad veritatem reflectenti, istud quoque fundamentum parum tutum videbatur, ideoque non displicuit in hac parte resolutio, quamvis non omnino placeret ejus ratio, seu fundamentum, dum absque ulteriori ratiocinio fuit solum, more pragmatico constitutum fundamentum in dictis auctoritatibus Fabri, & Surdi, tum quia pro meo sensu dedecet magna Tribunalia, in solo dicto unius, vel duorum modernorum procedere debere, rationes, ac fundamenta non expendendo, ut pluries alibi advertitur, præsertim vero latius in *Forolivien. sub tit. de emphyteusi, disc.* 3. *ac sub tit. de judiciis, & in relatione, & praxi Curiæ*, occasione agendi de modo tenendi in judicando, & consulendo, & præ cæteris bene advertit Cyriac. *controv.* 50. *n.* 3. *& seqq.*

22 Tum etiam, quia *Faber* vere non decidit casum, in quo donatarius donationi in totum retrocedere sit promptus, ita etiam futuram spem a se abdicando, ac remanendo in jactura, & damno temporis præteriti, ut in præsenti, sed loquitur ut firma remanente donatione quoad bonorum proprietatem, prætenderet non teneri ad onus, nisi ad mensuram fructuum ipsius rei donatæ, quod utique injustum est, quoniam, ut supra, excrescentia oneris compensatur cum emolumento proprietatis, quod remanere debet in perpetuum post cessatum temporale onus, idemque videtur sensus *Surdi*, qui neque ad has distinctiones descendit; e converso autem majores, & graviores videntur auctoritates ut supra in contrarium adductæ, magisque stringens ratio prædicta, quod posito titulo donationis, quæ juxta ejus definitionem importat gratuitam elargitionem, ac de sui natura lucrum in donatario, & damnum in donatore, contra naturam actus, quæ est, ut sequi debeat oppositum; in idem confluentibus iis, quæ habemus in terminis legatorum cum donationibus fraternizantium, cum legatum juxta ejus definitionem donatio quoque dicatur, ac propterea isti termini parificantur per Rotam in decisionibus editis *in Romana seut.* 30. *m.* de qua *supra, disc.* 36.

23 Credebam tamen punctum esse in eo, quod incongrue applicarentur isti termini donationis, cum revera versari videremur potius in implicito contractu emptionis, & venditionis incertæ futuræ aleæ tanquam per speciem emptionis, seu conductionis bonorum ad vitam, de qua *sub tit. de emptione, & venditione, disc.* 1. Sive tanquam per speciem census vitalitii & similium, dum ille qui donatoris personam in verbis gerere professus est, ita spectato effectu, animum habuit se reddendi certum, donec viveret, de congrua sustentatione, non curando de rei proprietate post mortem, ut faciunt illi qui eorum pecunias convertunt in census vitalitios, vel in officia, & jura vacabilia, sive in emptiones domorum, & bonorum ad vitam, & e converso, ille qui verbaliter donatarius dicitur, rei proprietatem emere voluit, cum commodiori solutione pretii, ita in plures annos distributa in eo pluri quod importat rata excedens ipsius rei fructus, cum spe allequendi totum, etiam sine damno, ob celerem mortem alterius contrahentis. Itaque Mihi videbantur veri, ac proprii termini hujus contractus, non curata verborum formalitate, quoniam, ut pluries adver- 24
titur in præcedentibus, lex non est imposita verbis, sed rebus, ideoque non rerum vocabula, sed substantia veritatis attendi debet, ut præsertim supra *disc.* 24. *& in aliis*, ubi advertitur, nil referre quod partes dicant facere contractum donationis, aut permutationis, vel emphyteusis, si spectata substantia vere importat emptionem, & venditionem cum similibus, ac propterea dicitur verus contractus onerosus, & correspectivus ad limites justitiæ commutativæ, ex quo sicuti emptor, qui sub donatarii vocabulo explicatur, ipso primo mense magnum lucrum facere poterat per mortem venditoris, ita e converso subjacere debet damno ex regula, *secundum naturam, &c.*

Et consequenter sive dicamus, illum esse verum contra- 25
ctum emptionis, & venditionis, juxta unam opinionem, sive esse contractum innominatum juxta illas varias opiniones, quæ habentur recensitæ *in d. tit. de emptione, & venditione disc.* 1. idem est effectus, quoniam etiam in contractu innominato, qui jam executionem, seu effectum sortiri cœpit, non intrat pœnitentia, sed solum facilius admittitur resolutio ob non implementum favore ejus, cui adimplendum erat ad differentiam contractus nominati, in quo ex veriori sententia, quam Rota & Curia sequitur, non 26
implementum non causat resolutionem, sed solum actionem ad interesse, quoties illud non sit causa omnino finalis, & præcisa, ut præsertim habetur deductum *in Assisien. sub tit. de loc. disc.* 18. & infra *sub tit. de contract.* & alibi, & sic totum in gratiam ejus, cui adimplendum est, ac in odium non adimplentis, ne alias delictum prosit delinquenti, ac noceant innocenti, qui injuriam in fidei violatione passus est, ut in proposito pacti resolutivi, seu commissorii habetur pluries *in d. tit. de contract. & pactis in genere, & in altero de emptione, & venditione, & sub tit. de feud. disc.* 57. *& alibi.*

Ponderando in idem ea quæ habentur per Feudistas in 27
quæstione an feudatarius possit invito Domino refutare feudum, ut ita ab ejusdem feudi servitiis, ac oneribus eximatur, quoniam licet regula sit affirmativa, ex dicta ratione, quod illud dicitur beneficium non conferendum in invitum, attamen si Domini intersit refutationem non acceptare, verius est feudatarium non posse eximi, ex deductis in sua materia *sub tit. de feudis disc.* 71. ac etiam *sub tit. de emphyt. disc.* 78. ubi de emphyteuta non admittendo ad rei emphyteuticæ dimissionem, quoties non sit tertius possessor occasionalis, sed obligatus etiam in actione personali cum similibus, ipsa etiam naturali ratione ita docente, quod qui bonis suis vivens se privat, ut ita de congruo emolumento se tutum reddat donec vivit, se exponendo periculo amissionis ad dies absque aliquo emolumento, ita hanc eventuali claudicationi subjacere debeat, dum ipse e converso eandem resolutionem prætendere non posset.

Hinc proinde extraneæ videntur omnes auctoritates su- 28
pra ponderatæ circa resolutionem donationis, quoniam cum hæc de ejus regulari natura importet lucrum ex parte donatarii, idcirco ejusdem lucri amissio inducta est in odium non adimplentis, ac in pœnam non adimplementi, favore tamen ejus cui implendum erat, non autem e converso, adinstar caducitatis, quæ habetur in feudo, vel emphyteusi ob non solutos canones, vel non præstita servitia, sive pacti resolutivi, aut regressus, qui in beneficialibus resignanti reservatur ob non solutam pensionem, &c. quoniam est in gratiam ejus, cui non adimpletur quatenus ipse velit.

Solidum autem, ac in puncto juris probabile videbatur 29
tertium fundamentum pœnitentiæ, re integra, priusquam contractus validitatem, ac perfectionem reciperet ab assensu Domini directi, sine quo vinea non erat in commercio, non quidem ex conclusione juris super revocabilitate simpliciter, & in abstracto, sed ex facti circumstantiis, & qualitate resultante ab expressa reservatione assensus.

Super hoc autem, mirum est quantum Scribentes hinc 30
inde involverentur, ac forte se quoque involvit decisio edita in causa, siquidem Ego & cæteri pro facultate pœnitendi seu revocandi Scribentes, cumulabamus auctoritates Afflict. Loffred. & aliorum, quos cumulat Surd. *conf.* 484. *nu.* 8.

Salgad.

Salgad. *in Labyrinth. par.* 1. *cap.* 33. *num.* 21. *& part.* 2. *c.* 21.
nu. 40. Hodier. *contr.* 26. Marcian. *disput.* 100. Atque ad
probandum hanc esse conclusionem perpetuo receptam
per Rotam antiquam, & modernam, ut in hujusmodi rebus
in libero commercio non existentibus absque alterius assen-
su a quo contractus validitatem, ac perfectionem recipit,
re integra cuilibet contrahentium pœnitere liceat, deduce-
bamus plures Rotæ decisiones, nempe apud Achill. *dec.* 2. *de
Pact.* Put. *dec.* 343. *lib.* 1. *& dec.* 2. *de Transact.* Caputaq.
dec. 12. *n.* 3. *&* 4. *par.* 3. Cavaler. *dec.* 253. *n.* 3. *&* 5. *dec.* 755.
num. 2. *par.* 2. *rec. repetit. dec.* 189. *par.* 4. *in Romana Laudi,
seu locorum montium* 19. *Junii* 1641. *coram Verospio* add. ad
Gregor. *dec.* 410. *sub n.* 8.

31 E converso Scribentes in contrarium dicebant, præmis-
sa locum habere quoad dominum pro ejus interesse, non
autem inter ipsos contrahentes, ex iis quæ ex Cæphal.
cons. 118. & Rolan. *cons.* 63. *nu.* 7. *&* 8. *ac aliis per eum allegatis
firmat* Gretian. *discept.* 514. *n.* 1. *&* 2. & his ponderabam ad-
di posse decisionem Rotæ *in Romana Concursus* 15. *Junii*
1665. *coram Emerix* edita in casu, de quo *sub tit. de
Emphyt. disc.* 58.

Ad auctoritates antem prædictas, quæ in contrarium de-
ducebantur, respondebant, quod plures ex eis loquuntur
32 in terminis beneficialibus, a quibus arguere non licet, ut-
pote diversam rationem habentibus, sive ubi ageretur de
casu, in quo dominus denegare posset assensum, qui a mera
gratia proveniret, secus autem ubi agitur de emphyteusi
hæreditaria, in qua Dominus assensum denegare non potest,
nimium se involvendo Scribentes hincinde in quæstione,
de qua inter Regnicolas, an Rex assentiri teneatur aliena-
tionibus illorum feudorum, & an assensus sit ea gratia, vel
ex justitia, sive an ille assensus præcise ab initio necessa-
rius esset; vel potius quando cessante reservatione per mor-
tem donatoris, contractus in donatario effectum sortiturus
esset, super qua etiam decisio multum se extendit.

Reflectendo autem ad hujus articuli veritatem, duas in
hoc puncto efformabam inspectiones, unam super stricto
jure in genere, an scilicet, & quando in hujusmodi contra-
ctibus quamdam perfectionem ab alterius assensu reci-
pientibus; donec iste sequatur, pœnitendi, seu revocandi
facultas detur, & quid relevet, & secundam applicatio-
nis ad casum controversiæ.

Quatenus pertinet ad primam, probabiliores videbantur
partes donatoris pro exclusione pœnitentiæ, quodque illa
etiam data, nil relevaret, ob actionem ad damna, & inter-
esse, quod sonat in idem, dicebam tamen aliquam justitiam
donatario assistere in altera inspectione ut infra.

33 Super dicto siquidem articulo, ponderabam procedi per
Scribentes hincinde, ac etiam per Surd. Salgad. & Gra-
tian. *ut supra allegatos* cum æquivoco manifesto, cumulando
desuper doctrinas inter se omnino diversas, utpote percu-
tientes diversos casus, diversas rationes habentes, ideoque
Doctores de hoc agentes in quatuor diversas classes distin-
guendi sunt, primam scilicet loquentium in materia ma-
trimoniali, vel Beneficiali, aliisque spiritualibus, ut sunt Ab-
bas, *& alii Canonistæ in c. super ea de cond. appos.* cum quibus
procedunt *dictæ dec.* Achill. Put. & Caputaq. *& deci. dec.*
775. *p.* 2. *rec.* quæ omnes loquuntur in terminis beneficiali-
34 bus, sed ista classis omnino segreganda est, utpote percutiens
dictos terminos spirituales, in quibus liber Partium consen-
sus requiritur in ipso tempore quo actus perficitur, neque
intrare potest aliqua actio ad damna, vel interesse, cum spiri-
tualia æstimationem non habeant citra simoniam.

Et nihilominus etiam in illis materiis intrare potest a-
35 ctio ad damna, & interesse extrinseca, seu occasionalis ex-
tra ipsius spiritualitatis æstimationem, pura ob expensas,
quas pro expeditione litterarum Apostolicarum, seu alias
facere oportuit, juxta deducta *sub tit. de Benef. disc.* 38.
& habetur etiam *sub tit. de matrimon.* in proposito re-
vocantis mandatum datum ad illud contrahendum, sive
nolentis servare fidem datam in sponsalibus, si alter con-
trahens damnum patiatur.

Altera est classis Regnicolarum quorum magna pars est
eorum, quos cumulant Surd. Gratian. & Salgad. *& alii
supra recensiti*, sed pariter omnino segreganda venit; utpo-
36 te percutientes contractus initos super illis feudis, in qui-
bus ob jus particulare contentum in constitutione, quæ in-
cipit, *Constitutionem Divæ memoriæ*, ista pœnitendi, seu re-
vocandi facultas, etiam ipsis principalibus contrahentibus
expresse concessa est absque aliqua obligatione ad damna;
& interesse, quoniam licet Afflict. & alii antiquiores id
motivaverint, attamen usu passim receptum est contrarium;
& consequenter istæ auctoritates utpote fundatæ in jure
municipali, nihil ad articulum faciunt. Ejusdemque classis
sunt aliqui Germani relati per Rosental. *de feud. capit.* 9.
concl. 69. *cum seq.* percutientes aliquarum Ditionum, seu
Regnorum leges; vel consuetudines particulares.

Tertia est classis loquentium in terminis alienationis bo-
norum Ecclesiæ ex quibus sunt plures relati per Gretian.
dicta discept. 514. & illa pariter omnino segreganda est, cum 37
id proveniat a speciali privilegio Ecclesiæ concedente clau-
dicationem, de qua *sub tit. de alien. & contract. disc.* 1. Ac
propterea nihil ad rem, atque sub eadem classe situari pos-
sunt aliqui Hispani agentes de illis majoratibus, & primo-
geniis, in quibus ea particularibus juribus, vel stylis plura
recepta sunt, de jure communi non procedentia, ex pluries
deductis sub tit. de fideic. præsertim disc. 7. 13. *& in aliis.*

Quarta demum est classis ad rem faciens doctrinarum,
seu auctoritatum percutientium puros, ac generales ter-
minos juris communis; atque in ista nimium veri Do- 38
ctores numerari possunt, præsertim ea modernis, utpote
æquivocantibus, ac se involventibus, cum sint auctoritates
vera a casu extraneæ.

In his autem terminis præcisis, distinguendum est inter
jus tertii, cui ad hæc bona prohibita, post primum con-
tractum imperfectum, ante perfectionem ex assensu resul-
tantem; alteri legitime, ac perfecte jus quæsitum sit, &
ipsosmet contrahentes, vel eorum hæredes.

Primo casu, quoad tertium recte considerabilis est im-
perfectio, seu nullitas contractus; qua non obstante res alteri
valide alienari, seu obligari potuit, atque potiores sunt par- 39
tes ejus qui postea contraxit, juxta ea que habentur plu-
ries *sub tit. de feud. præsertim disc.* 31. *&* 78. ac etiam *sub
tit. de Regal. disc.* 10. *cum seq. & disc.* 41. *& sub tit. de Em-
phyt. disc.* 44. *&* 58. Ex ea ratione quod per hujusmodi
actum invalidum, seu imperfectum, abdicatum non est jus a
primo possessore alienante, ac etiam quia tertius, in quem fit
alienatio, vel obligatio, non sequitur privatam fidem alienan-
tis, vel obligantis, sed publicam ipsius Principis, vel Domi-
ni assentientis, quem potius in ejus auctorem agnoscit.

Secus autem in altero casu quoad ipsos contrahentes, eo-
rumque hæredes, & successores, quoniam ipsis, secluso ju-
re municipali scripto, vel non scripto, non datur hæc pœni- 40
tendi facultas, & quando etiam detur circa ipsum factum
præcisum quod adhuc non sit præstitum, & ad quod for-
te Judex ex officio, ob infectionem actus cogere nolit,
adhuc extra controversiam competit actio ad damna, &
interesse, quod sonat in idem *ex deduct.* per Rosenthal.
dicto c. 9. *concl.* 69. *cum seq.* Hodier. *contr.* 26. *nu.* 57. *&
seq.* Salgad. *in labyr. p.* 1. *c.* 38. *nu.* 8. *& alibi pluries*, quod
sonat in idem ad effectum quæstionis.

Et consequenter extraneas esse observabam ea, quæ haben-
tur circa distinctionem inter jus hæreditarium, vel pacti, &
providentiæ, sive inter assensum concedendum ex gratia, 41
vel ex justitia, quoniam hujusmodi inspectiones percutiunt
quæstiones, inter Dominum assentiri debentem, & vassal-
lum petentem assensum, sive an successor impugnare va-
leat necne factum prædecessoris, non autem quoad ipsos
contrahentes, vel respective quoad tertium ex causa onero-
sa, a Principe vel Domino magis quam a contrahente me-
tiente jus suum, ideoque hujusmodi distinctiones, vel non
sunt necessariæ, vel non sufficiunt. Siquidem officia vena-
lia, & clarius loca montium, aliaque jura cum Principe, vel 42
Republica sunt absque dubio mere hæreditaria, atque Prin-
ceps ubi in vacabilibus non intrat illa ratio fraudis, de qua
sub tit. de Regal. disc. 6. suum assensum de justitia dare tene-
tur, fortius vero in locis montium non vacabilibus, & ta-
men si facta ex privata conventione alienatione officiorum,
vel locorum montium, postmodum cum assensu, vel decre-
to, alteri perfecta alienatio, vel obligatio fiat, sine dubio po-
tiores sunt istius posterioris partes, & e converso cessante
jure, vel interesse tertii, vel ipsius Domini, seu Princi-
pis, nihil est quod excuset ipsos contrahentes ab obliga-
tione servandi datam fidem, vel præcise, ac in ipsa spe-
cie, vel æquipollenti, seu ad quanti interest, in actu
præsertim oneroso, & correspectivo.

Quo vero ad alteram inspectionem facti, seu applicatio-
nis, quamvis theorica juris potius huic parti resisteret,
quam assisteret, attamen ex facti circumstantiis, eadem
theorica non obstare, seu applicare videbatur dupliciter.

Primo scilicet quoniam iidem DD. negantes pœnitendi,
seu revocandi facultatem, ut præsertim patet *ex deduct.* 43
per Gret. *discept.* 514. procedunt cum præsupposito quod
assensus Domini, utpote concedi solitus, vel debitus, dene-
gan-

gandus non esset, adeout actus esse diceretur in probabili
statu validitatis, sed quando ista potentia, seu probabilitas
cessat; quia nempe Dominus requisitus pro assensu, illum
43 denegaverit, tunc omnes concordare videntur pro pœni-
tendi facultate, atque huic motivo nulla datur in decisione
congrua responsio, quoniam an Dominus teneatur assentiri
necne, videant inter se Dominus, & Vassallus, nulla vero
suppetit ratio, ut tertius qui ea intentione contraxit, atque
incertæ aleæ futuri damni se exposuit, ut contractus paci-
ficam observantiam haberet, teneri debeat hujusmodi lites
assumere, seu litium incertæ aleæ, ac sumptibus, & incom-
modis se exponere præter intentionem.

Et secundo in idem, quia ipse suum animum declaravit,
44 desiderandi dictum assensum, ob quem de validitate, ac
perfectione contractus tutus redderetur, ejusque pacifica
observantia, ideoque eo non sequuto in termino præfinito,
& fortius declarata Domini voluntate in contrarium, ita
cessare dicitur voluntas tanquam a cessante præsupposito.

Neque his refragari credebam responsionem, quod dicta
reservatio facta esset cum clausula *Quatenus opus &c.* non
operativa, nisi ubi necessitas urgeret, tum quia ob strictissi-
mam nedum alienandi, & donandi, sed etiam hypothecandi
prohibitionem, indubitatum videbatur dictum assensum ab
initio necessarium esse, cum contractus ea nec perfectus es-
set, ac proprietatis, & dominii translationem importaret, ut
ipsa aliquorum fructuum reservatio de jure importat, tum
etiam quia hujusmodi inspectio percutit diversum effectum,
ut scilicet assensus dici non valeat in conventionem dedu-
ctus pro conditione, adeout requisitus esset, quamvis alias
non necessarius, non tamen tollit, quin exinde resultat pro-
batio voluntatis alterius contrahentis alias non contrahendi,
nisi contractus validus, ac perfectus ita reddatur, suam-
que pacificam observantiam habere debeat.

Considerando potissimum ea quæ, cæteris relatis, haben-
45 tur apud Rosenth. *d. c. 9. concl. 2. & concl. 69. cum seq.* inter
casum in quo feudi, vel alterius rei prohibitæ possessor sit
prohibitionis alienandi recte conscius, ideoque in mala fi-
de, & e converso alter cui fit alienatio, talem, saltem ex-
plicitam, ac certam scientiam non haberet, qualis erat
controversiæ casus, dum ipsemet donator de recenti con-
cessionem obtinuerat cum dicta prohibitione, quam cum
juramento acceptaverat, ideoque ex his facti circumstan-
tiis potius quam ex conclusione juris in abstracto, reso-
lutio non placuit in hac parte, rejiciendo istud motivum,
cui nulla datur congrua responsio.

Et quamvis per alteram partem, magnum fundamentum
constitueretur in dicta sententia A. C. lata contra Dominum
46 super petita caducitate, ac propterea inferebatur quod ita
declaratum esset, ut assensus non esset necessarius, attamen
id continere videbatur æquivocum manifestum, quoniam
ut advertitur *sub tit. de Alien. disc.* 1. in proposito alienatio-
nis bonorum Ecclesiæ, ac etiam pluries *sub tit. de Emphyt.
& sub altero de fideicom.* & alibi, stant bene simul, actum
esse invalidum ob defectum solemnitatis, vel causæ, & ta-
men non intrare caducitatem, vel alias pœnas, cum ab
istis (cessantibus dolo ac malitia positiva) qualibet causa,
quamvis vere injusta, sed diversimode opinata excusat, quæ
tamen non excusat a nullitate, & consequenter istud vide-
batur fragilissimum fundamentum, quod tamen magnam
faciebat impressionem.

JANUEN. DONATIONIS, PRO NICOLAO MARIA PALLAVICINO, CUM NICOLAO FRATRE.

Discursus pro veritate.

**An, & quando valeat donatio facta per patrem qui fi-
lios legitimos habeat, filio illegitimo? Et quid in
hoc operetur juramentum, ex qua occasione di-
stinguuntur diversæ illegitimorum species.**

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De prohibitione disponendi cum illegitimis.*
3 *De Statuto Januen. super libertate disponendi.*
4 *De dispositionibus tempore pestis, & belli.*
5 *An dictum Statutum procedat in actibus inter vivos?*
6 *Statuta quando habeantur tanquam jus commune.*
7 *De distinctionibus illegitimorum.*
8 *An illegitimis facta donatio cum juramento valeat?*
9 *Quando Doctoribus non sit deferendum.*
10 *An donare filiis illegitimis sit contra bonos mores?*
11 *Quod hodie, filii naturales tantum suscepti ex concubi-
na sint magis damnati.*
12 *Quare hodie desideretur requisitum, ut ad mulierem
aliis non pateat accessus.*
13 *Quæ distinctio filiorum illegitimorum detur in matre.*
14 *Quomodo in hac materia illegitimorum procedi debeat.*
15 *De moribus, & legibus Januensium circa illegitimos.*
16 *Illegitimi de jure communi non sunt nobiles, sed po-
tius reputantur indigni.*
17 *De alimentis, & dotibus, quæ filiis illegitimis de-
bentur.*
18 *De qualitate matris in proposito considerabili.*
19 *De eadem conclusione, de qua n. 8. & seqq. super
valida donatione cum juramento.*

D I S C. LXII.

FActa per Carolum donatione jurata inter vivos scuto- 1
rum centum millium argenti Nicolao Mariæ filio ex-
tra matrimonii vinculum suscepto ex Antonia vidua alio-
quin honesta, nobiles quoque natales habente, atque Ni-
colao altero filio ex uxore postmodum suscepta procreato,
ac hærede universali, dictam donationem impugnante, ut-
pote de jure prohibitam ad illegitimi filii favorem, legitima
existente prole, introductaque in Civitate Januæ commu-
ni patria judiciali, vel extrajudiciali controversia, cum
donatarii Defensores pro donationis validitate totam vim
constituerent in ejusdem Civitatis Statuto *lib. 1. c.* 12. §. 9.
incipien. *Ut omnis dispositio &c.* per quod statuitur, ut omnis
dispositio valeat, licet facta non sit secundum leges; e con-
verso autem Defensores hæredis negarent comprehensio-
nem casus sub dicto Statuto, ac etiam Scribentes hincinde
in terminis juris communis restrinxissent punctum quæ-
stionis, an donatarius dicendus esset naturalis tantum, vel
potius spurius, & cuinam incumberet onus, unam, vel al-
teram qualitatem probandi, quasi quod eo spurio existen-
te donatio in totum irrita esset, eo vero existente naturali,
tantum ad solam unciam sustineretur, juxta dispositionem 2
juris civilis in pluribus juribus desuper cumulatis per Lup.
de illegitim. comment. 1. §. 5. *n.* 9. Peregr. *de jur. Fisc. lib.* 3. *tit.*
18. Lucidor. *de illegitim. in prælud. n.* 34. *cum concordan. disc.*
53. *& seqq. de testam.* Et an jura prædicta utrumque dispo-
nendi modum complecterentur per ultimam scilicet volun-
tatem, & inter vivos, ut Scribentes pro hærede asserebant,
vel solum per ultimam voluntatem, non autem inter vivos,
ut sustinebant Scribentes pro donatario, hinc super his ex
parte donatarii pro veritate consultus.

Super primo puncto Statuti contra requirentem respon-
di, ut in eo totum fundamentum constitui non posset; illud
etenim in verbis loquitur de ultima voluntate, ac de in-
stitutionibus, & substitutionibus, magisque id comprobat
Rubrica generalibus concepta *de testamentis, & ultimis
voluntatibus*, ideoque receptum habemus, quod Rubrica 3
declarat Nigrum, ac etiam quia omnia capitula, sive
omnes paragraphi circumferuntur super ista ultimarum
voluntatum materia.

Et quamvis in capitulo, seu §. antecedenti agatur etiam
de dispositionibus inter vivos, ac proptarea nimium hinc-
inde Scribentes laborabant cum consuetis frigiditatibus,
an intraret necne repetitio, attamen advertebam, quod
ex facto removebatur quæstio, dum in antecedenti capi-
tulo agitur de illis, qui de tempore divini belli Epidemia-
li morbo laborent, ut eis in illo adeo calamitoso tempo-
re, omnino libera sit disponendi facultas, atque disposi-
tio quomodocumque concipiatur, valeat, ne alias ob le-
gales formalitates, vel superstitiones in eo quod cupiunt,
elusi remaneant, dum Sapientum copia tunc non habetur,
quinimmo neque amicorum, ut dispositiones ordinari valeant
cum ea meliori præordinatione, ac maturo consilio, cum
quibus de tempore non accidentali ordinari solent, & pos-
sunt, ex iis quæ occasione agendi de testamentis tempore 4
pestis, habentur *disc.* 27. *de testam.* Et de aliis tempore
belli in illius conflictu, *disc.* 28. *eodem tit.* ideoque ob ra-
tionis diversitatem repetitio, sive illatio ab una parte le-
gis ad alteram nullatenus intrat.

Considerando itaque istud Statuti Capitulum de per se,
ac independenter ab alio antecedenti, cum loquatur de ul-
tima voluntate, vel alia dispositione considerabam, an 5
trahi posset ad actum inter vivos, tum ex illo verbo gene-
rali, *alia dispositione*, tum etiam quia facilior videtur
prohi-

prohibitio disponendi per ultimam voluntatem, sive per alium actum, per quem dispositionis substantia conferatur post mortem, quam per actum inter vivos ex tunc perfectum, ac gestum tempore valetudinis juxta quamplura similia ponderata *dis. 5. de feudis*, ac etiam habetur *disc. 6. de Regal. & disc. 102. de dote, & alibi*.

6 Potissime vero in hac specie legis, quoniam cum non sit Civitatis subditæ, sed ipsius Reipublicæ, quæ in ejus Ditione gaudet omnimoda libertate, atque habet jura Supremi Imperii, & Principatus, ut ab antiquo habere testis est Bald. *cons. 182. n. 3. lib. 5.* ita intrat consideratio, de qua *disc. 50. de legitima, disc. 35. de judic.* & sub diversis materiis frequenter, quod scilicet istæ leges potius continere dicuntur jus commune in eo Principatu, magis favorabile quam sit ipsum jus commune civile, ac propterea non intrat illa odibilis, & periculosa restrictio, quæ datur in Statutis Civitatum subditarum a jure communi exorbitantibus, & quæ proprie constituunt leges municipales, ac propterea licitum esset arguere a contrario sensu, vel a simili, sive illationes facere eo modo, quo in jure communi habemus, quod non conceditur in dicto altero jure municipali rigorose, atque ad litteram intelligendo, ex deductis *eodem disc. 35. de judic. & disc. 15. de success. ab intestato, & alibi pluries eod. tit.*

7 Verum tollebat vim motivi, sive occasionem ratiocinandi idem Statutum, quod *lib. 3. c. 5.* expresse prohibet quamcumque extensionem, vel illationem, aut interpretationem, bene tamen dicti Statuti dispositio non leve præbere videtur argumentum corroborativum eorum, quæ inferius considerantur circa naturales tantum, non ita amare, & aspere tractandos, sicuti in jure communi tractantur ex aliis Statutis, & ex moribus, & stylis hujus Civitatis, ita istud Statutum cum aliis conjungendo, non autem quod solum, & de per se operari posset validitatem hujus donationis, quando alias esset invalida.

Assumendo itaque punctum ad terminos generales, cum quibus Scribentes pro hærede factum impugnante procedebant, atque procedi debere probare conabantur ut supra, advertebam in primis opus non videri illum pertractare cum terminis juris civilis distinguentis naturales tantum, & spurios, ut cum primis pater habens filios legitimos, usque ad unam unciam disponere valeat, cum aliis vero secus, ac propterea oritur quæstio, adeo inter Civilistas involuta, cui scilicet qualitati assistat præsumptio, ex qua resultat exclusio oneris probandi qualitatem non præsumptam, ac etiam circa probationem unius, vel alterius qualitatis, & an verificari dicantur necne illa requisita, quæ per idem jus civile desiderantur ad excludendum spurietatem, quodque vere naturalis tantum dici valeat, ut scilicet suscepti ex concubina domi retenta in schemate, & figura matrimonii sub ea custodia, sub qua uxor teneri solet, adeout ad eam aliis non pateret accessus.

8 Siquidem cum ageretur de actu jurato, ita ex pluries infirmata dispositione juris Canonici *in c. cum contingat, de jur. jur. & in c. per vestras de donat. inter vir. & uxor.* cum notatis communiter per Canonistas utrobique, & alibi, cessant omnes juris civilis, vel laicalis tam communis, quam municipalis prohibitiones, & dispositiones, ut habemus quotidianum in contractibus minorum, aliorumque prohibitorum, & in donationibus inter patrem, & filium, ac virum, & uxorem cum similibus, & in his terminis specialibus donationis factæ filio illegitimo, alias absque juramento invalidæ, advertit Seraphin. *de juram. c. 72. n. 7.* ubi add. *n. 5.*

Adversus istud motivum Scribentes pro hærede acriter insistebant, quod Seraphin. id asserat ex proprio capite absque auctoritate, & ratione, in contrarium vero stet magis communis opinio Doctorum, ut juramentum non operetur, ut per Ruin. *cons. 179. n. 6. lib. 1. & cons. 69. n. 10. & seqq. lib. 3.* Beron. *cons. 164. sub n. 8. & seq. lib. 2.* Peregr. *de jur. Fisc. lib 3. tit. 19. n. 93.* Trentacinq. *var. resolut. lib. 1. titul. de noth. & spur. resol. 2. n. 4.* qui omnium latius in hoc se diffundit, Michalor. *de fratr. p. 1. c. 11. n. 8.* & alii, qui pro correnti ineptia cumulabantur.

Respondebam tamen (etiam cum sensu veritatis) in hoc dignosci unam de Juristarum præsertim modernorum ineptiis, vel abusibus, ut unus alterum sequatur, vel transcribat more pecudum, vel avium, aliis saltantibus, vel volantibus, quando ab uno saltus, vel volatus assumatur absque alio discursu.

Istud etenim assumptum nullum habet canonicæ fomentum, vel saltim auctoritatis alicujus antiqui, & gravis Canonistæ, sed derivat ab originali traditione Ruin. locis citatis, cujus sub dicta cæca fide quamplures, articulo non examinato, pro consuetudine sunt relatores, vel sequaces, ac propterea dicendum est id quod advertimus *d. disc. 35. de Jud. & disc. 119. de Cred.* & alibi pluries de testibus de audita ab uno, qui convincatur mendax, vel erroneus, quod ubi etiam essent mille, pro nullo habendi sunt, atque hic videtur casus, ut præfato antesignano, & primario auctori nullatenus in hoc deferendum sit, tum quia sufficeret dicere illum esse Consulentem non ad veritatem, sed ad opportunitatem requirentis, quod si omnibus Consulentibus congruit, magis vero, ac præ cæteris huic docto quidem, & ingenioso, adeout sub quæstione sit, an illi, vel Baldo primus locus inter antiquiores ingeniosos Juristas tribui debeat, sed lucri nimium cupidus, veritatis parum amicus fuit, ut liquet ex plerisque consiliis, in quibus lumen Solis in media nocte probare curat. 9

Tum etiam quia loquitur incidenter, & potius ad superabundantiam, more Consulentium præter necessitatem, dum ipse agit de successione feudali, in qua peculiaris viget ratio super exclusione illegitimorum. 10

Et quamvis aliqui ponderent rationem, quod donare hujusmodi filiis cum peccato susceptis, quando filii legitimi habeantur, sit contra jus Divinum, & contra bonos mores naturales, ex plene deductis per Eugen. *cons. 46. n. 1. & seqq. ad 25. lib. 2.* Giurb. *de success. feud. §. 2. glos. 8. ex n. 18.* qui alios cumulant, attamen id manifestæ fabulæ speciem habere dicebam cum eodem sensu veritatis, quoniam generalis regula per jus canonicum ratione peccati statuta est, ut semper juramentum liget, atque servari debeat, quoties non sit vinculum iniquitatis, adeout absque interitu æternæ salutis observari valeat, neque adversetur bonis moribus naturalibus, vel publico favori, ac bono principali, non autem accessorie, & secundarie considerato.

Nullum autem ex hujusmodi obstaculis in hac specie donationis dignosci videtur, adeout clarum contineat errorem dicta assertio, ut dispositio favore filiorum illegitimorum ultra illam licentiam, quam jus civile tribuit, juri Divino, vel bonis juribus naturalibus adversetur, quoniam nisi a sex circiter sæculis casualis legum civilium inventio sequuta esset juxta sæpius recensitam, semper tamen præ oculis habendam historiam legalem, præsertim *dis. 1. de servit. & disc. 161. de Regal.* utique istorum diversorum terminorum notitiam, & operationem non haberemus, minusque dictam prohibitionem manantem ab hoc jure, quod per tot sæcula sepultum, atque in oblivionem abitum omnino ignotum erat; jus vero divinum utriusque paginæ id non disponit, quoniam distinguit quidem filium ex uxore, & filium ex ancilla Abrahæ, sed non prohibet huic posteriori donari posse; jus vero naturale, quod tamen nullibi scriptum reperitur, præscindendo a præceptis Christianæ catholicæ Religionis, has non tribuit distinctiones, cum spectata natura ita sint filii uni, ac alii.

Atque si ita esset, sequeretur, quod redargui mererentur Sacri Canones, qui indefinite omnibus illegitimis ex quocumque coitu quamvis damnato, & punibili susceptis, alimenta, vel eorum loco dotem ubi sint fœminæ, suppeditari præcipiunt, eorumque dispositio ubique, atque in Foro sæculari quoque recepta est, adeo extensa, ut etiam Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ aliud non possidentes, nisi beneficia, & redditus bonorum Ecclesiasticorum adhuc de istis huic obligationi satisfacere teneantur, quod utique absonum esset, si adeo odibiles hujusmodi illegitimi censendi sint, ut eis benefacere juri divino, ac bonis moribus naturalibus adversetur.

Prout etiam non possent Principes præsertim sæculares istam illegitimorum natalium maculam abluere, atque illegitimos ad quascumque parentum successiones, præsertim testamentarias, aliasque dispositiones, & elargitiones inter vivos habilitare, cum eorum potestas versetur circa ea, quæ a jure positivo laicali solum pendent, non autem circa ea, quæ juri divino, vel bonis moribus naturalibus adversentur, & tamen contrarium est absque dubio receptum ex deductis *disc. 52. de testam. disc. 148. de Regal. disc. 68. & 69. de fideic. & alibi frequenter*, igitur manibus palpatur ista leguleica fabula, quod dicta juris civilis prohibitio juris naturalis, ac bonorum morum naturalium fomentum habeat, quoniam si potest altera lex civilis, vel positiva laicalis animata, vel inanimata d. legi inhabilitanti dispensare, ejusque prohibitionem tollere, multo magis operativum esse debet juramentum, cui eadem lex derogare, vel dispensare non potest.

Quinimmo ista juris civilis distinctio inter naturales tantum, & spurios, ut priores in aliqua parte capaces, ac favorabiles reputet, posteriores vero secus, eosque habeat

odibiles

odibiles ex Jure Canonico, & Conciliari novissimo potius
21 correcta dicenda est, adeout res in oppositum se habeat, cum ille concubinatus in schemate, & figura matrimonii, quem lex civilis desiderat, vel præsupponit pro uno ex requisitis naturalium tantum, sit hodie per sacros Canones, & per Concil. Trid. etiam in Terriis Imperii, & Foro laicali damnabilis, & punibilis; igitur magis odibiles censendi sunt isti filii ex concubina domi retenta in figura uxoris suscepti, quam illi qui ex meretrice, vel aliis furtivis, & amorosis amplexibus suscepti sint.

Atque in hoc dignoscitur consuetus error pragmaticorum procedendi cum antiquarum legum littera, cum qua primi Interpretes, primique Magistri processerunt, excusabiliter quidem ex rationibus ponderatis *in Opusculo Styli, ac alibi pluries*, non reflectendo ad hanc distinctionem temporum, & morum, quodque ille publicus, & continuus concubinatus, qui in illis temporibus, in quibus leges Civiles prodierunt tam ex jure scripto, quam ex altero convenientiæ, & honestatis, licitus erat, nunc illicitus, damnabilis, ac punibilis effectus fuerit.

Et quamvis etiam hodie ad effectum præsertim succedendi in iis bonis, & juribus, in quibus pater liberam non habeat dispositionem, puta in feudis, majoratibus, & fideicommissis, a quibus illegitimi exclusi non sint, desideretur,
22 illud requisitum, ut ad mulierem de tempore conceptionis aliis non pateret accessus ex relatis in locis citatis *sub tit. de fideic. & alibi*, attamen id non provenit ex dispositione juris civilis, ejusque distinctione inter naturales tantum, & spurios, sed provenit a ratione certitudinis filiationis, ne alias pater fraudem faceret vocatis ad fideicommissum, vel feudo ex persona propria, declarando in filium illum, qui proprie talis non sit, cum id concedatur in iis bonis, quorum liberam habeat administrationem, non autem in aliis, ac etiam, quia frequens praxis docet, quod inhonestæ mulieres filios ex amasiorum amplexibus suscipientes nobilibus, vel divitibus viris, qui cum eis conversationem habeant, præsertim vero senibus, suadere solent quod sint eorum filii, ac propterea quandoque pro facti qualitate etiam in bonis propriis liberæ dispositionis tractatus attendi non solent juxta casum, de quo per Rot. *dec. 663. p. 12. dec. 447. l. 2. p. 13. & in aliis*, sed ubi hæc probatio habeatur, eo modo quo pro naturali incertitudine haberi potest, de aliis juris civilis requisitis non curatur.

Ac propterea in matre, aliisque per maternam lineam ascendentibus, vel conjunctis pro illegitimorum intestata successione, seu jure legitimæ omnique alia capacitate non intrat hæc distinctio inter naturales tantum, & spurios, sed
23 tantum respicitur, an qualitas matris sit illustris, quæ filios legitimos habeat, sive an ex damnato, vel punibili coitu suscepti sint, unde liquet, ut prædicta distinctio, quæ respectu patris datur, aliam non habet rationem, nisi prædictam certitudinis, vel incertitudinis, ita inhabiles reputando incertos, quia filii censendi non sint, & per consequens nulla subesse videtur probabilis ratio, cur hæredi omnimodam dependentiam a patre habenti, & cui pater poterat hæreditatem non relinquere, licitum reddi debeat ejus factum paratum directe impugnare, ejusque animam gravare cum reatu, & inobservantia juramenti, eo modo, quo in illo statu ille reatus, qui resultat ab ingratitudine hæredis ex quadam moralitate, considerari potest.

Præterea, ut in hoc proposito filiorum illegitimorum advertere consuevi tam occasione facilioris probationis, & capacitatis ad succedendum in fideicommissis, quam etiam occasione taxæ dotium, vel alimentorum, intrat idem in omni materia frequentes quidem usque ad superfluiteris vitium, sed semper opportune insinuatus error procedendi cum generalitatibus, & in abstracto, non distinguendo lo-
24 corum diversos mores, cum quibus omnino verius est procedi debere, ut præsertim advertitur *d. disc. 68. & 69. de fideicomm. & alibi*. In aliquibus etenim Civitatibus, vel Regionibus, ut præsertim praxis docet in hac Civitate Januæ, de qua agitur, ac etiam in Civitate Bononiæ, de qua agitur *d. disc. 68. de fideicom.* pene nulla, vel satis modica differentia dignoscitur inter legitimos, & illegitimos, adeo ut isti inter nobiles legitimi reputentur, aliisque honorificis prærogativis potiantur, atque matrimonia Nobilium potius quam ignobilium more contrahant, publicorumque munerum, & honorum sint capaces, cujus contrarium in Urbe, & Neapoli, aliisque Civitatibus, & locis praxis docet, quod masculi illegitimi suscepti ex Nobilibus, & Magnatibus inter populares recenseantur, atque vilibus, & mechanicis artibus se addicant absque familiæ, vel parentum dedecore; fœminæ vero popularibus viris copulentur cum longe minori dote illa, quam filiabus legitimis constituere oporteat, igitur manifeste est fabula, seu verius ineptia Nostrorum cum antiquis moribus, vel cum generalitatibus procedere, cum potius reflectendum sit ad particulares cujuslibet loci, vel Regionis mores.

Applicando itaque ad rem, ex hujus Civitatis Statutis, quæ pro legibus communibus ut supra habenda sunt, in hac materia illegitimorum diversimode proceditur, quam cum terminis generalibus juris communis, dum illis ex tantis desiderari solent illæ exactæ, & concludentes probationes, de quibus *d. disc. 68. & 69. & fideic. & alibi*, ac etiam habe- 25
tur distinctio qualitatis coitus liciti, vel illiciti, seu damnati, & non damnati, & tamen per hæc Statuta *lib. 5. c. 24. fin.* neglectis hujusmodi probationibus, vel distinctionibus generaliter, ac indefinite statuitur, quod filii naturales censendi sint illi quos pater, vel mater cum juramento tales declaraverit, ex quocumque coitu procreati fuerint, intestatam quoque successionem in certis casibus eis deferendo, perinde ac si legitimi essent, igitur manifestus error est cum dictis terminis generalibus juris civilis procedere in loco, cujus leges diversimode statuant.

Id clarius comprobat ejusdem Civitatis, ac Reipublicæ 26
usus describendi in libro Nobilium cum capacitate assequendi munera etiam primaria ejusdem Reipublicæ hujusmodi illegitimos, quos pater tales declaraverit, adeout non solum de jure æque ac legitimi publica munera assequantur, sed etiam de facto Nobilium tractatus pariformiter habeant, quod regulis juris communis adversatur, cum illis attentis, illegitimi inter ignobiles quinimmo indignos, & infames reputari videantur, ex relatis per Merlin. *de legit. lib. 1. tit. 2. qu. 13. n. 22. & seqq.* Lucidor. *de illeg. c. 13. n. 3. & seqq. & habetur disc. 61. n. 4. & 5. de testam. & alibi*.

Ac propterea hujusmodi scriptis, vel non scriptis legibus Civitatis non recognoscentis Superiorem, atque habentis potestatem derogandi legibus, & legitimandi illegitimos, ita quædam implicita legitimatio si non generalis ad effectum successionis, saltim ad istum, & similes effectus, resultare videtur.

Alius quoque effectus ex hujusmodi legibus, & moribus 27
resultante, quod cum receptum sit ut alimenta, vel respective dotes, quæ filiis illegitimis debentur non ad limites necessitatis naturalis, sed ad illos congruentiæ, & honestatis pro qualitate natalium, ac dignitatis, & divitiarum patris, ac pro moribus Regionis debeantur, ex deductis *disc. 142. & 144. & 145. de dote* & apud Merlin. *dec. 671. aliter dec. 30. p. 7. recent.* & sæpius, ita non uniformis ubique alimentorum taxa fieri debet, sed diversimode, ac proportionata statui decenti, in quo alimentandus vivere debet, & per consequens cum in hac Civitate iste filius illegitimus viri ditissimi, & antiquæ nobilitatis, figuram Nobilis qualificati facere debeat, stante quod ob affluentiam pecuniæ in hac Civitate fructus stabilium, aliorumque investimentorum est nimium exiguus, & summa in donatione contenta non videtur excessiva non solum pro ipso filio, sed etiam pro ejus prole, & posteritate.

Ponderabam quoque nimium fore advertendam qualita- 28
tem mulieris, ex qua ille filius extra matrimonii fœdus fuerat susceptus, quod scilicet esset alias honesta vidua, & nobilis, ita enim vir injuriam intulisse dicitur non solum ipsi mulieri ob sexus fragilitatem facilis seductionis, sed etiam ejus familiæ, & parentelæ, ideoque probabile est, quod ita exonerare voluerit ejus conscientiam, dictamque injuriam redimere, seu compensare, ita bene providendo filium ex isto concubitu susceptum, ut legitimi decentem figuram facere posset, ac propterea impugnatio hæredis manifestam redoleret ingratitudinem, gravando animam patris, qui cum eo adeo magnam exercuit benevolentiam, & liberalitatem, dum excepta legitima, reliquum cuilibet extraneo relinquere poterat, potissime, quia habita proportione essis relicti unico filio legitimo, adeout pene decimam ejus partem ista summa donata constitueret, dici non poterat, quod indirecte, & excessive cum illegitimo dispositum fuerit in odium, & perniciem filii legitimi juxta casum, de quo *disc. 74. de testam.* cum ibi notatis, cumulando etiam cum his motivis, & ad eorum majorem comprobationem motivum Statuti initio insinuatum, quamvis solum, & de per se non placeret.

Ex his autem particularibus facti circumstantiis cessare 29
dicebam illam majorem dubitandi rationem, quæ cadere poterat in terminis generalibus juris communis, juramento non obstante ob dictas contrarias auctoritates, quibus pro

hujus

hujus facultatis deplorabili quidem miseria more cæcorum, qui trahuntur ad roanus, ignorantes quo vadant, & an in foveam, vel laqueos ducantur, magis quam rationibus, ac veris principiis juris deferri solet, potissima ob illam considerationem, quæ desuper circa juramenti inefficaciam haberi solet, quod sc. juramentum revalidet actum invalidum in præjudicium ipsius jurantis, qui non possit actum juratum impugnare, non autem ubi nullitas actus percutiat favorem tertii, qui non juravit juxta casum, de quo *disc.* 10. *n.* 6. *& seq. de cred.* cum aliis ad satietatem collectis ap. Capyc. Latr. *dec.* 156. *n.*25. & per Turr. *de pact. futur. success. l.* 1. *c.* 17. *n.* 20. *& lib.* 2. *c.* 24. *n.* 130. *& seqq.* & magis proxime ponderabant ea, quæ habentur ad materiam *tex. in l. hac edictali*, *C. de secund. nupt.* favore filiorum primi matrimonii super dispositis per parentem binubum ad favorem secundi conjugis, ut sc. etiam jurata dispositio non attendatur ex doctrina Bart. *in ead. l. hac edictali in fine*, *& aliorum*, quos cumulat Hodiern. *in ead. l. q.* 50. *n.* 40. *& per tot.*

Super hoc autem puncto, an sc. dicta doctrina Bart. sit vera necne, adhuc non dedit occasio particulariter disputare in his terminis *l. hac edictali*, quando donatio sit explicita, quoniam ubi sit implicita, & tacita ad fraudandam legis prohibitionem, tunc juramenti inefficacia non oritur ex ratione præjudicii tertii, sed ex ratione fraudis, cujus juramentum non debet esse fomentum, juxta plene firmata in terminis confessatæ dotis, *dec.* 22. *&* 23. post Salgad. *in labyrin. cum concord. disc.* 159. *de dote*, *n.* 30. *& seq.* illosque terminos fraudis, & implicitæ donationis percutiunt deducta per Hodier. *d. q.* 50. Sed quando dicta doctrina veniat admittenda, adhuc tamen diversa est ratio, ideoque dubitari potest de applicatione, quoniam in eo casu id, quod aufertur conjugi binubo, pernecesse debet esse filiorum primi matrimonii, ut ita singulorum sit æqualis conditio cum secundo conjuge ex deductis *disc.* 130. *cum duob. seq. eod. tit. de dote*, & alibi pluries, unde quod donatario aufertur, cedit ad commodum filiorum primi matrimonii, ac propterea dicitur adesse directum interesse tertii, quod a juramento non ligatur, at in isto casu pater, qui prohibetur disponere cum filiis illegitimis, obligationem non habet ultra legitimam aliud filiis legitimis relinquere, unde si relinquat, obtinent illud plus tanquam extranei hæredes repræsentantes personam defuncti jurantis, cujus factum impugnare non possunt, quoniam licet juramentum non afficiat hæredes quoad reatum perjurii, & obligationem propriæ animæ, attamen afficit quoad effectus ex illo resultantes intra vires hæreditarias, ac propterea termini videntur diversi.

FOROLIVIEN. DONATIONIS PRO JUNIPERA DE NUMAIS, CUM FRATRIBUS DE PONTIROLIS.

Casus varie decisus per Rotam.

De quæstione possessorii inter donatarium, & hæredem donatoris, quis obtinere debeat pendente lite super donationis validitate. Et de materia simulationis donationis, vel ejus resolutionis ob non implementum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De stylo cognoscendi de negotio principali in quæstionibus summariis petitoriis, vel executivis.*
4 *De punctis causæ.*
5 *De Statuto continuativo possessionis defuncti in hæredem, & num. 9.*
6 *Donatario habenti constitutam competit manutentio.*
7 *Clausula accessoria corruunt, corruente instrumento principali, quod declaratur.*
8 *Quando exceptio invaliditatis, vel resolutionis admittatur in judicio executivo, vel possessorio.*
9 *De eodem Statuto continuativo, de quo n. 5.*
10 *Quales debeant esse partes boni Judicis, vel Consulentis.*
11 *An detur donatio inter vivos ad libitum revocabilis?*
12 *De simulationis conjectura deducta ex continuatione donatoris in possessione.*
13 *Quomodo in hac materia simulationis deductæ ex conjecturis sit procedendum.*
14 *De deficiente causa simulandi.*
15 *De resolutione donationis ob non implementum.*
16 *De eodem, & quid sit peculiare in hac materia, & quando*
17 *De insinuationis defectu.*
18 *De jure accrescendi inter donatarios.*

DISC. LXIII.

FAbritius Pontirolus in Civitate Forolivii ejus patriæ, 1
totaque illa Provincia Advocatus magni nominis, & æstimationis, juxta non infrequens, nimium vero damnabile Causidicorum vitium, captandi a mulieribus, aliisque fragilis naturæ personis, ad eorum patrocinium recurrentibus, sub pallio protectionis, & defensionis, eorum bona titulo donationis, vel pacti quotæ litis, donationem reportavit a quadam Angela Piozoncheria, seu Moniali domus de ejus bonis, super quibus aliquas patiebatur lites, sub onere eidem donatrici ad vitam suppeditandi pro alimentis annua scuta quinquaginta, omnesque motas, & movendas lites sua cura, & sumptu sustinendi, deindeque ipsa eadem bona, ut supra donata, aliaque propria mobilia, & bibliothecam donavit Catherinæ sorori, quam penes se in eodem cælibatu viventem retinebat donationis titulo inter vivos, cum facultate tamen illam revocandi ad ejus libitum, & cum pacto resolutivo ad ipsius, vel ejus hæredis favorem post mortem donatariæ, eodem injuncto onere, quod ipsa susceperat, suppeditandi sc. dictæ Angelæ annua scuta quinquaginta, & sustinendi lites; sed revocata ista donatione aliam cum eisdem legibus idem Fabritius fecit duabus infantibus ejus ex germana sorore neptibus, cum clausula constituti, ipso tamen donatore donec vixit, continuante in possessione, & administratione, & perceptione fructuum, solvendo dictam præstationem Angelæ, atque lites sustinendo, aliquas tamen locationes, & pensionum exactiones asserendo facere administratorio nomine dictarum puellarum.

Sequuta vero ejusdem Fabritii improvisa morte ab intestato, juxta pariter frequens, peneque commune Litteratorum, ac præsertim Causidicorum vitium, nullatenus vacandi propriis, ut alienis vacent negotiis, ac propterea ad formam Statuti exclusa sorore, hæredes habuit nimium invisos peneque apertos inimicos fratres, a quibus animo, & corpore sejunctus vivebat, hinc Joseph de Numais puellarum pater, tanquam earum legitimus administrator, absque præjudicio jam obtentæ possessionis, ad ubteriorem cautelam novum fecit actum apprehensionis possessionis actualis, quam postmodum ad dies de facto apprehenderunt, & occuparunt præfati hæredes majoris potentiæ, quare orta desuper lite, introductaque occasione cujusdam incidentis causa in Curia cor. A. C. post aliquas disputationes decreta fuit manutentio puellis donatariis, quarum una in hoc statu obiit,
commissaque per Signaturam causa in Rota *cor. Tajs*, cum 2
clausula translativa exequutionis, in hoc judicio adjici solita, quando aliqua cadat turbiditas, *cum facultate scilicet manutenendi quem de jure*, datoque dubio an, & cui dandum esset mandatum de manutenendo? *sub die* 13. *Junii* 1672. ad favorem hæredum prodiit resolutio, a qua tamen in repropositione causæ recessum fuit *sub die* 17. *Junii* 1673. concedendo manutentionem puellæ donatariæ superstiti, ob mortem interim sequutam alterius, quare prodita decisione, hæredes obtinuerunt cum disputatione formalis dubii sibi concedi remissoriam pro simulationis probatione, atque in hoc statu quod sciam causa pendet, nisi concordia illi finem dederit.

In multis itaque disputationibus habitis, tam cor. A. C. 3
quam in Rota etiam super bono jure, & in negotio principali, quamvis de judicio possessorii principaliter ageretur, juxta pluries enunciatum commendabilem quidem Curiæ stylum, & præsertim *disc.* 44. *de Judic. & disc.* 31. *&* 32. *in relatione Curiæ* etiam in possessoriis, & exequutivis judiciis, incidenter tamen, & pro usu agendi de meritis negotii principalis, plures fuerunt puncti, primo nempe in puro possessorio, cui sc. contendentium pendente lite super dona-
tionis validitate, vel invaliditate competeret manutentio, 4
secundo super simulatione, de qua donatoris hæredes objiciebant, tertio super ejusdem donationis resolutione ob non impletas a donatariis conditiones solvendi Angelæ annua scuta quinquaginta, & sustinendi lites, & quarto demum super defecta portione unius ex puellis donatariis lite pendente defunctæ, an sc. in ea factus esset locus pacto resolutivo, vel reversivo ad favorem hæredum donatoris, vel potius accrevisset sorori condonatariæ.

Quatenus pertinet ad primum punctum nudi possessorii, Scribentes pro hæredibus donatoris, cum quorum sensu processum fuit in prima Rotæ resolutione, distinguendo possessiones, quibus donatariæ nitebantur, veram sc. & naturalem

turalam apprehensam post mortem donatoris, & fictam, seu civilem resultantem a clausula constituti adjecta in donatione, dicebant neutra suffragari, non quidem primam stante hujus Civitatis Statuto continuativo possessionis defun-
5 cti in hæredem ipso jure absque aliquo facti ministerio cum effrænato decreto annullativo cujuscumqua intermediæ possessionis per alium captæ, quo decreto sic stante, non intrat illa interversio hujus civilissimæ possessionis statutariæ, quæ alias cessante hujusmodi decreto annullativo intrare solet, & per consequens illa remanet apta pro interdicto possessorio retinendæ, ut hæredi potius quam interversori dari debeat manutentio aa deductis ad hanc materiam civilissimæ possessionis resultantis a Statuto continuativo, *sub d. tit. de judic. disc.* 44. & in specie hujus Statuti Forolivienlis habetur mentio *sub tit. de servit. disc.* 48.

6 Quo vero ad alteram speciem civilis, val fictæ possessionis resultantis a constituti clausula, non negabant conclusionem hodie in Curia passim receptam, & incontrovetubilem, ut per istam clausulam transferatur in constitutatium vera possessio, quæ sufficiat ad manutentionem donatario præstandam, pendente discussione validitatis, vel invaliditatis donationis juata *singul.* 156. Annæ, Bich. *decis.* 403. 417. & 426. Dunozet. *dec.* 951. & 954. & *sæpius*, dicebant tamen istam asse operationem constituti adjacti in actu valido, & præexistenti, non autem invalido, vel resoluto, ex aa ratione quod accessorium regu-
7 latur a suo principali, sine quo esse non potest in statu operativo, ideoque principali corruente, accessorium corruere necessa ast *ex deduct. sub tit. de judic. disc.* 44. *sub n.* 54. & 88. & per consequens inferebant, quod cum ipsa donatio essat ab initio invalida, sive nunquam aatiterit, vel si quandoque fuerit in statu validitatis, esset resoluta ob non implementum, hinc da consequenti clausulæ in aa adjectæ quantumvis ampiæ, & efficaces nullam facere poserunt operationem.

Admittebam Ego scribens pro donatariia, e converso veritatem hujus conclusionis in abstracto, sive in suo casu, negabam tamen applicationem, ad quam, ut toties insinuatum ast, pene omnia in hujusmodi forensibus quæstionibus reducuntur, quoniam id recte procedit quando infectio, val inefficacia actus principalis sit carta, & incontinenti probata, utpote oriens aa ventre, & inspectione ajusdem scripturæ absqua necessitate altesius extrinsecæ probationis, puta quia ob aliquas solamnitates non servatas, per Statutum adimatur fides scripturæ, per quod ipse actus declaretur dolo, & metu extortus, vel ipso jure irritus, aut quod ipsum instrumentum, in quo claasulæ continentur, non habeat ejus formam probantem, cum similibus. Secus autem ubi actus aa sui facie sit validus, & perfectus, adeout prætensa invaliditas, vel imperfectio, aut resolutio deducatur a probationibus aatrinsecis, vel quod alias sit dubia, & altioris indaginis, adeo-
8 ut intentio donatarii sit jam fundata in ipso donationis instrumento, suam debitam formam in omnibus habente, donator autem, vel ejus hæres actum impugnet per axceptiones, quæ exigant probationem eatrinsacam, ae discussionem, quoniam tunc intrat propositio, quod actio clara, & exceptio turbida, & per consequens clausulæ suam facient operationem, juata aa quæ generaliter quotidie habemus in clausulis, & pactis eaecutivis aa relatis *sub tit. de judic. disc.* 42. & 43. atque patat ex eisdem supra allegatis auctoritatibus, & passim, cum sit distinctio vera, & recepta.

Nos autem versabamur in hac secunda parte, quoniam instrumentum habebat ex sui facia formam probantem, ipsaqua donatio recepta erat juxta eam formam, quæ de jure communi, vel municipali requirebatur, solumque objiciebatur defectus insinuationis, ut infra, axceptiones autem simulationis, & resolutionis arant aatrinsecæ resultantes aliunde quam ea ipsius actus facia, seu ventre.

9 Atque hinc pendere quoque dicabam de consequenti punctum operationis civilissimæ possessionis resultantis a Statuto continuativo, ut supra, quoniam illud operativum ast in illis bonis, quæ defunctus tanquam sua possidebat de tempore mortis, ita occurrendo illis occupationibus bonorum, quæ fieri solent per prætensores illo intermedio tempore, in quo hæreditas vacet, nullumque habeat possessorem, quem ita Statutum fingit, vel supplet, ideoque possassionem ab alio captam merito inficit, utpote turbativam, & spoliativam alterius possessoris, secus autem ubi per constitutum, vel per reservationem ususfructus, aut per veram, & naturalem traditionem, sive alias defunctus in vita desierit essa possessor, adeout donatarius, in quem ista possessio translata sit atiam donatore vivente, veniat de jure manutenendus, quoniam tunc Statutum continuativum absque dubio non intrat, cum non possit plus operari fictio, quam veritas, neque hæres, qui defunctum ficte repræsentat, habere valeat majus jus quam haberet ipse defunctus si viveret, ut in specie advertitur ap. Amat. *resol.* 39. Et per consequens utrumque motivum in hoc possessorio dependentiam habebat ab ipso negotio principali, cujus incidens cognitio pro gustu merito opportuna est, ut dignoscatur, an aaceptio sit clara, & incontinenti probata, vel a converso turbida, & altioris indaginis.

Atque hinc (ut præmissum est) edocemur quam avidens 10
sit error illorum, qui cum regulis, & propositionibus juris in abstracto procedunt, cum revera totum pendeat ab applicatione, & circumstantiis facti, ideoque Judex, vel Consulens sit quantum velit doctus, atque (adhibendo verba Bartoli) *sis valens homo in jure*, si careat adæquato judicio reflectendi ad circumstantias facti, ut huic congrue legam applicet, ejus magna doctrina idem est ac nihil.

Quare assumendo ad eundem effectum inspectionem dictarum exceptionum respicientium negotium principale, quatenus pertinet ad primam simulationis, tam Scribentes pro hæredibus, quam alii pro hac parte donatarii, pene volumina conficiebant, illi nempe colligendo conjecturas præsertim ob reservatam liberam facultatem revocandi contra naturam donationis inter vivos, ac etiam ob continuatio- 11
nem donatoris in possessione bonorum, & in perceptione fructuum, & in quibus duobus argumentis consistebat potissima simulationis pronatio, pluraque alia magis vaga, & remota cumulando, & isti, cum quibus Ego quoque procedebam, dicebant quod argumenta non concluderent, præsertim illud facultatis revocandi, quoniam licet ista species donationis de sui natura sit irrevocabilis, nulla tamen in jure dignoscitur implicantia, quin fieri possit revocabilis, dum etiam magis irrevocabilis contractus onerosus, & correspectivus emptionis, & venditionis, vel similis fieri potest revocabilis cum reservationa juris redimendi; implicantia etenim considerari solet ex auctoritate juris civilis in casu converso donationis causa mortis, ne fieri valeat irrevocabilis ob prohibitionem faciendi ultimas voluntates irrevocabiles, ac propterea quando pactum irrevocabilitatis ratione juramenti, seu alias sit validum, & efficax, volunt nostrà quod corrumpatur natura donationis causa mortis, atque transeat in illam inter vivos, ex deductis ap. Merlin. *dec.* 665. *repetit. dec.* 9. *p.* 7. *rec.* & in aliis pluries, dum cessante ipsa ratione nulla dignoscitur implicantia.

Quinimmo observabam quod ista reservatio facultatis revocandi esset potius exclusiva prætensæ simulationis, atque probaret quod donator in animo habuerit faciendi actum verum, & perfectum, quatenus ipse non revocaret, dum actus simulatus ista reservatione non indigebat, vel saltim dicebam negari non posse, quin ex his illud argumentum remaneret æquivocum, & non bene concludens.

Magis autem æquivocum, ac leve remanebat alterum ar- 12
gumentum desumptum a continuationa donatoris in possassione, & administratione bonorum, & in perceptione fructuum, ac etiam in ea circumstantia, in qua Scribentes in contrarium magnam vim constituebant, prohibendi sc. Josepho patri donatariarum ne in prædiis, ac bonis donatis se ingereret ob circumstantias facti, quoniam cum donatariæ essent puellæ in infantili ætata constitutæ non aptæ ad administrandum bona, earum vero pater, quamvis nobilis, attamen de fortunæ bonis parum provisus erat, ideoqua non aptus ad decenter collocandas filias ad mensuram suæ nobilitatis, atque forsan esset apud donatorem in modica existimatione œconomiæ, ipsius autem donatoris interesset eas ad nubilem ætatem perventas decenter collocari utpote neptes ea sorore omnium magis dilectas ob apertam dissensionem cum fratribus, hinc prudenter ipse assumpsit hoc munus legitimi administratoris ceptum, ut de facto quandoque hunc titulum explicavit, faciendo aliquas locationes, & exactiones pensionum, quamvis non in omnibus, cum aliqui actus sufficiant ad probationem hujus animi verisimilis, vel saltim sufficiens ad reddendam istam conjecturam æquivocam, & non concludentem.

Præterea advertebam, scribendo in ista causa, idem quod 13
frequenter in pletisque aliis cadentibus sub hac inspectiona simulationis dicere consuevi, erroneum scil. asse procedere cum generalitatibus, aut doctrinarum, & conclusionum cumulos facere, cum revera sit quæstio nudi facti decidenda ex istius circumstantiis, præsertim vero, & principaliter ex illa, quæ est omnium aliarum mater, & regulatria,

latriæ, causæ scilicet simulandi, non quod causæ interventus sit præcise necessarius ad simulationis inclusionem, vel respective defectus sit necessarius ad illius exclusionem, ut aliqui male opinantur, quoniam possunt simul stare, ut desit causa probabilis simulandi, & tamen actus sit simulatus, & e converso quod illa adsit, & tamen actus sit verus, sed ad affectum facilioris, vel difficilioris probationis; ubi etenim adest causa, tunc conjecturæ, & præsumptiones quamvis leves sufficere solent, & e converso quando deest, desiderantur probationes concludentes, vel conjecturæ nimium efficaces, & fortes, ex relatis apud Buratt. & add. dec. 99. add. ad Gregor. dec. 157.

Et nihilominus sive uno, sive altero casu adhuc erroneum est cum generalitatibus procedere, quoniam totum pendet ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus, juxta genericam omnium conjecturalium naturam, in uno casu aliquæ conjecturæ sufficiant, in altero autem eædem, & majores non, quia sic unius, ac alterius qualitas exigat, ideoque est materia incapax regulæ certæ, & generalis.

Applicando autem ad rem, nulla dignoscebatur probabilis causa simulandi, dum donator non erat criminosus, ut cadere posset simulatio ad fraudandum Fiscum, minusque 14 pressus ære alieno ad fraudandum creditores, neque donatariæ aliqua potiebantur immunitate a collectis, & publicis oneribus, ut istorum fraudi actus referri posset, minusque alia similis causa considerari poterat, quamvis etenim allegaretur causa litium, quibus bona ut supra in ipsum donatorem obventa subjacebant, quasi quod esset alienatio judicii mutandi causa facta, attamen id nullum habebat fundamentum ex pluribus, primo quia lites non erant in eo statu, ut opus esset recurrere ad hanc fraudem, & secundo quia istæ puellæ donatariæ utpote habentes patrem, nullo potiebantur privilegio, illo præsertim electionis, seu variationis Fori ad terminos textus in l. unic. Cod. quand. Imper. &c. ob quod hujusmodi simulationes committi solent, minusque dici poterant personæ potentiores, cum incomparabiliter longe potentior esset donator, & tertio quia donatio restricta non erat ad hæc bona suspecta ob lites, quibus subjacebant, sed etiam mobilia, & bibliothecam continebat, ut supponebatur majoris valoris, & in quibus nulla cadebat suspicio, dum donator erat in statu tali, quod nullam haberet occasionem timendi Fiscum, vel creditores; e converso autem veritati assistebat superius recensita nimium verisimilis, & justa causa, & per consequens istud primum objectum simulationis etiam in sensu veritatis videbatur quod probabili careret fundamento.

Idem quoque dicebam de altero resolutionis ob non adimpleta onera, vel conditiones, tum ex distinctione, de qua 15 sub tit. de fideic. disc. 154. & tit. de testam. disc. 73. & quæ in terminis donationis canonizatur etiam per Rotam in Perusina rescissionis donationis 1673. coram Calataju, inter implementum scilicet a parte antea, & per viam conditionis ad effectum acquirendi, & alterum a parte postea per viam modi ad effectum pœnalis contraventionis inducentis privationem ejus quod jam quæsitum sit, ut isto posteriori casu requiratur dolus, vel culpa positiva non desiderata in priori ut ibi latius deductis.

Tum clarius ex facto, cujus motiva semper solidiora sunt quam illa juris, quoniam cum onera injuncta correspectiva essent fructibus, & emolumentis bonorum per dictam Angelam donatorum, & ex quibus illa adimplenda essent, utique cum iidem hæredes objicerent ad effectum probandi simulationem, quod, ut supra, donator continuaverat in possessione bonorum, & perceptione fructuum, manifestam contradictionem continebat hæc objectio, tum quia donator, cui implendum erat, habebat in manibus id ex quo fieri debebat implementum, tum etiam quia aut idem donator illicite egerat, percipiendo istos fructus non suos, & sine dubio non poterat ad proprium commodum objicere innocenti offensæ, & injuriato proprium delictum, propriamque culpam, cum potius in eventum, in quem dicta Angela prima donatrix ob non implementum conditionum in ea donatione contentarum intentasset illius resolutionem, istæ puellæ habuissent actionem contra donatorem ad quanti interest, multo igitur magis excipiendo.

Et quamvis circa dictam distinctionem inter modum, & conditionem notabilis dignoscatur differentia inter dispositio-16 nem per ultimam voluntatem, vel per donationem, aut alium actum inter vivos ex deductis eodem disc. 73. de testam. & disc. 154. de fideic. ac etiam supra hoc tit. disc. 9. & alibi, cum longe facilior sit resolutio in posteriori casu, attamen id procedit quando urgeat æquitas, vel ratio verisimiliter deficientis voluntatis donatoris alias non donandi nisi prompte & exacte sequatur illud implementum, ob quod principaliter donatio facta sit juxta casum, de quo in sæpius enunciatis decisionibus Rotæ in Mediolanen. donationis 10. Junii 1645. 16. Maji, & 17. Decembris 1646. coram Ghislerio, cum aliis d. disc. 9. quod scilicet donator ejus bona donaverit, ut tutus reddatur de alimentis, aliisque necessariis a donatore in singula tempora conventa suppeditandis, quoniam hæc non patiuntur dilationem, neque justum est, ut donator iis careat, donatario autem remaneant hæc subterfugia deficientis doli, vel malitiæ, sive alterius excusationis, aut purgationis moræ, & consequenter resolutioni favore benefactoris assistunt tam æquitas, quam verisimiliter deficiens voluntas alias donandi, atque in his terminis, illaque ratione urgente recte intrat rigor, seu discretio inter actus inter vivos, & illos per ultimam voluntatem: secus autem ubi de aliis agatur implementis non habentibus hanc rationem celeritatis, & exactæ punctualitatis, adeout non intret dicta æquitas, vel ratio verisimiliter deficientis voluntatis, & sic ista oppositio fieri potuisset per primam donatricem, in qua præmissæ considerationes intrabant, non autem per istum donatorem, multo vero minus eo acquiescente donec vixit, nullumque damnum, vel injuriam patiente per ejus hæredes contra, vel præter ejus verisimilem voluntatem, atque cum hac distinctione, vel reflexione intelligenda venit præfata distinctio tradi solita inter actus inter vivos, & illos per ultimam voluntatem regulando scilicet ejus applicationem a præfata ratione, cui innititur, & quatenus illa intret, non autem procedendo cum generalitatibus, vel cum auctoritatibus in sola littera, & in abstracto absque hoc discursu, vel ratiocinio juxta communem vitium modernorum.

Objiciebatur de defectu insinuationis, in quo aliqui ex Scribentibus in contrarium enixe, ac magis insistebant, sed erat revera omnis leve objectum, præsertim ad effectum, de 17 quo agebatur, & in hoc judicio possessorio, siquidem de insinuatione requisita a dispositione juris communis, hodie nunquam, vel nimium raro agi contingit ratione juramenti, quod tollit hunc defectum provenientem a dispositione juris civilis, & advertitur supra disc. 50. & in aliis, a propterea restringebatur difficultas ad insinuationem requisitam a Statuto loci sub decreto annullativo, sed triplex cadebat responsio, primo nempe, quia hoc Statutum loquitur de mere lucrativis, & irrevocabilibus donationibus, quorum utrumque cessabat in hac specie, dum agebatur de donatione onerosa, & ad libitum donatoris revocabili, ideoque dupliciter cessabat necessitas insinuationis ex deductis d. disc. 50. & in aliis, secundo, quia dubitari poterat, an Statutum comprehenderet actus juratos saltem in ratione potestatis juxta distinctiones, de quibus sub tit. de dote, disc. 143. & pluries sub tit. de alienat. & contract. prohibit. ac etiam supra d. disc. 50. & alibi, ideoque ista dubietas sufficiens erat, ut interim donatariæ essent manutenendæ, ut supra.

Et tertio, quoniam insinuatio non est actus, qui pernecesse adhiberi debeat in ipso instanti, & propterea de eo constare debeat ex eodem Instrumento, cum sit actus separatus, qui fit ex intervallo, ideoque obstare non potest in possessorio ob possibilem justificationem in petitorio præsertim in possessore, qui supponendus est saltem in substantia, quamvis non in ordine reus, ob veram, & receptam distinctionem, de qua eodem disc. 50. & alibi pluries, quod scilicet, aut donatarius est actor, qui agendo petat executionem donationis, & tunc docere debet de illa valida, & perfecta, aut est reus, & possessor, cui objiciatur defectus insinuationis per viam objecti, & tunc secus.

In progressu item causæ, ob superventam mortem unius ex istis puellis objiciebatur per hæredes, quod in omnem 18 eventum altera puella superstes prætendere non poterat manutentionem nisi pro medietate ob pactum reversivum; replicabatur autem ex hac parte de jure accrescendi, quod deducebatur ex aliquibus verbis denotantibus conjunctionem, ac etiam ob individuitatem onerum, ex deductis per Bellon. junior. de jure accresc. c. 6. q. 32. n. 38. & seq. Magis vero quia pactum resolutivum non legebatur explicite in hac donatione, sed illud continebatur in prima donatione facta sorori, prætendebatur autem implicite repetitum in hac secunda ex eo quod dictum esset illam fieri cum omnibus legibus, pactis, & conditionibus contentis in prima, ac etiam quia probabiliter dubitari poterat, an istud pactum esset personale favore donatoris tantum quatenus esset superstes. De his autem formiter actum non fuit, ideoque

desuper maturum judicium efformari non potuit, dicebam tamen sufficere, quod id esset dubium ad hunc effectum possessorii, potissime quia istud pactum reversivum est species substitutionis, & fideicommissi capiendi de manu hæredis defuncti gravati.

TUSCULANA PROMISSIONIS, PRO VINCENTIO SEGNIO, CUM N.

Discursus pro veritate.

De eadem materia, de qua supra disc. 8. An scilicet donatio, vel alia promissio facta per Patrem filio contemplatione certi matrimonii, de ejus hereditate in toto, vel in parte post ipsius mortem caducetur, vel resolvatur per prædecessum ipsius donatarii, vel potius transmittatur ad ipsius prædefuncti hæredes, & incidenter de lucro statutario?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De lucro dotali ad formam statuti Urbis.*
3 *De jocalibus, & vestibus pretiosis.*
4 *De modo examinandi, & decidendi quæstiones forenses.*
5 *De diversitatibus inter istum casum, & illum, de quo* disc. 8. *& præsertim de materia pacti futuræ successionis.*
6 *De qualitate personarum, locorum, & bonorum in hoc proposito consideranda.*
7 *De errore modernorum circa auctoritates.*
8 *De consideratione æquitatis, ac verisimilitudinis.*
9 *Improbatur accepiatio, & usus juris novissimi in materia successionis.*
10 *De aliis ponderationibus, & consilium super concordia, & de ratione.*
11 *Alterum consilium super declaratione, & revocatione.*
12 *An Advocati possint promovere motiva, quæ eis videantur minus vera?*
13 *De materia* text. in l. si infanti, Cod. de bon. quæ liber. & l. quod scitis, C. de bon. quæ lib.
14 *Quando adhærendum sit opinioni minus communi, & non curanda magis communis.*
15 *Donatoris, vel alterius disponentis declarationi quando deferatur.*

D I S C. LXIV.

1 IN instrumento dotali pro matrimonio concluso inter Stephanum Segnium Tusculanæ Civitatis, & Mariam Cæciliam Sobrinam de Castro Cinthiani cum dote scutorum bis mille, & bis centum, Vincentius sponsi pater, ultra obligationem super conservatione, & restitutione dotis, & lucri, promisit quod sponsus obtinebit integram medietatem omnium ejus bonorum præsentium, & futurorum æqualiter cum altero filio, sibi reservatis solis scutis mille ad effectum testandi ad causas pias, atque Notarius in hoc instrumento adjecit clausulas *ex nunc &c. dans, transferens, constituens &c.* & alias similes. Cum autem casus præbuerit intra annum circiter dissolutionem matrimonii per mortem sponsi, superstite unica infantula, quæ ad dies, vel menses quoque obiit, ideoque Nurus, discendendo e domo Soceri redierit ad illam patris, atque se jactaret ad ipsam spectare dictam medietatem hæreditatis, necnon sibi deberi lucrum in quarta parte dotis ad formam Statuti Urbis, hinc ex parte Vincentii, de tribus pro veritate consultus fui, primo nempe, an vigore dictæ promissionis iste mulier tanquam hæres infantulæ filiæ hæredis sponsi, haberet jactatum jus ad dictam medietatem ejus bonorum in tabulis dotalibus promissam, secundo an prætendere posset lucrum statuarium etiam in proprietate, & tertio quid de gemmis, & vestibus nuptialibus.

Super secundo, & tertio quæsitis, facilis, ac plana fuit responsio, ad requirentis favorem; cum etenim vir nul-
2 lum haberet peculium adventitium, ac propterea pater de proprio lucrum dotale tanquam legalis, & conventionalis fidejussor illud soluturus esset, atque ex matrimonio fuerit superstes dicta filia, ideoque in solo usufructu mulier illud fecerit, idcirco de plano intrare dicebam eadem, quæ habentur *sub tit. de Dote, disc.* 50. *&* 145. *nu.* 104. & magis ex proposito *eod. tit. disc.* 205. ut proprietas spectare debeat ad illum, qui lucrum solvit de suo tanquam ab eo non abdicata.

Pront etiam planum dixi punctum pertinentiæ gemmarum, & vestium pretiosarum ad ipsum patrem, qui eas fecerat, quoties non constaret de expressa donatione se- 3
rio conventa, non autem ex illis verbis urbanis, quæ adhiberi solent, quando ad sponsam transmittuntur, ex deductis apud Arguell. *decis.* 67. *&* 102.

Nodus itaque difficultatis consistebat in primo quæsito, cujus respectu respondi, quod quando, ut pro meo sensu, & stylo agendum esset, legalis facultas practicaretur in spiritu, non autem in littera, & sic attenta ratione, quæ dicitur anima legis, regulando conventiones, omnesque alias disposi-
tiones cum toties insinuata, & inculcata propositione (semper 4
tamen utiliter repetenda) ut attendere debeamus substantiam verisimilis voluntatis Partium, deducendam ex singulorum casuum circumstantiis particularibus, nempe ex qualitate personarum, ex moribus locorum, & ex communi naturali sensu, seu discursu, non autem ex formalitate verborum, & clausularum, in rigoroso sensu grammaticali, cum pro frequentiori praxi, Notarii hæc adjiciant, ea transcribendo ex formulariis, vel ex aliis instrumentis longe diversas habentibus circumstantias, quodque procedendum esset non cum solis regulis generalibus, vel aliquorum scriptorum traditionibus in sola littera, non reflectendo ad eorum fundamenta, & rationes, neque reflectendo, an facto adaptentur necne, sed cum debito modo discursivo juxta monita, de quibus *sub tit. de Judic. disc.* 35. & alibi, & tunc favore promittentis pro dictæ promissionis caducatione, vel resolusione probabilius respondendum esse Mihi videretur ex iisdem fundamentis, & ponderationibus, de quibus supra, *disc.* 8. quæ superfluum est repetere utpote ibi de facili videnda, quamvis in hoc responso deducta.

Quinimmo in hac facti specie advertebam versari in terminis longe clarioribus ad favorem patris pro caducatione,
vel resolutione, seu revocabilitate dictæ promissionis ob 5
plures circumstantias diversificantes, primo nempe quoniam in eo casu promissio non erat de hæreditate in toto, vel in quota, sed in certis bonis, sive in certo annuo reditu, ut ex illius casus serie patet; in præsenti autem agebatur de quota hæreditatis, ideoque intrat major dubitandi ratio super ejus invaliditate, vel facultate revocandi juxta decisiones, & auctoritates relatas *eod. disc.* 8. *n.* 6. ac etiam *sub tit. de renunciat. disc.* 16. *& sub tit. de fideicomm. disc.* 141.

Quamvis etenim, ubi præsertim non agatur de tota hæreditate, adeout non intret ratio ademptæ facultatis testandi, atque accedant juramentum, & ratio, seu occasio justa, & probabilis hujusmodi conventionis, loquendo ratiocinativo, seu discursivo more, probabilius videantur non subsistere ea, quæ cum subtilitatibus, vel superstitionibus juris civilis habemus super hujusmodi conventionum invaliditate, seu revocabilitate ex plene deductis *d. disc.* 141. *de fideic. & alibi*, attamen cum plerique Doctores contrarium sentiant, eorumque sensum, quandoque sequuta sit Rota, ut apud Royas *dec.* 282. *&* 317. *& in aliis*, ac etiam alia Tribunalia, idcirco id nimia consideratione dignum esse dicebam, tum ad constituendam differentiam inter illum casum, & alterum, de quo *d. disc.* 8. ut nempe facilius in isto, quam in illo pro resolutione, vel revocabilitate respondendum esset, tum etiam ob dilemma, quod, aut iste punctus tractandus est discursivo, seu ratiocinativo more, & tunc pro resolutione, tanquam ex cessante causa, vel cessante præsupposito est respondendum ex deductis *d. disc.* 8. Aut mere pragmatico more in sola fide auctoritatum, & legalium superstitionum, & tunc istæ ex hac circumstantia assisterent.

Alteram ponderabam differentiam nimium considerabilem inter unum casum, & alterum, tam ratione loci, quam ra-
tione personarum, siquidem actus, de quo *dicto disc.* 8. ini- 6
tus fuit in Civitate Parmensi, quæ Metropolitica est illius Principatus, ac residentialis Principis, cum ejus Consiliis, & Tribunalibus, ideoque abundat viris litteratis, atque agebatur de actu inito inter Nobiles ordinis magnatum, ideoque supponendum est, omnia diligenter, & mature ruminata fuisse per Consiliarios, & Sapientes utriusque partis, utpote in matrimonio primogeniti, qui destinatus erat successor feudorum, de quibus agitur *disc.* 12. *de Feud.* aliorumque considerabilium bonorum, atque interim etiam vivente patre sponsus facturus erat considerabilem figuram in Aula proprii Principis, in præsenti autem, quamvis contrahentes essent, comparatione loci, de honestioribus, ac primis Civibus, attamen tam patria viri, quam illa mulieris

literis redolent talem speciem, ut rusticanò potius more vivi videatur, absque viris litteratis, & Consiliariis, sed totum gessit de suo capite Notarius, & per consequens magis attendi debet sola substantia veritatis, & verisimilis voluntatis, ponderanda rusticano more, cum non cadat ratio, seu consideratio adaptabilis dicto alteri casui, ut ne quidem syllaba mature adjecta non fuerit, ob communem stylum in magnis, vel mediis Civitatibus, & in negotiis gravibus inter Nobiles, & Magnates, quod scilicet minutæ Instrumentorum transmittuntur per manus Advocatorum, & Sapientum utriusque Partis, atque cum nimia maturitate omnia considerantur.

7 Iste namque præ cæteris, ut pluries sub diversis materiis advertitur, & præsertim *sub tit. de fideic.* est unus ex evidentibus, nimiumque contemptibilibus erroribus modernorum Legistarum, quod scilicet addiscentes more psytacorum regulas, & conclusiones generales, vel invenientes cum improbo labore revolutionis repertoriorum aliquas doctrinas, ad litteram eas intelligunt, vel respective quibuscumque casibus generaliter applicant, non distinguendo loca, personas, bona, & tempora, aliasque circumstantias nimium diversificantes, istaque est scaturigo omnium æquivocorum, & inconvenientium, seu confusionum in hac legali facultate, adeout Legistis congruat dictum Apostoli, quod *spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus.*

8 Tertia item potissima, magisque considerabilis differentia est, quod in dicto altero casu Parmen. magna æquitas assistebat transmissariis filii prædefuncti, cum essent plures filii ex eo matrimonio procreati, cujus contemplatione promissio facta fuerat, & quod magis, ex odio forsan concepto cum Nuru earum matre, per Avum male tractati fuerant, quoniam cum essent de linea primogeniti, postpositi fuerunt in successione feudorum, aliorumque bonorum tertiogenito, ex deductis *sub tit. de feud. d. disc.* 12. ideoque non mirum si arbitrii fimbriæ in aliquo dilatatæ fuerunt, fortius cum fuerit arbitrium illius Ducis supremi Domini, qui Arbiter electus fuit.

In præsenti autem res est de directo in oppositum, quoniam non solum naturali æquitati, sed humano discursui, omnique verisimilitudini omnino repugnat, quod iste casus unquam in mente haberi potuerit, quod scilicet extranea mulier, alterum virum probabiliter ductura, deberet effici domina medietatis bonorum personæ adhuc viventis, atque habentis alium filium uxorandum filios jam habentem, aliosque procreaturum, adeout si centum rustici de hoc interrogentur, vel Judices constituantur, ne quidem unus invenietur, qui hanc exorbitantiam asserat, & tamen spreta omni ratione, quæ est anima legis, atque citra omnem verisimilem contrahentium voluntatem, nimium dubitari posse dicebam, quod ob legales formalitates, vel superstitiones contrarium esset judicandum.

9 Et quidem quo magis occasio præbet de hujusmodi, vel similibus casibus agere, eo magis accenditur bilis contra antiquorum, primorumq; Interpretum simplicitatem, sive magis contra modernorum forensium ineptiam, antiquorum excusabiles simplicitates insequentium, circa receptionem usus illius juris, quod novissimum dicitur, edici sub Justiniano, vel in aliis proximis temporibus in Græcia super modo succedendi, vel successiones transmittendi contra nostros antiquos, medios, & recentes semper continuatos Italiæ mores, ut pluries sub diversis materiis advertitur, & præsertim *sub tit. de success. ab intest.* ubi est sedes hujus materiæ.

10 Ultra istas differentias, & considerationes, ponderabam quoque in idem omnes alias, quæ habentur ponderatæ supra *eod. disc.* 8. quod scilicet nullum verbum de donatione haberetur, quodque nulla mentio hæredum facta esset, sed verba potius denotarent perfectionem actus post mortem patris per quandam assecurationem futuræ æqualis successionis, ponderando præsertim illa verba, *cum clausulis valituris post ejus mortem &c.*

Verum quia, ut præmissum est, legalis facultas ad omnimodam irrationabilitatem, atque ad speciem bestialitatis redacta videtur, attendendo in littera vim verborum, & clausularum, hinc proinde concludebam, quod quamvis ista Mihi videretur genuina veritas, attamen non audebam tutum desuper dare consilium, ideoque potius consului honestam concordiam, præstando mulieri lucrum pleno jure etiam in proprietate, quamvis revera indebitum.

11 Ubi vero consulta concordia ad effectum deduci non posset, consului ut ex tunc, etiam ante tractatum, vel comminatæ litis initium, idem Vincentius pater declarationem faceret suæ voluntatis, eo modo quo revera, juxta præmissa fuit, ut suffragari posset conclusio pluries in præcedentibus insinuata, quod posita dubietate deferendum sit ejusdem donatoris declarationi, quæ verisimilitudinis fomentum habeat.

Consului quoque, ut post factam hanc declarationem, contextualiter adjiceret ad cautelam revocationem, quam de hujusmodi donationibus, vel pactis de hæreditate viventis fieri posse, plerique volunt ut supra advertitur, quamvis etenim pro meo sensu supra insinuato, id minus probabile videatur, attamen ponderabam intrare dilemma, quod aut Judices futuri essent rationales, causam tractaturi discursivo, & ratiocinativo more, substantiam veritatis potius attendendo, & tunc opus non esset uti hoc motivo, seu remedio, cum intraret alterum solidius revocationis, vel resolutionis actus ex cessante causa, vel præsupposito ut supra, aut processuri erant tanquam irrationales, cum consueta ineptia pragmaticorum in sola littera doctrinarum, & auctoritatum, ac in generalitate regularum, & propositionum, neglecto discursu, vel ratiocinio, & tunc suffragaturum esset istud pro meo judicio minus verum motivum invaliditatis, vel irrevocabilitatis pacti, ex regula quod pactis hæreditas dari non potest, cum huic motivo, doctrinarum, & decisionum major assistentia adesse videatur, quamvis in contrarium urgeant rationes ponderatæ *d. disc.* 141. *de fideic.* ut ita negligentibus Judicibus viam bonam, & tutam, deveniatur ad justum finem, vel terminum 12 per viam deteriorem, non tamen illicitam, & peccaminosam, qualis semper illa est, quæ mendacium, & alterationem facti in se habeat juxta Advocatorum, & Consulentium monita sub diversis materiis pluries insinuata, & præsertim in relatione Curiæ, *disc.* 46. quicquid Morales, vel Casistæ nullam habentes Fori, seu hujus faculatis praxim, cum æquivocis manifestis nescientes quid dicant, contra Advocatorum, & Causidicorum conscientiam malam obloquuntur, & invehant.

Ad comprobationem item motivi resolutionis promissionis ea cessatione præsuppositi, ponderabam aliqua verba 13 personalia, ac etiam ea, quæ in consimili concursu matris, & avi paterni habentur *disc.* 15. *de success. ab intest.* quod scilicet sub quæstione est inter DD. an etiam hodie procedat dispositio text. *in l. si infanti, C. de jure deliber.* ex relatis per Fab. de Ann. *cons.* 1. Et quamvis magis communiter sit recepta opinio negativa, attamen id nimia 14 consideratione in hoc proposito dignum videtur, ut ob nimiam æquitatis assistentiam favore avi, minus communi opinioni adhærendum veniat, neglecta altera magis communi ex relatis *disc.* 35. *de Judic.*

Potissime vero, & clarius ubi non agatur de bonis aliunde, quam ab ipso avo obventis, puta a matre juxta casum, de quo apud Fab. de Ann. *d. cons.* 1. *& d. disc.* 15. *de success.* cum similibus, sed de illis, quæ ab ipso proveniant, adeout inspecta veritate naturali, ac etiam dispositione juris civilis censenda veniant profectitia, quamvis ratione juramenti, ac etiam ratione causæ habent naturam obventitiorum juxta ea quæ habentur *sub tit. de dote, disc.* 31. *& seqq. &* 154. & alibi pluries, ac propterea intrat quoque alia quæstio, de qua apud eundem Fab. de Ann. *d. cons.* 1. *& d. disc.* 15. *de success.* super theorica Bart. *in l. quod scitis, C. de bon. quæ lib.* ita simul ista combinando, ob nimiam assistentiam æquitatis, ac verisimilis voluntatis, ipsiusque naturalis discursus, quibus hujusmodi superstitiosæ formalitates legales nimium repugnant, adeout ex jam insinuatis, lex quæ principaliter est effectus rationis, ita redacta sit ad congeriem irrationabilitatum, & bestialitatum.

In idem quoque conferente Statuto Urbis 146. excludente matrem propter fratres, multo magis propter avum, qui revera sit bonorum Dominus, & possessor, eaque ab ipso proveniant.

Conferre quoque observabam conclusionem sæpius deductam *sub tit. de donat.* & alibi, ut ipsius donatarii, vel 15 promittentis declarationi deferendum sit, ubi dispositio possit esse capax interpretationis, potissime vero ob adminiculum, quod resultare observabam ex testamento per eundem patrem condito ad tres menses post dictum matrimonium, & quando ad subsequutum tristem eventum nullatenus cogitabatur, dum in eadem perseverando voluntate, filios æqualiter instituit hæredes, sed reciproco fideicommisso eos gravavit, ideoque declaravit quod per dictam promissionem in animo non habuerit agere id quod clausulæ adjectæ per Notarium ex irrationabili leguleico rigore importabant, &c.

ROMANA, SIVE &c.

Discursus pro veritate.

An secundo donatario, idest illi, qui primo donatario est substitutus, competat actio ad bona donata contra tertium, in quem primus donatarius distraxerit. Ad materiam text. *in l. quoties, Cod. de donat. quæ sub modo.*

SUMMARIUM.

1 *De Auctoribus agentibus de materia.*
2 *De casibus limitatis, in quibus cesset regula per aliquos statuta contra secundum donatarium favore tertii possessoris.*
3 *De casu quæstionis.*
4 *Quando primus donatarius alienans est conscius intrat hypotheca legalis.*
5 *Quod bene ad quosdam effectus loquuntur tenentes contra secundum donatarium, sed male faciant illationem.*
6 *Quando eorum propositiones, & rationes procedant, & de actione personali in rem scripta exercibili contra tertium.*
7 *Dantur exempla.*
8 *Quale dominium habere dicatur primus donatarius gravatus.*
9 *Quale dominium habeat concessionarius ad vitam, vel alias habens jus resolubile.*
10 *De absurdo in hoc proposito considerari solito.*
11 *Quod non detur differentia inter fideicommissa per contractum, & per ultimam voluntatem.*
12 *In quibus terminis proprie procedant notata in* l. quoties.
13 *Quod Rota Romana semper habuerit hunc sensum.*
14 *Quare non sit curandum de doctrinis, & quando.*
15 *De auctoritatibus concedentibus secunda donataria actionem contra tertium.*
16 *Quod Consulentibus non sit deferendum, & quare.*
17 *De praxi Rotæ dandi immissionem, etiam in fideicommisso per contractum.*
18 *Conclusio discursus.*

DISC. LXV.

1 QUamvis frequenter occasio dederit agere de puncto, de quo apud Giovagnon. *cons.* 34. *lib.* 2. Ger. Spin. *cons.* 53. *& seqq.* Vegg. *cons.* 51. Andreol. *contr.* 20. *n.* 8. *&* 9. *& contr.* 120. *a num.* 1. *ad* 12. Torre *de pact. futur. succ. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 40. *& seqq.* Rot. *dec.* 40. *p.* 9. *rec. repetit. dec.* 186. post Zacch. *de oblig. Camer. & dec.* 86. post Merlin. *de pign.* & insinuatur *disc.* 1. *hoc tit. in fin. & dis.* 106. *num.* 7. *de fideic.* & alibi, an scil. secundo, vel ulteriori donatario detur actio realis, vel hypothecaria ad bona donata contra tertium, in quem primus, vel alter prædecessor donatarius distraxerit.

2 Adhuc tamen defuit occasio examinandi formiter, & ex professo hunc punctum, quoniam in illis casibus, in quibus, vel scribendo ad causam, vel respondendo ad veritatem, de illo actum est, evitare pro stylo curavi difficultatem, ac necessitatem disputationis cum circumstantiis facti, vel scilicet ratione hypothecæ adjectæ per primum donatarium pro observantia donationis, juxta firmata *d. decis.* 40. *par.* 9. *recent. repetit. ut supra, & dicta decis.* 86. post Merlin. *repet.* apud Peutinger. *decis.* 178. quæ prodiit in eadem causa in alia instantia.

Vel quia potestas Principis quendam particularem operaretur effectum juxta casum, de quo *d. disc.* 106. *de fideic.* vel quia in primo donatario effectum donatione non sortiente, quia acceptare non curaverit, vel non potuerit, secundus donatarius ita effectus primus agat ad bona donata distracta per donatorem, aut quod tertius possessor, in quem alienatio facta sit, foveat causam lucrativam, quia per donationem facta sit alienatio, vel quod alias intret edictum *de his quæ in fraudem &c.* cum similibus, quibus eadem congruat ratio, juxta ea quæ habentur *disc.* 156. *de Dote, & dis.* 29. *de Regal.* & alibi.

3 Cum itaque in quodam casu, nulla ex dictis circumstantiis concurreret, quoniam tertius possessor fovebat causam onerosam, & correspectivam, in statu bonæ fidei acquirendo, atque in donationem nulla committebatur hypotheca ex parte primi donatarii, qui, donatione effectum sortita, alienationem fecerat, minusque adesset obligatio Cameralis, adeout nulla ex præmissis considerationibus intraret, ex quibus difficultatem in facti contingentia evitavi, atque his non obstantibus desuper consultus, adhuc dixerim quod pro meo sensu fabulosum videretur assumptum Giovagnon. Ger. Spin. Andreol. ac aliorum, de quibus supra; idcirco ad id probandum requisitus fui, dum fortiter in contrarium urgent præmissæ auctoritates, ac aliæ ibidem recensitæ, & præsertim illa Rotæ apud Peniam *dec.* 1033.

Observando quod nil refragari deberent *dictæ posteriores decis.* 40. *per.* 9. *&* 86. post Merlin. *de pignor. alias* 178. apud Peuting. & aliæ proditæ in eodem casu, de quo *supra discurs.* in quibus cum eis processum fuit, cum sint fundatæ in operatione obligationis Cameralis, vel in hypotheca adjecta per eundem primum donatarium pro observantia donationis, quibus, vel aliis seclusis circumstantiis, limitationem inducentibus, advertebatur nullam adesse auctoritatem, vel decisionem, quæ firmet contrarium ad favorem secundi donatarii contra emptorem, vel tertium possessorem titulo particulari ut supra.

Ad id autem probandum advertebam in primis reflectendum esse, an primus donatarius, qui bonorum donatorum alienationem fecit, esset recte conscius vinculi per donatorem sibi injuncti, restituendi post mortem, vel alium casum bona donata aliis successive vocatis, puta juxta frequentiorem contingentiam, ejus filiis, & descendentibus, quia 4
nempe sibi majori, ac præsenti, & acceptanti facta sit donatio, vel quod alias in ea ætate constitutus esset, ut ignorantiam allegare non posset, vel quod ubi etiam sibi absenti, vel infanti facta esset, adhuc tamen de ejus scientia ante alienationem constet. Tunc etenim retenta opinione, cum qua hodie in Rota, & Curia proceditur juxta *dec.* 860. Dunoz. cum aliis *relatis disc.* 36. *de cred. n.* 12. *& seqq.* cessat pariter difficultas, quoniam etiam in primo donatario, si non intrat hypotheca expressa, & conventionalis, intrat tamen legalis, quæ eundem operatur effectum, multo vero magis ac etiam sine dolo intrat ista hypotheca, ex deductis *d. disc.* 36. *de cred.*

Quatenus autem istud fundamentum in facto non assistat, vel quia non constet de mala fide alienantis, ex qua resultat dolus dictæ hypothecæ productivus, vel quia etiam illa concurrente non placeat dicta opinio, cum qua in Ro- 5
ta, & Curia Romana vivitur ex deductis *eod. disc.* 36. *& alibi*, & tunc bene dicunt Veg. Giovagnon. Ger. Spin. Andreol. & alii, quod verius in jure sit, ut secundo donatario non prosint hypotheca, & constitutum, & aliæ clausulæ adjectæ in donatione, ex parte donatoris, dum omnes istæ consumuntur, & expirant eo ipso, quod donatio sortitur effectum in primo donatario, ac etiam bene dicunt, quod nullum dominium in secundum donatarium translatum dici potest, exceptis quibusdam casibus in jure privilegiatis, quoniam de tempore alienationis illud residebat in primo, secundus autem habebat solum spem eventualem, & non contingibilem, ac propterea, ut sibi facto casu suæ vocationis alia non supperat actio nisi personalis contra primum donatarium, ut servet legem sibi a donatore præscriptam, atq; bona donata restituat.

Male autem, & cum errore manifesto in jure dicebam per eos inferri ad consequentiam, ut secundus donatarius remaneat destitutus omni remedio contra tertium possessorem bonorum, qui propterea reddatur omnino tutus, quodque alienatio valida, & firma remaneat, sive quod juxta alteram opinionem teneantur facere excussionem aliorum bonorum primi donatarii alienantis, adeout regressus ad bona alienata sit solum subsidiarius; quoniam in hoc ad evidentiam decipiuntur, atque pro modernorum Consulentium communi, & frequenti vitio æquivocant, capiendo quid pro quo.

Propositiones etenim, quas ipsi deducunt in suis casibus veræ, male autem applicatæ, illa præsertim actionis personalis non exercibilis contra tertium cum bona fide 6
foventem causam onerosam, & titulo particulari translativo dominii, procedunt in bonis propriis, ac de libero, & pleno dominio debitoris alienantis, ex deductis *d. disc.* 156. *de dote*, ac etiam *disc.* 35. *de Cred.* & admittitur *disc.* 78. *de feud. & alibi* pluries.

Secus autem in illis bonis, quæ proveniant ab alio, qui sit auctor agentis, contra tertium, adeout dominium alienantis quamvis durante ejus jure sit verum, attamen sit limitatum ad certum tempus, vel ad certum casum, quo contingente resolvatur, ac cesset, sive quod ipsis bonis certum onus infixum sit, quoniam tunc intrat dispositio, seu ratio text. *in l. lex vectigalis, ff. de pignor.* ut resoluto jure datoris, resolvatur jus 7
acceptoris; ac etiam in idem intrat alia regula *quod nemo plus juris &c.* adeout non potuerit in emptorem transferre

majus jus quam ipse haberet cum ejus vita terminandum, & expirandum.

Vel quod ex beneficio separationis bonorum, sive adinstar intret quædam actio personalis in rem scripta, & rei persequutoria, sive quoddam officium Judicis ad effectum, ut ille qui metitur suum jus a defuncto primo Domino, sit potior ejus qui illud metiatur a primo donatario, juxta plene deducta *d. disc. 78. de feud.* ubi late concordantes frustra transcribendi, ac etiam insinuatur *d. disc. 166. de dote n. 14. & alibi*, istique sunt veri, ac proprii termini illius materiæ, & per consequens veræ sunt omnes propositiones, quas allegati DD. deducunt, sed manifesta fallacia, manifestumque æquivocum est in applicatione.

7 Hinc juxta exempla deducta *d. disc. 78. de feud.* creditores defuncti quamvis chirographarii, solamque personalem habentes vincunt quoscumque ab hærede causam habentes in ejusdem defuncti bonis, atque puellæ dotandæ per masculos ex bonis paternis, vel avitis ex dispositione Statuti exclusivi, vel ex dispositione *Auth. res quæ C. commun. de legat.* in eisdem bonis vincunt quoscumque habentes causam a masculis successoribus, ex ea ratione quod Ipsæ metiuntur earum jus a defuncto primo Domino, cum similibus.

Fortius autem in isto casu, in quo non solum intrat dicta ratio separationis bonorum, sed etiam altera melior, magisque concludens, quod sc. dominium primi donatarii est restrictum ad certum tempus, vel certum casum, quo sequuto resolvitur, ac evanescit, & per consequens resolvitur etiam jus, vel dominium tertii, qui ab eo causam habeat, ut supra.

8 Nil obstante quod interim sit verus, & perfectus Dominus, quoniam idem ex veriori, magisque recepta sententia procedit in quocumque possessore fideicommissariæ hæreditatis, ut interim ejus jure durante sit verus, & perfectus Dominus, ut pluries advertitur *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum, & sub tit. de fideic.* sed est dominium resolubile, quod facto casu cessat, ideoque alienationes per eum factæ, donec suum jus durat, quoties non accedat expressa prohibitio testatoris, valent, & sunt firmæ, sed resolvuntur eodem jure cessato, eodem modo quo in feudatario, in emphyteuta, & similibus.

9 Emptor ad vitam, vel emptor cum pacto de retrovendendo, interim ad omnes effectus est verus, & perfectus Dominus ex relatis *disc. 74. & 78. de servit. & eodem titul. in Florentina retractus disc. 109. & disc. 1. de emption. & vendition. & alibi pluries*, sed non per hoc inferri potest, ut ei licitum sit alienare rem in perpetuum, adeout in casu ejus mortis, vel retrovenditionis non possit competere actio contra tertium possessorem, ex eo, quod pro restitutione nulla adjecta sit hypotheca, vel reservatio dominii, ideoque alia non competat actio nisi personalis, quæ oritur ex pacto, vel Judicis officium mercenarium, quoniam dicitur quædam actio personalis in rem scripta exercibilis ad rem etiam contra tertium.

10 Alias enim dari posset absurdum bene consideratum per Rotam *d. dec. 86.* post Merlin. *de pignor. n. 7.* alias 178. Peutinger. quod scil. omnia fideicommissa ordinata per contractum, præsertim in donationibus juxta casus a Me recensitos *disc. 25. & 55. & 137. cum plur. seqq. in tit. de fideic.* ita eludi nimium de facili possent.

11 Illa vero antiquorum simplicitas derivata ex quibusdam leguleicis scholasticis formalitatibus, quæ differentiam constituit inter fideicommissa ordinata per ultimas voluntates, & per actus inter vivos in praxi, & apud magis indoctos modernos remanet irrisione dignum, ex relatis *disc. 141. eod. tit. de fideic. dec. 429. nu. 1. p. 13. rec.* & alibi plures, cum viventium conventiones arctius ligare debeant.

12 Convincitur item ad evidentiam æquivocum dictorum modernorum Consulentium, adhibendi ad rem ea quæ notantur per DD. antiquos, & graves ad materiam tex. *in l. quoties. C. de donat. quæ sub modo*, & quorum litaniam juxta quandam vere contemptibilem modernam ineptiam facit Andreol. *d. contr. 120.* quoniam dicti termini vere, & proprie percutiunt casum diversum, quando sc. post factam donationem uni cum onere, ut bona donata ad certum tempus, vel casum restituat alteri, idem donator concorditer cum donatario, huic remittendo onus, donet, vel alienet alteri, vel consentiat, quod donatarius alienet cum subsequuta traditione, & translatione dominii, istosque terminos vere percutiunt notata ad materiam d. tex. *in l. quoties*, secus autem quando donatore defuncto, vel in priori voluntate perseverante, tertius possessor totum ejus jus metiatur a primo donatario habente jus, ac dominium limitatum, ac resolubile, postmodum jam resolutum.

13 Ideoque merito *Rota Romana* perpetuo neglexit, ac parvifecit hoc motivum semper decantatum, sed rejectum ut infra, atque in casu *dec. 1033. Penia*, ultra particulares circumstantias in eo casu concurrentes, reflectatur quod est decisio absque contradictore, una tantum parte informante.

14 Et si objiciatur quod non adsint doctrinæ descendentes ad has distinctiones, & reflexiones in concursu tot doctrinarum in contrarium, recte potest responderi eodem modo quo simili objecto respondit Paul. de Castro *consil. 434. in fin. lib. 2.* a Me relato *disc. 1. de benef. n. fin. ibi sufficit auctoritas mea, quia video, & cognosco prædicta omnia vera esse, & veritate fulciri.*

Si etenim aliquis, æquivocando, & capiendo quid pro quo, dicat, vel credat noctem diem, & diem noctem, atque exinde effectus noctis applicet diei, vel e contra, eumque postea centum transcriptores referant, adhuc remanent omnes contemptibiles, ut advertitur *disc. 35. de judic.* ubi de modo deferendi DD. auctoritatibus.

Multa exempla ad id comprobandum deduci possent, & præsertim illud in celebri quæstione an creditores posteriores ex causa onerosa vincant anteriores ex causa lucrativa, quoniam omnes antiqui, & medii usque ad tempora Gabriel. Eugub. concorditer dabant hanc prælationem, ipse autem adhibuit absque auctoritatibus distinctionem inter chyrographarios, & hypothecarios, quoniam distinctio erat legalis moderni, & Tribunalia magis sequuti sunt ex relatis a Me *disc. 31. de credito*, cum similibus, ideoque non debemus more avium, vel ovium, aliorumque irrationabilium absque discursu sequi aliorum volatus, vel saltus.

15 Et nihilominus non desunt auctoritates id bene firmantes in his terminis specialibus tex. *in l. quoties*, quorum aliquæ volunt dari etiam actionem realem ratione translationis dominii in hujusmodi donationibus continentibus fideicommissum, & aliquæ probabilius volunt competere quidem solam actionem personalem, sed istam esse in rem scriptam, sive rei persequutoriam, ex iis quæ habentur apud Mart. *vot. 49. per tot. & per eundem de success. p. 4. q. 21. art. 9. ex n. 25. ad fin.* Rot. apud Millin. *dec. 200. ex n. 6. ad fin.* & alios relatos per eundem Andreol. *controv. 68. n. 16. cum seqq.* Unde patet quantum fidendum 16 sit auctoritati hujusmodi Auctorum, qui contra omnes justitiæ, & charitatis regulas publicæ luci tradunt eorum allegationes conductitio more ad pecuniam, vel ad affectionem requirentis, non autem ad veritatem editas, quoniam Advocati, & Consulentes modo dicunt album, & modo nigrum in eadem materia, prout requirentis opportunitas exigat, *ut disc. 35. de judic.*

17 Ideoque merito Rota passim practicare consuevit remedium immissionis etiam in fideicommissis ordinatis per contractum donationis, præsertim in casibus, de quibus *disc. 25. de fideic. & disc. 55. eod. tit.* in cujus ultimi discursus casu prodiit *d. dec. 429. p. 13. rec.* ac etiam *disc. 137. & 138. eod. tit.* & in aliis, quoniam ut præmissum est, quicquid antiquorum simplicitas dubitaverit, hodie extra controversiam receptum videtur, ut nulla constituenda veniat differentia inter fideicommissa per ultimas voluntates, & illa per contractus, pro neutra opinione facientibus deductis per Turr. *de pact. futur. success. ubi supra*, quoniam licet labores in ea insolita materia commendatione sint digni, attamen quoad hunc punctum videtur, quod materia apud eum non multum digesta sit, quia forte illam practicandi occasionem non habuit.

Reflectendo præsertim ad prædictam differentiam, quod sc. aliud est agere de casu, in quo idem donator alias bonorum liberorum liber, & plenus Dominus in præjudicium secundi donatarii alienationem fecerit, insimul cum primo donatario, & aliud est agere de alienatione facta per primum donatarium, qui dominium limitatum a donatore habebat, atque in hoc consistit æquivocum, eodem modo quo in feudo, & in emphyteusi, vel in perpetua locatione, & similibus passim habemus, cum iidem videantur termini. Ac etiam spectata ipsa ratione, quæ aliquibus legalibus subtilitatibus, & superstitionibus prævalere debet, istamque dixi Mihi videri certam veritatem.

ROMANA PECUNIARIA, SEU DONATIONIS. PRO DUCE BRACHIANI CUM FRIDERICO PETRO DE VICTORIIS.

Casus decisus per Rotam pro Duce.

De insinuatione, aliisque solemnitatibus in donationa requisitis, an & quando servari debeant in donatione annuæ præstationis vitalitiæ, & quid in donationa facta per Magnatem proprio familiari cum assertione meritorum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Injustitia impedit rem judicatam sive prabet locum restitutioni in integram.*
3 *De præscriptione statataria, & de solutione præsumpta.*
4 *Insinuatio requisita ex Statuto Urbis in quibus differat ab illa de jure communi.*
5 *An & quando requiratur insinaatio in donatione vitalitiæ præstationis?*
6 *De æstimatione hujus præstationis vitalitiæ.*
7 *An insinuatio requiritur in donatione facta per Magnatem?*
8 *De ratione cui innixa est solemnitas insinuationis.*
9 *De stylo judicandi per Sacram Consilium Neapolis.*
10 *De materia donationis remuneratoria, & an sufficiat sola assertio meritorum.*
11 *De distinctione justitiæ commutativæ, & distributivæ.*
12 *De donatione facta extra locum subjectum Statuto præscribenti solemnitates.*

D I S C. LXVI.

1 DUx Virginius Ursinus de anno 1593. donavit Hieronymo Florellio ejus Secretario ad vitam menstruam præstationem sc. triginta, atque de anno 1609. idem donavit Aloysio Victorio ejus familiari, pariter ad vitam menstruam præstationem sc. vigintiquinque, aliamque vitalitiam donationem menstruorum sc. triginta de ann. 1616. fecit Paulus Jordanus Dux successor eidem Victorio ejus educatori vulgo *Ajo*, qui cessionem quoque obtinuit a dicto Florellio de præfata prima donatione; pro hujusmodi itaque annuis, vel menstruis decursis præstationibus in vita utriusque Donatarii notabilem summam quatuor millium scut. circiter constituentibus, judicium instituit Fridericus Petrus de Victoriis præfati Aloysii hæres contra Ducem Flavium, tanquam prædictorum Donatorum hæredem cor. A.C. a quo non solum sententiam, ac ejus in judicatum transactæ vigore mandatum exequutivum obtinuit contra bona hæreditaria utriusque donatoris, sed etiam exequatur contra personam, & bona propria; commissa vero causa restitutionis in integrum in Rot. *cor. Rondanino*, datoque solito dubio, an constet de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum sub die 26.
2 *Februarii* 1674. favore Ducis rei conventi negative in prima, & affirmative in secunda parte responsum fuit ratione injustitiæ, dum juxta frequentes, & quotidianas cautiones, super quibus revere puerilitas est auctoritates amplius deducere, sententia injusta nunquam transit in judicatum, vel si transit, injustitia tanquam inductiva læsionis locum aperit restitutioni in integrum ex deductis *disc.* 38. *de judic.* & passim.

3 Quamvis autem in disputationibus desuper habitis ex hac parte insisteretur tam in donationum invaliditate ob defectum insinuationis, & ob non servatam formam Statuti Urbis 149. atque in alio motivo præsumptæ solutionis ob præsumptionem resultantem a Statuto Urbis ob lapsum sexdecim annorum sub nomine præscriptionis statutariæ explicari solitam, ac etiam ob alteram præsumptionem resultantem a jure communi ad terminos textus *in l. procula ff. de probat.* juxta deducta *sub tit. de cred. disc.* 129. *& seqq.* multo magis dum agitur de menstruis præstationibus tanquam per speciem pinguioris mercedis menstruatim solvi solitæ per Magnates familiaribus manualiter, absque eo quod reportentur quietantiæ, ut de debito in sorte principali notabilis quantitatis fieri solet, attamen Rota contenta primo motivo nullitatis resultantis a defectu insinuationis ad formam Statuti Urbis 150. per quod infirmato etiam juramento tollitur illius defectus supplatio, quæ a valido juramento juxta magis receptam opinionem resultat ex Insinuatis supra *hoc eod. tit. disc.* 60. de aliis motivis disputare neglexit, ut patet ex decisione desuper edita.

Ad evitandam autem hujusmodi solemnitatis necessitatem, Scribentes pro Actore tria deducebant fundamenta, primo nempe, quod cum esset donatio vitalitia insinuationi non subjaceret ad Textum *in l. sancimus §. si quis autem, C. de donat.* cujus dispositio incorrecta remanet per Statutum Urbis, quod hujus solemnitatis necessitatem exigit in illis tantum casibus, in quibus de jure communi requireretur, duas tantum operationes faciendo, primo nempe circa summam, quoniam de jure communi insinuatio requiritur ultra quingentos solidos, ex magis recepta sententia importantes quingentos scutos auri nostrorum temporum, Statutum vero se restringit ad summam ducentorum ducatorum de Carolenis, qui important scuta centum quinquaginta monetæ Romanæ Juliorum, & per consequens scuta centum auri juxta currentem valorem, & secundo quoniam tollit vim juramenti, quod ut supra supplet defectum. 4

Dicebant secundo, quod cum ageretur de donatione Princip[illegible] Magnatis, ista solemnitas necessaria non esset ju[illegible]punctualiter disputata apud Capyc. *dec.* 203. Et tertio, quod esset donatio remuneratoria in præmium meritorum, & servitiorum, ideoque pariter non subjaceret solemnitatibus.

Singula itaque ista fundamenta examinando, quamvis Doctores plene in decisione hujus causæ relati cum consueta opinionum scissura nimium disputent super intellectu ipsius textus, ex veriori sententia procedentis, quando donatio sit vitalitia ex parte utriusque, donantis scil. & donatarii, ac propterea intrat ejusdem textus ratio, quod ob contingentiam celeris mortis unius, ita cito donatio resolvi valeat, adeout de ea non dicatur summa insinuationi subjecta, ac propterea quæstio vere, & proprie cadit super verificatione hujus præsuppositi, quoties donator expresse non promiserit continuationem donationis ad vitam donatarii etiam per hæredes post ejus mortem, an scil. id in dubio subintelligatur necne, atque subintelligi magis communis opinio sentire videtur, ex cumulatis in eadem decisione, attamen, quando ut in præsenti id exprimitur, tunc in eodem textu litteraliter deciditur, ut intret insinuationis necessitas, ex ea clara ratione, quod jus certum ad vitam creditoris, adeout non habeat aliam incertitudinem resultantem à vita debitoris, suam habeat æstimationem, ac pretium, ut quotidiana generalis praxis docet in censibus vitalitiis, ac officiis, & locis Montium vacabilibus, ex insinuatis *sub tit. de regal. disc.* 30. *cum plur. seqq. & supra disc.* 54. *& sub tit. de empt. & vend. disc.* 1. ubi de concessionibus bonorum ad vitam, & alibi pluries. 5

Ac propterea ista species donationis continere dicitur ab initio illam quantitatem in proprietate, quam Donatarius fuisset soluturus tanquam pretium hujus juris vitalitii quatenus in contractum emptionis, & venditionis, vel alium correspectivum deductum fuisset. Super hac valutatione autem nullatenus placet decisionis præsuppositum, ut ea facienda esset juxta computationem tex. *in l. hæreditatum, ff. ad leg. falcid.* procedendo cum hac simplicitate, eam qua per aliquos DD. ac etiam per ipsum Tribunal in aliis causis procedi consuevit, quoniam verius est, quod hæc valutatio in singulis casibus pro eorum individuis circumstantiis fieri debeat juxta ponderationes, de quibus *d. disc.* 30. *de regal.* & supra *hoc tit. dict. disc.* 54. & alibi pluries. 6

Verum etiam in casu, in quo donationis resolutio alternative penderet a vita donantis, vel donatarii juxta sensum textus, adhuc attentis dicendum venit, quod esset insinuationis necessitas, quatenus ita lex disponat, atque legislatori placeat, non autem ob assignatæ rationis probabilitatem, cum etiam in isto casu intret eadem consideratio pretii in proprietate ab initio, quamvis etiam plus valutetur donatio ad vitam donatarii ob majorem certitudinem, minus autem ubi majus vigeat periculum, atque major est incertitudo ex deductis *d. disc.* 30. *de regal.* non per hoc tollitur, quin ista præstatio habeat suum pretium, cum quo de hujusmodi vitalitiis juribus etiam ad vitam debitoris conveniri solet ex pluries insinuatis *sub tit. de [illegible] offic.* & alibi, & sic duplicitas periculi est [illegible] diminutiva, non autem omnino destructiva pretii, [illegible] valutationis.

Quoad secundum motivum, quod ageretur de donatione facta per Principem, & Magnatem, dicebam, atque Rota in decisione sequuta est, quod isti Domini, & Magnates, juxta diversas dominiorum qualitates, Principum, vel eorum adinstar, figuram facere videntur in eorum locis, & domi-

nis,

7 niis; ut de testamento condito in ejus dominio per quendam Domicellum de hac eadem familia Ursina ex ista ratione non subjecto solemnitatibus firmat Bald. relatus per Grat. *discept.* 312. *n.* 8. Secus autem in Urbe in qua figuram faciunt privatorum Civium, quamvis nimium qualificatorum ex ponderatis *sub tit. de servit. disc.* 60. & magis ad rem ad præcisum effectum subjectionis Statutorum *sub tit. de alienat. & contract. prohibit. disc.* 37. ubi concordantes.

8 Reflectendo tamen ad veritatem, de isto fundamento dubitassem, quatenus in judicando procedendum esset discursivo, seu ratiocinativo more ex ponderationibus, de quibus *eod. disc.* 37. *de alienat.* multo magis in his terminis intrantibus, quoniam insinuationis solemnitas a jure introducta ast ex motivo, seu ratione se certificandi de sincera, & perseveranti voluntate donatoris, quoniam cum donare sit perdere, atque homines prudentes, & sani capitis, non de facili irrevocabiles donationes facere soleant, ideoque actus sit de sui natura suspectus de coactione, vel dolosa seductione, hinc merito pro voluntatis certificatione iste novus actus desideratur coram Judice, & ex intervallo, quamvis revera, & de facto juxta omnium aliarum solemnitatum naturam ad cæremonialem formalitatem id quoque redactum sit.

Ista itaque ratio cessat in Magnatibus, ac potentibus viris hujusmodi liberalitates cum subditis exercentibus, & per quandam speciem augmenti mercedis, sive ut vulgo dicitur *ben servito* ex communi consuetudine per litteras privatas familiares vulgo patentes, non autem per publicum, & solemne instrumentum, ac propterea ea rationis identitate adaptari videntur ea, quæ habentur firmata apud Merlin. *dec.* 692. super cessante necessitate solemnitatum in ea donatione, quæ manualiter fiat.

Sed quoniam apud modernos inolevit ineptus usus, neglecto quocumque ratiocinio, vel discursu, pragmatico more judicare, quia sic alias decisum fuerit, vel quia sic dicant aliquæ ex auctoritatibus, idcirco dicebam in congressu habito pro directione causæ, quod motivum dici non posset tutum.

9 Respondendo autem *ad d. decis.* 203. *Capicii*, dicebam, quod illa potius retorqueri poterat, atque huic Parti assistebat, quoniam leguleico more punctum examinando potius concluditur pro necessitate insinuationis ex superius assignata ratione, quod quamvis Princeps Salerni, attenta illorum temporum conditione, esset Magnates nimium potens, ac primi ordinis in ejus statu, attamen etiam ibi faciebat figuram Baronis subditi legibus, quibus derogare, vel dispensare non poterat, & ulterius in Regia, seu Metropolitana Civitate, in qua facta erat donatio, faciebat figuram subditi, ac privati Civis, quamvis nimium qualificati, sed quoniam illud Sacr. Consilium supponit se subrogatum loco antiqui Præfecti Prætorio, atque judicare nomine Regis absque præcisa restrictione intra legales cancellos, quam inferiores Judices, & Magistratus habent, idcirco ita judicatum fuit favore donatarii ob particulares illius casus circumstantias, atque ob justissimam donandi causam in remunerationem servitiorum, & meritorum. Idcirco potius ob istam qualitatem donationis remuneratoriæ judicatum fuit cessare insinuationis necessitatem.

In præsenti autem casu advertebam, quod res se habebat in oppositum, quod scilicet ageretur potius de donationibus naturaliter a candidi, & facilis animi Dominis, non absque deceptionis suspicione, extorqueri solitis per sagaces, & vafros Aulicos, ut quandoque praxis docuit, quodque propterea non irrationabiliter hic secundus insinuationis actus pro voluntatis certificatione requireretur.

10 Circa tertium motivum, quod donationes essent cum assertione meritorum, in quorum remunerationem factæ dicerentur, ideoque solemnitatibus non subjectæ, advertebam ad idem, quod in hac materia donationis remuneratoriæ habetur *supra disc.* 16. & 60. & *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 94. & *alibi*, quod scilicet quamvis DD. cum ea hodie nimium vulgari procedere soleant distinctione inter prohibitos, & non prohibitos, ut primo casu non sufficiat assertio, sed requiratur justificatio saltim adminiculativa juxta ea, quæ in materia confessionis factæ per prohibitos habentur *sub tit. de dote disc.* 72. & *seqq.* & *disc.* 158. ac etiam *sub tit. de alienat. & contract. probib.* & *sub altero de tut. & administr.* ac alibi, & nihilominus data etiam justificatione, intrat alia inspectio super meritorum, ac respective remunerationis qualitate, an scilicet merita sint obligantia ex lege justitiæ, & producentia in judicio civili actionem experibilem, vel potius producant solum naturalem, vel congruentem obligationem antidoralem, & an præmium sit merito proportionatum necne; in altero autem casu, in quo de non prohibitis agatur, sed sola sufficiat assertio, quæstione cadente cum consueta opinionum scissura, an generica sufficiat, vel specifica exigatur, ut merita ad speciem deducantur.

Istaque distinctione sic stante, descendendo ad applicationem, ea ex magis communi sensu restringi solet ad prohibitionem personalem, quia nempe persona donatoris extra casum vere remunerationis ex ejus inhabilitate per legem prohibita sit dare, sive quod persona donatarii prohibita sit recipere ex titulo gratuito, exemplificando prohibitionem inter virum, & uxorem, patrem, & filium in potestate, sive patrem, & filium spurium, in suis casibus, aut inter Clericum, seu militem, & concubinam, cum similibus.

Hisque sic stantibus Scribentes in contrarium præmissa desumendo ex jam a Me deductis locis citatis inferebant, quod cum ambo Donatores essent sui juris, ac majores, 11 nullamque haberent activam prohibitionem donandi, minusque passivam haberent donatarii, ita sufficeret generica assertio meritorum, fortius vero, dum ea adminiculata remanebat a primordio veritatis actualis servitii, vel ministerii, nimium se diffundendo super iis, quæ habentur deducta *disc.* 94. *de feud.* & *alibi*, circa minus veram opinionem eorum, qui credunt, ut non dentur merita remuneratione digna in eo, qui ex debito naturæ, vel muneris bene se gesat erga alterum, puta ad rem in famulo erga Dominum, ubi conventum stipendium habeat, in filio erga patrem, in conjuge erga maritum, in servo erga Dominum, in subdito erga Principem, & Prælatum, in milite erga Ducem cum similibus, cum probabilius, magisque receptum sit etiam hiscasibus dari merita remuneratione digna cum distinctione inter personas publicas, & privatas, & per consequens, cum altera distinctione inter justitiam distributivam, 12 priori personarum generi congruam, & commutativam posteriori convenientem, juxta practica exempla deducta *in proœm. Operis Italici, seu Doctoris Vulgaris, cap.* 10.

Non negabam etiam donationum impugnator veritatem præmissorum, quæ ex meis jam editis scriptis, ut supra deducebantur, dicebam tamen fallaciam consistere in applicationis restrictione, ad solam activam, & passivam prohibitionem personalem, cum eadem quoque cadant in omni alia prohibitione etiam universali, ubi certa solemnitas, vel forma non adhibeatur, quamvis de illis ageretur, qui donandi, ac respective recipiendi omnimodam de jure libertatem haberent, quoniam adhuc dicuntur de jure prohibiti absque illa forma, vel solemnitate actum explicare, & per consequens sola confessio, vel assertio non sufficit, cum eadem facilitas, cum qua fiat magis præjudicialis actus donationis, assertionem causet, ac etiam quia diceretur ita imposita lex verbis, & non rebus, atque legis prohibitio de facili cum sola verborum formula, vel textura eludi posset.

Ac ulterius, erroneum quoque esse dicebam in his generalitatibus immorari, atque cum eis in omnibus casibus indifferenter procedere, cum verius reflectendum sit ad diversos effectus exinde resultantes, etiam inter non prohibitos, quoniam ex. gr. aliud est de hoc agere ad effectum evitandi solum aliquem levem defectum solemnitatis, aliud vero ad alium majorem effectum inhabilitationis personalis, sive cum ipsomet donatore ad effectum evictionis præstandæ, aut ad effectum non subjacendi resolutioni ob supervenientiam liberorum, aut obligationis, gratitudinis, vel alimentorum, cum similibus, & e converso ad effectus præjudiciales tertio juxta casum; de quo *d. disc.* 94. *de feud.* cum similibus.

Magna namque dignoscitur differentia inter unos, ac alios, majores, & respective minores effectus, ut pro majoribus majores, & efficaciores justificationes requirantur, pro minoribus autem minores sufficiant, sive cum eadem distinctione concilietur dicta alia quæstio, an sufficiat sola obligatio naturalis, & congruentiæ, vel antidoralis; vel potius requiratur obligatio civilis productiva actionis in judicio experibilis, aut an dentur merita in eo, qui tenebatur ex debito officii ita bene operari ut supra, vel an præmium meritis adæquet necne, sive an remuneratio sit ad limites justitiæ distributivæ, vel commutativæ.

Ista etenim ac similia non videntur in jure dubia sub quæstionibus, ac opinionum varietatibus cadentia, ut leguleicum pragmaticum vulgus male opinatur, ideoque cum consueto improbo, ac inepto labore chartas inutiliter replere studet ad probandum quænam magis communis, magisque vera sit opinio, cum potius diversæ, quam contrariæ dicendæ sint opiniones, pro casuum, vel respective effectuum, &

operationum varietate, recte conciliabiles, ut generaliter in universa ista facultate sequi videtur, adeout in singulis casibus pro eorum particularibus circumstantiis decisio regulanda sit, generalitates perpetuo abhorrendo.

Nulli etenim ad rem nostram, præsupposito Donatore sani capitis, vel nimium rari sunt illi casus, in quibus ad istum donationis actum deveniatur, absque aliquo motivo meriti, quoties sanguinis, & naturæ impulsus non urgeat, ac etiam quia in isto contractu, ex communi, & forte unquam variabili stylo, seu formulario generali meritorum, ac servitiorum assertio præmitti solet, ideoque nullus unquam puræ, ac simplicis donationis non causativæ casus daretur in iis, in quibus nulla adesset activa, & respective passiva prohibitio juxta dictam distinctionem, si in non prohibitis sola generica assertio sufficeret.

12 Quia vero una ex præmissis donationibus dicebatur facta in Oppido Liburniensi, ideoque ea parte actoris inferebatur, quod saltim in ea non caderet defectus solemnitatum præscriptarum a Statuto Urbis, dum ex facti circumstantiis applicari non poterant ea, quæ de actibus affectate gestis extra territorium habentur *supra disc. 35. & alibi*.

Hinc pro isto objecto evitando, Ego, & alii pro hac parte Scribentes dabamus responsionem in decisione deductam, quod scilicet cum ageretur de actu inito per scripturam privatam, non sufficeret sola assertio loci, absque aliqua saltim adminiculativa justificatione ob fraudem, quæ alias prohibitioni legis fieri posset, ducto argumento a dispositione text. *in l. Scripturas, C. qui potior. in pignor. habeantur*.

Ista responsio, reflectendo ad veritatem, parum placebat, quoniam illa falsitatis, vel fraudis suspicio, quam dicta lex habet in scripturis privatis, recte procedit ubi admixtum sit præjudicium tertii, vel etiam ubi secluso isto præjudicio donatoris, vel alterius agentis actum, prohibitio sit talis, ut impedimentum ab ipsomet faciente, absque alterius ministerio removeri non possit ob factum tertii adhibendum, puta in decreto Judicis, & consensu proximiorum ad formam statutorum, cum similibus, secus autem in ista specie impedimenti, quod nimium de facili per ipsum solum facientem removeri potest, cum tunc præsumendum non sit, quod falsitatis turpitudo committatur, attenta præsertim qualitate personæ, ac etiam temporis, quoniam tunc leguleicis formalitatibus, & superstitionibus ad hodiernum statum non redactis, non habebatur illa suspicio, vel dubietas, quæ hodie haberi potest forte parum probabilis, ut in hujusmodi actibus gratitudinis, & generositatis gestis per Magnates cum propriis famulis statutariæ solemnitates requirerentur.

Melior itaque, ac tutior Mihi videbatur altera responsio, quam dabant, in decisione tamen neglecta, quod scilicet cum esset donatio facta per scripturam privatam absque juramento, adeout illius suppletio non intraret, si non obstaret defectus insinuationis requisitæ per Statutum Urbis, obstaret alter insinuationis requisitæ per jus commune cum sola differentia majoris, vel minoris summæ, quæ non poterat salvare rem judicatam ab injustitia.

FULGINATEN. DONATIONIS
PRO COMIT. JULIA DE MONTECATINIS CUM VITELLESCHIS.

Discursus cum sensu Veritatis ad parandam concordiam, jam sequutam.

De eadem materia, de qua *supra disc. 26.* super solemnitatibus a Statuto Fulginaten. requisitis in donationibus, quales esse debeant, & quando requirantur?

SUMMARIUM.

1 *Facti series, & de deductis hinc inde per alios Scribentes.*
2 *De intelligentia Statuti Fulginaten. in donationibus.*
3 *Solemnitatites ad unum effectum adhibita non suffragantur quoad alium.*
4 *Quando donatio inter conjuges morte confirmetur.*
5 *Quod Statutum loquendo de donationibus, non procedat in onerosis, & causativis.*
6 *Vir non facit suos fructus bonorum dotalium, nisi accedat traditio.*
7 *Quomodo fieri dicatur traditio locorum montium.*
8 *De damnis, & interesse debitis viro, loco fructuum.*
9 *Solemnitates non requiruntur in remissione juris quærendi.*
10 *Renunciatio translativa præsupponit acquisitionem præcedentem.*
11 *Ad quid prosit, quod vir donator in eadem voluntate obierit.*
12 *De tacita, vel præsumpta remissione usurarum dotalium.*
13 *De prohibitione donationis inter conjuges de jure communi, & quando censeatur revocata.*

DISC. LXVII.

PRO communi parentum pinguem assem possidentibus 1
tribus sororibus de Montecatinis, quarum major Julia nupta erat Hieronymo Vitelleschio, aliæ vero minores, & innuptæ sub Curatoris administratione vivebant, cum ex fructibus locorum montium penes Campsorem in Urbe conflata esset summa scutorum mille tercentum circiter, cum ea vir, & curator, earundem sororum nomine prædium compararunt a quibusdam mulieribus, & minoribus, quorum respectu ad satisfaciendum solemnitatibus a Statuto requisitis, ultra conjunctos intervenit Prætor, qui juxta consuetam formulam, decretum interposuit, declaratione per Hieronymum in eodem instrumento adjecta, quod quamvis dicti fructus pro tertia parte ad ipsum spectarent, eos tamen uxori donabat sub ea tamen lege, & conditione, ut portionis dicti prædii usumfructum ad ejus vitam habere deberet.

Soluto autem ad breve tempus matrimonio per mortem viri absque prole, atque muliere transitum faciente ad secundas nuptias cum Comite de Montecatinis ejusdem Civitatis tunc Episcopi nepote, nonnullæ exortæ fuerunt controversiæ inter ipsam, & alios de Vitelleschiis viri defuncti hæredes, inter quas fuit ista super subsistentia donationis dictorum fructuum, quæ invalida prætendebatur ob non servatam formam in donationibus requisitam a Statuto, de quo supra *disc. 26.* Quare in forma extrajudiciali, ac benevola, desuper ea parte mulieris pro veritate consultus fui, aliquibus communicatis informationibus, vel responsis tam ejusdem mulieris Sapientum de partibus, quam aliquorum Scribentium in Curia pro hæredibus viri, in quibus per omnes hincinde procedebatur, retento præsupposito quod ageretur de donatione, ideoque restringebatur quæstio ad punctum, stante quod Statutum exigit decretum Judicis, ac interventum proximiorum per alternativam, an illa capienda esset in ejus propria significatione, ut propterea sufficeret unum ex alternatis, quale adesse supponebatur, stante Judicis præsentia, & decreto interposito super omnibus, & singulis in illo instrumento contentis, ut ex parte mulieris prætendebatur, vel potius resolvenda esset in copulativam, ut requireretur utrumque juxtam prætensionem alterius Partis, quæ donationem impugnabat, agendo etiam de altero puncto, an dictum Statutum esset necne in usu, atque super his deducebantur hincinde juxta frequentem stylum invicem pugnantes attestationes Notariorum, & Causidicorum, ac etiam pugnantes assertiones Civium compatriotæ, quarum aliquæ in terminis ejusdem Statuti enunciantur *supra eod. disc. 26.*

Respondendo itaque, circa punctum usus Statuti relative Me habui ad deducta *eodem disc. 26.* Et quoad alterum punctum dicebam, quod quamvis Mihi probabilius videretur, ut deficiente observantia certa, & univoca, ob dictas contradictiones probabilius videretur, ut alternativa in ejus proprio, & regulari sensu capienda esset, quoniam cum ageretur de Statuto exorbitanti, utpote in majoribus restringente illam donandi, vel alias de bonis suis disponendi libertatem, quam jus commune concedit, idcirco strictam, ac rigorosam interpretationem recipere deberet ex iis, quæ in statutorum peculiari sede pluries habentur *sub tit. de success. ab intestat.* ideoque nulla congrua ratio exigere videbatur hanc impropriationem. 2

Attamen iste videbatur labor inanis, cum ambo alternata deficere Mihi viderentur, stante quod Judex principaliter adhibitus fuit pro auctorizando contractum venditionis factum a minoribus, & mulieribus, & super quo Judex adhibuit illam (quamvis cæremonialem) causæ cognitionem, quam Statutum præsupponit, suumque decretum interposuit, ideoque non trahendum ad istum diversum incidenter enunciatum contractum factum ex parte unius tantum, altero contrahente absente, dum super eo nullatenus Judex requisitus fuit, ideoque ejus consensus non videbatur ad id extendendus, & per consequens, retentis terminis donationis, ubi etiam admittendus esset intellectus donatariæ favorabilis pro alternativa, adhuc tamen pro invaliditate responderi debuisset. 3

Moti-

Motivabatur item ex parte Scribentium pro muliere,
quod in omnem eventum hæc donatio recepisset valida-
4 tem, seu confirmationem a morte viri, desuper adhiben-
do terminos generales, qui habentur in materia donatio-
nis inter conjuges, sed pariter dixi videri fragile funda-
mentum, cum id procedat in terminis juris communis pe-
ctientibus specialem donationem inter conjuges, quæ non
irritatur ipso jure, ideoque implicitum habet statum vali-
ditatis, conjuge donatore in eadem voluntate perseveran-
te. Secus autem in casu hujusmodi Statutorum generaliter
disponentium de quibuscumque donationibus etiam inter
non prohibitos, atque habentium decretum irritativum
ipso jure, quoniam tunc deficit extremum confirmabile,
ut in terminis donationis inter conjuges in Urbe ex ejus
Statuto advertitur *sup. disc.* 30. Et generaliter habetur plu-
rias *sub tit. de alien. & contract. probib*, super quæstione
disputata apud Surd. *dec.* 308. *& alios*, an scilicet nullitas
contractus gesti per minorem allegari possit per hæredem,
vel per tertium, ideoque ubi hæc donatio esset talis, quod
non caderet sub Statuto, multo minus eam cadere dice-
bam sub prohibitione juris communis, quæ hodie ad
quandam idealitatem redacta videtur.

Ex duobus tamen diversis motivis, censui pro muliere
5 respondendum fore, quodque non versaremur in casu Sta-
tuti, primo nempe, quia ut pluries in præcedentibus ha-
betur, hujusmodi Statuta intelligenda veniunt de veris ac
propriis donationibus lucrativis, in quibus donator effici-
ciatur pauperior, donatarius autem ditior, lucrativam so-
vens causam, non autem in donationibus causativis, ac
onerosis, & correspectivis, quæ in verbis potius quam in
re istud donationis vocabulum sortiuntur, & hic erat casus
ob dictam legem, seu conditionem acquisitionis ususfructus
ad vitam donatoris, qui ita poterat esse in lucro, cum
damno, & jactura mulieris donatariæ, quoniam ipsa ad
breve tempus moriente, vel sequente inter eos thori sepa-
ratione, unde cessaret istud utile, vel subalternum domi-
nium, quod ratione dotis adest, adhuc idem longo tem-
pore supervivens majorem potuisset reportare utilitatem,
& per consequens cum dici non posset vera, mereque lu-
crativa donatio, ita versabamur extra terminos Statuti.

Et secundo ex eo quod minus vera esset assertio viri,
6 quod dicti fructus essent proprii, admisso etiam præsuppo-
sito quod integra mulieris portio tam dictorum locorum
montium, quam aliorum bonorum in dotem data esset,
quoniam ad effectum ut vir suos faciat jure dominii fru-
ctus bonorum dotalium, non sufficit sola dotis constitutio,
nisi etiam sequatur traditio ex relatis *disc.* 160. *de dote*, *n.* 16.

Fortius vero attenta subjecta materia, & bonorum qua-
litate, quoniam cum ageretur de locis montium, quorum
dominium, ac possessio de ipsorum peculiari natura, ex
7 sola conventione, vel facto Partium non abdicantur ab
uno, neque in alterum transferuntur absque auctoritate
Officialis ad id a Principe præpositi qualis in Urbe est Se-
cretarius, ut pluries in sua sede *sub tit. de regal.* Hinc se-
quitur ut non sit verificabilis illa traditio præsumpta, de
qua agitur *eadem disc.* 160. *n.* 17. *& seqq.* ideoque fir-
mum esse dicebam, quod fructus prædicti, cum quibus præ-
dir acquisitio facta fuerat, non erant in dominio viri, sed
in illo mulieris, & per consequens quod non verificaretur
veræ, & propriæ donationis requisitum, præsertim in pro-
hibitoriis, ut donans privetur bonis, vel juribus quæsitis
& propriis, unde efficiatur pauperior, suumque diminuat
patrimonium, & e converso donatarius denuo acquirat id
quod non habebat, atque ditior efficiatur, suumque pa-
trimonium augeat.

Et quamvis ut *eod. disc.* 160. *n.* 16. ac etiam *disc.* 20. *de
feud. & disc.* 146. *eod. tit. de dote*, occasione agendi de feudis,
aliisque prohibitis, quæ in dotem data essent, de stricta
8 juris censura vir non faciat suos jure dominii ipsos fructus,
attamen eorum loco cedunt usuræ dotales restaurativæ one-
rum matrimonii tanquam damna, & interesse, adhuc ta-
men ad rem id non videbatur præstare obstaculum, quo-
niam deducta locis citatis principaliter percutiunt casum
exequutionis, quia nempe sequuta de facto traditione,
vir pariter de facto fructus perceperit, atque consumpse-
rit, sive cum ejus patrimonio confunderit, conventus au-
tem ad restitutionem repellat actorem per exceptionem
doli, vel circuitus inanis, ideoque verificaretur casus ve-
ræ depauperationis ac diminutionis ejus, quod jam obti-
nebat, secus autem in præsenti, quod illos non percepe-
rat, & fortius quoniam verificabatur oppositum, ideoque
versabamur in terminis longe clarioribus, atque in casu
minus dubitabili, dum neque ipsi fructus identifice exta-
bant, puta, quia inexacti deberentur per depositarium
montium, sed exacti positi erant in banco pluries enuncia-
ti campsoris Greppii, sub nomine, & ad creditum ipsarum
sororum, cum quarum patrimonio jam commixti, seu con-
fusi fuerant, juxta ponderationes, de quibus *disc.* 85. *de bo-
nis.* ac etiam *hoc tit.* in proposito depositi regularis plures.

Atque hinc sequi dicebam, quod aliud vir non haberet
nisi quandam speciem facultatis acquirendi, quatenus vellet
acquirere, sive actionem petendi a muliere damna, & in- 9
teresse quatenus illam exercere vellet, ut ea mediante ac-
quireret, & per consequens quod ista dicenda non esset
vera, & propria donatio ut supra, sed potius abstentio ab
acquirendo, seu remissio juris quærendi, quæ non subja-
cet illis solemnitatibus, quibus subjacet vera alienatio, vel
donatio ex deductis apud Buratt. *dec.* 333. ac etiam *disc.* 5.
de alien, & contract. probib. n. 122, ubi in terminis for-
tioribus alienationum bonorum Ecclesiæ.

Et licet, ubi proceditur per viam condonationis, vel
renunciationis translativæ, non autem extinctivæ, sive
abstentivæ id habeat speciem donationis, atque per ne- 10
cessarium antecedens præsupponat agnitionem, vel acqui-
sitionem ut in sua sede *sub tit. de renunc. pluries*, & ali-
bi: Attamen ista dicitur acquisitio intellectualis & instan-
tanea, quæ adhuc effectum non habetur in consideratione
juxta dec. 507. Putei *lib.* 2. in dictis fortioribus terminis
alienationis bonorum Ecclesiæ, atque advertitur *eadem
disc.* 5. *de alien. n.* 124.

Aliqua ponderatione quoque dignum esse dicebam silen-
tium viri, quod vivens nunquam contradixerit, sed cum 11
eadem voluntate obierit, non quidem ad effectum revali-
dandi actum alias invalidum ut supra, sed ad effectum
arguendi ejus voluntatem, atque convincendi hanc hære-
dis nimium subtilem scrupulositatem contra verisimilem
voluntatem defuncti, juxta ea quæ pluries *eod. tit. de alien.
& contract. prohib.* animadvertuntur in proposito mulie-
ris, quæ vivens nunquam conquesta sit, impugnatio vero
fit per hæredem, cum revera ista videretur nimium sub-
tilis impugnatio habens speciem judaismi.

Et magis in specie remissionis hujusmodi interusuriorum
dotalium etiam implicitæ & præsumptæ habetur *eod. tit.* 12
de dote disc. 555. *& disc.* 161. *n.* 51. & alibi, puta jux-
ta unam opinionem per mortem, non petendo in vita,
sive per diuturnam acquiescentiam, aut per receptionem
sortis, atque protestationem, cum similibus. Multo igitur
magis ubi accedat expressa hujus voluntatis declaratio,
cum semper majoris ponderis & operationis sit expressum,
& clarum, quam fictum & præsumptum.

Motivabatur ex parte impugnantium donationem, quod
ubi etiam non intraret Statutum, adhuc tamen intraret
prohibitio, quæ resultat a jure communi super donatione 13
inter conjuges, dum a viro nullum desuper præstitum fue-
rat juramentum, per quod illud obstaculum remanet sub-
latum, quodque non posset suffragari confirmatio per mor-
tem, stante revocatione deducta ex clausula generali *cas-
sans &c.* contenta in ultimo testamento, cum quo idem
vir obierat, atque in hoc motivo magis quam in alio Sta-
tuti fundamentum constituebatur. Verum illud Mihi nul-
lam faciebat impressionem, ipsumque levius, ac minoris
ponderis videbatur quam aliud, tum quia illud annullat actum
ipso jure, quod non sequitur in isto, cum donatio inter con-
juges esse dicatur in implicito statu validitatis, donec seque-
tur ratificatio, qua non sequuta recipit confirmationem a
morte, tum etiam quia facilius ista prohibitio cessat per
juramentum, quod in alia prohibitione non sequitur, at-
que facilius recipit limitationes, illam præsertim, de qua
supra, ut non procedat quando agitur de non acquisitio-
ne, vel remissione juris non quæsiti, neque incorporati,
adeout donans non fiat pauperior, ideoque dicebam quod
illud motivum, vel non erat necessarium ubi subsisteret
primum majoris roboris, vel non sufficiebat, quia si non
intrabat amplior dispositio statutaria, multo minus intra-
bat ista debilior juris communis.

Atque his stantibus, quodque facile fuit eum honesta
concordia controversiam terminare, non assumpsi formiter
examen articuli, an clausula generalis *cassans &c.* apponi
solita in testamentis, sufficeret absque alia probatione sal-
tim adminiculativa animi ad revocandam donationem fa-
ctam conjugi, ut propterea dici valeat, quod ille in ea-
dem voluntate usque ad obitum non perseveraverit, vel
potius e converso requiratur declaratio animi specialis;
quatenus vero ad hunc punctum pertinet, adhuc occasio
non

non dedit illam formiter in Foro disputare, utpote in praxi nimium rarum, ex eo quod aut agitur de illa occulta, & implicita donatione, quæ inesse dicitur in concessione dotis receptæ aliunde non adminiculare, & ista utpote fraudolenta remanet inefficax ab initio, ac propterea sicuti non recipit robur a juramento, ita neque a morte, ex deductis *in generali disc. 159. & in plerisque disc. particularib. sub tit. de dote*, Aut de donatione expressa, & cum in ista pro communi stylo adjici soleat ju-
1 ramentum, hinc sequitur quod valeat ab initio, ideoque ista quæstio non intrat, sed præsupposim quod intret, ex parte Scribentium pro hæredibus fideicommissariis donatorìs in hac facti specie ad probandum quod sufficiat dicta clausula *Cassans &c.* allegabantur Cavalcan. *dec. 30. n. 14. & n. 27. p. 1.* & Molin. *de ritu nupt. lib. 3. sect. 1. q. 1. n. 45. & 46.* qui id dicunt, sed pro meo judicio non bene probant, quoniam Cavalcan. cum quo in omnibus tanquam relator procedit Molin. *ubi sup.* in id allegat Simon. de Pret. *cons. 149. n. 31. l. 2.* qui id quoque asserit, sed quoniam est auctoritas Consulentis ad pecuniam, vel opportunitatem, hinc oporteret inspicere ejus fundamentum, quod est in dispositione text. *in l. cum hic status, §. Si maritus, ff. de donat. inter vir. & uxor, & in l. maritus secunda*, C. *eod. tit.* per quæ jure firmatur (& bene) quod si maritus bona uxori donata alienat, vel specialiter obligat, ita censetur donatio revocata, & merito quoniam ob specialem, & expressam alienationem, vel hypothecam declaratur animus contrarius, non videtur tamen quomodo exinde inferri possit ad istam revocationem generalem resultantem a clausula *Cassans &c.* quæ potius pro quodam formulario Notariorum adjici solet ad exuberantiam, & tanquam de natura actus, adeout nisi adjiciatur, adhuc testamenta, aliæque ultimæ voluntates, quæ præcedunt, revocatæ censentur; donatio vero ista, ubi fiat expresse inter vivos, habet naturam contractus, illaque non est invalida ipso jure, neque recipit quoad substantiam omnimodam perfectionem a morte, sed solum cum morte ponitur in tuto, adeout interim habeat implicitum statum validitatis, cum etiam inter non prohibitos dari possit casus donationis inter vivos validæ, &
2. perfectæ, sed subjectæ revocationi ad libitum donatoris ex lege eidem donatori adjecta, ut alibi *hoc eod tit.* advertitur, ideoque cum donator habuerit in animo faciendi actum inter vivos ex tunc perfectum, neque hujusmodi subtilitates juris illis de Populo innotescere soleant, hinc non videtur quanam probabilis ratio urgeat, ut ob istam clausulam, ut plurimum a Notario de stylo adjici solitam ut supra, ad hunc animum inferri valeat, nisi circumstantiæ id suadeant, atque talis voluntatis probabile præbeant argumentum, ac propterea adaptari valeat eadem ratio dictorum jurium, quia nempe, licet specialiter, & expresse non disponatur de bonis donatis, attamen legata, aliæque dispositiones sint tales, quod effectum alias sortiri non possent, nisi per necessarium antecedens præsupponenda sit hæc implicita revocatio, quia nempe donatio notabilem bonorum partem absorberet, ita & taliter quod intret præsumptio, quod testator verisimiliter ita non disposuisset, nisi donationem revocare in animo habuisset, vel quod alia similia intrent argumenta hujus voluntatis, cujus idcirco, ac facti potius quam juris videtur quæstio, ideoque ex facti qualitate, & circumstantiis potius decidenda, adinstar eorum quæ habemus in donatione inter vivos non prohibita, facta absenti, quæ re integra ante scientiam, & acceptationem sit revocabilis, cum similibus, puta an interim dilectio diminuta sit.

Eoque minus dictis auctoritatibus Mihi de facili deferendum non esse videbatur, quia ut præsertim patet ex Molin. & Cavalcan. involvunt, & confundunt terminos donationis causa mortis, & illius inter vivos, atque cum præsupposito, quod agatur de prima specie, pertranseunt cum traditione Bart. *in d. l. si maritus*, quod facilius præsumitur revocatio donationis favore conjugis, quam extranei, ac propterea intellectus non acquiescat hujusmodi auctoritatibus non discurrentibus, sed cum moderna frequentiori ineptia procedentibus cum dicto aliquorum Consulentium, adhuc tamen reservo maturius cogitandum, cum tempus, & occasio non dederit hucusque mature articulum examinare, ac judicium desuper efformare.

EUGUBINA DONATIONIS, PRO URBANA ET MARIA DE MENGHIS, CUM MASSORELLIS, ET MENGATIIS, AC ALIIS.

Casus varie decisus per Rotam.

An donatio facta per iturum ad bellum censenda sit causa mortis, vel inter vivos, & an retrodonatio exigat easdem solemnitates requisitas in donatione, & an istæ solemnitates requirantur in donatione facta per matrem filio?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *Distinguuntur causæ inspectiones.*
3 *Donatio facta per iturum ad bellum an sit causa mortis, vel inter vivos?*
4 *An retrodonatio requirat easdem solemnitates quas donatio?*
5 *De decretis Ducalibus status Urbini an vigeant necne?*
6 *De conclusione quod in donatione facta per matrem filio non requirantur solemnitates quomodo intelligi debeat.*
7 *De eisdem decretis Ducalibus.*
8. *An preces præsumantur porrectæ per eum, sub cujus nomine cantant?*
9 *Judicium Auctoris in tota causa.*
10 *De eadem conclusione, de qua n. 6.*
11 *Quomodo causæ decidi debeant.*

D I S C. LXVIII.

Iturus ad bellum de anno 1643. Juvenis Joannes de 1.
Menghis nobilis Eugubinus in munere Præfecti vulgo Capitanei unius cohortis, cum solemnitatibus requisitis ab illis decretis Ducalibus pluries enunciatis *supra hoc eod. tit. disc. 2. & 35.* donationem omnium ejus bonorum fecit Clorindæ de Bigazinis matri, quæ eidem Joanni jam regresso volenti uxorem ducere de anno 1657. eadem bona retrocessit, ac retrodonavit.

Eodem vero Joanne uxore ducta defuncto de anno 1666. nullis procreatis filiis cum testamento, in quo hæredem instituit Ecclesiam Sanctæ Mariæ pro Collegio ibi erigendo, relicto jure nominandi Canonicos, Massorellis, & Mengatiis conjunctis, hinc inter istos, & dictam Clorindam superstitem orta fuit lis in partibus super dictæ retrodonationis invaliditate ex defectu solemnitatum, atque pro invaliditate prodiit sententia, confirmata in Curia per Judicem Tribunalis Fabricæ, in quo causa reassumpta fuerat, dum agebatur de pia dispositione cum dictis sororibus Clorindæ interim defunctæ ex altero filio nepotibus, & hæredibus, commissaque causa Bevilaquæ uti Prælato de voto Rotæ, ac dato dubio, an & de cujus bono jure constaret? *sub die 25. Januar.* 1671. prodiit resolutio constare de bono jure hæredis, pro validitate scilicet retrodonationis, ad cujus decisionis normam prolata sententia, super præcedentium sententiarum infirmatione, commissaque per Congregationem Fabricæ denuo causa in eadem Rota coram Rondanino, datoque dubio, an hæc posterior sententia esset confirmanda, vel infirmanda? sub die 24. Januarii 1672. pro infirmatione, & sic pro invaliditate retrodonationis juxta priores sententias resolutio prodiit, neque quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit ob concordiæ tractatum pendentem.

In disputationibus itaque habitis tam coram Judice Fabricæ, quam in Rota in utraque instantia, ultra ea, quæ in hac ultima instantia ex hac parte deducebantur judicii ordinem respicientia, super ultimæ sententiæ nullitate cum totum consisteret potius in facto, quam in jure, quoad ea quæ ju- 2
ris sunt, quinque fuerunt inspectiones, primo nempe, an ista donatio, utpote facta occasione accessus ad bellum dicenda potius esset causa mortis, quam inter vivos, & propterea dato incolumi regressu, ea resoluta esset, secundo posito, quod esset inter vivos, an retrodonatio exigeret easdem solemnitates, quæ ex enunciatis decretis Ducalibus requiruntur in donationibus, tertio, an prædicta decreta Ducalia vigeant stante devolutione Status, quarto posito quod dicta decreta vigeant, quodque in retrodonatione requirantur eædem solemnitates, quæ in prima donatione, an illæ requirentur in hoc actu, utpote facto per matrem ad favorem filii, præsertim vero invitato, & contemplatione matrimonii, quod iste contrahere volebat, & quinto de-

mum,

mum, an obstaret quædam revalidatio, vel suppletio concessa per Cardinalem Legatum Urbini ad ejusdem Clotudæ preces.

Quatenus pertinet ad primum punctum disputatum quo-
3 que supra *disc.* 38. dicebam Scribens pro dictis puellis idem quod loco citato habetur, easdemque deducebam auctoritates, quod scilicet illa occasio apta quidem sit ad inducendam præsumptionem in dubio, ut potius causa mortis, quam inter vivos donatio censenda veniat, secus autem, ubi ejusdem donationis tenor probet oppositum, quod inter vivos facta sit, cum hæc etiam a moribundo fieri valeat, & per consequens cum in hoc instrumento expresse diceretur fieri donationem irrevocabilem inter vivos ab initio perfectam cum verbis, & clausulis ex nunc dominii translativis, mentione mortis adjecta ad denotandum solum plenarium effectum, vel executionem etiam in usufructu per donatorem sibi reservato, juxta receptam, hodieque nimium vulgarem distinctionem, de qua in ibidem allegata *dec.* 664. Merl. *repetit. dec.* 9. *par.* 6. *rec. & in aliis relatis per modern.* De Luc. ad Franch. *dec.* 436. Ita de stricta juris censura, nullius operationis remanebat cessatio periculi, seu reversio a bello, ut etiam probabat ejusdem donatoris observantia, quoniam dicta incolumis reversio de recenti sequuta fuerat, dum bellum desierat de anno sequenti 1644. & tamen post plurium annorum decursum de anno scilicet 1657. donator habens in animo uxorem ducere, coactus fuit, etiam cum aliqua longa negotiatione, ac mediatione non absque aliqua mulieris circumventione, vel circumventionis suspicione ex quibusdam facti circumstantiis desumpta, atque in ultima decisione coram Rondanino ponderata, obtinere retrodonationem, Ideoque in hac parte reflectendo etiam ad veritatem in puncto juris probabilior videtur posterior, quam prior resolutio.

4 In secundo puncto, quod scilicet retrodonatio exigeret easdem solemnitates, quas nova donatio ex integro, dictæ decisiones invicem nullatenus pugnant, cum in utraque id supponatur, & merito, quicquid etenim motiveetur per Paulum de Castro *cons.* 171. *lib.* 2. qui maxime communiter reprobatur, eaque adducitur distinctio, quod aut agitur de illa retrodonatione, quæ habeat speciem repudiationis, sive abstentionis ab acquirendo, quod nempe donatarius habita notitia donationis, dicat eam non curare, & nolle acquirere, ideoque retrodonet, & tunc nullæ requirantur solemnitates in donationibus desideratæ, quoniam in effectu nil amittit, vel dat de suo, sed solum abstinet ab acquirendo, aut donationem acceptavit, adeout dominium bonorum donatorum in ipsum jam perfecte translatum fuerit, deindeque ex intervallo donatori retrodonationem faciat, & tunc secus, quoniam in effectu est nova donatio, & alienatio ex integro, ex iis, quæ antiquioribus relatis habentur apud Lotter. *lib.* 3. *q.* 17. *num.* 207. Olea *de cess. jur. tit.* 20 *q.* 4. *nu.* 1, *& seqq.* Rota apud Peniam *dec.* 237. & 239. Gratian. *discept.* 750. *nu.* 11. & 12. *dec.* 43. *& seqq.* post Pansell. in eodem casu, de quo supra *disc.* 2. ubi agebatur de retrodonatione in parte, & conferunt, quæ habentur *sub tit. de alien. & contract. prohib. disc.* 1. Ac propterea in primis disputationibus habitis coram Judice Fabricæ, sola quæstio fuit in facto potius quam in jure, quia nempe Scribentes pro hærede donatoris negabant applicationem, sin quod non constaret de acceptatione expresse, sed ex hac parte procedebatur cum præsumpta deducta ex natura actus favorabilis, vel lucrativi, & ex conjunctione sanguinis, aliisque conjecturis; sed in aliis disputationibus habitis in Rota, non fuit opus de hoc agere cum quæstio de plano cessaret ex facto, in quo justificata fuit possessio donatarii cum perceptione fructuum, & deputatione procuratorum, aliorumque ministrorum, vel colonorum, nihilominus in idem conferebat ipsa retrodonatio procurata cum aliqua negotiatione, ut supra.

5 Super tertio puncto, an decreta Ducalia præscribentia solemnitates vigerent necne, difficultatem faciebat assertio Conciol. *alleg.* 39. *n.* 1. quod scilicet illa non fuissent in hac Civitate Eugubina publicata, verum bene examinato puncto, compertum fuit, id assertum fuisse pro consuetudine Advocatorum, & Consulentium acuendi ingenium, atque deducendi quicquid possunt pro defensione causæ, cum *cons.* 14. *Eugenii lib.* 1. editum pro hac Civitate supponat præexistentiam antiqui decreti; sed ex eodem more Consulentium curetur illud evitari ratione juramenti, cum plerisque aliis considerationibus, ob quas istorum filiorum volumine publice fuit traditio super istius decreti observantia plures irrepsere difficultates, ad quas dirimendas idem Dux de anno 1621. novum fecit decretum longe amplioris tenoris, ut pluries in præcedentibus advertitur, & præsertim *d. disc.* 35. atque super hoc decisio coram Rondanino nimium se diffundit, eaque etiam in solo sensu veritatis est probabilis.

Major difficultas esse videbatur in quarto puncto, quod scilicet ageretur de donatione facta per matrem filio, ac 6 propterea cessaret illa suspicio fraudis, & circumventionis, ob quam in donationibus desiderari solent juxta doctrinam Baldi *in l. pactum dotale* 3. *n.* 24. *C. de collat. & cons.* 407. *lib.* 2. quam alii sequuntur relati per Manticam *de tac. lib.* 4. *tit.* 23. *n.* 31. Rotam *dec.* 21?. *par.* 4. *divers. &* 653. *p.* 4. *recent. tom.* 2. utrobique *n.* 1. cum aliis relatis in prima decisione coram Bevilaqua.

Super hoc motivo duas dabam responsiones, quas Rota in posteriore decisione coram Rondanino amplexa est, primo scilicet, quod ex ista circumstantia oriatur quædam simplex præsumptio attendenda in dubio, secus autem, ubi adsint contrariæ probationes, vel fortiores præsumptiones, dum tunc cessat ratio, cui innituntur Bald. & alii, ut advertitur apud Millin. *dec.* 304. *dec.* 6. post Pich. *n.* 9. *& seqq. & dec.* 143. *n.* 8. *par.* 1. *rec.* idem Pich. *ad stat. gloss.* 10. *n.* 3. Cumque ponderarentur aliquæ circumstantiæ redolentes circumventionem, ita in stricta juris censura etiam fundate dicitur conclusionem non intrare.

Altera erat responsio pariter in decisione admissa, quod scilicet id procedat in Statutis particulariter agentibus de solis donationibus, vel aliis contractibus mulierum ratione fragilitatis sexus, ob quam de facili præsumuntur fraus & circumventio, cum ista circumstantia hanc præsumptionem tollat, secus autem, ubi agitur de lege generali præscribente formam, vel solemnitatem in contractu per quemcumque ille fiat, etiamsi per Virum majorem quantumvis sagacem, & prudentem, cum tunc dicta ratio non intret, ideoque in specie solemnitatum, quæ per Statuta Urbis 149. & 150. in donationibus desiderantur, ut procedant etiam inter patrem, & filium, ex Fenzon. *decis.* 249. *n.* 10. *& seqq.* advertitur per Rot. apud Bich. *dec.* 472. *n.* 33. *repet. dec.* 217. *n.* 29. *par.* 11. *rec.*

Clarius vero in terminis istius posterioris decreti Ducalis, quoniam cum per Eugen. *d. cons.* 14. *l.* 1. excitata fuisset ista difficultas, quod scilicet habente antiquo decreto 7 anni 1561. expressam rationem fraudis illud cessare deberet, quando ista exclusa remaneret, voluit idem Dux ejus voluntatem declarando aliud decretum de anno 1621. edere cum longe ampliori forma pro tollendis omnibus Juristarum subtilitatibus, & rampinis, ut etiam supra *d. disc.* 2. advertitur, idque comprobabant ipsæ Partium observantiæ, dum in prima donatione facta per filium matri solemnitates adhibitæ fuerunt, ac etiam in retrodonatione aliquæ servatæ fuerunt, idcirco curatum fuit postea obtinere revalidationem a Cardinali Legato.

Dictam vero revalidationem in quinto puncto supradistinctam non refragari merito quoque in posteriori decisione resolutum fuit, tum quia non justificabantur præsup- 8 posita in precibus narrata, tum etiam, quia non constabat, quod eædem preces porrectæ fuerant ex parte ipsius mulieris, cujus nomen supponi potuit, dum præsumptio; cum qua procedit prior decisio, quod gratia obtenta fuerit per Oratorem recte procedit in favorabilibus, in qui- 11 bus terminis loquuntur *dec.* 811. *n.* 9. & 966. *n.* 8. Dunozett, Add. ad Gregor. *dec.* 331. *n.* 19. & aliæ auctoritates relatæ in prima decisione, secus autem in odiosis, & præjudicialibus.

Quamvis autem loquendo de stricta juris censura omnes præmissæ conclusiones, eas capiendo generaliter, & 9 in abstracto essent veræ, adeout posterior decisio, capiendo eam per partes esset probabilis, beneque fundata, attamen reflectendo ad veritatem, ex quodam naturali potius quam legali discursu, quamvis esset favorabilis illi parti, pro qua scribebam, intellectus ei non acquiescebat, non quidem ex fallacia dictarum conclusionum, sed ex illa applicationis, quasi quod inspecta hac facti serie, ex illa adinstar pluries enunciati operis musivi resultaret quædam imago longe diversa ab illa, quam singuli lapides præseferrent, sive quod verificaretur pluries enunciatum axioma Medicorum, pulsus bonus, urina bona, aliaque signa bona, & æger moritur.

Nimium siquidem inverisimile videbatur, ut nobilis juvenis, qui vitam sæcularem profitebatur, voluisset ita se depauperare,

perare, ut incolumis rediens a bello, nil haberet, de quo vivens, vel moriens disponere posset, quodque matre aliorum filiorum, vel nepotum forsan æmulorum favore disponente, videre deberet eos ditatos cum propriis bonis, sive quod in tuis matre moriente ab intestato pati cogeretur concursum eorundem fratrum, vel nepotum forte invisorum, quinimmo quod magis Fisci ex eorum persona venientis juxta frequentes contingentias, aut attraneorum, in quos illa post mortem cito decedentes transmiserint juxta casum, de quo in Tusculana *hoc tit. disc. 64. cum similibus*.

Et propterea magis verisimile credatur, quod substantia voluntatis donatoris fuerit transferre in matrem ejus bona cum præsupposito, quod ejus mors in bello contingeret, ut ita cum hoc solatio majoris commoditatis compensata remaneret afflictio, quam eadem mater passura fuisset, seu probabilius ad assecurandum bona a Fisco, quatenus per fratres contingeret committi aliquod delictum, ut in juvenibus timeri solet, eodem tamen præsupposito reditu, adeout ex consueta imperitia Notarii transcribentis a formulario illam donationis formam potius quam a voluntate donatoris verba, & clausulæ prodierint juxta casum, de quo in dicta Tusculana *disc. 64. & in aliis similibus*.

Et per consequens, quod mater hujus veritatis conscia in ejus recognitionem potius gesserit idem, ad quod se obligatam ea lege militiæ agnoscebat, vel saltim id, quod exigebat lex convenientiæ, & obligationis antidoralis, ideoque recte intrarent rationes, quibus innititur Bald. *d. cons. 407.* a quo cæteri desumpserunt conclusionem, de qua supra, ut donatio facta per Patrem filio hujusmodi solemnitatibus subjacere non debeat, dum ille casus est fortior,

10 quam ille, de quo agit Bald. quoniam in eo casu pater donavit de suo, suumque diminuit patrimonium, adeout concurreret præjudicium proprium, ac etiam illud aliorum filiorum, atque de facili caderet suspicio fraudis ob inæqualitatem inter eos, juxta casum, de quo in Romana locorum Montium *hoc eod. tit. disc. seqq.* ad terminos, ac materiam text. *in leg. hac consultissima, §. Ex imperfecto*, super testamento patris inter filios, inter quos inæqualitas notabilis servata sit; in præsenti autem nil de suo mater dedit, sed filio restituit id, quod suum erat, & ad quod saltim ex obligatione antidorali, & ex lege honestatis, & gratitudinis tenebatur.

E converso dictus rigor legalis, qui juxta posteriorem resolutionem matri donatariæ retrodonandi assistebat, compensatus, seu moderatus remanere videbatur ab altera naturali æquitate, quam subsequutus casus, vel eventus produxerat, quod scilicet illæ puellæ depauperatæ remanerent, ut superfluum pium opus perficeretur, atque extranei de hujusmodi Canonicatibus providendi alerentur, illa potissimum accedente nimium considerabili circumstantia, quod eorum pater fortunæ bonis nimium non provisus sub hac spe maternæ successionis uxorem duxerat, de tempore, quo retrodonatio sequuta non fuerat, atque donator perseverabat in animo vacandi vitæ militari, & uxoris vinculo se non alligandi, ideoque accidentaliter, & ea eventu assistebat huic parti magna æquitas moderativa præfati indiscreti rigoris legalis, idque Me ancipitem tenebat in efformatione judicii pro veritate, ideoque reputii, quod dixi ab initio, causam esse honesta concordia dignam.

11 Atque hinc semper in dies monemur, ac docemur, quam evidens error adeo communis Professorum hujus facultatis in judicando, sive in consulendo, sit procedere cum conclusionibus, & doctrinis generaliter, & in abstracto, illas quibuscumque casibus indifferenter applicando, & non reflectendo ad singulorum circumstantias particulares, quodque forensium controversiarum decisiones ex facto potius quam ex jure frequentius hodie prodeant.

ROMANA DONATIONIS LOCORUM MONTIUM

PRO JOSEPHO PASQUINO CUM SORORE.

Casus disputatus coram A. C.

De eadem materia, de qua *disc. præced.* An scilicet in donatione facta per matrem filiæ requirantur solemnitates statutariæ necne?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series*.
2 *De conclusione, de qua in argumento*.
3 *De ejus declaratione*.

D I S C. LXIX.

HAbens Vidua tres filios, unum scilicet masculum, 1
& duas fœminas, quarum unam pater vivens cum congrua dote viro dederat, alteri puellæ innuptæ pro dote, vel augmento, incerti tamen, & determinati matrimonii contrahendi, ut illius occasio facilius haberetur, donavit quatuor loca montium dotalia; quæ de facto in dotem deinde fuerunt ei constituta; ad aliquod vero notabile temporis intervallum, eadem mater, ut supponebatur, ob gravem ætatem pene repuerascens, ab altera filia nupta, ejusque viro inducta fuit ad sibi donandum eadem quatuor loca montium, oblita quod ea alteri filiæ donasset, ac propterea cum altera filia donataria ad dictam speciem, utpote jam distractam, & cum clausula constituti in priorem donatariam translatam actionem non haberet, judicium instituit contra fratrem donatricis interim defunctæ hæredem pro evictione, seu præstatione æquivalentiæ, ob clausulas pro consueta Notariorum ineptia, citra omnem verisimilem agentium voluntatem adjici solitas transcriptorio more eas ex formulario desumendo, cumque in hac posteriori donatione adhibitis quidem solemnita- 2
tibus generaliter desideratis in donationibus per Statuta 149. & 150. neglectæ fuissent aliæ solemnitates in contractibus mulierum desideratæ per Statutum 151. Ideoque reus conventus de nullitate actus ex hoc defectu opponeret, non negabant Scribentes pro actrice istarum solemnitatum cumulativam necessitatem, dicebant tamen in præsenti non fuisse necessarias ex eo, quod ageretur de donatione facta per matrem filiæ juxta *cons.* Baldi *407. l. a. cum aliis* de quibus *disc. præc.* Potissime vero, quia ex deductis *ep. l. disc. praced.* non agebatur de defectu illarum solemnitatum, quæ requirerentur ea peculiari natura donationis a quocumque illa fieret, quamvis a viro majori, sed agebatur de solemnitatibus specialiter desideratis in contractibus mulierum, ob præsumptam, vel suspicatam facilitatem circumventionis fraudis ex imbecillitate sexus ac propterea in actu, qui fiat favore filiorum habente probabilem rationem materni amoris illa præsumptio, vel suspicio non intret.

His tamen non obstantibus, Scribens pro reo convento
etiam cum sensu veritatis, dicebam conclusionem non in- 3
trare, sed potius locum fore ejus limitationi, vel declarationi, ut eodem *disc. præc.* insinuatur, & cum auctoritatibus firmatur, quando scilicet ista bona præsumptio a contrariis probationibus, vel fortioribus præsumptionibus suffocata remaneret, quoniam attentis facti circumstantiis circumventio, & fraus ex parte donatarii, ejusque viri nimium probabiliter convinci videbantur, tum ex gravi ætate, & statu donatricis, tum etiam ex eo, quod facti proprii oblita cum perjurio non præsumendo in muliere timoratæ conscientiæ, donationem fecerit de eo, quod jam alteri filiæ donaverat, ac etiam ob notabilem inæqualitatem inter filios alias resultantem contra omnem rationem, ac inverisimilem intentionem, dum ita pro superflua ditatione filiæ jam nuptæ, & congrue dotatæ omnino denudatus remaneret filius masculus, quinimmo ipsamet donatrix si viveret, adeout intraret etiam motivum inofficiositatis, quod non intrat in priori donatione facta alteri filiæ innuptæ, tum quia erat infra dotis medietatem, tum etiam quia ille fuit actus prudens, peneque necessarius parandi dotem filiæ non provisæ, quam etiam masculus frater saltim ea ratione congruentiæ, & honestatis debuisset de proprio dotare, ideoque ille actus dici non potest masculo præjudicialis.

Ratio etenim, cui innixa est dicta conclusio, ut in donatione, quam parens filio faciat, desiderandæ non sint solemnitates, est eadem, cui innixa est dispositio text. *in l. hac consultiss. §. Ex imperfecto*, super exemptione testamenti inter liberos a rigore solemnitatum ex deductis *sub tit. de testamen. disc. 26. & seqq.* quod scilicet dispositiones parentum cum filiis dici non merentur alienationes, vel actus læsivi, & præjudiciales, cum potius redoleant quandam divisionem, sive illam anticipatam successionem, quam quidam naturalis instinctus defert; ista vero ratio cadit, atque adaptatur quando æqualitas inter filios servetur, adeout actui assistat ipsa naturalis æquitas, ipseque naturalis amor paternus, vel maternus ab instinctu communi, sive communi usu regulatus. Secus

autem

tatem, ubi potius magnam inæqualitatem, ac evidentem irrationabilitatem redoleat, ideoque ex facti qualitate conclusio regulanda est, eaque in spiritu vivificante, non autem in littera occidente intelligi, & practicari debet.

CREMONEN. DONATIONIS PRO CÆCILIA GUAZZONA.

Responsum pro veritate.

De donatione facta per Mulierem viduam cum præsupposito deliberationis permanendi in viduitate, an corruat, vel resolvatur, ea mutante propositum, atque transeunte ad secunda vota? Et de aliquibus ad materiam donationis remuneratoriæ, sive causativæ, & onerosæ, ac etiam de nullitate ob non bene servatas solemnitates Statuti?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De pluribus motivis causæ.*
3 *Punctus est in applicatione conclusionum.*
4 *De donatione remuneratoria, & de pluribus ad materiam.*
5 *De re correspectiva, & onerosa, & quando sit talis, & de læsione.*
6 *De aliis motivis, de quibus num. 2.*
7 *De resolutione donationis ob non implementum.*
8 *Quare in causis de partibus dari non potest tutum judicium pro veritate.*
9 *De resolutione, vel invaliditate donationis ob impedimentum libertatis matrimonii.*
10 *De resolutione ex l. si unquam, ratione cessantis præsuppositi.*
11 *Ad quid deserviant alia motiva de per se levia.*
12 *De resolutione ob cessantem causam.*
13 *De circumstantiis redolentibus fraudem.*

D I S C. LXX.

1 Donavit Cæcilia Vidua omnia ejus bona alicujus notabilis valoris nepoti ex fratre ejus viri defuncti sub consueta meritorum, & acceptorum beneficiorum assertione, sub ea lege, quod donatarius se obligaret, ut fecit, illam in propria domo retinendo, victu, & vestitu, medicamentis, aliisque necessariis providere, eique morienti funus de more Regionis peragere, obtenta a Senatu Mediolanensi quadam dispensatione ex formulario, vel stylo Regionis obtineri solita super solemnitatibus desideratis a Statuto, sive a decretis Ducalibus.

Post aliquod vero temporis intervallum donatrix, vel quia viri cupida, prætextum malorum tractamentorum affectaret, vel quia vera essent, a Donatarii domo discedendo, virum duxit, atque donationem revocavit, editoque Advocati de partibus plenissimo responso super invaliditate donationis, super eo pro veritate ex parte ejusdem donatricis consultus fui.

In hoc itaque responso plura deducebantur fundamenta, primo nempe deficientia meritorum, quæ nec specificata, nec justificata essent, secundo subreptio dictæ dispensationis Senatus, qua corruente actus mole sua corruebat ob non servatas illas solemnitates, quibus dispensatum fuerat, subreptionem deducendo ex eo, quod supposuerit vivere velle in perpetua viduitate, tertio nimium se diffundendo 2 in simulatione ex quibusdam vagis generalitatibus deducta, reassumendo juxta modernum scribendi abusum pene omnia, quæ in materia simulationis super ejus conjecturis, & argumentis cumulantur per Menoch. *de præsumptionibus*, Mascard. *de probationibus*, & Farinac. *in tract. de simulat. & similes*, quarto in ineptia causæ, & quinto in malis tractamentis, adeout responsum pro stylo Scribentium de partibus plenum volumen contineret.

3 Respondi itaque super omnibus in dicto responso deductis, nullum solidum fieri posse fundamentum, cum aliqua essent quidem in puncto juris vera theorice, sive in abstracto, sed juxta pene genericam forensium quæstionum naturam, punctum esse in applicatione ad factum, quæ deerat.

4 Quatenus enim pertinet ad primum motivum non factæ specificationis, ac deficientis justificationis meritorum, illud nullum habere dicebam probabile fundamentum, quoniam ista justificatio, & specificatio respective ad duplicem desiderari solent effectum, primo nempe ad inducendam illam veram, & propriam donationem remuneratoriam, quæ onerosi, & correspectivi potius quam gratuiti contractus naturam, vel speciem habet, ac propterea intrat evictio, ac etiam non intrant ea, quæ in gratuitis donationibus locum habent, tam circa insinuationem, aliasque solemnitates, quam circa facultatem revocandi ex causa ingratitudinis, sive resolutionem ob supervenientiam filiorum, vel obligationem alendi, cum similibus, quæ cadunt in lucrativis donationibus, non autem iis, quæ vere, & propria sint meritoriæ, quia nempe habeant naturam potius contractus onerosi, & correspectivi per modum loquendi explicati sub nomine, seu vocabulo donationis.

Atque ad istos, vel similes effectus, non solum merita deduci debent ad speciem, ac justificari, sed intrat etiam aliud eorum requisitum ab una opinione desideratum, ut sint talia, quæ obligent ad remunerationem etiam civiliter, & ex lege justitiæ, non autem ex sola naturali, seu antidorali obligatione, quæ solum apta est ad reddendam aliqualiter causativam donationem, quæ propterea non remaneat omnino pura, & simplex, mereque gratuita pro aliquibus minoribus effectibus, non autem pro præmissis, vel similibus juxta ea, quæ ad hanc materiam remuneratoriæ donationis habentur supra *disc. 60.* Ac etiam *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc. 94.* occasione agendi de puncto, an illa Bulla locum habeat in debitis contractis per Baronem ex causa donationis remuneratoriæ, ibique agitur de puncto per DD. disputato, an in illis, qui ex debito officii, vel naturæ tenentur ad obsequia, vel servitia, ut sunt filius erga patrem, famulus erga Dominum, miles erga Principem, vel Ducem, Conjux erga conjugem, & similes, detur hæc species meritorum.

Alter vero effectus est, ubi agatur de donatione inter prohibitos, inter quos ex causa meritoria dictum contractum fieri permittatur, cum tunc hujusmodi vagæ, ac generales assertiones de Notariorum stylo fieri solitæ, non attendantur, quoniam esset imponere legem potius verbis, quam rebus, atque esset prohibitio de facili eludibilis, ac propterea cum in hac facti specie non ageretur inter prohibitos, neque disputaretur de effectibus supra recensitis, vel similibus, ita inanem, & extraneam esse dicebam hanc inspectionem.

Clarius vero, quoniam revera improprie adhibitum 5 fuerat donationis nomen, atque adhibita pro ineptia Notaris forma in donationibus adhiberi solita, quoniam stante dicta obligatione per donatarium suscepta de suppeditando donatrici victum, & vestitum, habitationem, medicamenta, famulatum, & alia necessaria, ita contractus remanebat in illis terminis, de quibus supra *hoc tit. disc. 60. & 61.* ubi habetur, quod non sit donatio, sed potius contractus onerosus, & correspectivus innominatus, do ut des, vel do ut facias, &c. sive contractus emptionis, & venditionis incertæ aleæ, ut est contractus censuum vitalitiorum, aut concessionis officiorum, seu locorum Montium vacabilium.

Et quamvis etiam in actibus onerosis recta cadat terminus veræ donationis pro insinuatione, aliisque effectibus, illo præsertim præsumptæ acceptationis, aut prohibitæ pœnitentiæ ob solam stipulationem Notarii pro absente, cum similibus, attamen id procedit, ut in præcedentibus quoque advertitur, & præsertim *d. disc. 60.* quando certum sit, quod onus sit inferius emolumento, adeout donatarius semper extiturus sit in lucro absque periculo damni de proprio, puta quia onus restrictum sit ad certam quotam, vel etiam ad certam quantitatem ex ipsorum bonorum proprietate, vel respective fructibus, non autem de proprio præstandam, sive quod onus consistat in restitutione post mortem, ratione fideicommissi, vel primogenituræ, cum similibus, quoniam illud plus, quod certe excedit, remanet in terminis mere lucrosæ donationis, secus autem ubi ut in præsenti assumitur onus de proprio adimplendum, quamvis bona donata pereant, vel minuantur, ut pro temporum accidentalium conditione in loco erat de facili contingibile, quod scilicet contingente devastatione, vel occupatione bonorum a militibus inimicis, vel etiam ab amicis, qui quandoque inimicis pejores esse solent, adhuc donatarius teneretur de proprio præstare victum, & vestitum, & alia, ad quæ se obligaverat erga donatricem, cum tali casu totus contractus prædictam diversam habeat speciem.

Est bene verum, quod etiam in isto eventuali contractu, qui potest se habere ad lucrum, & damnum, dari potest lucrum ab initio, adeout in excessu interet unius contrahentium utilitas, & alterius respective damnum cum circumventio-

ventiona, seu læsiona, desumendo æstimationem a verisimilitudine, siva a communt judicio, & praxi justa valutationem censuum, aliorumque jurium vitalitiorum ex relatis *sup. disc.* 54. & 61. Ac etiam *sub tit. de usur.* pluries occasiona agendi da valutatione mercium, seu victualium pro tempore futuro, dum etiam alea, seu jactus retis suam æstimationam cum justitia, vel injustiria pretii habere potest, sed ille excessus operabitur quidem injustitiam, sive etiam nullitatem rationa doli præsumpti, quando excessus esset magnus, ob quem intret læsio enormis, non autem ut intrent termini donationis.

6 Hinc de consequenti dicebam corruere omnia alia motiva, & præsertim secundum circa prætensam subreptionem licentiæ, seu dispensationis obtentæ a Senatu, eo quia non fuisset narratum habere aliquos proximos, qui ad formam Statuti intervenire potuissent, quoniam ultra difficultates, quas ob circumstantias facti patiebatur ipsum motivum de per se consideratum, etiamsi ageretur de donationa, in qua necessariæ fuissent solemnitates, quibus dispensatum fuerat, ita cessabat quæstio in radice, quoniam si nullatenus requirebantur solemnitates frustra quærebatur de valida, vel invalida earum dispensatione utpota non necessaria, & obtenta ad superabundantiam.

Idemque quoad alterum motivum simulationis, dum contractus ob dictam correspectivitatem habebat ejus causam veram, & præexistentem, ac etiam quia conjecturæ, & præsumptiones desuper consideratæ erant vagæ, & leves, non attendendæ ubi desit causa simulandi, ut pluries sub diversis materiis advertitur.

Prout atiam fundamento facti, & juris destitutum erat alterum motivum ineptiæ causæ, dum aderat causa vera, & opportuna consulendi ejus provisioni donec viveret, atqua semper pro meo sensu restringebatur ad punctum læsionis.

7 Solidum, & probabila dicebam (quando factum assisteret) ultimum motivum circa præsupposita mala tractamenta, quæ tamen percuterent non implementum correspectivæ promissionis, eum tunc locus sit resolutioni juxta decisiones in hac materia celebres in Curia *in Mediolan. donationis* 20. *Junii* 1645. & 13. *Martii* 1646. *coram Ghislerio*, sæpius in aliis canonizatas ex deductis supra *disc.* 18. *cum plurib. seq.* sed an intraret necne applicatio, remanebat incertum, cum id penderet ex justificationibus
8 facti, ac propterea, ut frequenter advertitur, non da facili per absentes de facti circumstantiis non bene informatos, tutum ac maturum judicium pro veritate efformari potest, nunquam forte efformabila ax solis conclusionibus, vel generalitatibus juris.

9 Ultra illud motivum, quatenus in facto non esset sustentabila, advertebam solidum quoque, seu præmissis melius Mihi videri alterum non deductum, omnimodæ indotationis mulieris, cui ita impedita remanaret libertas, aliud matrimonium contrahendi, ea iis, quæ in specia habentur *sup. disc.* 55. & *sub tit. de dote disc.* 20. 95. & 96. & conferunt quæ habentur in materia libertatis matrimonii *sub tit. de testam. disc.* 73. & *sub tit. de matrim. disc.* 14. ac etiam habemus generalitar in materia falsi præsuppositi, sive justa axioma, quod qualibet dispositio intelligitur, rebus in eo statu permanentibus.

Cum etenim ista mulier tunc supponeret, atque in animo haberet amplius non nubere, aliosque magis conjunctos, val benevolos non haberet, eo quia viri nepotem loco filii habuerat, ut in precibus Senatui porrectis narratur, hinc credens in eo proposito perseverare, hunc actum prudenter fecit per speciem dispositionis inter vivos, atque ita magis ejus provisioni consulendo, sed cum postea experiretur uri, ideoque ut peccandi occasionem tolleret, mutato proposito nubere deliberaverit, ita intrare dicitur resolutio actus ex cessationa præsuppositi.

10 Atque ad id conferre observabam ea quæ in simili habemus in hac materia donationis, quod si donator habens uxorem senam, vel sterilem, donationem faciat etiam cum renunciatione dispositionis text. in *l. si unquam, C. de revoc. donat.* Attamen si casus præbeat, quod mortua illa uxore, aliam ducat juvenem, & fœcundam, ex qua filios suscipiat, intrat resolutio donationis ex dispositione, vel rationa dicti text. *in l. si unquam*, non obstante quod cogitatum fuerit, dictæque legi renunciatum, ex dicta ratione cessantis præsuppositi, per quam tolli videtur consensus ab actu, Soccin. *cons.* 126. *lib.* 3. adden. ad Thesaur. *dec.* 121. Fontanell. *de pact. cl.* 5. *gl.* 8. *p.* 33. *n.* 16. *cum aliis supra disc.* 20. & *seq.*

11 Famulative autem ad istud motivum, ac alterum non implementi ut supra, ad ea facilitandum, ac ostandendam hujus mulieris circumventionam, non contemnenda essant alia quatuor motiva, de quibus supra, deducendo ad hunc finem ea quæ pro subreptione dispensationis, vel pro simulatione, aut pro defectu solemnitatum directe cumulabantur, ita indirecte, & coadjuvative ad faciliorem reddendum animum Judicis.

In idem, de quo *n.* 9. & 10. conferre dicebam ea, quæ 12
habentur *sup. disc.* 8. & *seq.* circa resolutionem donationis ex cessante causa, ac etiam quæ habentur in renunciationibus ax eodem motivo quandoque resolvendis, ut in sua sede *sub tit. de renunc. disc.* 4. & 5. & *seq.*

Post datum autem responsum, alia transmissa fuit notu- 13
la, in qua advertebatur, quod donatio sequuta non erat in domo solitæ habitationis mulieris, sed in quadam alia domo remota a nemina habitata, cujus vicini adhibiti fuerant, atqua stante hac circumstantia secundum dedi responsum, in quo dixi pro invaliditate respondendum videri ob magnam fraudis, & circumventionis præsumptionem juxta ea quæ de donatione, vel alio contractu gestu extra proprium domicilium habentur *dec.* 17. *n.* 20. & *dec.* 314. n. 2. & *seqq. p.* 13. *rec.* Andreol. *contr.* 414. & *supra hoc tit. disc.* 35. *n.* 17. & alibi, atque ad idem conferre observabam aa quæ *habentur disc.* 1. *de matrim.* super mutatione domicilii, ob rationis identitatem, quod scilicet ita vicini non possunt esse informati, nequa affectionem habere, ut mulieris indemnitati consulant, atque ita illum actum, ac alium, non avocandi consanguineos, attendi pro argumenro fraudis, & circumventionis.

ROMANA DONATIONIS LOCORUM MONTIUM, PRO MARCO, ET ANTONIO DE REBLIS, CUM JACOBO FRATRE.

Casus disputatus coram A. C. seu Prelato deputato.

De eadem materia, de qua supra *disc.* 20. & *seq.* super resolutione donationis ob supervenientiam filiorum ad terminos text. *in l. si unquam, C. de revoc. don.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An & quando intret necne dispositio* l. si unquam?
3 *Quomodo ista materia debeat regulari.*
4 *Paupertas donatoris considerabilis.*
5 *Vel qualitas quia sit idiota, & quid de clausula codicillari, & aliis.*
6 *De imperitia Notarii.*
7 *Quod dispositio* l. si unquam *non intret in contractu oneroso, & correspectivo.*

DISC. LXXI.

POssidentibus pro communi Marco, Antonio, Alexan- 1
dro, & Jacobo fratribus triginta unum loca montium ex quadam negotiationa quæsita, primi tres donationem de eorum portionibus ultimo fecerunt, sub ea lega, & conditione, ut ad omnia debita, quæ ipsi in eadem haberent dissolvenda ipse teneretur, cumque tractu temporis Marcus uxore ducta in Patria, filios procreasset, hinc ob istorum supervenientiam declaravit donationam resolutam coram Notario, deindequa idem, vel eo defuncto, ejus filii, judicium pro eorum portionis vindicatione instituerunt in Tribunali A. C. contra Jacobum donatarium excipientem non esse locum dispositioni tex. *in l. si unquam, C. de revoc. donat.* stante quod in instrumento donationis inter clausulas generales pro observantia adjici solitas, expressa legebatur renunciatio dispositioni text. *in l.* 2. *C. de revoc. donat.* ob supervenientiam filiorum, desuper deducendo auctoritates cumulatas in jam editis decisionibus in casu, de quo su- 2
pra *disc.* 20. *in Romana domorum* 27. *Januarii* 1668. & 1. *Julii* 1669. coram Albergato hodie *impress. decis.* 10. & 219. *post Torr. de pact. fut. success.* in quibus, & præsertim in secunda pleno calamo probatur, quod dicta dispositio non intrat quando de filiis fuit cogitatum, ut etiam advertitur *d. disc.* 20. & *in aliis seq.*

Scribens pro actore, quatenus pertinet ad hunc punctum, seclusa difficultate pacti, de qua infra, etiam cum sensu veritatis dicebam pro eo respondendum fore, juxta regulam textus præfata limitatione non obstante, atque duas pro stylo constituendo inspectiones, unam scilicet doctrinalem, & alteram ratiocinativam.

Quate-

Quatenus pertinet ad primam de præfatis decisionibus rationem habendam non esse dicebam, quoniam ut advertitur in annot. *ad eundem disc.*20. præcipuum dictarum decisionum fundamentum fuit, quod non constaret de procreatione ipsorum filiorum, neque de aliis præsuppositis, ex quibus inferebatur ad verisimiliter deficientem donatoris voluntatem, quia nempe tunc in gravi ætate constitutus haberet mulierem pene sexagenariam, & per consequens in statu desperato generandi, qua defuncta, ex altera uxore filios procreavit, ideoque postmodum agentes ad resolutionem obtinuerunt remissoriam ad id probandam, prævia decisione desuper edita *sub die* 22. *Junii* 1673. *cor. eod. Albergato*, factisque ejus vigore probationibus *sub die* 19. *Junii* 1673. recessum fuit a supradictis resolutionibus, confirmando primam *sub die* 22. *Junii* 1665. ad favorem filiorum donatoris prodita, ita firmando ibi deductam limitationem, etiam ubi de filiis cogitatum sit, quod scilicet intelligatur, eo retento præsupposito, seu rebus in eo statu permanentibus, quo casu donator de facili renunciat huic legi, quia scit, ut vulgo dicitur, donare solem de mense Augusti, utpote de casu non contingibili, & per consequens non capiat casum non verisimiliter cogitatum, & insperatum; istaque declaratio admittitur *dicto disc.* 20. etiam scribendo pro veritate, quamvis ex aliis circumstantiis tunc crederetur resolutioni locum non esse.

3 Assumendo vero alteram magis gratam, magisque genialem inspectionem ratiocinativam, seu discursivam dicebam idem, quod in omni fere materia advertitur, quod scilicet error sit procedere cum generalitatibus, atque doctrinas, vel decisiones unum casum percutientes cuicumque alteri applicare, non reflectendo ad circumstantias facti, cujus potius quam juris revera est quæstio, utpote voluntatis, & per consequens indaganda est substantia verisimilis voluntatis desumendæ ex qualitate donatoris, & donatariæ respective, ex causa, seu motivo donandi, ex quantitate, vel specie donata, & similibus, ex quibus arguendum est, an revera fuisset ille donaturus, quamvis filios habuisset, vel probabiliter sperasset juxta materiam, ac terminos text. *in Auth. ex causa*, *C. de liber. præterit.* super legatis, & fideicommissis sustinendis, non obstante filiorum præteritione, cum similibus, prorsus negligendo formalitates verborum, & clausularum utpote de stylu Notariorum, ut etiam advertitur *d. disc.*20.

4 Applicando autem ad rem, pensatis omnibus facti circumstantiis videbatur absolutum, ut locus esset regalæ pro resolutione, prædicta renunciatione non obstante, attenta qualitate Donatoris dupliciter considerabili, primo nempe quia erat pauper, ac vir depressæ fortunæ, adeout pene totus assis consisteret in hac portione locorum montium, & per consequens cadere non potest illa consideratio, quæ fieri solet quando de aliis bene provisus modicam comparative faciat donationem, vel legatum, facturus etiam si filios habuisset, vel habere credidisset, ut in specie advertitur apud Thesaur. *dec.* 121. cum in hujusmodi quæstionibus ambiguæ, seu conjecturatæ voluntatis, verisimilitudo, seu respective inverisimilitudo sit Regina, seu regulatrix principalis materiæ.

5 Et secundo, quod ageretur de persona, seu viro idiota, atque hujusmodi legalis dispositionis ignaro, ut in specie ponderatur per Thesaur. jun. in add. *ad dictam decis.* 121. Thesaur. sen. *vers. alii vero dicebant*, & in similibus terminis clausulæ codicillaris, vel æquipollentis Rot. apud Dunozzett. *dec.*792. *num.*17. *& in aliis relatis, sub tit. de testam. disc.*57.

6 Et quamvis eodem *disc.* 57. dicatur probabilius esse, quod etiam in dispositionibus rusticorum, & mulierum, aliarumque personarum idiotarum clausulæ sint operativæ, atque opus non sit justificari, quod adjectæ fuerint de voluntate contrahentis, qui de illarum efficacia, vel operatione fuerit certioratus, attamen id procedit, quando ipsius disponentis, vel contrahentis intersit illas clausulas adjici pro validitate, & perfectione actus, cum tunc intret ratio, de qua eodem *disc.* 57. cui hæc opinio innititur, quod scilicet Notarius censetur rogatus facere actum eo meliori modo, quo fieri potest, & valeat, secus autem ubi res sit in oppositum, ac propterea dicta ratio retorqueatur, ut in præsenti.

Clarius vero, ac extra omne dubium in præsenti casu, quoniam ex inspectione ipsius instrumenti constabat esse magis ignarum, & idiotam, quam ipsummet idiotam donatorem, dum neque sciebat qualis esset dicta lex, & quid revera disponeret, dum enunciavit eam esse secundam, cum sit octava, unde ad evidentiam patebat, quod neque Notarius sciret, vel intelligeret quid scriberet, istæque sunt considerationes, quæ in judicando, & consulendo in hujusmodi quæstionibus fieri debent, non autem procedendum in abstracto cum auctoritatibus, vel decisionibus.

Difficultatem autem magnam in isto casu Mihi inferebat factum potius quam jus, quodque non ageretur de vera, & propria donatione, sed potius de actu oneroso, & correspectivo referibili ad commodum, & incommodum, siquidem cum isti fratres exteri pro eorum nationis more, certam industriam in Urbe exercuissent, ibique acquisivissent quidem hæc loca montium, sed pro negotiatorum consuetudine contraxissent debita, essentque incerti an debita essent majora, vel minora, vellent autem, hoc negotium deserendo, in patria morari, hinc illi fratri, qui deliberaverat Urbis incolatum, & negotium prosequi, dimiserunt bonum, & malum, atque commodum, & incommodum, quorum utrumque incertum erat, ideoque fuit contractus correspectivus, & onerosus potius quam donatio, & per consequens extranei remanebant termini text. *in d. l. si unquam.*

URBEVETANA DONATIONIS
PRO PETRO BISENTIO
CUM DECIO ANCAJANO.

Responsum pro veritate,

An bona donata mulieri pro augmento ejus dotis veniant sub generali renunciatione per eandem donatariam facta ad favorem fratris dotantis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De invalida donatione ejus, quod donatum est contemplatione matrimonii.*
3 *De donatione habente naturam dotis.*
4 *Damnatur stylus procedendi cum littera.*
5 *De consuetudine faciendi renunciationes.*
6 *Quando vir dicatur magis interessatus in donatione facta mulieri.*

D I S C. LXXII.

Subscriptis capitulis matrimonialibus sub die 20. Septembris 1661. super matrimonio contrahendo inter Decium 1
Ancajanum, & Doralicem Bisentiam cum dote scutorum quatuor mille, a Petro tunc minore cum auctoritate Curatoris sponsæ patre destitutæ, cum consueto pacto generalis donationis, ac renunciationis per dotatam dotantis favore faciendæ, die immediate sequenti Virgilia sponsæ mater ei donavit scut. mille solvenda post ipsius mortem in tot bonis, atque sub die 3. Octobris sequentis eadem sponsa amplam donationem, ac renunciationem fecit omnium ejus jurium præsentium, & futurorum ad favorem fratris dotantis, vocando se decenter dotatam, & contentam dicta dote sc. 4. m. per fratrem sibi constituta, subsequuto matrimonio sub die 12. Novemb. sequen. Quare sequuta postmodum obitu matris, ideoque facto casu solutionis dictorum scut. 1000. per eam donatorum, exortum est dubium an ista comprehendantur sub dicta generali donatione, seu renunciatione, atque desuper pro veritate ex parte Petri donatarii consultus. Contra ipsum requirentem respondi ex defectu potestatis, a qua etiam voluntas metienda est, quoniam cum ista fuerit donatio facta intuitu, & contemplatione certi
matrimonii, ita resultat ille defectus potestatis, de quo su- 2
pra *disc.* 1. *cum pluribus seqq.* in donationibus contemplatione matrimonii non retrocedendis, vel minuendis etiam de Donatarii consensu ob interesse alterius conjugis, atque in specie istius casus donationis factæ mulieri non retrocedendæ in præjudicium viri habetur *sup. disc.* 7. ubi licet contra ibi decisa Ego habeam difficultatem, ista tamen provenit ex illius casus particularibus circumstantiis, in isto cessantibus, quinimmo retorquendis, ac fortioribus, quam in illis casibus, de quibus *disc.* 1. *& seq.* donationis factæ sponso, dum ista donatio favore puellæ absentis, ac insciæ stipulata fuerat cum sponso ejus nomine, ac etiam pro ipsius jure acceptante, secundo quoniam illa præsumpta deficientia voluntatis, quæ resultat a defectu potestatis ut supra, magis comprobata remanebat ex circumstantia, quod puella donatrix, vel renuncians ignara erat hujus donationis, ideoque intrare dicebam vulgatum axioma, quod renunciatio non trahatur ad ignorata.

Item

Item fortius, quoniam revera ista dicenda non erat sim-
plex donatio facta per matrem filiæ, ut in verbis diceba-
3 tur, sed potius attenta substantia veritatis, quæ perpetuo
attendi debet, atque verbis prævalere, erat pars dotis ab
initio constitutæ, ac perfectæ, dilata solum ad tempus
mortis executione juxta casum, *de quo sub tit. de dot. disc.*
27. Frequens etenim est matrum consuetudo ad facilitan-
dum matrimonium filiarum faciendi de proprio hujusmodi
augmenta post earum mortem præstanda, dum ipsæ vi-
ventes indigent dote, ut ex fructibus vivant quatenus
sint Viduæ, si vero sunt nuptæ non possunt ex tunc do-
tem minuere in præjudicium viri, cujus sunt fructus.

4 Et quamvis aliqui per eundem donatarium, seu renun-
ciatarium consulti, in contrariam abierint sententiam, il-
li freti fundamento deducto juxta frequentem ineptiam ex
sola verborum formalitate, quia scilicet formaliter vocan-
do se congrue dotatam, atque contentam dote scut. qua-
tuor mille per fratrem sibi constituta, reliqua omnia bo-
na, & jura de præsenti competentia, & in posterum com-
petitura remiserit, ac donaverit, ideoque dicebam, quod
casus esset expressus in verbis, dum se contentam decla-
ravit solis scutis quatuor mille, attamen dixi id proveni-
re ex consueto nimium damnabili, atque toties inculcato
errore procedendi cum sola formalitate verborum Notarii,
non reflectendo ad substantiam veritatis ex facti massa,
non autem ex verbis desumendam, ideo etenim ita dictum
fuit, quia instrumentum dotale de hac summa non loque-
batur, istud vero augmentum nec Notario, nec ipsi fra-
tri donatario, seu renunciatario, quinimmo neque ipsimet
puellæ innotescebat, cum fuerit actus occulte initus inter
socerum, & generum, ideoque semper, ac in dies mani-
bus palpabilis redditur iste error, qui tamen non corrigi-
tur, sed potius crescit.

5 Et quidem juxta communem Italiæ usum pluries insi-
nuatum *sub tit. de renunciat.* istæ renunciationes per puel-
las, quando in congrua ætate spiritualiter, vel carnaliter
nubunt, fieri solent ad favorem patris, vel fratrum, & per-
tinent jure delata, vel deferenda ex testatis, vel intesta-
tis, sive fideicommissariis successionibus in genere, sed
potius incerta, quam certa, nullatenus vero bona, & ju-
ra certa, & quæsita intuitu, & contemplatione illius spe-
cialis matrimonii, quod causam præbet hujusmodi genera-
li renunciationi, cum id continere videatur potius con-
tradictionem, nullamque habeat verisimilitudinis assisten-
tiam, quamvis bona, vel jura ista occasione obventa non
fuissent data in dotem, sed reservata pro parapherno,
quoniam, & hoc speciem dotis redolet, atque in eo ma-
gis interessatus dicitur sponsus, quam sit interessata spon-
sa in donatione contemplatione matrimonii facta sponso.
6 Tum quia de communi, vel saltim frequentiori usu fructus
bonorum paraphernalium, seu extradotalium ex mulieris
explicito, vel implicito consensu solent esse viri ex dedu-
ctis *sub tit. de dote disc.* 168. Tum etiam, quia quo ma-
gis mulier de parapherno bene provisa est, eo minora
sunt viri onera in ornamentis, aliisque usibus muliebri-
bus, ex deductis *eod. tit. de dote in Maceraten. disc.* 176.
ideoque interesse est magis proximum.

PRATEN. DONATIONIS PRO AGNETE DE TASSIS.

Responsum pro veritate.

De pacto resolutivo donationi adjecto ad favorem Donatoris in casu alicujus inobservantiæ, vel contraventionis, an percutiat substantiam donationis, vel potius modum, & accidentia, ubi præsertim donatio sit ad pias causas, & an resolutio non declarata per donatorem in vita, declarari possit post mortem, per ejus hæredem?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De pacto resolutivo, ejusque operatione.*
3 *Quod negligentia administratorum non præjudicet causæ piæ, & Ecclesiæ, non adimplendo, quod declaratur.*
4 *Resolutio posita arbitrio est personalis, & non allegatur per Successorem.*
5 *Pœna non declarata in vita, non declaratur per hæredem.*
6 *Quando dispositio respiciat substantiam, vel accidentia,*
7 *In dubio favore piæ causæ pro non ademptione.*
8 *Missa celebranda in loco in quo est sepultus disponens.*
9 *Per immutationem jurispatronatus activi non infertur ad passivum.*

D I S C. LXXIII.

ACHILEUS Picenus de Monte Elparo, moram trahens 1
occasione cujusdam muneris militaris in Civitate
Praten. sub assertione consulendi animæ propriæ donavit
scuta bis mille, quæ ibi in quodam banco habebat pro ere-
ctione Cappellaniæ, quæ ibi dicitur animaggium ad effe-
ctum, ut Sacerdos pro tempore deputandus ex fructibus,
quos vivens sibi reservavit, aliquas Missas celebraret in Al-
tare sacri Cinguli B. M. tradens ea tunc dictam pecuniam
Congregationi, seu Operæ in eodem Altare erectæ, ut pecu-
niam prædictam in census, vel alias fructiferas occasiones,
quamprimum investiret, nominando primum Cappellanum,
quo defecto eidem Congregationi, seu Operæ illum deputan-
di facultatem dedit, ita tamen, quod si pro tempore Sacer-
dotes de descendentia Petri Caluri adessent, nominari de-
berent, aliisque præferri, ea lege adjecta, quod nisi præfatæ
Operæ administratores infra tres menses dictum investimen-
tum non facerent, consignatio pecuniæ resoluta, & pro
non facta censeatur, atque sit in ejus arbitrio dictum ani-
maggium alibi, & cum legibus sibi bene visis erigere. Cum
itaque intra dictum terminum trium mensium, & ultra
investimentum factum non esset, ejusdemque Achilei non
reclamantis ad aliquod tempus sequuta esset mors ab in-
testato, hinc Elisabetha ex filia neptis, & legitima hæres,
a Magistratu sententiam reportavit contra Operam super
dictæ assignationis resolutione, reservato, ut de reliquis
videretur. Ideoque de tribus dubitari contingit, primo
nempe, an ipsa donatio in totum resoluta esset, etiam
quoad substantiam, adeout actrix pecuniam absque alio o-
nere ad ejus liberam dispositionem habere deberet, secun-
do, posito quod non, adeout erectioni Cappellaniæ locus
esset, an præcise erigi deberet in eadem Ecclesia, & Alta-
ri respective, vel potius hæres erectionem facere posset in
patria, vel alibi pro ejus arbitrio, & tertio an per dictum
pactum resolutivum, remaneret etiam resolutum juspatro-
natus passivum reservatum ad favorem descendentium ex
dicto Petro Caluro, atque desuper ex parte hæredis con-
sultus, in omnibus contra ipsum respondi.

Quatenus enim pertinet ad primum, attento expresso 2
pacto resolutivo ob non implementum in tempore præfi-
nito, dixi, quod de stricto jure quodcumque dictæ Operæ
jus resolutum remaneret juxta generalem naturam, vel
operationem pacti resolutivi inficientis actum ac si ge-
stus non esset, ex deductis apud Otthobon. *decis.* 159. *nu.*
fin. Buratt. *decis.* 100. *num.* 11. Et in specialibus terminis
fundationis alicujus pii Operis infra certum tempus cum
pacto resolutivo, vel cum substitutione in casu non adim-
pletæ conditionis habetur supra *hoc tit. disc.* 12. *& seqq. &*
sub tit. de fideic. disc. 155. In cujus casu etiam habetur al-
ter discursus *sub tit. de regular. disc.* 32.

Quamvis enim supra *hoc tit. disc.* 15. habeatur firmatum, 3
quod donatio, vel alia dispositio ad favorem Ecclesiæ, vel
piæ causæ, non resolvatur ex capite non implementi, ex ea
ratione, quod negligentia Rectorum, vel Administratorum
in non adimplendo, præjudicare non debet ipsi Ecclesiæ, vel
piæ causæ, attamen id recte procedit in illa resolutione, quæ
habeat speciem caducitatis pœnalis resultantis a dispositione
juris in *l.* 1. *&* 2. *Cod. quæ sub modo*, ob non implementum
modale sequendum a parte postea, secus autem, ubi agatur
de implemento conditionali, sive quod accedat expressum
pactum resolutivum, per quod actus habeatur, ac declare-
tur infectus, cum tunc deficere dicatur animus, vel con-
sensus ab initio juxta distinctionem inter modum, & con-
ditionem *de qua sub tit. de fideic. disc.* 154. *& alibi*.

Adhuc tamen in ipsomet puncto resolutionis in præjudi- 4
cium Operæ, super quo consultus non eram, stante jam præ-
supponenda sententia desuper lata, aliquam habebam difficul-
tatem ex duplici motivo, primo nempe, quia resolutio posi-
ta erat in arbitrio ipsius donatoris, cum verbis, & dictionibus
personalitatem denotantibus, ideoque videbatur, quod arbi-
trium terminasset cum ejus vita, & non esset transmissum
in hæredem, vel successorem, ex relatis *sub tit. de feud. dis.* 40.
n. 4. Et secundo, quod tantare posset altera conclusio insi-
nuata *disc.* 148. *de fideic. n.* 3. & alibi, ut pœna non declarata in 5
vita, non transmittatur ad hæredem, qui eam declarare pos-
sit, dum ipse donator supervivens per aliquod tempus post
termi-

terminum præfixum, rectèque sciens investimentum sequutum non esse ob nimium verisimilem scientiam a qualitate loci, summæ, & personæ resultante acquievis, ac propterea censetur ita inducta remissio, ex dedoctis per Greg. & adden. *decis.* 529. *& passim*, multoque magis ubi idem aliquos fructus exegisset ab eadem Opera, atque implicitum investimentum cum se ipso fecisset, quod tamen erat incertum, dum in facti notula transmissa id non explicabatur.

Verum ubi sententia præsopposita quoad resolutionem juris Operæ, tam super investimento, quam super facultate deputandi Cappellanum pro tempore, agendum esset de solo puncto resolutionis ipsius substantiæ dispositionis, &
6 de quo principaliter actricis intererat, agi deberet, adhuc pro non resolutione respondendum esse dixi ex contextu ipsius dispositionis pacti resolutivi, quod ad litteram percutiebat jus dictæ Operæ, & sic istud accidens, non autem ipsius dispositionis substantiam juxta distinctionem, de qua *sub tit. de fideic. disc.* 118. ubi concordantes, inter id quod respiciat substantiam, & id quod respiciat accidentia, cum tamen sufficiat id reddi dubium, ut locus esset regulæ, quam vulgarem, ac receptam habemus, ut in dubio pro exclusione ademptionis respondendum veniat, multo magis ubi agatur de dispositione ad pias causas, & fortius de hac specie, quæ omnium magis pia reputari solet pro celebratione missarum, & suffragio animæ ipsius disponentis; conjungendo in idem considerationem, de qua supra, acquiescentiæ ipsius Donatoris, donec supervixit, dum ita resultat præsumptio perseverantiæ in eadem
7 voluntate, quam in ipso donationis instrumento nimis declarasse videbatur, assignando istam proprii peculii partem animæ propriæ, & sic quod resolutum esset accidens favore dictæ Operæ, non autem resoluta illa substantia, quæ respiceret favorem ipsius disponentis, quasi quod dicta Opera deputata esset potius executrix, & administratrix, non autem quod ad eam directa sit substantia dispositionis.

8 Ex eisdem fundamentis dixi quoque respondendum videri pro denegatione facultatis hæredis mutandi locum, ipsamque Cappellaniam alibi erigendi ob enixam voluntatem, & devotionem Donatoris erga dictum altare in eadem donatione explicatam, atque ob personalitatem arbitrii, ut supra, aliud enim dicebam esse Congregationem, sive Operam prædictam, & aliud ipsum altare, cum non implicet, ut in eadem Ecclesia, vel Cappella adsint plures Cappellaniæ, & beneficia, sive adsit Rector, vel Cappellanus, vel adsit aliqua Congregatio, vel Confraternitas sæcularium, ut docet notoria, & vulgaris praxis, ideoque non ex eo quod Opera ceciderit a jure suo, cecidisse censendum est ipsum altare, quod ita Cappellanum a dicta Opera independentem pro majori ejus cultu habeat.

Atque ultra prædictum motivum tacitæ remissionis, & acquiescentiæ nimia ponderatione dignum dicebam esse alterum, quod idem Donator moriens, in eadem Ecclesia sepultus erat justa ponderationes, de quibus *supra hoc tit. disc.* 16.

9 Hine de consequenti planam dicebam sequi resolutionem tertii puncti super jurepatronatus passivo reservato ad favorem certi generis personarum, quod scilicet ubi etiam admittenda esset resolutio cujuscumque juris dictæ Operæ circa juspatronatus activum, non exinde inferri poterat ad passivum reservatum ad favorem diversi generis, ex deductis *sub tit. de jurepat. disc.* 70. ubi concordantes.

PLACENTINA BONORUM

RPO MONASTERIO S. SIXTI CONGREGATIONIS CASSINENSIS

CUM CAMERA DUCALI.

Responsum ad causam cum sensu veritatis, ut datum est.

An valeat donatio facta Principi, ut privatorum jura excludat, & quando donatio facta absenti sit revocabilis?

De suspicionibus falsitatis instrumenti, & incidenter de competentia Fori, & de propositione quod Fiscus non litigat manibus vacuis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod causæ super bonis possessis per Ecclesiam sint tractanda in Foro Ecclesiastico, non autem sæculari.*
3 *Jura privata Principis non dicuntur spectare ad Fiscum, neque faciunt causam Fiscalem.*
4 *Quas causas contra Ecclesiam, vel Clericos Fiscus trahat ad suum Judicem.*
5 *De propositione, quod Fiscus non litigat manibus vacuis quando procedat.*
6 *De invaliditate donationis factæ Principi in præjudicium tertii.*
7 *Non debet Consultor absens se ingerere in juribus localibus.*
8 *Quod donatio onerosa facta absenti sit revocabilis ante acceptationem.*
9 *Quomodo procedendum sit circa fidem, vel suspicionem instrumenti publici.*
10 *Et quomodo circa fidem testium.*
11 *An instrumento obstet non reperiri originalem imbreviaturam?*
12 *Quando in testibus varietates, & alia exceptiones attendantur.*
13 *De verisimilitudine, vel inverisimilitudine nimium attendenda.*
14 *Quando urgeat major suspicio falsitatis instrumenti?*
15 *De aliquibus inverisimilitudinibus.*

DISC. LXXIV.

DE anno 1654. Præses Moriscus, instituta hærede universali Blanca amita, et generaliter substituit Hospitale magnum Placentiæ, particolariter vero in prædiis, & bonis stabilibus in loco Castellatii, substituit Monasterium Sancti Sixti ejusdem Civitatis Congregationis Cassinensis cum diversis oneribus piis ad rem non facientibus, factoque casu mortis testatoris de an. 1656. deindeque altero mortis dictæ Blanchæ de an. 1659. Monasterium in vim dictæ substitutionis possessionem bonorum obtinuit usque ad annum 1667. in quo Camera Ducalis illud spoliavit sub prætextu donationis eorundem bonorum usque ab anno 1649. per eundem testatorem factæ Sereniss. Duci hodierno, vel glo. mem. ejus patri, ac propterea inter Cameram, & Monasterium desuper pendet lis in excelso Consilio Placentiæ, atque ex parte Monasterii meum expetitur consilium. 1

Quinque itaque videntur causæ inspectiones, una nempe competentiæ Judicis sæcularis, altera ordinis in possessorio, tertia in meritis super dictæ donationis veritate, quarta etiam in meritis posita veritate super ejus validitate, & quinta pariter in meritis, posita validitate super revocabilitate.

Quatenus pertinet ad primum, quamvis Abbas, & Mo- 2
naci non diffidant de summa doctrina, & integritate præfati excelsi Consilii, adeout meliorem Judicem eligere nescirent, adhuc tamen tenentur, ut eorum debito, & conscientiæ satisfaciant, insinuare incompetentiam Judicis laici in causa, in qua agatur de bonis jam cum justo titulo, & pacifica possessione per notabile tempus octo annorum adeptis penes eos incorporatis, dum neque volentes Clerici, & personæ Ecclesiasticæ consentire possunt in jurisdictionem Judicis laici ex juribus notoriis, quorum allegatio irreverentiam potius in tanto Tribunali saperet, potissime dum non agitur de bonis patrimonialibus, & prophanis Clericorum, quo casu aliqua disputandi ratio cadere potest, quamvis etiam ex veriori, atque apud Catholicos magis recepta sententia, verior est Judicis sæcularis incompetentia, sed agitur de bonis Ecclesiæ, adeout Abbas, & Monaci sint Ministri nullam causam propriam, sed illam Ecclesiæ agentes, quo casu res neque dubitandi principium recipit, & fortius respectu illorum bonorum, quæ sint de directo dominio ejusdem Ecclesiæ, penes quam ita utile cum directo consolidatum fuit.

Neque qualitas donatarii contrarium suadere videtur, 3
quoniam dubitandi ratio cadere forte posset, quando ageretur de juribus spectantibus ad Principem uti Principem ratione Principatus, adeout vere, & proprie causa Fiscalis dicenda esset, quod utique in præsenti dici non potest, quoniam donatio facta est personæ Ducis Raynutii pro se, suisque hæredibus quibuscumque, & cui dederit, &c. in liberum allodium, ideoque remanet jus mere privatum, & principaliter contradistinctum a jure Fisci, & Principatus, *juxta glos-*

sam Magistralem in rubr. Cod. de jur. Fisci lib. 10. ubi Bald. *n.* 12. *cum concord.* per Peregr. *de jur. Fisci lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 6. *&* 7. atque ista diversitas a jure insinuatur *disc.* 2. *de feud. num. fin. & per tot.* & alibi *eodem tit.* frequenter.

4 Et nihilominus ubi etiam ageretur de juribus competentibus Fisco publico ratione Principatus, adhuc cum nullibi in jure cautum reperire videatur hoc privilegium Fisci, ut se Judicem in causa propria facere possit cum Ecclesia ejus jurisdictioni, & potestati non subjecta, illam de facto spoliando bonis jamdiu pacifice possessis, præterquam ubi agitur de feudis ab eodem Principe Ecclesiæ, vel Clerico concessis, quorum caducitas, vel devolutio prætendatur, eum tunc dicatur competens tanquam in re sua, & quæ sub ejus manu, & jurisdictione adhuc adesse dicitur, ad text. *in c. ex transmissa, & seq. de Foro comp.* sed non in aliis casibus.

Ideoque in casu, de quo e Me agitur *disc.* 149. *de Regalib.* quod Camera Ducalis tanquam talis ratione Principatus, & Fisci publici prætendebat successionem in bonis vacantibus, quorum possessio erat penes Ecclesiam, causa acta fuit in Tribunali Ecclesiastico, nempe in Sac. Congreg. Immunitatis, cujus judicio idem Serenissimus pro ejus summa pietate, & religione acquievit, multo magis in præsenti, quod agitur de causa mere privati patrimonii, non autem Fisci, neque dicere liceat, quod cum hodie Fiscus sit possessor, idcirco ille coram proprio Judice tanquam reus, & possessor conveniri debeat juxta naturam causarum Fiscalium, ex relatis a Me *disc.* 85. *de jurisdict.* & alibi, quoniam ita esset destruere jurisdictionem Ecclesiasticam, & Forum, si de facto licitum esset spoliare Ecclesiam jurisdictionaliter, & auctoritative, deindeque dicere Ecclesiæ, quod tanquam actrix adeat Forum laicale, idque dicitur non ad effectum redarguendi jam gesta, neque pro formali declinatione, sed solum insinuandi pietati, & religioni Tribunalis, ut cogitet pro ejus prudentia, & doctrina an intret necne Bullæ Cœnæ.

Ex eodem fonte, sive eadem distinctione derivat resolutio secundæ inspectionis, ut scilicet D. Dux tanquam prætensus Donatarius agens contra hæredem particularem donatoris jamdiu pacificum possessorem bonorum, debeat illum convenire in ejus Foro servatis servandis, non autem de facto spoliare, adeout spoliato denegandum ante omnia non sit interdictum *reintegrandæ*, quinimmo illud *retinendæ* tanquam privilegiatum, quo non terminato de juribus spoliatoris agi non valeat, neque ipse audiri debeat ex juribus, & principiis theoricis, & practicis valde notis, & quotidie in praxi receptis ex relatis e Me *disc.* 20. *&* 24. *de Judiciis*, & passim.

5 Nil obstante propositione, quod Fiscus non litigat manibus vacuis, e Me insinuata *disc.* 2. *n.* 17. *disc.* 35. *num.* 1. *& disc.* 56. *num.* 5. & alibi pluries *sub tit. de Feud.* ob duplicem responsionem, primo nempe, quod id revera procedit in casibus, in quibus agatur de devolutione, vel caducitate Feudorum, aliorumque bonorum, quæ ab ipsomet Principe derivant, adeout rem propriam manu sua vindicare dicatur, qualis est casus, de quo pro illamet Camera Fiscali agunt DD. a Me relati *dicto disc.* 58. *n.* 5. & insinuatur *disc.* 74. *eod. tit. de Feud. in principio*, & secundo quod non sumus in causa Fisci, sed in causa patrimonii privati, & non agitur cum subdito, adeout Princeps ejus jus tollere valeat, eique præjudicare, dispensando legibus laicalibus juxta illam potestatem, de qua plene a Me agitur *disc.* 148. *de Regal.* sed agitur cum exempto, adeout recte dici valeat, ut sit causa inter duos privatos.

6 Hinc inane opus de justitiæ videtur agere de tribus aliis inspectionibus, quæ in meritis negotii principalis cadunt, sed quando præmissis neglectis videatur de eis agere, adhuc pervertendo ordinem ex quarta, & quinta, vel eorum altera, pro Monasterio possessore respondendum videtur.

Rationabilis etenim ista ordinis perversio videtur, quoniam si ex facilioribus, minusque odibilibus motivis pro Monasterio judicandum venit, damnabile opus potius videtur difficilius, magisque odibile motivum falsitatis assumere.

Agendo itaque de quarta inspectione invaliditatis donationis etiam ubi ex abundanti instrumenti veritas admittatur, utpote facta Supremo Principi ex malo, & odibili motivo supplantandi Franciscum Vistinum, & quoscumque alios, qui prætenderent jus habere tam super donatis, quam super aliis, quæ ab incertis quibuscumque possiderentur, ut patet ex contextu donationis, §. *quod scilicet*, *&c.* id etenim continet livorem, & malignitatem, qua nulla major, nullaque clarior, ut supremus Princeps teneatur cum ejus magna auctoritate, cui resisti non potest, tueri non solum bona per ipsum donatorem possessa, atque eadem die de novo quæsita, sed etiam omnia alia, quæ ab extraneis, & ignotis possiderentur, ideoque dari non potest casus, in quo clarius, & certius intret dispositio text. *in l. res quæ*, §. *lites donatas*, *ff. de jur. Fisci*, *& Cod. ne Fiscus, vel Respub. cum concepdan.* apud Peregr. *de jur. Fisc. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 41. Ruyt. *consil.* 21. *num.* 5. *vers. At in Imperatore*, late Panzirol. *consil.* 28. quod latius sustinet, & comprobat Placentinus Petra *in ejus tractatu de potestate Principis*, *par.* 1. *cap.* 14. *ex num.* 10. *cum seqq.*

Potissime vero, & clarius ubi de hoc opponat non subditus, adeout Princeps replicare non valeat velle sibi præjudicare, atque in ejus præjudicium derogare legibus id disponentibus, cum agatur de inferendo præjudicium non subdito, cum quo istam potestatem non habet.

Et quidem ubi onus injunctum Principi, restrictum esset ad tuitionem bonorum ab ipso donatore possessorum, tunc forte aliqua disputandi ratio cadere posset, sed ob dictum malignum onus tuendi etiam ignotos possessores bonorum, super quibus Vistinus, & alii jus habere possent, non videtur cadere principium dubitandi.

7 Adsunt etiam aliæ nullitates ponderatæ in doctis, & elaboratis responsis Advocatorum Candiani, & Salcotii, sed quoniam pendent e jure locali, & particulari, idcirco inhærendo stylo non de facili assumendi inspectionem jurium localium particularium, quorum praxis non habeatur, id reservo Defensoribus de illis melius informatis, potissime quia nulla subesse videtur necessitas ob dictam clariorem nullitatem.

8 Verum ubi etiam videretur hanc nullitatem non obstare, quod non creditur, adhuc solidum videtur motivum revocabilitatis, de quo in quinta, & ultima inspectione, siquidem omissa altiori quæstione, an donatio facta absenti re integra, & ante acceptationem sit revocabilis necne, de qua e Me pluries agitur sub diversis materiis, præsertim *de donat. locis infra allegandis.* Admissa etiam opinione excludente pœnitentiam ob stipulationem juramenti, & ob juramentum, sive ob alias limitationes desuper tradi solitas.

Adhuc solidum, & irrefragabile est motivum, ut id procedat in donationibus lucrativis, in quibus licet aliquod onus admixtum habeat, semper certum sit donatarii lucrum, adeout nullus subsit timor proprii damni, propriæque jacturæ, secus autem ubi agitur de donatione onerosa continente tale onus, ut donatarius esse valeat in damno, & jactura, cum tunc redoleat speciem contractus onerosi, & correspectivi, ideoque re integra, & ante donatarii acceptationem sit locus pœnitentiæ, atque donator cum implicita etiam revocatione de bonis ad alterius favorem disponere valeat, ut aliis relatis firmatur per Rotam *decis.* 27. *p.* 7. *recent.* apud Royas *dec.* 314. *num.* 21. atque a Me, declarando in specie *dictam decis.* 27. *par.* 7. advertitur *sub tit. de donat. disc.* 14. *n.* 13. *disc.* 23. *n.* 11. *& seqq. & disc.* 56. *num.* 11.

In his autem terminis donationis vere onerosæ versamur, & quæ incertum est, an lucrum vel damnum ubi acceptetur, allatura esset, cum donatarius obligetur ad defendendum non solum bona donata, & per ipsum possessa, sed omnia alia in loco existentia, & per quoscumque possessa, a quorumcumque molestiis sub obligatione refectionis damnorum, & interesse in casu contrario, ideoque intrat limitatio de plano.

Quodque per dispositionem particularem, & expressam censeatur implicite, & per antecedens necessarium revocata donatio, firmatur *dict. dec.* 27. *par.* 7. *rec.* & admittitur de plano *in aliis decisionibus*, *& auctoritatibus recensitis a Me locis supra citatis sub tit. de donat.* & in terminis fortioribus late agitur *disc.* 58. *de fideic.* ubi ad satietatem.

Cæterum solidissimum, ac irrefragabile videtur quoque motivum, de quo in tertia inspectione falsitatis instrumenti ex multis convincentissimis argumentis, & demonstrationibus late, & judiciose deductis in Responsis præfatorum Advocatorum Candiani, & Salcotii, quæ reassumere superfluum est, cum in eis commode videri valeant, genio, ac stylo nimium abhorrentibus munus superflui transcriptoris eorum quæ jam deducta sint.

9 Solum circa illud motivum subjungo, ac rogo Judices advertere, quod pro meo judicio hujusmodi quæstiones videntur potius facti, quam juris decidendæ ex singulorum casuum particularibus circumstantiis non singulariter, & disjunctim, sed unitim ponderandis pro illius casus præcisa qualitate, adeout recte dari possit, ut in uno casu aliqua argumenta sufficiant, & abundent, in altero autem eadem

ac

ac alia longe majora non sufficiant, ex relatis a Me *discur. 26. de judic.*

10 Idemque habetur circa fidem dandam, vel denegandam testibus, & an exceptiones, quæ in dicto, & persona dantur, illorum fidem adimant necne, ad celebrem vereque aureum Textum *in l. 3. ff. de Testibus, cum concord. a Me deductis disc. 32 eodem tit. de judic.* adeout error videatur cum regulis generalibus in abstracto procedere.

Ad regulandum autem prudens beneque ordinatum Judicis arbitrium, cui utraque materia remissa videtur, ad sequentia præsertim partim generalia, partim vero specialia reflectendum venit.

11 Primo nempe, quod licet publico instrumento ejus requisita habenti non obster non reperiri matricem, quæ post redactum instrumentum ad publicam formam negligi, seu lacerari valeat, attamen quando aliquæ falsitatis suspiciones, & argumenta urgeant, tunc ista deficientia nimium consideranda venit, nimiumque suspicionem auget, ut id affectate gestum sit, ne valeat Notarius cum scriptura originali recenter facta de falsitate convinci, ut ita distinguendo *d. disc. 26. de judic. n.* 21. apud Burat. *dec.* 591. *n.* 7. & *dec.* 757. *n.* 4. Cavaler. *dec.* 455. *nu.* 4. Farinac. *de falsit. q.* 153. *n.* 44. apud quos cæteri.

12 Secundo, quod licet varietas, vel contradictio in testibus non sit in consideratione habenda, quando sit super accidentalibus, non autem super substantialibus, attamen id procedit, quando contra eos nullæ urgeant suspiciones, secus autem his accedentibus, quoniam tunc etiam leves exceptiones magnifaciendæ sunt, atque in consideratione habendæ ex relatis a Me *d. disc. 32. de judic. n.* 51. Ubi concordantes commodius videri possunt, eisdem stylo, ac genio superfluam transcriptionem, ut supra, abhorrendo.

13 Et tertio, quod in hac materia falsitatis verisimilitudo, & respective inverisimilitudo est illius principalis regulatrix, illaque est Domina, cui aliæ conjecturæ, & præsumptiones pedissequæ famulantur, ex relatis *d. dis. 26. de judic. n.* 20.

14 Et quarto fortius, quoniam tunc proprie procedit regula, quæ assistit veritati, ac publicæ fidei Notarii, de qua *eod. disc. 26. de judic. nu.* 13. quando Notarius nullum habeat interesse, nullumque notabile commodum ipse ex actu reportet, adeout falsitas potius machinationi ejus, ad cujus favorem scriptura cantat, referenda veniat, prætendendo solum, quod Notarius ab eodem utilitario, & machinatore corruptus fuerit, atque si recte ponderentur omnes auctoritates de hac materia agentes, istos terminos revera percutiunt; secus autem, ubi scriptura recte attenta ejus substantia principaliter concernat interesse, & utilitatem Notarii, & testium, vel aliquorum ex eis, qui ita ad propriam commodum illam confingere, & machinare potuerint, pro majori firmitate machinationis confingendo actum in persona potenti, quamvis ignara, cum tunc ubi etiam nullam legem scriptam, vel auctoritates haberemus, ipsum jus naturæ, ipseque naturalis discursus id doceat, cum etiam Principibus negetur testimonium ferre, vel instrumenta, & scripturas conficere ad eorum favorem.

Applicando itaque ad rem nos versamur in his terminis, quod sc. ob onus injunctum donatario, ut omnes, & quoscumque possidentes bona in eo loco tueri teneatur, cum Notarius, & unus ex testibus essent ex hujusmodi possessoribus, contra quos Vistinus litem movit, & obtinuit, ita causam propriam potius quam illam Ducis donatarii gessisse dicuntur, atque hoc solum motivum omnem penitus difficultatem dirimere videtur, remque in claris ponere.

Accedunt quoque multæ nimium patentes, & claræ inverisimilitudines, & suspiciones ultra prædictam fortissimam, & vehementem interesse proprii, quæ sola sufficit, primo nempe adeo magna tarditas in publicando, & patefaciendo, quoniam ubi Notarius occultam tenuisset Scripturam usque quo supervixit donator magnum, & supremum in loco gerens munus, tunc transeat, sed post ejus mortem, quando quicumque respectus cessaverat, id est penitus improbabile, attenta præsertim qualitate donatarii supremi Principis, cujus gratiam publicando captare potuisset, & occultando indignationem incurrere, ut ad sensum cujusque sensati viri nimium clare patet. 15

Altera est inverisimilitudo ex parte donatoris, quem adeo doctum, & prudentem virum nimium probabile est ad benevolentiam, & gratiam Supremi Principis ejus benefactoris, a quo majora sperare poterat, conservandam, & augendam, ei id patefecisset, ut clare ad sensum.

Tertia est pariter nimium clara, & evidens inverisimilitudo, ut vir decrepitus, Sacerdos doctissimus, & integerrimus absque aliquo commodo proprio, vel suæ posteritatis ad favorem Monasterii penitus extranei, disponendo cum propriæ animæ detrimento, & damnatione, tot perjuria, & falsitates committere voluerit.

Quarto, quod memor fuerit alterius testamenti per plures annos antecedenter ordinati, & immemor donationis adeo de recenti factæ.

Quinta, & quidem fortissima resultat inverisimilitudo, ut vir adeo qualificatus, & Religiosus, ut supra, tam manifestam malignitatem committere voluerit, ut donatarium obligaret ad defendendum omnes possidentes bona in eo loco, erga quos ipse nullam defensionis necessitatem haberet tam adversus Franciscum de Vistinis, cum quo forsan indignationem habere posset, quam etiam adversus quoscumque alios innocentes, & ignotos, quorum respectu esset malignitas maxima, qua nulla major.

Istis itaque argumentis, & inverisimilitudinibus si addantur aliæ ponderatæ per unum Advocatum Candianum, & latius per Advocatum Salcotium, atque omnes simul junctæ, & unitæ ponderentur cum vulgari regula, ut *singula, quæ non prosunt*, &c. in iis materiis principaliter attendenda, veritas hujus falsitatis manibus palpari videtur.

Testibus inductis ex parte Cameræ bene respondetur per prædictos Advocatos, in eorum responsis ostendendo variationes, & inverisimilitudines, necnon personales exceptiones, super quibus reflectendum venit ad conclusionem superius præmissam, quod exceptiones etiam leves attendendæ veniunt, ubi aliquæ suspiciones contra easter urgeant.

Atque in omnem eventum, ex præmissis negari non potest, prætensiones Ducis Donatarii esse nimium turbidas, & altissimæ indaginis, ut propterea non potuerit Ecclesia pacifica possedituix per annos ante jurisdictionaliter, & auctoritative spoliari, ideoque jure publico potius quam privato, unde minime dubitari valeat, an intret dispositio Sac. Conc. Tridentini, & Bullæ Cœnæ necne.

Et ita sentio pro veritate, ejusque solo respectu habito, non quidem, ut ex isto sensu aliquod majus pondus motivis præbere, vel addere prætendam, sed ut meum judicium qualiter sit, ingenue proferam, inhærendo consuetudini non respondendi extra Curiam, nisi cum isto sensu.

SUMMA, SIVE COMPENDIUM

Eorum, quæ continentur in hoc titulo de Donationibus.

INDEX RUBRICARUM.

I.

Procemialia.

II.

De donatione causa mortis.

III.

De donatione inter vivos vera, & propria, ejusque natura, forma, & solemnitatibus.

IV.

De donatione causativa, vel meritoria, aut onerosa, & correspectiva in genere.

V.

De donatione ex causa, vel contemplatione matrimonii carnalis, & spiritualis, & ad sacros ordines.

VI.

De prohibita, & invalida donatione ratione personarum, vel bonorum.

VII.

De donationis inter vivos validæ, ac de sui natura irrevocabilis resolutione, vel revocabilitate, aut imperfectione.

VIII.

De obligationibus, ac oneribus donatoris erga donatarium, & e converso donatarii erga donatorem ex lege, vel conventione.

SUMMARIUM.

I.

1 *AN donatio sit actus virtutis, vel vitii?*
2 *Deciditur cum distinctione.*
3 *Quod rari sint actus virtutis, frequentiores vitii.*
4 *Quæ sint donationes commendabiles, & quæ damnabiles.*
5 *Alia est donatio causa mortis, & alia inter vivos.*
6 *Alia expressa, alia tacita.*
7 *Donatio inter vivos, alia pura, & alia causativa, & quæ sit una, vel altera.*

II.

8 *Donatio causa mortis an sit contractus, vel ultima voluntas? distinguitur.*
9 *In donatione causa mortis requiruntur quinque testes adinstar ultimarum voluntatum.*
10 *Sed non sunt necessariæ solemnitates, quæ desiderantur in actibus inter vivos obligatoriis.*
11 *Donatio causa mortis est de sui natura revocabilis, etiam si accedat juramentum.*
12 *Quid operentur juramentum, & clausula, seu verba irrevocabilitatem denotantia.*
13 *Mentio mortis an semper, & pernecesse inducat donationem causa mortis?*
14 *Quomodo decidantur quæstiones caducationis, vel revocabilitatis.*
15 *De eodem, & quando intret caducatio per donatarii præmorientiam.*
16 *Sed ex voluntate donatoris cessat caducatio, & intrat transmissio.*
17 *In hac donatione intrant detractiones, quæ in ultimis voluntatibus.*
18 *Filiifamilias prohibentur testari, vel disponere per ultimam voluntatem, sed donant causa mortis de consensu patris.*
19 *An iste consensus sit pro interesse, vel pro solemnitate, seu effectibus exinde resultantibus?*
20 *Consensus a patre præstitus, an & quando sit revocabilis?*
21 *De aliis ad materiam donationis causa mortis remissive.*

III.

22 *Qualis dicatur vera, & pura donatio lucrativa.*
23 *Donatio inter vivos est de sui natura irrevocabilis.*
24 *Sed potest esse revocabilis ex pacto, licet sit inter vivos.*
25 *Mentio, vel occasio mortis dari etiam potest in donatione inter vivos.*
26 *Non exigit alias solemnitates de jure communi, quam insinuationem.*
27 *In quo differat donatio ab aliis contractibus quoad minores, & alios imperfecti, vel imbecillis judicii.*
28 *Sed aliæ solemnitates proveniunt a juribus municipalibus.*
29 *Solemnitates statutariæ regulariter non desiderantur in donatione causativa, & impropria.*
30 *Insinuatio requiritur in donationibus excedentibus summam quingentorum aureorum, & quantum importent moneta nostrorum temporum.*
31 *Omissa vitiat solum in excessu.*
32 *Dicta summa desideratur ab initio, secus ubi est quid annuum.*
33 *Non requiritur accedente juramento.*
34 *An recesserit ab aula, & verior est negativa?*
35 *Solent Statuta, & jura municipalia hanc solemnitatem rigorosius desiderare.*
36 *Sed actus jurati non veniant, & quando secus.*
37 *An, & quando Statuta laicalia tollant vim juramenti?*
38 *Insinuatio, vel aliæ solemnitates non desiderantur in donatione manuali.*
39 *Quid ubi per epistolam familiarem, seu alias in forma extraordinaria.*
40 *De differentia inter necessitatem insinuationis, & aliarum solemnitatum Statuti.*
41 *In donationibus ad pias causas nullæ solemnitates requiruntur.*
42 *In majoribus causa in donatione non desideratur.*
43 *Neque cadunt termini læsionis, & quando intret læsio.*
44 *Per Statuta solet desiderari causa.*
45 *In remissionibus, aliisque similibus actibus desiderantur eædem solemnitates, quæ in donationibus.*
46 *Conjunctio sanguinis non tollit necessitatem solemnitatum adhibendarum.*
47 *An retrodonatio exigat solemnitates in donatione necessarias cum distinctione?*
48 *Et quid in retrodonatione considerandum sit.*
49 *De aliis ad materiam validitatis, & perfectionis, præsertim de facta absenti, vel de promissione donandi remissive.*

IV. 50 De

IV.

50 *De donatione causativa, & qualis ea dicatur.*
51 *Donatio remuneratoria non est proprie talis ad effectum insinuationis, vel solemnitatis.*
52 *An sola assertio meritorum faciat donationem remuneratoriam? distinguitur.*
53 *Qua meritorum qualitas in hoc desideranda veniat.*
54 *In filio erga patrem, famulo erga dominum, vel militis erga Ducem, &c. an dentur merita pæmium exigentia?*
55 *De causativa donatione habente onus admixtum, præsertim illud fideicommissi.*
56 *Et de altera causativa quia reciproca.*

V.

57 *De donatione contemplatione matrimonii spiritualis præsertim Clerico ad ordines, & de donatione, quæ fiat puella pro dote Monasterio tradenda.*
58 *Ista donatio ad ordines est irrevocabilis, etiam de consensu donatarii.*
59 *Neque retrocedi potest, vel declarari simulata.*
60 *Bona sic donata an possint alienari, vel obligari?*
61 *Neque revocatur ex causa ingratitudinis, vel non implementi.*
62 *An resolvatur ob mortem, vel provisionem promoti?*
63 *An donatarius possit nolle quærere, vel recusare aliam provisionem?*
64 *An ista donatio imputatur, vel conferatur?*
65 *An donare prohibiti, sed dispensati ex causa dotis hanc donationem faciant?*
66 *Et an in hac donatione solemnitates requirantur?*
67 *De donatione pro dotatione Ecclesiæ, vel Monasterii, seu beneficii, & an Ecclesia, vel Monasterio suppresso resolvatur?*
68 *De quæstionibus, vel inspectionibus in donatione contemplatione matrimonii carnalis.*
69 *An filii ex eo matrimonio procreandi censeantur ad eam vocati uti filii?*
70 *Ubi sunt vocati, veniunt solum filii illius matrimonii, non alii.*
71 *An, & quando ipsi donatori retrocedi, vel retrodonari possit? distinguitur.*
72 *De potestate donatarii alienandi, vel obligandi bona sic donata.*
73 *An mulier pro dote in his bonis potioritatem habeat adversus creditores antecessores?*
74 *De imputatione, vel collatione hujus donationis.*
75 *An dissoluto matrimonio ista donatio resolvatur?*
76 *Quando in hac donatione contemplatione matrimonii solemnitates desiderentur necne.*

VI.

77 *Ea generalis donaterii inhabilitas, qua viget in omni alienatione, vel contractu, viget etiam in donatione.*
78 *Inter virum, & uxorem prohibita est donatio.*
79 *Fieri tamen potest ante matrimonium, vel in ipso actu.*
80 *Vel si conferatur ejus substantia in tempus soluti matrimonii.*
81 *Idem ubi de juribus quærendis, quodque donator non efficiatur pauperior.*
82 *Valet etiam ob augmentum dotis, vel occasione nuptiarum.*
83 *Donatio jurata valet inter conjuges.*
84 *Declaratur quando in hoc juramentum sit operativum.*
85 *De prohibita donatione inter patrem, & filium, quomodo, & quando hæc procedat.*
86 *Concubina per militem donari non potest, & quando donatio valeat.*
87 *De donatione facta per Clericum de bonis Ecclesiasticis.*
88 *De illa facta per mulierem de dote.*
89 *De prohibitione donandi resultante ex qualitate bonorum.*

VII.

90 *Resolvitur donatio ob non impletas leges, & conditiones, vel onera ubi acceptavit pactum donatarius.*
91 *Non potest contraveniens uti pacto resolutivo invito donatore.*
92 *Resolutio non declarata in vita, an possit declarari post mortem?*
93 *An pro incursu caducitatis requiratur culpa positiva?*
94 *An contraventio unius ex donatariis præjudicet aliis simultanee, vel successive vocatis?*
95 *Ob non implementum donatori viventi resolvitur donatio, etiam sine pacto resolutivo, nisi donator eligat potius implementum.*
96 *Quid si donatarius afferat retrocedere, an teneatur de proprio ultra bona donata?*
97 *Et quid ubi implementum est ad favorem tertii.*
98 *De revocatione donationis ob ingratitudinem.*
99 *An contraventio, vel ingratitudo unius præjudicet aliis ad donationem vocatis?*
100 *De materia* l. si unquam, *ob supervenientiam filiorum, an resolvatur, dum, & quando?*
101 *De resolutione donationis causativæ cessante causa remissive.*
102 *Distinguuntur plures species imperfectionis, vel facultatis pœnitendi.*
103 *De imperfectione voluntatis in pupillis, & minoribus.*
104 *Donandi voluntas non præsumitur, & quomodo de ea constare debeat.*
105 *De promissione donandi, an importet donationem, vel quid operetur?*
106 *De conclusione, an, & quando promittens cogatur precise ad factum?*
107 *An, & quando donatio facta absenti sit perfecta, & irrevocabilis necne?*
108 *De imperfectione ob non servatam formam, vel solemnitatem.*
109 *De donatione omnium bonorum, an, & quando valeat necne?*
110 *De imperfectione donationis ratione prohibitionis alienationis bonorum.*
111 *An in donatione detur læsio ex parte donatoris?*
112 *Quid ex parte donatarii.*
113 *De æstimatione vitæ hominis.*
114 *De incapacitate personæ donatarii, & quibus donari non possit.*

VIII.

115 *An, & quando donator teneatur de evictione?*
116 *De obligationibus donatarii erga donatorem.*
117 *Onera, quibus bona donata affecta sunt, an spectent ad donatarium, vel potius ad donatorem?*
118 *An bona per laicum donata Clerico subjaceant collectis, & oneribus laicalibus.*

I.

PROŒMIALIA.

JUrisprudentiæ, ac utriusque, divinæ, & humanæ mo- 1
ralitatis Professorum pugna est, an ea pura, & simplex
donatio, quæ puram liberalitatem, ac patrimonii diminu-
tionem in donatore redolet, merumque lucrum, ac dita-
tionem in donatario, virtutis, ac prudentiæ, vel potius
vitii, & imprudentiæ actum importet, cum liberalitas
virtuti, prodigalitas autem vitio referatur.
Juristæ siquidem, jacturam, ac perditionem inesse di-
cunt, Morales autem, secus; cum ea tamen distinctione lis de-
cisionem recipit, ut ex donandi causa, & modo pendeat,
an actus virtutem, ac prudentiam, vel potius vitium, ac 2
imprudentiam redoleat, cum non virtus, sed causa virtu-
tis attendatur, ut actus commendatione, vel damnatio-
ne sit dignus.
Rari vero sunt moderno tempore actus hujusmodi, qui 3
virtuti referri mereantur, frequentius autem illi, qui vitio,
cum suorum bonorum ex solo liberalitatis motivo profuso-
res, ex illorum genere videantur, qui abundant in super-
fluis, deficiunt autem in necessariis apud ignorum, ac vi- 4
tiosum vulgus gloriam captantes; meritorias vero, vel
alias causativas donationes, in viris prudentibus, pruden-
tes laudant, alios eatem damnant.
Generica donationum distinctio est, ut alia sit ea, quæ 5
dicitur causa mortis, alia vero quæ inter vivos; utraque
vero duplicem habet speciem, expressam, scilicet, & taci- 6
tam, seu virtualem, ac implicitam, illaque inter vivos sub-
distinguitur, in puram, & causativam, pura etenim ea est, 7
quæ aliam non habet causam, nisi liberalitatis, ac munifi-
centiæ ex parte donatoris, purumque lucrum in donatario
importat, causativa vero, quæ aliquam habeat congruam
causam, puta meritorum, sive matrimonii carnalis, vel

spiritualis, aut alicujus oneris, vel recompensæ, ipsaque
causativa subdistinguitur etiam in veram, & propriam, ac
impropriam, & abusivam, juxta species, de quibus infra
sub ejus respective particularibus Rubricis.

II.

De donatione causa mortis.

8 QUamvis apud Scholasticos, non modica sit pugna,
sub quonam genere ista donandi species collocari de-
beat, inter contractus nempe, vel ultimas voluntates, a-
pud forenses tamen recepta distinctio est, ut in fieri, con-
tractus, in facto autem esse, ultimæ voluntatis spe-
ciem habeat.
9 Forma vero eam concipiendi, juxta hanc secundam speciem
est, ut illum exigat quinarium testium numerum, quem
simplex ultima voluntas, jure communi attento, ad mi-
nus desiderat, & a converso illis non subjaceat extrinsecis
10 solemnitatibus, quæ per jus commune, vel statutarium,
in actibus irretractabilibus, læsionis potentiam habentibus
desiderantur, dum ob retractationis libertatem, ratio hu-
jusmodi provisionis cessat.
11 Extra controversiam etenim est, ut causa mortis donatio,
de sui natura, tanquam ultima voluntas revocandi liber-
tatem præbeat, quamvis juramentum accedat, cum hoc actus
naturam comitetur, idemque ubi accedant clausulæ, seu
verba, quæ firmam observantiam redoleant.
12 Verba siquidem, & clausulæ, ac etiam quandoque ju-
ramentum, vel solemnitatum usus dubitandi ansam præ-
bent, quando donatoris voluntas ambigua est, an unam,
vel alteram speciem donationis facere voluerit, cum hu-
jusmodi circumstantiæ irrevocabili donationi inter vivos
magis congruæ, ejus præsumptionem inducant, sicuti e
converso, mentio, vel imminentia mortis, aliaque occa-
13 sio, cui mortis periculum insit, donationis causa mortis
præsumptionem inducit, utraque tamen simplex præsum-
ptio est, quæ contrariæ veritati, vel fortiori præsumptio-
ni cedit, cum sæpius mortis mentio, vel tempus, exe-
quutionem potius, quam substantiam percutiat, ideoque
in donatione inter vivos contineri etiam solet.
14 Hinc proinde, una, vel altera specie pro certo posita,
raro caducationis, vel revocandi potestatis quæstiones au-
dit Forum, qui tamen frequenter tractat ea, quæ unius, vel
alterius naturæ determinationem percutiunt, illæ vero
facti potius, ac voluntaria, quam juris, certam, ac gene-
ralem non recipiunt decisionem, vel regulam, quæ juxta
genericam voluntatis quæstionum naturam particularis est
pro singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis parti-
cularibus, illis generalibus argumentis, ac propositioni-
bus, quæ desuper habentur, bene deservientibus pro nor-
ma regulandi arbitrium, a quo, adminiculorum, & cir-
cumstantiarum pondus, ac efficacia pendet.
15 Posita vero hujus donationis causa mortis qualitate, ne-
dum revocabilitas, utpote insita, & connaturalis resultat,
verum etiam caducatio per donatarii prædecessum dona-
tori, ad cujus mortis tempus donationis substantia colla-
ta dicitur, ideoque tunc extremi habilis existentia neces-
16 saria est, nisi aliter suadeat ipsius donatoris voluntas, quæ
in quacumque ultima voluntate facere potest transmissibi-
le id, quod non sit tale.
17 Prout etiam falcidiæ, vel trebellianicæ (si donatio cum
onere fideicommissi sit universalis) detractio ad ultima-
rum voluntatum instar intrat, eandemque exigit in dona-
tore potestatem, quæ in ultimis voluntatibus necessaria est,
cum ea sola differentia, ut filiofamilias, cui testandi, vel
18 aliam ultimam voluntatem ordinandi (extra casus exce-
ptos) facultas non est, hanc donationem facere de patris,
in cujus potestate sit, consensu, concedatur.
19 Non levi apud nostros majores quæstione vigente, an iste
consensus, pro forma ad auctorandum, vel potius pro in-
teresse a lege desideretur, cujus quæstionis plures, ac no-
tabiles sunt effectus, potissime autem, ut ubi pro forma,
vel solemnitate sit, in ipso actu accedere debeat, non autem
præcedere, vel subsequi valeat, minusque dispositionem ad
ipsius patris favorem conceptam validet, quorum utrum-
que cessat, ubi pro solo interesse sit, istoque casu, negligi
quoque potest, ubi de illis bonis agatur, quorum ususfru-
ctus patri non quæratur, moderno autem tempore Forum
hanc posteriorem opinionem frequentius recepit, ut pro
interesse, non autem pro solemnitate requiratur.
Quæstione cadente, an juxta unam, vel alteram opi-
nionem, semel præstitus sit revocabilis, quomodo, &
quando, quod decisionem recipit ex aliquibus distinctioni- 20
bus, de quibus in sua sede.
Cumque, ut præmissum est, hujusmodi donationum cau-
sa mortis raro Forum audiat quæstiones cadentes super 21
una, vel altera specie statuenda, tibique labores forensi-
bus directi sint, hinc proinde reliquas quæstiones schola-
sticis, & academicis potius congruas, apud scholasticos re-
petentes videre licebit.

III.

De donatione inter vivos vera, & propria, ejusque natura, forma, & solemnitatibus.

VEra & propria donatio inter vivos ea est, quæ nul- 22
lum habens admixtum onus, vel correspectivitatem,
sive præcisam, aut moralem necessitatem, aliamque cau-
sam, a mera liberalitate, ac benevolentia deviantem, ex
solo benevolentiæ motivo derivans, gratuito fiat, sive ita
modicum sit onus, vel inferius, ut liberalitati, ac bene-
volentiæ principaliter referenda veniat, atque certum lu-
crum donatario causet, saltem in rata, quæ oneris valo-
rem excedat, cum totius, ac respective partis eandem cau-
sam habentis, eadem sit ratio, seu proportio.
De sui natura irrevocabilis est hæc donatio, ubi vali-
da, & perfecta sit, quamvis id non exprimatur, non ta- 23
men implicat, esse quidem donationem inter vivos, ab 24
initio validam, ac perfectam, adeout caducationi per do-
natarii prædecessum non subjaceat, ac transmissionem ad-
mittat, & tamen ea lege ei adjecta, sit ad libitum do-
natoris revocabilis.
Minusque mortis, vel periculi mentio, seu occasio ejus
essentiæ adversatur, ubi alias certa sit donatoris voluntas,
per hanc speciem donandi, cum occasio, vel timor mor- 25
tis impulsum præbere potuerit, ejusdem vero tempus,
non substantiam, sed exequutionem, ac effectum percute-
re, his ut supra attendendis in ambiguo pro actus quali-
tate, vel specie metienda.
Jus commune, excepta insinuationis solemnitate, aliam
formam, vel solemnitatem a reliquis contractibus diver-
sam non præscripsit; licet enim ipsius juris communis dis- 26
positione attenta, quoad minores, aliosque eam liberam
disponendi facultatem non habentes, quam habent majo-
res perfecti judicii, inter donationem, aliosque onerosos,
& correspectivos contractus, notabilis dignoscatur diffe-
rentia, hæc tamen provenit ex damno, quod ipse dona-
tionis actus de sui natura producit, ideoque justa non ac- 27
cedente causa, læsivus, ac imprudens reputatur, unde frau-
dis, vel circumventionis suspicio facilius manat, ideoque
circa contrahendi causam, non autem circa formam, vel
modum.
Quare frequentiores Fori controversiæ, in hac puræ do-
nationis specie, eam percutiunt formam, vel solemnita-
tem, quæ per jura municipalia præscripta est, certam pro- 28
inde non recipientem regulam generalem, cum ex singu-
lorum Statutorum, vel jurium hujusmodi diversa disposi-
tione, vel qualitate, decisio pendeat.
Illud vero generice receptum est, ut hujusmodi solem-
nitates, vel formæ, in donationibus, alio non expresso 29
præscriptæ, eos tantum capiant actus, qui dictam ve-
ram, ac puram donationem redoleant, non autem eos, qui
sub hoc donationis vocabulo explicati, spectato effectu,
diversum correspectivum contractum importent, explica-
ri solitum sub nomine donationis causativæ, quæ impro-
prie donatio dicitur, nisi de Statuentium sensu constet,
quod in his etiam ita statuere voluerint.
Solemnitas autem a jure communi demandata consistit
in eo approbationis, vel publicationis actu apud acta Judi-
cis faciendo, qui sub insinuationis vocabulo ab ipso jure 30
explicatur, quoties notabilis donatio sit, quæ summam
excedat quingentum aureorum, constituentium illam scu-
torum septingentorum circiter nostrorum temporum.
Ita tamen, quod ejus omissio totum actum non vitiet, 31
sed solum excessum, ac dummodo talis excessus ab initio
adsit, secus autem ubi de præstatione ad vitam agatur,
quæ in singulos annos hanc summam non excedat, quam-
vis facto plurium annorum cumulo, in quibus donatarium
supervivere contigerit, idem excessus adsit, dum poterat 32
ipso primo anno mori.
Antiquata vero quodammodo videtur hæc solemnitas ab 33
ipso jure communi inducta, ob juramentum, quod ex com-
muni-

muni stylo, usque in abusum, in omnibus pene contra-
ctibus tanquam per clausulam apponi solitam adjicitur,
& ob quod receptum est, hanc solemnitatem, utpote a
jure mere positivo inductam, actui validitati, ac obser-
vantiæ non obstare, quoniam ubi bono publico principa-
lit, vel æternæ salutis dispendio actus non obstet, jurisju-
jurandi religio afficit, ac servanda est.

34 Hinc aliqui hanc solemnitatem ab aula recessisse cre-
diderunt, quod tamen erroneum est, cum juramento,
vel speciali renunciatione cessante, sit verius, ejus neces-
sitatem adhuc vigere, dicta vero juramenti frequentia,
spectato potius facto, quam jure, hunc non usum præse-
ferre videtur.

35 Ad tollendum autem hunc effectum ex juramento re-
sultantem, frequentius jura municipalia desuper prodie-
runt, ut eo non obstante, insinuationis, vel alterius sole-
mnitatis defectus actum vitiet, ideoque hujusmodi acciden-
talium, seu particularium solemnitatum inspectiones Fo-
rum ut plurimum agit, super eo præsertim, an laicorum
leges juramenti vim tollant.

36 Ea tamen recepta distinctio est, ut sub Statuto de actu
jurato non disponente, iste non veniat, quamvis Apostolica
specifica confirmatione, vel auctoritate munitum sit,
cum tunc, non potestatis, sed voluntatis defectus adesse
dicatur, ubi vero certa sit voluntas complectendi actus
quamvis juratos, unde propterea sola sit quæstio potesta-
tis, ista non cadit in Statutis dictam specificam Apostolo-
37 licam auctoritatem habentibus, ea vero deficiente, adeo
ut de sola potestate laicali agatur, si directe de ipso jura-
mento enervando disponat, certus est potestatis defectus,
cum laicis non concedatur juramenti dispensatio, quæ so-
lius est Pontificiæ auctoritatis, ubi vero indirecte, id se-
quatur, quia nempe lex laicalis inducat probationem il-
lius facti, ex quo de consequenti juramentum corruat,
seu præstitum esse non probetur, puta quia instrumento,
vel alteri scripturæ adimatur fides, qua cessante, ipsius
juramenti præstatio probata non est, sive quod præsumat
actum dolo, vel metu extortum, tunc de consequenti
corruit juramentum ex defectu naturalis consensus, ideo-
que Statutum operativum remanet.

Hæc autem legis laicalis dispositio dictam facti proba-
tionem præsumptivam solum inducit, contraria probatio-
ne elidibilem, ideoque si per extrinsecas probationes con-
stet de juramenti præstatione, ac sinceritate actus, tunc
veritas dictæ præsumptioni prævalet, atque juramentum,
utpote legitime probatum suam facit operationem, dene-
gata sæculari Potestati facultate denegandi, vel improban-
di contrariam probationem, cum tunc idem esset, ac di-
recte juramentum tollere, eique dispensare.

De cessante autem necessitate hujusmodi solemnitates
adhibendi in causativis, vel alias privilegiatis donationi-
bus habetur in proxime sequentibus Rubricis, occasione
agendi de dicta alia donationis causativæ specie in com-
muni, ac de altera particulari donationis contemplatione
matrimonii.

38 Verum, & in hac pura, mereque lucrativa donatione,
dicta juris communis solemnitas, vel aliæ, quæ a jure
municipali præscriptæ sint, desiderandæ non sunt in ea
donatione, quæ manualiter, ac brevi manu per actum
facti potius quam juris fiat, de pecunia, & gemmis,
aliisque manualibus, ex communi usu ita donari solitis.

39 Minusque juxta unam opinionem (contradictoribus ta-
men non carentem) ubi agatur de donatione per episto-
lam familiarem, seu alias in ea forma, in qua ex communi
usu solemnitates adhiberi non solent, adeout eadem intret
ratio, quæ præcedenti casui manualis donationis congruit.

40 Notabilis tamen dignoscitur differentia inter eas sole-
mnitates, quæ a solo jure communi desiderantur, (ut est in-
sinuatio) & illas, quæ magis stricte pro forma præscribun-
tur, primo etenim casu, vel juramentum, vel Judicis
præsentia, vel actus geminatio, seu altera æquipollentia,
eam supplet, adeout (ut jam insinuatis) non desint vo-
lentes eam ab aula recessisse, in secundo autem non ita
large proceditur, non tamen uniformis haberi potest regu-
la, cum hæc diversa sit, pro ipsorum jurium municipa-
lium diversa qualitate.

41 Ecclesiæ vero, vel piæ causæ favor, tam unam, quam
alteram solemnitatum speciem supplet, ideoque in dona-
tionibus, quæ in ejus causam fiunt, non requiruntur.

42 Donandi vero causa, de jure communi, in iis, qui sint
majores, perfectique judicii reputentur, eteque liberam suo-
rum bonorum dispositionem habeant, non inquiritur, ne-

que in puræ donationis contractu læsionis termini cadunt, 43
in correspectiva solum cadentes, vel ubi adeo imprudens
esset actus, ut donatorem congrua alimentorum provisio-
ne destitutum relinqueret.

Jura vero municipalia varia sunt, aliquibus causam 44
quoque desiderantibus, ubi præsertim de mulieribus, alis-
que imbecillioris judicii personis agatur, unde propterea
non de facili, pura, & non causativa donatio sustenta-
bilis esse solet.

Sub donatorum autem dispositionibus veniunt, nedum 45
illi contractus, qui sub hoc vocabulo explicantur, sed
etiam remissiones debiti, vel actionis, aliique actus æqui-
pollentes, cum non rerum vocabulum spectari debeat, sed
effectus.

Neque sanguinis conjunctio, ex veteri sententia, ubi 46
præsertim agitur de solemnitatibus a jure municipali indu-
ctis, hanc necessitatem tollit, quamvis inter parentes, ac
filios agatur, nimium ista circumstantia conferente ad ex-
cludendam fraudis suspicionem, quodque magis benigne cir-
ca solemnitatum implementum procedendum veniat.

Retrodonatio item, seu retrocessio bonorum donato- 47
rum, quæ eidem donatori fiat, sub donationis etiam vo-
cabulo, seu dispositione cadit, ad effectum solemnitatum,
aliaque a communi, vel municipali jure in donatione di-
sposita, quoties acceptatione præcedente, bonorum, vel
jurium donatorum dominium donatario quæsitum sit, cum
tunc in effectu novæ donationis habeat speciem, nimium
tamen ista circumstantia in consideratione habenda est, 48
ut actus prudens, laudabilis, ac a fraude, vel circumven-
tione alienus censendus veniat, restituendo benefactori
id, quod suum erat, potissime ubi esset causa, quæ do-
nationi impulsum dedit, neque præjudicium vigeat tertii,
cui in bonis donatis interim jus quæsitum sit.

Secus autem ubi non acceptationem, seu repudiatio-
nem juris quærendi retrocessionis actus redoleat, cum tunc
non sit bona, vel jura jam quæsita, & effecta propria
donare, suumque patrimonium diminuere, sed nolle quæ-
rere, ideoque donationis forma, vel solemnitas necessaria
non est, multoque minus læsio cadit.

De aliis vero hanc veram, ac propriam donationis spe- 49
ciem percutientibus, in aliis Rubricis, pro earum respe-
ctive inspectionibus habetur, præsertim vero, an donatio
facta absenti valida sit, ac perfecta, sive an donandi pro-
missio donationem importet, de quibus sub resolutionis,
vel revocabilitatis Rubrica.

IV.

De donatione causativa, vel meritoria, aut onerosa,
& correspectiva in genere.

EXcepta illa causativa donatione, quæ contemplatio- 50
ne, vel occasione matrimonii facta, particularem
proxime sequentem Rubricam habet, sub ista generaliter
agitur de quacumque alia donatione, quæ vera, & pro-
pria non sit, sed impropria, & causativa, utpote ex causa
meritorum, seu alias correspectiva, sive ob onus illi ad-
mixtum.

Remuneratoriam itaque donationem, veram, ac pro- 51
priam non esse, potius autem impropriam, ac speciem
onerosi, vel correspectivi contractus redolere, ad effectum
solemnitatis, ac alios, juris generale receptum princi-
pium est.

Duplici tamen cadente quæstione, pro hujus principii
congrua applicatione, primo nempe, an sola meritorum
assertio, absque alio extrinsecæ probationis fomento,
ad id sufficiat, & secundo an, & quæ meritorum qua-
litas hunc operetur effectum.

Quamvis autem in prima communis distinctio sit, an 52
inter prohibitos, vel non prohibitos agatur, ut primo ca-
su, extrinseca probatio, saltem adminicularia desideran-
da veniat, eo modo, quo in quibuscumque alienandi pro-
hibitionem habentium confessionibus receptum est, secus
autem in altero, adhuc tamen hæc generalitas quæstio-
nem non solvit, cum effectuum exinde resultantium qua-
litas in proposito spectanda sit.

Ubi etenim ad solum minorem effectum agatur, evitan-
di scilicet aliquos rigores, in pura, & simplici donatione
omni causa destituta, inductos, tunc id ita generice ac-
cipiendum est, dummodo aliqua urgeant argumenta,
(quamvis plenam probationem non concludentia) ut vere
meritorum remunerandorum ratio donationi causam de-

derit, secus autem si ex Notariorum formulario, vel stylo id proveniat.

Ubi vero ad alios graviores effectus agatur, puta evictionis, vel solemnitatum, quæ pro forma desiderentur, sive comprehensionis extraneorum hæredum, qui de bonorum natura sub gratuita concessione non veniant, aut pro impedienda resolutione resultante a supervenientia liberorum, seu circa revocandi facultatem ob ingratitudinem competentem, in pura, non autem in vere remuneratoria donatione.

Tunc verius est, ut etiam in non prohibitis, ad speciem deduci debeant, ut exinde judicium efformari valeat super præponderantia, & an eam mercedem de congruo exigant necne, cum ad eam mensuram tantum, ea sit causativa, & impropria, onerosi potius, vel correspectivi contractus speciem redoiens, in excessu autem sub puræ donationis natura cadat.

53 Altera vero quæstio, quæ ipsorum meritorum pondus, vel qualitatem percutiat, & an tantam mercedem exigant, facti potius quam juris est, pro facti qualitate, ac particularibus circumstantiis decidenda, prudenti Judicis arbitrio.

Ea juris inspectione cadente, an sola congruentiæ, ac honestatis, vel antidoralis obligationis ratio ad id sufficiat, vel potius ea requiratur obligatio, quæ ex rigore justitiæ illud præmium de condigno postulet etiam in judicio contra invitum experibile.

54 Potissime autem, ubi de illis bene merentibus agatur, qui bene sa agendo, proprio muneri, vel oligationi potius satisfecisse videantur, puta de filio cum patre, de famulo cum Domino, de subdito cum Superiore, de milite cum Principe, vel exercitus Duce, cum similibus, quod non modicam habet scissuram inter Juristas; ex probabiliori autem sententia, pro facti, ac effectuum exinde resultantium diversa qualitate, & circumstantiis, pro Judicis prudenti, beneque regulato arbitrio, decisionem id recipit, ideoque certa generali, ac uniformi regula desuper non cadente, non de facili sub compendio explicabile id remanet, sed pro casuum opportunitate in sua sede videndum est.

55 Causativa item donatio est, quæ onus admixtum habeat, sive illud concernat commodum ipsius donatoris, ac suorum, sive etiam tertii, atque sive onus tale sit, quod ipsius donationis emolumentum excedere aptum sit, ipsumque donatarium de proprio damnificare (quo casu vere correspectivus contractus potius quam donatio est) sive etiam illud periculum absit, ac semper donatarius jure suo durante, lucrum, & commodum reportet, onus tamen fideicommissi, vel primogenituræ adjectum sit, quamvis ejusdem donatarii descendentium, vel conjunctorum favorem concernat, ut adhuc dicatur causativa donatio devians a natura puræ, ac simplicis donationis, ad solum effectum solemnitatum, secus autem ad alios, pro quibus vera causa onerosa, & correspectiva necessaria est, ideoque ob dictum fideicommissi onus improprie causativa dicitur.

56 Prout causativa est, atque correspectivum, & onerosum contractum potius redolet ea donatio, quæ reciproca sit inter donantem, & donatarium, cum ita hic in damno remanere valeat, illa autem in lucro, potiusque sit incertæ aleæ reciproca venditio, vel permutatio.

V.

De donatione ex causa, vel contemplatione matrimonii carnalis, & spiritualis, vel ad sacros ordines.

57 DUplicem habet inspectionem ista species causativæ donationis, carnalis sc. ac spiritualis matrimonii, sub hac autem secunda frequentius cadit illa donatio, quæ Clerico sæculari de sufficienti ecclesiastico beneficio non proviso fiat, ut ad titulum patrimonii valeat promoveri, quamvis enim pro communi usu loquendi, spirituale matrimonium cadat in puellis in Monasterio profitentibus, quæ aliquo indigent peculio ad hujusmodi finem assequendum necessario, attamen id sub dotis vocabulo, ac terminis potius cadit, ideoque in dotali materia tractatur; sub ista vero donatione cadit ea provisio, quæ ad præfatum finem assequendi sacros ordines desideratur.

58 Irrevocabilis autem, etiam de donatarii consensu est hæc donatio, ob duplex tertii interesse, quousque illud duret, Ecclesiæ scil. seu Ordinis clericalis pro ejus decore, &
59 Episcopi ad ordines promoventis, ad alimentorum suppeditationem alias obligati, ideoque retrocessiones, vel etiam antapochæ, seu declarationes, ac bonæ fidei recognitiones super fiducia, vel simulatione, quinimmo expliciæ probationes ex eadem causa non attenduntur.

Idemque interesse prohibet hujusmodi bonorum aliena- 60
tionem, ac etiam obligationem, dicto interesse urgente, nec non donationis revocationem, etiam ex causa ingratitudinis, vel non implementi, cadente quæstione super ejus- 61
dem donationis resolutione ob mortem promoti, vel congruam provisionem superventam, in qua regula est nega- 62
tiva, nisi alias cautum sit de pacto resolutivo in casu superventæ provisionis, quam a donatore oblatam, vel pro- 63
curatam donatarius recusare non potest.

Super ejusdem donationis imputatione in legitimam, 64
vel collatione dubitari etiam solet, idque ex donatarii expressa, vel tacita voluntate determinationem recipit.

In prohibitis autem donare, ista species donationis regu- 65
landa venit adinstar dotis, ad cujus favorem in mulieribus majoribus indefinite prohibitio cessat, sive necessarius, sive voluntarius sit actus hujusmodi necessariæ, seu volun- 66
tariæ causæ distinctione in minoribus cadente, & quoad solemnitates, idem, ac fortius, quod in alia specie donationis contemplatione carnalis matrimonii cautum est.

Sub hac item causativa spirituali donatione venit ea, 67
quæ pro Ecclesia, vel ecclesiastico beneficio dotando fiat, sub dotationis potius quam donationis vocabulo explicari solita, atque sub jurispatronatus materia pro ejus acquisitione tractata, sive pro Monasterii, vel Regularis Domus fundatione, seu dotatione; cadente quæstione, an dissoluto Monasterio, bona redeant ad donatorem, quod pro facti qualitate decisionem recipit.

Frequentiores autem quæstiones in ista donationum ma- 68
teria Forum audit, in altera specie donationis contemplatione, vel causa matrimonii carnalis, super pluribus, primo nempe super ejus acquisitione, an ad solius sponsi donatarii favorem, vel etiam filiorum ex eo matrimonio procreandorum, secundo super ejus retrodonatione ad favorem donatoris, tertio super bonorum donatorum alienatione, vel obligatione ad favorem tertii in præjudicium uxoris, & filiorum, quarto super ejus imputatione, vel collatione, quinto super ejus resolutione, vel cessatione, & sexto super solemnitatibus in donationis contractu requisitis, an in hac specie desiderandæ sint.

Prima quæstio alias involuta visa est, plerisque opinan- 69
tibus, ut quoties certi, ac determinati matrimonii favore facta est, filiis ex eo procreandis quoque principaliter, ordine tamen successivo per quandam fideicommissi speciem acquiratur, contrarium autem verius est, magisque communiter receptum, ut soli sponso donatario quæratur, cujus filii non nisi hæreditario jure succedant, nisi donatoris voluntas aliter suadeat, etiam præsumpta, vel conjecturalis, & adminiculativa, clarius autem ubi sit expressa, quia nempe filii ab ipsius donatarii providentia directe vocati sint, secus autem, ubi ab illa ipsius donatarii eorum patris, cujus stipulatio pro eis tanquam hæredibus in dubio facta censetur, nisi adminicula diversam probent voluntatem, ideoque facti potius, ac voluntatis, quam juris est quæstio, certam regulam, seu determinationem non recipiens, sed ex facti qualitate, singulorumque casuum circumstantiis.

Dictaque vocatione accedente, illius, non autem alte- 79
rius matrimonii filiis suffragatur, secus autem, ubi hæreditario jure omnes filii veniant.

In secunda vero quæstione retrodonationis, vel retro- 71
cessionis in toto, vel in parte, decisio pendet a bona, vel mala fide, seu retrodonandi causa, ubi enim id proveniat ex prævia conventione inter donantem, ac donatarium, adeout ipsa donatio ita simulata dicatur, ad circumveniendam sponsam, ejusque conjunctos alias non contracturos, & tunc pro retrodonationis invaliditate respondendum est, quamvis donatione soli sponso donatario quæsita, uxor, ac filii non nisi interesse, vel jus habeant secundarium pinguioris sustentationis, vel successionis, adeout filii hæreditariam qualitatem habentes, atque non nisi hæreditario jure in bonis donatis succedentes, proprii auctoris factum recte impugnent, ita lege, vel Doctorum magis recepta traditione probabiliter disponente; ad hujusmodi fraudes, ac circumventiones tollendas.

Ubi vero donationis actu jam perfecto, ac sincere inito, donatarius ex motivo gratitudinis, vel ex alia justa, congruave ratione, sive ad ambiguam litem super eadem donatione componendam in toto, vel in parte citra fraudem, ac

citra

citra prævlam collusionem, retrodonet, vel remittat, tunc
excepto jure alimentorum, constante matrimonio, vel præ-
judicio cautelæ dotis, nulla subest dubitandi ratio de actus
validitate; si enim donatarius cuilibet extraneo vendere,
obligare, vel etiam donare potest, non debet benefactor
quocumque extraneo esse inferior, ideoque a facti quali-
tate decisio pendet.

Quo vero ad tertiam quæstionem potestatis alienandi,
vel obligandi bona ita donata, pendet decisio a jure, quod
in eis habeant filii; si enim illud est primarium, quia nem-
72 pe directe, ac jure impliciti fideicommissi vocati sint, pro-
cedit idem, quod generaliter in bonis restitutioni subjectis
in jure statutum est, si vero ipsi, ac uxor jus habeant
solum secundarium alimentorum, seu decentioris sustenta-
tionis, id non impedit alienationis, vel obligationis vali-
ditatem, ac substantiam, sed impedit solum effectum con-
stante matrimonio pro dicto jure, ac ad ejus mensuram,
ab ipsius matrimonii tempore, ac statu regolandam.

Cadente quæstione inter mulierem, ac viri donatarii
73 anteriores creditores, an in his bonis donatis ipsa potio-
ritatem habeat, idque probabilius videtur.

Imputationis autem, vel collationis quarta quæstio, ex
donatoris qualitate pendet, si enim alter sit quam pater,
74 verius est eam non intrare, nisi diversa donatoris voluntas
aliter disponat, in patre vero, nisi facti circumstantiæ ali-
ter suadeant, in oppositum regula statuenda videtur; ca-
dentibus uno, vel altero casu frequentius quæstionibus,
ubi voluntas non sit clara, & expressa, sed conjecturalis,
& præsumpta, quod certam regulam non recipit, sed pro
facti qualitate, & circumstantiis est decidendum.

75 Facti quoque potius quam juris est quinta quæstio, su-
per hujusmodi donationis resolutione, vel cessatione, do-
nandi causa cessata ob matrimonii dissolutionem, regula
enim est negativa, limitanda vero ex facti circumstantiis
hanc voluntatem redolentibus.

Ac demum sexta super solemnitatum necessitate; ubi
enim donatio fit pro indeterminato matrimonio, sive pro
determinato jam contracto, verius est solemnitates deside-
76 rari, neque illam a pura, & simplici donatione differre,
ubi vero pro certo, ac determinato matrimonio contra-
hendo facta sit, quamvis apud seniores sub aliqua dubita-
tione id fuerit, hodie tamen recepta est negativa, nisi jus
municipale in ista quoque specie donationis solemnitates
exigat.

VI.

De prohibita, ac invalida donatione ratione personarum, vel bonorum.

77 ULtra eam generalem inhabilitationem, quæ ratione
imperfecti judicii, vel defectus potestatis, aut ex
natura, seu qualitate bonorum, in omni contractu, ac
specie alienationis vigeat, & sub quo genere veniat quo-
que ista species, nulla ejus peculiaris naturæ ratione ha-
bita, quatenus ad hanc speciem contractus pertinet, in
quo particularis dignoscatur prohibitio, quæ in aliis alie-
nationibus, & contractibus non obstet.

78 Præcipua donandi prohibitio a jure civili inducta viget
inter virum, & uxorem, inter quos, ne ratione mutui
amoris invicem se spolient, iste contractus constante ma-
trimonio regulariter est prohibitus, ideoque donatio irrita
est, nisi morte confirmetur ex perseveranti voluntate.

79 Plures tamen limitationes recipit hæc regula, primo
scilicet, ubi ante matrimonium donatio sequatur, vel in
80 ipso actu, secundo, ubi donatio conferatur in tempus
matrimonii dissoluti, dummodo non sola exequutio, sed
substantia donationis in tale tempus collata sit, tertio, ubi
81 de bonis, vel juribus quærendis, unde propterea donans
pauperior non efficiatur, vel e converso donatarius non
efficiatur ditior, quarto, si ob dotis augmentum, seu
82 in causam illius donationis, quæ pro loci moribus, vel
personarum qualitate, matrimonio, & conjugibus adapta-
ta sit, & quinto frequentius, (quoad regulam prohibiti-
83 vam, cessante jure municipali vim juramenti directe, vel
indirecte enervante, ut est in Urbe, a Foro exulem red-
didit, ac idealem efficit) ubi scilicet donatio juramento
munita sit, per quod, publico favore principali, vel bo-
nis moribus naturalibus non adversantibus, hujusmodi pro-
hibitiones a jure civili, seu alias positivo laicali manantes,
cessant. Quoties tamen explicitus, ac sincerus donationis
titulus accedat, adeout aliud non obstet impedimentum,
84 nisi illud, quod e dicta legis positivæ prohibitione resul-
tat; secus autem ubi fraudis, vel alterius naturalis defe-
ctus obstaculum urgeat, cum juramentum tanquam vin-
culum Religionis, ac veritatis, fraudes, ac mendacia,
aliosque juris naturæ defectus non confoveat, ut frequens
praxis docet in ea implicita, ac a lege præsumpta dona-
tione, quæ ad faciendum fraudem legis prohibitioni, sub
confessione receptæ dotis inesse dicitur.

Inter patrem quoque, ac filium in potestate prohibita
est donatio, pene idealis autem hodie in Foro videtur hæc 85
prohibitio, operativa solum pro regulanda ambigua volun-
tate patris in assignationibus, vel distributionibus, quas
inter filios faciat, sive in acquisitionibus, quas pro eis et-
iam stipuletur, ex propria, non autem datoris providen-
tia, ut in dubio profectitii peculii jure id factum censea-
tur, ubi autem perfecte donandi inter vivos accedat vo-
luntas, nimium rara est quæstio potestatis, vel quia jura-
mentum pene in omnibus actibus inter vivos quasi pro
stylo interponi solitum, hujusmodi prohibitionem tollat,
vel quia ob juris novissimi introductionem peculii adven-
titii in filiisfamilias, quibus concessum est, patriæ pote-
statis obstaculo non obstante, Dominium, immo hæredem
habere, cessare videtur illa juris antiqui, ac medii, vel
novi prohibitio, quæ ex defectu materiæ, vel ex ratione
capacitatis habendi proprium admittar servorum resultare
videbatur, ideoque inanes remanere videntur quæstiones
ex dicto jure antiquo, medio, ac novo resultantes, cir-
ca causativas donationes patris cum filio in potestate su-
stinendas.

Concubinæ milites donare sunt prohibiti, quod pariter 86
ex ratione juramenti, vel ex motivo melioris frugis, quo-
dammodo antiquatum videtur, illaque prohibitio, quæ,
spectata etiam juris canonici dispositione, in Clericis mi-
litat de bonis ecclesiasticis, vel Ecclesiæ intuitu quæsitis, 87
non donationis peculiarem, sed cujuscumque dispositionis
generalem interdictionem percutit.

Ut etiam contingit in mulieribus ex jure municipali de
dote in præjudicium filiorum, vel dotantium disponere
prohibitis, cum similibus, adeout donatio illud habere 88
videatur peculiare, ut facilius fraudis suspicionem inducat,
quam faciat correspectiva, & vere onerosa dispositio.

Eademque generalitas in bonis dignoscitur, cum ea quæ 89
in libero commercio, liberaque dispositione non existunt,
genericam donandi, vel alias distrahendi prohibitionem
habeant, & e contra eadem sit libertas.

VII.

De donationis inter vivos valida, ac de sui natura irrevocabilis resolutione, vel revocabilitate, aut imperfectione.

PActo, vel conditione resolutiva expresse adjecta, ejus-
que purificationis facto casu, quatenus donator, cu- 90
jus favore talis adjectio facta est, uti velit, omnis cessat
quæstio, quæ non intrat in claris, distinctione neglecta
inter puram, vel causativam donationem, cum hujusmo-
di distinctio intret in ea resolutione, vel revocabilitate,
quæ a juris dispositione manat, non autem ab illa ex-
pressæ conditionis, vel pacti.

Non potest autem donatarius, ob cujus contraventio-
nem, vel non implementum pacti, vel conditionis fa-
ctus est casus, eo uti invito donatore, in cujus gratiam 91
adjecta est conditio, vel pactum.

Cadente quæstione, an resolutio non declarata in vita
per donatorem, cui defectum est, remissa censeatur, vel
potius transmittatur ad hæredes, quod ex facti circum- 92
stantiis decisionem recipit, regula tamen pro non trans-
missione militat.

Prout sub quæstione est, an ad hujus pacti, vel con-
ditionis effectum, culpa positiva donatarii non adimplen-
tis necessaria sit, adeout justæ excusationi, vel moræ pur-
gationi locus dari debeat, quod pariter ex facti qualitate, 93
ac circumstantiis determinationem recipit, ut in sua sede,
ideoque certa, & generalis regula desuper stami non potest.

Idemque pro facti qualitate dicendum venit in altera
quæstione, an unius donatarii contraventio, aliis ex pro-
pria persona independenter, simultanee, vel successive vo- 94
catis præjudicet, cum id ex pacti, vel conditionis formu-
la pendeat.

Conditione autem, vel expresso pacto resolutivo cessan-
te, adeout sola juris dispositio attendenda sit: ubi donatio
alicujus implementi onus habeat ad commodum ipsius do- 95
natoris,

natoris, huic superstiti, etiam ex sola legis provisione actio
competit, vel agendi ad implementum, & quanti inte-
resse præstari, vel donationem resolvi, quæstione cadente,
an donatore eligente implementum, ac observantiam, co-
gi valeat donatarius ultra id quod importet donationis
96 emolumentum, vel potius offerendo rei donatæ emissio-
nem, exaudiri debeat, probabiliorque in facti contingen-
tia prior opinio reputata fuit.

Si vero adjectum onus gratiam tertii percutiat, adeo-
ut cesset ipsius donatoris favor, sive non urgeat ratio cu-
97 jusdem implicitæ ingratitudinis, quæ ita cum eo com-
mitti dicatur, non intrat resolutio, sed solum actio ad
implementum, nisi aliter cautum sit.

Revocandi etiam facultatem donatori tribuit donatarii
98 ingratitudo, quoties de gratuita donatione agatur, quæ
beneficium, ac liberalitatem redoleat, secus autem, si de
causativa, ob meritorum præmium condignum, vel alte-
ram de præterito, vel de futuro correspectivitatem.

Hæc autem respectu ipsius ingrati, vel contravenientis
procedunt, eique in ejus præjudicium, aliorumque ab eo
99 causam habentium, non autem aliorum ad eandem dona-
tionem jure proprio independenter venientium, vel alte-
rius interessati, juxta ea, quæ de causativa donatione spi-
ritualis, vel carnalis matrimonii contemplatione dicta sunt,
nisi implementum fuerit causa finalis, sine qua donatio
nullatenus facta esset, adeout cessare dicatur ipse donandi
voluntas.

Filiorum supervenientia, puram, & gratuitam, non au-
tem onerosam, seu alias causativam donationem resolvit,
100 quatenus tamen ipse donator eam resolutam esse declaret,
& non alias, nisi justa causa hujus declarendi facultatis
transmissionem ad ipsos filios hæredes ex remedio extraor-
dinario, vel Judicis indulgeat.

Eatenus vero huic resolutioni locus est, quatenus de di-
cta filiorum supervenientia cogitatum non sit, adeout juris
præsumptio intret, donandi voluntatis exclusiva, si cogita-
tum esset, secus autem si ex verbis, vel aliis circumstantiis
constet cogitatum esse, vel quod accedat renunciatio legi-
bus hanc præsumptionem inducentibus, vel quod de tali
donationis specie agatur, ut quamvis cogitatum esset, ad-
huc verisimiliter facta esset, plerisque etiam opinantibus, ut
fœminarum supervenientia hunc effectum non producat.

Verum ubi etiam dicta renunciatio, vel expresse men-
tio, seu cogitatio futuræ prolis accedat, adhuc tamen id non
prohibet hanc resolutionem, quando rerum status immuta-
tio verisimiliter non opinata ita suadeat, puta quia dona-
tore tunc sterilem uxorem habente, casus postmodum præ-
beat, ut illius uxoris mors alias concedat nuptias fœcun-
das, ex quibus verisimiliter non sperata proles obveniat,
cum similibus contingentiis, quibus eadem ratio congruat,
cum hæc dicatur quæstio voluntatis, cujus verisimilitudo,
vel substantiæ potius quam verborum formalitas, vel
regularum juris rigor, prudentis Judicis arbitrio, pro facti
qualitate regulando, attendi debeat.

Quid autem sit de resolutione donationis causativæ ex
101 cessante causa donandi, actum est supra in Rubrica do-
nationis contemplatione carnalis, vel spiritualis matrimo-
nii, seu alias causativæ.

Procedunt hæc, supposita jam perfecta, aliasque de sui
natura irrevocabili donatione, per quam donatario rei do-
natæ dominium, vel jus quæsitum sit; ubi vero quæstio
sit imperfectionis, ex qua pœnitendi facultas, vel donatarii
102 exclusio deducatur, distinctio est, primo inter imperfe-
ctionem resultantem ab inhabilitate personæ donatoris,
secundo a voluntate ejusdem donatoris, tertio a donata-
rii absentia, vel non acceptatione, quarto ab inobservan-
tia formæ, vel solemnitatis requisitæ in ipso actu ex ejus
natura, quinto e vitio reali bonorum, quæ donantur,
sexto a læsione, & septimo ab incapacitate, vel alio im-
pedimento personæ donatarii.

Prima imperfectio considerari solita in pupillis, ac mi-
noribus, aliisque imperfecti judicii e jure communi, vel
103 municipali inhabilitatis ad libere de suis bonis disponen-
dum, fortius vero in tutoribus, & Prælatis, aliisque ad-
ministratoribus, invaliditatem potius quam revocabilita-
tem, seu pœnitendi facultatem percutit, eaque peculiaris
non est in donatione, sed cuicumque alienationi conve-
nit, magis vero huic utpote certius perditionem, ac læ-
sionem redolenti.

Secunda imperfectio, quæ deduci solet a voluntate do-
natoris, alias perfecti judicii, ac habilis ad donandum,
dupliciter sub quæstione cadere solet, primo nempe, quia
sit voluntas adhuc in via, non autem in termino, vellei-
tatis potius, vel propositi, quam perfectæ, ac determina- 104
tæ voluntatis speciem habens, sive quod ad alium contra-
ctum voluntas sit referibilis, & hæc pariter, neque revoca-
bilitatem, vel resolutionem actus jam perfecti percutit, sed
negationem ipsius actus ne unquam extitisse dicatur, itta-
que imperfectio in dubio præsumitur, atque donatarii alle-
gantis perfectam donandi voluntatem onus est id perfecte,
& concludenter probare, cum probatione univoca, non
autem æquivoca, cum in dubio donatio præsumenda non
sit, dataque possibili relatione ad alium minus damnosum
titulum, ad hunc actus referendus censeatur.

Et secundo frequentius, quia de promissione donandi
agatur, adeout adsit quidem perfecta, & determinata vo-
luntas super actu in futurum faciendo, hoque casu di- 105
stinctio est inter jus, vel præjudicium tertii, ac ipsius
promittentis, ut quoad tertium, in quem intermedio tem-
pore ex titulo valido, dominium translatum sit, vel jus
quæsitum, promissio de donando vim donationis non ha-
beat, utpote solum productive actionis ad factum, vel
implementum, seu ad quanti intersit, ut id quod pro-
missum est impleatur, nisi promissio munita sit hypothe-
ca, ex qua resultet actio rei persecutoria, etiam contra
tertium, cadente quæstione, ubi tertius causam onerosam
foveat, an scilicet ista licet posterior, alteram lucrativam
anteriorem vincat, quod sub concursus creditorum mate-
ria cadit, ibique videndum est.

Quo vero ad ipsum promittentem, spectato magis effe-
ctu, quam formalitate, volitat axioma, ut promissio de
faciendo habeatur pro facto, non quidem, ut apta sit do-
minium, vel aliud jus vere reale transferre, sed quia ex 106
personali coactione promittentis, idem resultat effectus,
etiam in ipsa specie præcisa, ad quam recte cogi potest,
cum regula, ut nemo ad factum præcisum cogi valeat;
sed præstando interesse liberetur, procedat ubi ipsum fa-
ctum præstari non potest, secus autem ubi est in facultate
præstandi.

Tertia est imperfectio, quæ resultat a donatarii absen-
tia, & non acceptatione, super qua apud seniores, ma-
jores fuerunt controversiæ, hodie in scholis frequentes, in
Foro autem pene sopitæ sunt, ubi etenim de lucrative, 107
& vera donatione agitur, receptum est, data in reliquis
validitate, ac perfectione donationis, istam esse irrevoca-
bilem, eique pœnitentiam excludere, ubi non in puris
terminis pollicitationis actus remaneat, sed explicita sti-
pulatione Notarii pro absente munita sit, vel etiam im-
plicita, quæ resultet ex obligatione camerali, vel a verbo
promisit, seu alio æquipollenti.

Non tamen id suffragatur ad acquisitionem dominii,
vel juris realis, pro quo necessaria est acceptatio, ideoque
intrant eadem, quæ respectu tertii in promissione de do-
nando superius dicta sunt.

Nisi infantilis ætas, piæ, vel alterius causæ privilegia-
tæ favor acceptationem suppleat, dictamque acceptationem
opus non est expresse sequi, vel justificari, cum in gra-
tuitis, ac lucrativis actibus ejus præsumptio resultet ex
sola scientia, quæ præsumpta etiam, sive conjecturalis
sufficiens reputatur.

Ubi vero onerosa donatio sit, verius est acceptationem
requiri, atque interim pœnitentiæ locum esse, quoties ta-
men de vere onerosa, & causativa donatione agatur, qua-
lis ad hunc effectum ea est, quæ lucri, vel damni etiam
de proprio incertam contineat aleam, secus autem ubi
onus donationi adnexum emolumento non præponderat,
adeout actus certum habeat lucrum, dictamque damni
proprii periculum absit, ideoque facti potius quam juris
hujusmodi quæstiones esse videntur, certam, ac determi-
natam non recipientes regulam generalem, sed pro facti
qualitate, & circumstantiis, particularem habentes deci-
sionem.

Quarta imperfectio ex defectu formæ, vel solemnitatis
actus, nullitatem potius, quam pœnitendi facultatem per- 108
cutit, ideoque in solemnitatum Rubrica cadit.

Quinta imperfectio ratione bonorum duplicem habet
inspectionem, unam scilicet quantitatis bonorum quamvis
indifferentium, liberique commercii, quia nempe omnium
bonorum, vel talis partis, quod testandi facultas adempta
maneat, & alteram qualitatis, quia nempe de feudalibus,
vel emphyteuticis, seu Regalibus, vel aliis donandi etiam
prohibitionem legis, vel hominis habentibus, absque alte-
rius assensu, vel alia solemnitate, vel quia sit de hære-
ditate viventis.

Prior

Prior inspectio invaliditatem potius quam revocabili-
tatem, vel pœnitendi facultatem percutit, cum universa-
109 lis donatio ipso jure nulla sit, quamvis accedat juramen-
tum, cui ex magis communi, & recepta sententia hunc
defectum supplendi virtus non datur, licet non desit pro-
babilis ratio dubitandi.

Ut autem ad hunc effectum donatio universalis, vel
omnium bonorum dicatur, opus est, ut omnia compre-
hendat bona, ac jura, & actiones tam de præsenti, quam
de futuro, unde propterea verificetur ratio hujus prohibi-
tionis productiva, tollendi scilicet facultatem testandi,
ideoque si de bonis fiat, sub istorum nomine, ad susti-
nendum actum jura, & actiones non veniunt, atque si
de his omnibus, omissa tamen futurorum expressione, ista
comprehensa non censentur, sed ad præsentia donatio re-
stringitur.

Reservatio autem ususfructus, vel alicujus partis bo-
norum sufficit ad hanc universitatem tollendam, ubi ta-
men adeo congrua sit, quod uno, vel altero casu dicta fa-
cultas fatua non remaneat, cadente quæstione, ubi dis-
ponendi facultas ad exercitium non deducatur, an ea quæ
reservata sunt, cadant sub donatione, vel potius ad dona-
toris intestatum hæredem pertineant, itaque posterior
pars probabilior est, nisi verborum amplitudo, vel aliæ
circumstantiæ diversimode suadeant.

Ecclesiæ vero, vel piæ causæ favor hunc defectum sup-
plet, cum recte pro Deo, ejusque animæ salute, de omnibus
se spoliare permissum sit, cadente, ut dictum est, quæstio-
ne in prophania, an jurisjurandi religio idem operetur.

Altera vero inspectio super prohibitione, ut supra re-
sultante a natura, seu qualitate bonorum, non est hujus
110 contractus peculiaris, sed cuicumque alienationi con-
gruit, ideoque sub alienationis, vel obligationis, vel alte-
rius dispositionis genere cadit.

Sexta est imperfectio, quæ resultat a læsione, ex parte
donatoris, ac etiam donatarii allegabili, quamvis etenim
juris regula sit, ut in donatione non detur læsio donatoris,
111 cum ipse actus de sui natura læsivus existat, adhuc ta-
men iidem termini cadunt, quando agatur de correspecti-
va donatione, vel quod alimoniæ donatoris ita præjudi-
catum remaneat: illa etenim læsio, quæ consideratur in
contractibus mulierum, vel minorum a juribus præsertim
municipalibus utilem, vel non damnosam causam exigen-
tibus, istam peculiarem donationis materiam non percutit,
sed cuicumque alienationi, vel contractui congruit.

112 Ex parte vero donatarii verificabilis quoque est læsio in
onerosa, & correspectiva donatione, quando eventus de-
tegat, ut onus emolumentum excedat, adeout donatio-
nis beneficium in maleficium convertatur, itaque casu
frequentiores controversiæ cadere solent super æstimatio-
ne vitæ donatoris, vel tertii, cui adimplendum sit onus,
113 quomodo futura incerta vita hominis æstimanda veniat,
an scilicet juxta quandam taxam a lege præscriptam, vel
potius pro qualitate personæ, itaque posterior pars est
probabilior, ideoque certa, & determinata regula desu-
per statui non potest, sed pro singulorum casuum quali-
tate decisio oritur, ut in sua sede.

Septima demum est imperfectio, quæ resultat a do-
natarii incapacitate, quia nempe sit concubina respectu
militis, vel clerici, vel spurius, cui pater donare pro- 114
hibitus sit, aut turpis, vel inhonesta persona, quæ de
jure incapax, vel indigna reputetur, sive forensis ex jure
municipali prohibitus in loco acquirere, cum similibus,
non peculiarem donationis materiam, sed quamcumque
dispositionem generaliter percutientibus, cum generali
etiam distinctione inter indignitatem, & incapacitatem,
ut hoc secundo casu dicatur vere actus imperfectus, in pri-
mo autem sit perfectus, ac irrevocabilis, suumque sortia-
tur effectum, Fiscus autem ab eo auferat.

VIII.

De obligationibus, ac oneribus donatoris erga donatarium, & e converso donatarii erga donatorem ex lege, vel conventione.

IN donatore erga donatarium, ultra eam obligationem,
quæ donationi connaturalis est tradendi rem dona-
tam, eamque adimplendi, alia obligatio sub quæstio- 115
ne cadere non solet, nisi illa evictionis, vel libertatis,
aut manutentionis bonorum in eo statu, in quo donata
sunt, in hoc autem communis distinctio Juristarum est,
an donatio a traditione incipiat, & non præstetur evi-
ctio, vel a promissione, & debeatur. Verius autem est,
quæstionem esse facti, ac voluntatis potius quam ju-
ris, ideoque ex verisimili voluntate, quæ ex causa do-
nandi, vel aliis facti circumstantiis desumenda est, de-
cidi debere.

Donatarii vero erga donatorem plures sunt obligatio-
nes a legis dispositione resultantes, ultra eas, quas ipsa
lex a donatore adjecta secum trahit, præsertim vero illa
gratitudinis, ac altera alimentorum donatori indigenti 116
præstandorum, quamvis nimium raro Forum hujusmodi
quæstiones audiat, frequentius vero eas obligationes, &
onera, quæ a pactis, & conditionibus a donatore adjectis
proveniunt, de quibus supra in resolutionis, vel revoca-
bilitatis rubrica.

Onerum autem ipsa bona donata afficientium cujus im-
plementum esse debeat, an donatoris, vel donatarii, puta
censuum, vel servitutum, ac etiam hypothecarum, di- 117
stinctio est, ubi aliud expressum non sit, vel implicite
volitum, quod aut onus est mere reale, ipsisque bonis
infixum, atque cum eis transeat in donatarium, aut est
personale principaliter inhærens personæ donatoris, &
sit illius, cadente quæstione in censu consignativo, an
de prima, vel secunda specie judicandus veniat, probabi-
liusque est esse de secunda, nisi penes donatorem sit onus
occasionale, non autem a seipso, & cum ejus personali
obligatione principaliter contractum.

An autem collectarum aliorumque publicorum laica-
lium vectigalium onus, quo bona penes donatorem lai- 118
cum premebantur, transeant in donatarium ecclesiasti-
cum, seu alias exemptum, habetur in Regalium, seu ve-
ctigalium sede, idemque circa decimas, & similia.

Finis Partis Primæ Libri Septimi.

JO: BA-

JO. BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Septimi Pars Secunda.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

ROMANA CONCESSIONIS AD VITAM, PRO ARCHICONFRATERNITATE SANCTISSIMÆ ANNUNCIATÆ URBIS, CUM CAROLO RAYNALDO.

Discursus pro veritate super casu sopito per concordiam.

Concessio ad vitam, an importet venditionem, vel potius locationem, seu usumfructum, vel contractum innominatum?

Et re ita concessa patiente ruinam, ad quem spectet onus refectionis: Et an concessionarius possit ex ista causa prætendere restitutionem pretii, vel remissionem conventæ præstationis?

S U M M A R I U M.

1 *CAsus controversiæ, & concessio ad vitam qualem contractum continere dicatur.*
2 *Onus refectionis in contractu locationis spectat ad locatorem, secus in contractu Emphyteusis.*
3 *Idem onus est proprietarii, non usufructuarii, qui ad solam curam tenetur.*
4 *Quod concessio ad vitam sit contractus innominatus, contrarium n. 16.*
5 *Contrarium quod sit verus contractus emptionis & venditionis.*
6 *Effectus exinde resultans quoad onus refectionis ruinæ.*
7 *Resolutio casus, & quid in eo agendum.*
8 *Quod non sit locatio, & de rationibus.*
9 *Quomodo distinguatur locatio a venditione, & de unius, vel alterius contractus requisitis, & natura.*
10 *In hac materia substantia voluntatis est attendenda, non figura verborum.*
11 *Notarius adjicere potest in extensione clausulas solitas, non autem tangere, vel alterare substantialia.*
12 *Potius est standum capitulis, quam instrumento, & de ratione.*
13 *De alia ratione, ob quam concessio ad vitam non dicatur locatio.*
14 *Expensa circa rem incumbunt locatori, non conductori.*
15 *Quod dicta concessio non dicatur importare usumfructum, & datur distinctio quando in contractum dicatur deducta proprietas, vel fructus.*
16 *Impugnatur etiam opinio volentium esse contractum innominatum.*
17 *Ad quid teneatur conductor, vel emptor ad vitam, seu longum tempus, qui rem manutenere promisit.*
18 *De casibus, in quibus locator, vel proprietarius, seu concedens ad vitam tenentur ad refectionem ruinæ.*
19 *An obtinens ad vitam habeat jus retractus, vel ei subjaceat, & de aliis remissive?*

D I S C. I.

1 FActa per insignem Archiconfraternitatem Sanctissimæ Annunciatæ Urbis concessione cujusdam domus ad vitam Caroli Reynaldi, & Margheritæ uxoris pro pretio scutorum mille solutorum in pecunia numerata, & cum obligatione faciendi in eadem domo nonnulla melioramenta consimilem summam scutorum mille, & ultra importantia, dedit casus quod post mensem, quædam dictæ domus pars, quæ recentior erat ac melior, corruerit, unde inter concedentem, & concessionarium orta est quæstio, cujus periculo hæc ruina cedere deberet, ad & quem refectionis onus pertineret.

Cumque tunc Ego essem dictæ Confraternitatis Prior, atque concorditer veritas inquireretur, in congressu desuper habito dicebam, casum novum esse adhuc formiter non discussum, licet enim Doctores inferius deducendi tractent de hujusmodi concessionibus ad vitam, præsertim in specie Gabr. *cons.* 168. *lib.* 1. nemo tamen, quantum hucusque Mihi, ac aliis in ista controversia hincinde scribentibus perquirere licuit, descendit ad terminos hujus quæstionis, in qua proinde variæ fuerunt opiniones.

Scribentes enim pro concessionario insistebant in probando, quod hic esset contractus locationis, & conductionis cum pensionibus plurium annorum unica vice anticipate solutis, partim in pecunia, partim vero in melioramentis, quo posito sequi dicebant, periculum ruinæ spectare ad locatorem obligatum reficere, vel remittere pensionem, cum in hoc diversificent conductor ad lon- 2
gum tempus, & emphyteuta, ut primo casu locator teneatur ad refectionem, secus autem in secundo, ut in præcisis terminis concessionis ad vitam Aretin. *cons.* 55. *per tot.* præsertim *n.* 5. Garz. *de expens. cap.* 15. *n.* 15. & generaliter Alex. *cons.* 5. *l.* 1. Caball. *cons.* 17. Carocc. *de loc. tit. de expens. n.* 47. Cyriac. *controv.* 440. *n.* 8. *cum seq.* Rotæ *in Romana reædificationis domus* 19. *Aprilis* 1660. *cor.* Taya edita in causa de qua *sub tit. de locat. disc.* 10.

Aliqui ex doctis J. C. in dictæ Archiconfraternitatis Congregatione intervenientibus credebant esse concessionem ususfructus, quo posito, pariter resultabat idem 3
effectus, quod periculum esset concedentis, quia in reficiendo domo, cujus unus habet ususfructum, alter vero proprietatem, usufructuarius refectionis curam, ac diligentiam præstare tenetur, impensa vero est proprietarii, ad text. *in §. finitur*, *instit. de usufr.* ubi Ricciar. *n.* 35. Garz. *de expens. cap.* 51. *n.* 52. & 13. & 28. Gomez *var. resol. tom.* 2. *cap.* 15. *de servit. n.* 7. Gratian. *discept.* 778. *per tot.* Castill. *de usufr. cap.* 56. *n.* 4. *cum seq.*

Tertia erat aliorum in eadem Congregatione intervenientium opinio, quod hic esset contractus innominatus
ne dicto punctuali *cons. Gabr.* 168. *quæst.* 1. *l.* 1. per text. *in l. Insulam* 6. & *l. si tibi area* 14. *ff. de præscript. verb.* Roman. 4
cons. 500. *n.* 1. & 2. sed nulla inde probabatur de jure consequentia ad effectum periculi, de quo agebatur.

Mea vero opinio erat, quod hic esset verus contractus emptionis & venditionis ad certum tempus, vel casum terminandæ, cum omnia dicti contractus requisita concurrerent, nempe res, pretium, & consensus, unde pro- 5
pterea inferri dicebam, quod ad hujusmodi concessionarium translatum esset verum dominium, etiam in proprietate, quamvis sub certo casu, vel conditione resolubile, ut punctualiter de concessione ad vitam, ut sit vera emptio & venditio transferens in concessionarium dominium, itaut hic dicatur vere Dominus, gloss. *in l. Titia cum testamento*, §. *fin. verbo voluntatem*, ubi etiam Bart. *in principio*, *ff. de leg.* 1. bene Soccin. *in l. qui Romæ*, *num.* 21. *ff. de verb. oblig.* qui per plures Sapientes in Civitate Florentiæ ita consultum testatur Gratian. *disc.* 471. *n.* 1. 7. & 8. Mangil. *de evict. quæst.* 105. Rot. apud Millin. *decis.* 446. *nu.* 1. 5. & 6. & apud Buratt. *decis.* 24. & 45.

Quo posito, sequebatur de plano, ut ejus esset periculum, cujus erat dominium, juxta certa & receptissima
juris principia, non quod concedens posset cogere con- 6
cessionarium ad reficiendum, sed quod utraque pars, & eorum quælibet discretive, sentire deberet ruinæ casum proportionabiliter, & pro sua rata, hoc est concedens damnum ruinæ pro futuro tempore, quo domus post concessionarii mortem ad ipsum est reversura, quia eam habebit in parte peremptam, concessionarius autem pro præsenti tempore durationis sui juris, vel fruitionis ita inutilis.

Unde propterea dicebam, quod vel neuter haberet actionem, itaut relinqui deberet domus in hoc statu, vel quatenus

nus aepediens crederetur ad majori ruinæ restantis partis consulendum, illam reficere, id fieri deberet utriusque partis impensa proporticnabiliter, & pro rata juris respective ad unamquamque ipsarum spectentis judicio peritorum, hoc est, ut concessionarius concurreret pro rata temporaneæ utilitatis, quam ex novo ædificio, ad ejus, & uxoris vitam esset percepturus, concedens vero pro rata perpetuæ utilitatis, quam reportaret ex eodem ædificio, quod facto casu reversionis deberet alias ex integro facere, atque ita post longam discussionem, iste veritate per concessionarium cognita, concorditer sequutum fuit, quoniam facta relatione per peritos, quod ad minus necessaria essent ad hujusmodi refectionem scuta mille, & ultra, Archiconfraternitas, inhærendo illi æquitati, quam Ecclesiæ, & pia loca præ oculis habere debent, atque commiserando casum, dedit scut. 600. assumpto per concessionarium onere totum plus de proprio erogandi, quod utique tantundem, & magis importabat.

8 Credebam hanc esse certam veritatem, cum alia contractus species in hujusmodi concessione Mihi cadere non videretur, nullatenus enim dici potest locatio, & conductio, quoniam ad istius substantiam, ultra rem, & consensum, requiritur merx, seu pensio, ad text. *in l. 2. ff. locat. §. 1. inst. eodem*, ubi Harprect. *nu. 3. & 12.* Rot. *decis. 88. num. 7. & per tot. par. 2. divers.* ubi magistraliter agitur, an dari possit contractus locationis absque conventione certæ pensionis e consuetudine saltem subintellecta, de quo in sua materie *sub tit. de locato in Romana locationis fundi*, *disc. 16.*

9 Dictaque pensio ista debet in singulos annos, vel singula tempora distribute, quia si unicum pretium pro pluribus annis solvi, vel promitti contingat, tunc non locationis, & conductionis, sed emptionis, & venditionis contractus erit judicandus, atque hic est verus modus distinguendi locationem a venditione, juxta Magistralem traditionem Bartol. *in quæst. 4.* incipien. *Publicanus* verb. *solutos &c. num. 1. circa med. vers. quid vult dicere*, *& in l. eotem*, §. *Qui maximos*, *nu. 3. ff. de publicanis*, ubi Castr. *num. 4.* Soccin. *cons. 256. nu. 1. vol. 2.* Mantic. *de tacit. lib. 5. tit. 2. nu. 46.* Tiraquell. *de retract. lign. §. 1. glos. 14. num. 86.* & in individuo concessionis ad vitam, Millin. *dicta decis. 446. n. 2.*

10 Idque adeo verum Doctores credunt, ut etiamsi verba sonerent in contrarium, adhuc tamen, non verborum sonus, sed substantiæ veritatis ex dicta distinctione metienda debeat attendi, ex ded. per Tiraquell. *ubi supra*, *num. 87.* Millin. *d. dec. 446. num. 2.*

Et licet Imole *in cap. propter sterilitatem*, *nu. 40. circa fin. vers. sed adverte*, extra *locati*, & alii apud Purpurat. *cons. 501. nu. 5.* Mantic. *loco citato*, *nu. 46.* Gutier. *de gabellis*, *q. 37. num. 5. & seq.* Caroc. *de locat. tit. de similitudine qualitatis 4. nu. 7. fol. Mihi 44.* credant hanc distinctionem esse veram, ubi verba sunt æquivoca, secus ubi partes, unam, vel alteram contractus speciem exprimunt, quasi quod non sit prohibitum, ut pensio in locatione necessaria, unica solutione anticipata per plures annos solvatur, vel promittatur, vel e converso pretium emptionis in plures annos, vel pagas distribuatur, ut etiam advertit Aretin. *d. cons. 55. nu. 5.* Attamen quicquid sit de istius assumpti subsistentia, cui obstat gravior auctoritas Bart. Castr. & aliorum apud Tiraquell. *loco citato*, & Rotæ apud Millin. *dicta decis. 446.* Adhuc tamen cessabat applicatio ad casum, in quo partes nullo verbo univoco locationem magis quam emptionem importante usæ fuerant, sed potius verbo *concedere*, quod est æquivocum utrique contractui adaptabile, quo casu omnes proxime allegati concorditer admittunt ad distinctionem prædictam esse recurrendum.

Quinimmo si partium verba attendenda sunt, illa in proposita facti specie in venditionem potius quam in locationem sonabant, licet enim instrumentum linguæ latinæ prudenter, ex diversis respectibus ad causam non facientibus, ex consilio cautissimi docti J. C. ad id deputati contineret verbum æquivocum, *concessionis*, in capitulis tamen materna lingua conceptis, a partibus subscriptis, ac in eodem instrumento insertis, legebatur verbum venditionis, ibi, *nota di quello, che si obligano fare in una casa che comprano in vita*.

Nil obstante, quod in proœmio instrumenti per Notarium extensi in protocollo, diceretur fieri locationem ad vitam, quia cum stipulatio inita fuit super minuta in substantialibus composita per dictum deputatum, in qua solum continebatur verbum concessionis, unde subsequentes Notariorum verbositates in extendendo clausulas cæteratas, & statutarias solemnitates non poterant alterare substantiam.

Notarius etenim extendere quidem valet clausulas consuetas, non autem tangere rei substantiam, ad communiter notat. in cap. cum P. tabellio, de fide instrum. Rovit. pragm. 1. & 2. de Notar. Capyc. Lat. consult. ult. Baratt. & Adden. dec. 120. & 507. Atque in concursu instrumenti, & capitulorum, potius ista attendi debent quam illud, quia capitula dicuntur verba partium, atque in eis consistit substantia voluntatis contrahentium tanquam in originali, & matrici conventione, instrumentum vero continet verba Notarii, Penia *dec. 1237. nu. 19. & seq.* Merlin. *decis. 608. nu. 17.* Gregor. & Adden. *decis. 168. nu. 2. & 8.* *Romana Casalis Veteris 4. Junii 1655. & 11. Decembr. 1658. cor.* Albergato impress. *decis. 34. & 402. par. 12. rec.* & de qua causa *sub tit. de emphyteusi, disc. 13. & 14.* & habetur *sub tit. de fideic. disc. 179.* Maxime quia, ut dictum est, stipulatio fuit super minuta, instrumentum vero ita extensum fuit ex post facto, itaut partes dicta verba nec dixerint, nec intellexerint. 11 12

Eoque clarius dicebam, censeri non posse contractum locationis, & conductionis, quoniam concessio non erat ad certum, & determinatum tempus, puta decem, vel quinque annorum, quo casu forte dici posset resultare certitudinem pensionis ita anticipate solutæ, quia scilicet id, quod ab initio unica vice solutum, vel promissum est, saltem imaginarie in plures annos distribui possit, sed erat ad tempus incertum vitæ dictorum conjugum, quæ poterat ad 20. vel 30. annos protrahi, vel infra mensem terminari, ideoque nullatenus pensionis annuæ terminus cadere poterat, dum multum vivendo nihil amplius solvendum erat, ac brevi moriendo, nihil de soluto repeti poterat, neque hoc secundo casu scuta bis mille dici possent pensio unius, vel duorum mensium, quibus concessio poterat durare, & sic manifesta implicantia in terminis adesse videbatur in asserentibus esse locationem. 13

Ad idem comprobandum ponderabam pacta, per quæ concessionarii durante concessionis tempore, in se assumpserant onus manutenendi, & reaptandi domum, muros, tectum, & viam, necnon solvendi taxas, & contributiones, 14 pro gettitis, fontibus, & aliis, quæ omnia conveniunt Domino, non autem simplici conductori, Gasf. *de expen. cap. 14. nu. 15.* Cyriac. *controv. 440. nu 8. & seq.* *dicta Romana reædificationis domus 19. Aprilis 1660. cor.* Taja, quæ omnia insimul ponderata ponere videbantur casum in clean, licet enim ista non omnino incongruant conductori, qui ex pacto juris dispositionem alterante potest hæc onera in se assumere, ut quandoque practicatum habetur in sua materia *sub tit. de locato*, nihilominus ubi agitur de contractu dubio, & ad ejus speciem, seu qualitatem metiendam, satis pro interpretatione attendende videntur ea, quæ uni magis quam alteri conveniant.

Minus poterat iste contractus dici concessio ususfructus, ut aliqui censebant ex doctrina Bart. *ad hoc allegata* 15 *in l. eotem*, §. *Qui maximos*, *num. 8. 13. & 16. ff. de publican.* Tunc enim ista species cadere potest, quando concessio incipit ab ipsis fructibus, ac circa eos versatur substantia contractus, & in his terminis loquuntur Bart. *ubi supra*, Bald. *in l. 1. ff. de usufr. & litium expen. & alii*, & de eisdem egit Surd. *cons. 155.* Secus ubi concessio incipiat ab ipsa re, & circa eam versatur substantia contractus, tunc enim etiamsi fiat ad vitam, ac etiamsi dicatur ad usum, vel ususfructum, nihilominus dicitur concesse ipsa proprietas, ac dominium ad certum tempus, vel sub certo casu resolubile, juxta glos. *in d. l. Titia cum testamento*, §. *fin. ff. de legat. 1.* Soccin. *in l. qui Romæ*, *num. 21. ff. de verb. oblig.* Capyc. *decis. 188.* Gratian. *discept. 471. n. 7. & 8.* Mangil. *de evict. q. 105.* Millin. *dec. 466.* Baratt. *dicta dec. 24. nu. 8. & seq. & dec. 45. nu. 1.* & in his ultimis terminis versari observabam ex verbis capitulorum, ibi, *in una casa, che comprano in vita*, & instrumenti ibi, *concessit domum una cum membris &c.* & sic contractus erat substantiarum circa ipsam rem.

Prout neque subsistere dicebam aliam opinionem, quod esset contractus innominatus, dicitur enim talis juxta terminos text. *in l. insulam 6. & l. si tibi area 14. ff. de præscr. verbis*, ubi scilicet quis tradit alteri aream, ut ibi domum construat, ut est proprie casus positus per Bart. *in l. jubemus*, §. *fin. Cod. de sacrosanct. Eccles.* de concessione casalenti cum onere ædificandi domum reversuram ad concedentem post mortem concessionarii, quia cum nullum interveniat pretium, neque pensio, non potest dici venditio, vel locatio, sed aliud nomen habere non potest nisi contractus innominati, *do ut facias*, & hic est casus, de quo agit Gabr. *cons. 168. lib. 1.* quia concedens absque aliquo pretio, vel pensione dederat concessionario quasdam parvas

vas domos, ut ibi palatium construeret, ad ipsum concedentem post mortem construentis reversurum, quinimmo concedens dederat ad eundem effectum certam pecuniæ quantitatem, & nihilominus etiamsi dicendus esset contractus innominatus, nullum tamen subjungebam resultare effectum in proposito restaurandæ ruinæ, quia nullibi de jure cautum est, ut in contractu innominato, qui alteri dat ut faciat, teneatur casum ruinæ reficere.

17 Non deerant ex Congregationis deputatis, qui juxta usum profitentium vitam spiritualem, atque pietatem supra justitiam, & charitatem, quandoque Zelantes pro Ecclesiis, ac piis locis, contra privatos tenaciter, ac aspere judicando, credebant concessionarios ad integram refectionem teneri, & cogi posse, stante pacto manutenendi domum, ejusque muros, & tectos, omnesque necessarias restaurationes faciendi; sed magis communi voto hæc opinio rejecta fuit, quoniam hujusmodi pacta intelligenda sunt de simplicibus, ac ordinariis resarcimentis de rei natura faciendis, ad occurrendum ruinæ, quæ (nisi fiant) per imprudentiam potius quam casum fortuitum sequi dicitur, & ad quæ usufructuarius, fideicommissarius, vel similes tenentur, secus autem ad integram refectionem totalis ruinæ ex casu mere fortuito, & inopinato contingentis, ut erat in præsenti, dum ista erat modernior, ac melior pars domus, in qua nulla futuræ ruinæ indicia cernebantur, ut ita distinguendo observat Garz. *de expen. dict. cap. 14. nu. 12. & seq. & nu. 27. cum seq.*

18 Non omittendum tamen, quod ubi etiam de locatione ad vitam, seu de concessione usufructus ageretur, itaut locatoris, vel proprietarii, de natura contractus, esset onus refectionis, adhuc tamen intelligendum veniret discrete, quatenus nempe cum moderata impensa proportionata interesse concessionarii sequi posset, secus autem ubi absque magno sumptu, & incommodo non posset expleri, cum tunc aliud conductor prætendere non posset, nisi remissionem pensionis pro rata, & usufructuarius titulo oneroso nonnisi id, quod interest ruinam non refici; durum enim, ac irrationabile videretur, ut locato ad vitam, vel concesso ad usumfructum palatio Farnesiano, si chasmate periret, cogi deberet concedens pro solo temporaneo interesse conductoris, vel usufructuarii, construere ex integro palatium adeo insigne, nonnisi Regiæ, vel Pontificiæ potentiæ congruum cum similibus: & cum supradicto temperamento credebam in præsenti controversia justitiæ, ac æquitati esse insimul bene consultum.

19 In proposito autem hujus concessionis rei ad vitam quid importet, & an concessionarius habeat retractum activum, vel subjaceat passivo: & an iste contractus per Ecclesiam, vel locum Ecclesiasticum alienare prohibitum fieri possit sine beneplacito Apostolico, item obiter necne *Extrav. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* habetur actum *sub tit. de servitut. ad materiam retractus disc. 74.*

ANNOT. AD DISC. I.

DE materie concessionis ad vitam videri poterunt deducta *sub tit. de Servit. discurs. 74. & 109. titul. de Donat. discurs. 61. & titul. de Hered. discurs. 34.* ubi quod facta per unum ex hæredibus, ejus damno, non autem aliorum cohæredum cedere debet diminutio pretii resultans ex dicta servitute ad vitam.

Quomodo autem vita hominis æstimanda sit, notatum est *ad disc. 54. de Donat.*

BONON. EMPTIONIS, PRO SCIPIONE BALDO CUM N. ALDOBRANDO.

Casus disputatus in partibus, incertus est exitus.

An post exequutionem, & subhastationem, antequam sequatur deliberatio, possit debitor rem subhastatam vendere, & dominium in emptorem transferre in præjudicium licitantis, quoties nullum adest præjudicium creditoris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Emptor quamvis subjectus retractui interim est verus, & perfectus Dominus.*
3 *Conductor non potest ejus auctori refricare quæstionem dominii ex jure sibi superveniente, & quando.*
4 *Debitor post factam executionem antequam ad ejus totalem executionem devenietur, potest solvere debitum.*
5 *Decretum, vel mandatum de deliberando non sufficit ad translationem dominii, nisi sequatur deliberatio.*
6 *Ante sequutam deliberationem debitor potest vendere rem exequutam, & subhastatam.*
7 *De ratione.*
8 *Quare introductus est terminus ad reluendum, & qualis sit iste terminus.*
9 *Favore pupilli, vel minoris admittitur novus oblator etiam post lapsum terminum ad reluendum.*
10 *An, & quando post sequutam ultimam oblationem, & lapsum dictum terminum admitti possit vel ne novus oblator?*

DISC. II.

EXequuta quadam domo ad instantiam creditorum, illaque posita sub hasta, majorem oblationem fecit Aldobrandus, qui eandem domum conductam retinebat, sed antequam ad deliberationem deveniretur, debitor ad effectum satisfaciendi eisdem creditoribus, ad quorum instantiam subhastatio facta erat, curavit eam pro majori pretio, & cum melioribus conditionibus vendere, prout vendidit Baldo, adversus quem petentem ab Aldobrando conductore se recognosci in Dominum cum obligatione solvendi pensiones debitis temporibus, de duobus iste excipiebat, primo de invalida venditione facta per debitorem postquam exequutionem ac subhastationem passus fuerat, & secundo de jure prælationis sibi competentis, vel tanquam creditori censuario in vim *Bullæ Pii*, vel tanquam vicino in vim Statuti, & introducta causa coram Auditore Generali Bononiæ, requisitus ad scribendum pro Baldo, quatenus pertinet ad secundam exceptionem, planum dicebam ad effectum, de quo agebatur, eam esse irrelevantem. 1

Emptor enim rei, quæ retractui subiecta prætenditur, donec ille sequatur, dicitur verus, & perfectus Dominus, ac possessor quamvis sub dubio revocabilitatis, Tiraquel. *de retract. lignag. §. 12. gl. 1. n. 1. & §. 15. glos. 2. n. 3.* Rovit. *pragm. 1. de jurib. & exact. fiscal. n. 81. cum seq.* Buratt. *dec. 677. n. 1. & 2.* Millin. *dec. 446.* Hoc autem posito, cum emptor personam venditoris in omnibus repræsentet, non potest conductor suo auctori, vel eum repræsentanti quæstionem dominii, & possessionis refricare, negando recognitionem in Dominum, & solutionem pensionis, quoniam esset spoliare de facto ex prætenso novo titulo turbido, qui prius est canonizandus in judicio ordinario per tres conformes, ad communiter *notat. in l. si quis conductionis, C. locati*, Merlin. *decis. 376. ubi de consimili causa Bonon. & in alia Bonon. bonorum 11. Martii, & 28. Junii 1647. coram Otthobono inter suas dec. 115. & 121.* Receptum enim est, dispositionem text. *in d. l. si quis conductoris* procedere in omni casu, quo quis rem ab alio habuit, ut ad talem etatem colligunt addit. *ad dec. 420. par. 4. rec. tom. 2. nu. 50. & seq.* 2 3

Duplicem enim personam Aldobrandus repræsentabat, unam conductoris, & alteram vicini, seu creditoris prætendentis retractum prælativum, ideoque jura ex hac secunda persona competentia, & ut dictum est, judicio ordinario per rem judicatam, vel tres conformes canonizande, eximere non possunt alteram personam ab obligatione erga proprium auctorem, & ne illi quæstionem dominii refricare posset, atque Judex in hoc nullam habebat difficultatem, quæ proinde restringebatur ad alterum punctum validitatis, vel invaliditatis venditionis, stante quod idem inquilinus erat maior oblator.

Sed pariter dicebam, istam non subsistere, quoniam juris regula est, debitorem donec ad venditionis suorum bonorum perfectam, ac totalem effectuationem deveniatur, re integra admittendum esse ad solutionem proprii debiti, ad tex. in *l. si residuum, & l. si priusquam, C. de distract. pign. l. 2. Cod. debitorem venditionem pignoris impedire non posse & ei cum concord.* per Asin. *de execut. §. 4. cap. 136. num. 6. & §. 6. cap. 31. nu. 14. & seq.* Gratian. *discept. 708. num. 46.* Post. *de subhast. inspect. 17. n. 8. cum seq.* Buratt. *dec. 735. num. 5.* Ratio est clara, quia donec sequatur traditio rei, & solutio pretii creditoribus, debitor non liberatur, sed durat ejus 4

obli-

obligatio, quam proinde per solutionem tollere potest, ac etiam quia ante sequutam traditionem dominium non abdicatur a debitore, neque transfertur in licitatorem, itaut 5 non sufficiat decretum, vel mandatum Judicis de deliberando, nisi sequatur vera, & actualis deliberatio, Mangil. *de subhast. q. 26. n. 19. cum seq.* ubi concordantes, 6 ideoque interim licitum est debitori rem exequutam, & subhastatam vendere, quia adhuc est Dominus, Bart. *in l. ubi pure, §. fin. ff. ad Trebell.* Mangil. *ubi sup. quæst. 190. n. 2. & per tot. ubi cæteri.*

7 Potissime ubi venditio sequitur bona fide, & absque præjudicio creditorum, ad quorum instantiam exequutio facta est, ut ex pretio eis satisfiat, tunc enim cum frequentius hujusmodi subhastationes pro minori pretio, & cum deterioribus conditionibus fieri soleant, impediendus non est debitor invenire emptorem conventionalem facientem meliorem conditionem ad creditorum etiam commodum resultantem, atque ad hunc effectum tam ex dispositione, vel intentione juris communis, quam ex communi stylo, 8 introductus est terminus ad reluendum post jam sequutam subhastationem, qui terminus de stylo Curiæ Romanæ est unius mensis, de jure autem communi præscriptus non est, unde ubi non habetur stylus particularis, residet in Judicis arbitrio, quod ubi agitur de bonis Ecclesiæ, vel minoris, interponi non potest in minori spatio 20. dierum, ex deductis per Buratt. *decis. 574. nu. 10. decis. 32.* apud Post. *de subhast. decis. 153. n. 16. cum seq. p. 7. rec.*

Si enim durante termino prædicto, debitor hoc pignus prætorium reluere potest, quoniam eo remanente in terminis pignoris, perseverare dicitur ejus dominium, hinc proinde videbatur nullam subesse probabilem rationem dubitandi, cur dictam venditionem facere non possit infra terminum ad deliberandum, etiamsi ille statutus esset, multo magis, ac indubitanter, dum neque id sequutum erat, quod dicebam omnino necessarium, non per hoc enim, quod ex pluribus licitatoribus unus est major, ac meliorem facit conditionem, sequitur exinde illi deliberationem faciendam esse, quoniam ex facti circumstantiis dari potest, quod illa oblatio, quæ videtur major, esse possit deterior, ac recipi non mereatur, itaut deliberatio facienda sit alteri, qui, licet minorem fecerit, melioris tamen esset conditionis, idcirco requiritur decretum de deliberando, ut ita Judex acceptet oblationem, ac declaret eum ultimum, ac meliorem oblatorem, & nihilominus neque id sufficit, cum etiam post dictum decretum currat terminus ad deliberandum, eoque elapso requiratur actualis deliberatio, sine qua tanquam traditione, dominium non transfertur.

Clariora hæc reddebantur, tum quia actus hujus conventionalis venditionis initus fuerat bona fide, ut de pretio magis prompte satisfieret creditoribus, quorum conditio ex venditione pro majori pretio, & cum melioribus conditionibus melior reddebatur, cum difficultas in proposito cadat, quando ageretur de venditione mala fide facta in fraudem paratæ exequutionis, tum etiam quia agebatur de bonis minoris, vel pupilli, qui erat hæres principalis debitoris, pro cujus ære alieno, exequutio, ac subhastatio facta erat, unde quando etiam lapsus esset ter- 9 minus ad deliberandum, adhuc admitti debuisset novus oblator, quoniam tutoris, vel curatoris negligentia in permittendo labi terminum, novo, & meliori oblatore non reperto, præjudicare non debet pupillo, ut per Post. *obser. 35. n. 122.*

Ex parte Aldobrandi fundamentum constituebatur in limitatione tradita per Post. *dictu inspect. 17. num. 99.* ubi ex auctoritate Rotæ *dec. 89. nu. 11. apud eundem*, dicit debitorem non admitti ad solvendum debitum, & disponendum de pignore prætorio post acceptatam ultimam oblationem, ac elapsum terminum datum ad reluendum, verum facilis erat objecti solutio ex solo facto, dum terminus ad reluendum nedum lapsus non erat, sed neque statutus, itaut Judex ita oblationem acceptaverit, eumque majorem oblatorem canonizaverit, & quando etiam id sequutum esset, adhuc licet *in dictu dec. 89.* apud Post. incidenter dicatur id, quod ipse insinuat, nihilominus observabam id non esse tutum, quoniam ubi deliberatio actu sequuta non est, pluries Rota tenuit, semper integrum esse majorem oblationem recipi, *ut dec. 21.* post Mangil. *dec. 384. p. 4. rec. tom. 3. & alibi*, multo magis in præsenti, dum agebatur de bonis pupilli, ideoque ex pluribus dicebam pro actore respondendum esse, incertum autem est quid sequutum sit.

ANNOT. AD DISC. II. & III.

CIrca ea quæ concernunt materiam subhastationis, ac deliberationis respective videantur deducta *sub tit. de judic. disc. 40. & tit. de cred. disc. 54., & 142. & hoc tit. de emptione disc. 54.* Quodque debitor non prohibeatur etiam post exequutionem, & pignus prætorium vendere ejus bona, habetur *sub tit. de Usur. disc. 24.*

ROMANA,
SEU ALBANEN. DELIBERATIONIS,
PRO ALOYSIO GREPPIO,
CUM MARCO ANTONIO DE PONTE.

Casus disputatus in congregatione Fabricæ, & pro Greppio resolutus.

An ille qui venialia exposuit ejus bona sub hasta, possit pœnitere, ac nolle tradere bona ultimo licitatori?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *An debitor vendere possit bona exequuta & posita sub hasta remissive?*
3 *Ille qui duplicem personam repræsentare potest unam hæredis debitoris, & alteram creditoris, quando hanc secundam tantum, non autem primam repræsentare dicatur.*
4 *An debitor, qui passus est bona judicialiter exequi, & poni sub hasta, possit ante sequutam deliberationem pœnitere?*
5 *Quid in subhastatione voluntaria, & non judiciali coacta,*
6 *Quomodo explicari debeat pœnitentia, & quando ab ea recessum censeatur.*
7 *Clandestinæ protestationes in contractibus, vel aliis actibus correspectivis non suffragantur.*
8 *In actibus correspectivis non spectatur quid unus in animo habuerit; sed attendendus est ille utriusque.*

D I S C. III.

DEfuncta Virginia Agazaria, scripto hærede Hortensio Lutiolo, eique substitutis Monasterio S. There- 1
siæ, & Societate Rosarii, pluribus piis oneribus adjectis, ob sequutam dicti Lutioli mortem, prædictorumque piorum locorum repudiationem, Fabrica S. Petri vigore ejus facultatum, dictam hæreditatem agnovit, eamque receptis scutis 400. cessit Marco Antonio de Ponte, assumenti in se onus solvendi debita hæreditaria, cumque dictus cessionarius hujusmodi implementum de proprio facere non posset, ipseque ex persona propria esset etiam creditor, vel legatarius, petiit ac obtinuit ab ejusdem Fabricæ Judice quasdam domos, & vineas in Civitate, & Territorio Albanen. sitas (in quibus pene totus assis hæreditarius consistebat) mandari stare sub executione, ac poni sub hasta, ad effectum deliberandi majori, seu meliori oblatori, ut ex pretio dicta onera adimplerentur, prævia pro dictis actis faciendis deputatione curatoris hæreditatis prædictæ, stante proprio ejusdem cessionarii instantis interesse, unde propterea, servatis illis, quæ de jure, vel stylo in subhastationibus servari debent, ac solent, cum majorem oblationem fecisset Aloysius Greppius pro pretio scut. 6025. huic Judex mandavit bona deliberari, sed pœnitens Marcus Antonius a dicto decreto appellavit, atque adeundo ejusdem Fabricæ Congregationem, obtinuit sibi deputari in Judice secundæ instantiæ unum ex Cardinalibus ejusdem Congregationis cum clausula *sine præjudicio executionis*, unde cum dictæ clausulæ vigore deliberatarius possessionem bonorum obtinuisset, contra ipsum dictus de Ponte instituit judicium possessorium reintegrationis, vel manutentionis, quod juxta quotidianam Curiæ praxim etiam adversus possidentem facto Judicis competit, quoties istud nullitatis, vel manifestæ injustitiæ vitio laborat, ex late collectis per Postium de *manut. observ. 12.* Buratt. & Adden. *dec. 169. 185. & 375.* & alias quotidie, cum nil forte in Curia sit frequentius, ut in sua materia *sub tit. de judiciis*. Dictæ autem subhastationis plures nullitates allegabantur ratione ordinis male tenti, ac etiam ob injustitiam, ex eo quod ipse, ad cujus instantiam subhastatio facta erat, pœnituisset, ideoque eo invito injuste processum fuerit ad deliberationem favore licitatoris.

Quoad nullitates, utpote in facto, ac in actis ordinatoriis consistentes (juxta stylum) nulla fuit adhibita opera

Advo-

Advocati, quoniam causæ Patronus illas cum solo facto superavit, quare per Judicem restricta fuit difficultas ad punctum juris, an scilicet Dominus bonorum subhastatorum, pœnitendo possit licitatorem excludere, eumque impedire, ne eorundem bonorum deliberationem obtineat.

2 Super hoc igitur puncto, pro Greppio deliberatario Scribens, ponderabam quod non versabamur in casu, de quo *in Bonon. disc. præc.*, quando scilicet debitor bonorum subhastatorum Dominus, re integra, & antequam perfectus deliberationis actus sequatur, eadem bona per viam conventionalis venditionis cum melioribus conditionibus distrahit, ut ita facilius, ac plenius ex pretio satisfiat creditoribus, ad quorum instantiam subhastatio facta est, cum tunc, vel juris, vel æquitatis ratio ipsi debitori assistere videatur, atq; pœnitentia justam & probabilem causam habeat.

3 Quinimmo quod neque eramus in casu, in quo idem bonorum Dominus (quamvis sine justa causa) mutato consilio, ac pœnitens, subhastationis effectum impedire vellet, quoniam dictus Marcus Antonius duplicem personam gerere professus est in hoc actu, unam creditoris, seu legatarii, alteram vero hæredis, seu cessionarii hæreditatis, hanc autem secundam personam exuere voluit, dum curavit ad hunc actum deputari curatorem hæreditati tanquam jacenti. Et consequenter ad effectum, ut dici posset ut ille qui erat bonorum Dominus, vel ipsius personam repræsentabat, propositum mutasset, ac pœnituisset, opus fuisset ut dicta contraria declaratio fieret per curatorem hæreditati deputatum, qui in proposito repræsentabat personam hæredis, ac Domini bonorum, ideoque nullatenus attendenda erat contraria declaratio facta per dictum Marcum Antonium, cum ipse in hac scena non gereret personam debitoris, ac Domini bonorum; quam voluntarie exuerat, curando eam indui per curatorem a Judice deputatum, sed repræsentabat solam personam unius ex creditoribus, seu legatariis, ad quorum instantiam pro eorum satisfactione subhastatio facta erat, quæ facultas uni ex creditoribus de jure attributa non legitur, cum sola quæstio cadat super ejus competentia ipsi debitori, vel bonorum Domino, vel ad summum majori parti creditorum, ac in præjudicium minoris partis impediendi deliberationem bonorum subhastatorum, ex prudenti forsan consilio expectandi meliores occasiones, vel meliorem debitoris fortunam, quod in præsenti examinare opus non fuit, dum non eramus in casu.

Verum ubi etiam dictus Actor attendendus esset tanquam bonorum Dominus, ad cujus instantiam res sub hasta vendenda exposita fuerit, itaut essemus in casu quæstionis, an post factas jam oblationes pœnitere possit, atque ultimo majori, vel meliori oblatori se opponere, ne deliberationem obtineat, quamvis non desint variantes, illa tamen videtur communis distinctio, quæ post Bart. traditur per Joannem de Platea *in l. si tempore, n. 2. vers.*
4 *sed quæro, C. de fid. instrum. & jure hastæ fisc. lib. 10.* & quam sequuntur magis communiter DD. congesti per Post. *de subhast. inspect. 34. n. 1. cum seq.* quod aut subhastatio est judicialis, & necessaria, aut est mere voluntaria, primo casu regula est, ut indistincte cesset pœnitentia, etiamsi non addantur illa verba, *quod dabitur plus offerenti*, atque in hoc sensu intelligendus videtur Thes. jun. *lib. 3. quæst. forens. 103. n. 4. in fine*, nisi actus pœnitentiæ non stet in ejus simplicibus terminis, sed alium bonæ fidei actum producat re integra, & pendente deliberationis consumatione, quia scilicet debitor pro majori pretio, ac melioribus conditionibus emptorem invenerit, cum ita magis consultum sit creditoribus, meliusque expletus finis subhastationis juxta ea quæ habentur *in Bonon. disc. præced.* idque tanquam per limitationem regulæ.

5 In altero autem casu voluntario, fit distinctio, an in edicto, seu præconis proclamate exprimatur, quod bona dabuntur plus offerenti, aut non, si enim exprimitur, adhuc venditor sine justa causa pœnitere non potest, atque militat eadem regula, secus autem si non exprimitur, cum tunc dici possit, quod ille qui proponit edicta, seu curat fieri proclamata, id fecerit potius animo explorandi rei pretium, quam vendendi, itaut non adsit illa obligatio, quam contraxisse censetur cum futuris licitatoribus quamvis incertis, quoties accedit declaratio, quod bona dabuntur majori, vel meliori oblatori, ut ita distinguendo habetur per Rot. *decis. 476. p. 4. rec.* & per Post. *dict. inspect. 34. n. 4. cum seq. & n. 41. cum seq.*

Applicando autem ad propositam facti speciem, versabamur in primo casu venditionis necessariæ factæ de mandato Judicis, contra debitorem repræsentatum a curatore hæreditatis; ad instantiam ejusdem oppositoris repræsentantis personam creditoris, seu legatarii, aliorum etiam creditorum, & legatariorum nomine ita instantis, unde propterea cessante casu limitationis, de qua supra, nullum suberat juridicum fundamentum, cui talis pœnitentia sine causa inniti potuerit.

Omnisque difficultas in proposito cessabat ex facto, dum sequutis, tam subhastatione, quam mandato de deliberando ad favorem Greppii tanquam majoris oblatoris, idem oppositor, qui clandestinum revocationis actum fecerat, cum haberet penes se claves domus, eas tradidit, ad effectum, ut deliberatarius possessionem accipere posset, un-
de propterea resultabat approbatio actus cum recessu a 6
contraria revocatione, *ad notat. per Civilistas in l. quoniam §. Julianus, ff. rem ratam haberi, & Canonistas in cap. 7. de procur.* Potissime quia declaratio mutatæ voluntatis facta non erat publice & re integra, ut ad hunc effectum requiri etiam in casu licitæ pœnitentiæ firmatur apud eundem Post. *d. inspect. 34. n. 12.* Ac habemus passim receptum in illis clandestinis protestationibus, quæ in actibus correspectivis per unum ex contrahentibus fieri
solent, quoniam in nulla pœnitus consideratione haben- 7
tur, præterquam in casu metus, & concussionis illius probatione concurrente ad probandam exclusionem animi, ex iis, quæ habentur *in nullius Baren. pecuniaria prima Julii 1644. & 26. Maji 1646. coram Cerro*, quarum secunda est *decis. 348. p. 9. rec.* & alibi sæpius ad materiam text. *in l. qui in carcere, ff. de eo, quod metus causa*, quo-
niam in actibus correspectivis, in nihilo curatur id, quod 8
unus ex contrahentibus in animo habuerit, nisi alteri contrahenti communicetur, & innotescat, ex iisquæ præsertim deducta habentur *in Romana dotis de Bolognettis sub tit. de dote disc. 27.* & in decisionibus in causa editis *coram Bevilaqua 9. Junii 1659. & 10. Aprilis 1660.* Capyc. Latr. *decis. 17. nu. 7.* Mantic. *dec. 270. in fine*, ideoque cum justitiæ fundamento judicatum fuit contra actorem, qui acquievit quod sciam.

ROMANA MERCEDIS, PRO MUTIO, ET ALIIS ORFINIS, CUM BETTIS.

Casus disputatus in Camera, resolutus pro Orfinis, & postea concordatus.

Emptio, & venditio quando dicatur perfecta, ad effectus exinde resultantes, illum præsertim, ut emptor faciat fructus suos, & in specie de venditione sub incerto pretio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De differentia servitii, seu operarum hominum, & animalium, quare pro primis aliquando merces non debeatur, & pro secundis debeatur.*
3 *De servis in proposito assimilandis animalibus.*
4 *Fructus sunt sequela dominii, & pertinent ad eum, cujus esset rei periculum.*
5 *Operæ animalium non dicuntur fructus, sed pars sortis, & de ratione.*
6 *De tribus requisitis substantialibus emptionis, & venditionis.*
7 *Quando ex venditione facta per alium dicatur adesse consensus Domini.*
8 *De imperfectione emptionis, & venditionis ob incertitudinem pretii, etiamsi collatum esset ad alterius declarationem, donec ista sequatur.*
9 *De limitatione ubi dicta declaratio remissa non est ad personam certam, sed ad peritos in genere, & quando ea procedat.*
10 *De altera limitatione resultante ab æquitate Canonica.*
11 *Et de altera ubi sequuta est rei traditio.*
12 *De differentia in proposito inter venditionem bonorum stabilium habentium pretium incertum, & victualium, vel animalium.*

DISC. IV.

Finito appaltu Thesaurariæ Patrimonii per Orfinos ten- 1
to, eoque suscepto per Bettos, cum Appaltatores præ-

prædecessores remanerent debitores Cameræ in ea pecuniæ quantitate, quæ initio appaltus mutua dari solet pro animalibus, aliisque instrumentis emendis ad illud negotium necessariis, vulgo *Imprestanza* nuncupata, & quæ pecuniæ novis Appaltatoribus dandæ erant, hinc Thesaurarius Generalis auctoritative dedit dictis novis Appaltatoribus boves, aliaque animalia, & agrariæ artis instrumenta, quæ ibi erant ad prædictos prædecessores Appaltatores pertinentia, quod sequutum fuit initio mensis Martii; discordantibus autem deinde dictis antiquis, ac respective novis Appaltatoribus in prædictorum animalium, aliorumque bonorum pretio, post electos hincinde peritos absque effectu, concorditer eorum differentias decidendas remiserunt in Arbitrum, qui de mense Maji eas terminavit, statuendo pretium, aliaque decidendo, quibus peractis, orta est inter easdem partes nova controversia super mercede operarum boum, aliorumque animalium a die traditionis usque ad diem laudi, in qua declarato pretio, ac perfecto venditionis contractu, novi Appaltatores eorundem animalium Domini effecti sunt, cum interim spatio circiter duorum mensium cum dictis bobus, aliisque animalibus novi Appaltatores segetes fecerint, aliaque ad usum dictæ artis necessaria.

Et introducta causa coram Thesaurario, hic pro dictis mercedibus juxta æstimationem peritorum, mandatum ad favorem illorum de Ursinis decrevit, interposita vero appellatione, & introducta causa in Camera *coram Aquino*, pro dicto mandari exequutione responsum fuit, atque in eadem resolutione peritorum in nova causæ propositione, licet postea concordia controversiæ finem dederit, præmissaque omnia Scribens pro Ursinis, reflectendo etiam ad veritatem, credebam cum justitiæ fundamento prodiisse.

2 Posito enim in actoribus dictorum animalium dominio, planum exinde resultabat, eorum operas esse reficiendas, non obstante quod aliqua salarii, vel mercedis conventio non accessisset, quoniam non agebatur de operis præstitis ab homine, de quo dubitari posset, an gratuito, & animo captandi gratiam eas præstare voluerit, sive sub spe remunerationis, juxta *dec.* 266. Mantic. unde propterea intraret inspectio, an cessante conventione, concurreret utrisque consuetudo locandi, vel conducendi respective, ut ad effectum petendi operarum mercedem regulariter requiritur, ex iis quæ plene ad materiam colligit *modernus Zacchias de salario*, sed agebatur de operis præstitis ab animalibus, in quibus verificabilis non est talis animus, itaut potius ita dicatur percepisse fructus ex re aliena Domino restituendos.

3 Quinimmo etiamsi ageretur de operis præstitis ab eis, in quibus animus verificari potest, adhuc si ille ob defectum potestatis non esset libere exercibilis, qualia est ille servorum, effectus esset idem, cum cadere non possit terminus præsumptæ donationis, ob quam, cessante conventione, vel consuetudine, regulariter cessat obligatio, unde propterea quamvis super dicta conclusione per Scribentes pro reis conventis longissimæ regularum, & doctrinarum generalium allegationes retexerentur; contemptibiles tamen erant utpote extra propositum.

4 Punctus igitur disputationis residebat in perfectione emptionis, & venditionis, ex quo scilicet tempore illa sequuta esset, an initio mensis Martii, quando traditio facta fuit, vel de mense Maji, quando prævia æstimatione, certificatum fuit pretium, cum hujusmodi fructuum pertinentia ad unam, vel alteram partem penderet a dominio, cujus sequela sunt tam fructuum perceptio, quam periculum; iniquum enim esset, quod si contingente in illis animalibus aliquo periculo, potuissent novi Appaltatores illud evitare, dicendo se non Dominos, atque interim debuissent in statu malæ fidei, et re quam sciebant alienam, percipere fructus. Potissime quia illi vere ac proprie, neque fructus dici possunt, sed potius pars substantiæ, quæ ita pau-

5 latim consumitur, cum fructus proprie dicatur ille, qui percipitur salva rei substantia, & cujus causa productiva semper, an perpetuo est eadem, ut frequenter *sub tit. de Regal.* & sub altero *de locat.* quod non verificatur in animalibus sub hujusmodi operis, & laboribus in dies pereuntibus, & quæ dicuntur de rebus, quæ usu consumuntur, adinstar jurium vitalitiorum, ex deductis *eod. tit. de Regal. disc.* 35. & alibi.

Super hoc igitur puncto Scribens pro actoribus dicebant, casum videri planum pro imperfectione emptionis, & venditionis, cum illius substantialia requisita copulative con-

6 currere debentia consistant in re, consensu, & pretio, ex quibus duo posteriora deficiebant, cum dictorum animalium,

aliorumque bonorum traditio facta non esset ab ipsis Dominis, sed per Thesaurarium, tanquam eorum creditorem de facto, unde deficiebat consensus.

Verum quando in hoc solo requisito difficultas resedisset, contra actores probabilius respondere debuisset, quoniam ea subsecutis constabat de eorum ratihabitione, ac animo vendendi, accedente præsertim consuetudine, quod prædecessor Appaltator, successori hujusmodi instrumenta appaltus vendere solet; ac etiam verisimilitudine, tum ratione utilitatis, dum ita eisdem actoribus magis expediebat, tum etiam ratione necessitatis, qua premebantur restituere Cameræ impræstantiam novis Appaltatoribus ad hunc finem faciendam, & sic vere illius requisiti defectus non erat considerabilis, ideoque licet Ego, & cæteri pro hac parte Scribentes, more Advocatorum, longas allegationes retexeremus, quas pariter e converso longiores retexebant Scribentes in contrarium, attamen omnia desuper deducta videbantur contemptibilia, & extra propositum, & sic erant de illis copiosis Scribentium allegationibus, quas Ego in tabulis pictis dicere soleo colores absque delineatione, seu picturæ ordine in tabula erogatos. 7

Imperfectio autem (reflectendo etiam ad veritatem) residebat in tertio requisito pretii, quod nullum aderat, & sine quo perfectus contractus emptionis, & venditionis dari non potest, quamvis de illo conventum esset relative ad æstimationem, seu declarationem ab aliquo faciendam, quoniam ea non sequuta, sive eo intermedio tempore quo sequatur, contractus remanet imperfectus, neque dici potest ut dominium translatum sit in emptorem, juxta text. *express. in l. fin. Cod. de contrahen. emptione*, cum qua passim procedunt DD. de quibus per Rotam apud Merlin. *dec.* 567. & 605. alias 172. & 248. *p.* 6. *rec.* ubi plene, & docte materia exornatur, adeout dici valeant decisiones magistrales in materia, itaque concordantes late cumulantur, & habetur etiam *sub tit. de dote*. 8

Non negabant Scribentes in contrarium regulam prædictam utpote incontrovertibilem, cum textus sit clarus, recurrebant vero ad plures limitationes *in eisdem decisionibus Merlini* insinuatas, quamvis ibidem rejectas, primo nempe quod pretii determinatio remissa non esset in personam certam a contrahentibus determinatam, sed in peritos in genere, quibus etiam specificatis, sed non æstimantibus, seu non arbitrantibus, intrat Judicis arbitrium pro æstimatione ab aliis peritis facienda, unde propterea conventio ita concepta recte sustinetur ex deductis per Bald. Salicet. Castrens. & alios *in eadem l. finali*, *de quibus* Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 34. & *dicta decis.* 172. *ex num.* 19. *cum seqq.* 9

Verum limitatio non intrabat, quoniam quicquid esset in facto, in quo etiam causæ Patroni certabant, an constaret necne de hujusmodi conventione super pretio a peritis determinando, ponderabam id recte procedere posse ad effectum excludendi pœnitentiam, & ne tali æstimatione non sequuta, integrum esset, uni, vel alteri parti a contractu recedere, & ne tertio non arbitrante ex defectu potestatis, vel voluntatis, contractus diceretur resolutus, ad quem effectum recte intrat distinctio prædicta, an scilicet certæ, vel incertæ personæ æstimatio commissa esset, atque tunc intrat quæstio, an hujusmodi conventio sustineatur saltem tanquam promissio de vendendo, itaut intret Judicis officium ad cogendum ad vendendum prævia determinatione pretii ex judicio peritorum, ut motivatur *d. dec.* 172. *n.* 52. & *seq. par.* 6.

Allegabatur secundo loco æquitas canonica, de qua plene *eadem decis.* 172. *nu.* 54. *cum sequent.* sed facilis erat responsio cum simplici remissione ad eandem decisionem, ubi radicitus hæc limitatio enarvatur, & nihilominus dicebam, in omnem eventum ex illa resultare effectum in præcedenti limitatione ponderatum, excludendi scilicet pœnitentiam, seu resolutionem contractus, atque ut uni contrahenti jus competat cogendi alterum ad perficiendum, & adimplendum, unde quicquid esset de veritate in suo casu, talis inspectio extranea remanebat a casu controversiæ, in qua partes concordabant super effectuatione contractus jam sequuta, sed disputatio residebat super intermedio tempore translationis dominii, ad effectus, de quibus supra. 10

Major igitur, ac pro meo judicio unica difficultas residebat in altera limitatione deducta ex traditione Azzonis *in summa tit. locati*, *num.* 1. quam sequuntur DD. *congesti eadem dec.* 172. *numer.* 38. ubi scilicet sequuta est traditio cum tractatus exequutiona, & quamvis respondendo deducerem eadem fundamenta, quæ habentur in *d. dec.* 172. 11

n. 39. *cum seq.* ut scilicet id exigeret, nedum traditionem, ac fructuum perceptionem, aliosque actus perfectionem denotantes, sed etiam rei in contractum deductæ peremptionem, itaut re non amplius integra, sustinearur actus potius ex æquitate, & ne ille, qui rem obtinuit, locupletetur cum aliena jactura, quod in præsenti cessabat, dum boves, aliaque animalia, & instrumenta non perierant, sed extabant, itaut limitatio cessaret ex facto; nihilominus reflectendo ad veritatem, satis dubitabam de hujusmodi responsionis efficacia, quoniam licet, præter solitum, casus non dedisset hujusmodi animalium in toto, vel in parte peremptionem, attamen dari poterat, & si dedisset, ex hoc fundamento potuisset venditor prætendere pretii refectionem, quo posito, impossibile erat prætendere operarum, seu fructuum pertinentiam, cum fructus, ac periculum tanquam dominii sequelæ, procedant pari passu, atque ab eodem fonte derivent.

12 Eoque magis augebatur difficultas ratione subjectæ materiæ, quod scilicet non ageretur de prædiis rusticis, vel urbanis, sive aliis bonis hujusmodi in quibus pretium esset omnino incertum, sed de rebus in communi commercio existentibus, quæ juxta singularum Regionum mores, pretium quodammodo certum, & uniforme habere videntur, cum modica alteratione resultante ab aliqua majori, vel minori bonitate, ut alias in facti contingentia dicebam de quadam venditione tritici, pretio non explicato, cum subsequuta traditione, ejusque consumptione in parte, occasione disputandi, cujus esse deberet periculum casus in reliqua parte non consumpta contingentis, quoniam cum hujusmodi victualia, vel similia juxta temporum qualitates, certum, ac uniforme pretium a publico Foro, seu communi commercio habere soleant parum variabile, idcirco venditio ita concepta sub incerto pretio, illud implicite continere videtur relative ad illud, quod ex communi usu de facili certificari potest, quod in hujusmodi etiam bonorum specie videtur verificabile, *ut in Neapolitana sub tit. de Regal. disc.* 125.

Verum difficultas tollebatur ex facto, ex cujus circumstantiis constare videbatur de utriusque partis animo habendi actum pro imperfecto, donec peritorum æstimatio sequeretur, sed quia pleræque aliæ aderant inter istas partes differentiæ in nudo facto consistentes, idcirco post dictas resolutiones actorum favore sequutas, honesta concordia liti finem dedit, ideoque non omnino maturum, ac certum judicium desuper efformatum fuit, probabilius tamen videbatur, quod rigor text. *in d. l. fin. Cod. de contrahend. empt.* de quo *in d. dec.* 567. *&* 605. Merlin. alias *dec.* 172. *&* 248. *par.* 6. *rec.* non militaret, cum ageretur de animalibus ex communi usu, ac peritorum judicio de facili æstimationem recipientibus, etiamsi non extarent, juxta *dec.* 356. *cor. Celso, cum aliis sub tit. de Regal. disc.* 1.

ANNOT. AD DISC. IV.

QUando venditio dicatur perfecta ratione incertitudinis pretii, vel quando alias sit obligatoria, habetur *hoc eod. tit. disc.* 48. ubi an promissio de vendendo ad certum tempus, vel incertum eventum, sit obligatoria, ad quod videantur notata *ad disc.* 16. *de Donat.* Et quando ratione incertitudinis venditio sustineatur vel non, habetur *sub tit. de Usur. disc.* 39.

ROMANA CONCURSUS

PRO ANNA PESARONA ET CONSORTIBUS

CUM JO: BAPTISTA DE AYE.

Casus disputatus coram A. C. credo sopitus per concordiam.

An & quando in venditione mercium habita fide de pretio, transeat dominium in emptorem, ita & taliter, quod venditor concurrat cum aliis creditoribus, vel e contra non translato dominio, istius jure bona vendicet, & creditores vincat?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Venditor, qui sibi non consuluit de reservatione dominii pro pretio, postponitur creditoribus anterioribus etiam in ipsis bonis venditis.*
3 *De limitationibus.*
4 *Cujus sit periculum mercium, quæ de loco ad locum per unum correspondalem alteri transmittuntur.*
5 *In rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, an periculum sit emptoris, vel venditoris remissive.*
6 *Quid de usu mercatorum in mercibus.*
7 *In materiis mercantilibus deferendum est consuetudini mercatorum.*
8 *De duplicitate personarum in eo mercatore, qui merces alteri transmittit.*
9 *De imperfectione emptionis, & venditionis ob deficientem certitudinem pretii an procedat in mercibus.*
10 *Dominium mercium transfertur in emptorem eo ipso, quod ballæ signantur cum ejus merco, seu signo.*

D I S C. V.

DEfecto Hieronymo de Pissis mercatore fundacario, sequestratisque mercibus in ejus taberna repertis, atque formato super eis concursu creditorum, adversus Annam uxorem, & alios creditores hypothecarios potioritatem prætendebant Jo: Baptista, & socii mercatores Lugdunenses in quibusdam ballis mercium ab eis, ex Hieronymi debitoris commissione transmissis, ex eo quod non concurrerent tanquam creditores, sed tanquam Domini bona propria vendicantes, vincentes proinde quoscumque creditores quantumvis hypothecarios, & privilegiatos, & introducta causa coram A. C. restricta fuit difficultas ad punctum translationis dominii in emptorem, & abdicationis illius a venditore. 1

Hoc enim posito, de consequenti resultabat quod venditor remaneret simplex creditor, etiam in ipsismet bonis venditis, utpote de dominio emptoris effectis, ideoque postponendus, nisi de cautela reservationis dominii sibi consulat, quod licet videatur durum, est tamen receptum, ut post antiquiores ab eis relator, late firmant Amat. *var. resolut. cap.* 3. *num.* 40. *&* 41. Fontaneil. *de pact. clauf.* 7. *glos.* 2. *par.* 9. *num.* 33. *cum seqq.* Salgad. *in labyrinth. par.* 1. *cap.* 11. *num.* 78. *cum seq. & par.* 2. *cap.* 24. *num.* 13. *&* 15. Capyc. latt. *dec.* 24. *num.* 16. *& seq.* & plurites *sub tit. de credito* in hac eadem causa, *disc.* 32. *& in aliis.* 2

Et licet hujusmodi conclusio limitetur, vel quando mercium venditio facta est animo habendi statim pretium numeratum, adeout dici non valeat fuisse habitam fidem de pretio, vel ubi emptor dolo venditorem induxerit ad sibi credendum, pretiique fidem habendum, quia nempe tunc esset decoctus, vel decocturus, quod venditori ignotum esset, ut bene post antiquiores habetur apud Gizzar. *dec.* 40. *&* 62. Crivell. *dec.* 56. Fontaneli. *ubi supra n.* 37. *cum seq.* Amat. *d. resol.* 3. *nu.* 45. Nihilominus cessabat hujusmodi limitationum applicatio ad factum, cum transmissio mercium facta esset, juxta consuetudinem, habita fide de pretio infra certum tempus solvendo, cum tractis, vel cum aliis bonis, quæ ab una Provincia ad aliam transmittuntur, neque dolus in emptore considerari poterat, quoniam ejus defectio provenerat potius ex quadam accidentali inopinata molestia criminali, ob quam fugam arripuerat. 3

His stantibus, quoad merces jam extractas a ballis, atque cum aliis in taberna existentibus commixtis, nulla cadebat difficultas pro exclusione dictorum venditorum, qui tanquam simplices chirographarii, cæteris hypothecariis, præsertim uxori ex causa dotis absque dubio postponendi erant, difficultas autem versabatur circa merces adhuc existentes in Dohana in ipsismet fasciculis, seu ballis, adeout dici non posset, ut sequuta esset actualis traditio in manibus emptoris.

In hac autem bonorum specie, Scribens pro muliere, aliisque creditoribus, dicebam pendere decisionem a puncto periculi contingentis in hujusmodi ballis, ab eo tempore, quo in Civitate Lugduni consignantur nautis, vel mulionibus sub nomine emptoris, seu committentis, usque ad illud in quo ad illius manus obveniant, ex hoc enim resultat determinatio dominii, cujus sequela est periculum, quod semper est Domini, ex iis, quæ in specialibus terminis mercium quæ per viam disrobatæ sint, vel alias pereant, habentur per Rot. Januen. *dec.* 113. & Rotam Rumanam *dec.* 208. *post secundum volum. consf. Fariu. in Interamnen. mercium* 16. *Martii* 1643. cor. Verospio, *Bonon. mercium* 26. *Maii* 1655. *&* 6. *Martii* 1656. *coram Priolo* impress. *part.* 12. *rec. decis.* 16. *&* 159. & de qua causa habetur *sub tit. de locato, disc.* 18. 4

In hoc igitur puncto, licet quantum ista occasione videri potuit, non habeatur juris expressa determinatio, atque ejus-

ejusdem regulæ generales potius continuationem dominii,
5 ac successive periculi subjectionem in venditore suadere videantur, quoniam in iis, quæ consistunt in pondera, numero, & mensura, donec sequatur ponderatio, numeratio, vel mensuratio, periculum est venditoris, ex juribus litteralibus *in l. 2. & seq. de peric. & commod. rei vend. cum concord.* de quibus *disc. 118. & 125. sub tit. de Regal. ad materiam mineralium*, ubi de limitatione, quando per emptorem stat, quominus recipiat, attamen ex communi
6 mercatorum usu, receptum est contrarium, ubi præsertim ipsarum mercium pretia taxantur, ut currunt Lugduni, seu in alio loco, a quo, non autem in Urbe, seu alio loco ad quam, & de qua distinctione habetur *in Romana trinarum disc. seq.* adeout, eo ipso, quod merces mensuratæ apponuntur in ballis, atque sub nomine committentis consignantur nautis, vel mulionibus, ut mandantibus tradantur, periculum sit committentium, seu emptorum, ita implicita facta mensuratione, vel ponderatione, quando juxta commissiones datas merces positæ sunt in farcinis, & traditæ vectori sub nomine, vel signo mandantis, cui directæ sunt.

7 Idque (reflectendo etiam ad solam veritatem) dicebam esse satis probabile, non solum ratione communis usus mercatorum, cui in materiis mercantilibus receptum est deferendum esse, Gregor. *dec. 136.* Buratt. *dec. 419. dec. 154. par. 7. rec. & sæpius*, sed etiam ex ipsis principiis, seu intentione juris communis, quoniam juxta eam personarum
8 pluralitatem, quæ diversis respectibus in eodem subjecto in jure passim datur, idem mercator loci a quo, cui merces transmittendæ committuntur per mercatorem loci ad quam, duplicem personam ita gerere dicitur, unam venditoris, alteram vero mandatarii emptoris, cujus vice, ac nomine, a seipso tanquam persona diversa, consignationem, ac mensurationem, seu ponderationem, & numerationem recipere dicitur, ideoque ex tunc contractus remanet perfectus, atque dominium transfertur in emptorem.

Quod clarius convincitur ex eo, quod idem mercator loci a quo, cui per mercatorem loci ad quem dicta mercium transmissio committitur, ultra ipsarum mercium pretium ibi currens, obtinet etiam provisiones majores, vel minores juxta locorum, vel personarum consuetudines, seu conventiones, igitur clara est personarum diversitas, ac successive omnimoda perfectio contractus cum subsequuta traditione;

9 Scribentes pro dictis mercatoribus Lugdunensibus, ut evitarent translationem dominii, ex qua ut supra controversiæ decisio pendebat, satis insistebant in imperfectione contractus emptionis, & venditionis ob deficientem determinationem pretii certi, quod est unum de tribus hujus contractus essentialibus requisitis, cumulando ad id jura, & auctoritates, de quibus *dec. 172. & 280. par. 6. rec.* alias apud Merlin. *dec. 567. & 605.* de quibus *disc. præc.* Sed facilis erat solutio; quoniam ut insinuatum habetur *d. disc. præc.* id procedit, quando agitur de venditione bonorum habentium pretium affectionis, vel alias incertum, quod ex eorum qualitate certificationem exigat, secus autem, ubi de mercibus, seu victualibus aliisque bonis hujusmodi, in communi, & quotidiano commercio existentibus, cum hæc ob quotidianam, ac frequentem contractationem, quandam certam, ac generalem pretii determi-
1 nationem habere videantur factam a publico Foro, seu negotiantium usu, cum modica alteratione a meliori, vel inferiori qualitate resultante, & sic videtur pretium in substantia certum, quale de facto ex tunc certificatur, quoniam mercator loci a quo, qui merces transmittit, illico correspondentem loci ad quem, in suis libris describit debitorem de pretio prædicto, quod ita convenisse, & determinasse dicitur cum seipso tanquam emptoris mandatario ejus fidem sequentis; & quæ fides si violetur, pariet actionem mandati, non autem empti, & venditi, ex iis, quæ pluries in sua materia *sub tit. de credito* habentur, præsertim *in hac eadem causa disc. 23.* ideoque, tam de consuetudine, quam etiam ex dispositione juris communis, mercium dominium transferri dicitur in com-
10 mittentem, seu mercatorem loci ad quem, eo ipso, quod ballæ consignantur nautis, vel mulionibus, cum merco, seu signo, aut nomine ejus, cui diriguntur, ut firmat in specie Gratian. *discept. 900. per tot.* præsertim *n. 17.* ubi respondetur *ad dec. 6. Peniæ* ibidem registratam, ac etiam quia ratione periculi minus est pretium *ut disc. seq.*

ANNOT. AD DISC. V.

DE concursu venditoris pro pretio cum creditoribus emptoris super re empta, ultra deducta in præsenti discursu videri poterunt ea quæ habentur *sub tit. de Cred. disc. 23.* Ac etiam *disc. 3. 4. & 6.* in quibus habetur quomodo idem venditor concurrat pro residuo pretii cum eo qui mutuavit pro solutione partis ejusdem pretii.

ROMANA TRINARUM
PRO PETRO ANTONIO AMBRA
CUM N.

Casus disputatus coram A.C. & resolutus contra Ambram.

Cujus sit periculum mercium, vel bonorum, quæ ab uno loco ad alium transmittuntur, an empto- 5
ris, vel venditoris?

SUMMARIUM.

1 *PEriculum mercium per viam regulariter est committentis, non transmittentis.*
2 *Limitatur, ubi convenitur de pretio currenti in loco ad quem, non autem in loco a quo.*
3 *An casus amissionis mercium in odium venditoris, seu transmittentis, cedat ejus damno, quamvis alias cedere deberet damno committentis?*
4 *Quando occupatio mercium dicatur jure piratico, vel jure inimicitiæ.*
5 *Conclusio, de qua n. 3. ampliatur, etiamsi expresse dictum esset, quod merces transmitterentur risico committentis, & quomodo id intelligendum.*
6 *Declaratur eadem conclusio, & de differentia inter inimicitiam privatam, & publicam.*
7 *Susceptio periculi mercium in via antequam sequatur earum mensuratio, vel ponderatio, quid importet.*
8 *Assecuratio non includit damnum datum ab inimicis, etiamsi essent publici, puta ratione nationis.*
9 *Declaratur,*

DISC. VI.

CUm Petrus Antonius cuidam mercatori Florentino 1
commisisset transmissionem notabilis quantitatis trinarum auri ad Urbem, quæ per viam disrobatæ fuerunt, orta est difficultas, cujusnam istud periculum esse deberet, & quamvis tam ex communi mercatorum usu, quam etiam ex juris communi dispositione, vel intentione, periculum sit committentis, ex eo quod mercator loci a quo, duplicem personam gerere dicitur, unam venditoris, alteram vero mandatarii emptoris, itaut ex tunc contractus dicatur perfectus, & successive periculum casus fortuiti mandantis, non autem mandatarii esse debeat, ex iis, quæ habentur *disc. præc.* Nihilominus in præsenti controver-
sia, Scribens pro Ambra emptore dicebam, contrarium 2
probabilius respondendum videri, ex ea facti circumstantia, quæ per causæ Patronum supponebatur, quod scilicet conventum esset de pretio, prout currebat in Urbe; hoc enim posito, cum sensu etiam veritatis, planum dicebam, ut periculum esse deberet transmittentis, cum ita cessaret illa perfectio, quæ cum subsequuta traditione consideratur in loco a quo sub pretio ibi currente, cumque pretiorum alteratio in mercibus de loco ad locum notabilis esse soleat ex ratione expensarum, vecturæ, necnon periculi disrobationis, vel aliorum accidentium in itinere. Hinc prorsus injustum, & irrationabile videtur, ut venditor obtinere debeat majoris pretii commodum sine periculi incommodo, quod est dicti commodi compensativum.

Contrarium vero tam per A. C. in prima instantia, quam per Judicem appellationis (Signatura etiam probante) determinatum fuit, potius ex facto, quam ex jure, quod scilicet non bene probaretur dicta conventio pretii currentis in Urbe, & fortius ex eo, quod proxeneta testabatur commissionem datam esse sub risico, & periculo committentis, quo facto cessante, contrarium probabilius judicari debuisset.

In consimili etiam controversia habita inter Carolum Moscatellum alias Sanctorium, & N. mercatorem Lusitanum Liburni existentem, coram Camerario Riparum, cum quædam merces a portu Liburni ad Urbem per mare transmissæ, a quibusdam navibus Hispanicis essent occupa-

tæ, atque orta esset controversia, cujus damno dictus casus cedere deberet.

3 Non dubitabatur, regulam esse contra Carolum, qui merces transmittendas commiserat, tum ex dispositione juris, vel styli mercatorum ut supra, tum clarius ex facto, dum in commissione expresse dicebatur, quod merces transmitti deberent risico, & periculo ipsius committentis, verum istius prætensio fundabatur in eo, quod dictarum mercium amissio non provenisset a casu fortuito latronum, vel pyratarum, cum dictæ naves Hispanicæ, facta recognitione mercium existentium in navi, quæ controversas merces vehebat, non omnes accepissent, sed tantum istas tanquam bona inimici, qualem reputarunt transmittentem Lusitanum, & sic non tanquam pyratæ, & prædones, quoniam isti idem pariformiter fecissent de omnibus mercibus; & de

4 quacumque alia navi, quam invenissent, ut egregie Bart. *in l. in his rebus*, *ff. solut. matrim.* quem refert; & bene comprobat Riminal. jun. *cons.*719. *n.*15. *&* 19. *& per tot.*

Quo posito, dum damnum obvenit ob inimicis venditoris, atque in ejus odium, dicebam, ut ejus esse deberet periculum rei venditæ, quamvis alias ubi e mero casu provenisset, esset emptoris, ad tex. *in l. si merces*, §. *culpa*, *ff. locati*, *& dict. l. penult. ff. solut. matrim.* ubi Bartol. *in princ. & in l. cotem ferro*, §. *qui maximos*, *n.*7. *ff. de publicanis*, *& in l. stipulatio ista de verborum obligationibus*, ubi Alex. n. 15. Jas. *n.*14. Cuman. *cons.* 185. *n.* 2. Corn. *cons.* 23. *nu.* 9. *& seqq. & cons.* 38. *nu.* 11. *& seqq. lib.* 2. Riminald. jun. *d. cons.* 719. Castill. *lib.* 3. *contr. cap.* 3. *n.* 31. Mantic. *de tacit. lib.* 4. *tit.* 27. *n.* 38. *&* 41.

5 Et quamvis in hac facti specie periculum esset emptoris, non solum ex dispositione juris, sed etiam ex conventione speciali, dum in ordine dato continebatur, quod transmitterentur suo risico, adhuc tamen id intelligitur de periculo proveniente ex casu, puta e naufragio, vel incursu hostium, seu disrobatione latronum, & pyratarum, non autem ubi casus evenit ob inimicis venditoris, & in ejus odium, ut in specie Corn. *d. cons.* 13. *n.* 10. *lib.* 2.

6 Reflectendo autem ad veritatem, dubitabam de subsistentia motivi, quoniam quicquid sit de quæstione, an ad hunc effectum requiratur, ut inimicitia sit culpose ex parte venditoris orta, de quo agunt superius allegati, ac habetur etiam tactum *sub tit. de Regalibus ad materiam mineralium in Romana ferracii*, *disc.* 118. Conclusio prædicta procedit in inimicitia privata, secus autem in publica, & generali ratione nationis, vel subjectionis alicujus Principis juxta distinctionem Bald. *in eod. l. penal.* §. *Nam et*, *n.* 2. *ff. solut. matrim.* quam sequuntur magis communiter DD. ut apud Mastrill. *dec.* 164. atque ita servare videtur praxis, potissime quia dicta navis Hispanica, quæ merces occupavit, non erat de classe Regis, sed privata, & potius pyratica, licet pyraticam artem non exerceret indistincte, sed solum cum inimicis sui Principis, vel nationis, ut frequenter videmus in praxi de navibus Anglicanis, Hollandensibus, & Gallicanis &c. & sic dubitabam, unde propterea ab initio consului clienti, quod curaret se concordare eo meliori modo quo posset, prout sequutum fuit.

7 Subtilizando autem more Advocati causæ inservientis dicebam, quod cum ageretur de rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, juris regula est, ut dominium, ac successive periculum in emptorem non transferatur, sed sit venditoris, quamvis perfectus esset contractus, donec ponderatio, mensuratio, vel numeratio sequatur, *ut toto tit. ff. & Cod. de peric. & commodo rei venditæ*, ubi per plura jura litteraliter ita disponitur, & habetur deductum *in d. Romana ferracii*, *& in Neapolitana grani*, *sub tit. de Regal. disc.* 118. *&* 125. Et consequenter inferebam, quod illa verba emptoris, *a tutto mio rischio*, *e pericolo*, dum hic, antequam merces venirent ad urbem, & ponderarentur, seu numerarentur non erat Dominus, aliud non importarent, nisi quandam assecurationem.

8 Quo posito id intelligitur de casibus fortuitis, non autem de provenientibus ab inimicis onerantis merces, & assecurati, sive sint privati, sive sint publici, ut generaliter Bald. *in l. cum proponas*, *Cod. de nautico fœnore*, Santerna *in tract. de assecuratione*; *par.* 4. *n.* 17. & Rocch. *in notab. de assecurat. notab.* 11. *n.* 67. *cum seqq. post secundum lib. ejus consil.* & magis in specie Stracc. *de assecurat. gloss.* 20. *n.* 2. ubi ponit casum in puncto, quod si Veneti concedunt pignorationes contra Anconitanos, & Mevius Anconitanus transmittit merces Alexandriam risico, & periculo Titii Bononiensis, qui eas assecuravit, merces vero e Venetis intercipiuntur, periculum non est Titii, sed Mevii, unde propterea Advocatorum more exagerabam hanc doctrinam tanquam punctualem, omnino attendendam esse ea iis, quæ de doctrinis punctualibus, cæteris relatis, habentur apud Bertaz. *cons. crim.* 15. *n.* 20. Mart. *voto* 6. *n.* 7. Rot. *dec.* 122. *in fin. p.* 5. *rec.* add. *ad dec.* 20. *p.* 5. *rec. num.* 42.

Verum attenta veritate parti de more insinuata motivum continebat fallaciam in applicatione, cum procedat in terminis assecurationis, retento tamen præsupposito, quod dominium esset venditoris, itaut emptor, non illius, sed assecuratoris personam gereret, cujus contrarium verius erat, dum ab initio, quo merces consignatæ fuerunt nautis, seu vectori etiam de jure, vel communi usu, dominium, ac successive periculum erat emptoris ut supra, ac etiam *disc. præc.* unde dicta expressa susceptio periculi, erat potius major declaratio ejus, quod de jure inerat.

ANNOT. AD DISC. VI.

De periculo mercium quæ ab uno loco ad alium transmittuntur, habetur etiam actum *sub tit. de locat. & conduct. disc.* 11. *& seqq.* occasione agendi de articulo an, & quando locator operarum, qui rem aliquam vehendam suscepit, teneatur de illius deterioratione, vel amissione, & de materia periculi rei venditæ habetur *hoc eodem tit. disc.* 52. Et conferunt deducta *sub tit. de Tut. disc.* 16.

De materia autem assecurationis, de qua ex n. 8. habetur in sua sede *sub tit. de Cred. disc.* 106. *cum plur. seqq. & in eod. tit. disc.* 166. *&* 167.

ROMANA MENSURATIONIS PRO CAROLO PASSARINO

CUM N.

Casus disputatus in Foro Capitolino, incertus est exitus.

Vendita vinea, seu alio prædio ad mensuram, infra quantum tempus ista peti possit, vel potius præscriptum dicatur jus eam petendi.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversia.*
2 *Referuntur plures opiniones in quæstione, infra quantum tempus reservata rei venditæ mensuratio fieri debeat.*
3 *An in hac materia obstet mala fides juxta terminos* tex. in cap. fin. de præscript.
4 *In quo dictus tex. juris civilis dispositionem alteravit.*
5 *Quando scientia debitoris non obstet præscriptioni.*
6 *Ex lapsu temporis juncto cum observantia resultat præsumptio sequutæ mensurationis.*
7 *De præscriptione statutaria suffragante etiam principali debitori, & de ratione.*
8 *Quid magis expediat volenti evitare mensurationem, an allegare ejus præscriptionem, seu remissionem, vel præsumptionem, quod sit sequuta?*

DISC. VII.

Facta venditione vineæ usque ab anno 1616. distributo pretio in singulas petias, reservata per emptorem facultate mensurandi, post longum silentium annorum 44. scilicet de anno 1660. venditoris successor pulsavit successorem emptoris super mensuratione facienda, & introducta causa in Foro Capitolino coram primo Collaterali, atque opposita ex parte rei conventi exceptione præscriptionis, ad istam restricta difficultate, requisitus ad scribendum pro eodem reo allegante præscriptionem, dicebam in hoc varias haberi opiniones, quibus omnibus attentis, etiam magis rigorosa, quod adhuc pro dictæ præscriptionis canonizatione respondendum videretur. 1

Tractant enim quæstionem prædictam Innoc. Ostiens. Abb. & cæteri Canonistæ *in cap. per tuas*, *de donat.* ex congestis in materia per Beroum *quæst.* 5. Thesaur. *decis.* 185. Giovagn. *consil.* 71. *lib.* 1. & agit etiam Rota *in Romana affictuum* 20. *Junii* 1653. *coram Peutingerio*, aliis volentibus sufficere spatium 60. dierum, aliis vero unius anni, & aliis plures casus distinguendo tenentibus, quod ubi mensuratio in expressam conventionem deducta est, requiratur præscriptio longissimi temporis 30. annorum; & demum aliis, ut est Berous, *dict. quæst.* 5. cum quo eo relam per- 2

transit

transit Giovan. *d. cons.* 71. *n.* 23. ut quoties conventioni accedit juramentum, actio protrahatur usque ad annos 40. Ideoque ubi etiam hæc ultima opinio tenenda esset, adhuc eramus in casu, ac propterea factum dirimebat quæstionem.

3 Difficultas tamen erat, an obstaret dispositio text. *in cap. finali de præscript.* itaut durante vita ejus, qui sciebat se mensurationis faciendæ debitorem esse, ratione malæ fidei præscriptio initiata non esset, ut tenere videtur Berous *ead. q.* 5. Verum eum aliquo etiam sensu veritatis dicebam, quod excepto casu deceptionis, seu falsæ assertionis ea parte venditoris, itaut vigeat ratio peccati, in qua fundata est dispositio text. *in d. cap. fin.* minus tuta, maleque fundata videretur opinio Beroi, quoniam textus prædictus juxta
4 veriorem, ac receptam opinionem, nil statuit, neque juris civilis dispositionem alteravit circa malam fidem præsumptam, sed solum agit de ea mala fide vera, quæ per necesse in non adimplente inducit peccatum, & gravamen conscientiæ ob retentionem rei, seu juris alieni, quod in præsenti non videbatur applicabile, dum non promiserat emptor, qui præscriptionem allegabat, aliquid præstare, seu aliud factum positivum, sed venditor sibi reservaverat facultatem mensurandi, cum promissione emptoris refundendi pretium, vel respective censum pro ea majori quantitate, quam mensuratio detegeret, unde propterea emptor
5 stante longissimo silentio, credere potuit alium contrahentem noluisse uti facultate prædicta, illamque remittere voluisse, & sic lapsus temporis operari dicitur dictam tacitam remissionem, seu renunciationem, cui proinde scientia ejus, cui dimittitur, non præjudicat, ut receptum habemus in præscriptione legatorum facienda per hæredem adversus legatarios per spatium dicti legitimi temporis legata non petentes, quoniam recte scit hæres, ob notitiam testamenti, cujus vigore ipse hæreditatem obtinuit, se esse debitorem legatorum in eo contentorum, sed quia non tenetur irrequisitus ex parte sua implere, ut tenetur debitor correspectivus, atque in legatarii facultate positum est legatum non acceptare, idcirco esse potuit in ea bona fide, quæ resultat a spe, seu credulitate, quod legatarius non esset acceptaturus, & consequenter non obstante scientia potest præscribere.

Idemque pariter habemus in præscriptione juris redimendi, seu pacti de retrovendendo, de qua *sub tit. de servit. ad materiam retractus, ac etiam forte hoc eodem tit.* quoniam emptor recte scit pactum prædictum, quodque ipse est retrovenditionis debitor, & tamen non obstante scientia prædicta, per longissimum silentium præscribit, ex prædicta ratione, quod juste opinari potuit, ut per adeo longævum silentium hujusmodi jus habitum fuerit pro derelicto, ac dimissum, seu renunciatum, cum similibus.

6 Præterea ponderabam, incongrue quæstionem restringi ad rigorosos terminos præscriptionis, in qua dicta difficultas malæ fidei cadere potest, sed magis de plano emptoris exceptionem fundatam esse in præsumptione implementi ex longissimi temporis silentio resultante, ut habemus in bonis Ecclesiæ, vel similibus absque solemnitate alienatis, quod nullitas non sanatur per lapsum temporis, neque jus vindicandi eadem bona male alienata, præscribitur per emptorem, seu alium possessorem dictæ nullitatis conscium, ratione malæ fidei, & tamen ea dicto tempore juncto cum observantia resultat præsumptio solemnitatis revalidatoriæ, ex deductis per Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 132. Gregor. & Adden. *dec.* 354. Buratt. & adden. *dec.* 45. *&* 120. Adden. *ad dec.* 12. *p.* 3. *recent. & in sua materia, sub tit. de alienat. disc.* 1. & sic quod ita præsumatur mensurationem sequutam esse.

7 Quod in Urbe clarius comprobari dicebam *ex Statuto* 158. inducente præscriptionem debiti etiam ad favorem ipsiusmet principalis debitoris, in quo ratione malæ fidei, impracticabilis est præscriptio, ex dispositione *d. text. in cap. finali de præscript.* quia in effectu non est præscriptio, sed præsumptio solutionis, militans non solum in debito pecuniario, sed in quocumque alio implemento, quod exceptum non sit, ut in proposito præscribendi obligationem reddendi rationes habetur apud Seraph. *dec.* 718. *&* 730 *& in sua materia, sub tit. de credito &c.*

Quamvis autem hic terminus præsumptionis esset magis
8 planus, ac facilis, quam alter præscriptionis, nihilominus erat minus tutus, ac modicæ operationis, quoniam cum hæc præsumptio a Statuto resultans esset juris tantum, contrariis probationibus, quinimmo & fortioribus præsumptionibus elidibilis, ex iis, quæ non semel super hac statutaria præscriptione habentur deducta *sub dicto titulo de credit. & alibi*, hinc de facili hujusmodi præsumptio elidi poterat cum contraria veritate, dum agebatur de mensuratione vineæ, & sic soli non recipientis alterationem, ideoque satius erat insistere, prout insistebam in altero motivo remissionis hujus facultatis per hujusmodi longissimum silentium amissæ, sed quando huic motivo obstaret dicta difficultas malæ fidei, cujus contrarium probabilius credebam, adhuc tamen probabile remanebat istud motivum præsumptionis, non obstante dicta difficultate, quoniam, stante lapsu temporis prædicti, poterat possessor allegare possibilem additionem alterius terreni aliunde postea quæsiti, & confusi, vel e contra diminuti, itaut dicta præsumptio cum contraria probatione convinci non posset, Ignotus est causæ eventus, ut frequenter in Advocatis contingit, præsertim in his Tribunalibus, in quibus eorum interventus est nimium rarus, puto autem, quod actor acquieverit, dum præsertim exhibita fuit quædam alia absolutoria rei conventi, stante quod post unicam scripturam de causa amplius actum non audivi.

ANNOT. AD DISC. VII.

QUando venditio facta dicatur ad corpus, vel potius ad mensuram habetur infra *disc.* 9. *nu.* 5. *remissive*. Et ad materiam præscriptionis habetur pluties *sub tit. de Cred. disc.* 129. *& seqq. & sub tit. de Judic. disc.* 21. *per tot.* in quo præsertim advertitur quod magis expediat allegare præsumptionem tituli ex lapsu temporis, quam præscriptionem raro ad praxim deducibilem.

ROMANA EQUI

PRO CARDINALI ACQUAVIVA,

CUM N.

Casus disputatus coram Camerario, sopitus per concordiam.

De redhibitoria in emptione, & venditione animalium, tam in terminis juris communis, quam de consuetudine Urbis.

SUMMARIUM.

1 *DE consuetudine Urbis in materia equorum venditorum, seu redhibitoria.*
2 *De consimili consuetudine Neapolis.*
3 *Consuetudo moderatur, si animal extrahatur ab Urbe.*
4 *Facti series cum exitu causa.*
5 *Dicta consuetudo est rigorosa, & exorbitans a jure.*
6 *Periculum est emptoris post perfectum contractum.*
7 *Emptor non potest uti dicta consuetudine nisi cum sua modificatione.*
8 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum.*
9 *Venditor tenetur denunciare emptori defectus animalis.*
10 *Redhibitoria datur etiam in scripturis, & aliis rebus.*
11 *Declaratur id, quod habetur num 3.*
12 *Quod deferatur doctrinis specialibus.*

DISC. VIII.

VIget in Urbe consuetudo, ut contraria conventione non accedente, venditor equi, vel alterius consimilis 1
usualis animalis, teneatur de quibuscumque defectibus, vel casibus, qui intra spatium quadraginta dierum contingerent, vel detegerentur, nulla facta distinctione, an defectus provenerit ex causa antiqua, & præexistenti de tempore venditionis necne, similisque consuetudo viget 2
quoque in aliis locis, præsertim in Civitate Neapolitana, ut apud Thor. *in compend. dec. tom.* 1. *verb. Equus* ista vero Urbis modificata est ab ea circumstantia, quod emptor non potest equum extrahere extra ejus recinctum, ideoque facta extractione extra portas, illa cessat, ut in præsenti causa ex plurium peritorum, ac negotiantium attestationibus justificatum fuit, atque in Tribunali Camerarii, in quo de his controversiis frequenter 3
agi contigit, supponebatur absolutum.

Cum igitur Cardinalis Acquaviva emisset equum, ad plures dies compertum defectivum, hinc in dicto Tribunali

4 Camerarii redhibitoriam intentavit, venditor autem justificata dicta extractione extre portas, excipiebat nullam amplius actionem competere, & quamvis Ego, etiam in sensu veritatis, scribendo pro dicto Cardinali, ex infrascriptis dicerem, ut hoc non obstante, dicta redhibitoria intraret, attamen Judex opinando, juxta solitum vitium modernum, quod essent ingeniosæ distinctiones, & ratiocinia, insistebas in dicta consuetudine, ac propterea aliquam habebat difficultatem, ob quam, eodem Judice cooperante, concordia dedit finem controversiæ.

Distinguendo igitur dicebam, duas in hoc proposito efformandas esse inspectiones, unam scilicet in puris terminis consuetudinis, alteram vero ab ea præscindendo, ac si non adesset, vel per expressam conventionem sublata esset in terminis juris communis.

5 Quando igitur emptor, qui redhibitoriam intentavit, se fundasset in dicta consuetudine, quæ rigorosa est, ac a jure exorbitans, qualem dicit Thor. *ubi supra*, dum cessante casu doli, seu defectus jam venditori de tempore venditionis cogniti, certum est quemcumque casum, seu periculum, utpote sequelam dominii post perfectum emptionis, & venditionis contractum, potissime vero subsequuta tradi-
6 tione, per quam omnis difficultas cessat, spectare ad emptorem, ut *tota tit. ff. & Cod. de peric. & commod. rei vendit.* ac ultra generalia, de quibus ex Sebastiano de Medices *in tract. de casib. fortuit.* & aliis habetur præsertim *sub tit. de Regal disc. 118. & 125.* firmat in specie Bonacossa *in ejus particulari tract. equorum, q. 503. & seqq.*

7 Et tunc admittebam, emptorem dictam consuetudinem dividere non posse, sed illa uti debere cum sua causa, seu modificatione; licet enim egressus extra recinctum, vel portas, attenta ratione, respicere videatur magis affectum egressus formalis, ob magnos labores in aliquo itinere, quam egressum materialem in aliquo proximo viridario, adeout nulla subsit ratio differentiæ, an intra, vel extra recinctum usus equi habeatur, cum intra ipsum recinctum plures existant partes, in quibus animalia majorem sufferre laborem contingit, attamen quia consuetudo est exorbitans, idcirco non mirum si ejus moderatio, quamvis etiam exorbitans, indefinite attendi debeat in sola littera, & prout jacet, cum consuetudinis natura sit eam attendere in casu præciso absque extensione de casu ad casum, vel de loco ad locum
8 juxta vulgatum, ac receptum *cons. 237.* Oldrad. cum concordan. apud Mantic. *dec. 317. n. 4.* Buratt. *dec. 570. n. 9. dec. 256. 278. & 324. par. 12. rec.* ubi de casu fortiori, de quo habetur actum *sub tit. de benef. disc. 30.* Et consequenter dicebam, quod ubi emptor se fundare vellet in dicta consuetudine, sibi obstaret exceptio resultans a dicta modificatione.

Verum emptor non insistebat in consuetudine, sed in sola
9 dispositione juris communis, qua attenta, quoties defectus est antiquus, atque venditori ob diuturnum usum verisimiliter cognitus, adeout de tempore contractus equus non esset in eo statu, in quo præsuppositus fuit, intrat de jure redhibitoria, ex deductis per Peguer. *dec. 226.* Surd. *dec. 146.* ubi Hodier. *in addit.* cum aliis per Rotam apud Millin. *dec. 180. repetit. dec. 136. post 2. vol. consil.* Fariuac. ubi de redhibi-
10 toria etiam in scripturis, vel mercibus, ac apud Thor. in compend. *dec. dict. lib. 1. verb. equus*, & apud Ricc. in addit. ad Tiraq. *privil. piæ caus. cap. 51.* Surd. *d. dec. 146. n. 4.* Apud quos, ac alios apud eos habetur, in nihilo prodesse solitam protestationem vendendi rem pro tali qualis est, absque alia obligatione, atque ut vulgo dici solet *per un sacco de ossa*, quoniam hujusmodi cautela bene quidem operativa est ad tollendas lites in casu dubio, quando defectus detegeretur de recenti, an scilicet esset novus, vel antiquus, & an verisimiliter innotesceret venditori necne, sive ad evitandas hujusmodi consuetudines, quæ fere ubique, licet variæ, adesse solent, non autem ubi expresse constat, defectum latentem innotescere venditori seu ubi est talis, quod attento diuturno usu, quem ipse habuerit, omnino inverisimilis sit ejus ignorantia, quoniam tunc intrat actio doli, quæ cum hujusmodi captiosis cautelis evitabilis non est, immo quo magis nimiæ cautelæ adhibentur, eo magis crescit doli suspicio pro facti qualitate prudentis Judicis arbitrio ponderandæ.

11 Applicando igitur ad rem, dicebam dictam moderationem, ob egressum extra portas nunquam posse plus operari, quam si nullatenus in rerum natura dicta consuetudo adesset, vel ea existente accederet expressa conventio, quæ frequentius haberi solet, ut illa attendi non deberet, quoniam posito, quod defectus esset antiquus, ac latens (cum in casu defectus patentis emptor suæ ineptiæ totum referre debeat) quodque illa notus esset venditori, ut in facto justificari supponebatur, adhuc dicta actio intrare debet, dicta moderatione non obstante. Sed quia non dabatur doctrina, quæ præcise descenderet ad contractum factum in Urbe, & quæ loquendo de ista consuetudine, ita distingueret, hinc proinde hæc reputabantur ratiocinia, & acumina. E converso autem fuisset casus legis, si aliquis insipidus collector, qui magis a casu, quam in discursiva ratione id assereret, talis est miserrima, deplorandaque hujus facultatis conditio per modernos pragmaticos inducta.

ANNOT. AD DISC. VIII.

DE hujusmodi actione redhibitoria nulla supervenit occasio disputandi, nec alibi peragitur.

PERUSINA CENSUS PRO DATTILIS CUM MARCO ANTONIO ALEXIO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus, ut credo, pro Dattilis.

De actione quanti minoris, an intret ex eo, quod venditor census illum asseruerit majoris fructus, quam sit, vel potius data ipsius census veritate de jure, & de facto, dicta assertio attendi non debeat?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Venditor asserens rem magis pretiosam, tenetur ad quanti minoris.*
3 *Declaratur quando id procedat.*
4 *Ex pretii quantitate desumitur quid in contractum deductum sit.*
5 *An venditio censeatur ad corpus, vel ad mensuram remissive.*
6 *De considerationibus excusantibus venditorem a majori assertione.*
7 *Quando assertio referri debeat errori.*
8 *Observantia est optima interpres.*
9 *De præsumpta solutione contra creditorem negligentem.*
10 *De materia* tex. in l. adversus, Cod. de usur. *& an procedat in censibus?*
11 *Quod etiam levia sufficiant, ubi plura concurrunt ex regula*, ut singula quæ non prosunt &c.

D I S C. IX.

IN satisfactionem pretii domus, quam Joseph de Dattilis emerat a Marco Antonio Alexio, huic in solutum 1 dedit quosdam census, enunciatis debitoribus, ac instrumentis, cum mentione anni, mensis, diei, ac Notarii, eos enunciando fructantes quandam summam denotantem quod importarent ad rationem septem pro centenario, cum tamen revera essent ad sex, ad quam rationem dictus cessionarius donec vixit cedens, absque aliqua protestatione, vel interpellatione exegit; sequuta vero cedentis morte, cessionarius pulsare cepit ejus hæredes non informatos ad manutenendum census fructantes assertam summam, alias ad quanti minoris, & introducta causa coram A. C. credo, quod prodierit sententia reorum conventorum absolutoria, quam, Scribens pro eis, etiam cum sensu veritatis, dicebam debitam esse.

Non negabam etenim juris propositionem generalem, in 2 qua Scribentes pro actore insistebant, ut venditor asserens rem magis pretiosam, teneatur actione de dolo, vel ex illa quanti minoris, ad quanti interest rem esse illius status, vel qualitatis, qualis in contractum deducta fuit, cum quæstio cadat, an exinde intret rescissio contractus, a quo recedere liceat, vel potius competat solum dicta actio quanti minoris, sed ubi emptor ista contentus est, tunc nulla cadit quæstio, ex deductis per Surd. *dec. 165.* Greg. *dec. 119. dec. 337. n. 7. & seqq. p. 5. rec.* cum aliis per Add. *ad dec. 10. p. 3. rec.*

Dicebam tamen, id recte procedere, quando assertio per- 3 cuteret substantiam, seu qualitatem rei venditæ, quæ diversa detegatur, quia nempe vendita sit res aurea, quæ detegatur in toto, vel in parte argentea, vel ænea, cum similibus, adeout vere, & realiter non habeat in sorte illam valorem intrinsecum, pro quo vendita fuit, cum tunc recte intret actio

actio doli, ob locupletationem de alieno, secus autem,
ubi nulla alteratio adest in substantia, seu valore intrin-
seco, atque assertio, quæ detegitur in parte minus ve-
ra, percutit aliquod accidens, quod cognitum, verisimi-
liter emptorem non retraxisset, desumendo pro Judicis ar-
bitrio verisimilem contrahentium intentionem, vel ex pro-
4 positione, ut ex pretii quantitate desumendum sit quid in
pactum deductum esset, ex cumulatis ap. Gregor. & Add.
dec. 126. & frequenter in aliis *hoc tit.* Vel ex iis, quæ,
cæteris relatis, habentur apud Mangil. *de evict. qu.* 104.
Surd. *dec.* 64. Gregor. *dec.* 104. *&* 128. in ea quæstione,
5 an venditio censeatur ad corpus, vel ad mensuram, & an
narrata quantitas stet taxative, vel demonstrative, pon-
deranda omnia simul juncta cum consueta regula, *ut sin-
gula, quæ non prosunt, &c.*

6 Applicando autem ad rem, census in sorte principali,
utpote validi, ac exigibiles, tam de jure, quam de fa-
cto, vere habebant illum intrinsecum valorem, pro quo
assignati fuerunt, qualitas vero accidentalis majoris, vel
minoris redditus utique emptorem non retraxisset, cum
esset fructus attento temporum, ac loci conditione satis
honestus, ac excedens fructus rei venditæ, pro cujus pre-
tio assignatio facta est.

7 Et quod magis, ipse venditor, seu cedens non assigna-
verat hujusmodi census in confuso, sed expresserat debito-
res, cum relatione ad instrumenta, enunciando non so-
lum Notarium, sed etiam annum, mensem, & diem;
unde patet, ipsum cedere voluisse census, prout erant, at-
tento potius relato, quam referente, adeout scriptura refe-
rens, quæ differt a relato, cujus notitiam incontinenti emptor
cum tot demonstrationibus habere poterat, potius errori,
vel oblivioni referri debeat, ex deductis ap. Surd. *dec.* 291.
n. 16. Mantic. *dec.* 352. *n.* 2. Merlin. *dec.* 718. *n.* 12.

8 Omnisque difficultas cessare videbatur ex subsequuta ob-
servantia, quæ juxta passim receptam, & quotidianam pro-
positionem (que nil in Foro frequentius) omnium actuum,
ac dispositionum, etiam contractuum, seu contrahentium
voluntatis est optima interpres, ac interpretationum Re-
gina, dum emptor, seu cessionarius plurium annorum spa-
tio absque aliqua protestatione, vel contradictione fructus
ad dictam minorem rationem exegit vivente altero con-
9 trahente contra omnem verisimilitudinem, ideoque dice-
bam quod aliquo dolo non careret, differendo hujusmodi
prætensæ actionis exercitium post mortem principalis in-
formati contra hæredes non informatos, juxta ea, quæ
in proposito præsumptæ solutionis contra creditorem ne-
gligentem exigere a debitore vivente informato, ac agen-
tem contra hæredes ignaros, habentur apud Merlin. *dec.*
124. *n.* 23. & frequenter *sub tit. de credito*.

10 Dictamque observantiam absque ulla conquestione satis
ponderabilem dicebam, nedum quia de jure reputatur
optima interpres, stantibus tot aliis indiciis, & argumen-
tis, sed etiam ducto argumento a dispositione tex. *in
l. adversus C. de usur.* ubi disponitur quod si creditor per
triennium exigit usuras ad minorem rationem, quam con-
vente sit, sibi præjudicat in futurum; quamvis enim sub
quæstione sit, an dispositio dicti textus locum sibi vendi-
cet in usuris tantum utpote odiosis, vel etiam in censi-
bus, atque probabilior videretur prima opinio, ut in usu-
11 ris, non autem in censibus locum habeat, ex deductis
hinc inde per Capyc. Latr. & Adden. *decis.* 27. Rovit.
Pragm. 1. *de cens. n.* 31. *& seqq.* Rot. apud Buret. *dec.*
232. *& dec.* 304. *in fine* ap. Canc. *de cens.* Attamen abs-
que necessitate assumendi hanc inspectionem, dicebam ex-
inde aliquod quoque resultare argumentum cum aliis con-
jungendum, ex dicta regula, ut *singula quæ non prosunt
&c.* ob quam etiam levia, & alias inefficacia in consi-
deratione habentur, quoniam, ut præsertim pluries habe-
tur in materia ultimarum voluntatum, subtiles, ac fra-
giles funiculi simul juncti, fortissimum constituunt funem
aptum retinere naves, & cum qua regula in quæstioni-
bus voluntatis procedendum est, illius substantiam atten-
dendo, non autem verborum formulas, ut ibi frequenter,
ac alibi pluries.

ANNOT. AD DISC. IX. & X.

AGitur in his discursibus de actione quanti minoris,
ob servitutes, & onera, quæ in re vendita dete-
guntur, de qua habetur infra *disc.* 12. 36. *&* 44. *& sub
tit. de regal. disc.* 30. *num.* 15.

ROMANA VINEÆ
PRO CANGIANIS,
CUM N.

Casus disputatus cor. A. C. credo concordatus.

De actione quanti minoris, quæ emptori compe-
tat adversus venditorem ob servitutem, quæ in
re vendita detegatur.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *De actione quanti minoris competente emptori, si
res detecta est minor.*
3 *Competit, quamvis venditor non esset conscius diversæ
qualitatis.*
4 *Venditor debet exprimere defectus sibi notos, & non
sufficit expressio generalis sub involucro verborum.*
5 *Etiam qualitas mali vicini exprimenda est.*
6 *Non agit de evictione, vel ad quanti minoris emptor,
qui vitium, vel defectum sciebat.*
7 *Ponderantur adminicula, ex quibus probatur, vendi-
tam esse rem tanquam liberam.*
8 *De Statuto Urbis annullante contractus mulierum;
quando locum non habeat.*

DISC. X.

EMerunt Cangiani vineam, quam venditor enunciavit 1
cum tribus cancellis fraccam, liberam, immunem,
& exemptam a quocumque gravamine, & servitute, ex-
cepto quodam canone ibi expresso, unde cum duo ex di-
ctis cancellis reperti essent obnoxii servituti, quod plures
alii vicini retinerent claves, atque per eos ingressum ha-
berent gratia commodioris accessus ad eorum vineas, hinc
emptores judicium instituerunt conire venditorem cor. A.C.
pro manutentione libertatis rei venditæ, alias ad damna,
& interesse, seu ad quanti minoris, & Scribens pro acto-
ribus fundatam dicebam eorum intentionem per text. *in
l. si emptione, §. vacuam, & §. finali, ff. de action.
empti, ubi DD. cum concord.* plene deductis per Surd.
dec. 165. *n.* 2. *cum seqq.* Greg. *dec.* 119. *n.* 3. ut sc. ob de-
tecta rei onera, seu inferiorem qualitatem actio compe-
tat emptori adversus venditorem ad quanti minoris.

Et licet Scribentes in contrarium in eo insisterent, 2
quod per acta non probaretur scientia venditoris, quod
scil. ipse de hujusmodi servitute notitiam haberet, atten-
to potissime, quod erat hæres modico temporis spatio
rem possidens, nihilominus ultra ea, quæ per causæ Pa-
tronum in facto deducebantur eitce scientiam satis veri-
similem, dicebam istius interventum necessarium non es-
se ad effectum hujusmodi actionis quanti minoris, pro 3
qua sufficit rem venditam detegi diversæ, ac inferioris
qualitatis, quam vendita, seu narrata sit, cum in hoc
spectetur interesse, seu animus emptoris, qui alias tanti
non emisset, non curata bona, vel mala fide venditoris,
quæ solum spectatur ad effectum rescissionis contractus,
seu pro interesse extrinseco, aliisque actionibus ex dolo
resultantibus, ut per Aldobrand. *cons.* 19. *nu.* 47. *&* 48. 4
lib. 1. Surd. *d. dec.* 165. Cumque emptor, qui nunquam
rem possedit, præsumatur qualitatum rei emptæ ignarus,
e converso autem venditor præsumatur conscius, hinc
præsumptio huic resistit, ideoque tenetur omnes rei dete-
ctus distincte exprimere, itaut non sufficiat expressio sub
involucro verborum, ut cæteris allegatis plene Aldobran.
d. cons. 19. *n.* 52. *& seq.* Surd. *cons.* 13. *n.* 32. *cum seq.*
d. dec. 165. *nu.* 8. Gregor. & Adden. *dict. dec.* 119. *&
supra in Romana equi disc.* 8.

Idque adeo verum, ut etiam qualitas mali vicini ex- 5
primi debeat, Hodiern. ad Surd. *dec.* 146. *n.* 5. Clarius ve-
ro ubi venditor expressit libertatem a quocumque onere,
cum unius tantum exceptione firmante regulam genera-
lem in contrarium, ex deductis per allegatos præsertim
Surd. *dict. cons.* 13. & bene Afflict. *dec.* 298.

Scribentes in contrarium dicebant præmissis locum non 6
esse, stante quod ista servitus tanquam patens, nota esset
emptori, qui sciens rei defectum, actionem non habet evi-
ctionis, vel quanti minoris, ad tex. *in l. si fundum sciens,
C. de evict. cum ibi notatis*, sed motivum nullum habebat
facti fundamentum, quoniam hujusmodi scientia non pro-
babatur, atque rei evidentia potius ostendebat contrarium,
dum dicti portæ claudebantur cum clavibus, quas vendi-

tor emptori tradiderat, ideoque hic juste credere potuit, ingressum esse proprium, & privativum, quoniam clavium retentio excludit publicitatem, ac privati dominii, & possessionis est indicium, ad tex. *in l. clavibus, ff. de contrah. emptione, cum concord.* per Poll. *de manut. observ.* 22. & in proposito excludendi publicitatem viæ habetur *in Spoletana viæ, sub tit. de regalibus ad materiam viarum disc.* 137.

7 Et nihilominus dicebam, negari non posse ex præmissis casum reddi dubium, ut propterea intrent plura adminicula, quæ pro hac parte in facto ponderabantur, primo nempe depositio testis mediatoris, cui tanquam deponenti de facto proprio, nullumque interesse habenti, quamvis unico, plena fides adhibenda est, Mantic. *dec.* 6. *nu.* 10. Merlin. *dec.* 604. *n.* 11. 714. *n.* 16. *cum seq.* & 754. *nu.* 13. Burati. & Add. *dec.* 611. & 775. Secundo satis forte adminiculum resultabat ex pretii quantitate, ex qua desumitur quid veniat in contractum, Gregor. *dec.* 126. & passim; pretium enim erat tale, quod excludebat hanc servitutem de illo diminuentem, tertio ex quadam declaratione facta in alio instrumento, in quo dicti cancelli enunciabantur liberi, & quarto quia in lite habita cum aliis dictam servitutem habentibus, venditor judicium super libertate susceperat, ac articulos dederat, & quamvis Scribentes in contrarium satis insisterent in eo, quod ageretur de muliere venditrice, quæ in Urbe ex Statuto 151. nullos facere potest actus præjudiciales, ac læsivos absque solemnitatibus præscriptis in eodem Statuto, quod licet in verbis agat de quatuor contractibus, hodie receptissimum est locum habere in quibuscumque actibus, ex quibus mulier lædi potest, itaut illi sient demonstrative, non autem taxative, ut in sua materia *sub tit. de alienat. & contract.*

8 Facilis tamen erat responsio dupliciter, primo quia statutaria dispositio non procedit in judicialibus, Puteus *dec.* 158. *lib.* 1. *in correctis*, Buret. *dec.* 301. *n.* 9. ubi concordantes, & secundo quoniam eadem procedit ad effectum obligandi, non autem ad effectum probandi, nam actus absque solemnitatibus gesti non obligant, sed bene probant, maxime concurrentibus aliis adminiculis, vel saltem faciunt adminiculum corroborativum aliarum probationum, Altogr. *cons.* 5. *n.* 7. *cum seq. lib.* 1. & pluries *in d. sua materia sub tit. de alienat. & contract.* cum Statutum non tollat ea, quæ sunt juris naturæ circa veritatis probationem, etiam ex propria confessione munita adminiculis.

IMOLEN. PRÆDII
PRO JOANNE BAPTISTA RAVENNA, CUM ENEA APIRO.

Casus resolutus per A. C. pro Ravenna.

An emptor ob imminentem rei evictionem, vel ob ejus detecta onera, denegare possit pretii solutionem, atque recedere a contractu, vel potius venditor admittatur ad cautionem præstandam de indemnitate?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Emptor non potest retardare solutionem pretii venditori præstanti cautionem ob timorem evictionis.*
3 *Quando secus.*
4 *Licet dispositio* tex. in l. per diversas, & l. ab Anastasio *procedat in actore, non in reo, attamen procedit etiam in emptore, ita volente excipere contra venditorem.*
5 *Datur distinctio, quando ob evictionem in parte, vel onera sit locus rescissioni totius contractus.*
6 *An in proposito aperetur, ut rei venditæ libertas expresse promissa sit necne?*

DISC. XI.

1 VEndidit Joannes Baptista Ravenna prædium Eneæ Apiro pro pretio librarum 23. m. cujus solutio in plures annos distributa fuit ad rationem librarum 2. m. quolibet anno, sed maturatis aliquibus pagis, emptor, ut illarum solutionem effugeret, curavit litem sibi moveri ab aliquibus jus fideicommissi in dicto prædio habentibus, & introducta lite coram Locumtenente civili Cardinalis Legati, cum venditor peteret relaxationem mandati in vim obligationis cameralis, & a converso emptor eum reconvenisset super rescissione contractus ob detectam bonorum servitutem, seu onera, Judex mandatum relaxavit ad favorem venditoris, qui cautionem præstiterat, eumque a petita rescissione contractus absolvit, introductaque per appellationem causa coram A. C. Hic judicatum in omnibus approbavit, moderando sc. inhibitionem quoad mandatum executivum, atque per sententiam confirmando dictam absolutoriam, idque probatum fuit per Signaturam rescribentem solum de appellatione super dicta sententia confirmatoria, utpote de sui natura appellabili, secus autem quoad moderationem inhibitionis, unde credo, quod emptor acquieverit, ac debitum solvere curaverit, dum ex facti circumstantiis clare ostendebatur lites esse affectatas, nullamque subsistentiam habere, nam licet adesset ad favorem agentium fideicommissum ordinatum ab eo, qui fuerat hujus prædii Dominus, ac possessor, docebatur tamen de valida ejus alienatione in causam plurium detractionum.

In hac igitur disputatione, dicebam regulam esse, quod 2
per emptorem retardari non potest ob aliquam litem motam solutio pretii venditori offerenti cautionem, vel notorie diviti, ut erat ille, cujus obligatio loco cautionis habetur juxta terminos textus *in l. si post perfectam, C. de evict. cum concord.* per Natt. *cons.* 267. Seraph. *dec.* 1243. & 1275. Surd. *dec.* 253. & 295. ubi concordantes, & quamvis Scribentes in contrarium quamplura deducerent ad probandum, quod emptor imminente evictione urgeri non potest ad solutionem, quinimmo sibi concedatur actio ad evictionem, seu ad eam præveniendam, ex iis, quæ habentur plene deducta per Rotam *dec.* 337. *p.* 5. *rec.* ex 3
qua dicti Scribentes totum desumebant, ac etiam ex motivatis apud Surd. in allegatis decisionibus, attamen facilis erat responsio, id scil. procedere, quando dici potest evictio imminens, vel quia prodiisset sententia, vel saltem emanassent decisiones Rotales, evincentis justitiam probantes, ex firmatis *dict. dec.* 337. quod in præsenti cessabat, dum agebatur de simplici initio litis, cujus injustitia incontinenti cum solo facto ostendebatur, vel saltem de illa dabatur magnus fumus, & cum hac distinctione passim proceditur, nam alias fatua, & nunquam operativa remaneret cautela tradita per tex. *in dict. l. si post perfectam*, atque cum nimia facilitate emptores, ut pretii solutionem effugerent, curare possent lites sibi moveri, vel reportare cessiones a creditoribus venditoris, seu jus habere prætendentibus in re vendita, quod fraudis aditum nimium latum aperiret.

Ideoque in proposito benigne pro venditore contra actorem agendum est, adeout licet receptum sit dispositionem 4
text. *in leg. per diversas, & leg. ab Anastasio, Cod. mandati* locum habere contra voluntarios litium redemptores ad effectum agendi, non autem in reis, ac possessoribus jura cessa procurantibus ad effectum excipiendi, & se defendendi, nihilominus id locum non habet in emptore hujusmodi cessiones procurante ad effugiendam pretii solutionem, ac se tuendum contra venditorem, cum tunc potius jura actoris, & voluntarii redemptoris censeri debeat, ex firmatis *in Neapolitana pecuniaria* 27. *Januarii*, & 22. *Maji* 1653. coram Meltio, de qua causa inter Galibertum, & Montem illorum de Rubartis habetur actum *sub titul. de credito*, & hæc quoad moderationem inhibitionis, ut exequutioni demandari posset mandatum exequutivum per Judicem de partibus relaxatum.

Quo vero ad rescissionem contractus ex parte ejusdem 5
emptoris prætensam, cessabat difficultas ex facto, in quo, ut dictum est, incontinenti docebatur de insubsistentia agentium ex fideicommisso ob rei libertatem causatam ex alienatione facta in causam detractionum. Verum ubi etiam in aliqua parte, seu membris separatis (ut suspicari poterat) agentium prætensio subsisteret, adhuc tamen dicebam expectandum esse causæ eventum, atque videndum, an evictio esset partis adeo notabilis, quod produceret actionem recedendi a toto contractu ob deficientem verisimilem emptoris voluntatem non emendi solam partem non evictam, quam interfuit habere cum aliis partibus evictis unitam, & non alias, juxta distinctionem, cum qua in materia proceditur, *ut infra*.

Cessante autem hac circumstantia deficientis voluntatis, ob servitutes & onera, quæ in re vendita deteguntur, itaut ex parte venditoris dicatur non adimpleri narratam, & promissam libertatem, locus non est pœnitentiæ, seu rescissioni contractus, nisi in casu doli, & malæ fidei positivæ, quia nempe venditor pro certo sciens onera, illa non solum tacuerit, sed libertatem promiserit, & asseruerit, secus autem dolo, & mala fide cessantibus, cum tunc in contractibus nominatis, juxta magis communem opinionem in

Rota,

Rota, & Curia receptam, ob non implementum, vel mi-
nus veram assertionem locus non fiat pœnitentiæ, seu re-
scissioni contractus, sed tantum competat actio ad interes-
se, ut ita distinguendo habetur apud Millin. *dec.* 210. quæ
in hoc proposito reputatur in Curia Magistralis, hinc inde
in hujusmodi controversiis allegari solita, & admittitur per
Beroum *cons.* 158. *lib.* 1. ubi late partes emptoris sustinere
conatur, quoniam ejus potissima fundamente consistunt in
præsupposito scientiæ, & malæ fidei.

Et quamvis aliqui considerent, an venditor rei venditæ
libertatem expresse narraverit, ac promiserit necne, atta-
men ut bene advertit Surd. *dec.* 253. *n.* 8. *&* 17. id non
6 est considerabile, quoniam semper quod quis aliquam rem
vendit, censetur eam vendere tanquam liberam, & suam,
ttant specificatio continere dicatur expressionem ejus, quod
tacite, ac de natura actus inest, & sic totus punctus est
in bona, vel mala fide, & an venditor esset in dolo cum
emptore ignaro bonam fidem venditoris sequente, secus
autem ubi esset conscius, quia tunc nisi expresse sibi con-
sulat, destitutus est illis beneficiis, & remediis, quæ alias
emptori a jure conceduntur juxta terminos text. *in l. si
fundum sciens*, *Cod. de evictión.*

ANNOT. AD DISC. XI.

AD hanc materiam quando emptor possit retardare so-
lutionem pretii, videri poterunt deducta *hoc eodem
tit. disc.* 51. ubi quando obstet exceptio non traditionis, vel
non implementi, si defectus proveniat a casu, vel a facto
tertii, ac habetur etiam infra *disc.* 21. *&* 38.

Quando autem ob evictionem in parte sit locus rescis-
sioni totius contractus, habetur actum particulariter in-
fra *disc.* 17. *&* 18.

ROMANA RESCISSIONIS CONTRACTUS, PRO CAROLO MUSCATELLO, seu SANCTORIO, CUM N.

Casus disputatus coram Præside Riparum, & concordatus.

An valeat pactum in contractu emptionis, & venditionis mercium, ut venditor in Civitatem, seu locum conventum introducere non possit illam speciem mercium? Et an in casu contraventionis intret necne rescissio contractus, vel potius intret solum actio ad damna, & interesse, & incidenter de Dardanaria, seu Monopolio?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Monopolium circa merces, & victualia est damna-
tum, & punibile.*
3 *In contractu nominato ob non implementum non intrat
resolutio, sed solum actio ad interesse.*
4 *Declaratur secus esse, quando implementum sit causa
finalis, ac præcisa.*
5 *Quando id verificari dicatur.*
6 *Jus privativum est pretio æstimabile.*
7 *Quando cesset causa finalis, cessare dicitur voluntas
contrahendi.*
8 *Declaratur conclusio, de qua n. 2. super prohibito Mo-
nopolio, seu Dardanaria.*
9 *An & quando assertio venditoris causet actionem de
dolo, vel ad interesse, si minus vera detegatur?*
10 *De quæstione, an vendens scienter rem prohibendam,
vel minuendam, seu expendens monetam reprobandam,
ad aliquid teneatur?*

D I S C. XII.

FActa per Carolum prope hebdomadam majorem em-
1 ptione alicujus quantitatis piscium sale conditorum,
quæ vulgo *sarache* nuncupantur, sub eo pacto, ut idem
venditor aliam consimilem mercem introducere non pos-
set, ac sub assertione, quod pro eo anno, præsertim eo
tempore proximo, ad illum portum, consimiles merces
evehendæ non essent, cum illine ad paucos dies consimi-
les pisces per aliam navem introducti essent, satisque pro-
babilia argumenta urgerent, quod essent ejusdem vendito-
ris, dictæque mercis affluentia, in eo præsertim tempore
imminentis expirationis quadragesimæ, magnam pretii di-
minutionem, ac etiam venditionis difficultatem causasset,
hinc proinde Carolus emptor judicium instituit coram
Præside Riparum super dicti contractus rescissione, atque
post plures disputationes concordia litis finem dedit.

In disputationibus autem desuper habitis, Scribentes pro
venditore duo deducebant fundamenta adversus emptoris
petitionem, primo scilicet invaliditatem pacti, utpote
continentis Dardanariam, seu Monopolium de jure damna-
tum, ac punibile, ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur 2
apud Menoch. *de arbitr. casu* 569. Galeot. *respons. Fiscal.*
10. *n.* 39. Farinac. *in fragment. verb. monopolium*, Rovit.
decis. 17.

Et secundo quod quicquid teneat altera opinio, cujus
major defensor allegari solet Beccius *cons.* 45. utpote illius
acerrimus defensor, attamen in Rota, & Curia receptis-
sima est diversa opinio, ut in contractibus nominatis,
qualis erat iste emptionis, & venditionis, non adimple-
mentum non causet rescissionem, seu resolutionem, sed
solum producat actionem ad quanti interest implementum
non esse sequutum, ex deductis apud Gregor. & Adden.
decis. 130. & aliis frequenter, atque occasione contractus
locationis, & conductionis habetur deductum *sub tit. de
loc. & conduct.* præsertim *disc.* 18. & alibi, quoniam hoc
jure, cessantibus casibus limitatis, in Curia vivitur.

His tamen non obstantibus, quando bene justificatum 3
esset, quod aliæ consimiles merces, quæ de novo intro-
ductæ fuerant, essent ejusdem venditoris, sive quod
ipse dictæ introductionis scientiam haberet, etiam cum
sensu veritatis, dicebam locum esse rescissioni (licet actio
ad interesse in proposito eundem operaretur effectum)
eundemque sensum habebat Judex, quando dictum præ-
suppositum bene justificaretur, unde propterea difficultas
consistebat potius in facto quam in jure, ob hujusmodi
deficientem probationem, ob quam ad concordiam deven-
tum est.

Retento siquidem dicto præsupposito, quod merces es-
sent ejusdem venditoris, vel quod ipse conscius proximæ
introductionis aliarum, dictam narrativam fecisset, tunc,
admissa etiam tanquam vera, atque in Curia recepta di-
cta opinione, ut in contractibus nominatis non implemen- 4
tum non causet resolutionem, vel rescissionem contractus,
sed solum producat actionem ad interesse, attamen in sen-
su eorundem illam tenentium, id fallit, quando adimplemen-
tum fuerit causa finalis, ac præcisa; sine qua alias con-
tractus initus non esset, adeout deficiat voluntas alias con-
trahendi, ut habetur apud eosdem Gregor. & adden. *dict.
decis.* 130. *& dicto disc.* 18. *sub tit. de locat. & conduct.*
ubi ista conclusio declaratur.

Hic autem videbamus casus, quoniam cum ageretur de
merce proportionata illi præciso tempori quadragesimali
jam expiranti, & quo elapso ea remanebat pene inutilis, 5
vel saltem longe minoris valoris, ac difficilioris venditio-
nis, utique emptor illam non emisset, nisi ob certitudi-
nem, quod aliæ consimiles merces eodem tempore in eun-
dem locum introducendæ non essent, quoniam si copia
mercium quamvis non corruptibilium, in eodem loco il-
larum pretium, seu valorem longe minuit, ideoque pre-
tio satis æstimabile dicitur jus privativum, per quod al-
teri non detur facultas easdem introducendi, ex iis, quæ
habentur deducta *sub tit. de Regalib. disc.* 117. multo
magis, ac absque dubio, ubi agitur de mercibus corru- 6
ptibilibus, quorum exitatio consistit in tempore præciso,
quo elapso pene inanes remanent, unde propterea idem
est teneri ad damna, & interesse, ac rescindere contra-
ctum.

Tunc etenim dicitur deficere voluntas alias faciendi ob
cessantem causam finalem, ideoque contractus peccat in
substantiam ob deficientem consensum, ut *dec.* 304. *n.* 1.
& 2. *par.* 4. *divers. decis.* 234. *&* 476. *par.* 5. *recent. de- 7
cis.* 314. *n.* 13. *par.* 10. cum aliis per adden. *ad decis.* 10.
n. 25. *cum seq. par.* 3. *recent.* atque videtur de natura pe-
culiari hujusmodi mercimoniorum, ut advertitur *dict. disc.*
117. *sub tit. de Regalib.*

Neque adversari dicebam præmissa super prohibita Dar-
danaria, seu Monopolio, quoniam ut eodem proxime al-
legato *disc.* 117. advertitur, id recte procedit in ordine
ad Superiores publicæ annonæ, ac ubertati invigilantes, 8
ne Dardanarii cum hujusmodi Monopoliis pretia alterent,
atque Populum in rebus humano usui necessariis suffocent,
non autem, ut inter negotiantes fieri non possint con-
ventiones, ut vendens mercem non possit in eodem loco
consimilem introducere.

Diffi-

Difficultas vero erat in eo, quod non bene probatetur merces denuo ad portum appulsas esse ejusdem venditoris, minusque quod ipse notitiam haberet, an dictus casus sequi deberet necne, adeout dici valeat, quod ipse sub hac narrativa dolo, vel fraude induxerit emptorem ad emendum merces, quas alias absque dubio, nullatenus, vel non in tanta quantitate emisset, unde dicta probatione non facta recte ipse dicere poterat ita credidisse, vel sperasse, non per hoc enim, quod sua opinatione elusus remaneat, sive quod ita ad emptores alliciendum juxta stylum negotiantium pro
9 facilitanda esitatione eorum mercium, prætendi potest rescissio contractus, vel actio ad damna, & interesse, cum id solum intret in casu dolosæ, ac positive falsæ assertionis, cum qua emptorem induxit alias non empturum, & sic punctus reducebatur magis ad factum, quam ad jus.

Et quamvis Scribentes pro venditore, ut chartas implerent, extra propositum transcribendo copiosas allegationes, hinc inde cum solito nauseativo stylo deductas per Giurb. *observ.* 1. assumerent quæstionem, tam apud Legistas, quam
10 apud Morales celebrem, ac involutam, an ob amicitiam cum Principe, vel Officialibus sciens mutationem status rerum, puta monetarum prohibitionem, vel extractionem locorum montium, (ut in Urbe frequenter contingit) aut edicta præscribentia pretium frumenti, aliorumque victualium, possit monetam impendere, seu locorum montium, ac victualium venditionem facere pro pretio currenti, attamen ut dictum est, remanebat labor inanis, cum ista quæstio percutiat casum, in quo aliquis simpliciter vendat ejus merces, vel bona pro pretio tunc currenti inter Populum, ac alios, hujusmodi futuræ mutationis ignaros, eo modo quo alii vendunt, quasi quod non teneatur pandere id, quod sibi accidentaliter notum est, ideoque utatur jure suo, vendendo bona pro communi pretio, ejusque diligentiæ commodum reportando, quicquid enim sit de veritate, in illo casu dicti termini non intrant, quando venditor cum positiva falsa narrativa inducit emptorem, qui alias non emisset, cum tunc omnes hinc inde pugnantes, in hoc concordare videantur.

ANNOT. AD DISC. XII.

DE Dardanatia, seu Monopolio habetur *sub tit. de Regal. disc.* 117. *& prius disc.* 44. *n.* 4. ubi advertitur, quod Annona introducta fuit ad evitandas Dardanariorum oppressiones, & conferunt deducta *eod. tit. disc.* 172.

Quando autem intret resolutio contractus ob non implementum habetur *sub tit. de locat. disc.* 18. *& sub tit. de Credit. disc.* 57. ubi etiam advertitur quod data resolutione non restituantur fructus decursi, & conferunt deducta *hoc eod. tit. disc.* 51.

ROMANA GEMMARUM, PRO CAROLO ANTONIO DE PUTEO CUM SALAMONE TEDESCO HEBRÆO.

Casus disputatus coram Gubernatore Urbis, sopitus cum concordi temperamento.

De emente rem furtivam, an & quando repetat pretium, ubi præsertim illud solutum est ei, cui idem Dominus bona furata vindicare volens, solvere deberet,

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Dominus rei furatæ potest illam a quocumque vendicare, non restituto pretio, quo possessor etiam bona fide emisset.*
3 *Quid operetur bona fides.*
4 *De privilegio Hebræorum mutuantium pecunias cum pignore, ut ad istud restituendum, non teneantur, nisi soluta pecunia.*
5 *Quando intret agendo, vel excipiendo æquitas utilis negotiorum gestorum in redimente rem alienam ab hostibus, vel latronibus.*
6 *Reprobatur cautela emendi res alienas nomine Domini.*
7 *Privilegia Judæorum mutuantium strictè intelligenda.*
8 *De differentia inter Hebræum campsorem mutuantem sub pignore, & Hebræum ementem res alienas.*
9 *Privilegium, de quo num. 4. non suffragatur in casu malæ fidei, & fraudis.*
10 *De adminiculis malæ fidei.*
11 *In dubio mala fides, & fraus præsumitur in Hebræo.*
12 *Contrahens cum aliquo in vim mandati invalidi, non potest juvari mandato valido, & si ab eo emit tanquam Domino, non potest recurrere ad titulum administratorium.*

D I S C. XIII.

QUidam Jacobus famulus Caroli Antonii surripuit plures gemmas valoris circiter scut. 800. quas pignori dedit Hebræo banchetto, seu fœneratori pro scut. 280. deinde vero pro eodem pretio illas vendidit Salamoni pariter Hebræo solventi pretium prædicto fœneratori, cumque fur carceratus esset, ac furtum libere confessus, hinc Hebræus emptor, ut gemmas prædictas absconderet, eas asportavit ad domum cujusdam potentis, verum eo per Gubernatorem carcerato, orta est quæstio, an ea hoc esset punibilis, necnon absque pretii restitutione teneretur dictas gemmas Domino restituere. 1

Neglecta vero, immo cum expressa protestatione abhorrita criminalitate, a qua, etiam ad defensam, exceptis paucis causis gravissimis, & de majoribus omnino abstinere professus sum, quatenus pertinet ad punctum civilem, pro rerum furatarum Domino illas vendicante Scribens, cum sensu etiam veritatis, dicebam pro eo respondendum videri, sibi enim assistebat clara dispositio text. *in §. incivilem, Cod. de furtis*, ubi expresse disponitur Dominum rei furatæ, illam ab emptore, vel quocumque vendicare posse, non restituto pretio, & firmant communiter DD. de quibus Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *c.* 29. *n.* 9. *&* 10. Farin. *de furt. q.* 177. *n.* 29. Rovit. *in pragm.* 1. *de empt. & vend.* apud quos firmatur id verum, quamvis emptor fuerit in bona fide, credens esse res proprias venditoris, quinimmo etiamsi in nundinis, vel in publico Emporio, quoniam bona fides operatur quidem excusationem a delicto & pœna, non autem exceptionem repetitionis pretii, seu etiam excusat eundem emptorem, ne molestari possit post ipsam rem distractam, vel peremptam juxta text. *in l. servus cujusdam* 36. *in fine, ubi glos. & cæteri, ff. de condit. indebiti*, & firmant Menoch. Farinac. & Rovit. *ubi supra*, atque particulariter actum habetur *in Romana, seu Civitatis Vetulæ mercium pro Cucurno, sub titul. de Regal. ad materiam portuum, disc.* 129. ubi an, & quando emens in publico portu, vel Emporio debeat esse tutus necne? 2 3

Procedebant hæc de plano in puris terminis juris communis, verum difficultas resultabat ex privilegio, quod habent fœneratores Hebræi, accipiendi in pignus quæcumque bona, ab eis non vendicabilia, nisi restituto eorum credito, duobus casibus exceptis, uno scilicet, quando essent furti conscii, & altero quando ageretur de vasibus argenteis Cardinalium, vel Magnatum notoria insignia insculpta habentibus, ex iis, quæ in hoc proposito habentur particulariter deducta *in Romana pignorum, sub tit. de usuris, disc.* 7. Hinc proinde dicebant Scribentes pro emptore, quod quemadmodum, si controversæ gemmæ continuassent sub pignore penes fœneratorem, illarum Dominus eas vindicare non posset, nisi soluta pecunia prædicta, ita eadem restitui deberet emptori actione utili negotiorum gestorum, adinstar redimentis rem ab hostibus, juxta terminos textus *in l. mulier in opus, ff. de captivis & postliminio reversis, l.* 2. *§. finali, Cod. eodem*. 4

Pro hujusmodi objecto removendo, duas efformabam inspectiones, unam in terminis juris communis, alteram vero in terminis dicti privilegii, quoad primam, dupliciter æquitativa actio, vel exceptio negotiorum gestorum in præsenti non intrabat, primo, quoniam ei locus est, quando res redimitur ab hostibus, vel etiam a latronibus in tali loco existentibus, quod in Domino desperata sit recuperatio judiciali auctoritate, secus autem hujusmodi circumstantia cessante, quoniam, ubi præsertim non agitur de publicis Emporiis, quo casu habebam difficultatem ex deductis *in dicta Romana, seu Civitatis Vetulæ mercium, sub tit. de Regalib. disc.* 129. emptor inquirere tenetur venditoris conditionem, atque cogitare ad periculum, cui se exponit, unde licet aliqui cautelam tradiderint emendi nomine Domini, ac animo eidem restituendi, quatenus res alienæ detegerentur, nihilominus ista cautela passim reprobata est, cum potius fraudis ac malæ fidei indicium præbeat, Menoch. *d. præsumpt.* 29. *n.* 13. Farinac. *d. q.* 177. *n.* 43. *& seqq.* Rovit. *d. pragm.* 1. *de empt. & vendit. n.* 2. 5 6

Et

Et secundo, quia etiam in redimente ab hostibus, vel aliis hostium jure regulandis, dicta æquitativa actio, vel exceptio eatenus intrat, quatenus redemptor sincere, ac bona fide id agat nomine domini, & ex motivo charitatis, atque ut illius utile negotium gerat, ex deductis per Spad. *cons. 149. n. 5. cum seq. lib. 1.* & videtur etiam de mente Rot. *dec. 120. n. 2. post prim. volum. cons. Farin.* & habetur actum *sub d. tit. de usuris, in Romana cessionis usurarum disc. 5.* potissime urgentibus pluribus malæ fidei adminiculis, ut infra ponderatis etiam ad effectum cessationis privilegii, quæ ubi ad istum non essent omnino operativa, indubitate tamen considerabilia erant in ordine ad excludendam dictam æquitativam actionem, vel exceptionem bonæ fidei principaliter innixam.

Quovero ad privilegium, cum illud loqueretur de Hebræis fœneratoribus, ac de rebus oppignoratis, hoc solum sufficiebat, ut dicto emptori non suffragaretur, ut pote ex-
7 tra casum; cum etenim ista sint privilegia a jure exorbitantia, strictissime intelligenda sunt, neque extendenda de casu ad casum, ut in specie hujusmodi privilegiorum Anania, *cons. 70.* Farin. *dict. q. 177. n. 34. & seqq.*

Clarius, attenta manifesta ratione diversitatis, ubi præsertim persona venditoris est talis, quod hujusmodi gemmarum, ac bonorum dominium, ac libera dispositio ei in-
8 congruant; ubi enim agitur de oppignoratione, duæ concurrunt circumstantiæ excusantes fœneratorem, primo, quod etiam res pretiosæ pro modica summa oppignorari solent, itaut non vigeat ratio malæ fidei, ac probabilis suspicionis resultantis a venditione rei pro longe minus justo pretio, & secundo, quod ut plurimum Nobiles, ac Magnates honestatis causa, non per seipsos, sed per famulos, vel confidentiarios hujusmodi oppignorationes facere solent, ex deductis *in dict. Romana pignorum, sub tit. de usur. disc. 7.* quæ omnia cessant, ubi agitur de venditione.

Præterea concurrebat mala fides, multaque aderant indicia suadentia emptorem fuisse furti conscium, quæ licet ad criminalitatem, ac pœnam forte non sufficerent, certum tamen videbatur sufficere ad istum effectum malæ fidei, ac præsumptæ fraudis, qua concurrente privilegium non
9 suffragatur, ut in specie Judæorum Bald. *in d. l. servus cujusdam, ff. de condit. indebiti* ubi etiam Alex. Anania *d. cons. 70.* Farinac. *d. quæst. 177. n. 35.* Boss. *in prax. crim. tit. de indiciis, num. 62.*

Adminicula vero plura erant, quæ ubi etiam singulariter, ac de per se considerata, levia essent, & non operativa,
10 omnino tamen attendenda veniebant insimul unita, cum regula, *ut singula, quæ non prosunt &c.* dum agebatur in civilibus, primum enim resultabat a qualitate personæ, cui omnino incongruum erat habere gemmas talis valoris & qualitatis, ut ponderat Farin. *dict. quæst. 177. num. 36. in fine,* alterum ex modico pretio, quod pariter ponderatur a Farin. *ubi supra, n. 24.* præsertim attenta subjecta materia habente pretium quasi certum de facili reperibile, tertium ex latitatione rei emptæ, illam abscondendi gratia asportando ad domum potentis, Farin. *ubi sup. n. 26. in fine,* quartum ex quibusdam affectatis, ac insolitis cautelis dolum, ac fraudem potius redolentibus, ut in specie Farin. *d. q. 177. n. 43.* & generaliter idem de falsitate *q. 153. n. 162. & q. 162. n. 163.* Rota *dec. 132. n. 13. p. 6. rec.* quintum (quod in facto supponebatur solum sufficiens, quando justificaretur per alteram partem negatum) quod scilicet fur prædictus asportasset dictas gemmas primo loco ad istum Hebræum vendendas; Ista vero studiose consuluisset, ut prius penes fœneratorem publicum bancherium oppignoraret, ad effectum deinde redimendi, unde propterea fraus remanebat clara, multo magis omnibus dictis aliis adminiculis insimul ponderatis, quibus addebam generalem fraudis præsumptionem, quam contra Hebræos militare dicuntur Surd. *dec. 23.*
11 *n. 16.* Gait. *de cred. c. 4. q. 11. n. 1573. dec. 186. n. 19. p. 10. rec.* atque juxta præmissa resolvi debuisset, sed quoddam honestum temperamentum controversiæ finem dedit.

In proposito autem ementis rem alienam a non domino, idem disputavi coram Annonæ Præfecto *in una Romana pretii grani* pro Cæcilia Terentiana cum quodam pistore, qui notabilem frumenti quantitatem emerat a Baptista dictæ Ceciliæ famulo, seu ministro, ex istius granario illum extrahente. Cum enim pistor prædictus cum juramento in actis asseruisset, frumentum prædictum emisse a dicto Baptista tanquam domino, atque credendo esse suum, deinde vero convictus esset de scientia, quod esset Ceciliæ, recurrere volebat ad mandatum præsumptum, quod scilicet emerat a dicto Baptista tanquam Ceciliæ procuratore, vel institore huic negotio præposito.

Verum, ultra defectum probationis talis mandati, cum a præpositione curæ, & custodiæ granarii non liceret inferre ad facultatem vendendi, cum sensu etiam veritatis, dicebam eum in hoc exaudiendum non esse, dum allegaverat diversum titulum, ut in terminis contrahentis cum aliquo uti procuratore in vim mandati invalidi, ut juvari non possit altero diverso mandato valido, Roman. *cons. 446. n. 7.* Achill. *dec. 7. de procurat.* Cavaler. *dec. 182. n. 6.* Baratt. *dec.* 12
479. *n. 9.* Ponderando in idem quæ habemus in terminis præscriptionis statutariæ continentis magis præsumptam solutionem, quam veram præscriptionem, quia si debitor pulsatus ad solutionem debiti, istud negat, non potest deinde de illo convictus allegare præscriptionem prædictam, ut *dec. 192. n. ult. & 219. n. 11. post Zacch. de oblig. & sæpius,* cum similibus in idem tendentibus, credo autem, quod controversia etiam concordata fuerit.

ANNOT. AD DISC. XIII.

DE emptore rei furtivæ habetur particulariter actum in enunciatis discursibus 129. *de Regal. & disc. 7. de Usur. & advertitur sub tit. de Judic. disc. 21. n. 25.*

ROMANA PRETII GRANI PRO ORSINIS, CUM CAMERA.

Casus disputatus in Camera, & concordatus.

De pretio quanti plurimi frumenti debiti, & an venditor possit post contractum vendere frumentum, vel alias merces propria auctoritate?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *De perfecta venditione victualium etiam non certificato pretio.*
3 *Impediens tenetur ad quanti interest impedimentum non esse sequutum.*
4 *Debitor generis tenetur ad pretium quanti plurimi.*
5 *Locator tenetur conductori ad totale interesse ob patientiam non præstitam, seu aliud factum voluntarium.*
6 *De dogana patrimonii, & quæ loca sub se contineat.*
7 *Venditor frumenti, seu vini, vel alterius rei similis potest propria auctoritate vendere mercem pro minori pretio in damnum emptoris morosi.*
8 *De actione competente emptori contra venditorem grani ad interesse ob illud non præstitum in tempore.*
9 *Sub præcepto assignandi frumentum pro Civitate, vel Annona, non venit illud, quod deservit pro usu proprio.*
10 *Quæ mora requiratur, ut debitor generis teneatur ad interesse quanti plurimi.*

DISC. XIV.

IN Capitulis appaltus Thesaurariæ Patrimonii suscepti per fratres de Orsinis, continebatur Cameræ obligatio eis concedendi tractas, seu facultatem estrahendi frumentum, in quo major pars prædictæ Thesaurariæ effectuum consistit, sub ea tamen lege ut infra to- 1
tum mensem Augusti cujuslibet anni, tenerentur Appaltatores assignare, seu dare notulam omnium frumentorum per illos recollectorum Præfecto Annonæ Urbis declarare debenti infra certum terminum, an pro ejusdem Annonæ servitio illud emere vellet pro eodem pretio, pro quo etiam extra Statum, detractis illis majoribus expensis, quæ pro extractione requiruntur, vendi posset; in hujus autem capituli executionem Appaltatores prædicti de mense Augusti 1647. assignarunt quantitatem rubrorum 4029. Cumque Præfectus declarasset indigere hoc frumento pro servitio Annonæ, sequutum fuit, quod Appaltatores consignarunt rubra 2. millia, reliqua vero 2029. erogata fuerunt partim pro semine futuræ recollectæ, & partim pro usu proprio, ac victualibus colonorum, & laborantium pro eadem futura recollecta, necnon juxta stylum pro affidatis, aliqua non multum notabili quantita-

te de

te de ejusdem Præfecti licentia concessa Communitati Tulpharum.

De anno autem sequenti 1648. ob magnam frumenti penuriam, quam tota Italia passa est, Cardinalis Camerarius impediendo extractionem frumentorum Montis Alti, quæ ad formam capitulorum absque dictæ assignationis necessitate, vel tractæ impetratione, libere extrahi poterant, sub pœna inhibuit dictis Appaltatoribus, ut totum frumentum vendere deberent Annonæ, cujus Præfectus declaravit ille importantia quantitatem rubrorum bis mille emere velle pro pretio ad formam capitulorum, quod extrahendo haberi posset, sed accipiendo solam quantitatem rubrorum 1530. neglaxerit residualem, quæ ob anni sequentis uberiatem & qualitatem frumenti non multum conservabilis, pro satis vili pretio comparetive ad illud anni præcedentis vendita fuit.

Petentibus autem dictis Appaltatoribus in computorum solidatione, ad prædictorum capitulorum formam, sibi bonificari integrum pretium dictorum rubrorum bis mille, quanti plurimi illud durante tempore penuriæ, mediante extractione, vendi potuisset, in Civitatibus Jannen. & Lucan. de tribus ex parte Cameralium, dictique Præfecti Annonæ opponebatur, primo quod edictum prohibitorium de non abstrahendo, ut pote loquens de frumento Thesaurariæ Patrimonii, non complecteretur illud Montis Alti, cujus Oppidum cum eo territorio, ut pote tunc infeudatum Duci Parmæ & de illius dominio existens, non cadebat sub illius Provinciæ Gubernio, seu Præsidatu, secundo quod, cum dicti Appaltatores dictam residualem frumenti quantitatem de facto tradoxissent ad portum Viaregii, ibique vendidissent, ita recessisse censerentur e dicto contractu emptionis, & tertio quod in omnem eventum ipsi essent debitores Annonæ de damnis, & interesse illius majoris quantitatis frumenti anni præcedentis, quod assignatum non tradiderunt, quasi quod si Annona dictam majorem quantitatem habuisset, ita melius provisa, coacta non fuisset in anno sequenti penurioso adeo ingans damnum pati, emendo frumentum pro carissimo, & omnino insolito pretio, & commissa per Sanctissimum causa solidationis hujusmodi computorum in plena Camera coram Caracciolo, assumptaque desuper disputatione

Pro Appaltatoribus Scribens, dupliciter dicebam fun-
2 datam esse eorum intentionem pro assequutione, seu bonificatione pretii, primo ex contractu emptionis & venditionis jam perfecto eo ipso quod Præfectus declaravit velle frumentum pro Annone, solvendum pro eo pretio, quod extrahendo vendi posset, quod pretium, licet apud contrahentium notitiam, tunc non devenisset, itant quoad eos esset incertum, in substantia tamen erat certum, ut pote certificandum a communi Foro, quæ contrahendi species in hujusmodi victualibus de jure procedit, ex iis, quæ alias habentur in præcedentibus *hoc eodem titul.* & in specie *sub tit. de Regalib. disc.* 125.

3 Et secundo ob impedimenta per eundem Præfectum Apostolica auctoritate præstita super extractione, alias ad formam conventionis competente, ex certo Juris principio, ut impediens teneatur impedito ad quanti interest impedimentum non esse sequutum, ut in proposito Capituli impedientis Canonicum, vel alium Beneficiatum, ne possessionem adipiscatur, vel ademptam continuet, ut teneatur ad fructus & distributiones, habetur apud Royas *decis.* 173. Si enim debitor ob non solu-
4 tionem in tempore, quam forsan ob impotentiam, vel ex alia causa citra culpam positivam non fecit, tenetur ad pretium quanti plurimi, ad text. *in l. vinum, ff. si cert. petat.* Duren. *decis. 346. num.* 2. *Galicen. fructuum 4. Julii 1646.* cor. Meltio *decis. 421. par. 9. recent.* multo magis teneri debet ille, qui impedit dominum, ne rem suam vendat, cum ita committere dicatur culpam positivam in committendo, quæ semper major est altera, quæ consistit in omittendo.

5 Clarius in hac facti specie, dum agebatur de Appaltatore Camerali ab eisdem Cameralibus impedito, ne poteretur beneficio illius tractæ, quæ est pars contractus, et de juribus in appaltum deductis, unde intrabant etiam termini patientiæ non præstitæ, seu non implementi, cujus ratione locator tenetur conductori ad totale damnum etiam lucri amissi, ut in terminis Appaltatoris Cameralis, Soccio *cons. 156. n. 5. & per tot. lib.* 2. Rota *in Romana appaltus* cor. Justo post Pacif. de Salviano, *decis.* 285. & habetur sæpius in materie hujusmodi appaltuum cameralium *sub titul. de Regalib.* ac etiam in sua materia *sub titul. de locato*.

Quare tota difficultas residabat in objectis, eisque removendis, ac propterea, quatenus pertinet ad primum, illud tollebatur cum solo facto, dum præceptum Cardinalis Camerarii erat generale, ac indefinitum de toto frumento recollecto in omnibus locis Provinciæ Patrimonii, directumque Appaltatoribus tanquam Patrimonii Dohaneriis, unde propterea dicebam curandum non esse de distinctione Guberniorum, & an aliqua loca de Provincia essent infeudata, vel exempta a Præsidatu, quoad reliqua, dum circa subjectam materiam comprehenduntur sub Thesauraria, seu appaltu, ut liquet ex Constitutione Gregorii XIII. cum qua Dohana Patrimonii regulatur, ex iis, quæ in proposito illius Dohanæ pluries habentur *sub dicto tit. de Regalibus*, igitur vocabulum attendendum erat juxta subjectam materiam, & ad effectum, de quo agabatur, non ad diversos.

Dabam in hoc exemplum Provinciæ Marchiæ, ubi adsunt Gubernator, & Thesaurarius; pleraque enim loca, præsertim Civitas Firmana non continentur sub Gubernio, & tamen sunt de Provincia, & veniunt sub Thesaurarie. Prout habemus de Dohana Apuliæ, quæ complectitur totam Apuliam juxta antiquam divisionem Romanorum, & 6
tamen hodie quoad Gubernium Jurisdictionale, ille pars, quæ cadit sub Dohana, divisa est in plures Provincias, seu Præsidatus, potissime in hac facti specie ex duplici circumstantia, quæ id reddebat manifestum, primo scilicet, quia præceptum prædictum ad aliam frumenti speciem referri non poterat, quam ad istam recollectam in tenutis Montis Alti liberæ extractionis, dum pro alio frumento recollecto in reliquis Provinciæ partibus, extractio fieri non poterat nisi prævia licentia, quæ licet, cessante juste causa, concedi debuisset, nihilominus erat petenda, unde opus non erat devenire ad præceptum pœnale, dum sufficiebat licentiam prædictam denegare, & secundo ex subsequenta declaratione Præfecti, & observantia, ideoque istud objectum de plano cessabat.

Quoad secundum, dum venditor erat in limine novæ uberis recollectæ, ob quam pretium in dies notabiliter diminuebatur, atque dicta residualis quantitas, ob Ragionis qualitatem, apta non erat conservationi, ipseque indigebat horreis, ac repositoriis pro frumento dictæ novæ recolle- 7
ctæ, certum est, quod potuit frumentum prædictum, bona fide, & pro tunc reperibili pretio propria auctoritate vendere, firma sibi remanente actione obtinendi reliquum pretium ab emptore, juxta text. expressum *in l. 1. §. licet autem, ff. de periculo & commodo rei venditæ*, ubi agitur in specie de vino, & in terminis tritici, cæteris relatis, Cyriac. *contr. 226. n. 62.* & bene Rota *in Romana grani* cor. Coccino *dec. 219. n. 17. & seq. p. 5. rec.* & sic pariter istud objectum remanebat planum, cum ita doceretur quod utile negotium pro venditore gestum erat.

Insistentia vero major Cameralium erat super tertio ob- 8
jecto, quod pariter, inspecta etiam veritate, relevans non videbatur, quando enim assignatio, seu nomlæ traditio importaret contractum emptionis, & venditionis, tunc dicebam recte cadere firmata in his terminis per Rotam *in Romana grani* coram Cerro *dec. 471. & 479. p. 9. rec.* super actione competente emptori ad interesse adversus venditorem ob grani non traditionem, ex iis quæ habentur *in alia Romana grani pro ejusdem Orphinis, discurs. seq.* & in quibus decisionibus erat totum Cameralium fundamentum.

Verum cessabat dictæ conclusionis applicatio ad factum, 9
quoniam assignatio, seu nomlæ traditio facienda erat de toto frumento recollecto, ut ita Præfectus certificaretur cum consimilibus notulis, quænam frumenti quantitas eo anno recolligeretur, ad effectum determinandi, quantam provisionem pro Annona facere, & an permittere deberet necne extractionem, non autem exinde poterat inferri, quod totum censeretur deductum in contractum, dum neque emptor declaraverat, neque venditor, quid & quantum vendi, & respective emi deberet, attenta potissime ex parte venditoris clara verisimilitudine, ut scilicet extrahere, seu vendere voluerit solum quantitatem exuberantem, non autem eam, quæ proprio usui necessaria erat, sub hujusmodi præceptis regulariter non cadentem ad text. *in l. 2. C. ut nemini liceat in emptione &c. lib.* 10.

Ac etiam quia ut intraret actio ad interesse pretii quanti 10
plurimi, necessaria erat mora dupliciter contrahenda, vel

per

per certi diei determinationem, vel per interpellationem, ex iis quæ in specialibus terminis hujusmodi interesse ob non traditionem frumenti habentur apud Giurb. *observ.* 2. ubi juxta nauseativum stylum longas allegationes retexit, *& bene* Fab. de Ann. *cons.* 95. ubi notabiliter firmatur, venditorem, seu debitorem frumenti convinci non posse de mora ad effectum dicti interesse, nisi emptor, seu creditor probet se paratum in loco ad illius receptionem, illudque emptori innotescat, unde propterea non de facili per certi diei adjectionem intrat mora resultans ipso jure, juxta text. *in l. magnam*, *C. de contrahen. & committen. stipulatione*, quoniam debitor hujusmodi rerum non tenetur accedere ad domum creditoris, prout tenetur debitor pecuniarius, sed potius e converso. Quia tamen non expedit cum Fisco, & Camera contendere, ut in omnibus Principatibus, & Mundi partibus praxis docet, ideo actores acquieverunt concordiæ, quam tamen casus dedit fuisse potius præjudicialem, quam fuisset succumbentia, dum illud creditum a Camera assequendum, defuncto fratre majore, aliis occasionem præbuit reassumendi eundem appaltum, ex quo hujus domus magnum damnum resultavit, juxta deducta *in Romana, seu Viterbien. appaltus, sub tit. de Regal. disc.* 122.

ADNOT. AD DISC. XIV. & XV.

AD materiam istorum discursuum videri poterunt deducta *disc.* 125. *eod. tit. de Regal.*

ROMANA GRANI
PRO FRATRIBUS DE ORPHINIS,
CUM OFFICIO ABUNDANTIÆ CIVITATIS LUCEN.

Casus decisus per Cameram pro Abundantia, postea concordatus.

De obligatione venditoris frumenti, illud statuto tempore non tradentis, ad reficiendum emptori illud majus pretium, pro quo ab aliis emere coactus est, & quando impedimentum dicatur justum, & excusans necne, & cui incumbat onus probandi impedimenti justitiam, vel respectivam injustitiam.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *De venditore frumenti illud in tempore non tradentis, ut teneatur emptori ad quanti interest.*
3 *Venditor frumenti non tenetur asportare frumentum ad locum destinatum, nisi constet emptorem esse promptum ad recipiendum.*
4 *Juste impeditus non dicitur in mora, a qua excusatur.*
5 *Secus si impedimentum sit injustum.*
6 *Ubi duo concurrunt impedimenta, quorum uno sublato, adhuc remaneret alterum, non refert, quod unum sit injustum.*
7 *Cui incumbat onus probandi justitiam, vel respectivæ injustitiam impedimenti.*
8 *Quomodo liquidandum sit isto casu interesse emptoris, & de quibus haberi debeat ratio.*
9 *An ille, cui præstandum est interesse loco rei debitæ, teneatur supplere meliorem qualitatem, quæ præstatur?*

DISC. XV.

1 DE mense Novembris 1647. initus fuit contractus emptionis, & venditionis inter fratres de Orphinis dohanerios patrimonii, & procuratorem officii Abundantiæ Civitatis Lucen. rubrorum mille frumenti pro pretio scut. 13. pro quolibet rubro, quod Orphini venditores tradere promiserunt in Oppido Montalti, liberum ab omni tracta, vel alio impedimento, atque ut vulgo dicitur, *spedito alla vela*, ad omnem emptoris requisitionem, qui teneretur ad totum mensem Februarii illud suscipere, alias ejus periculo stare deberet, & e converso venditoribus non tradentibus, emptori licitum esset ubique consimilem, vel deficientem quantitatem pro quocumque majori reperibili pretio in eorum damnum emere, sub conditione tamen resolutiva, quatenus scilicet per Superiores tractæ non impedirentur; cum autem per Annonæ Præfectum sequestratum esset de facto totum frumentum, quod dicti dohanerii habebant, tam in dicto Oppido Montis Alti, quam in aliis locis Patrimonii, unde propterea statutis temporibus dicta quantitas præstari non potuit, Administratores vero dicti officii Abundantiæ, factis interpellationibus, pro cariori pretio emissent in portu Liburnien. quoddam frumentum gallicum, hinc pro suppletione dictæ deficientis quantitatis jam provisæ, mandatum executivum obtinuerunt contra venditores prædictos a Thesaurario pro tota illa summa, quam importabat differentia inter unum pretium, & alterum, interpositaque per reos appellatione *in Camera coram Franzono*, pro mandati executione resolutum fuit; in repropositione vero habita fuit aliqua difficultas circa excessum, ob meliorem frumenti qualitatem, ac non factam deductionem expensarum, ut infra, quod occasionem præbuit concordiæ, qua mediante controversia finem habuit.

In disputationibus autem habitis in Camera super dubio, *An, & quomodo esset inhibendum*, quod pendebat a justitia, vel injustitia. Scribentes pro actoribus dicebant eorum intentionem fundatam esse in pacto claro, ut in casu deficientiæ licitum esset dicti officii Administratoribus emere ubicumque, & pro quocumque pretio eandem frumenti quantitatem ad ipsorum venditorum damnum, & interesse, unde in claris cessabant quæstiones ad regulam vulgarem, text. *in l. ille, aut ille, ff. de leg.* 3. cujus dispositio locum habet in quibuscumque actibus etiam inter vivos, ut per Rot. *in Romana, seu Florentina cambiorum* 3. *Junii* 1650. *coram Corrada, dec.* 44. *num.* 14. *p.* 11. *recent.* Et nihilominus etiamsi hoc in pactum deductum non esset, adhuc idem ex sola juris dispositione dicendum erat, ut ultra generalia, in specialibus terminis venditoris grani illud 2
statuto tempore, vel loco non tradentis, ut emptori teneatur ad quanti interest, habemus plenas decisiones *in Romana grani coram Cerro, dec.* 471. *&* 489. *p.* 9. *recent.* cum quibus de plano processum fuit.

Scribens pro venditoribus reis conventis non negabam in puncto juris veritatem dictæ propositionis, ut data perfectione contractus, ac etiam mora ex parte venditoris in non adimplendo intret ad favorem emptoris actio ad interesse, competens in quacumque re in contractum deducta, clarius vero in hujusmodi victualibus, ita prudenter anticipare provideri solitis, ob nimiam 3
alterationem, quæ alias de tempore prævisæ, seu formidatæ penuriæ contingere solet.

Et quamvis Scribens tamquam Advocatus deducerem in proposito ad moram excusandam ponderata *in Romana grani cor. Coccino, dec.* 219. *p.* 5. *rec.* quod scilicet dici non potest venditor in mora tradendi, nisi probaretur, emptorem fuisse promptum cum navibus ad frumenti consignationem recipiendam, quoniam non debet venditor tenere frumentum expositum in littore maris, & consequenter exclusa mora non intrat actio ad interesse ea plenissime cumulatis in his terminis per Giurb. *observ.* 1. *post num.* 3. Nihilominus vere isti erant consueti flores Advocatorum ad ornandas scripturas, quoniam consignatio facienda non erat in littore maris, vel in navibus, sed in ipso Oppido juxta casum *in d. alia Romana grani cor. Cerro*, ubi sic distinguendo respondetur ad dictam præcedentem decisionem, in qua consignatio facienda erat in littore maris, ad quod venditor non tenetur asportare frumentum alias ibi periturum, nisi naves ibi sint promptæ ad statim onerandum, & sic magna est differentia inter unum casum, & alterum.

Motivum autem, quod aliquam probabilitatem habere posset, resultabat ex conditione resolutiva bis in apocha conventionis repetita, quatenus scilicet tractæ non impedirentur a Superioribus, ut sequutum fuerat, dum conditionis resolutivæ natura est tollere conventionem ab initio, perinde ac si inita non esset, atque fuisset exceptio solida, quando assisteret factum, sed cessabat, dum ex parte actoris justificabatur, quod impedimentum supervenerat post moram, atque post requisitiones jam factas, illudque motivum fuit causa resolutionum contra venditores.

Quia vero post dictam moram incursam, ac superventum impedimentum, modicum intercesserat spatium, dicebam quod in omnem eventum, ubi etiam suffragari non posset purificatio conditionis resolutivæ, suffragari debebat, ad moram excusandam, impedimentum a Superioribus præstitum, quod speciem casus fortuiti continere videtur, ideoque moræ excusatio ita resultaret a dispositio- 4
ne juris, ex regula, quod juste impeditus dici non potest in mora, ad text. *in l. non videtur, §. Qui jussu*, ubi Dec. & Cagnol. *de reg. jur.* Seraph. *dec.* 919. *nu.* 2. Et in specialibus termi-

fermiola impedimenti resultantia ex sequestro posito de facto per Camerales, ita faciles ad apponendum, ac difficiles ad removendum impedimentum, Penia *dec.* 33. juxta Venetam, alias 37. juxta Lugdun.

5 Adversus hanc exceptionem replicabant Scribentes pro actore, id procedere in impedimento justo, seu etiam injusto de facto, quod casus fortuiti speciem habeat, non autem in eo, quod ex facto, & culpa ipsius impediti resultet, cum tunc ejus culpa sibi nocere debeat, non autem alteri contrahenti, culpam vero deducebant ex eo, quod Camerales sequestrum apposuissent ob prætensiones damnorum, & interesse, quas habebant pro frumento ad formam assignationis non tradito in anno præcedenti, ex iis, quæ habentur *disc. prae.*

Ad evitandum hoc objectum, triplicem debam responsionem, unam scilicet, quod cessaret præsupposita culpa ex eisdem fundamentis, de quibus *in prae.* adeout in hac parte sequestrum, quando ex ista tantum causa appositum fuisset, illud omnino injustum, & ex mera Superioris injuria remaneret, absque dubio excusans impeditum a mora, juxta *d. dec. Penia*; Alteram quod ob magnam penuriam frumenti, quæ in hac Regione habebatur, itaut opus fuerit cum ingenti sumptu vecturarum asportare frumentum a Provincia Marchiæ, ut liquet occasione dictæ asportationis ex deductis *in Spolet. gabella, sub tit. de Regal. disc.* 44. indubitatum erat quod Superiores permissuri non fuissent extractionem frumenti prædicti ex causa Annonæ Urbis, idque erat notorium incontrovertibile, unde propterea, admisso etiam dicto impedimento culposo, illud attendendum non erat, dum eo etiam sublato, remanebat alterum insuperabile.

6 Ubi enim duo concurrunt impedimenta æque principaliter eundem effectum operantia, tunc de uno non curatur, dum eo etiam remoto, vel circumscripto, remanet alterum, Bald. *in l.* 1. *C. de furt.* Felin. *in cap. cum Nuncius*, *n.* 1. *de testib.* Menoch. *cons.* 151. *n.* 31. 152. *n.* 6. & 602. *n.* 4. Surd. *cons.* 118. *nu.* 9. *cons.* 136. *n.* 7. & 137. *n.* 12. potissime dum prima causa impedimenti potius injusta videbatur, unde in concursu duarum causarum, quarum una sit justa, altera injusta, actus indefinite gestus nullam habens causam expressam mittendo voluntatem e potestate, potius ad justam, quam ad injustam referendus est, ex regula etiam, ut in dubio injustitiæ delictum præsumendum non sit.

7 Et tertio demum, quod ubi etiam hæc secunda causa publica cessaret, dum sequestrum nullam habebat causam expressam, onus erat actoris probare, id ex dicta causa culposa provenisse, atq; super hoc fuit magna disputatio, cui scilicet incumberet onus probandi justitiam, vel respective injustitiam impedimenti, quando enim illud contigisset re integra, ante scilicet incursam moram, tunc absolutum videbatur ut onus esset actoris, dum reus jam probatam habebat exceptionem resultantem ex conditione resolutiva adjecta in apocha conventionis, & consequenter actor, qui ad elidendam exceptionem incontinenti probatam, replicabat de culpa, cujus ratione impedimentum provenisset, tenebatur justificare id, quod allegabat pro fundamento suæ replicationis, in quo consistebat turbiditas, verum quia incursa erat mora, unde propterea cesseverat casus conditionis in conventionem deductæ, atque morosus prætendebat se excusare ob superventum impedimentum ad adimplendum id, quod instantanee impleri non poterat, idcirco probabilior videbatur responsio actoris, quod onus esset ipsius rei probare id, quod pro fundamento suæ exceptionis allegabat, dum actor jam fundatam intentionem habebat, unde reus remanebat actor in sua exceptione, & ex his quoad merita negotii principalis, reflectendo ad veritatem, non improbabiles visæ fuerunt resolutiones.

8 Aliquod gravamen, eodem veritatis sensu retento, esse videbatur in excessu dupliciter resultante, primo scilicet quod Judex primæ instantiæ mandatum relaxaverat contra venditores pro toto eo majori pretio, pro quo aliud frumentum loco istius deficientis emptum fuerat in portu Liburn. non detractis expensis de necessitate supportandis, tam ratione vecturæ, quam ratione assecurationis e dicto loco Montis Alti usque ad portum prædictum, cum habens actionem ad interesse, possit solum prætendere præservationem a damno, non autem esse in lucro, ex iis, quæ habentur in *Romana damni infecti pro Costa*, *sub tit. de Servitutib. disc.* 45. ac etiam sæpius *sub tit. de Cambiis*, & sub altero *de usur.* ad materiam interesse.

9 Et secundo ob meliorem frumenti gallici qualitatem augentem de pretio, cum interesse sit ficta suppletio veritatis ideoque ille, cui implementum præstandum est, aliud prætendere non potest, nisi quantum interest illud esse sequutum, & licet quando ex meliori qualitate solum resultat idem effectus, qui ex re præstanda, quamvis deteriori, resultaret, itaut ille, cui implendum est, non dicatur effici locupletior, non curetur de rei subrogatæ meliori qualitate, ut fuit sensus Cenesæ *in d. Romana damni infecti*, *d. tit. de servit. disc.* 44. ubi particulariter de hoc actum fuit; nihilominus in proposita facti specie melior frumenti qualitas diversum producit effectum, adeout resultet locupletatio, nedum ob melioris panis qualitatem pretium augentem, (cum de his penuriæ tempore forsan curari non soleat) sed etiam ob majorem quantitatem; seu pondus, ex quo pretium crescit, atque illud motivum, quod in prima disputatione fuerat neglectum, in altera visum fuit considerabile, unde propterea ob difficultatem capta non fuit resolutio, quod honestæ concordiæ causa fuit.

BONONIEN. EVICTIONIS

PRO CAPITULO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ,

CUM BAVOSIO.

Responsum pro veritate.

An emptor agat ad evictionem, si passus est rem pro minus justo pretio subhastari, vel potius sibi imputandum sit, cur offerendo debitum, subhastationem non impedierit, & quando dicatur adesse læsio considerabilis?

Hæres fidejussorie, an & quando teneatur de evictione?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Hæres fidejussoris an teneatur de evictione?*
3 *De differentia inter hæredem venditoris, & hæredem fidejussoris.*
4 *Etiam in venditionibus sublata læsio regulanda est juxta* l. 2. C. de rescind. vend, *& non sufficit sexta.*
5 *An venditor, & emptor differant in materia læsionis, & quomodo duplum in uno, vel altero regulandum sit?*
6 *Emptor, qui ex ejus culpa patitur evictionem, ad istam non agit.*
7 *Emptor potest prævenire evictionem, solvendo id, quod ab evincente petebatur, a venditore repetendum, sed non tenetur.*
8 *Collusio non præsumitur, sed est probanda.*
9 *Pretium rei evictæ attendendum de tempore evictionis, non autem venditionis.*
10 *Nisi illa esset de recenti, & infra decennium.*

DISC. XVI.

TEgius vendidit prædium Caccialupo, qui illud vendidit Bavosio, contra quem egit Balzanus Tegii primi venditoris creditor in libris 9174. pro sorte, & fructibus cujusdam census, atque obtinuit prædium subhastari, ac delibereri Alamandino fratri ejusdem Bavosii, cui deliberetarius illico illud cessit, adeout de facto Bavosius possessionem semper continuaverit, hisque peractis, idem Bavosius egit contra Caccialupum ad evictionem, pro qua obtinuit condemnari in libris 15400. pro quibus dictum prædium venditum fuerat, unde Caccialupus egit contra hæredes trium fidejussorum Tegii primi venditoris, quorum unus erat Romantius, cujus hæreditas possidebatur a Capitulo, atque sequuta condemnatione in prima instantia, interpositaque appellatione, in hoc statu ex parte Capituli requisitus fui de veritate ad effectum deliberandi, an appellationem prosequi deberet necne, transmittendo plura ingeniosa motiva excitata per ejusdem Capituli Defensores in partibus. 1

Quorum primum erat, quod hæres fidejussoris non teneatur de evictione per text. *in l. final. C. de eviction.* quod singulare, ac notabile dicunt Bart. & Bald. *ibib.* & sequuntur alii, de quibus Surd. *cons.* 114. *nu.* 24. & *seq.* Gratian. *discept.* 281. *nu. fin.* Enrig. *de fidejuss.* §. 10. *c.* 20. *nu.* 70. *cum seqq.* verum circa illud respondi, quod habebam difficultatem, illudque videbatur periculosum, quoniam textus prædictus concedit hæredi fidejussoris, ut, non obstante sui auctoris obligatione, possit ex propria persona, proprioque jure evincere rem venditam, quod juxta veriorem, ac magis receptam sententiam licitum non est hæredi ipsius principatis debito- 2 3

debitoris per tex. *in l. vindicantem*, *ff. de evict.* *& l. cum a matre*, *C. de rei vendic.* Ideoque specialitas consistit in hoc quod liceat ex persona propria, non obstante dicta hæreditaria qualitate, vendicare ipsam rem, quod hæredi principalis venditoris non liceret, id autem non tollit hæredis obligationem ad damna, & interesse ad quæ contra ipsum fidejussorem viventem agi posset, ut clare probat idem tex. ibique Bald. *in summ.* & est omnium sensus, ut advertit idem Enrig. *d. c. 20. n. 70.* dum nulla subest ratio, cur ista obligatio, qua fidejussor vivens afficitur, transire non debeat in hæredem succedentem in universum jus activum, & passivum defuncti, ideoque concludebam, quod in hoc motivo nullum constitui poterat fundamentum.

Alterum erat motivum læsionis, quam Bavosius emptor passus fuerat, permittendo, ut pro inferiori pretio librarum 9000. subhastaretur prædium, quod ab eodem supponebatur esse valoris 15400. pro quanti emerat, sed pariter illud videbatur minus tutum, distinguendo siquidem plures personas, quas dictus Bavosius repræsentabat, unam scilicet deliberatarii, seu ab isto ex cessione causam habentis, & alteram emptoris, qui evictionem passus fuerat, spectata prima persona, non intrabat læsio, quæ juxta opinionem, quam sequitur Rota, & Curia Romana, etiam in venditionibus sub hasta regulanda est juxta terminos text. *in l. 2.*
4 *C. de rescind. vend.* & sic esse debet ultra dimidiam, non curata opinione præsertim Regnicolarum volentium in hujusmodi judicialibus venditionibus sufficere læsionem in sexta, cum Rota nunquam dictam opinionem recipere voluerit, ut apud Cavaler. *dec. 187. & 358.* Buratt. *dec. 675.* *Romana manutentionis 18. Feb. 1656. cor. Albergato* impress. *dec. 138. p. 2. recent. & sæpius*, & licet *in Romana læsionis 12. Junii 1654. cor. Bichio*, relata dicta Regnicolarum opinione, illam amplecti videatur, sæpius tamen eadem Rota declaravit, illum fuisse simplicem discursum extensoris, atque hoc jure passim vivitur, unde cum prædium supponeretur valoris librarum 15400. subhastatio autem facta esset pro libris 9174. non dicitur exinde adesse læsio, quæ ut sit ultra dimidiam, opus est, quod venditio sequuta foret infra libras 7700. cum in venditore non dubitetur attendi debere duplum, soloque controversia sit in emptore, an scilicet istius læsio debeat esse ultra dimidium integri, vel in dimi-
5 dia dimidii, ut liquet ex deductis hinc inde per Rot. *decis. 532. & 580. p. 5. rec.* ex quibus liquet, reprobata opinione *glossæ*, veriorem esse contrariam, ut scilicet idem duplum requisitum in venditore, requiratur etiam in emptore. Potissime autem a venditore allegari non potest læsio adversus emptorem, cui consultum non sit, cum cautela evictionis, cujus carentia minuit absque dubio de pretio, cujus pars ista, vel similes circumstantiæ esse dicantur.

6 Spectata vero altera persona primi emptoris avictionem patientis, motivabant Scribentes de partibus, ita dici posse evictionem sequutam esse ejus culpa, dum poterat, solvendo dictam minorem summam, illam impedire, ideoque non competeret actio evictionis, allegando text. *in leg. fundum meum*, *& l. hoc jure*, *ff. de evict. cum concord. per* Cyriac. *contr. 97. & 197. utrobique n. 1.* Surd. *cons. 15. n. 24. & dec. 208. n. 17.* Rota *dec. 453. n. 11. p. 9. rec.* Sed pariter id minus tutum dicebam, quoniam nullibi jure cautum habetur, emptorem, qui ejus auctori molestias denunciavit, teneri esse sollicitum, ut res contra eum exequuta, & ad hastam posita pro justo, vel injusto pretio vendatur, licet enim posset avictionem prævenire solvendo agenti petitum credi-
7 tum, pro quo exequutio facta erat, itaut sibi competat contra creditorem eadem actio evictionis ad text. *in l. si servus venditus*, *§. Cum igitur*, *ff. de evict. cum concord. per* Fab. de Ann. *cons. 15. dec. 337. p. 5. rec.* & habetur *infra in Romana transactionis*, *seu Sabiani disc. 19.* Nihilominus ad id faciendum non cogitur, neque ex eo quod omiserit, dici potest culposus, adeout sibi deneganda sit actio evictionis tanquam ex ejus culpa sequutæ.

Constituebant quoque iidem Scribentes magnum fundamentum in collusione, ex eo quod Bavosius emptor curaverit prædium emi per Alamandinum fratrem sibi deinde cedentem, sed & hoc pariter videbatur minus tutum, dum collusio, tanquam delictum, in dubio non præsumitur, quamvis conjunctio sanguinis intercederet, nullaque desuper da-
8 batur probatio, ex deductis in his terminis *apud* Royas *dec. 330. n. 9. dec. 179. n. 8. & 9. apud* Posth. *de subhastat. Bonon. prædii 15. Mart. 1660. cor. Bevilaqua*, ubi de materia juris offerendi competentis secundo creditori adversus primum, qui sub alterius simulato nomine emerat, quoniam non probata simulatione, ob istam non præsumendam, ibi contra secundum creditorem decisum fuit, quamvis deinde *a dict. dec. cor. eodem sub die 18. Februarii 1661.* recessum fuerit ob factas probationes, ut de dicta causa habetur *sub tit. de cred. in eadem Bonon. pro Comitissa Zambeccaria*.

Ideoque ubi aliqua saltem adminiculativa probatio daretur hujusmodi collusionis, seu simulationis, licet in stricta juris censura intrare non videantur iidem termini in dicto casu resultantes ex dispositione text. *in l. & qui sub imagine*, *C. de distractione pignorum*, & ex præsumptione, quod ita creditor, potius pignoris conservandi gratia, quam emendi, id facere voluerit, nihilominus ex quadam rationis similitudine, seu ex non scripta æquitate, quam præsertim magna Tribunalia sæpius, egrediendo rigorosos cancellos juris scripti, exercere solent, sperari posse dicebam, quod venditor, seu alter de evictione obligatus, offerendo emptori id, quod solvit, & aliquid etiam plus ratione incommodi, & industriæ, juxta eam considerationem, quæ habetur in practicanda dispositione text. *in l. per diversas*, *vel l. ab Anastasio*, *C. mandati*, exaudiri deberet, super quo tamen certum judicium dari non poterat, cum consistentia in jure non scripto pendeat ab incerto Judicis arbitrio.

Monebam tamen considerari debere injustitiam dictæ 9
sententiæ editæ in prima instantia, cum adesset defectus liquidationis pretii, seu excessus in eo, non per hoc enim, quod prædium emptum fuerat pro lib. 15400. sequebatur ut pro tanti evictio debita esset, cum in proposito attendatur pretium de tempore sequutæ evictionis, sive majus, sive minus esset, itaut intermedium augmentum, vel decrementum emptoris non autem venditoris commodo, vel respective incommodo cedat, ad text. *in l. evicta re 2. ff. de evict.* Franc. *dec. 297. n. 1.* Rota *dec. 260. n. 13. post* Zacch. *de oblig. alias dec. 26. n. 25. p. 10. rec.* Id autem probandum est ab emptore, qui agens liquidare tenetur 10
suum creditum, nisi evictio sequuta esset de recenti, ac infra decennium, intra quod spatium variatio valoris stabilium non præsumitur, unde propterea non probata per venditorem diminutione pretii, emptor recte agit ad illud, quod in contractum deductum est, ut practicatum fuit *in Bonon. prædii 21. Junii 1649. cor. Corrado dec. 330. p. 10. rec.* Et de non præsumenda variatione valoris stabilium infra decennium habetur *in dict. Romana læsionis 12. Junii 1654. coram Bichio*, *Romana officii Notariatus 6. Februarii ejusdem anni cor. Celso inter suas dec. 178.* & in aliis, atque ex his credebam, ut a prosecutione litis potius desistendum esset, procurando aliquam honestam concordiam, ut credo sequutum.

ANNOT. AD DISC. XVI. cum seqq.

Agitur in his discursibus de materia avictionis, de qua pluries alibi actum fuit, & præsertim *sub tit. de feudis disc. 44. 32. & 65. tit. de cred. disc. 71. & hoc eod. tit. de empt. disc. 50.*

Quo vero ad punctum, de quo *disc. 16. n. 4.* super læsione in venditionibus sub hasta, videri poterunt quæ habentur *infra disc. 28. tit. de Judic. disc. 40.* & latius *disc. 54.*

CIVITATIS CASTELLI PRO CAMILLO MAURO, CUM TITIS.

Casus disputatus coram A. C. sub incerto exitu.

An sequuta evictione rei venditæ in parte id illam agi valeat in totum rescindendo contractum, vel potius actio competat ad partem evictam?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De quæstione an evicta parte, agatur ad evictionem in totum?*
3 *Ubi ita conventum est, cessat omnis quæstio.*
4 *Quomodo decidi debeat ista quæstio.*
5 *Ex modernis formulariis solitum est conveniri de evictione in totum, licet sequatur in parte.*
6 *In datione in solutum evictio partis causat actionem ad totum.*
7 *An evicta re data in solutum reviviscant primæva jura, signanter favore dotis?*
8 *Scienss vitium, vel onus rei emptæ non agit ad evictionem.*
9 *Fallit, si accedat expressa promissio, ob quam præstatur*

etiam

rtiam evictio de natura rei.
10 *In dubio censetur quis alienare jus, quod habet in re.*
11 *Ex quantitate pretii desumitur partium voluntas, & quid veniat in contractu.*

D I S C. XVII.

1 Titis pro credito dotali in solutum dantibus auctrici Camilli quædam bona, eisque in parte avictis, atque Camillo ex regressu ad primæva jura pro integro credito agente, introducta causa coram A. C. in disputationibus desuper habitis duo fuerunt puncti. Primo scilicet, an in contractu emptionis, & venditionis, evicta re vendita in parte, præstanda sit evictio in totum, vel potius pro sola parte evicta. Et secundo, posito quod in venditione præstanda sit evictio solum in parte, an stante, quod agebatur de datione in solutum, aliquid speciale desuper caderet.

2 Quatenus pertinet ad primam punctum, quamvis Doctores desuper nimium pugnare videantur, plures adhibendo distinctiones, ea deductis præsertim per Dec. *cons.* 411. *n.* 4. Tiraq. *de tract. lignag.* §. 23. *glos.* 1. *n.* 2. *cum seq.* Mangil. *de evict. q.* 133. Surd. *cons.* 13. *n.* 20. *& seq.* de Marin. *resol.* 108. *lib.* 1. Aliis ponderantibus unicitatem pretii, aliis vero individuitatem consensus, & fortius ubi accedat juramentum, eliisque attendentibus formem conventionis, quia scilicet promissa esset evictio sive in toto, sive in parte, cum aliis, quæ desuper ponderari solent, attamen tam occasione illius causæ, quam plurium aliarum, in quibus frequenter de hoc disputatum fuit, excepto casu, in quo, adsit expressa conventio, ut evictione etiam in parte sequuta agi valeat ad totum, cum tunc intret vulgaris regula text. *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. de qua
3 late Rota *dec.* 44. *p.* 14. *p.* 11. *rec.* ut in claris, & expressis non intrent quæstiones, & argumenta, ista quæstio videtur potius esse facti, quam juris, ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis prudentis Judicis arbitrio decidenda, tanquam in quæstione ambiguæ volon-
4 tatis, ponderando qualitatem bonorum, & an emptor diminute, ac in parte empturus fuisset necne, cum absurdum, ac irrationabile videatur, ut ille qui unam, vel plures res emit unico contractu, ac unico pretio, alias divisim non empturus cogi debeat invitus tenere partem forsan sibi parum gratem, amissa parte meliori, secus autem a converso, ubi bona sunt ita dividua, quod tantam utilitatem importet totum respectu totius, quantam pers respectu partis, & consequenter inanes videntur tot Scribentium dissensiones, cum vere certa generalis regula desuper tradi non valeat, licet moderna formularia Notariorum
5 hujusmodi quæstiones pene extinxerit ob avictionis promissionem, sive in toto, sive in parte, quod tamen in hac facti specie non aderat, sed ut supponebatur, qualitas bonorum erat talis, quod suaderet individuum voluntatis.

6 Magis vero, Scribens pro agente ad evictionem in totum, sive pro regressu ad primævum creditum, insistebam in altero puncto, ob quem pro certo credo, quod ita pro hac parte judicatum fuerit, quod scilicet non ageretur de emptione, & venditione, sed de datione in solutum, in qua Bart. *in l. si quis alium, ff. de solut. n.* 3. per illum text. dicit indistincte competere actionem ad totum, quamvis evictio sequeretur in parte, assignata ratione, quod in datione in solutum dici non poteit sublatam esse priorem actionem. Et cum Bart. transeunt magis communiter Doctores collecti per Fab. de Ann. *collect.* 13. cum quo pertransit de Marin. *d. resolut.* 108. *n.* 2. *lib.* 1.

7 Et quamvis, ubi ageretur de credito indifferenti, ista propositio grevi difficultate apud Menon careat, quoniam ratio essignata per Bartolum, quoties agatur de specie data pro quantitate, & non accedat priorum jurium reservatio, verius videatur priorum jurium reviviscentiam non dari, attamen in hac facti specie omnis difficultas cessabat, dum agebatur de credito dotali in hoc privilegiato, ut detur priorum jurium reviviscentia, ex deductis *sub tit. de dote disc.* 64. *& disc.* 157. *n.* 19.

8 Excipiebant autem rei conventi de dispositione text. *in l. si fundum sciens, C. de evictione* ex eo, quod mulier, cui in solutum datio facta erat, scientiam haberet oneris, vel debiti, pro quo sequuta erat evictio. Verum reputatum non fuit relevans motivum. Tum ob scientiam non bene probatam, cum tamen in præjudicialibus plene, & concludenter illa probanda sit, ex iis, quæ ad satietatem
9 colligunt *addentes ad dec.* 542. *p.* 4. *rec. tom.* 3. *n.* 98. Tum clarius, quia expresse evictio promissa erat, quo casu dispositio dicti text. cessat, eodem modo, quo cessat altera conclusio de non præstando evictionem resultantem a natura rei, ut plene, cæteris relatis, ad limitationem dicti 10
text. *in l. si fundum sciens*, vel dictæ alterius regulæ de non præstando evictionem de natura rei, habetur deductum *in Ariminen. Castrorum sub tit. de feud. disc.* 44.

Et quod magis apud Me concludebat erat quantitas 11
pretii, pro quo datio in solutum facta erat, quod respondebet integro valori bonorum, ac si propria & libere essent; ubi siquidem non agitur de omnimoda evictione rei venditæ, vel datæ in solutum, sed solum de evictione, vel diminutione in parte, quæ sit aliena, vel alteri affecta, tunc nisi valor adæquet, venditor dicere potest se vendidisse solum jus, quod in re habebat, ut in dubio est præsumptio, ad text. *in l. qui tabernas, & l. cum venditores, ff. de contrahen. empt. cum concord.* per Mangil. *de evict. dict. q.* 133. *n.* 7. Cenc. *de cens. quæst.* 20. Greg. *dec.* 225. & Rot. *satis frequenter*, potissime, quia ampla promissio avictionis frequentius resultare solet a formulario Notarii, absque eo, quod partes ad id reflectant, sed ubi pretium est adæquatum toti rei, tunc cessat hæc dubitatio ex recepto principio, de quo Alex. *cons.* 26. *lib.* 4. Gregor. & adden. *dec.* 126. *Romana apothecæ, seu pecuniaria* 8. *Junii* 1654. *&* 25. *Junii* 1655. cor. Bichio, quarum secunda est *dec.* 66. *p.* 12. *rec.* ut ex pretii quantitate desumatur partium intentio, & quid in contractum deductum sit, istudque reputatur optimum argumentum, ut alibi pluries.

ROMANA AROMATARIÆ
PRO ARCHANGELO LORIO, ET SOCIIS CUM CREDITORIBUS EVANGELISTÆ MATTHEJOLI.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus ut infra.

De eadem materia evictionis sequutæ in parte, an præstanda sit in totum, & quid ubi vendita sit aliqua Universitas?.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An evicta parte agatur ad totum?*
3 *Quando intret dicta quæstio, & quando non.*
4 *Taberna mercium importat universitatem.*
5 *Vendita universitate non præstatur evictio singularum rerum.*
6 *In quo consistat Judicantis, vel Consulentis doctrina.*
7 *Venditis nominibus debitorum si meliora, magisque exigibilia deficiant, quid agendum sit.*

D I S C. XVIII.

Vendidit Evangelista Archangelo, & sociis aromatariam cum omnibus mercibus, & instrumentis, ac aviamento, necnon cum nominibus debitorum, seu exigentiis, quæ juxta notulam datam importabat scuta circiter bis mille, cum pacto, ut in valoris æstimatione facienda a peritis, fieri deberet defalcum ad rationem certæ summæ conventæ pro centenario; cum autem effectuato contractu, detectum esset venditorem notabilem summam dictorum nominum debitorum ex melioribus exegisse, hinc emptores, sumpta occasione, curabant recedere a toto contractu, ideoque denegabant etiam solutionem pretii mercium, & instrumentorum. Verum contra eos, hac exceptione rejecta, relaxatum fuit mandatum per A. C. eisque Signaturam adeuntibus pro commissione appellationis, rescriptum fuit eidem, ut iterum audiret, atque ad mentem Signaturæ emptores condemnati fuerunt ad solutionem pretii mercium, & tabernæ, non autem ad illud exigentiarum, a quo absolutoria prodiit, atque ita causa finem habuit. 1

Scribentes hinc inde cum magno labore, ac longo ellegationum apparatu disputabant quæstionem insinuatam *disc. præc.* an scilicet, & quando evicta parte rei venditæ, recedere licet a toto contractu, seu intret evictio in totum, vel solum ea præstanda sit in parte sequuta, deducendo distinctiones *cod. disc. præc.* insinuatas cum auctoritatibus ibi deductis frustra repetendis, atque Ego scribens pro emptoribus videndo, quod Scribentes pro actoribus in ista quæstione (parum judiciose) se introderent, per eandem viam quoque ambulabam, probando, quod ob individuum voluntatis, sive ob unicitatem pretii, ac fortius, quia melior, ac notabilior pars nominum cessorum deficeret, rema- 2

nentibus

nentibus inexigibilibus, vel saltem difficilioris exactionis, quæ sine dubio empta non fuissent, cum in his materiis sterile compensetur cum fertili, ideoque durum, ac iniquum esset, ut acquirens rem consistentem partim ex fertilibus, & partim ex sterilibus, cogi deberet, amissis fertilibus, sola sterilia retinere, ut cæteris relatis advertit præsertim Tiraq. *de retract. lignag.* §. 23. *gl.* 1. n. 24. atque ubi non haberemus auctoritatem, id ad evidentiam doceret humana ratio, ipseque naturalis discursus.

3 Verum reflectendo ad veritatem emptoribus ab initio libere insinuatam, mirabar de dictorum Scribentium simplicitate, quamvis illi opinantes ita se ostendere magnos Jurisconsultos, chartas allegationibus implevissent, cum dicta quæstio omnino extranea esset a casu, illa siquidem cadere potuisset, quando contractus fuisset substantiatus in ipsis nominibus debitorum tantum, principaliter in contractum deductis, quo casu ex dicta ratione probabilius pro emptoribus responderi debuisset, ob verisimiliter absque dubio deficientem animum contrahendi, cessante præsupposito nominum utilium, ac exigibilium, sed non erat ille casus, quoniam venditio principaliter substantiata erat in

4 ipsa taberna, seu aromataria considerata tanquam universitate plurium membrorum complexiva, mercium scilicet, ac instrumentorum, & aviamenti necnon nominum debitorum, sive exigentiarum, ut occasione fructuum recompensativorum pro pretio ad terminos textus in *l. curabit*, *Cod. de act. empt.* advertitur *sub tit. de usur. disc.* 15. & 16.

5 Hoc autem posito resultat, ut in venditione Universitatis, quæ non evincatur, sed solum aliqua deficiant membra, præstanda non sit evictio, sed solum reficiendum sit id quod minus, seu quanti interesset, ad text. *in l.* 2. *ff. de hæred. vel action. vendit.* cum ibi notatis, & cum concordantibus in proposito evictionis præstandæ in venditione feudi, quod universitatem importat, ubi aliqua membra deficiant, *in Neapolit. seu Caputaq. sub tit. de feud. disc.* 32. & *infra disc.* 26. & hic erat casus, unde docemur, doctrinam, ac excellentiam Advocati, seu Consulentis, non consistere in il-

6 lo improbo labore pragmaticis connaturali, consarcinandi conclusiones, ac doctrinas, sed in eligendo modicum, & bonum, quod stricte feriat præcisum casum quæstionis, illamque decidat, cum reliquum dicatur palea sine tritico.

7 Illud vero de justitia dicebam huic parti debitum esse, atque in hoc fuit potissima Signaturæ difficultas, ut attendi non deberet valutatio dictarum exigentiarum facta inter partes, habita ratione bonarum, ac malarum respective, sed stante deficientia notabilis partis bonarum, defalcum deberet esse longe majus cum judicio peritorum, & pro quanti dictæ malæ exigentiæ remanentes de per se valerent, quod idem esse videbatur ac fere nihil, ideoque potius expediebat creditoribus venditoris illas pro se ipsis retinere, quia forte eum majori diligentia plus recuperaretur, adeout quodammodo dictæ absolutoriæ manus dederint, atque dicebam, quod in omnem casum indubitata esset exceptio illiquiditatis, ac incertitudinis, ideoque locus esse non poterat condemnationi.

ROMANA TRANSACTIONIS, SEU SALVIANI PRO DUCE BONELLO CUM HÆREDIBUS MARCHIONIS DE BUBALO.

Casus resolutus per A.C. pro Duce.

1 **An emptor prævenire possit imminentem evictionem transigendo cum evincente, & an pro eo, quod ex dicta causa solvit, agere possit, non solum contra venditorem, sed etiam contra creditores, quibus pretium solutum fuit cum obligatione de restituendo, & quomodo adversus dictos creditores agere possit?**

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Emptor recuperat a venditore ea, quæ solvit, ut evictionem impediret.*
3 *An soluti petat fructus recompensativos?*
4 *Evictio sequuta non dicitur, nisi cum exequutione.*
5 *De materia contributionis inter plures idem interesse habentes.*
6 *Transactio habet speciem rei judicatæ.*
7 *Sufficit citare eum, de cujus principali interesse agitur, & sic ad effectum evictionis sufficit citare venditorem non creditores, a quibus pretium est avocandum.*
8 *Licet emptor non agat ad evictionem sine interpellatione, fallit si constat de clara justitia evictionis.*
9 *Non tenetur emptor repetere volens pretium ob evictionem, servare ordinem creditorum, prout neque creditor anterior ad id tenetur.*

D I S C. XIX.

Cardinalis Alexandrinus emit a Livia Bonella Juliæ Cæsarinæ hærede, pro solvendis ejusdem Juliæ debitis, & legatis, partem tenutæ Salicis pro pretio scutor. 57. mill. quæ soluta fuerant partim creditoribus, partim vero legatariis, qui omnes cum cautione, vel propria obligatione, stante eorum idoneitate succedente loco cautionis, promiserunt restituere emptori in casu evictionis, necnon prioribus, & potioribus creditoribus in forma, inter quos erat Lucretia de Bubalo legataria scutorum quinque millium, cumque his peractis illi de Corbaria prætendentes dictæ tenutæ pertinentiam, prosequerentur litem de tempore dictæ venditionis in Rota jam pendentem, tam contra Cardinalem emptorem, vel Marchionem Chassani ejus interim defuncti hæredem, quam contra eandem Liviam reliquæ partis dictæ tenutæ posseditricem, proditis ad favorem dictorum de Corbaria pluribus decisionibus, Marchio prædictus, ut utile negotium dictæ hæreditati, ejusque creditoribus faceret, curavit cum actoribus se concordare pro scut. 24 mill. & successive eadem Livia pro parte bonorum a se possessorum, se concordavit pro scutis 16. m. Volens autem Marchio, defuncta Livia, ab ejus bonis fideicommisso suppositis dictam summam recuperare, se opponentibus hæredibus fideicommissariis, introducta fuit lis in Rota, in qua duæ prodierunt decisiones Marchioni favorabiles, firmantes, juste illum potuisse imminentem evictionem prævenire mediante concordia, cum qua utile venditoris negotium fecisse, ac prudens consilium pro eo suscepisse dicitur, ut liquet ex ple- 2
nis decisionibus desuper editis *dec.* 337. & 390. *p.* 5. *rec.* in quibus, præsertim prima firmatur conclusio, ut emptor, ita per concordiam evictionem præveniendo, istius actionem habeat pro rata soluta perinde ac si vere eam passus esset, istarumque decisionum auctoritate idem dictum fuit *in Tudertina Census* 10. *Martii* 1664. *coram Taja*, de 3
qua causa habetur actum *sub tit. de census. disc.* 25. super puncto, an pro eo quod emptor ex dicta causa solvit, prætendere possit interusurium, quæ vulgo dicimus fructus recompensativos, perinde ac si ipsa res evicta esset, atque his stantibus, quamplura bona pro dictæ summæ reintegratione Marchio recuperavit, & de quo agitur etiam apud Fabium de Anna *cons.* 15.

Cum autem omnimoda reintegratio sequuta non esset, 4
hinc pro residuali summa consequenda Dux Bonellus dicti Marchionis successor judicium instituit in vim Salviani interdicti ad bona præfatæ Lucretiæ de Bubalo legatariæ, possessa per hæredes Marchionis de Bubalo, & introducta causa coram A. C. probatisque ex parte actoris omnibus Salviani extremis, duæ ex parte reorum conventorum opponebantur exceptiones, super quibus fuit disputatio, una scilicet, quod obligatio dictæ Lucretiæ concepta esset de restituendo acceptam pecuniam in casu succumbentiæ, cum dictione taxativa *tantum*, quæ succumbentia adhuc sequuta non erat, ideoque purificata non erat conditio obligationi adjecta, nil obstante, quod Rota in allegatis decisionibus firmasset emptori licitum esse, non expectata formali evictione, istam cum prudenti consilio, atque cum ipsius venditoris utilitate prævenire, quoniam Scribentes pro reis dicebant id recte procedere contra ipsum venditorem, non autem contra tertium non citatum, neque auditum, cujus respectu obligatio præcise facta in casu succumbentiæ, debet præcise purificari per casum dictæ succumbentiæ, qui sequutus non dicitur, nisi mediante sententia cum subsequuta exequutione, per quos actus, & non prius dicitur sequuta evictio, ad text. *in l. habere licere*, *ff. de evict. cum concordant.* apud Gregor. & Adden. *decis.* 88. Baratt. & Adden. *decis.* 240. Fab. de Ann. *cons.* 15. *num.* 2. *cum seqq.*

Et altera erat exceptio contributionis, quod scilicet contra dictam Lucretiam agi non posset pro repetitione integræ summæ scutor. 5. mil. sibi solutæ, sed proportionaliter, &

pro rata cadente in scutis 24. mil. comparative ad 52. mil. pro quibus emptio facta fuerat, ut ita concordiæ beneficium omnium creditorum commodo cederet, assignando similia de contributo resultan. *ex toto tit. ad leg. Rhodiam de jactu* inter plures habentes merces in eadem navi, quarum partem pro ejusdem navis salute projicere opus fuit, sive
5 contributi inter plures mercium assecuratores, si aliqua pars pereat, vel aliquam summam pro earundem mercium præservatione, seu redemptione solvere oporteat, cum similibus, quæ habemus deducta *in Romana contributionis de Cassiis sub tit. de feud. disc. 89.*

6 Pro actore Scribens, etiam cum sensu veritatis, dicebam neutram exceptionem subsistere: quatenus enim pertinet ad primam, posita dicta vera conclusione, ut evictionis præventio ejus speciem habeat, ejusque actionem legitime producat, ex individualiter firmatis in allegatis decisionibus, sequitur exinde factum dici casum succumbentiæ, quoniam ubi transactio valide, ac bona fide inita est, itaut tertium in ea non intervenientem quoque afficiat, ut in dictis decisionibus firmatum fuit, exinde resultat eam censendam esse sententiam transactam in rem judicatam, cujus speciem continet, ac operationem transactio facit, ad text. *in l. non minorem, C. de transact. cum vulgaribus concord.* unde ita pro illa rata censetur quod per quendam actum occultum sequuta sit succumbentia per rem judicatam exequutioni demandatam, & ideo quemadmodum si vera, & formalis succumbentia, & evictio sequuta esset in toto, diceretur absque dubio factus casus obligationis, ita fortius dicendum in præsenti, cum iniquum, ac irrationabile foret objicere emptori, quod negligendo evictionem in totum, per quam totum pretium repetere, omnesque creditores spoliare poterat, ita eorundem conditionem fecerit meliorem, quoniam esset lapidare pro bonis operibus.

7 Neque alicujus momenti erat objectum omissæ citationis ipsorum creditorum, quoniam in jure receptum est, in quocumque judicio, vel actu sufficere citare eos, quorum principaliter interest, nullam vero subesse necessitatem citandi alios accessorium, & consequutivum interesse habentes, ad text. *in d. l. de unoquoque ff. de re judic.* Cavaler. *dec. 328. num. 2.* Buratt. & Add. *dec. 371.* Otthob. *dec. 169. per tot.* ubi late de judicio recte agitato cum principali debitore ad effectum urgendi fidejussorem etiam non citatum, & habetur deductum *in Conversanen. sub tit. de jurisdict. disc. 2.* atque ita in proposito avocandi pecuniam solutam creditoribus de pretio rei venditæ in casu evictionis, vel molestiarum, passim servat praxis omnium Tribunalium, præsersim vero Congregationis Baronum, ubi hæc materia est frequentior, quoniam sufficit firmari creditum cum principali debitore, ad effectum agendi contra creditores, quibus pretium est solutum cum obligatione de restituendo &c. dictisque creditoribus aliud non suppetit refugium, nisi illud docendi incontinenti de clara injustitia obtinentis, ex qua probatio, vel suspicio collusionis inter ipsum, ac principalem debitorem deducatur, cum tunc, ubi incontinenti de injustitia constat, audiantur, quia injustitia notoriam nullitatem causat, ubi vero juste evictio sequuta, vel præventa est casus est indubitatur, nedum quia creditores utpote secundarium, & consequutivum interesse habentes, de jure in principali judicio citandi non sunt.

8 Sed clarius, quia licet ad effectum actionis de evictione, etiam contra ipsum venditorem necessaria sit litis denunciatio illi facienda, nihilominus in Foro receptum est, quod si de justitia evictionis constat, itaut venditor pulsatus probabilem non habeat exceptionem, cum qua illam impedire potuisset, si emptor ad causæ defensionem vocasset, tunc non obstante denunciationis omissione, eadem actio competit, quoniam eidem venditori objicienti adversus emptorem de omissa interpellatione replicari solet, dicat nunc id, quod interpellatus dicturus fuisset adversus evincentem, ut firmatur in eisdem hujus causæ decisionibus supra allegatis, ac etiam *in Mediolanen. bonorum 6. Junii 1647. cor. Bichio*, & sæpius, quia est propositio in Foro recepta ex magistrali *decis. 49.* Afflicti.

9 Quo vero ad alteram exceptionem contributionis, ultra quod in Foro receptum non est *votum Robusterii*, ut creditor anterior, seu emptor perquirere teneatur ultimum creditorem, sed possit pro libito eligere, & pulsare medios, qui pro eorum relevatione perquirant, & pulsent posteriores, ex deductis per Salgad. *in labyr. p. 3. cap. 14. n. 10. cum seq.* solumque praxis servat, quod Judices, quamvis decernentes mandata contra intermedios, supersedere solent in executione, donec ad istorum pulsatorum instantiam relaxentur mandata contra posteriores, ut ita ab istis unico contextu, ac evitato inani circuitu, anterioris satisfactio sequatur, cum de reliquo, pecunia soluta cum obligatione de restituendo, de jure dicatur extare, ac fingatur esse super banco in una massa, a qua pro libito emptor evictionem in parte passus, ratam suæ reintegrationi necessariam reassumat.

Adhuc cessabat difficultas ex non intrante ratione contributionis, cui solum locus esset, quando æqualis esset omnium creditorum conditio, quia nempe omnes essent chirographarii, seu in gradu, vel privilegio pares, secus autem in præsenti, dum alii erant creditores venditricis ex causa onerosa, & correspectiva; dicta vero Lucretia erat creditrix ex causa lucrativa legati, & consequenter absque dubio postponenda omnibus creditoribus quamvis chirographariis, ac solam personalem habentibus, ad quorum commodum tantum concordia totius evictionis impeditiva redundabat, itaut si emptor servando prætensum contributum, pro ejus reintegratione pulsasset dictos creditores ex causa onerosa pro eorum ratis, isti possent pro reintegratione agere contra hanc creditricem ex causa lucrativa, avocando pecuniam sibi solutam, ideo multo minus intrabat dicta exceptio continens mere inanem circuitum damnatam a regula *dolo facis &c.* & secundum præmissa judicatum fuit, licet Rei conventi non acquiescentes curaverint committi causam appellationis in Rota, ubi pendet, sed credo, quod eam non sint prosequuturi, quia eorum injustitia videtur clara.

ANNOT. AD DISC. XIX.

EMptor potest quidem prævenire evictionem solvendo id quod ab evincente petebatur, a venditore repetendum, sed non tenetur id agere, ut habetur *supra hoc eodem tit. disc. 16. num. 7.*

ALBANEN. PERMUTATIONIS PRO VECCHIS.

Responsum pro veritate.

An ille regressus, qui, evicta re permutata, competit permutanti ad rem suam, cessante hypotheca, sit exercibilis contra tertium bonæ fidei emptorem, seu alias particulari titulo translativo dominii ex causa onerosa rem acquirentem?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Permutanti in casu evictionis datur regressus ad rem propriam.*
3 *Edictum* de his quæ in fraudem, *quando detur contra tertium.*
4 *An conclusio, de qua num. 2. procedat, ubi res transiit ad manus tertii?*
5 *De eodem, & quod affirmative procedat, ubi adest hypotheca.*
6 *Quod æquitas assistat permutanti, ut rem suam vendicet.*
7 *Resignatio beneficii sub certa conditione non abdicat jus a resignante.*
8 *Quod venditor absque reservatione dominii in re sua vincatur a creditoribus anterioribus emptoris.*

DISC. XX.

PErmutatis inter Defendium, & Paulum domibus, cum 1
Defendius, vel ejus hæredes domus a Paulo datæ evictionem passi essent, e converso autem domus a Defendio data per Paulum vendita, seu in solutum data esset ejus creditoribus, hinc pro veritate per dictos hæredes consultus fui, an eis competeret vendicatio propriæ domus a tertio, in quem distractæ erant.

Respondi, quod ubi ea continuaret in dominio permu- 2
tantis, non dubitaretur vindicationem competere jura regressus ad rem suam competentis, ubi rei permutatæ evictio sequuta sit, ad text. *in l. 1. C. de rer. permut.* ubi communiter Scribentes relati per Becc. *conf. 86. n. 8. cum seqq.* Mangill. *de evict. q. 140. n. 5. & q. 141. n. 3.* Surd. *decis. 173. nu. 13. cum seq.* atque tanquam absolutum supponitur apud Franch. *dec. 34.* & alios, de quibus infra.

Difficultatem vero dixi in eo consistere; quod domus 3
prædicta non esset amplius in dominio permutantis, imnasque penes tertium titulo lucrativo, unde propterea locus esset

esset subsidiario edicto *de his, quæ in fraud. creditorum &c.* de quo pluries alibi, præsertim *sub tit. de Regul. disc.* 5. *&* 20. ac etiam *sub tit. de dote, disc.* 156. *&* 158. sed contra tertium possidentem titulo translativo dominii ex causa onerosa, & in statu bonæ fidei quæsito, contra quem ubi cessat remedium hypothecæ anterioris, ut in præsenti cessabat, regula est actionem non competere, juxta dispositionem Tex. *in l. cum precibus, C. de rer. permut.*

4 Super hoc autem puncto, quantum aliquæ diligentiæ tunc adhibitæ concedere potuerunt, non reperii decisionem Rotæ illum examinantem, ac decidentem, ideoque ob regulam Text. *in d. l. cum precibus*, respondi satis dubitare contra requirentes, dum cum eadem regula pertranseant Scribentes, ut antiquioribus relatis apud Franch. *dec.* 34. quæ videtur in materia magistralis, Mangil. *d. quæst.* 140. *num.* 8. Faber *in C. tit. de rer. permutat. diffinit.* 9. Hodiern. ad Surd. *dec.* 173.

5 Et quamvis Boer. *dec.* 112. *nu.* 13. Thomat. *dec.* 134. *nu.* 1. Mangil. *d. quæst.* 140. *nu.* 6. *&* q. 141. *n.* 8. & Gratian. *disc.* 34. *n.* 20. simpliciter dicant, dictum regressum juxta regulam text. *in d. l.* 1. *C. de rer. permut.* competere etiam contra tertium, attamen istæ auctoritates non satisfaciebant, quoniam excepto Boerio, Mangilio, Gratian. & Thomat. unus alium transcribendo, ac more Collectorum potius quam Doctorum, non discurrendo, neque distinguendo casus, vel terminos, cum solita cæca fide pertranseunt cum *d. dec.* 173. Surd. in qua bene id firmatur cum fundamento hypothecæ anterioris exercibilis etiam contra tertium, quamvis ex causa onerosa, ac in statu bonæ fidei sit effectus rei Dominus, sed punctus est, ubi hypotheca anterior deficiat, quod dicti Collectores non expendunt, unde propterea tunc dixi habere difficultatem, neque adhuc occasio præbuit, punctum firmiter disputare, maturumque judicium desuper efformare.

6 Licet enim quædam non scripta, & naturalis æquitas nimium permutanti assistere videatur, ut scilicet rei suæ dominium a se abdicare noluerit, nisi sub conditione adimente alias consensum ab actu, quatenus scilicet cum effectu, ac irrevocabiliter obtineat rem loco propriæ sibi datam, adinstar eorum, quæ frequenter habentur *sub tit. de benefic. disc.* 34. *& seqq. & sub tit. de pension.* præsertim *in Parmen. disc.* 12. de resignante Beneficium ad
7 favorem certæ personæ, sive sub reservatione certæ pensionis, ut resignatio non abdicet jus a resignante, nisi effectum sortiatur conditio, sub qua facta est; nihilominus rigor juris civilis *in d. l. cum precibus* in contrarium urgere videtur, siquidem ubi quis vendit rem suam, habita fide de pretio, adhuc dici potest non habuisse animum a se abdicandi dominium, nisi sub conditione, quod sequatur pretii solutio, & tamen cessante dolo ex
8 parte emptoris, sive non adhibita cautela reservationis dominii rigor legis civilis, naturali quidem rationi nimium repugnans, præfert anteriores creditores emptoris eidem venditori etiam in re propria, ut *hoc tit. disc.* 5. quod quidem asperum videtur, ideoque etiam in casu permutationis adhibenda venit eadem cautela reservationis dominii, ac manuum injectionis ad rem suam, cum ita cesset omnis quæstio.

ANNOT. AD DISC. XX.

Dictum *de his quæ in fraudem*; quando detur contra tertium ultra loca enunciata in præsenti *disc. num.* 3. vide *sub tit. de jud. disc.* 40. *de Cred. disc.* 162. & conferunt deducta *sub tit. de Donat. disc.* 65.

ROMANA TENUTÆ PRO PRINCIPE BURGHESIO, CUM CREDITORIBUS DUCIS DE COMITIBUS.

Casus. *Discursus in congressu.*

Emptore solvente partem pretii creditoribus anterioribus, partem vero ipsi venditori, vel creditoribus posterioribus, an creditores intermedii petere possint immissionem pro indiviso pro rata debitori, vel posterioribus soluta, admittendo tantum in emptore retentionem pro rata soluta anterioribus, vel potius ei liceat retinere totam rem, aut alias consultum eidem esse possit pro assecutione ejus, quod anterioribus solutum est, & generaliter, an, & quando emptor agendo, vel excipiendo utatur juribus creditorum qui cum ejus pecunia soluta in causam pretii dimissi sunt?

SUMMARIUM.

1 *Facti series:*
2 *Emptor, qui partem pretii solvit creditoribus anterioribus, & partem venditori, pro hac rata pati cogitur immissionem creditorum posteriorum pro indiviso.*
3 *Declaratur dicta conclusio, quando procedat, & quomodo recipienda sit.*
4 *De æquitate, ob quam secundus creditor admittetur cum primo ad rem, super qua potest esse utrique consultum.*
5 *Cessionarius repræsentat cedentem in omnibus.*
6 *Creditor, ad cujus instantiam bona debitoris subhastantur, an possit ea emere?*
7 *Emptor, cui res evincitur in toto, vel in parte, seu evictione imminente potest discedere a contractu, illumque habere pro resoluto.*
8 *De alio casu controversia similis.*
9 *Cessio reportata a creditoribus dimissis cum pecunia in causam pretii, est inefficax, & resolvitur in quietantiam.*
10 *An, & quando emptor agendo, vel excipiendo, succedat in locum creditorum, qui cum ejus pecunia sunt dimissi? distinguuntur plures casus.*
11 *Declaratur conclusio, de qua num. 9. & quando cessio suffragetur.*

DISC. XXI.

Empta per Burghesium tenuta Torrechiola a Duce de Comitibus pro pretio scutor. 40. mill. ex quibus pars 1
soluta fuit creditoribus anterioribus, reportata jurium cessione, vel respective cum pacto de subintrando, reliquum vero solutum ipsimet venditori, istius morte sequuta, aliqui ejus creditores prætendere cœperunt sibi competere jus petendi immissionem in Salviano interdicto, seu alio remedio in vim hypothecæ pro rata excedente id quod anterioribus solutum fuerat, cumque ob ejusdem tenutæ diminutum pretium, aliasque circumstantias, Burghesio possessori ad repellendas hujusmodi molestias sufficeret posse objicere de retentione pro sola rata anterioribus soluta, itaut donec illa ei offerretur, molestari non posset, hinc proinde convocato desuper ejus Advocatorum congressu, prævisis etiam, juxta laudabilem stylum, discursibus in scriptis pro veritate, ceteri seniores desperatum opus id reputabant ob speciales decisiones Cavalér. 652. *dec.* 455. *post* Cenc. *dec.*
135. *p.* 6. *rec. n.* 12. *cum seq. quæ est repetita post eundem* Cenc. 2
decis. 559. *decis.* 318. *nu.* 26. *cum seqq. eadem par.* 6. *dec.* 39. *p.* 10. *Romana plateatici* 12. *Junii* 1656. *coram Bevilaqua, & in aliis*, quod scilicet cum pretium præsumatur justum, neque idem emptor ejus injustitiam allegare valeat, exinde resultat, quod firmato rei valore, dum jura anteriora, de quibus emptor excipere potest, absorbent solum partem, & non totum, idcirco debet in reliquo pati immissionem pro indiviso, quod etiam firmat Merlin. *de pignor. lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 44. *n.* 17. *&* 24. atque ita dicebant in Curia passim usu receptum esse.

Diversa erat mea sententia, siquidem dictam conclusionem procedere dicebam, quoties emptor intendit perseverare in contractu, atque adhuc emptoris personam gerere, rem emptam jure dominii ad limites contractus
retinendo, tunc enim, quia non docto de læsione, pre- 3
tium præsumitur justum, & si quod postmodum contigisset decrementum, illud deberet esse suum, eodem modo, quo esset augmentum tanquam sequela dominii, *ut toto tit. ff. & Cod. de pericul. & commodo rei venditæ*, hinc proinde intrat ratio dictæ conclusionis, quod ita commode remanet utrinque consultum, cuilibet pro ejus rata, quod est dictarum decisionum fundamentum.

Secus autem ubi emptor, cui ex facto, & culpa venditoris asserentis rem liberam, violatur fides, atque non conceditur jus perseverandi in contractu, eo modo, quo ipse contrahere in animo habuit, unde propterea recedendo a contractu, atque emptoris personam exuendo, velit induere diversam personam creditoris ex juribus cessis, & tanquam diversus homo repræsentans creditores anteriores, quorum jura obtinet, tunc enim quemadmodum dicti creditores, si

satisfacti non essent, atque rem sibi hypothecatam possiderent, illam, vel retinere possent donec de eorum credito satisfacti essent, præsertim ubi non est dividua, itaut intret
4 æquitas, de qua in allegatis decisionibus, & apud Burait. *decis.* 440. vel prosequendo judicium executivum pro sui crediti assequutione obtinere posset rem exequi, & subhastari pro quanti vendi potest, ad effectum ut ex pretio eis prius satisfiat, & id quod superest remaneat solum posterioribus, ita idem peti potest per cessionarium, qui succedit
5 in universum locum, gradum, & jus cedentis, ejusque personam in omnibus repræsentat, ad Teat. *in l. emptor. Cod. de hered. vel action. vendita*, *cum concordan.* per. Caput. Latr. *dec.* 16. *n.* 4. Rota *decis.* 187. post Zacch. *de obligat.* & *passim*, atque cum hac secunda via videbatur obtineri intentum, dum ob diminutum valorem, ac etiam ob temporum contingentias, tentatam subhastando, vix repertus fuisset oblator, qui cum pecunia numerata excederet summam cadentem sub dictis creditis anterioribus sibi emptori competentibus, ac propterea idam, ita diversam personam repræsentando, dictoque priori titulo, seu contractu resoluto, tanquam extraneus licitator eandem rem obtinere poterat, atque sibi ipsi satisfacere, quod hodie receptissimum est fieri posse, ut scilicet idem creditor, ad cujus instantiam fit subhastatio, publice, palam, & bona fide tanquam ter-
6 tius, ac extraneus licitator sub hasta emere possit bona, quæ venduntur ad ejus instantiam tanquam creditoris, ne ipse sit deterioris conditionis quocumque alio extraneo de mundo, Ita enim cessat ratio fraudis, cui innititur Teatus *in l.* & *qui sub Imagine*, *C. de distract. pignor.* cujus dispositio locum habet, ubi captiose, & fraudolenter creditor pignus sibi ipsi vendere velit, ut ita distinguendo cæteris relatis plene habetur *in Bonon. prædii* 15. *Martii* 1660. & 18. *Februarii* 1661. *cor. Bevilaqua*, de qua habetur actum *infra*, *disc.* 31. *pro Zambeccaria*, occasione agendi de articulo juris offerendi competentis necne, creditori posteriori adversus anteriorem, qui sub hasta rem debitoris emerat.

7 De jure autem certum dicebam, quod ubi imminet evictio, atque cessat observantia contractus eo modo, quo emptor illum facere in animo habuit, habere potest contractum pro resoluto ex deficiente præsupposito, cum quo ille initus est, atque ob individuum tam rei, quam voluntatis contractum resolvere, multo magis accedente juramento, ex deductis per Surd. *cons.* 13. *num.* 20. *cum seqq.* Mangil. *de eviction. quæst.* 133. *num.* 5. de Marin. *resol.* 108. *num.* 2. *lib.* 1. plene Rota *dec.* 709. *n.* 3. *cum seq. par.* 1. *divers.* licet enim volens, habeat etiam actionem evictionis, vel pro liberatione a molestiis, attamen hoc utpote inductum ad ejus favorem non tollit dictam alteram facultatem recedendi a contractu, illumque habendi pro resoluto, & consequenter eo sublato, atque cessata persona emptoris, cessat ratio, cui dictæ decisiones innituntur, dum emptor creditorum anteriorum personam ita repræsentare dicitur. Defuit tamen occasio, id in judicio disputandi, dum ex ejusdem emptoris consilio, & ope, creditores dictas molestias jactantes, ad alia bona ejus actiones dirigere curarunt.

8 Post aliquod vero intervallum, super hac eadem materia consultus *in una Januen. Salviani* ex parte N. Cataneî Principis S. Nicandri, qui eodem modo molestabatur super domo empta a Carolo Pallavicino, tum creditores ex consilio etiam Advocatorum hujus Curiæ innitterentur *dictæ decisioni* 652. Cavaler. *cum aliis supra allegatis*, dedi eandem cautelam, de qua ejus Advocati in partibus dubitabant, ob inefficaciam cessionis reportatæ a creditoribus anterioribus cum emptoris pecunia in causam pretii soluta, dimissis, quasi quod cessio reportata de pretio spe-
9 ctante ad debitorem, ratione incompatibilitatis, sonaret in quietantiam *juxta decis.* 68. Gregor. cum aliis per Adden. ad eum *decis.* 75. ac successive, quod jura dictorum creditorum utpote jam extincta, non possent amplius reviviscere, involvendo etiam in idem ea, quæ generaliter habentur in quocumque mutuante, vel alio, de cujus pecunia creditores anteriores dimissi sunt, an scilicet, & quando, agendo, vel excipiendo, juribus dictorum creditorum tueri valeant, hoc proinde reassumendo ea, quæ latius acta habentur in sua materia *sub titul. de credit.* præsertim *disc.* 1. *cum pluribus sequentibus*, omissis aliis casibus secundi creditoris, vel extranei non emptoris, neque possessoris, quos recenset Carleval. *de judiciis*, *to.* 2. *disput.* 35. *a num.* 1. *ad* 18.

Quatenus stricte pertinet ad emptorem, de cujus pecunia in causam pretii soluta, creditores dimissi sunt, an scilicet eorum loco succedat, plures casus distinguendos esse
observabam, quorum primus est, ubi emptor simpliciter 10
ac libere solvit pretium venditori, in cujus liberum dominium, liberamque dispositionem illud transit, itaut in quoscumque alios sibi bene visos usus eam erogare valeat, ipse autem eligat solvere creditoribus, & tunc emptor, neque agendo, neque excipiendo, succedit in locum, & jura creditorum, quoniam ita istorum dimissio sequuta non est ex ejus providentia, dum animum non habuit, ut pignus dissolveretur, sed potius a casu id sequutum est, & cum pecunia propria venditoris, de cujus dominio, ac libera dispositione jam effecta erat, ut bene a Pont. *consil.* 87. *lib.* 2. quod apud modemiores reputatur in materia magistrale, & sequuntur Merlin. *de pignor. lib.* 4. *tit.* 2. *q.* 44. *n.* 27. Carleval. *disput.* 35. *num.* 13. Amat. *resolut.* 7. *n.* 46. & *seq.* Quod generaliter procedit in quocumque mutuante, seu alias dante pecuniam, cum qua id sequatur, ut sequendo *dictum cons. a Pont. firmat* Rota *decis.* 324. *num.* 22. *cum sequen. par.* 9. *rec. repetit. dec.* 93. post Merlin. *de pignor. n.* 11. & 12. & latius *in Romana Salviani* 6. *Februarii* 1665. *cor.* Albergato, & 29. *Novembris* 1666. *cor.* Carpinea, in qua Scribens pro secundo creditore succumbente, non negabam Theoricam, sed bene applicationem ad casum, ex deductis *in dicta causa sub tit. de cred. disc.* 1.

Alter casus est, ubi emptor, sollicitus quidem est, ac paciscitur pecuniam ab ipso in causam pretii solvendam, erogari debere in extinctionem æris alieni, negligit vero pacisci de cessione jurium, sive de subintrando in locum creditorum dimittendorum cum sua pecunia, & tunc dum solum in animo habuit dissolvendi pignus, atque rem emptam a creditorum hypothecis liberandi, neque ulterius progressus est, intrat distinctio passim recepta, de qua a Pont. *d. cons.* 87. Rota *d. dec.* 135. *part.* 6. *rec.* & *in allegata Romana Salviani coram Albergato*, & *Carpinea*, Adden. ad Burait. *decis.* 440. & *passim*, quod scilicet possit emptor se tueri juribus dictorum creditorum adversus posteriores in possessione ipsius rei, in qua reperiatur, excipiendo, non autem agendo exercere jura, & rationes iisdem creditoribus alias competentes, atque tam isto, quam præcedenti casu, recte intrat superius insinuata propositio, de qua Greg. & Adden. *decis.* 68. & 77. Adden. ad Burait. *d. decis.* 440. *d. dec.* 135. *p.* 6. & *frequent.* ut quæcumque cessio deinde reportata a dictis creditoribus, ratione incompatibilitatis, resolvatur in quietantiam, ex eo quod solutio facta dicatur de pecunia, & bonis debitoris.

Tertius casus est, ubi emptor, non tanquam emptor, sed tanquam tertius, ante, vel post emptionem, nulla præcedente conventione cum venditore, atque cum alia pecunia quam debita in causam pretii, per viam translativæ cessionis acquirit credita, & jura adversus venditorem, & tunc dum ipse efficitur rei hypothecatæ Dominus, atque evadit ipsius venditoris debitor ex causa pretii per ipsum non soluti, sed ita, vel compensati, vel retenti, intrat quæstio, de qua discurrit Carleval. *d. disp.* 35. *nu.* 21. *in fine*, & Rota *d. decis.* 135. *par.* 6. *rec.* alias 559. post Cenc. *num.* 18. *cum seq.* an scilicet censeatur illico juris Ministerio facta compensatio, & an in casu evictionis, ac molestiarum dicta jura reviviscant necne, super quo tamen casu, utpote plures habente inspectiones, neque de facili certam uniformem determinationem recipiente, utpote pendentem a singulorum casuum particularibus circumstantiis, cum esset a casu controversiæ extraneus, inhærendo laudabili Curiæ stylo abhorrenti superfluas evagationes, nihil determinandum duxi, dicta relatione contentus.

Quartus demum erat casus præcisus controversiæ, ubi scilicet emptor ea pacto legem expressam adjicit, ut reportare debeat cessionem a creditoribus cum ejus pecunia dimittendis, eis; in eorum loco subintrare, unde in conventionis executionem, dicti creditores recipiendo pecuniam, jura
cedunt, seu etiam non facta cessione, adhuc viget pactum de 11
subintrando, & tunc non intrat dicta propositio, de qua Greg. & Adden. *dec.* 68. & 77. *cum aliis allegatis*, ut scilicet ratione incompatibilitatis, cessio sonet solum in quietantiam utpote reportatam de bonis debitoris, quoniam vere reportari dicitur de pecunia, & bonis emptoris, ab initio talem legem adjicientis, unde propterea, sequente casu evictionis, seu molestiarum, cogatur ut supra emptoris personam exuere, quoniam tunc consideratur tanquam tertius, atque recte intrare potest cautela desuper tradita, ut plene, cæteris allegatis, firmatur per Rotam *in Perusina coram Ubaldo impress.* post Giban. *ad statut. Perus. dec.* 112. & 113. & sequuta est in *Melevitana pecuniaria* 10. *Februarii* 1653. *coram*

Mel-

Meltio, atque isto casu non intrat conclusio, de qua Cavaler. *d. dec.* 652. *cum supra allegatis*, ista videtur germana distinctio.

ANNOT. AD DISC. XXI.

SUper illa immissione pro indiviso, de qua agitur in præsenti discursu, *nu.* 2. *& seq.* defuit occasio alibi disputandi, & solum remissive ad illum discursum habetur *sub tit. de Tutor. disc.* 10. Ea vero quæ concernunt subintrantiam in locum dimissi creditoris, habentur in sua sede *sub tit. de cred. disc.* 1. *cum seqq. & disc.* 32. *n.* 18. ubi in specie emptoris, & in *eod. tit. de cred. disc.* 168.

ANCONITANA
PRO BLASIO BONVINO,
CUM QUARENGO.

Responsum pro veritate.

An emptor se tueri possit juribus ejus, qui in contractu venditionis intervenit, atque consensum præbet, præsertim cum juribus dotalibus uxoris venditoris, si ea intervenit?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Quid operetur consensus mulieris in venditione facta per virum.*
3 *De eodem, ac declarantur quædam decisiones.*
4 *Datur distinctio super eadem declaratione.*
5 *Creditor dicitur procurator sui debitoris, & deducere potest omnia ejus jura.*
6 *Si mulier, & vir vendunt, totum pretium præsumitur pervenisse ad manus viri.*
7 *Pro credito non possunt esse affecta bona nisi ad ratam.*
8 *Emptor utitur juribus mulieris, si ejus interventus est validus.*
9 *De eodem, de quo n. 7.*
10 *De modernorum errore in modo studendi, & quare de facili incidatur in æquivoca.*

D I S C. XXII.

1 QUarengo creditor ejus, qui bona vendiderat Blasio,
istum in interdicto Salviani, seu alio judicio rei
persecutorio in vim hypothecæ pulsante, cum possessor ex-
ciperet de juribus dotalibus anterioribus uxoris venditoris,
quæ in contractu venditionis intervenerat, replicabant
Scribentes pro creditore, quod emptori dictus interventus
suffragaretur solum, ut molestari non posset ab ipsa mu-
2 liere pro hypotheca dotali, quæ per hujusmodi interven-
tum remissa censetur justa dispositionem textus *in l. fin.*
C. de remissione pignoris, non autem ut ipsis juribus do-
talibus tueri posset ad repellendos alios creditores hypo-
thecarios venditoris, deducendo punctuales decisiones id
firmantes *in Tiburtina Salviani* 8. *Junii* 1646. *&* 7. *Ju-*
nii 1649. *cor. Cerro*, *&* 5. *Decembris* 1650. *cor. Verospio*,
quare desuper pro parte dicti Blasii pro veritate consulus,
ad effectum deliberandi, an expediret se tueri, vel po-
tius concordiam amplecti?

3 Inhærendo iis, quæ super hoc articulo in eadem in-
dividuali causa *Tiburtina* jam deduxeram, impugnando
dictas decisiones, ut in sua materia *sub tit. de dote disc.*
85. cum supponeretur in facto (quamvis transmissum non
esset instrumentum) quod interventus mulieris non fuis-
set pro simplici consensu, sed quod æque principaliter, &
in solidum ipsa cum viro vendidisset, ac evictionem pro-
4 misisset, respondi, quod ex isto capite emptor probabili-
ter tutus esset, quoniam, ut distinguendo advertitur *in*
supra allegat. disc. 85. *de dote*, aliud est ubi mulier, vel
alter in venditione rei intervenit præstando simpliciter
consensum, aliud vero ubi gerit personam venditoris æque
principalis, atque ita se obligat de evictione; primo enim
casu recte procedit dicta propositio, secus autem in secun-
do, in quo cum alter interveniens, quamvis non Domi-
nus, tanquam fidejussor, vel tanquam correus, efficiatur
in casu evictionis, ac molestiarum ejus creditor, hinc exer-
cere potest, tam agendo, quam excipiendo omnia jura
ejus debitori competentia, dum ejus procurator dicitur,
ad tex. *in l. si pignori*, *ff. famil. ercisc.* Gratian. *discept.*
507. *nu.* 2. *cum seqq.* Gait. *de credito*, *c.* 4. *in appendic.*
n. 138. Franc. *dec.* 545. *n.* 2. Rovit. *dec.* 29. *n.* 4. Rota,
dec. 7. *num.* 13. *par.* 9. *rec*
5 Et quamvis ita mulieri fidejussoris personam facienti,

præclusa non sit actio petendi a viro repetitionem dotis,
quamvis in instrumento venditionis ambo confiterentur re-
cipere pretium, quod, non docto per veritatem de con-
trario, totum pervenisse præsumitur ad virum, ex aucto-
ritatibus deductis in supra allegatis *decisionibus editis in* 6
Tiburtina Salviani, ac proinde resultaret inconveniens
in præjudicium creditorum, quod pro eodem credito du-
plicata bona affecta remanerent.

Attamen in hoc advertebam versari æquivocum, quo- 7
niam, ubi mulier intervenit tanquam principalis correa,
atque supponimus obligationem validam, tunc si emptor
utitur juribus dotalibus, ista jam consumpta remanent pro
rata bonorum emptorum, seu pro rata, qua emptor tan-
quam mulieris procurator utitur ejus juribus, ipsi autem
mulieri remanet solum actio indemnitatis, seu releva-
tionis contra virum, eodem modo, quo cuilibet fidejus-
sori, ex tempore tamen præstitæ fidejussionis, unde non
dicitur amplius creditum dotale, sed potius creditum in-
demnitatis.

Difficultatem vero considerabilem potius dixi esse alte- 8
ram, ob quam requirenti consului, ut eo quo posset modo
concordiam procuraret, quod sc. mulieris obligatio præ-
tendi poterat nulla, tum ob non servatam formam in mu-
lierum obligationibus in ea Provincia ab Ægidiana, seu
verius Carpensi Constitutione præscriptam, tum fortius
quoniam ita mulier indotata remaneret, cum credita an-
teriora dictæ actioni indemnitatis resultanti ab isto con-
tractu venditionis, totum absorberent, ideoque intraret,
saltem pro medietate, etiam de jure communi, illa nul-
litas, de qua apud Thesaur. *dec.* 23. Martin. Andr. *dec.*
79. & frequenter in sua materia *sub tit. de dote*.

Et consequenter jus emptoris corruebat potius ex fa- 9
cto, quam ex jure, quoniam mulier pro ejus dotibus ad
repellendos istum, ac alios creditores jam obtinuerat as-
securari in aliis viri bonis, quæ possidebat, ac super eis
creditores excludebat, unde propterea pernecesse credito-
ribus consultum esse debebat in una, vel altera bonorum
specie, cum idem creditum duplicari non possit, neque
pro eo, quod (e. g.) sit scutorum mille, tueri bona va-
loris scutorum bis mille, atque in hoc motivo, ex parte
creditoris non deducto, magis residere dixi difficultatem,
quam in altero, in quo solum, ac principaliter insisteba-
tur, cum fundamento dictarum decisionum, quæ vere
(præsupposita valida evictionis obligatione) nullam ha-
bent subsistentiam.

Id autem frequentius hodie contingit ex eo, quod Pro- 10
fessores ordinate non incumbunt studiis theoricæ in scho-
lis, sed, vix auditis primis institutionum rudimentis in
compendio, praxim aggrediuntur apud Procuratores, vel
Advocatos, atque assumendo studium recentium decisio-
num, totam scientiam constituunt in repertoriis, ideoque
ignorant bene eligere motiva, atque de facili in æqui-
voca incidunt, unde propterea mea est dicendi consuetu-
do, quod hodiernum studium est adinstar eorum, qui vo-
lentes ædificare domum ad habitandum, ædificium inci-
piunt prius a tecto, ac provisione trabium, & imbricum,
seu tegularum, non curatis fundamentis.

ANNOT. AD DISC. XXII.

DE operatione consensus mulieris in venditione facta per virum ultra enunciatum *disc.* 85. *de dote* habetur etiam *disc.* 40. *de cred.*

SUTRINA CENSUS
PRO HIERONYMO BUTIO,
CUM N. CANONICO ECCLESIÆ RONCILIONIS.

Casus resolutus per A. C. pro Canonico.

Obligatio emptoris ad favorem creditorum venditoris ob census, seu debita in se accollata in partem pretii, an duret, vel potius resolvatur sequuta rei emptæ evictione?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Obligatio emptoris de solvendis debitis venditoris in parte pretii, seu accollationis censuum, resolvitur, evicta re empta, & num.* 8.

3 *Fallit, ubi accedit delegatio favore tertii.*
4 *Impugnatur fallentia.*
5 *Quando exceptiones, quæ obstant cedenti, obstent etiam cessionario.*
6 *Enarratur casus, de quo agit* Roman. conf. 87. *auctor conclusionis, de qua n. 3.*
7 *Declaratur quando procedat conclusio, ut exceptiones competentes contra cedentem non obstent cessionario.*
8 *De eadem conclusione, de qua n. 2.*
9 *De ejusdem conclusionis limitatione, ubi cessatio causæ debendi est voluntaria, & culposa.*
10 *Census consignativus, an dicatur onus reale, & intrinsecum rei censitæ, & quid importet?*
11 *Ponderatur differentia inter simplicis crediti accollationem, ac illam censuum ad effectum delegationis.*

D I S C. XXIII.

1 Hieronymus emit vineam, atque in partem pretii in se accollavit quendam censum consignativum super eadem vinea impositum, cumque per mortem venditoris gravati fideicommisso per ejus patrem ordinato, pia Societas Rosarii substituta, vineam prædictam evicisset tanquam fideicommissariam, hinc destitit Hieronymus ab ulteriori solutione fructuum dicti census, quos creditor exegit a fidejussore, per quem post plurium annorum decursum, cessis juribus creditoris, institutum fuit judicium cor. A. C. qui mandatum relaxavit, sed Signatura ob injustitiam, vel saltem turbiditatem commisit causam appellationis cum clausula translativa, *si quid exequendum*, incertumque est quid postea sequutum sit.

Justitia vero, vel injustitia (reflectendo ad veritatem) pro meo judicio pendebat a justitia evictionis; si enim hæc injuste sequuta erat, ut actor prætendebat, stante quod alienatio, non obstante fideicommisso, licite fieri potuerit in causam detractionum gravato ratione legitimæ, & dotium maternarum competentium, juxta notata *in l. Marcellus, ff. ad Trebell.* Et tunc irrelevans erat rei conventi exceptio, dum ita culpose evictionem passus fuerat, non deducendo dictam exceptionem, vel saltem non denunciando molestias ipsi creditori, qui eum cum eadem exceptione defendere potuisset, atque evictionem impedire, nam alias de facili fraudibus, & collusionibus in tertii præjudicium aditus aperiri posset, si vero in facto justificaretur præsuppositum præcedentis consumptionis detractionum cum aliis alienationibus, & tunc injustum remanebat decretum Judicis a quo.

2 Ex vera, & recepta juris propositione, ut obligatio emptoris ad favorem creditorum venditoris, ac pro debitis, quæ in partem pretii in se accollavit, utpote occasionalis, seu causativa, cessante causa sine ejus culpa, & facto voluntario, resolvatur, ac cesset ob implicitam conditionem de futuro, quam obligatio habere dicitur, quatenus sc. duret causa debendi, Tiraquell. *in tract. cessante causa, p. 1. n.* 224. Decius *conf.* 421. *n.* 14. *in fin.* & ex aliis habetur ap. Amat. *resol.* 21. & per Rotam *dec.* 428. *p.* 1. *rec.* quæ est solemnis decisio reputata in materia magistralis sæpius canonizata, præsertim in specialibus terminis accollationis census *in Bonon. pecuniaria* 22. *Aprilis*, & 5. *Maji* 1633. *cor. Ghislerio*, & *in Bonon. census* 4. *Februarii* 1654. *cor. Meltio*, & habetur pluries deductum *sub tit. de regal.* ad materiam officiorum in proposito obligationis incumbentis Officialibus solvendi debita non propria, sed officii, seu prædecessorum *disc.* 8. & 9.

Et his stantibus, Scribens pro emptore, qui in prima instantia succubuit, ponderabam (reflectendo ad veritatem) quod decretum contra ipsum editum redargui forte non poterat de injustitia, dum non justificabatur præsupposita præcedens consumptio detractionum, qua cessante, alienatio, non obstante fideicommisso, recte sequuta erat, & consequenter injuste sequuta evictio, quæ propriæ culpæ tribuenda videbatur, non denunciando litem venditori, vel accollatario, qui passus non esset evictionem sequi ob validam alienationem in dictam causam detractionum factam, licet hic punctus quoad emptorem redundaret in idem, quia posita dicta injustitia evictionis, regredi poterat ad rem emptam, quam magis habere expediebat, unde propterea causæ effectus magis dictam Societatem fideicommissariam, quam emptorem respiciebat, totumque pendebat a facto, ut supra.

Occasione autem hujusmodi disputationis, Scribentes pro actore, quibus Judex adhærebat, ultro progredientes dicebant, quod ubi etiam ex justificationibus per dictam Societatem faciendis super dicta præcedenti consumptione detractionum, constaret de justitia evictionis, adhuc tamen cessata non dicebatur obligatio emptoris ob formalem delegationem, per quam exceptiones, quæ obstant cedenti, non obstant cessionario, sed emptor, qui corre- 3
spective alienum debitum pure, ac absque reservatione fecit proprium, sibi imputet, atque pro ejus relevatione agat contra venditorem, allegando in id Fab. *in C. tit. de locato, diffin.* 52. Cyriac. *contr.* 214. & magis præcise Merlin. *contr.* 91. *lib.* 1. ubi ex dispositione textus *in l. doli* 19. *ff. de novat. & auctoritate* Roman. *conf.* 87. contra emptorem ita concludit.

Verum, cum sensu etiam veritatis dicebam, hujusmo- 4
di motivum non subsistere, atque firmata *per Merlin.* (licet ex continuata judicatura postmodum doctus, ac eruditus effectus esset) tunc satis juvenem, esse immatura, & indigesta ob incongruam applicationem *textus prædicti*, ac auctoritatum, quibus ipse innititur.

Antiqua etenim quæstio est, an exceptiones, quæ ob- 5
stant cedenti, obstent etiam cessionario *ad notat. per Scribentes in l. apud Celsum, §. sed cum legitima, & §. & cum de auctoris, ff. de except. doli, & l. doli mali, §. diversam, ff. de novat. cum concord.* per Gress. *de except. c.* 16. *n.* 37. *& seq.* Thesaur. *dec.* 221. Gregor. *dec.* 121. apud quos habetur regula affirmativa.

Limitatur ista regula, quando non agitur de simplici 6
cessione, sed intercessit etiam delegatio, tunc enim exceptio, puta compensationis, vel indebiti, seu Macedoniani, aut Vellejani, vel similia, quæ per debitorem cessum opponi posset contra cedentem, opponi non potest adversus cessionarium ex deductis per Thes. *d. dec.* 221. *n. fin.* & Cyriac. *contr.* 214. *n.* 6. *ex auctoritate* Romani *conf.* 87. quæ in materia est originalis, cujus casus est, quod, cum quidam Frater Ventura Ordinis Minorum prætenderet sibi deberi annuam vitalitiam præstationem a Bertoccio, hoc jus, seu nomen vendidit Petro Dominico, quem Bertoccius in creditorem recognovit, ideoque *Romanus* respondet, quod exceptio incapacitatis, cum qua debitor cessus repellere potuisset cedentem, allegari non poterat adversus cessionarium capacem, ex quatuor rationibus, quarum nulla in præsenti controversia ad rem faciebat, prima enim, & secunda sonantes in idem, sunt, quod si Ego sciens habere aliquam exceptionem, eaque non obstante patior, creditorem nomen meum cedere alteri, cui consensum accommodo, dicor tali exceptioni renunciare, illamque remittere, tertia ratio melior est, quia illa erat exceptio personalis, non percutiens substantiam debiti, sed incapacitatem personæ, & quarta, quod agebatur de promissione indebiti scienter, quæ obligat, quia scienti, & volenti non fit injuria, unde in suo casu Romanus bene consuluit.

Verum in hac facti specie non intrant isti termini, quos cum æquivoco manifesto ad suum casum adaptavit Merl. *d. contr.* 91. qui constituit potissimum fundamentum in auctoritate Cujacii, cujus verba registrat, sed ex eisdem liquet, Cujacium procedere cum fundamento remissionis exceptionis jam competentis de tempore præstiti consensus ut bene ponderat Thes. jun. *lib.* 3. *qu.* 111. *num.* 3. ubi quod jura denegantia adversus cessionarium debitori consentienti exceptiones alias competentes adversus cedentem, loquuntur de exceptionibus ab initio, ac tempore factæ obligationis jam competentibus, secus autem ubi tunc non competerent, sed postea oriantur ex casu contingenti, tunc forsan non cogitato, ut litteraliter probat text. *in l. doli, ff. de novationibus*, ubi est originalis sedes materiæ, ibi, *ideo enim denegantur exceptiones adversus secundum creditorem, quia in privatis contractibus, & pactionibus non de facili scire petitor potest, quid inter eum, qui delegatus est, & debitorem actum est, aut etiam si sciat, dissimulare debet, ne curiosus videatur, & ideo merito deneganda est adversus eum exceptio ex persona debitoris*, & sic præsupponitur quod ille qui delegatus est, non exprimat causam suæ delegationis, ideoque nullatenus dispositio textus prædicti, cum iis, quæ ex eo per DD. firmantur, adaptatur ad rem, quoniam ratio, ob quam obligatio emptoris cessat, non provenit ab aliqua exceptio- 7
ne personali, vel simili competente adversus cedentem, sed resultat a cessante causa, & consequenter a cessante consensu contrahendi ab initio, seu a cessante correspectivitate, ut liquet ex allegata decisione 428. *p.* 1. *rec.* n. 4. *& ex dictis deci-*
sionibus in Bonon. cor. Ghislerio, in quibus omnibus præcise re- 8
spondetur ad motivum delegationis, quoniam nil impedit, ut cessante causa delegationis, ista quoque cesset, dum cen-

setur

setur facta sub eadem conditione de futuro, durationis scilicet, ac permanentiæ causæ, ob quam facta est, & in specia de obligatione ad annuum censum correspectiva ad castrum ab obligato tentum, seu possessum, ut cessante castro cesset, idem Roman. *cons.417. num.4.*

9 De auctoritatibus autem *Fabri*, *& Cyriaci* locis citatis nullatenus curandum dicebam, quoniam *Faber* bene loquitur, ubi causa debendi cassaret voluntarie, & culpose, quod late prosequitur Amat. *dict. resol.21. n.2. & 3.* Cyriacus vero *num.16. cum sequent. & num.23.* pariter potissimum fundamentum constituit in eadem ratione, quod conductor culpose, ac voluntarie non potiebatur re conducta, quamvis more Consulentium exterorum, ad consilium exornandum plura alia deducat minus subsistentia.

10 Eo magis in hac facti specie, quod debitum per emptorem accollatum extraneum non erat a contractu emptionis, sed potius intrinsecum, & connaturale, dum agebatur de censu imposito super eadem re vendita, licet enim non ageretur de censu reservativo, sed consignativo, qui vere & proprie in stricta juris censura dici non potest onus reale, ut altera species census dicitur, cum in creditorem censuarium rei censitæ dominium, vel jus reale transferri non dicatur, ex deductis per Cenc. *quæst. 23. & 79.* & non semel in sua materia *sub tit. de Censibus*, & sub altero *de legatis*, & alibi.

11 Nihilominus importare dicitur quandam magis præcisam, ac specialem ipsius rei censitæ affectionem, itaut improprie saltem de facto ex hominum opinione onus ipsius rei, eique infixum reputari soleat, quod non solum vulgi, sed etiam plurium Scribentium fuit opinio, ex deductis apud Cenc. *locis citatis*, & conferunt quæ habentur, præsertim *in Rom. seu Tudertina Collectæ, sub tit. de Regalibus disc.92.*

Hæc autem circumstantia satis in proposito considerabilis videtur, ad magis convincendam correspectivitatem, ac probandum quod accollatio ab emptore facta evidenter esset causativa, seu occasionalis, tanquam de onere intrinseco, & ipsi rei infixo, & clarius quia, dum agebatur de censu, verificari non poterat occultatio trium actuum, qui ex legis fictione occultantur in vera delegatione, quod scilicet emptor cum pecunia numerata solvisset pretium venditori, qui pro extinctione census illam solvisset suo creditori, a quo denuo emptori data sit ex novo contractu creationis novi census, quod implicat, cum reservatione priorum jurium, ac etiam quia hic secundus census esset invalidus ob non servatam formam Pianæ Constitutionis pecuniæ numeratæ, unde desumendo voluntatem a potestate, clare liquebat, id non fuisse in Partium intentione, ideoque veram delegationem non esse verificabilem.

ANNOT. AD DISC. XXIII.

AD materiam cessationis obligationis causativæ, causa cessante, habetur pluries *sub tit. de Regal. disc. 8. & 9. de cred. disc. 71. tit. de Cens. disc.28.*

PISAUREN. RESCISSIONIS CONTRACTUS PRO JULIO CÆSARE GUGLIELMO CUM ANDREA, ET JO: PHILIPPO DE ALEXANDRIS.

Casus decisus per Rotam pro Julio Cæsare.

De probatione læsionis, ob quam venditor prætendat contractum rescindere, an & quando dicatur sufficienter, & bene facta?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Læsio ad effectum rescindendi contractum non præsumitur, sed ab allegante est probanda.*
3 *Testes deponentes de valore ad effectum læsionis etiam non interrogati allegare debent causam scientiæ.*
4 *Quæ circumstantiæ inspiciendæ sint ad sciendum justum valorem pro læsione regulanda.*
5 *Minor cautela evictionis minuit de valore.*
6 *Venditio diminuta, seu divisio plurium bonorum, an augeat, vel respective minuat de valore?*
7 *Quomodo æstimatio facienda sit. Et an in rusticis habenda sit ratio de ædificiis, ac muris, & domibus?*
8 *In concursu testium hincinde super valore, quibus deferendum.*
9 *Reo sufficit affuscare probationes actoris.*
10 *Declaratur, & quando probatio actoris non impediatur per illam rei circa læsionem, & quæ probatio potius attendenda.*
11 *Ponderatur ad effectum dictæ probationis circumstantia, quod venditio fiat per subhastationem, in quo differat a voluntaria.*
12 *Declaratur conclusio, de qua num. 9.*

D I S C. XXIV.

ANdreas de Alexandris Jurisperitus, & in Civitate Pisauren. Advocatus, pater, & legitimus administrator Ioannis Philippi hæredis Seraphini Mangilii, ut hæreditatem filio delatam liberaret ab ære alieno usurario, quo premebatur, cum Judicis decreto, aliisque statutariis solemnitatibus, prævia narrativa, quod post plures diligentias spatio quatuor mensium adhibitas, meliorem occasionem invenire non potuerat, prædium hæreditarium ex pluribus distinctis membris constitutum vendidit Guglielmo de Guglielmis pro pretio scutorum 2800. in extinctionem æris alieni erogato, sed tractu temporis idem, seu alter filius, qui per prædicti obitum ex fideicommisso in prædicta hæreditate successerat, prætendens hujusmodi venditionem enormem læsionem continere, judicium instituit coram A. C. a quo sententiam favorabilem reportavit, sed introducta per appellationem causa in Rota *coram Bevilaqua*, & dato dubio; *an locus esset rescissioni contractus*? sub die 14 *Junii* 1665. negativa prodiit resolutio, atque Mihi pro emptore scribenti (reflectendo etiam ad veritatem) dicta resolutio visa est probabilis ex deficiente legitima probatione læsionis ultra dimidiam, quæ in dubio non præsumitur, sed ab allegante tanquam fundamentum intentionis, seu actionis rescissoriæ, concludenter probanda est, ut cæteris allegatis plene firmatur apud Buratt. *decis.538. ibique* Adden. ubi ad satietatem de materia. 1 2

Licet enim actores plures induxissent testes de valore singulorum membrorum ita deponentes, quod læsionem ad terminos text. *in l. 2. C. de rescind. venditione* concluderent, Nihilominus (ultra plures exceptiones, quas in dicto, & in persona adversus eos opponebat in facto causæ Patronus) nulla fide digni videbantur, seu eorum dictum ad controversum effectum non concludebat, quoniam sui dicti nullam assignabant causam, seu concludentem rationem, quam in iis, quæ non consistunt in sensu corporis, sed in judicio intellectus, etiam non interrogati, testes assignare debent, ut ultra generalia, in his specialibus terminis habetur apud Buratt. *d. decis.538.* ubi plene concordantes. 3

Item quia, posito etiam, quod probationes ex parte rei conventi factæ, non urgerent, quodque cessarent exceptiones, quæ testibus objiciebantur, adhuc inspecto eorum dicto, concludens probatio adesse non dicebatur ex aliis circumstantiis, illa præsertim, quod ad inspiciendum rei valorem, non solum spectandum est quanti ex communi judicio bona in loco æstimari, & valere solent, sed etiam habenda est ratio qualitatis venditoris, & cautelarum emptoris super evictione, quia si suspicari potest de venditore debitis involuto, itaut emptori non sit bene consultum, neque ipse omnino cautus dici valeat, tunc illa qualitas notabiliter minuit de valore ob compensationem cum suscepto periculo faciendam, Surd. *dec.30. n.15.* Martin. Andr. *dec. 109. n.9.* Buratt. *d. dec.538. n.17.* Et hic erat casus, quoniam ab eisdem venditoribus, hæreditas narrata fuerat multo ære alieno jam detecto pressa, ultra illud, quod suspicari poterat detegendum, atque ex duobus venditoribus, unus scilicet pater administratorio nomine, alter vero hæreditario se ad evictionem obligaverant, & consequenter non aderat emptoris omnimoda cautela, vel saltem aderat probabilis suspicio alios emptores retrahens, unde propterea in proposito rei valor metiendus est, non ex illo, qui abstracte illi inest, spectata sola materia, sed quantum communi judicio, & de facili vendi posset, cum res tanti valeat, quanti vendi potest. 4 5

Altera erat circumstantia minuens, ex qua testium fallax judicium detegebatur, quod non erat unicum prædium unitum, sed divisum in plura prædiola, seu petias terrarum, ideoque non ita regulandum est pretium generale plurium rerum, ac illud singularum, & de per se, ex iis, quæ in proposito minutarum venditionum, ac appaltuum, seu partitorum generalium, habentur *in Romana locationis 2. Maji 1659. 20. Februarii, & 26. Novembris 1660. coram Verospio*, impress. post Zuff. *de legit. process. decis. 44. & 49.* & post Bonden. *decis. 63. 71. & 82.* de qua latius habetur *sub tit. de Regalibus ad materiam mineralium disc. 117.* 6

Tertia fortior, ac magis convincens circumstantia, con-
7 sistebat in eo, quod testes ex parte Actorum inducti, de magno rei valore deponebant, regulato judicio ab æstimatione singulorum membrorum, computando domus rusticanas, columbaria, muros, aliaque ædificia rustica, & calculando cannas murorum, trabes, coppos, ferrum, & alia cæmenta juxta illud pretium, quod erogare opus esset, si eadem ædificia de novo construenda essent, quod utique omnino ineptum erat, quoniam hujusmodi ædificia in prædiis rusticis ex communi totius orbis praxi, vel nihil, vel parum æstimantur, & quanti ipsius prædii valor ex eorum existentia, ratione oblectamenti, vel magnificentiæ, seu commoditatis augeatur, non autem quanti in eis impensum esset, vel impendendum, si denuo construenda forent.

8 Omnisque difficultas circa fidem dictis testibus adimendam, cessabat ex testibus per reum conventum inductis melius informatis, ac meliores magisque concludentes scientiæ rationes reddentibus, ideoque potius attendendis, Mantic. *decis. 366. num. 4. cum seqq. cum cæteris* per Farinac. *de testibus, q. 65. n. 130. cum seqq.*

9 Et nihilominus dicebam necessarium non esse, quod nostri testes aliis præponderarent, sed sufficere per illos quamvis in fide æquales, quinimmo inferiores, conquassari, vel debilitari probationes actoria, cum reo sufficiat ad victoriam offuscare, vel debilitare, dubiamque reddere probationem actoris, *c. ex litteris de probat. cap. ult. de re jud.* Mantic. *dec. 274. n. 3.* Merlin. *dec. 597. n. 34. Toletana decimarum de Capula 2. Martii, & 14. Decembr. 1648,* cor. Verospio *decis. 158. & 270. p. 10. rec. & sæpius.*

10 Scribentes pro actoribus potissimum insistebant super conclusione derivata ex Bald. *in l. 2. n. 62. vers. sed pone quod testes, Cod. de rescind. vend.* quod si actor, qui læsionem intentat, eam probavit, obtinere debet, etiamsi ex parte Rei adsit probatio enervans probationem actoris, sequuntur Pinel. *in ead. l. 2. p. 3. c. fin. nu. 34.* Noguerol. *alleg. 18. n. 32. & seqq.* Marcian. jun. *disp. 72. n. 20.* Fab. *in Cod. lib. 4. tit. 3. de resc. vend. definit. 2. n. 4.* apud quos concordantes.

11 Verum tale fundamentum nullam habebat subsistentiam, tum quia ex præmissis, probationes factæ per actores de per se consideratæ, abstrahendo ab illis Rei non concludebant, tum etiam quia ex prædictis auctoritatibus plures non dicunt id, ad quod in proposito allegari solent, siquidem Bald. dicit, *quod si quidam testes deponant de majori summa, quidam vero de minori, credendum est illis, qui minorem affectionem ostendunt, quod arbitrio Judicis relinquendum est, & si neutri animi affectionem ostendunt, magis creditur affirmantibus, cæteris aliis paribus*, ex quibus verbis (quæ sunt præcisa Baldi) nihil ad rem desumi videtur, Fab. autem dicit, quod si testes ex utraque parte auditi dissentiant, & æque probabiles dictorum suorum rationes afferant, solet Senatus attendere utramque æstimationem, atque ex duabus facere unam, & sic loquitur de testibus peritis probabiles rationes hincinde edducentibus cum diversitate opinionum, eo modo, quo habemus de nostris DD. super legum intelligentia, unde pariter ista doctrina neque concludebat, prout neque altera *Rotæ apud Peniam*, dum ibi potissimum fundamentum constituitur in suspicione testium deponentium de negativa, non de facili probabili, & quod magis est, ibi agebatur de venditione sub hasta, quæ facilius læsioni subjecta est, quoniam actus non explicatur per ipsum Dominum, cujus principaliter interest rem pro majori, vel minori pretio distrahi, sed fit per Judicem, cui de alieno damno non solet dolere caput, unde propterea in plerisque Tribunalibus, præsertim in Regno Neapolitano receptum est, in hujusmodi venditionibus sub hasta minorem læsionem in sola sexta sufficere, & licet Rota, & Curia magis ex tenacitate antiquitatis, quam ex probabili ratione, istam opinionem recipere noluerit, quamvis vere probabilem habeat rationem, sed pariformiter cum eisdem terminis text. *in l. 2. de rescind. vend.* tractet utramque conventionalem, ac judicialem venditionem, nihilominus ista circumstantia etiam in Curia satis considerabilis videtur ad istum effectum facilius admittendi læsionis probationes, quandam præsumptionis majorem assistentiam isto casu habentes.

12 Unde sola doctrina considerabilis videbatur illa *Pinelli*, cum qua aliqui moderniores potius relative juxta consuetudinem pertranseunt, quam tamen dicebam nullatenus attendendam esse, quoniam nulla adducta auctoritate, vel ratione concludente, dicit ipse ita credere ex quadam æquitate, atque in contrarium urget auctoritas Saliceti *in eadem l. 2. nu. 30. vers. qui dicitur concludendo*, ubi quod concurrentibus probationibus hincinde, respondendum est contra agentem ad læsionem, & sequuntur Cremens. *in ead. l. 2. n. 213.* Cagnol. *ibid. n. 295.* Boer. qui bene loquitur *cons. 30. n. 8.* & satis etiam bene Rota, apud Buratt. *dict. dec. 538. n. 21. vers. accedunt testes*, unde propterea his majoribus auctoritatibus omnino deferendum est, accedente præsertim receptissimo axiomate generali, ut existentibus paribus probationibus, prævalere debeant illæ Rei conventi, cui sufficit vincere per non jus actoris, atque istius probationes offuscare, ac dubias reddere, ut supra.

Præterea *Pinellus* in suo casu, seu retento ejus præsupposito forte bene loquens, male ad rem allegabatur, quoniam ipse præsupponit actorem bene probasse læsionem, ibi, *ut si actor bene probavit hanc læsionem*, & ibi, *Cum probatio actoris per se plena, & efficax sit*, tunc enim quia probatio Rei tendit ad elidendam jam perfectam, & concludentem probationem ex parte actoris factam, illa quoque debet esse concludens, & perfecta, quoniam tunc reus in sua exceptione partes actoris gerere dicitur, secus autem ubi probationes Rei deducuntur ad offuscandas, ac debilitandas illas actoris, quoniam non agitur de destruenda probatione jam perfecta, & concludente, sed de impedimento, ne illa nascatur, seu ne ad actum perfectionis deveniat, ut ita bene distinguendo habetur in allegata *Toletana decimarum de Capilla 2. Martii, & 14.*
Decemb. 1648. coram Verospio decis. 158. & 270. part. 10. rec. 1
& habetur de ista distinctione sæpius actum.

ANNOT. AD DISC. XXIV. & seqq.

AGitur in his discursibus de materia læsionis, de qua *hoc tit. de Emptione disc. 54.* ubi quomodo sit regulanda in venditione sub hasta *& sub tit. de Alien. & Contr. prohib. disc. 24.* ubi an locum habeat in transactione, juxta ea quæ habentur infra *disc. 27.*

ROMANA PRÆTENSÆ LÆSIONIS PRO STEPHANO BERNERIO CUM ASCENTIA GHIRLANTIA,

Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato, incertus est exitus, puta pro Bernerio.

De eadem materia probationis læsionis, & an remedium *l. 2. C. de rescind. vend.* competat, & sit exercibile contra tertium, in quem emptor rem distraxit.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Malus status venditoris, seu parum tuta cautela evictionis minuit de valore.*
3 *Quanta sit ista diminutio.*
4 *Remedium rescissorium ob læsionem non datur contra tertium.*
5 *Quid in subsidium de æquitate quando ista intret.*
6 *Conclusio, de qua n. 4. non procedit data nullitate contractus ob dolum verum, seu præsumptum.*
7 *An Statutum Urbis reducens læsionem ad tertiam, inducat dolum præsumptum? declaratur.*
8 *Dictum Statutum est laicale non complectens Ecclesiastica.*

D I S C. XXV.

VEndita judiciali auctoritate vinea Ascentiæ Mar- 1
cello, qui deinde pro majori pretio illam per actum
conventionalem vendidit Bernerio, contra istum mulier
prædicta judicium rescissorium ex capite læsionis intenta-
vit, & quamvis Rei conventi melior, ac solida defensio con-
sisteret in deficiente probatione læsionis, quia vere testes
non bene illam concludebant, ac etiam quia, ubi, attento
ipsius rei intrinseco valore, dici posset adesse læsionem, ad-
huc tamen ille notabilem diminutionem patiebatur ob ma-
lum statum venditoris, cujus vice Judex venditionem fece- 2
rat, item emptori consultum non esset de evictione, quod
satis minuit de valore, Bursatt. *cons. 9. num. 35.* Surd. *dec. 30.*
num. 15. Altograd. *cons. 62. num. fin. lib. 1.* Buratt. *decis. 538.*
num. 17. Adden. ad eum *dec. 761. n. 15. in fine*, apud quos,
& alios habetur, super hujusmodi diminutione certam, ac 3
determinatam regulam tradi non posse, sed totum esse repo-
situm in prudentis Judicis arbitrio, regulando ex facti cir-
cumstantiis, illa præsertim majoris, vel minoris idoneitatis
vendi-

venditoris, ideoque quandoque in sexta, quandoque in quinta, atque etiam in quarta, & tertia parte pretii diminutio admittitur.

4 Nihilominus, ubi etiam omnia præmissa cessarent, itaut adesset concludens probatio, quæ sufficeret ad rescissionem contra ipsum emptorem, adhuc tamen pro reo convento Scribens, dicebam tale remedium non esse exercibile contra tertium bonæ fidei possessorem, qui ex causa onerosa, & pro justo pretio rem acquisierat, ut communiter firmant DD. *in eadem l. 2. collecti* per Barbos. *ibidem n. 133.* Castill. *tom. 6. controv. c. 18. n.* 101. Capyc. Latr. *consult.* 124. *n.* 1. *&* 2. Hodiern. *controv. 3. n. 12. cum seq.*

5 Et quamvis aliqui ab eisdem supra allegatis relati velint, ut de æquitate ista distinctio limitetur in subsidium, attamen id procedit, ubi tertius rem obtinet titulo lucrativo, vel pro eodem minus justo, ac læsivo pretio, adeout dicatur esse in lucro, cujus ratione intrat subsidiaria æquitas, nunquam exercibilis contra foventem causam onerosam, ac mere correspectivam, quoniam esset exercere æquitatem cum iniquitate, ac læsione, quod de jure non conceditur, ut cæteris allegatis apud Hodiern. *ubi sup.*

6 Et quoniam ista conclusio limitationem recipit, quando contractus laboraret dolo vero, vel etiam præsumpto ratione magnæ læsionis resultante, ex ea clara ratione, quod tunc non proceditur per viam rescissionis, sed per viam nullitatis, qua posita dominium nunquam dicitur abdicatum a venditore suam rem jure prioris dominii a quocumque vendicante ex iis, quæ habentur *in Romana transactionis disc.* 27. & in aliis *hoc tit.*

7 Hinc proinde ingeniosus Judex motivabat, quod posita etiam simplici læsione in sola tertia parte juxta dispositionem Statuti Urbis, intrabat limitatio prædicta, stante quod Statutum prædictum doli præsumptionem inducit, verum hoc motivum, quod sæpius in ore Judicum, & Curialium audivi, laborat æquivoco claro, quoniam aliud est agere de dolo præsumpto annullante contractum, atque ille utpote resultans a magna, & excessiva læsione, quæ ad speciem enormissimæ transeat, absque dubio non inducitur per Statutum, quod in hoc non disponit, cum ad hunc effectum requiratur enormissima in magno excessu, aliud vero de illo dolo præsumpto, ob quem tollitur juramentum, ne scilicet ille contra quem intentatur rescissio ex capite læsionis juxta terminos textus *in d. l.* 2. posset ratione juramenti evitare minorem læsionem in tertia inductam a Statuto regulariter non complectente actus juratos, dum istud præsertim Statutum declaratum est
8 laicale, itaut non comprehendat Clericos, & Ecclesiasticos, ut in specie *in Romana læsionis* 12. *Junii* 1654. *coram Bichio*, & in aliis.

Idque evidenter probari dicebam ex contextu ejusdem Statuti, quod alias inepte loqueretur, dum præsupponit, ut concurrente ordinaria læsione per ipsum in sola tertia declarata, læso competat actio rescissoria, unde inepte loqueretur, si præsumeret ipsum actum dolosum, cum tunc intret nullitas, qua concurrente non intrant termini rescissorii præsupponentes actum validum, ope tamen exceptionis elidibilem, sed rei vindicationis *ut in dicta Romana transactionis disc.* 27. Ac etiam quia Statutum in alio alterare noluit juris communis dispositionem, nisi in eo quod læsionem quam jus commune induxit in dimidio, reduxit ad tertiam, ac etiam indirecte sublulit juramentum, ne istius ratione cessaret dictum remedium, ut spectatis terminis juris communis, est aliquorum opinio quod cesset.

ROMANA MOLESTIARUM,
PRO RUBEIS,
CUM FANTINIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Fantinis.

Venditor hæreditatis an teneatur de evictione, vel ad molestias ob aliqua bona evicta, seu ad quæ agant creditores hæreditarii, & quando dicatur esse venditio, vel cessio hæreditatis?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Vendita, vel cessa hæreditate, non præstatur evictio singularum rerum.*
3 *Idem in feudo quod dicitur universitas.*
4 *Secus si venditio non sit hæreditatis, sed alicujus generis bonorum.*
5 *Quando dicatur unum, vel alterum venditum.*
6 *Emptor hæreditatis fingitur verus, ac directus hæres ab initio.*
7 *Capitulis potius deferendum est quam instrumento, seu pars proœmialis magis quam executiva est attendenda.*
8 *Verbum aliis intelligitur de similibus, & aliud est hæreditas, aliud sunt bona.*
9 *De argumentis denotantibus cessam, vel non cessam esse totam hæreditatem.*
10 *Quomodo ista quæstio decidi debeat.*
11 *Quid ubi cessa non est hæreditas, sed est cessum genus aliquorum bonorum ad ipsam pertinentium, &c.*

D I S C. XXVI.

A Gentibus Rubeis contra Fantinos hæredes eorum patris pro redditione rationum administratæ tutelæ, 1
ac reliquatus restitutione, rei conventi ex concordia cesserunt actoribus omnia bona stabilia, & credita hæreditaria, deducendo ad speciem quendam hortum, domum, & census, in fine vero Notarius adjecit verba generalia, per quæ dicti Fantini declararunt cedere omne, & totum de paternis, nihil pro se retinendo, cum autem post alicujus temporis decursum, Rubei molestias paterentur super horto ob debitum defuncti, hinc egerunt contra Fantinos coram A. C. qui reis conventis absolutoriam dedit.

Punctus controversiæ consistebat in eo, an dicta concordia importaret cessionem universæ hæreditatis, vel potius bonorum stabilium, & creditorum, seu nominum hæreditariorum; si enim cessio esset totius hæreditatis in universum, eo modo quo Scribentes pro reis dicebant, atque Judex credidit, & tunc Ego scribens pro actoribus admittebam tanquam veram conclusionem ab eis dedu- 2
ctam, quod venditor hæreditatis evictionem præstare tenetur de ipsa hæreditate in universum quatenus in totu, vel in quota evincatur, quoniam in ea consistere dicitur substantia contractus, secus autem ubi evincantur, vel deficiant aliqua ipsius hæreditatis bona, vel membra, per quorum deficientiam ipsum corpus, seu universitas deficere non dicitur, juxta text. *expressum in l. 2. ff. de hæred. vel action. vendit. & in leg. 1. & 2. C. eodem*, ac firmant communiter Doctores relati per Capyc. Latr. *consult.* 65. *n.* 34. *& seq.* Castill. *lib. 4. controv. cap.* 42. *nu.* 37. *& seq. & passim*, dum Doctorum auctoritates imbecillitas est desiderare, ubi habemus textus expressos, ac literales.

Atque hinc prodiit propositio feudalis, quod cum feu- 3
dum sit absque dubio universitas (cadente solum quæstione, an sit universitas facti, vel universitas juris, vel utriusque, ex deductis pro utraque opinione per Amincangel. *qu. feud.* 3. & pluries in sua materia *sub tit. de feud.*) Hinc proinde, feudo vendito, non præstatur evictio de aliquibus bonis, vel membris, aut juribus ad ipsum pertinentibus si evincantur, seu alias deficiant, ex deductis *in Neapolitana, seu Capuaquen. sub tit. de feud. disc.* 32.

E converso autem, quatenus non ageretur de venditio- 4
ne, seu cessione hæreditatis, sed bonorum ad hæreditatem pertinentium, ut ex hac parte prætendebatur, & tunc certum esse dicebam, atque Scribentes pro actoribus non negabant evictionem præstandam esse, saltem de iis quæ fuerunt ad speciem deducta juxta ea, quæ in dictis terminis feudalibus de evictione præstanda illorum bonorum, quæ ad speciem deducta fuerunt sub verbo *signanter*, habentur *eod. supra allegat. disc.* 32. *de feud.*

Ideoque tota quæstio erat facti, & applicationis, an 5
scilicet controversa cessio esset juxta unam, vel alteram speciem, versari autem in prima cessione universali totius hæreditatis, clare probari dicebant Scribentes pro reis conventis, atque Judex credidit ex universalitate, seu prægnantia verborum in fine, ac in parte executiva instrumenti, per quæ omnia ad hæreditatem pertinentia cessa esse probari videbatur.

E converso autem Ego scribens pro actoribus, dicebam universitatis cessionem non adesse, quoniam tunc dicitur cessa hæreditas, quando talis est cessio, quod faciat cessionarium hæredem universalem, adeout illum fingat primum, ac directum hæredem, perinde ac si directe, & immediate defuncto successisset, adeout si vendens, vel 6
cedens aliquid exegerit, vel habuerit ab hæreditate, teneatur restituere emptori, seu cessionario, & e converso

sibi

sibi remanent priore ejus jura, ut clare disponitur *in d. l. 2. §. 1. non solum, & §. si quid, ff. de hæred. vel action. vendit.* Intelligendo tam inter ipsos emptorem, & venditorem, non autem quoad creditores hæreditarios, aliosque tertios interessatos, quorum respectu venditor hæreditatis, adhuc remanet obligatus, cum non possit iste contractus tollere jus creditoribus, vel aliis ex aditione quæsitum.

7 Applicando autem ad rem pars proœmialis conventionis concepta vulgari, seu materno sermone, continebat restrictivam ad bona solum stabilia, & credita, seu nomina debitorum, ideoque dicebam hanc partem attendendam esse juxta ea, quæ ex plene deductis *dec. 34. n. 18. & seq. p. 10. rec. & disc. 14. sub tit. de emphyt.* edito in eadem causa, ac etiam *sub tit. de fideic. disc. 179.* habentur in conclusione, ut attendi debeant magis capitula, seu conventiones in lingua materna, quam subsequentia verba instrumenti latino sermone concepta, præsertim in executivis, vel circa ea, & consequenter, quod attendi non deberet generalitas verborum in fine instrumenti contenta, quoniam hæc dicuntur verba Notarii, illa vero dicuntur verba Partium, in quibus substantia conventionis residet.

8 Potissime autem, quia etiam dicta verba generalia non erant talia, quod importarent ipsam hæreditatem in universum, cum essent de omnibus aliis bonis; verbum enim *aliis* denotat similitudinem, ac id intelligitur de similibus iis, quæ fuerunt expressa, ex plene collectis per Barbos. *dict. 26. in princ,* Rota *dec. 300. n. 14. p. 7. & dec. 218. n. 14. p. 11. rec.* & frequenter; aliud enim est hæreditas, aliud sunt bona hæreditaria, ut alias relatis habetur apud Buratt. *dec. 283. n. 2. & 3.*

9 Magnum quoque adminiculum deduci observabam ex eo, quod nulla haberetur mentio de bonis mobilibus, quorum existentia in cujuscumque quantumvis domo vilis, ubi non est ostiarius mendicus, præsumitur ob aliquam suppellectilem humanæ vitæ necessariam, multo magis dum defunctus supponebatur artifex, in quarum personarum genere major pars asse in mobilibus consistere solet, ac etiam quod venditores, seu cedentes se non obligarunt reddere rationem de nominibus debitorum exactorum, ac de aliis bonis hæreditariis distractis, vel administratis medio tempore inter aditionem, & venditionem, ad quorum utrumque in casu aditionis hæreditatis, absque dubio tenerentur, quoniam ut supra inter ipsos emptorem, & venditorem, emptor fingitur hæres a principio, venditor autem nunquam hæres.

10 Hæc deducebam tanquam Advocatus, reflectendo autem ad veritatem, maturum judicium non efformavi, nec pro una, nec pro altera parte, unde propterea judicatum nec damnabam, nec laudabam, credebam etenim majorem facti discussionem, ac notitiam desiderandam esse, an scilicet subsisteret necne actorum præsuppositum (quod magnum præsumptionis fomentum habere videbatur, ex communi usu) an scilicet in hæreditate defuncti debitoris remansissent, necne mobilia obventa in ipsos hæredes, ac venditores, seu cedentes, & an iidem aliqua nomina debitorum exegissent, seu bona distraxissent, cum tunc eis ad illorum restitutionem se non obligantibus, clarum remaneret venditionem non esse universæ hæreditatis ut supra; secus autem si a converso res se haberet juxta alterius partis præsuppositum, quod pater obiisset in Patria nimium remota, in Lombardiæ finibus, ipsis filiis in Urbe existentibus, quodque patris hæreditatem adiissent opinantes eam idoneam, ut nomina exigerent, ac etiam controversum hortum, domum, & census, ac alia in domo existentia obtinerent, quodque postmodum ab actoribus pulsati, ut a molestiis in persona, & bonis propriis immunes redderentur, dimisissent totum id, quod patris esset, ideoque in hac substantia veritatis magis quam in cortice, ac formalitate verborum substantia causæ residebat.

11 Ponderabam, an ex parte eorundem reorum dici posset, quod ubi etiam non ageretur de venditione hæreditatis in universum, attamen adhuc dici poterat cessio universitatis bonorum stabilium, & consequenter, quod intraret eadem ratio evictionis non præstandæ de singulis universitatis membris, juxta deducta *d. disc. 30. de feudis*, atque motivum apud Me esset nimium considerabile, quando controversus hortus vere evictus fuisset jure dominii, & sic in effectu non pertineret ad hæreditatem, quoniam tunc diceretur non comprehensus sub genere, potissime quia non agebatur de venditione pro certo, ac determinato pretio, unde cadere posset difficultas, quod ejus ratio expressa habita esset in valutatione juxta firmata per Rotam *in Sabinen. Status Montis Libretti 12. Junii 1662. cor. Cerro*, cum aliis in eadem causa *sub tit. de feud. disc. 65.* verum illud cessabat ex defectu applicationis, cum non ageretur de evictione ipsius rei ratione dominii, sed de molestiis in actione hypothecaria, vel alio remedio ratione hypothecæ competente pro debito pecuniario defuncti, cumque ageretur de modica re, consului actoribus, ut huic sententiæ acquiescerent, eaque præsupposita declarante ipsos emptores universæ hæreditatis, cogerent cedentes ad redditionem rationum de iis, quæ tam in vita, quam post mortem patris constaret per eos exacta, vel administrata esse, atque ita sequutum fuit.

ROMANA TRANSACTIONIS PRO HONORATIS, CUM JO: BAPTISTA LUTIO.

Casus varie decisus per Rotam.

De materia enormissimæ læsionis, quæ redoleat dolum, quando adesse dicatur in transactione, & de effectibus exinde resultentibus.

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*

2 *In casu simplicis læsionis datur electio emptori, vel restituendi rem, vel supplendi justum pretium, secus ubi læsio est enormissima, ob quam dicta electio non competit.*

3 *In transactione, an locum habeat læsio ordinaria juxta terminos* textus in l. 2. C. de rescind. vend. ? *referuntur plures opiniones.*

4 *Qualis dicatur læsio enormissima redolens dolum producendo nullitatis actus, ac restitutionis fructuum, & aliorum effectuum.*

5 *Ad privandum emptorem electione restituendi rem, vel supplendi justum pretium, non sufficit dolus præsumptus resultans ab enormissima.*

6 *Dispositio* text. in l. per diversas, & l. ab Anastasio, Cod. mand. *non procedit in reo, & possessore procurante jurium cessiones ad se defendendum.*

7 *Quomodo ad effectum læsionis regulandus sit valor actionum, quæ ceduntur.*

8 *Pactum quotæ litis prohibitum est Advocatis, & Procuratoribus, non autem aliis.*

D I S C. XXVII.

CUm Fulvia, & Catherina de Pacificis, seu Angela Catherinæ filia, hæredes fideicommissariæ Tiburtii Pacifici, domum in platea Agonis, & quædam granaria ratione fideicommissi recuperata, in solutum dedissent Lucillo pro scutis 5. m. ei debitis, tam ex causa expensarum in dicta recuperatione passarum, quam ex aliis, juxta seriem, de qua *in Romana fideicommissi, seu Salviani de Pacificis, sub tit. de fideicommissis disc. 163.* Lucillus autem, granariis pro se retentis, domum vendidisset Joanni Baptistæ Honorato pro scutis 5. m. quorum 3. m. soluti fuerunt creditoribus, & 2. m. remanserunt penes eundem ad effectum investiendi in multiplicum pro cautela evictionis, tractu temporis, sequuta ejusdem Lucilli morte, detectus fuit magnus numerus creditorum, qui anteriores illis, quibus dictum pretium solvere, ac reportata solum jurium cessione, solutum fuerat, emptorem in Salviano molestare coeperunt, unde Hic tunc in Curia Advocatus, vel Prælatus, agnoscendo quod ex juribus sui auctoris se tueri non poterat, pro tutiori defensione paranda, cogitavit recurrere ad jura prædictarum mulierum, stante nullitate probabiliter opinata dicti contractus dationis in solutum, ita enim annullato contractu prædicto, atque redeuntibus bonis ad priorem dominium, resoluto jure debitoris, resoluta remanebant omnia ejus creditorum jure, & hypothecæ, hinc propterea cum eisdem mulieribus seu respective earum defunctarum filiis, & hæredibus sub nomine transactionis convenit, ut ipse Honoratus litem susciperet, suoque sumptu, & cura sustinere deberet contra seipsum tanquam emptorem, dictique venditoris creditores super dicti contractus annullatione, ac bonorum recuperatione; quibus sequutis eisdem mulieribus, vel respective hæredibus dari deberet medietas illius emolumenti, quod victoria produceret; deinde vero ad novam conventionem deventum alt, per quam omnia jura cederunt Hono-

Honorato pro scut. 2. mill. ex quibus dictum fuit, tunc solvi 400. in pecunia numerata, reliqua vero 1600. investiri ad eorundem cedentium commodum cum vinculis fideicommissi, & evictionis, iodeque cedentium nomine institutum fuit judicium immissionis, seu reintegrationis adversum eundem Honoratum, & creditores ad causam vocatos, & introducta causa in Rota *coram Albergato* per appellationem interpositam a quadam sententia lata per A. C. ad favorem creditorum *sub die* 23. *Junii* 1653. prodiit favorabilis decisio, per quam dictus contractus dationis in solutum tanquam ex falsa, & inepta causa, nullus declaratur, proindeque immissio conceditur ea deductis in decisione desuper edita, *& sub tit. de fideicommiss. in hac eadem causa*, *dicto disc.* 163. in qua Ego scribebam pro actoribus ad instantiam tamen dicti Honorati possessoris, ac respective cessionarii, expensas litis, omniaque alia necessaria subministrantis.

Edita dicta decisione, ob quam creditores acquieverunt se jactantibus cedentibus dictam transactionem rescindere, seu annullare, hinc cessionarius judicium jactationum desuper instituit in Rota *coram Meltio*, & dato dubio, *An transactio sustineatur?* sub die 1. *Aprilis* 1658. negativa prodiit decisio impress. *part.* 12. *rec. decis.* 326. transactionem scilicet non sustineri ex fundamento enormissimæ læsionis, ad cujus decisionis normam prolata sententia concedens cedentibus reintegrationem ad domum, ea fuit in secunda instantia confirmata *coram Priolo*, prævia decisione 12. *Maji* 1659. Cumque victores prætenderent ob non interpositam in tempore appellationem, dictas sententias fecisse transitum in judicatum, commissa causa restitutionis in integrum *coram Verospio*, datoque consueto dubio, an constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, *sub die* 15. *Decembris* 1659. ex eodem læsionis fundamento resolutum fuit, non constare de restitutione in integrum, quæ non datur sine læsione pendente ab injustitia, qua cessante, quotidianum axioma ait restitutionem non intrare.

Qua decisione edita, Honorati interim defuncti hæredes opposuerunt quod in omnem eventum, admissa etiam læsione, jus eis competeret supplendi justum pretium juxta dispositionem text. *in l. 2. Cod. de rescind. vend.* & clarius *in cap. 3. de empt. & vend.* sed hujusmodi exceptione non obstante persistitum fuit in decisis *sub die* 19. *Aprilis* 1660. dictaque resolutio confirmata 20. *Junii ejusdem anni*,
2 ex eo fundamento, quod dicta electio emptori competat in casu judicii rescissorii intentati ratione simplicis læsionis, quam nostri enormem dicunt, non autem ubi ea est enormissima redolens dolum annullantem actum, cum tunc dolum passo concedatur rem propriam vendicare, ex Cagnol. *in l. 2. n.* 81. Fabr. *in C. lib. 4. tit. 30. diffin. 3. & diffin.* 30. Fontanell. *dec. 64. n. 2. cum seq.*

Et cum eisdem Fontanellæ *decisionibus* processum quoque fuit, firmando quod læsio enormissima redolens dolum dicti effectus productivum dicitur, quando læsio est ultra bessem, ut in præsenti supponebatur, dum pro re valente scuta 5. m. data solum erant scut. 1600. stante quod alia 400. quæ in instrumento dicebatur esse soluta in pecunia numerata, ex ejusdem Honorati morientis confessione justificabatur vere soluta non esse, quæ circumstantia totius mali causa fuit.

Reproposita vero causa *sub die* 19. *Februarii* 1661. Me & aliis possessorum Defensoribus nimium inculcantibus contra dictas decisiones, illæ declaratæ, seu reformatæ fuerunt quod scilicet, posita etiam læsione, ob quam transactio sustineri non deberet, adhuc tamen reintegratio nullatenus competere poterat ad domum, ut duæ sententiæ *Meltii*, *& Prioli* decernebant, cum enim de tempore transactionis, seu cessionis dictæ mulieres, vel earum hæredes non possiderent domum, minusque illam possessor jure dictæ conventionis possideret, hinc impossibile erat de jure, & de facto competere reintegrationem ex capite nullitatis, cum hæc aliud ad summum operari non posset, nisi reponere partes in eo statu, in quo erant præambula ipsius contractus hora, non autem tribuere majus jus, quam contrahens haberet, proindeque dictum fuit, infirmandas, seu reformandas esse sententias quoad reintegrationem ad ipsam domum, declarando eam solum competere ad jus prosequendi prius judicium intentatum *coram Albergato*, juxta dictam decisionem desuper coram eo editam, unde propterea victores his acquiescendo, assumpserunt dicti prioris judicii prosequutionem, in qua Ego prius pro eis scribens abstinui, dum id munus egeram ad instantiam Honorati, ita propriis telis confixi, scio tamen, dictam decisionem *coram Albergato* fuisse confirmatam.

Quatenus igitur pertinet ad ea, quæ super læsione ejusque effectibus *coram Meltio*, *Priolo*, *& Verospio* ut supra, disputata fuerunt, reflectendo ad veritatem, resolutiones non placuerunt, distinguendo siquidem articulos, illi quatuor erant, primo scilicet, an in transactione locum habeat dispositio *l. 2. C. de rescind. vend.* secundo quatenus sic, an ad limites ejusdem legis sufficiat ea simplex læsio ultra dimidiam (quam enormem dicimus) in emptione, & venditione sufficiens, vel aliqua major requiratur, tertio quando dicatur enormissima redolens dolum causantem nullitatem, & successive restitutionem fructuum ab initio, necnon amissionem electionis supplendi justum pretium, & quarto demum, an in hac facti specie præmissa intrarent, & an essemus in contractu transactionis, ut decisiones supponunt, vel potius in alia specie, stante vere præsupposita læsio non adesset.

Circa primum, in hujusmodi quæstione, an in transa-
ctione procedat dispositio text. *in l. 2. Cod. de rescind. vend.* 3
tres habemus opiniones, una est Bart. *in eadem l. 2. num.* 7. quem sequuntur cæteri plene, ac diligenter cumulati per Hodier. *controv.* 37. *num.* 5. & latius per Castill. 8. *tom. controv. cap.* 36. §. 2. *num.* 84. ut simplex læsio prædicta sufficiat; eodem modo, quo lex determinat in contractu emptionis, & venditionis, altera ait de directo contraria *glossa. in l. Lucius*, §. *fin. ff. ad Trebell. & alterius glos. in cap. de emptione*, *& venditione*, quam sequitur Bald. *in eadem l. 2.* qui pro antesignano reputatur, utpote reprehendens *Bartolum*, & sequuntur cæteri congesti per Hodiern. *loco citato*, *num.* 4. Capyc. Latr. *consult.* 152. *num.* 15. Prat. *observ.* 4. *num.* 6. *cum sequent.* Castill. *dict. cap.* 36. §. 2. *num.* 95. *& sequent.* ubi cum Menoch. *cons.* 401. *num.* 157. *& sequent.* constantissime hanc firmat veriorem, ut scilicet excepto casu metus, vel doli veri, nullatenus detur hoc remedium, sive læsio sit enormis, sive enormissima, & in quocumque excessu.

Tertia est opinio distinguens, quod aut læsio concurrit, attento solum valore rei, super qua est transactum, & illa nullius sit considerationis, aut est, etiam attento dubio litis eventu, & tunc si est simplex, quam enormem dicimus, & pariter non sit considerabilis juxta sententiam Baldi. Aut est enormissima, itaut dicti dubii eventus æstimationem in magno excessu superet, & tunc locum præbeat rescissioni, eodem modo, quo simplex, seu enormis præberet in contractu emptionis, & venditionis, ideoque non sit pariformiter tractandus unus, ac alter contractus, sed tantum operetur enormissima in transactione, quantum enormis in emptione, & venditione, adeout excepto casu doli veri, in transactione practicabilis, non videatur dolus præsumptus ad effectus inde resultantes, illum præsertim tollendi electionem, ac obligandi ad fructus ab initio, cum aliis resultantibus a nullitate producta a dolo.

Hanc tertiam opinionem per communem DD. Scholam receptam esse comprobant Hodiern. *dicta controv.* 37. §. 2. *num.* 7. *cum seq.* Capyc. Latr. *dict. consult.* 152. *num.* 16. Castill. *dict. cap.* 37. §. 2. *n.* 92. Et quamvis Rota profiteatur sequi opinionem Bart. eam tamen sequitur cum hoc temperamento, in casu scilicet enormissimæ regulandæ non a valore rei, sed ab illo, in quo æstimari potest dubius eventus, ut habetur apud Mantic. *dec.* 102. *num.* 1. Cavaler. *dec.* 407. *&* 643. *Romana rescissionis transactionis* 29. *Maji* 1648. Corrado *dec.* 192. *par.* 10. *rec. Perusina fideicommissi de Rodulphis* 14. *Junii* 1652. *cor.* Cerro *dec.* 269. *par.* 11. *rec. decis.* 715. *n.* 1. *par.* 2. *rec.* 625. *nu.* 7. *par.* 1. *& sæpius*, in quibus ultimis, præsertim 715. *par.* 2. habetur pene impossibile esse hujusmodi læsionem justificari, ob valorem omnino incertum dubii eventus litis.

Hæc applicando ad rem, improbabiles videbantur dictæ resolutiones procedentes in transactione cum terminis simplicis emptionis, & venditionis, & quod magis est, metiendo læsionem ultra bessem, spectato integro ipsius rei valore, perinde ac si nulla lis, vel dubietas respectu agentium ad nullitatem, vel rescissionem concurreret, cum tamen omnino verius sit, æstimationem dubii eventus attendi debere, & quanti communi æstimatione illa incerta alea æstimaretur, cum sæpius prætensio scutorum centum mille, neque pro mille emptorem inveniat.

Quoad secundum punctum, quando scilicet dicatur enormissima redolens dolum præsumptum productivum nul-

litatis

litatis cum effectibus ex ista resultantibus, quamvis Rota
4 in hujus causæ decisionibus, sequendo firmata per Fontanell. *dec. 64. & seq.* regulam quodammodo generalem constituere videatur, ut eo ipso, quod concurrit excessus ultra bessem, dicatur læsio enormissima redolens dolum productivum effectuum, de quibus supra, attamen hæc opinio pariter minus probabilis videtur, quoniam cum ista non sit quæstio juris, sed potius facti, & voluntatis, ad regulandum scilicet malum, ac dolosum animum deceptoris, ita præsumendum, ista circumstantia videtur quidem præsumptio magnificienda, quatenus tamen ex aliis circumstantiis in idem tendentibus fomentum recipiat, sed non per hoc id constituendum est pro regula, quoniam recte dari potest, ut etiam minori excessu concurrente, ex aliis circumstantiis juste deprehendatur malus animus deceptoris, & e converso etiam concurrente majori excessu, aliæ circumstantiæ illum præseferant sincerum; Ideoque omnino verior videtur altera opinio, ut totum id remissum sit prudentis Judicis arbitrio, ex singulorum casuum individuis circumstantiis regulando, juxta ambiguorum, & conjecturalium naturam, ut in aliis *hoc eodem tit.*

Dolus enim præsumptus re ipsa sine urgentibus præsumptionibus consilii sufficit ad rescissionem, sed non ad nullitatem, quæ solum considerari solet ratione deficientis potestatis, quam lex adimere solet juxta ea, quæ habentur deducta *in Senogallien. Castrorum, sub tit. de feudis, disc.* 1. Cum etenim inter alios effectus nullitatis ab hujusmodi dolo resultantis, in proposito sit ille restitutionis fructuum ab initio, pernecesse dare oporret malam fidem veram, vel adeo efficaciter præsumptam, quod veritati æquipolleat, cum alias receptissimam, & quotidianam propositionem habeamus, ut a restitutione fructuum ante motam litem perceptorum excuset, non solum bona fides positiva, sed etiam media, quia sufficit abesse malam, positivam ad hunc effectum necessariam, igitur pernecesse exiguntur illa adminicula, quæ juncta cum mala præsumptione resultante ab excessu læsionis dictum malum animum probent, & sic qualitas enormissimæ læsionis recte attendenda est tanquam una ex præsumptionibus, seu adminiculis, ad quod conferunt eadem, quæ proxime infra habentur super tertio puncto alterius effectus ex dolo resultantis, privandi emptorem, seu alias possessorem beneficio electionis expresse sibi attributum per text. *in l. 2. & in cap. 2. de empt. & venditione*, vel scilicet restituendi rem, vel supplendi justum pretium.

5 In hoc enim, quod solus excessus læsionis aptus non sit ad privandum beneficio prædicto, litteraliter probare dicebam ex eodem textu *in dict. cap. 3.* in cujus casu agebatur de venditione cujusdam Sylvæ valentis 40. marchis pro decem libris, & sic de læsione longe ultra bessem, nam quælibet marcha importat 16. uncias, itaut 40. marchæ importarent libras 52. cum dimidia, unde læsio erat in longe majori excessu supra bessem, & tamen adhuc firmatur esse locum electioni quamvis aliqua doli veri suspicio concurreret, dum agebatur de venditione Sylvæ spectantis ad Ecclesiam facta per aliquos Canonicos ignorante Capitulo, ideoque Fontanellam in hac parte male loqui, atque ad effectum privationis hujus beneficii necessarium esse dolum verum, vel saltem ex præsumptionibus adeo efficacibus deductum, quod vero æquipolleat, firmant Bargal. *de dolo, lib. 2. cap. de dolo re ipsa, folio 159. & seqq.* & Castil. alios cumulans *tom. 7. controv. cap. 18. num. 108. cum seqq.* ubi *num.* 109. ostendit Fontanellam deceptum esse ex auctoritate Fabri per eum allegati, & in quo etiam se fundant hujus causæ decisiones, dum idem Faber se retractavit, contrariam sententiam magis secure affirmando *in erroribus pragmaticorum, decade 1. lib. 7.* Et quidem cum habeamus dictum textum ad litteram idprobantem, necnon urgentem rationem in præcedenti articulo occasione fructuum insinuatum, super Scribentium traditionibus immorandum non videtur.

Demum quod magis apud Me in præsenti causa dictarum resolutionum improbabilitatem suadebat, (unde propterea intellectum in earum obsequium nunquam captivare potui) consistebat in omnimodo defectu applicationis omnium præmissorum ad hanc facti speciem, quoniam inter dictas mulieres, ac Honoratum, nulla aderat lis super controversa domo, quæ deinde sopita esset per transactionem, cujus termini omnino extranei erant, ipsæ siquidem domum prædictam Lucillo in solutum dantes contractui acquiescebant, neque aliud curabant, sed Honoratus possessor ex legitimo titulo emptionis sincere, & pro justo pretio factæ, utpote deceptus a venditore non detegente anteriores creditores, quibus premebatur, ut se tueri posset adversus sui auctoris creditores illos jam dormientes excitavit, atque ab eis acquirere curavit prætensiones omnino incertas, & litigiosas consistentes in annullatione dictæ donationis in solutum effectuanda cum gravi, & dispendiosa lite, cujus exitus inanis esse poterat cum jactura laborum, & expensarum, unde propterea vere, ac proprie ille contractus non erat transactionis, cujus termini incongrue cadebant, sed erat emptionis dictorum jurium seu prætensionum, juxta casum text. *in l. per diversas, & l. ab Anastasio, C. mandati*, 6
extra tamen earundem legum prohibitionem procedentem in voluntario litium redemptore litigiosas actiones, seu prætensiones acquirente, ut alios molestaret, secus autem in possessore id agente ad effectum excipiendi, & se tuendi in sua possessione, a Pont. *consil. 76. & 77. lib. 1.* Leotard. *de usuris, quæst. 39. n. 35.* Olea *de cessione, tit. 6. quæst. 10. n. 33. 93. & 66.* Rota *dec. 264. n. finali par. 3. recent.* & sæpius in sua materia *sub tit. de credito*.

Ad regulandam igitur istius contractus læsionem, admittebam procedendum esse cum terminis emptionis, & venditionis, in quibus facilius, quam in transactione ad- 7
mittitur læsio enormissima doli præsumpti, aliorumque præjudicialium effectuum productiva, verum ad illam regulandam attendendus non erat valor rei, ad quam prætensio haberi poterat, sed valor ipsius prætensionis, quanti scilicet illa exposita venalis, spectato eo statu, vendi potuisset, & cum hac regula absque dubio læsio non adesset, quoniam si dictæ mulieres has prætensiones exposuissent venales, neque pro centum emptorem invenissent ob duplex obstaculum, unum contractus dationis in solutum per ipsas factæ, quem de medio tollere oportebat, & alterum fideicommissi, quod neque erat expressum, sed interpretativum, & conjecturale, & consequenter dubium.

Credidit Rota læsionem ex eo resultare quod pro hujusmodi cessione nihil datum esset, dum conventio de scutis 1600. præstandis concepta erat in casu victoriæ tantum, & solutio reliquorum scutorum 400. fuerat simulata, sed pariter pro meo judicio non bene dicebatur, quoniam procedendum non erat inspecto statu, seu tempore, in quo hæc disputabantur, quando cum opera, diligentia, & sumptu ejusdem cessionarii, jam prodierat dicta decisio coram Albergato, sed procedendum erat inspecto statu, seu tempore initi contractus, quando omnia erant incerta, & cessionarius se exponebat periculo inutiliter terendi labores, & pecunias in lite, cujus malus exitus nullum damnum cedentibus intulisset, e converso autem bonus magnam produxisset utilitatem, non solum circa dictam summam pecuniariam ex ejusdem domus residuali pretio extantem obtinendam, sed etiam circa recuperationem granariorum, quæ pariter insolutum dicto Lucillo data fuerant, unde propterea dici poterat esse potius in casu pacti quotæ litis, quod exceptis Advocatis, & Procuratoribus, in aliis non est prohibitum, Medices *dec. 37. n. 2.* Farinac. *de variis delictis, q. 106. n. 56.* Pur. *dicta dec. 507. par. 2.* Ariminen. successionis 1. Aprilis 1558. coram Bevilaqua, *§. fin. impress. dec. 328. part. 12. rec.* His autem fundamentis decisiones nullatenus satisfaciunt.

ROMANA DOMORUM
PRO MATTHIA CAPOCACCIA
CUM N.

Casus disputatus in Tribunali Vicarii, incertus est exitus.

De Statuto Urbis circa læsionem sufficientem in tertia parte, an liget Clericos, & Ecclesiasticos? Et quid ubi ipsi Ecclesiastici illud pro se allegant, & de læsione in venditionibus ad vitam, seu aliis contractibus, ac juribus vitalitiis.

Et an venditio sub hasta facta prævio judicio cum principali debitore, non citatis creditoribus admissis ad causam, dicatur nulla, etiam respectu ipsiusmet principalis, vel aliorum, qui non erant admissi ad causam?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 Facti series.
2 An in venditione judiciali sub hasta sufficiat læsio in sexta, vel debeat esse in dimidio?
3 Statutum Urbis reducens læsionem ad tertiam partem est laicale, & non procedit cum Ecclesiasticis.
4 Clerici, & Ecclesiastici, an volentes possint uti Statutis laicorum in favorem?
5 Jura vitalitia quomodo sint æstimanda.
6 An in judicio contra debitorem sint citandi ejus creditores?
7 Omissio citationis aliquorum, an annullet actum in totum etiam quoad citatos?
8 Quid in confectione inventarii.

D I S C. XXVIII.

1 ADversus debitorem possidentem controversas domos cum onere fideicommissi omnino extituri itaut fuum jus pro solo tempore ejus vitæ duraret, aliqui creditores, obtento mandato executivo, dictum jus, seu vitalitiam commoditatem exequi, ac subhastari curarunt, citato solum in singulis actibus ad id necessariis ipso debitore, non autem quodam alio creditore, qui obtinuerat admitti ad causam, atque protestatus fuerat, ut citari deberet ad omnes, & singulos actus, unde deliberatis dictis domibus pro jure ad vitam possessoris, ut supra competente, Capocacciæ ultimo, ac majori oblatori, contra istum quidam alii creditores dicti debitoris nomine intentarunt manutentionem, quæ juxta opinionem in Curia receptissimam, & quotidianam competit etiam adversus possessorem facto Judicis, quoties illud laborat nullitate, vel notoria injustitia, quæ nullitati æquipollet.

Nullitas autem deducebatur, tum ob omissam citationem dicti creditoris ad causam admissi, tum etiam ob læsionem, quam actores prætendebant enormissimam esse, vel saltem enormem. Introductaque causa coram Vicario, seu ejus in civilibus Locumtenente, quatenus pertinet ad punctum læsionis, Scribentes pro actoribus cum longa allegationum congerie probare conabantur, quod in vendi-
2 tionibus sub hasta, & judiciali auctoritate factis, læsio in sexta parte sufficeret juxta opinionem receptam apud Regnicolas id communiter firmantes, istamque opinionem dicebant fuisse per Rotam quoque canonizatam in Romana læsionis 12. Junii 1654. coram Bichio, in qua dictorum Regnicolarum auctoritates cumulantur.

Verum facilis fuit objecti solutio; quoniam licet dicta opinio probabilem habere videatur rationem, attamen, ut sæpius *hoc eod. tit.* habetur, Rota & Curia eam recipere noluit, atque sæpius, præsertim in Imolen. bonorum 6. Martii 1665. coram Verospio declaravit, ut ea, quæ dicuntur in dicta Romana læsionis cor. Bichio, non sint ex mente Rotæ, minusque illa dicenda sit decisio, sed fuerit simplex discursus Extensoris, qui Me præsente graviter increpavit quendam causarum Patronum, quod in alia causa eam tanquam decisionem allegasset, unde cum actorum probationes non concluderent læsionem ultra dimidiam, sed bene ultra tertiam in Urbe sufficientem ex Statuto, ad istud recurrebant.

Replicabam Scribens pro Reo, receptum pariter esse, quod Statutum prædictum, utpote laicale, locum non haberet in casu controversiæ ob mixturam Clerici, qualis
3 erat venditor, juxta firmata in *decis. 69.* post Fenzon. & in allegata Romana læsionis 12. Junii 1654. coram Bichio, licet enim ista moderna opinio super Statutis Urbis non comprehendentibus Ecclesiasticos, nisi ubi expresse dicitur, Mihi nunquam placuerit, nihilominus donec ea revocetur, hoc jure vivitur in Curia juxta firmata in Romana pecuniaria de Sanctacruce 18. Junii 1655. & 27. Junii 1657. coram Cerro impress. *dec. 52. & 264. par. 12. rec.* de qua habetur *sub tit. de dote, disc.* 22.

Ex quibus decisionibus solvebam aliud objectum Scribentium in contrarium super conclusione, quod Ecclesia-
4 stici quamvis inviti non ligentur Statutis laicalibus, possunt tamen volentes eis, utpote favorabilibus tanquam specie privilegii uti, quoniam etsi conclusio sit verissima, atque declaratio ei data in dictis decisionibus non placeret ex deductis *in dicto disc.* 22. *de dote*, attamen donec dictæ decisiones revocentur, juxta Curiæ stylum, cum eis Judices inferiores procedere debent, ac solent.

Præterea cum sensu etiam veritatis, dicebam dictam conclusionem generaliter veram, recipiendam quidem esse in aliis actibus, in quibus non urgeat motivum correspectivitatis, non autem in mere correspectivis, quoniam contra principia videtur, ut in uno, eodemque contractu, in quo utarque contrahens lædi potest, uni licitum sit allegare læsionem in tertia parte, & alteri nonnisi ultra dimidiam, unde propterea in correspectivis, seu judicialibus omnimodam æqualitatem exigentibus, privilegium unius communicatur alteri, ut frequens, & quotidianum habemus, præsertim in materia Ægidianæ non comprehendentis Ecclesiasticos, quod per illos contra laicum collitigantem deduci non potest, quoniam ob mixturam Ecclesiastici quamvis victoris, sententia contra laicum est appellabilis cum similibus, ut habetur in allegata Romana de Sanctacruce, *tit. de dote, disc.* 22. & 143.

Illud autem correspectivitatis motivum apud Me erat efficacius, & ob quod intellectus nunquam dictis resolutionibus acquiescere potuit, quoniam Clericus actor in eo casu obtinere non posset contra laicum debitorem, & e converso laicus obtineret contra Clericum, contra omnia principia, & tamen in eo casu illud neglectum fuit.

Cæterum læsio ad limites Statuti probabatur solum præsumptive cum regula præscripta per text. *in l. hæreditatum, ff. ad l. Falcid.* calculando scilicet valorem juxta 5
ætatem debitoris, pro cujus vitæ tempore venditio facta erat, sed replicabam hujusmodi calculum non bene procedere, erroneumque videri in juribus vitalitiis hujusmodi regulam generalem præscribere, cum potius pretium regulandum veniat ab individuis facti circumstantiis latius ponderatis in Romana locorum montium de Oricellariis *sub titul. de Regalib. ad materiam locorum montium, disc.* 30. ubi habentur rationes, & auctoritates, quæ in præsenti repetebantur, atque animum Judicis in hac parte captivarunt, cum pene impossibile sit in hujusmodi juribus vitalitiis, quæ ad horam vacare possunt, dare concludentem læsionis probationem, ut loco citato, & alibi.

Quare tota difficultas restricta fuit ad punctum nullitatis ob omissam citationem creditoris admissi ad causam, 6
pro qua nullitate probanda, Scribentes in contrarium deducebant firmata apud Salgad. *in labyr. par. 1. cap. 5. ex n. 27. & n. 54.* Verum hæc extranea erant a casu controversiæ, dum ibi agitur de judicio universali concursus juxta stylum Hispaniarum ad instantiam ejusdem debitoris efformati contra creditores, in præsenti autem agebatur de judicio particulari ad instantiam aliquorum creditorum contra suum debitorem, pro quo urgendo, sive in persona, sive in bonis jure cautum non est, ut ejus creditores habentes interesse accessorium, seu consequntivum citari debeant ex iis, quæ habentur supra in Romana Salviani, *hoc eod. tit. disc.* 19. & sic difficultas cadere solum poterat respectu illius creditoris, qui admissus fuerat ad causam, & fecerat se contradictorem, qui tamen non opponebat, neque erat in causa, sed nullitas allegabatur per alios incertos, ac non citandos.

In eo enim puncto, an ex omissione citationis unius, 7
judicium corruat in totum etiam respectu eorum, qui citati sunt, ea est vera, & recepta distinctio, quod aut citatio requiritur ratione principalis interesse, quia omnes sint principales in causa, & cæquale jus habeant, aut requiritur ex sola ratione præjudicii: Primo casu intrat distinctio, an agatur de materia dividua, vel individua, ut in individuis intret regula, quod ex omissione citationis unius judicium corruit in totum, juxta *decisionem 319. Gregorii cum concord.* Ubi vero citatio requiritur ratione præjudicii, tunc ejus omissio præservat jura non citati, itaut, quoad eum habeatur actus pro infecto, sed non annullatur in totum, Surd. *decis.* 256. *n.* 15. Buratt. *dec.* 71.
n. 3. & 371. in fine, Cavaler. *dec.* 353. *n.* 3. & habemus 8
in confectione inventarii quoad non citatos, Buratt. & Adden. *decis.* 750. *n.* 5. Adden. ad Gregor. *decis.* 137. & sic aliud est actum esse nullum, aliud vero non præjudicare.

ANNOT. AD DISC. XXVIII.

JUra vitalitia quomodo sint æstimanda, notatum fuit *ad disc. 54. de donat.* Quando autem omissio citationis aliquorum annullet actum in totum, habetur in sua sede, *sub tit. de Jud. disc. 9. & sub tit. de hæred. disc. 14. & 21.*

ROMA-

ROMANA CENSUS, PRO MONASTERIO S. SILVESTRI, CUM FRANCISCA CURTIA.

Casus decisus per Rotam pro Monasterio.

Facta emptione pro persona nominanda, & sequuta nominatione, an creditores in dicta emptione accollati, jus habeant contra primum emptorem, ejusque bona vigore suæ obligationis, vel potius facta nominatione, omne jus activum, & passivum transeat in nominatum, & resolvatur quoad nominantem?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Emptione facta pro persona nominanda, & facta nominatione, omne jus activum, & passivum cessat in primo emptore.*
3 *Et an attendenda sit distinctio inter nominationem voluntariam, & necessariam?*
4 *Declaratur quando procedat conclusio, quod emptor cum pacto de retrovendendo est perfectus Dominus.*
5 *Quid ubi dicatur emit pro se, & persona nominanda.*

D I S C. XXIX.

1 Usque ab anno 1609. Julianus Grifonius, pro se, & persona nominanda emit a Constantia vineam, in se accollando in partem pretii censum in sorte scutorum 400. super vinea impositum a venditricis parentibus ad favorem Pinotti, & biduo post Grifonius nominavit in emptores Honoratum Realem, & Nicolaum Morrum nominationem acceptantes, omniaque contractus onera in se assumentes cum subsequuto effectu, post longissimum autem temporis decursum, de anno scilicet 1655. Curtia tanquam cessionaria hæredum Pinotti creditoris censuarii judicium immissionis instituit ex remedio Salviani ad quoddam casale possessum per Monasterium Monialium S. Silvestri de Capite, tanquam de bonis dicti Grifonii emptoris, atque sententiam favorabilem contra Monasterium indefensum reportavit, a qua commissa per appellationem causa in Rota coram Celso, datoque dubio, *an attriti concedenda esset immissio?* per causæ Patronum pro Monasterio scribentem, plures deducebantur exceptiones in nudo facto consistentes circa deficientem probationem secundi extremi, quod scilicet controversum casale fuisset de bonis dicti Grifonii, qui debitor præsupponebatur, ac etiam circa primum extremum crediti, quod impugnabatur ratione simulatæ cessionis, sed cum hæc omnia consisterent in facto, nullæ desuper, vel modicæ erant partes Scribentis in jure, quæ solum restringebantur ad punctum, an posita etiam dictorum extremorum justificatione, stante quod emptio prædicta facta erat pro persona nominanda, cum subsequuta nominatione post biduum, duraret dicti emptoris obligatio erga creditores in dicta emptione accollatos, vel potius universum jus activum, & passivum dicti contractus transierit in nominatum.

Scribens pro Monasterio reo convento, dicebam juxta hanc secundam partem esse regulam, ut scilicet facta no-
2 minatione universum jus activum, & passivum transiisse dicatur in nominatum, ac resolutum quoad nominantem, qui habendus est pro simplici organo, seu instrumento, quo mediante actus ab initio directe, ac immediate initus censeatur inter venditorem, & nominatum tam ad effectum, ut nominans solutus remaneat ab omnibus obligationibus in contractum deductis transeuntibus in nominatum, quam etiam ad alterum, ut ipsius ita emptoris creditoribus nullum jus ad bona sic empta competat, Anchar. *cons.* 127. *in princ.* & post alios antiquiores, Surd. *dec.* 182. *in fin. &* 226. *in princ.* Gregor. *dec.* 127. *n.* 3. *cum seqq.* Noguerol. *allegat.* 11. *n.* 89. *cum seqq.* Cenc. *de censib. q.* 67. *n.* 14. *& seqq.* Salgad. *in labyr. par.* 2. *cap.* 13. *n.* 28. *& per tot.*

Et quamvis per Alex. *cons.* 232. *lib.* 6. *& seqq.* in proposito
3 adhiberi soleat distinctio inter nominationem necessariam, & voluntariam, quasi quod in primo casu conclusio procedat, non autem in secundo, ad quod conferunt quæ ex Amat. *resol.* 21. *& aliis*, habentur in materia obligationis causativæ, seu occasionalis deduct. *sub tit. de Regalib. ad materiam officiorum*, *disc.* 8. *&* 9. quod scilicet conclusio super resolutione obligationis causativæ ob cessantem possessionem rei, cujus intuitu obligatio facta est, procederet, ubi res cesset casu, vel facto tertii juxta ea, quæ habentur supra in Sutrina *disc.* 23. secus autem, ubi provenit ex causa mere voluntaria, nihilominus in his terminis, quando emptor declaravit pro alio acquirere, emendo scilicet pro persona nominanda, tunc illa opinio Alex. est rejecta, juxta firmata in *allegata dec.* 227. *Gregorii*, quæ tanquam magistralis in Curia circumfertur, passimque recepta est.

Potissime vero eam procedere dicebam in hac facti specie in qua agebatur de nominatione fere instantanea post biduum, ea qua observantia, clara desumebatur voluntas emptoris gerendi actum alieno nomine, unde propterea non intrabat difficultas, quæ forsan cadere posset, ubi post notabile intervallum hujusmodi nominatio tanquam species novæ venditionis facta esset.

In contrarium Scribentes deducebant auctoritatem Ga-
4 brielis *cons.* 80. *n.* 4. *lib.* 1. & Martæ *voto* 127. *dec.* 64. *n.* 7. 169. *n.* 2. ac etiam Rotæ *dec.* 166. *n.* 1. *par.* 4. *rec. tom.* 2. in quibus firmatur emptorem pro persona nominanda dici verum Dominum, & emptorem, verum facilis erat solutio ea earundem auctoritatum lectura, cum percutiant tempus intermedium inter emptionem, & nominationem, in quo tempore, tam quoad fructus, quam quoad onera, & reliquum jus tam activum, quam passivum, ille dicitur emptor, & Dominus, sed punctus est post factam nominationem, & ab eo tempore citra, in quibus terminis dictæ auctoritates non loquuntur, sed potius præsupponunt contrarium, ut præsertim habetur *dec.* 615. *n.* 1. *par.* 2. *recent.* quæ per eosdem Scribentes allegabatur.

Replicabant iidem, hæc procedere, ubi emptio facta es-
5 set pro persona nominanda simpliciter, secus autem, ubi pro se, & persona, seu personis nominandis, quasi quod illo secundo casu (qualis erat præsens) nominans adhuc post factam nominationem remaneret emptor, juxta decisionem 40. Otthoboni *& dec.* 208. *p.* 4. *rec.* Sed pariter minus tutum fundamentum erat, quoniam casus dictæ decisionis est ille, de quo actum habetur in Romana partecipationis *sub tit. de locat.* ubi scilicet quis suscipit appaltum pro se, & nominandis, ipso etiam contractu permanente, eoque ita decisum 17. Maji 1662. cor. Celso apud eum *dec.* 477. neque scio, an causa ulteriorem progressum habuerit.

ANNOT. AD DISC. XXIX. & XXX.

De emptione facta pro persona nominanda, habetur etiam actum *hoc tit. de empt. disc.* 90. ubi an teneatur de evictione, qui emendo rem pro persona nominanda, alterum nominavit, cum aliqua alteratione pretii, & pactorum.

ROMANA MANUTENTIONIS, PRO FRANCISCO GUGLIELMO. C U M N.

Casus disputatus coram Prælato Judice Commissario, credo pro Francisco resolutus.

De eadem materia emptionis factæ pro persona nominanda, an fieri possit nominatio post annum.

S U M M A R I U M.

1 *Casus controversia.*
2 *An & quando facta emptione pro persona nominanda fieri possit nominatio post annum?*
3 *Declaratur quando, & ad quem effectum dicta quæstio intret.*
4 *Quando secundo creditori competat jus offerendi adversus emptorem.*

D I S C. XXX.

1 Facta per N. emptione pro persona nominanda cujusdam vineæ subhastatæ ad instantiam Guglielmi credi-
2 toris, & subsequuta post annum nominatione in personam ejusdem Guglielmi, cum hic a priori Domino, qui subhastationem passus fuerat, in possessione turbaretur, unde manutentionis remedium intentavit, de ejus non jure per alteram partem opponebatur, quod non esset legitimus emptor, stante quod nominatio facta erat post annum, quando amplius fieri non potest juxta opinionem, quæ magis communis videtur ex deductis per Surd. *dec.* 226.

Scribens pro Guglielmo dicebam, quod quidquid sit de hujus-

2 hujusmodi quæstione in abstracto, in qua ut etiam post annum talia nominatio fieri possit, plures tenent, de quibus apud eundem Surd. & Riminald. juo. *cons.* 163. *in fine*, id procedit in dubio, & ubi nominatio nullis est suffulta adminiculis, ac præsumptionibus suadentibus, revera ementem, non pro se, sed pro nominato emisse, quamvis ex negligentia nominatio ita dilata esset, ut ex Dec. *cons.* 543. n. 12. *cum seq.* & aliis bene probat idem Surd. *dec.* 325.

Id autem in præsenti concurrebat ex pluribus adminiculis, & circumstantiis; primo scilicet, quod per dictum oblatorem nullum fuit solutum pretium, quod Guglielmus creditor ita tacite sibi ipsi solvit; secundo, quod dictus emptor nunquam possedit, quas duas circumstantias in specie ponderat Surd. *ubi sup.*; tertio ex verisimilitudine oriente a communi usu, licet enim juxta receptam opinionem creditores, ad quorum instantiam fiunt subhastationes, non prohibeantur tanquam tertii publice, & palam offerre, atque cum aliis licitatoribus concurrere, attamen frequentius id agere solent mediante aliqua persona supposita offerente pro persona nominanda juxta casum tant. *in l. & qui sub imagine*, C. *de distract. pignor.* Quamvis vere iste sit potius abusus, ac inducti vulgi cautela præjudicialis, quoniam emendo per seipsos publice, & palam tanquam tertii oblatores probabilius estimantur a jure offerendi, aliisque præjudiciis, quibus subjacent ita emendo per interpositas personas, ex deductis in Bonon. prædii 15. Martii 1660. & 18. Februarii 1661. coram Bevilaqua, editis in causa, de qua infra *disc. seqq.*

Unde quicquid sit de actu bene, vel male gesto ad alios effectus, cum id de facto sit frequens, satis tamen attendendum est pro adminiculo veritatis, seu agentium voluntatis, pro qua metienda non attenditur, quomodo actus melius fieri debeat, sed quomodo soleat, sive qualis esset facientis opinio, quamvis falsa, ideoque ex omnibus dictis circumstantiis insimul unitis, dicta nominatio, utpote satis adminiculata, videbatur attendenda, quamvis facta post annum.

3 Cessabat propterea omnis difficultas, quoniam hujusmodi quæstio intrat ubi agitur de jure tertii, cujus interfit rei emptæ dominium, emptori non autem nominato quæsitum esse cum impedimento retrotractionis, itaut nominatio de altero facta, speciem novæ venditionis habeat sub hoc vocabulo palliatæ, ad fraudandos forsan creditores emptoris nominantis, vel ad fraudandam gabellam contractuum, quæ in casu veræ nominationis unica debetur, cum unicus reputetur contractus per nominatum ab initio gestus per medium, seu organum nominantis; ubi vero nominatio non est legitima, sed continet speciem novæ venditionis ita palliatæ, gabella debetur duplicata cum similibus, quæ tertii fraudem, vel præjudicium continere possunt, atque ad istos effectus loquuntur DD. hujusmodi quæstiones tractantes, ut habetur *sub tit. de locat.*

Secus autem, ubi hoc tertii præjudicium cessat, atque id opponitur ab eo, cujus nihil interest, venditionem ab initio substantiatam esse in nominante, vel in nominato, quoniam utcumque sit, semper iste eandem actionem exercere potest cum dilemmate, quod in præsenti deducebam, aut enim nominatio est bene facta, & nominatus recte agit ex persona propria tanquam emptor ab initio, aut non est bene facta, itaut resolvatur in novam emptionem, seu cessionem sibi factam a primo emptore, & pariter tanquam cessionarius, atque illius nomine exercere potest omnia jura ejus auctori competentia, ut de cessionario agente etiam in possessorio saltem sub nomine cedentis, & tanquam istius Procuratore in rem propriam, post Menoch. & alios habetur apud Posth. *de manut. obser.* 55. *n.* 13.

4 Quinimmo observabam, speciem calumniæ, ac malignitatis in oppositore dignosci, hujusmodi punctum assumendo (nisi diceretur esse potius ignorantiam sui Defensoris) cum sibi magis expediret, ipsum creditorem, ad cujus instantiam facta erat subhastatio, censeri emptorem ab initio, sub alterius simulato nomine, quoniam tali casu intrare poteret remedium juris offerendi, quod secundo creditori competit ipsi etiam debitori proficuum, quod negatur in altero, quando scilicet tertius vere emit pro seipso, & deinde ex intervallo (cessante simulatione ab initio) per novam conventionem eandem rem vendit creditori, ad cujus instantiam subhastata fuerat, ut ita distinguendo habetur in allegatis decisionibus editis in Bonon. prædii coram Bevilaqua, de qua infra *d. disc. seqq.*

BONON. PRÆDII,

PRO CAMILLA ZAMBECCARIA DE FIBULIS,

CUM CAMILLO SCAPPIO.

Casus varie decisus per Rotam.

An & quando adversus ementem bona vendita jure creditoris, venditoris creditoribus competat jus offerendi, & quid ubi ipsemet creditor, ad cujus instantiam venditio facta est, emptor nunque existat sub alterius simulato nomine?

S U M M A R I U M.

1 F*acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quando venditio sub hasta est nulla, competit sine dubio jus offerendi, & de ratione.*
4 *Regula est, ut contra ementem jure creditoris non detur jus offerendi.*
5 *Quid contra ipsum creditorem ementem, ut competat.*
6 *Creditor potest licitari tanquam quilibet extraneus.*
7 *Conclusio, de qua n. 6. procedit solum præsumptive:*
8 *Declaratur conclusio, de qua num. 6. ut non procedat quando emit per alium.*
9 *De declaratione hujus conclusionis, & quando procedat.*
10 *In eadem persona materiali dantur plures personæ formales.*
11 *Quando proprie dicatur fieri venditio jure creditoris.*
12 *Declaratur conclusio, de qua n. 8.*

D I S C. XXXI.

SUbhastato ad instantiam Camilli, & fratrum controverso prædio, illius licitator fuit Dominicus, qui illinc ad aliquos menses pro eodem pretio illud cessit eidem Camillo, contra quem Camilla creditrix ejus, qui subhastationem passus fuerat, jus offerendi intentavit, atque in partibus obtinuit; introducta vero per appellationem causa in Rota coram Bevilaqua sub die 15. Martii 1660. pro dicti juris offerendi exclusione ad favorem rei, & possessoris prodiit resolutio, a qua tamen in repropositione sub die 18. Februarii 1661. recessum fuit, respondendo pro confirmatione sententiæ ad favorem Camillæ, atque in hoc statu causa per concordiam terminata fuit. 1 2

Mihi pro Camilla scribenti, reflectendo etiam ad solam veritatem, probabilior videbatur posterior resolutio absque necessitate altioris inspectionis in hujusmodi disputationibus assumptæ super competentia hujus juris adversus ipsum creditorem per seipsum, vel alium licitantem, ut infra ex solo plano, ac certo motivo nullitatis dictæ subhastationis, ex pluribus defectibus resultantis, illa enim posita, de plane resultat competentia juris offerendi non attento quod agatur de venditione facta jure creditoris, ex ea clara ratione, quod stante nullitate dominium abdicatum non fuit a debitore, neque transfusum in emptorem, qui proinde vere talis dici non potest, sed nudus detentor, juxta *decis.* 224. Franch. cum concordan. collectis per Posth. *de subhastat. inspect.* 17. *num.* 121. *& seqq.* Arias de Mesa *lib.* 1. *var. cap.* 28. Carleval. *de judic. tom.* 1. *disp.* 24. *nu.* 7. *cum seqq.* Fontanell. *decis.* 435. *&* 436. & Rota sæpius, præsertim in Anconitana bonorum coram Bichio *dec.* 108. apud Posth. *de subhastat. repetit. dec.* 61. post Merlin. *de pignor.* & in hujus causæ secunda decisione, cum sit conclusio nullam habens difficultatem. 3

Quatenus vero, cessante hoc motivo, pertinet ad punctum juris offerendi adversus valide ementem bona sub publica hasta vendita jure creditoris, non dubitabatur hinc inde de regula juris offerendi exclusiva, quatenus de tertio licitatore ageretur, juxta claram dispositionem text. in *l.* 1. *&* 2. *Cod. si antiquior credit. cum concord.* apud Franch. *dec.* 69. & plenius, magisque ex professo per Rotam apud Duren. *decis.* 445. cum qua passim proceditur, utpote in materia magistrali. 4

Verum quæstio erat, an eadem regula procederet ubi ipsemet creditor, ad cujus instantiam fit venditio, licitasset, an scilicet jure cujuslibet licitatoris habendus esset, vel potius præsumendum sit eum licitasse pignoris conservandi gratia, non autem animo acquirendi dominium, diversamque personam emptoris induendi, juxta celebrem, ac magistralem *decis.* 69. Franch. super qua modernio- 5

derniorum disputationes pro utraque opinione circumferuntur.

In hoc autem puncto, Rota etiam in prima decisione possessori favorabili, admittit opinionem pro juris offerendi competentia, quatenus ab initio ipse creditor per se ipsum, vel per interpositam personam emptionem fecisset, negat vero ea ex facti circumstantia, quod res empta fuisset a tertio, qui deinde ex plurium mensium intervallo jam effectus perfecte Dominus a dicto jure offerendi tutus, eandem rem vendidit uni ex creditoribus, non tanquam creditori, sed tanquam tertio; quia vero ex pluribus justificationibus probatum fuit, vere ab initio animum creditorum fuisse emendi pro seipsis, licitatoris vero personam simulate adjectam esse, hinc proinde procedendo cum dispositione text. *in l. & qui sub imagine C. de distract. pignor.* contrarium dictum fuit, quasi quod tunc ipsa creditor ab initio directus emptor simulato alieno nomine fuerit.

6 Quamvis autem, ut dictum est ex præfato altero motivo nullitatis, posterior resolutio, justa beneque fundata esset, attamen quatenus ad illud motivum pertinet, Mihi quamvis illud deducenti, ac obtinenti, parum placuit, posito enim, quod subhastationis actus valide, ac sincere, servatisque aliis de jure servandis initus fuerit, adeo ut contra extraneum licitatorem sine dubio præclusum sit jus offerendi, nulla videtur suppetere congrua ratio, cur illud competere deberet adversus ipsum creditorem licitantem, cum hodie recepta sit conclusio, super qua ad nimiam satietatem plura deducit collector Postius *hoc tract. de subhast. inspect.* 32. & est nedum in Rota, & Curia, sed ubique receptissimum, ut possit creditor, ad cujus instantiam fit subhastatio, publice, palam, ac bona fide inter plures oblatores comparere, ac licitari cum nulla ratio suppetat, cur qualitas creditoris eum facere debeat deterioris conditionis quocumque extraneo, eique denegari debeat facultas competens cuilibet de Populo.

7 Dubitandi enim ratio ponderata per antiquiores deductos apud Franch. *d. dec. 69.* fundatur in simplici præsumptione juris, quod scilicet creditor emendo bona debitoris, id agere censeatur potius pignoris conservandi gratia, quam animo emendi, hæc autem simplex præsumptio sine dubio cessat ex contraria veritate, qua concurrente, quod scilicet vere creditor in animo habuerit induendi diversam personam emptoris, non videtur quare dictæ præsumptioni operatio tribuenda sit.

8 Et quamvis ob dispositionem dicti text. *in l. & qui sub imagine, C. de distract. pignor.* procedi videatur cum distinctione, ut creditori licitum sit personam licitatoris induere, atque in hoc jure cujuslibet extranei reputari, quando publice, & palam per seipsum directe emat, secus autem alterius personam supponendo, attamen ubi agitur de venditione sub hasta, quæ Judicis publica auctoritate valide, ac sincere, servatis servandis fiat, non videtur, ubi hæc distinctio fundata sit. Dispositio enim dicti text. *in l. & qui sub imagine*, procedit, retentis terminis, in quibus loquitur, quando scilicet ipse creditor in vim facultatis sibi a debitore, vel a lege attributæ, pignus vendit privata auctoritate, tunc enim cum legalis, vel conventionalis Administratoris personam gerat, justum est, ut sibi neque per seipsum, neque per interpositam personam præcludatur via emendi, ne alias ad propriam utilitatem pro vilissimo pretio vendat, atque supplantet debitorem
9 sub ejus administratione viventem, hinc propterea, ideo prohibitum est indirecte emere sub simulato alterius nomine, quia directe quoque, ac per seipsum est prohibitus id agere.

Ubi vero cessat ista ratio, quia nempe creditor non curet uti jure sibi alias competente vendendi ejus auctoritate pignus conventionale, sed illud effectum pretorium ponitur sub publica administratione Judicis, qui ad publicam hastam illud vendi mandat, & quo casu directe, ac immediate receptum est creditorem, tanquam tertium licitari posse, non videtur, quæ lex, vel ratio prohibeat
10 id fieri, mediante persona fiduciaria, quoniam ut advertitur *sub tit. de camb.* & alibi pluries, in jure damnata est simulatio actus alteri præjudicialis, complicans mendacium, quia nempe unus actus forsan prohibitur, sub alterius actus nomine simuletur, prohibita vero non est simulatio personæ, seu nominis, quoties in reliquis concurrat sinceritas actus, qui explicatur, cum nihil referat illum sub unius, vel alterius nomine fieri, dum valide fieri poterat sub nomine utriusque. Ideoque licet adhuc occasio non præbuerit, id particulariter disputandi, unde propterea omnino maturum judicium desuper efformari non potuit, atque pragmatici cum dicta distinctione passim procedant, attamen illa Mihi non placet, & quando formiter disputaretur, probabilius crederem contrarium dicendum fore, quoniam esset dare inconveniens, quod Nobilium ac Magnatum, ad quorum instantiam bona debitorum subhastantur, & quibus indecorum est in publica hasta cum pluribus oblatoribus contendere, deterior esset conditio, quam cujuslibet plebei.

Quodque diversa sit venditio, quæ fiat jure creditoris ab ipso creditore cum ea auctoritate privata, quæ a lege, vel ab homine attributa est, ab ea, quæ fiat per Judicem auctoritate publica ad publicam hastam, patet ex plene deductis apud Duran. *in d. dec.* 445. Cum enim per text. *in d. l. 1. & 2. C. si antiquior creditor*, negetur competentia juris offerendi adversus ementem jure creditoris, atque vere loquatur de illa venditione, quæ ab ipso creditore fiat, hinc examinatur quæstio, an idem procedat, ubi eadem fiat per Judicem ad istantiam creditoris, ex ea dubitandi ratione, quod tunc non jure creditoris fieri dicatur venditio, sed potius ab ipso debitore, cujus vice, ac nomine Judex vendit, ex recepta propositione, quod factum Judicis dicitur factum Partis, atque potius ex identitate rationis, ac instar, illo casu receptum est jus offerendi non intrare, quam quod vere dictæ leges illum percutiant, cum sine dubio sint inter se diversi, & consequenter improprium est his terminis applicare dispositionem dicti alterius text *in l. & qui sub imagine, &c.* quæ vere procedit in venditiona, quæ ab ipso creditore fiat. 11 12

ANNOT. AD DISC. XXXI.

De materia juris offerendi habetur actum *sub tit. de cred. disc. 32. 54. & 142.* & latius *hoc tit. disc. 165. & sub tit. de judic. disc. 40.*

ROMANA REDEMPTIONIS
PRO CATANEIS,
CUM COSTIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Cataneis.

Quale pretium attendi debeat in retrovenditione, seu redemprione, an illud contractus, vel illud temporis, quo fit redemptio? Et de pacto redimendi necessario in venditore, an valeat, & ubi restrictum est ad certum tempus, quomodo intelligendum sit? Et incidenter de aliis ad materiam juris redimendi.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod non valeat pactum obligativum venditoris ad remidendum.*
3 *Quando etiam in casu, quo sit facultativum in venditore, pactum sit illicitum.*
4 *De validitate pacti, de quo num. 2.*
5 *Pro credito dotali currunt fructus, vel percipiuntur ex pignore.*
6 *Pro eodem potest imponi census.*
7 *An & quando tempus censeatur adjectum gratia extinguendi, vel prorogandi obligationem?*
8 *Quod lapsus termini importet initium obligationis.*
9 *Pactum de retrovendendo præscribitur per 30. annos, secus ubi adsunt verba semper, & quandocumque.*
10 *An hæredes restituantur adversus lapsum 30. annorum?*
11 *De quæstione, quale pretium debeat attendi.*
12 *Quod debeat attendi tempus redemptionis, etiam ubi pretium est præfinitum.*
13 *Emptor cum pacto de retrovendendo interim est verus Dominus.*
14 *Quomodo æstimentur bona data in dotem æstimata cum pacto, vel facultate restituendi eadem.*
15 *De materia redhibitoriæ.*
16 *Sequuta redemptione resolvuntur omnes hypothecæ, & alia vincula adjecta per possessorem.*
17 *De vera ratione conclusionis, de qua n. 12.*
18 *An jus redimendi possit alteri cedi, & an ipse emptor in hac cessione præferatur?*

D I.

D I S C. XXXII.

1 Cum hæres Octavii Costæ condemnatus esset per Rotam ad restituendum in pecunia dotem Mariæ Cataneæ uxori Benedicti filii ejusdem Octavii, etiam pro ea rata, quæ data fuerat in quibusdam juribus Hispaniarum, & quodam datio Mediolani, utpote datis æstimatis, ut habetur in hac eadem causa *sub tit. de dote*, *disc.* 57. Cumque dicta jura data essent pro pretio librarum 25. mil. sub pacto, ut esset in facultate dotantium illa redimere infra quinquennium, quodque alias etiam inviti tenerentur, hinc dictus hæres judicium institnit contra dictæ Mariæ fratres dotantes, ut ea redimere deberent pro eodem pretio, ut ita inanem redderet succumbentiam, quam in Rota passus erat, vel illa redundaret in damnum fratrum victricit, ideoque introducta causa coram A. C. eaque acerrime disputata, resolutum fuit, Reos conventos teneri redimere, sed pro pretio currenti de præsenti, quod idem fuit, ac reportare absolutoriam, cum fere illud nullum esset, unde actor hucusque acquievit.

In his autem disputationibus, ultra punctum ordinis, seu competentiæ actionis in actore, qui non erat hæres directus, sed fideicommissarius, hærede directo adhuc vivente, super quo a Me semper neglecto, ac etiam a Judice, alii pro hac parte Scribentes magnum constituebant fundamentum. Tria alii fuerunt puncta, primo scilicet, an illud pactum ex parte venditoris obligatorium ad redimendum valeret necne, secundo, an quatenus validum esset, expirasset per quinquennium inter partes præfinitum, & tertio quatenus non expirasset, quale pretium in redemptione attendi deberet (stante adeo notabili diminutione) an scilicet illud contractus, vel illud redemptionis.

Alii pro hac parte reorum conventorum Scribentes nimium insistebant in dicti pacti invaliditate, quasi quod pa-
2 ctum de retrovendendo, sit quidem validum, ac frequenter receptum, quando sit facultativum ex parte venditoris, coactivum vero tantum ex parte emptoris, non autem e converso, cum data venditoris coactione, potius redolere videatur pignus, sive illum contractum, qui dicitur ad gaudendum, alias antichresim, cumulando in id ea, quæ pro ratione dubitandi deducta habentur apud Leotard. *de usur. q.* 68. & de antichresi habetur *sub tit. de usur. disc.* 9.

Attamen Mihi istud motivum non placebat, minusque
3 Judici placuit, & merito, quoniam est quidem illa species pacti minus frequens, magisque suspecta, ut propterea facilius intret fœnoris præsumptio, atque minora desiderentur adminicula, quam in casu converso, in quo etiam ex pretii modicitate, aliisque adminiculis, quamvis non accedat requisitum, quod esset solitus fœnerari, idem fœnus quoque intrat, ex iis, quæ habentur *eod. tit. de usuris*, ac etiam *sub tit. de Regal. ad materiam locorum montium disc.* 32. Non tamen ubi bona fides exuberet, seu circumstantiæ concurrant dictam suspicionem elidentes; pactum etiam ven-
4 ditoris coactivum dicendum est improbum, seu fœnoris inductivum, ut late, ac bene probat Leotard. *d. q.* 68. cujus fundamenta Scribentes pro Actore reassumebant, & advertitur in proposito antichresis *d. disc.* 9. *de usuris*.

In hac vero specie, ex facti qualitate, ac circumstantiis bona fides vere exuberabat, quamvis de contractu indifferenti ageretur, multo vero magis, ac absque principio dubitandi, dum agebatur de contractu dotali a quo aberat omnis fœneris suspicio, quodque ita palliatum fuisset pignus, ut ejus fructus pro credito mere pecuniario, ac sterili obti-
5 nerentur, dum erat ex causa dotis, cujus creditum etiam sine mora in recompensam onerum matrimonialium est fructiferum juxta terminos text. *in c. salubriter*, *de usuris*, ex plene deductis in sua materia *sub tit. de dote disc.* 161. & pluries.

Unde propterea juxta expressam declarationem ejusdem S. Pii V. ad ejus Constitutionem super forma creandi cen-
6 sus, receptum est pro credito dotali constitui posse censum, consueta forma non servata, ut *eod. disc.* 161. *de dote*, & in sua materia *sub tit. de censibus*, ideoque dum nulla suberet prohibitio faciendi actum sincere, ac publice, & palam, nulla pariter cadere videbatur suspicio, seu necessitas machinandi hujusmodi simulationem, ac fraudem.

Quo vero ad alterum punctum: quamvis hincinde ma-
7 gni adhibiti essent labores in quæstione tractata per Civilistas *in l. eum qui ita stipulatus*, *§. quia ita*, *ff. de verb. obl.* & per Canonistas *in cap. sicut*, *de sponsalibus*, quos plene reassumit Sanchez *de matrimonio*, *lib.* 1. *disp.* 35. an scilicet & quando tempus censeatur adjectum causa prorogandæ, vel potius terminandæ obligationis, attamen Ego advertebam id inanem continere laborem, quem frequenter Juristæ assumunt extra propositum ex defectu applicationis, cum ex facti serie dicta quæstio prorsus incongrua remaneret, siquidem quinquennio durante, jus redimendi in dotantibus, qui venditorum personam gerebant, erat solum facultativum, non autem arctativum, taleque dicto quinquennio expirante reddebatur, unde propterea si terminus prædictus censendus esset adjectus gratia extinguendæ, seu terminandæ 8
obligationis, ad evidentiam resultaret quod pactum remaneret inane, ac nunquam operativum, nisi in eo præciso momento, quod utique dicendum non est, sed potius dicendum est quod lapsus quinquennii continentis dilationem aperiat obligationem ex tunc incipientem juxt. text. in *l. qui hoc anno*, *ff. de verb. de obl. l. cedere diem*, *ff. de verb. sign. f. l. si mandato*, *§. Paulus respondit*, *ff. mandati*, atque ita bene ratiocinatur Rota *dec.* 234. *n.* 8. *& seq. par.* 5. *rec.*

Et sic illud jus redimendi indefinite contractum juxta 9
ejus regularem naturam, durat per annos triginta juxta opinionem, quam sequitur Rota, & Curia ex deductis *sub tit. de servit. ad materiam retractus*, *disc.* 87. ubi ex *dec.* 194. Celsi, & aliis ibidem in ea causa editis, habetur sub quæstione adhuc remanere, an dicta tricennalis præscriptio intret, quando pactum munitum est cum clausula *semper, & quandocumque*, super quo plura colligunt Fontanell. *decis.* 75. *& seq.* & Pratus *obser.* 36.

Sive an hæredibus ex capite ignorantiæ competat resti- 10
tutio in integrum, ut *eodem disc.* 87. *de servit.* quæ tamen inspectio in præsenti non cadebat, cum terminus 30. annorum adhuc duraret, quamvis computandus esset ab initio contractus, multo magis, & absque dubio, quia vere computatio facienda erat a die lapsus quinquennii, quando pactum initiabat, atque emptori acquirebatur actio ad cogendum, & non prius ex vulgari regula textus in *l. finali*, *C. de annali præscript.* ut non valenti agere non currat præscriptio, ideoque licet super his motivis Ego quoque more Advocati inservientis causæ, plura deducerem, attamen reflectendo ad veritatem, ab initio non placuerunt, ut juxta stylum Partibus intimavi, jussaque visum est rejecta esse.

Promovi autem Ego tertium motivum, quod Judex amplexus est, atque, reflectendo ad solam veritatem, solidum, 11
ac probabile videbatur, ut scilicet tenerentur quidem venditores ad formam pacti redimere, sed pro pretio currenti de præsenti, licet enim de stricto jure redemptio sequi debeat pro convento pretio, cum non levis quæstio inter Scribentes desuper cadat, quando de pacto redimendi simpliciter conventum est, nullo præfinito pretio, aliis tunc volentibus attendi debere tempus contractus, aliis vero tempus distractus, seu redemptionis, ut est probabilius, attamen ubi expresse conventum est redemptionem fieri debere pro eodem statuto pretio, tunc omnes hinc inde certantes concordant ex regula vulgaris textus in *l. ille*, *ff. de legat.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones.

Ex æquitate autem antiquioribus ignota, per moderniores autem judiciose ponderata, magis communiter receptum est, tam in isto retractu conventionali, quam etiam in legali, atque jure offerendi, quod secundo creditori com- 12
petat contra primum, sive debitori contra creditorem, ut tempus retractatus, seu redemptionis attendi debeat, ideoque intermedium augmentum, vel decrementum cedere debeat commodo, vel damno ejus, qui possessor fuit, ut firmat Caguol. *in l.* 2. *de pact. inter emptor. & venditor. n.* 190. in secunda moderna lectura, ubi se retractat ab iis, quæ in prima lectura in contrarium motivaverat, ac sequuntur Cæphal. *consil.* 510. *n.* 19. *& seq.* Sylvan. *consil.* 70. *n.* 10. *& seq.* Menoch. *consil.* 26. *n.* 22. Fachin. *lib.* 2. *contr.* 6. *vers. tertia est sententia*, Thesaur. *decis.* 140. Morott. *de jure offerendi*, *n.* 69. *& seq.* Rovit. *decis.* 24. *num.* 18. Merlin. *controv.* 93. *n.* 13. *& sequent. lib.* 1. ac habetur deductum pluries *in dicto tit. de serv. ad materiam retractus*, præsertim *dicta discurs.* 87. *in fine*, & conferunt deducta per Marin. *res.* 91. *n.* 11. *cum sequent. lib.* 1. Mantic. *decis.* 226. *n.* 4.

Duplicem id habet rationem, primo scilicet quod emptor cum pacto de retrovendendo, seu alias retractui subje- 13
ctus, interim dicitur verus, ac perfectus Dominus ad omnes effectus, etiam juris retrahendi, ut apud Millin. *decis.* 210. *n.* 11. *& dec.* 446. Buratt. *dec.* 677. *n.* 1. Rovit. *pragm.* 1. *de jurib. & exactionib. Fiscalibus*, *n.* 81. *cum seqq.* & consequenter ejus debet esse intermedium commodum, vel damnum incrementi, vel decrementi etiam intrinseci, seu alias accidentalis tanquam sequela dominii.

Ista ratio, quamvis scribendo more Advocati esset deducta, & forsan amplexa, non placebat, recte siquidem in-
14 trat in alio supra insinuato casu, quando conventum est de obligatione, vel facultate redimendi simpliciter juxta ea, quæ *dicto tit. de dote*, *disc.* 57. edito in hac eadem causa, & in aliis habentur de intermedio augmento, vel decremento bonorum, quæ in dotem data sunt æstimata cum vera æstimatione, sub pacto tamen, seu facultate restituendi eadem.

Ac etiam congruunt ea, quæ habentur apud Castrens.
15 *in l. Julianus*, *n.* 3. *ff. de action. empti*, & Azzon. *in summa Codicis de ædilitio edict. n.* 28. Specul. *lib.* 4. *de empt. & vendit.* §. *nunc dicendum est*, *n.* 2. in proposito contractus resoluti per redhibitoriam, quia fingitur nunquam extitisse.

Ita e pari, cum hæc resolutio ab initio in isto etiam
16 retractu necessario intret, adeout sequuta redemptione resolvantur omnes hypothecæ, omniaque vincula per intermedium possessorem adjecta, perinde ac si nunquam Dominus, nec possessor extitisset, ut cæteris relatis, Franch. *decis.* 64. Surd. *dec.* 286. *n.* 12. & *cons.* 409. *n.* 36., Casanat. *cons.* 7. *n.* 8. & *cons.* 9. *n.* 56. Amat. *var. resol.* 4. *n.* 15. Rota *dec.* 86. *n.* 5. *par.* 5. *rec.*

Solidior autem, ac vere magis recepta est altera ratio,
17 quod scilicet alias resultaret claudicatio, per quam unus ex contrahentibus esset semper in lucro, absque metu damni, alter vero esset semper in damno absque spe lucri; cum enim hujusmodi pacta non sint æqualiter hinc inde obligatoria, sed ex parte unius obligatoria, ex parte vero alterius facultativa, hinc proinde resultaret claudicatio redolens iniquitatem, ideoque non admittenda, quod scilicet ille, qui habet facultatem redimendi, vel respective cogendi ad redimendum, eatenus facultatem exerceret, quatenus videret ex beneficio temporis, vel alio accidenti rem incrementum accepisse, e converso autem alter contrahens in casu decrementi, non posset alterum cogere, & sic esset in damno absque spe lucri, ideoque licet stricta juris censura ob dictam resolutionem ab initio aliter suadeat, attamen de æquitate contrarium, ut supra receptum est.

In proposito autem pacti de retrovendendo, seu juris
18 redimendi, an possit alteri cedi, & an possessor, cum quo exercendum est, prætendere valeat prælationem, habetur actum *sub eod. tit. de servit. ad materiam retractus disc.* 88. ubi concluditur negative.

ANNOT. AD DISC. XXXII.

AD materiam juris redimendi videri poterunt deducta *sub tit. de servit. disc.* 85. 87. & 88. Et quale pretium sit attendendum, habetur *hoc tit. de empt. disc.* 48. & 49.

ROMANA PECUNIARIA, SEU ASSOCIATIONIS

PRO CREDITORIBUS PATRIMONII MONALDENSIUM,

CUM MONTISTIS PROVINCIARUM, ET SIGISMUNDA ANCAJANA.

Casus disputatus in Congregatione Baronum, & varie resolutus.

De pacto commissorio inter emptorem, & venditorem, an valeat, & a quo exerceri possit altero invito, & quando illud ad exercitium deductum dicatur?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Pactum commissorium est validum.*
3 *Pactum commissorium, seu resolutivum allegari potest per eum, cui adimplendum erat, non autem per non adimplentem.*
4 *Sed postquam pactum deductum est ad exercitium, non datur pœnitentia.*
5 *Quando quis censeatur usus dicto pacto.*
6 *In dubio censetur gestus actus, ut est utilius.*
7 *In casu pacti contraveniens non repetit id, quod solvit.*
8 *Alteratio pretii stabilium non præsumitur infra decennium, vel potius augmentum.*
9 *De vinculo quod adjicitur pecuniæ, quæ solvitur per Congregationem Baronum, & quod tale vinculum minuat de pretio.*
10 *Observantia est interpres etiam voluntatis.*
11 *Ex quibus actibus deducatur observantia.*
12 *De ratione claudicationis evitandæ.*
13 *Nemo admittitur ad allegandum propriam culpam, vel delictum.*
14 *Quomodo etiam creditori competere valeat facultas exercendi pactum commissorium.*
15 *Personæ miserabiles non gaudent earum privilegiis in actibus Communitativis, & Universitatis.*

D I S C. XXXIII.

MOntistæ montis Provinciarum, ac Virginia Petri- 1
gnana creditores Ulfreduti Anchajani, de anno 1630. vendiderunt Nicolao Monaldensi tenutam Tenaliæ, aliaque bona pro pretio scutorum 30. mil. solvendo certis modis, & terminis inter eos conventis, sub pacto, ut in casu non implementi, licitum esset venditoribus redire ad primæva jura, ac si contractus initus non esset, sibi reservando dominium, ac etiam manuum injectionem, seu possessionis adeptionem propria auctoritate, cumque ad breve tempus Nicolaus defecisset ære alieno pressus, unde propterea Congregatio Baronum manus apposuit in ejus patrimonio juxta ea, quæ habentur *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, *disc.* 77. *cum pluribus seq.* hinc venditores de anno 1639. obtinuerunt ab eadem Congregatione mandatum de allociando ad possessionem dictorum bonorum, atque aliud non motivantes in adeo notorio, ac famoso concursu creditorum dicti patrimonii, ut patet ex deductis proxime supra, in dictorum bonorum administratione, ac fructuum perceptione continuarunt usque ad annum 1665. in quo supponendo eorundem bonorum valorem notabiliter diminutum esse, atque se præsupponendo creditores dicti patrimonii plerisque aliis anteriores, instabant procedi ad venditionem eorundem bonorum, necnon cogi posteriores ad ipsis restituendum quicquid superesset debendum, verum Me pro creditoribus patrimonii scribente, prodiit resolutio eis favorabilis, in repropositione quoque confirmata, ex negligentia vero (quæ connaturalis est in iis, quæ pro communi possidentur) non satis processum ad expeditionem sententiæ, quod post aliquod intervallum ansam dedit actoribus obtinendi novam audientiam, unde reproposita causa recessum fuit.

Primæ resolutiones Mihi, ad veritatem etiam reflectenti, probabiliores visæ sunt, siquidem ex instromenti venditionis tenore clare constabat de pacto commissorio, de cujus validitate in contractu emptionis, & venditionis ad 2
favorem venditoris contra emptorem non adimplentem in jure non dubitatur, ad text. *in l.* 1. & 2. & *toto tit. ff. de lege commissoria cum concordan.* de quibus apud Leotard. *de usur. quæst.* 69. & *seqq.*

Hujusmodi enim pacti infectio cadit in contractu pignoris, seu ubi alias ratio fraudis usurarum cadat ex iis, quæ in materie pacti commissorii habentur in Tyburtina Castri S. Angeli *sub tit. de usur. disc.* 8. ac etiam in eadem causa *sub tit. de dote*, *disc.* 126. & in plerisque decisionibus in ea causa editis, quarum aliquæ sunt impressæ *par.* 11. *rec. decis.* 330. & 371. & apud Censal. *in l. unic. C. si quis Imperat. maledix. fol.* 202.

Est bene verum, quod ubi tale pactum adjectum est in gratiam unius contrahentis, in odium alterius non adimplentis, eatenus suam habet operationem, quatenus eo 3
uti velit ille contrahens, ad cujus favorem adjectum est, cum in ejus arbitrio positum sit nolle uti, sed agere ad observantiam, neque de illo opponere potest altera pars, ne inducta ad favorem retorqueantur in odium, atque morosus, seu deficiens in non adimplendo commodum reportet ex ejus mora, & violata fide, ex collect. per Merlin. *de pignor. lib.* 5. *quæst.* 7. Rot. *decis.* 422. *n.* 4. *par.* 4. *recent.* apud Buratt. *decis.* 110. *n.* 13. & sæpius, ac habetur in Romana annuæ præstationis *sub tit. de feudis*, *disc.* 57.

Ubi autem venditor, in cujus gratiam adjectum fit, illud deducat ad exercitium, atque perfecte subsequuto effectu, declaret eo velle uti, tunc resultat actus resolutio, atque res vendita redit in dominium venditoris absque facultate 4
pœnitendi, seu variandi, ut clare disponit textus *in l.* 4. §. *eleganter Papinianus*, *ff. de lege commissor.* ubi communiter Scribentes relati per Leotard. *d. q.* 69. ac in dictis decisionibus editis in Tiburtina Castrorum.

Non negabantur hæc per Scribentes in contrarium, sed dice-

dicebatur, quod dictum pactum non fuisset deductum ad exercitium, quodque neque per Montistas deduci potuisset, enim ipsi non essent Domini, neque venditores, sed creditores, qui solum debitori vendendi consensum præstiterant, ideoque duplex desuper cadebat quæstio, una voluntatis, & altera potestatis.

5 Quatenus igitur pertinet ad primam quæstionem voluntatis, videbatur illam evidenter probari ex pluribus, quæ ubi etiam singulariter, ac distincte considerata difficultatem pati possent, bene tamen probabant simul juncta cum regula, quæ in quæstionibus facti, ac voluntatis principaliter, ac perpetuo attendenda est, *ut singula, quæ non prosunt, unita juvent*.

Primo etenim in facto deducebatur probatio resultans ex quibusdam citationibus, ac aliis eorundem Montistarum confessionibus, de quibus utpote consistentibus in nudo facto ad causæ Patronum pro stylo agere pertinebat.

6 Ego vero scribens pro Montistis, ponderabam quod aut dicti actus erant univoci, dictam voluntatem necessario concludentes, & quæstio erat finita, ex sæpius insinuata regula tex. *in l. ille, aut ille, ff. de legat. tertio*, late exornata per Rotam *dec. 44. n. 14. p. 11. rec.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta; aut erant æquivoci, utpote referibiles ad simplicem associationem jure creditoris, juxta terminos tex. *in l. 3. C. de pignor.* ut prætendebatur per Scribentes in contrarium, adeo ut intraret interpretatio, & tunc dicebam istam omnino capiendam esse pro resolutione contractus, ac usu pacti commissorii, ex regula, quod in dubio actus interpretandus est eo modo, quo magis expedit facienti, ad not. *in l. gerit, ff. de acquir. hæred. cum concord.* per Menoch. *lib. 4. præsumpt.* 100. *& seqq. & sub tit. de hæred.* occasione agendi quando per actus facti inducatur necne aditio hæreditatis cum similibus.

7 Multipliciter autem Montistis, aliisque creditoribus dictorum de Anchajanis expediebat, contractum resolvi, dictumque pactum ad exercitium deduci, primo scil. quod ita fiebat lucrum de scutis quatuor mille ab emptore solutis, ab eo non repetendis, ut clare disponit tex. *in d. l. 4. §. sed quod ait, ff. eod. tit. de leg. commissor.* Secundo, quod infra decennium præsumptio est, ut valor stabilium non censeatur immutatus, ut ap. Cels. *dec. 178. n. 8.* & sæpius, atque si quæ immutatio cadere poterat, illa erat potius in augmentum, quoniam ut docet notoria praxis totius Europæ, præsertim vero Italiæ, & in ista magis illa Status Ecclesiastici, præsertim in locis Urbi adjacentibus, rerum pretia in dies creverunt, ut etiam advertitur *sub tit. de regalib. disc. 117.* & alibi.

8 Tertio, quia cum totum istud patrimonium jam positum esset sub concursu creditorum, ac administratione Congregationis Baronum, non expediebat dictis Montistis, aliisque creditoribus, ut hæc bona cum dicto patrimonio confusa remanerent, tum ob magna incommoda in concurrendo cum tanta copia creditorum anteriorum, ac privilegiatorum, tum clarius, quia ut pluries habetur *sub*
9 *tit. de feud. ad materiam hujus Bullæ Baronum*, non liberatur pecunia creditoribus, nisi vinculata, cum cautione sc. evictionis, ac de restituendo prioribus, & potioribus, & quando cautio idonea non habetur, cum necessitate investiendi in loca Montium cum hoc vinculo, quod notabiliter minuit de pretio, ex deductis *sub tit. de regal. ad materiam locorum Montium disc. 30. & seq. & sub tit. de cambiis disc. 1. & 2. & sub tit. de cred.* ideoque expediebat sperare bona jure dominii, ac resolutionis contractus, ut ita essent ad eorum liberam dispositionem, ac distractionem.

10 Ponderabam quoque subsequutam diuturnam observantiam, quæ in omnibus ambiguis quæstionibus est optima interpres, atque dicitur interpretationum Regina, ut in specie interpretationis voluntatis, late Rota *dec. 199. & 256. utrobique n. 12. p. 10. rec. dec. 323. n. 13. p. 11. & frequenter*.

11 Observantia vero deducebatur ex pluribus actibus factis, id redolentibus, inter quos (cum alii essent æquivoci, atque cum titulo creditoris compatibiles) ponderabam in specie, quod quando Congregatio Baronum apposuit sequestrum, atque ad formam Bullæ accepit administrationem hujus patrimonii, id egit etiam in his bonis, tanquam dicti patrimonii membris, dictumque patrimonium unquam scindere voluit, ac vendere per partes, rejectis enixis instantiis desuper factis, & tamen neglexit vendere, ac administrare hæc bona, signum clarum dismembrationis, accedente etiam inverisimilitudine, quod

in adeo celebri, & clamoroso concursu, ut docent pluries deducta *d. tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc. 77. cum seqq.* isti Montistæ nunquam comparuerunt.

12 In idem quoque conferre dicebam æquitativum motivum claudicationis, de quo *disc. præc.* quod sc. si bona crevissent in valore, utique cum eadem haberentur jam pro abscissis a reliquo patrimonio emptoris, cum tam diuturna observantia, neque creditores patrimonii ad ea cogitarent, minusque Congregatio se ingereret, ita eorum fuisset lucrum ea regula *secundum naturam, &c.* Potissime, quia supponebatur non deesse aliquam culpam in hac intermedia administratione, ex qua pretii notabilem diminutionem emanasse dicebatur.

Quovero ad alteram inspectionem super defectu potestatis, dicebant Scribentes pro Montistis, quod venditoris personam vere, ac proprie gesserat hæres debitoris, qui erat Dominus, ipsi vero tanquam creditores præstitissent solum assensum, quodque eorum respectu reservatio regressus ad primævum statum intelligenda veniret jure creditorum, & prout competebat, & consequenter, quod ipsi neque volentes potuissent ad exercitium deducere hoc pactum commissorium.

13 Verum id non videbatur probabile fundamentum, quoniam in jure de isto defectu potestatis objici solet per tertium, non autem per ipsummet facientem non admittendum ad allegandum proprium delictum, propriamque turpitudinem, ut exinde commodum reportet, ex collectis per Barb. *axiom. 221. n. 1. cum vulgar.*

14 Advertebam præterea, quod cum emptor contextualiter emisset ab hærede debitoris, ipsis Montistis consentientibus, ac unitim de dicto pacto commissorio sibi consulentibus, omnes ita in ordine ad emptorem constituebant unam personam venditoris, quicquid esset quoad eos inter seipsos, & consequenter, quod dictus hæres Dominus, ac venditor, ita consensum præstiterit Montistis, quod dictum pactum ejus nomine exercere possent tanquam ejus mandatarii, ex implicito mandato, quod etiam a jure creditor habere dicitur a debitore, cujus jura exercere potest, ad tex. *in l. si pignus, ff. famil. erciscun. cum concord.* per Gratian. *discept. 503. n. 5.* Capyc. Latr. *consult. 16. n. 14.* Rovit. *dec. 29. nu. 4.* Olea *de cess. jur. tit. 4. q. 3. n. 25. & seqq.* & habetur pluries in sua materia *sub tit. de cred. & alibi*. Ideoque stant bene simul, quod Montistæ remanerent creditores, neque iste titulus alteraretur, & tamen, quod istud pactum exercere potuerint.

15 Dicebatur demum, quod ubi major pars Montistarum ex dictis actibus potuisset sibi præjudicare, attamen id obesse non poterat pluribus pupillis, minoribus, mulieribus, & piis locis loca istius Montis possidentibus, cum isti prohibiti sint contrahere, vel sibi præjudicare absque solemnitate, & causa, verum istud erat omnium levius motivum, quoniam ut receptum habemus ad materiam tex. *in l. unic. C. quando Imperator inter pupill. & vid. sub tit. de jurisdictione*, cum similibus, istæ personæ sunt privilegiatæ in actibus, quos gerunt jure singulari, non autem jure communitativo, & tanquam membra alicujus Universitatis, cum ita habeant Defensores, atque cesset ratio prohibitionis.

ANNOT. AD DISC. XXXIII.

De pacto commissorio videantur deducta *sub tit. de usur. disc. 8. & tit. de dote disc. 126.*

ROMANA AQUÆ

PRO CARDINALI DE MAXIMIS,

CUM MONASTERIO S. THERESIÆ AD QUATUOR FONTES.

Casus disputatus in Sacr. Congregatione Visitationis, & resolutus cum temperamento, ut infra.

An & quid in contractum emptionis, & venditionis deductum censeatur, & in specie, an emens domum cum hortis, & aquis, si domum denuo vendat, aliquam vero partem retineat, quænam pars aquarum ad novum emptorem, vel respective ad secundum venditorem pertineat, & quid si secundus venditor in ejus arbitrio id reponat?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De invalida venditione collata in voluntatem unius ex contrahentibus.*
3 *In Domino possidente unum corpus in confuso non datur distinctio membrorum.*
4 *Quando res dicatur membrum, & de pertinentiis alicujus prædii.*
5 *Quod in hoc destinatio patrisfamilias totum faciat.*
6 *Quando, & ad quid procedant conclusiones, de quibus num. 4. & 5.*
7 *Et quando intret quæstio, de qua num. 2.*
8 *De vitio ferrustum circa extraneu.*
9 *De eadem conclusione, de qua n. 2.*
10 *In casibus, in quibus sustineatur contractus, voluntas resolvitur in arbitrium.*
11 *Remissio facta alterius gratiis, & voluntati quomodo sit intelligenda.*
12 *De distinctione inter voluntatem, & arbitrium, quando intret.*
13 *In actibus correspectivis non attenditur voluntas unius.*
14 *Declaratio fieri debet per informatum.*
15 *Qui declarat, non disponit, ideoque donatoris declarationi defertur.*
16 *Ad materiam declarationis fiduciarii.*
17 *De divisione aquarum communium, & aliarum rerum communium.*
18 *Quomodo ista materia debeat regulari.*
19 *Non debet quis pati penuriam aquæ, ut eam aliis præbeat.*
20 *Exitus causæ.*

DISC. XXXIV.

1 INdigentibus Monialibus S. Theresiæ ad quatuor Fontes aliqua parte viridarii, vel horti, & aquarum spectantium ad adjacens palatium illorum de Matthæis, illisque hanc dismembrationem denegantibus, totum palatium emerunt, deindeque sibi appropriata quadam parte dicti viridarii, vel horti, idem palatium cum omnibus ejus officinis, membris, fontibus, aquis, hortis, & aliis pertinentiis vendiderunt Cardinali de Maximis tunc Cameræ Apostolicæ Clerico, & Patriarchæ Hierosolymitano pro pretio, de quo *sub tit. de usur. disc. 26.* sub eo pacto præsertim, ut in venditione comprehensæ censerentur aquæ, juxta tamen declarationem ab ipsis Monialibus per separatam scripturam faciendam, cui emptor stare promisit; cumque dictæ Moniales ex antiquis aquis palatio, & viridario, seu horto adjacenti destinatis, notabiliorem partem pro se ipsis retinere vellent, modicam vero emptori dare, hinc orta controversia, eaque delata ad Sac. Congregationem Visitationis Apostolicæ, ac assumpta disputatione,

2 Scribentes pro Monialibus nimium se diffundebant super juris articulo, an valeat necne contractus, vel conventio collata in arbitrium, seu voluntatem unius ex contrahentibus, atque reassumendo plene deducta per Rot. ap. Merlin. *dec. 567. repetit. dec. 172. p. 6. rec.* & ap. Gratian. *discept. 572.* probare conabantur, quod, vel ratione juramenti, vel ab altera æquitatis, vel quia res non esset amplius integra, actus valere deberet.

E converso autem Scribentes pro emptore nimium insistebant in facto, ac probationibus per plures testes inductos super quantitate aquæ per illos de Matthæis assignatæ parti viridarii, seu horti dismembrati, atque inclusi in clausura Monasterii, & quæ applicata ipsi palatio, ejusque officinis, ac viridario, & horto sub venditione comprehensit, atque super fide testium desuper inductorum adhibenda, ob exceptiones tam in persona, quam in dicto datas magnæ fuerunt disputationes.

3 Mihi pro emptore scribenti, extranea hæc videbantur a casu: quatenus enim pertinet ad ea, quæ ex hac eadem parte deducebantur, ponderabam hujusmodi inspectionem non intrare quando unus, & idem est omnium Dominus in confuso possidens tam palatium, quæ omnia viridaria, & hortos, tanquam unum, & idem, cum tunc aquæ non recipiant hanc distinctionem, quia Dominus utitur magis eis in una parte, quam in altera pro ejus placito, & prout temporum, vel alterius contingentiæ ratio exigit, quamvis enim etiam in eodem possessore, seu patrefamilias de-
4 tur destinatio circa unam, vel alteram rem, adeout ea, quæ uni prædio destinata sunt, quamvis cum notabili distantia materialiter separata sint, sub illius prædii nomine veniant, tam in actibus inter vivos, quam in ultimis voluntatibus, utpote de illius pertinentiis, ad Text. *in l. quod in rerum, §. si quis post, ff. de legat. 1. l. cum fundus, ff. de legat. 2. l. prædiis, §. Titio Sejana, ff. de legat. 3.* Odd. *consil. 21.* Galeot. *lib. 1. contr. 22. cum concord. in Bonon. liquidationis pretii 4. Julii 1664. 4. Maji 1665. & 23. Januarii 1666. cor. Emerix*, de qua habetur *sub tit. de legat.* 5
super puncto, an, & quid sub legato prædii rustici, vel urbani veniat, cum in hoc totum faciat destinatio patrisfamilias, ut etiam advertitur *in Romana prælationis sub tit. de servit. ad materiam retractus disc. 74.*

Attamen id recte procedit ad effectum distinguendi unum 6
prædium ab altero, & in concursu plurium rerum diversarum constituentium diversa corpora, seu diversa ejusdem universitatis, vel patrimonii membra, secus autem ubi agitur de uno eodemque membro, vel prædio, in quo hæc distinctio non datur, siquidem, ut communis usus docet, habens palatium cum adjacentibus viridariis, vel hortis, hyberno, vel alio magis humido tempore utitur aquis ad palatii ornatum magis quam ad usum, ac ornatum hortorum, secus autem tempore æstivo, seu in horis deliciarum, vel quando in hortis exteri permaneant ad delectationem, ita unum, ac alterum respective fontem magis ditando, vel depauperando, ut occasio exigit, ideoque dicta formalis distinctio, seu fixa, & perpetua destinatio aquarum magis uni, quam alteri officinæ, vel membro ejusdem prædii, non de facili verificabilis est in eodem possidente omnia in confuso tanquam unum, & idem corpus.

Prout inanis videbatur labor adhibitus in dicta quæstio- 7
ne juris super validitate pacti, vel contractus collati in unius ex contrahentibus voluntatem; istam enim quæstionem examinare oportuisset, quando unus ex contrahentibus noluisset amplius stare contractui, utpote imperfecto, seu invalido, aliosque effectus ex invaliditate, vel imperfectione resultantes deduceret, in quibus terminis loquitur *dicta decisio* Merlin. *cum ibi congestis*, sed ubi partes con-
cordant in validitate, ac perfectione, & observantia con- 8
tractus, atque sola quæstio est super interpretatione, seu modo illum observandi, non videtur, ad quid chartas inanibus quæstionibus, ac allegationibus replere, quod tamen frequens est Forensium vitium, in hujusmodi superfluis evagationibus ad causam non facientibus, solitum Jurisltarum improbum laborem adhibere.

Et nihilominus advertebam, quod ubi procedendum es- 9
set cum iis, quæ in dicta quæstione habentur, huic Parti magis assisterent, quoniam, ut præsertim patet ea allegata *dec. 567.* Merlin. alias *dec. 172. p. 6. rec.* & ex altera edita in eadem causa cor. eod. Merlino *dec. 605. repetit. etiam dec. 248. eadem p. 6.* Ubi etiam ratione æquitatis, vel ea altera juramenti, sive rei non integræ, contractus sustineretur, id procedit, quia lex interpretatur, ut alterius con-
trahentis voluntas resolvatur in arbitrium a jure regulan- 10
dum, & tanquam illud boni viri, adeout si male adhibeatur, intret illud Judicis, pro ejus suppletione, vel reformatione, juxta magistralem traditionem Innocentii, & Hostiensis *in capitulo veniens, de renunciat.* Abb. *in capitulo sane, eod. tit. & in capitulo ne innitaris, de constit.* ubi etiam 11
Butr. ac alii, de quibus ap. Gizzar. *dec. 57. n. 3. & 4.* occasione agendi de se remittente gratiæ, ac voluntati Domini, vel Superioris, quod intelligitur de voluntate sonante in arbitrium a jure regulandum, & tanquam boni viri.

Distinctio etenim, de qua ap. Cavaler. *dec. 374.* & sæ- 12
pius *sub tit. de fideic.* præsertim *in Rom. hæreditatis de Jordanis disc. 62.* ac etiam *sub altero de testament.* inter arbitrium, & liberam voluntatem, percutit ea, quæ pendent a sola dispositione, seu voluntate unius, adeout alter contendat de solo lucro ab disponentis voluntate reportando, 13
secus autem in actibus onerosis, & correspectivis, in quibus non spectatur voluntas unius, sed illa utriusque ex iis, quæ habentur deducta *in Romana augmenti dotis, sub tit. de dote disc. 27. & in decisionibus in ea causa editis 9. Junii 1659. & 19. Aprilis 1660. coram Bevilaqua.*

Clarius vero, ac extra omne dubium in hac facti specie 14
quia pactum conceptum non erat, ut in libito, & voluntate Monialium esset qualem aquam dare vellent, & qualem non, idque rationabiliter, quia cum ipsæ fuissent Dominæ totius aquæ, ac forsan eam quoque confundissent cum propria, & antiqua Monasterii, hinc ad easdem, utpote informatas, pertinebat rem ita effectam obscuram, declarare.

Declaratio autem non continet aliquam novam dispositionem, minusque tribuit voluntatem, quinimmo neque arbitrium, sed solum aperturam ejus, quod jam inest, nobis tamen ignotum est, juxta optimum exemplum traditum per Text. *in l. adeo, versic. cum enim grana, ff. de acquir. rer.*

ver. domum in illo, qui excutit grana a spicis, quoniam granum non perficit, sed jam existens solum aperit removendo paleæ velamen, ideoque prodiit propositio, quod qui declarat non disponit, neque aliquid de novo facit, sed
15 quid jam factum sit, vel existat aperit, & consequenter etiam in donationibus, aliisque perfectis contractibus pœnitentiam excludentibus, quamvis donator, vel alter contrahens revocare non possit, seu alias contractum alterare, bene tamen potest illum declarare, dummodo sit declaratio verisimilis, ut deductis apud Otthobon. *decis.* 219. *n.*7. *&* 8. *decis.* 195. *num.* 18. *decis.* 77. *&* 90, *post collectae.* Bonden. & sæpius fere in omnibus materijs, præsertim vero in ejus propria *sub tit. de donat.*

16 Et satis ad rem, de declaratione facienda per fiduciarium ex præcepto testatoris juxta terminos tex. *in l. Theopompus, ff. de dote prælegat. & l. quem hæredi, ff. de condit. & demonst. cum concord.* faciunt ea quæ habentur in *Perusina erectionis Canonicatus, d. tit. de fideic. disc.* 182. ideoque dicebam non esse in facultate Monialium pro earum placito quantitatem aquæ declarare tanquam per speciem novæ dispositionis, sed id faciendum esse tanquam in recognitionem præexistentis veritatis.

17 Item ponderabam in hoc proposito dici posse, ut eo medio tempore, quo Monasterium fuit Dominus, & possessor dicti palatii, ejusque hortorum, & aquarum, inducta fuerit quædam species societatis, seu communionis inter hortos, & aquas tam dicti palatii, quam Monasterii, ad cujus communionis dissolutionem postea per illum secundum contractum deventum esset, ideoque intrarent ea, quæ in his specialibus terminis aquarum, quæ pluribus prædiis, vel personis communes essent, ut quando ad divisionem devenitur, illa fieri debeat proportionabiliter, & pro rata indigentiæ, ipsorumque prædiorum qualitate, ut bene in terminis advertit Cotta *in ejus tractatu de ratione, seu portion. rata, q.* 3. *per tot.* & sic quod antiquarum aquarum illorum de Matthæis proportionata divisio fieret, habita ratione illius ratæ horti remansæ Monialibus, quod importabat quid modicum, ad quod conferunt ea, quæ habentur *sub tit. de servit. disc.* 32.

18 Verum reflectendo ad veritatem, credebam in illa quæstione, utpote facti & voluntatis potius quam juris procedendum esse cum sæpius insinuata propositione attendendi magis substantiam verisimilis intentionis, quam vagas, ac generales juris regulas, & propositiones; ex recensita enim facti serie constat, Moniales sollicitas fuisse pro magno pretio, absque aliqua necessitate, vel prudentis æconomiæ motivo, emere hoc palatium cum omnibus annexis, ex sola ratione obtinendi hortorum, & aquarum partem, quæ earum Monasterio, ejusque officinis, atque clausuræ ampliationi necessaria, vel opportuna esset, ut deinde provisæ, quod supererat venderent, & consequenter, quod spectata hujus veritatis substantia inspici deberet, quænam aquæ quantitas, inspecta potius commoda, & moreli, quam præcisa necessitate, sufficeret pro Monasterii usibus, ac officinis, & tunc pro Monasterio potius respondendum esset, quoniam ut advertitur *sub tit. de ser-*
19 *vit. ad materiam aquar. disc.* 29. per text. *in l. Præses, C. de servitut.* incongruum est, ut quis proprios agros relinquere debeat sitientes, ut alienis agris abundans potius tri-
20 buatur, secus autem in alia quantitate exuberanti, cum tunc esset species æmulationis, adinstar eorum quæ habemus ad materiam text. *in l. altius, Cod. de servit. & aqua*, cumque ingenue id insinuassem uni ex dictis dictæ Congregationis doctissimo, ac judicioso Cardinali, qui causæ Ponens, seu Relator erat, ita cum prudenti temperamento, prævia relatione Peritorum judicatum fuit, adeo ut judicato hæc Pars acquievisset, quamvis in aliquo præjudicata, cum etiam attenta dicta regula, major aquæ quantitas illi de congruo debita videretur, verum adhuc viget controversia super liquidatione, ac modo dividendi, cum non de facili mulieres acquiescere soleant.

ANNOT. AD DISC. XXXIV. & XXXV.

AD materiam aquarum videri poterunt deducta *sub tit. de servit. disc. & seqq. eod. tit. disc.* 93. Et signanter conferunt deducta *disc.* 32. *eod. tit. de servit.* Quo vero ad punctum comprehensionis bonorum sub contractu venditionis, & quale jus venditum censeatur, conferunt deducta *sub tit. de legat. dis.* 7. *& seq. & in eod. tit. disc.* 61 occasione agendi an, & quid sub legato prædii, vel domus veniat.

ROMANA DOMUS
PRO VECCIS
CUM COMITIBUS.

Casus disputatus coram A. C.

Possidens directum dominium rei stabilis cum jure percipiendi ab Emphyteuta, vel conductore annuum censum, seu responsionem, si simpliciter vendat censum, seu responsionem, an vendidisse censeatur etiam ipsum directum dominium pro casu devolutionis, ac ad alios effectus.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Exceptio in parte non debet impedire id, quod non cadit sub lite, vel sub exceptione.*
3 *Vendens simpliciter rem, censetur vendere jus, vel portionem, quam habet.*
4 *Vendito, vel cesso censu non censetur venditum dominium directum.*
5 *Ex pretii quantitate colligitur quid in contractum deductum sit.*
6 *Canones, vel census reservativi plus valent, quam consignativi.*
7 *Quando venditis, vel donatis fructibus censeatur vendita ipsa res.*

DISC. XXXV.

BLasius de Comitibus possidens ex deliberatione annuum censum reservativum, seu responsionem super domo possessa per Antonium jure locationis, vel alterius concessionis ad tertiam generationem, de anno 1620. dictam responsionem pretio scutorum 200. vendidit Olimpiæ, factoque casu devolutionis domus per mortem dicti Antonii de tertia generatione, dictus Blasius, seu ejus filii, & hæredes possessionem domus adepti sunt, dicti autem Dominicus, & Paulus dictæ Olimpiæ hæredes prætendentes sibi domum debitam esse, possessionem quoque adepti fuerunt, sed in possessorio retinendæ succubuerunt in Tribunali A. C. per manutentionem dictis Comitibus concessam, unde reassumpta causa in negotio principali, semel scripsi pro dictis Dominico, & Paulo, neque amplius de causa actum audivi, minusque informationes alterius Partis vidi, unde propterea judicium desuper efformare non potui, credo autem quod dicti actores, pro quibus scribebam, auditis meis difficultatibus, contenti exactione responsionis acquieverint. 1

Dicebam igitur, quod cum utriusque partis prætensio esset invicem compatibilis, quod scilicet actores prætendebant totam domum ad se spectare in vim dictæ emptionis factæ de directo dominio secum trahente, nedum censum, seu responsionem, sed etiam ipsum dominium, ac effectum devolutionis; e converso autem rei, & possessores dicerent venditum esse solum dictum annuum censum, vel redditum, non autem dominium utique ipsi pendente hac lite negare non poterant solutionem dicti redditus, cum id sit compatibile cum prætensione actorum.

Quando siquidem contentio est inter duos, quorum unus prætendat sibi deberi plus, alter vero dicat deberi minus, tunc pendente dicta controversia, retardanda non est præstatio ejus, quod est minus, ac extra controversiam, cum in rebus dividuis, major prætensio illiquida retardare non debeat solutionem minoris debiti liquidi, & non controversi, ut apud Franc. *decis.* 373. *per tot.* cum aliis de more collectis per Giurb. *decis.* 30. *n.* 32. *& seq.* & bene in proximis terminis controversiæ inter prætendentem concessionem esse emphyteuticam, & possessorem prætendentem esse censualem, quod hujusmodi litis pendentia impedire non debet solutionem ipsius responsionis, super cujus natura, & qualitate solum est controversia, firmatur apud Dunozett. *decis.* 849. *n.* 9. *& in edita in causa*, in qua Ego quoque scribebam, & sic quod lite pendente, locus esse deberet provisioni super dictæ responsionis solutione sine præjudicio, ut credo sequutum esse. 2

Quatenus vero pertinet ad punctum principalem, dicebam Scribens tanquam Advocatus regulam esse, ut qui rem vendit, seu jus, quod in re habeat, censeatur vendidisse totum id, quod habebat idest totum, si totum suum est, vel eam 3

 partem,

partem, quæ ad se pertinebat, disponendo eo modo, & titulo, quo disponere poterat ad text. *in l. qui tabernas, ff. de contrah. empt. & cap. pastorali, de donat.* utrobique Scribentes, de quibus apud Cenc. *de cens. qu.* 20. Gregor. *dec.* 225. *n.* 2. *&* 3. Rot. *in Romana apotheca, seu pecuniaria 8. Junii* 1654. *&* 25. *Junii* 1655. *coram Bichio, quorum secunda est dec.* 66. *p.* 12. *rec. & in eadem 7. Februar.* 1656. *cor. Bevilaqua*, & in aliis frequenter.

Quamvis autem cum his, ac similibus generalitatibus informationem desuper editum, more inservientis causæ exornare curarem, ponderando etiam inverisimilitudinum, quod scilicet si venditor noluisset se spoliare dominio, non processisset per viam venditionis, sed potius per viam impositionis census consignativi, sive reservasset jus dominii, ejusque effectuum, restringendo venditionem ad solum jus exigendi hanc præstationem, attamen uniam non visis ju-
4 ribus alterius Partis, adhuc dubitabam (ut requirentibus ingenue de more insinuavi) tum ex regula, quæ ea magis communi, & recepta opinione est in contrarium, ut scilicet vendito simpliciter censu, vel canonu debito ex aliqua re, non censeatur venditum ipsius rei directum dominium pro effectibus devolutionis, & laudemii, ac aliis exinde resultantibus, sed solum jus exigendi censum, ut cæteris relatis habetur apud Ann. & Add. *singul.* 306. Guid. Pap. & Add. *decis.* 264. Cenc. *de cens. q.* 72. *n.* 24. *& seq.* Duard. *eod. tract. in princ. q.* 26. *n.* 74. apud quos concordantes.

5 Tum fortius ex quantitate pretii, quod ut advertitur in supra allegatis decisionibus coram Bichio, & Bevilaqua, & apud Gregor. *decis.* 126. & passim est maximum argumentum voluntatis Partium, & quid in contractum deductum sit, cum etenim de tempore hujus venditionis curreret tertia generatio, unde propterea imminens, vel proxima erat spes devolutionis domus notabilis valoris, ipsaque responsio sola, & de per se esset talis quantitatis, quod dictum pretium scutorum 200. ei congrueret, cum valor hujusmodi censuum reservativorum, seu canonum, ac similium responsionum juxta communem usum (præscindendo etiam a directo dominio, ac aliis effectibus ab
6 eo resultantibus) sit longe major, quam ille censuum consignativorum, ratione potioritatis, ac majoris securitatis, ut notorius communis usus, ac valor probat, hinc proinde Mihi videbatur quod facilius dicta regula intraret, potissime quia quædam alia adminicula quoque concurrebant in facto.

7 Quando autem venditis, vel donatis fructibus rei censeatur vendita ipsa res, vel quid in contractum deductum sit, late & bene agit Anna *allegat.* 104. & habetur *sub tit. de feud. in Sabinen. Status Montis Librette disc.* 65.

URBEVETANA ONERUM PRO MARCHIONE MARABOTTINO, CUM MONALDO MONALDENSE DE CERVARIA.

Responsum pro veritate.

An, & quæ onera pertineant ad emptorem, quamvis res libera vendita esset, adeout pro eis non competat actio evictionis, seu quanti minoris, vel e contra?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Redecima non debetur nisi adsit consuetudo.*
3 *De decimis temporalis redolente præstationem ratione dominii.*
4 *Ob onera detecta in re vendita intrat actio quanti minoris.*
5 *Decimæ spirituales sunt onus intrinsecum, pro quo non præstatur evictio, vel actio quanti minoris.*
6 *Idemque de oneribus cameralibus, seu collectis, & tributis, aliisque de natura rei, &c.*

DISC. XXXVI.

1 FActu venditione per Monaldum Marabottino de quibusdam domibus cum assertione, ac promissione eorum libertatis ab omni onere, præterquam a quadam specificata responsione; cum Parochus loci prætenderet quandam decimam frumenti, & vini sibi debitum esse, hinc ex parte emptoris consultus fui de duobus, primo scilicet super dicti Parochi prætensione, & an dicta decima ei debita esset, & secundo quatenus deberetur, an haberet actionem evictionis, vel quanti minoris contra venditorem, qui rem liberam asseruit ac promisit.

Quoad primum, quod materiam decimarum potius percutit, cum ex parte requirentis supponeretur in hac Diœcesi de consuetudine integram decimam solvi per colonos, dixi regulam esse contra Parochum, ut non debeatur redecima, ut deductis apud Buratt. & Adden. *dec.* 575. *decis.* 672. *p.* 1. *rec. decis.* 548. *p.* 5. & in aliis, de quibus in sua materia *sub tit. de decim.* Sed quoniam etiam id limitatur ea contraria consuetudine, idcirco dixi, responsum desuper maturum tradi non posse absque magis distincta facti notitia. 2

Quo vero ad alterum punctum inter emptorem, & venditorem, dixi determinationem pendere a natura, seu qualitate dictæ decimæ per Parochum prætensæ, si enim esset decima temporalis debita ratione dominii, & tanquam species livelli, seu responsionis juxta eam speciem, de qua apud Capyc. *decis.* 20. Franch. *decis.* 117. *&* 124. Rovit. *decis.* 97. cum aliis in sua materia *sub tit. de decimis*, & tunc planum erat competere actionem quanti minoris ea iis, quæ, cæteris relatis, habentur apud Serdum *dec.* 165. Greg. *dec.* 119. *n.* 3. *dec.* 337. *n.* 7. *& seq. p.* 5. *rec.* cum aliis per Adden. *ad decis.* 10. *par.* 3. *rec.* Secus autem ubi esset decima spiritualis ordinalis Parocho de jure debita, quoniam tunc dicitur onus intrinsecum, & connaturale, quod de jure subintelligitur, utpote debitum per Dominum, & possessorem pro tempore, ideoque pro eo non intrat actio evictionis, seu quanti minoris, quamvis res per venditorem ab onere libera, & exempta asserta, & promissa esset, ut bene, cæteris relatis, habetur apud Annam *alleg.* 48. aliisque allegatis advertitur *in Sabin. Status Montis Librette sub tit. de feud. disc.* 65. utique docet praxis onerum cameralium, & collectarum, quoniam pro eis venditor non præstat evictionem, neque tenetur ad quanti minoris, decimæ autem spirituales, & onera laicalia in hoc fraternizant, quoniam ut pluries advertitur *sub tit. de Regalibus*, tributa, & collectæ aliaque onera laicalia dicuntur decima, quæ solvitur Principi adinstar decimæ, quæ solvitur Deo. 3 4 5 6

ANNOT. AD DISC. XXXVI. & seqq.

AGitur in his discursibus de materia evictionis, seu actione quanti minoris ob detecta onera in re vendita, de qua actum est *supra disc.* 9. *&* 10. 16. *& seqq.* & habetur etiam *sub tit. de Regal. disc.* 164.

Et de hac eadem causa quoad concernentia materiam decimarum agitur in sua sede *sub tit. de decimis disc.* 18.

FIRMANA, PRO MORELLETTIS.

Responsum pro veritate.

An venditori liceat rem evictam ab evincente recuperare, illamque emptori restituere, atque ita evictionis actionem, vel regressum emptoris ad primæva jura evitare?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Purgatio moræ non datur adversus pactum resolutivum.*
3 *An venditor possit recuperare rem evictam, illamque emptori restituere, atque ita evitare actionem evictionis.*
4 *De distinctione, cum qua deciditur quæstio.*

DISC. XXXVII.

CUm in satisfactionem antiquorum jurium, quæ Cæcilia habebat contra N. Hic aliqua bona in solutum ei dedisset sub expresso pacto regressus ad primæva jura in casu evictionis, atque defuncto venditore, seu illo, qui in solutum dederat, aliquo ære alieno presso, adeout ejus hæreditas sub curatore ad commodum creditorum jaceret, Rector cujusdam Ecclesiæ, ea capite devolutionis, seu alio jure dicta bona in parte evicisset a dicta Cæcilia, qua ad ejus primæva jura regrediente, notabile resultabat creditoribus præjudicium. Hinc ex parte illorum de Morellettis, qui dictæ hæreditatis creditores erant, pro veritate consultus fui, an eis integrum esset bona prædicta a Rectore recuperare, dictæque Cæciliæ restituere. 1

Difficultatem præbente conclusione, de qua cæteris relatis apud

2 apud Gratian. *discept.* 708. Gregor. & Adden. *decis.* 559. Buratt. & Adden. *decis.* 896. quod scilicet illa moræ purgatio, quæ de æquitate canonica passim admittenda est, in plurium sensu, etiam de jure civili non deneganda ex deductis apud Capye. Latr. & Adden. *decis.* 30. & pluries *sub tit. de emphyt.* non intret adversus pactum resolutivum, cum solum intret adversus pœnam, non autem adversus conventionem.

Respondi, quod quicquid sit de ista conclusione in ter-
3 minis emphyteuticis, super quibus actum habetur in dicta sua materia, quatenus tamen pertinet ad istos speciales, ac præcisos terminos, an scilicet venditore rem evictam recuperante, illamque emptori offerente, ad evitandam evictionis actionem, vel regressum ad primæva jura, teneatur emptor recipere, si ejus magis intersit evictionem præstari, vel regressui locum esse decisio pendet a distinctione, an evictio valide, ac perfecte sequuta sit necne; si enim sequuta esset improprie, puta ratione hypothecæ in Salviano, vel alio remedio, tunc recte recuperatio, ac restitutio intrat, secus autem, ubi per viam veræ, ac formalis evictionis ratione dominii, cum subsequuta executione, quoniam tunc esset potius nova acquisitio, quam recuperatio, juxta deducta *decis. Bonon.* 27. Anna *alleg.* 174. Franch. *decis.* 145. ubi modern. de Luca in Addit. *n.* 2. Mangil. *de evict. quæst.* 183. de Marin. ad Revert. *decis.* 582. *n.* 2.

Ideoque concludebam, determinationem pendere a circumstantiis facti, an scilicet dicta evictio proprie, ac
4 valide, & perfecte sequuta sit, vel potius invalide, seu improprie, adeout recuperatio non importet novam acquisitionem, sed potius repositionem in statu pristino, vel e converso, ut primo casu emptor teneatur recipere, non autem secundo.

RAVENNATEN. FRUCTUUM, PRO VINCENTIO PROMPTO, CUM PETRO BECCIO.

Casus disputatus coram Prelata Judice Commissario in Signatura, & resolutus pro Petro.

An & quando secundus emptor evictionis actionem habeat contra primum venditorem, ac etiam, an in evictione veniant fructus, vel interesse ad favorem ejus, qui non est venditor; sed est assignatarius, seu cessionarius pretii?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De doctrina Bart.* in l. si pro re, ff. de evict.
3 *An emptor agat de evictione, si non ab eo, sed ab altero, cui ipse tradidit, res evincitur?*
4 *An secundus emptor agat de evictione contra primum venditorem?*
5 *De stylo Curiæ scribendi stricte ad punctum, & non evagandi.*
6 *Fructus recompensativi non debentur ei, qui non fuit rei Dominus, nec venditor.*
7 *An iidem petantur tanquam damna, & interesse evictionis?*
8 *Emptor tenetur solvere pretium, non obstantibus molestiis, si offertur cautio evictionis.*

DISC. XXXVIII.

1 PRomptus vendidit prædium Ravennæ, qui deinde illud vendidit Beccio patri, qui permutando idem prædium cum domo cum Guattario cum recumpensa scutorum 400. in quibus pretium prædii domum superabat, dictam summam cessit, seu assignavit Petro filio in satisfactionem dotium uxoris, ac Nurus respective, quia vero dictus Guattarius aliquas molestias a Prompti primi venditoris creditoribus recipit, hinc dictum pretium, cedente die, deposuit, dictoque deposito per aliquod tempus otioso permanente, Petrus cessionarius, ob retardatam solutionem a Prompto primo venditore petebat fructus recompensativos, seu interusuria, ejusque intentionem fundatam esse dicebant Scribentes pro Actore in do-
2 ctrina Bart. *in l. si pro re*, §. *Si pro evictione*, *ff. de eviction.* cum concordan. per Mangill. *de evict. quæst.* 161.

Ideoque ex parte Prompti Rei conventi requisitus fui, ut huic objecto præcise satisfacerem.

Mihi videbantur istius doctrinæ termini extranei a casu præsentis controversiæ; duplex enim a Bartolo ad materiam dicti Text. *in l. si pro re* proponitur quæstio, atque cum Bartolo reliqui pertranseunt, una scilicet, ubi res, quam Ego emi, non evincitur a Me, sed ab altero, cui Ego vendidi, an scilicet regressum habeam con- 3
tra primum venditorem, qui Mihi vendidit, priusquam Ego pulsatus fuerim, & condemnatus ad evictionem erga eum, qui a Me causam habuit, & deciditur negative, quatenus secunda venditio pura esset, ac simplex de tota re, nihil pro Me retinendo, secus autem si partim vendiderim, vel concesserim, & partim retinuerim, puta (ut Bartolus exemplificat) quod vendiderim, vel concesserim dominium utile, ac retinuerim directum, quoniam recte agere possum ad evictionem juris Mihi reservati, & competentis, sed ista quæstio prorsus extranea erat a casu.

Altera vero quæstio est, an secundus emptor cui res 4
evicta fuit, directam, ac immediatam actionem habeat contra primum venditorem, & de ista quæstione agitur per Rotam *dec.* 589. *par.* 1. *decis.* 412. *part.* 2. & latius *decis.* 388. *part.* 7. *rec.* Mangil. *de evict. dict. quæst.* 162. cum aliis per Oleam de cession. jur. *tit.* 4. *quæst.* 7. *n.* 3. *cum seqq.* apud quos plures adhibentur distinctiones, an scilicet concurrat cessio jurium, sive stipulatio etiam pro quibuscumque successoribus, aut obligatio cameralis, quæ continet in ventre stipulationem *pro omnibus, quorum interest*; verum istam quoque dicebam quæstionem omnino extraneam a casu, ideoque inhærendo nimium commendabili stylo Curiæ, per aliquos tamen modernos pragmaticos parum judiciose, cum improbo labore, corrumpi so- 5
lito, non evagandi in superfluis quæstionibus; sed insistendi super solo puncto præciso controversiæ, contentus relatione tractantium de materia, neglexi dictarum quæstionum examen assumere, dum dictus Petrus, neque Dominus, neque venditor unquam fuit.

Punctus igitur præcisus quæstionis erat, an ob retarda- 6
tam pretii solutionem, fructus, vel interusuria prætendi possent, & in hoc sine dubio negative respondendum videbatur, quoniam, aut petebantur ex æquitate Text. *in l. curabit*, *C. de action. empt.* & isti termini intrare non poterant, tum quia actor nunquam fuit Dominus, nec venditor, sed tertius purus creditor pecuniarius, ut in specie Millin. *decis.* 378. *n.* 3. *repetit. decis.* 109. post Gilian. ad statut. *n.* 2. *& decis.* 129. *n.* 92. *&* 93. *part.* 12. *recent.* & habetur a simili in fructibus dotalibus *sub tit. de dote*, *disc.* 123. *&* 1[illegible]. Rot. *decis.* 258. *num.* 3. *par.* 10. *rec.* Tum etiam quia reus conventus non possederat rem, cujus fructus percepisset, & quorum respectu intrat ratio, seu æquitas dicti Textus, ut pluries ad illius materiam *sub tit. de usur.* ubi est sua sedes.

Aut vero prætendebantur in judicio evictionis tanquam 7
damna, & interesse, & pariter non intrabant, dum res nunquam exiit a manibus emptoris, ut advertitur in eodem *sub tit. de usur.* & habetur *in Tudertina census* 10. *Martii* 1664. *cor. Taya* & insinuatur *hoc tit. in Romana Salviani*, *disc.* 29. ac etiam quia recte dici poterat ipsi creditori imputandum esse, cus passus esset pecuniam deponi, unde sequuta fuit illius otiositas, quoniam ubi etiam intrassent termini Textus *in l. post perfectam*, *C. de evictionibus*, aliud a possessore prætendi non poterat nisi cautio, qua mediante emptor solutionem negare non potest,
ea deductis per Surd. *cons.* 36. *n.* 15. *& seq. & dec.* 183. 8
& 295. Caval. *decis.* 602. *n.* 1. & in aliis, igitur debebat, vel præstare cautionem, vel interpellare venditorem, quod illam præstaret, ac molestias in se assumeret.

ANNOT. AD DISC. XXXVIII. & seqq.

CIrca ea quæ in his discursibus concernunt materiam fructuum recompensativorum videri poterunt deducta *sub tit. de usur. disc.* 15. *cum seqq. & eod. tit. disc.* 42. *& hoc tit. de Emptione*, *& pend. disc.* 47. ubi an augmentum pretii, quod conveniatur sub certa conditione redolente majorem emptoris securitatem, habeat naturam veri pretii ad effectum fructuum recompensativorum.

ROMANA

PRO LAURA CUSIDA DE MAXIMIS CUM JULIO PETRONIO.

Casus disputatus coram Prælato Judice Commissario, credo concordatus.

An & quando emptor, qui in se accollavit pro pretio debita fructifera venditoris, teneatur ad fructus debitorum ultra id, quod ipsius rei fructus importent?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De fructibus recompensativis per emptorem, ut debeantur ad mensuram fructuum ipsius rei.*
3 *Intellige quoad venditorem pro pretio.*
4 *Secus quoad creditores accollatos, quibus ratione censuum majores fructus debentur.*
5 *Pretium transfusum in aliam causam debendi non consideratur amplius uti pretium.*
6 *Evictio non importat resolutionem actus ab initio.*
7 *Emptor subjectus retractui interim est verus Dominus.*
8 *Debitum causativum, vel occasionale cessat, cessante causa.*
9 *Non autem pro tempore præterito, quo fuit possessor.*
10 *Transactio exigit litem, sine qua non datur.*
11 *De læsione in transactione.*

DISC. XXXIX.

1 PLures habitæ fuerunt controversiæ inter Lauram, & Julium, principaliter autem, ac potissime super impugnatione transactionis inter eos initæ, quam Laura impugnare prætendebat ex defectu solemnitatum, quæ in contractibus mulierum ex statuto Urbis 151. desiderantur, ac etiam ex defectu causæ ob liberationem præsertim Julii a debito fructuum censuum accollatorum pro pretio rei emptæ; cum enim Julius, vel ejus auctor, facta emptione aliquorum bonorum, in partem pretii in se accollasset aliquos census, quibus venditor premebatur, atque post aliquorum annorum decursum, eadem bona evicta essent, hinc orta est controversia, an pro eo medio tempore, in quo emptor pacifice possedit bona, eorumque fructus percepit, teneatur ad fructus censuum accollatorum, quamvis excederent fructus ab ipsis bonis perceptos, vel potius ad dictos fructus tantum teneri deberet.

In hoc autem puncto Scribentes pro emptore dicebant, quod cum ob subsequutam evictionem, contractus resolutus esset, ita dici debebat non emptor ab initio, & consequenter, quod considerandus tanquam simplex possessor,
2 ad aliud teneri non deberet, nisi ad restituendum perceptum, ne alias locupletetur cum aliena jactura juxta generales terminos Textus *in l. curabit*, *C. de action. empt.* de quibus frequenter *sub tit. de usur.* ubi agitur de hujusmodi fructibus recompensativis debitis ex æquitate, vel dispositione dicti Textus *in l. curabit*, ita in his generalitatibus immorando.

Scribens Ego pro Laura, quæ non venditrix, sed creditrix pro fructibus censuum erat, advertebam, quod aliud
3 est agere de controversia inter ipsos emptorem, & venditorem, aliud vero inter emptorem, & creditores censuum accollatorum.

Primo enim casu, cum venditor agat solum de usuris, vel fructibus pretii, aliud prætendere non potest nisi quantum important ipsius rei fructus, quos alias percepisset, cum alias esset percipere fructus ex pecunia, ut pluries habetur *d. tit. de usur.* præsertim *in Baren. census*, *disc.* 17. atque venditor plus prætendendo, repelli etiam posset ab emptore per exceptionem refectionis quorumcumque damnorum, & interesse venientium sub evictione, & consequenter admittebam, ut tali casu probabilis esset emptoris prætensio.

Secus autem in altero, in quo contentio sit cum credi-
4 toribus accollatis, cum enim accollatio vim habeat veræ, ac effectivæ solutionis unius debiti, ac respective creationis novi debiti cum tertio contracti, quoniam fingitur accollantem solvisse venditori pretium rei venditæ, ac deinde eandem summam recepisse a creditore accollato, perinde ac si cum ipso directe contraxisset, ut, cæteris relatis, habetur apud Cenc. *de cens. q.* 73. *n.* 16. Rota apud Merlin. *decis.* 543. *n.* 1. *decis.* 135. *n.* 23. *par.* 6. *rec. Auctonitana census* 3. *Junii* 1658. *cor. Verospio.*

Hinc proinde nihil refert, an res empta sit fructifera
necne, sive majores, vel minores fructus produxerit, quo- 5
niam si pretium fingitur solutum, illudque in diversum contractum transfusum, desinit esse tale, diversamque assumit naturam, ac diversos producit effectus, adeout si agatur de pretio rei fructiferæ, quod ex conventione convertatur in contractum cambii, pro quo ex defectu transmissionis litterarum nulli fructus debeantur, sive quia ob nundinarum eventualitatem nulla adsit excrescentia, quinimmo diminutio fortis, ut est contingibile, atque istum contractum salvat ab usura, ut pluties in sua materia *sub tit. de cambiis*, non poterit venditor prætendere fructus pretii, neque ad ratam fructuum, quos vere emptor interim percepisset juxta dictos terminos Textus *in l. curabit*, quoniam debitum non remanet amplius in terminis pretii, ita implicite soluti, sed in terminis alterius diversi contractus, ut ex Soccin. jun. & aliis Surd. *cons.* 169. *n.* 18. Tuscai *allegat.* 56. Leotard. *de usur. q.* 27. *n. fin.* ac ita e converso, ut advertitur apud eundem Leotard. *q.* 27. *n.* 61. Gratian. *discept.* 524. *n.* 8.

Neque alicujus momenti videbatur subsequuta evictio, 6
quoniam nullibi jure cautum est, istam importare omnimodam contractus resolutionem ab initio, perinde ac si gestus non esset, cum vi retrotractiva, quoniam interim emptor fuit verus, ac perfectus Dominus, ac possessor, ut habemus in fortioribus terminis emptoris subjecti retractui legali, seu conventionali, nam interim, donec retractus sequatur, est verus, ac perfectus Dominus, & possessor juxta deducta apud Millin. *dec.* 446. *cum concordan. supra*, *hoc eodem tit. disc.* 32. & pluries *sub tit. de servit. ad mater. retract.* ac propterea
sequuto casu evictionis in ordine ad venditorem ad ipsam 7
obligatum, emptor indemnis a quocumque interesse remanere debet ex natura evictionis, non autem quod desierit esse talis medio tempore quoad tertios, quorum respectu solvitur solum ipsius emptoris obligatio utpote occasionalis, vel causativa, tanquam ex cessante causa, juxta regulam Text. *in c. cum cessante*, de qua Tiraq. *ibidem*, *n.* 221. *& seqq.* Dec. *cons.* 421. Amat. qui plures de more colligit *resol.* 21. *n.* 1. Rota *dec.* 428. *n.* 4. *p.* 1. *rec. Bonon. censuum* 9. *Febr.* 1654. *coram Meltio cum concordan.* de quibus supra *in Sutrina hoc*
eodem tit. disc. 23. ubi solum expenditur quæstio, de qua in 8
sensu Cujac. & aliorum agit Merlin. *lib.* 1. *contr.* 91. an scilicet emptor non obstante, quod evictionem passus sit, seu alias possessor esse desierit, adhuc tamen salvis ejus juribus contra venditorem continuet in vim delegationis esse debitor creditoris accollati pro tempore etiam futuro, ut idem Merlin. nervose sustinet, quod tamen asperum videtur, ut advertitur *in dicta Sutrina*, sed pro tempore decurso ante evictionem, ut creditoribus teneatur, neque il-
lum relevet dicta circumstantia debiti causativa, sive occa- 9
sionalis, nemo dubitat, cum hoc medio tempore non intret dicta regula *cum cessante*, ut pro absolutum supponitur in proxime allegatis decisionibus cum concord. per Amat. *dicta resol.* 21. *n.* 5. *cum seqq.* & habetur pluries deductum *sub tit. de Regalibus ad mater. officiorum*, *disc.* 8. *cum seqq.*

Hæc deducebam tanquam Advocatus causæ inserviendo, atque reflectendo etiam ad veritatem, credebam illa probabilitatem habere, quando res esset integra, quod scilicet creditor nunc ex integro istud debitum ab emptore peteret, habebam tamen difficultatem ob intermediam transactionem non de facili ex præmissis rescindendam, licet enim transactio non detur in re clara, sed pernecesse exigat li-
tem, seu litis probabile dubium, ac timorem ad vulgarem 10
Text. *in l.* 1. *de transact.* attamen ut pluries advertitur *sub tit. de fideicommiss.* præsertim *disc.* 173. ac etiam *sub tit. de emphyt. disc.* 52. *& sub tit. de feud. disc.* 49. ac alibi, in eo articulo, an, & quando transactio afficiat successores, ex persona propria venientes, independenter a transigente, aliud est agere cum dicto tertio veniente jure suo, ut supra, ad quem effectum requiritur magna dubietas, ex qua resultat bona fides, aliud vero inter ipsos transigentes pro sustinendo actu, & ne dicatur initus super re clara, ad hunc enim effectum sufficit talis qualis dubietas resultans, etiam ex opinione unius doctoris ex ibi deductis.

Prout licet juxta opinionem, in qua resider Rota, & Cu-
ria Romana, etiam in contractu transactionis admittatur 11
læsio juxta terminos Text. *in l.* 2. *C. de rescindend. vendit.* attamen, quia læsio non regulatur ab intrinseco, ac naturali pretio ejus, quod est in controversia, sed a dubio litis eventu, hic proinde nimium difficile est, hujusmodi læsionem justificare, atque transactionem ex isto capite rescindere, ut advertitur supra *hoc eod. tit. in Romana transactionis*, *disc.* 27. idque ab initio apud Me inferebat difficultatem, qualem puto apud Judicem quoque militasse, ignotus tamen est eventus,

TAU-

TAURINEN. PECUNIARIA PRO JOANNE BAPTISTA MORETTO, CUM CAMERA.

Responsum pro veritate.

An emptor hæredisatis, vel spolii, qui accollavit in se omnia debita, quorum aliqua deduxit ad speciem, teneatur reficere venditori id, quod importent debita ad speciem deducta, quæ detegatur esse indebita, vel potius ad ipsius emptoris commodum cedat?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Si emptor in partem pretii in se accollat debita, quæ detegantur non deberi, debent solvi venditori.*
3 *De quæstione super præcepto testatoris, ut solvantur debita, & de quibus intelligatur.*
4 *Conclusio, de qua nu. 2. non intrat, ubi agitur de emptione hæreditatis, quoniam id cedit commodo emptoris.*
5 *De eadem conclusione, de qua n. 3. & an præceptum, ut solvatur aliquod debitum, illud revalidet.*

D I S C. XL.

1 EMens Joannes Baptista a Ministris Cameralibus, seu Nuntiaturæ Taurini, spolium Clerici defuncti possessoris Beneficii, seu Abbatiæ, in qua ipse successerat, assumpsit in se onus solvendi omnia debita, præsertim vero illud pensionum decursarum, quæ ad speciem deductæ fuerunt, una præsertim debita Abbati Boschetto, qui ab eodem Tribunali Nuntiaturæ mandatum executivum pro certis terminis obtinuerat, cumque postmodum, prosequuta causa in negotio principali, per tres conformes declaratum esset, dictam pensionem non sustineri, ac propterea etiam exactum restituendum esse, multo minus exigi posse id, quod remanebat solvendum, hinc proinde Ministri Camerales, seu Nuntiaturæ prætensionem excitarunt contra dictum emptorem, seu transactarium spolii, pro solutione ejus, quod dicti termini importarent, quare ex ejus parte desuper consultus

2 Respondi, quod ubi ageretur de emptione, & venditione certæ rei, quæ suum intrinsecum pretium haberet inter partes conventum, in cujus satisfactionem emptor in se accollasset debita, ad quæ venditor erronee teneri credebat, tunc detecto errore, omnino verius est emptorem teneri solvere venditori id, quod creditori solvere debuisset, quando præsuppositum non fuisset erroneum, cum alias esset locupletari de alieno, atque invito Domino pretii partem obtinere sine causa.

3 Quæstio etenim, de qua agit Rota *dec. 62. 81. & 519. p. 7. rec. dec. 80. p. 50. & dec. 98. p. 51. rec.* an sc. præceptum, vel respective obligatio de solvendis debitis, intelligatur de iis, quæ utramque naturalem, ac civilem obligationem habeat, quia nempe sint vera, & valida, vel etiam de illis, quæ naturalem habeant, non autem civilem, quia nempe de facto sint vera, sed de jure illegitima, percutit diversos effectus, vel terminos, ubi sc. agatur de hærede, vel altero, in quo non data comprehensione, remaneant bona ab eo onere libera ex legis, vel hominis judicio.

4 Verum in hac facti specie, dixi pro emptore probabilius respondendum esse, quoniam non agebatur de emptione certæ rei, sed hæreditatis, & sic juris universalis sub se continentis incertam aleam lucri, ac damni, ob tam activas, quam passivas actiones in emptorem transeuntes, ut enim advertitur supra *disc. 26.* & in aliis emptor, vel cessionarius hæreditatis fingitur directus, ac immediatus hæres defuncti, perinde ac si ipse ab initio in hæreditate successisset, & consequenter hæc alea detecti debiti minus validi, cedit commodo hæreditatis, ejusque emptoris, vel cessionarii, eo modo, quo ad venditoris commodum cedere debuisset, si venditio facta non esset, sive si aliud debitum esset detectum, ut pro eo regressus contra venditorem non habeatur, expressio autem aliquorum debitorum continet potius id, quod de jure inest, quam novam dispositionem.

5 Supponebatur, quod dictus pensionarius, qui succubuerat, prætenderet, quod cum Nuntiaturæ Officiales in specie emptori hæreditatis injunxissent onus solvendi istud debitum, ita illud canonizatum fuisset, se fundando in supra allegatis decisionibus cum concordantibus ibidem deductis super puncto, an per dispositionem, vel præceptum de solvendis debitis, efficacia, & exigibilia efficiantur illa debita, quæ alias de jure inexigibilia essent, verum hæc erat prorsus improbabilis prætensio, nulli penitus fundamento innixa, quoniam attenta etiam opinione volentium, ut hujusmodi præcepta, vel dispositiones talem effectum operentur, id percutit casum, in quo intret ratio exonerationis conscientiæ disponentis, qui naturaliter obligatum se agnoscat, sive constito de voluntate, id resolvatur in legatum.

Id autem in præsenti applicari non poterat, dum agebatur de Ministris Cameræ id exprimentibus cum præsupposito debito, & quatenus illud subsisteret, & ne alias contra ipsam Cameram regressus dari posset, absque eo quod in eis dicta ratio exonerationis conscientiæ cadere posset, minusque altera, donandi, seu remmittendi ob defectum potestatis, cum liberam dispositionem bonorum, vel jurium Cameræ non haberent.

ROMANA PECUNIARIA PRO FRATRIBUS DE ASTE CUM MONASTERIO SS. DOMINICI, & SISTI.

Casus disputatus cor. A. C. & resolutus pro illis de Aste.

De emente ab hærede beneficiato, an & quando reddatur tutus a molestiis creditorum hæreditariorum, ad terminos Textus *in leg. fin. Cod. de jur. deliberan.*?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Emens ab hærede beneficiato est tutus.*
3 *De istius regulæ limitatione remissive.*
4 *Quid in casu subsidii, ubi alias creditoribus non est consultum, & n. 12.*
5 *Et quid ubi inventarium sit minus solemniter confectum.*
6 *Inventarium quoad creditores non citatos habetur pro non confecto.*
7 *Contrarium, quod etiam legitime non confecto inventario intret dicta regula.*
8 *Decisiones in quibus attendi debeant.*
9 *Omissio descriptionis aliquorum, an irritet inventarium.*
10 *Distinguitur conclusio, de qua n. 5. & 7.*
11 *Hæres solvens creditoribus, non reportata cautione, male solvit.*
12 *De eadem conclusione, de qua n. 4.*

D I S C. XLI.

AD Casale, quod pretio scut. 80. mil. & ultra, Clementia hæres beneficiata Cardinalis Cecchini, pro dissolvendo ære alieno hæreditario vendidit Francisco de Aste genero, juxta seriem insinuatam *sub titul. de Dote dis. 42. & sub tit. de credito disc. 53.* judicium Salviani, vel associationis pro quodam censu imposito per antiquum ejusdem Casalis possessorem instituit coram A. C. Monasterium SS. Dominici, & Sixti, contra ejusdem Francisci jam defuncti filios, & hæredes, ex quorum parte, ultra motivum fideicommissi insinuatum *dict. disc. 42. sub tit. de Dote*, cujus vigore adversus alios molestantes sententia absolutoria ibi reportata fuit; Aliud in ista causa deducebam motivum, scribendo pro reis conventis, deductum ex clara dispositione Tex. *in leg. final. §. Et si præfatam, Cod. de jur. deliber.* ut scilicet emens bona hæreditaria ab hærede beneficiato pro dissolvendo ære alieno hæreditario, tutus reddatur a creditorum, ac legatorum molestiis, reservato ipsis creditoribus jure agendi ad pretium, sive adversus creditores, quibus pretium solutum est, & firmant idem communiter Scribentes, ac in specie advertiunt apud Franch. *decis.* 272. & 531. Rota apud Carill. *dec.* 180. 227. & 267. quarum prima est repetita *dec. 85. par. 9. rec.* ubi concordantes, & habetur etiam apud Ganaver. *dec.* 8. 1 2

Illudque motivum in hac facti specie, ex ejus qualitate, & circumstantiis, intrabat de plano, cum non caderent illæ limitationes, seu difficultates, quæ desuper cadere solent, præsertim ubi ageretur de inventario minus solemni, in cujus confectione citati non essent creditores emptorem turbantes, sive ubi emptor sollicitus non fuisset, ut pretium creditoribus solveretur, aut quod creditoribus dimissis existentibus non solvendo, consultum non remaneret anterioribus, qui contra emptorem agerent, ex iis quæ habentur apud Franch. & Add. *loc. cit.* ac alios de materia agentes, & *d. disc. 53. de credito*, dum in hac 3

facti

facti specie inventarium erat bene, & solemniter confectum, in specie citato isto creditore, atque venditio ad formam ejusdem textus expresse facta erat tanquam per hæredem beneficiatum. Neque difficultas cadebat super versione, dum pretium in Monte Pietatis depositatum de mandato Judicis ser. ser. creditoribus hæreditariis solutum fuit.

4 Minusque cadebat altera quæstio subsidii, quatenus dimissi creditores essent non solvendo, dum tam hæres, quam emptor solliciti fuerunt, ut idem pretium caute solveretur eo modo, quo advertitur apud Franch. dict. dec. 272. in fine, cum idonea scilicet cautione de restituendo prioribus, & potioribus, & de contribuendo cum æqualibus super cautione præstanda, qua per creditores nimium impugnata, acriter disputatum fuit in eodem Tribunali cor. A. C. sed obtentum, ut habetur actum *sub tit. de credito d. disc.* 53.

Hinc propterea defuit occasio assumendi disputationem super dictis punctis, vel quæstionibus, ex quibus prætendi solet, regulam deductam ex d. Textu *in l. fin. §. Et si præfatam* cessare debere.

5 In illa vero limitatione, de qua, cæteris relatis, apud Franch. *d. dec.* 272. *in princ.* ubi scil. ageretur de inventario, quod respectu ipsorum creditorum agentium, minus solemne dicendum sit, quia scil. in ejus confectione citati non fuerint, unde propterea eis objici non valeat, quod sibi imputent propriam negligentiam, & cur debito tempore non comparuerint, ut de pretio eis satisfieret, occasione plurium causarum, quas in eodem Tribunali cor. A. C. & in aliis frequenter in hac materia dubitavi, etiam cum sensu veritatis, affirmare consuevi, quod omnino verior esset opinio, de qua apud Franch. *d. dec.* 272. ut creditoribus integrum esset ab bona sibi hypothecata agere, non obstante beneficio per dictum Textum inducto, quoniam illud præsupponit venditionem factam esse per hæredem beneficiatum, qualis non dicitur respe-
6 ctu illorum creditorum, qui in confectione inventarii citati non fuerint; quamvis quoad citatos inventarium legitimum, ac perfectum esset, Bart. *cons.* 154. *nu.* 8. *cum concord.* apud Buratt. & Add. *dec.* 750. Gregor. & Add. *dec.* 22. & 473. *dec.* 201. *par.* 11. *rec.* & sæpius, igitur deficit legis præsuppositum, quo concurrente, urget contra eos dicta probabilis ratio, ut sibi imputare debeant propriam negligentiam, quæ bonæ fidei emptori, vel hæredi bona fide solventi primo venientibus præjudicare non debet.

7 Et quamvis in contrarium deducerentur firmata per Rot. *in d. dec.* 180. Carilli *repetit. decis.* 85. *par.* 9. *rec. circa finem*, ubi in specie ponderatur, quod minus legitima confectio inventarii in hoc præjudicare non debet, dictumque beneficium non tollit, dictaque decisio, juxta Curiæ morem, magnam faceret impressionem, ac inferret difficultatem, attamen advertebam in eo casu obiter insinuatum fuisse præter necessitatem causæ, quæ ad alia motiva restringebatur, ut patet ex duabus aliis posterioribus decisionibus in eadem causa editis cor. eod. Carillo *dec.* 226. & 227. Unde intrare dicebam assumptum, quod in
8 Foro habemus quotidianum pluries ab antiqua, & moderna Rota firmatum, ut decisionibus deferri debeat in iis, de quibus principaliter disputatum fuit, non autem quæ obiter enunciantur; eadem siquidem decisio ad evidentiam probat, obiter, ac immature id deductum fuisse, cum procedatur simpliciter cum conclusione late firmata per eandem Rotam *dec.* 181. *p.* 6. *rec.* ut sc. defectivum inventarium ob aliqua bona in eo non descripta cessare non faciat ejus beneficium, neque exinde hæres non beneficia-
9 tus dicendus veniat, quamvis omissio dolosa esset, cum tunc ex magis benigna sententia quam Rota sequitur, intret solum actio ad duplum, non autem amissio beneficii, ut in sua materia *sub tit. de hærede, ac sub altero de credito.*

10 Verum id nihil ad rem facere videtur, quoniam aliud est agere, an ob inventarii imperfectionem resultantem ab omissione descriptionis aliquorum bonorum resultet ejus omnimoda nullitas, ac beneficii privatio, aliud vero, ut quoad creditores non citatos, inventarium quamvis generaliter, & in reliquis validum, ac operativum, hanc operationem facere non debeat, tum quia, ut supra stant bene simul, inventarium quoad alios citatos esse validum, ac legitimum, & tamen quoad non citatos haberi pro infecto, perinde ac si nullatenus confectum esset, ideoque cessare dicitur præsuppositum legis hoc privilegium inducentis, tum etiam quia cessat negligentiæ ratio fundamentalis, ob quam hujusmodi præjudicium creditoribus generatur, qua ratione cessante, præfati Textus dispositio omnino iniqua, & irrationabilis remaneret, cum ita de facili fraudibus, & collusionibus lata via aperiri posset in supplantationem creditorum anteriorum cum posterioribus, vel legatariis parem idoneis, cum quibus inanis remaneret actio repetitionis, quæ per eandem legem conceditur, ita anteriores absentes, vel ignaros supplantando, contra omnem juris scripti, & naturalis rationem, ac æquitatem.

Hinc propterea, ut *eod. tit. de credito*, ac sub altero 11
de hærede pluries habetur, receptum est ut hæres, quamvis beneficiatus, solvens creditoribus absque idonea cautione restituendi anterioribus, male solvat, atque inventarii beneficio non obstante, ad reiteratam solutionem teneatur, quoties plusquam bona fides eum non excuset, ex magna hæreditatis opulentia, cujus creditores insperato detecti sint.

Quando autem istud quoque remedium creditoribus non 12
suffragetur, quia sc. neque hæres sit idoneus, tunc in subsidium contra emptorem ad bona hypothecata concedendus videtur regressus, cum juxta communem contrahendi usum, aliqua culpa, & malæ fidei, seu collusionis suspicione non vacet emptor, qui de hujusmodi adeo communiter usitata cautela sollicitus non fuit, ac etiam quia dicta præpotens ratio fraudis, & collusionis prævalere debet litterali sensui legis, quæ rebus, non autem verbis imposita dicitur, ideoque principaliter attendi debet ratio, cui innixa est, seu finis ob quem prodiit; culpa etenim vacare non dicitur ille, qui negligit adhibere illas diligentias, quæ communiter adhibentur, ideoque istius legis beneficium recte operativum remanere videtur super necessitate creditoribus incumbente excutiendi prius ad ejusdem legis sensum dimissos creditores, vel legatarios, ac etiam ipsum hæredem libere, & incaute solventem, sed ubi istæ diligentiæ adhibitæ non prosint, tunc nulla juris, vel æquitatis ratio suppetit, ut creditores omnino elusi remanere debeant, cum in pari causa damni potius illud sentire debeat emptor, cui recte imputari potest propria negligentia, & cur non adhibuerit illas cautelas, quæ ex communi usu negligi non solent, dum, ut dictum est, id non levem præseferat collusionis, malæque fidei suspicionem.

ANNOT. AD DISC. XLI.

De securitate ementis ab hærede beneficiato habetur quoque *sub ti. de Cred. disc.* 53. Et conferunt deducta *sub tit. de feud. disc.* 73. de emptore tuto ab hypothecis, & vinculis quando venditio sit facta per Congregationem Baronum, de iis autem quæ concernunt materiam inventarii defectivi, & quando hæres solvens creditoribus liberetur, habetur *sub tit. de hæred. disc.* 14. 20. *& seqq. &* 25.

JANUEN. FRUMENTI, SUPPRESSIS NOMINIBUS.

Responsum pro veritate.

An & quando emens merces, vel alia bona a se gerente pro Domino, vel administratore, sit tutus a Domino, merces, vel bona vindicare volente, seu ab aliis jus in eis habentibus?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Solvens ei, cum quo contraxit, bene solvit.*
3 *Solvens etiam procuratori, cum quo contraxit, bene solvit.*
4 *Quid de extinctione census facta cum procuratore, cum quo census est impositus.*
5 *In concursu æquali potior est conditio solventis.*
6 *Emens a corresponsali bene emit, & tutus est.*
7 *An emens merces a non Domino sit tutus?*
8 *Quid ubi fiat emptio in portu, vel publico Emporio.*
9 *Procurator, vel administrator potest recipere solutionem veram, non autem fictam.*
10 *De differentia inter jeventem causam onerosam, & lucrativam.*

D I S C. XLII.

1 AUgustinus negotiator in Hispania commisit Bernardo commoranti in Insula Siciliæ, ut cum pecuniis habendis ab ejus correspondenti Urbis, emeret in ejus causam salmas mille frumenti, ut sequutum fuit, emptione facta a Dominico, se obligante frumentum prædictum infra annum consignare Bernardo, qui vendidit salmas 700. ad commodum Augustini mandantis cum subsequuto effectu; postmodum autem restantes salmas 300. vendidit Æmilio, pretium retinenti in satisfactionem ejus, quod consequi debebat a dicto Bernardo, cujus obitu ad breve tempus subsequuto, ejusque hæreditate detecta non solvendo, consultus fui (incertum est ex cujus parte) an, & quæ actio dicto Augustino competeret contra hæredes Dominici venditoris frumenti pro dictis salmis 300. vel contra Æmilium.

2 Quoad hæredes Dominici, omnino planum esse respondi, ut contra eos nulla competeret actio, quoniam cum Dominicus prædictus, vel iidem hæredes se obligassent consignare Bernardo frumentum, eo ipso quod sequuta fuit consignatio eidem, cum quo contractum est, sequuta fuit debitoris liberatio, quamvis contrahens non fuisset Dominus, quoties in solvente dolus positivus non concurrat, ut cæteris relatis plene apud Surd. *cons.* 43. *n.* 2. Rota apud Boratt. *dec.* 8. ubi Adden. Cavaler. *decis.* 345. & pluries *sub tit. de credito*.

3 Quinimmo etiam si ille, cum quo contractum est, non proprio, sed procuratorio, vel administratorio nomine contraxisset, cum obligatione tamen solvendi eidem, ubi expressa non accedat Domini, seu Principalis inhibitio, bene solvit, ut tanquam absolutum supponitur *dec.* 202. *part.* 12. *rec.* edita in casu, de quo habetur actum *sub tit. de censibus*, *disc.* 24. an scilicet imponens censum cum mandatario absentis, bene

4 illum extinguat cum eodem mandatario necne, atque ratio dubitandi cadebat solum ex eo, quod in mandato non contineretur facultas extinguendi, sed ubi agitur de hujusmodi creditis, & mercimoniis, quorum administratio correspondentibus datur, nulla dubitandi ratio cadit.

5 Adeoque id verum est, quod (cessante dolo positivo, seu collusione, aut ficta solutione) solvens mandatario, vel correspondenti quamvis decocto, vel decocturo, bene solvat, quoniam in æquali concursu mandantis, & tertii cum mandatario contrahentis, melior est conditio tertii, sibique mandans imputet, cur minus idoneum correspondentem elegerit, Strac. *de decoct. par.* 3. *nu.* 52. & cæteri collecti per Roccum *in notabil. post* 2. *vol. consil. tit. de decoct. notab.* 49. *nu.* 148. & habetur *in Anconitana salvum, sub tit. de regalibus*, *disc.* 115. ubi de consimili casu ementis merces a correspondenti decocturo.

6 Quo vero ad Æmilium, quando Hic citra fraudem, & collusionem pretium effective mandatario solvisset, adhuc pro eo dixi respondendum esse ex eisdem fundamentis, ac rationibus, de quibus in dicto consimili, ac individuo casu acto *in allegato disc.* 115. *de regal.* secus autem, dum imminente correspondentis decoctione, ita emptio facta est, ut emptor cum alienis bonis mandantis sibi satisfaciat, juxta deducta *in proxime allegata disc.* 115. ac etiam *in Romana,*

7 *seu Civitatis vetulæ mercium*, *eod. tit. de Regal. disc.* 129. ubi de puncto, an emens merces a non Domino in portu, vel in nundinis, alioque publico Emporio reddatur tutus a Domino res proprias vendicante, atque distinguitur, an ipsa bona extent, ut vindicatio detur, juxta terminos Text. *in leg. incivilem*, *Cod. de furtis*, *cum concordan.* apud Farinac. *quæst.* 177. *num.* 15. *& seqq.* Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 29. Rovit. *pragm.* 1. *de empt. & vendit.* cum aliis ibi deductis, quod tamen, ubi agitur de emptione facta in portu, vel publico Emporio de mercibus inter negotiantes data bona fide, videtur dubium, ac non placet, ut ibi advertitur; ubi vero non

8 extans, tunc decisio pendet a bona, vel mala fide, & an dici valeat quod tertius dolo desierit possidere necne, cum præsupposito tamen sinceræ emptionis, ac veræ, & effectivæ solutionis pretii factæ non Domino, secus autem ubi, ut in præsenti, ficta solutio accedit; quoniam de jure in procuratoribus, & correspondentibus, seu alias aliena negotia geren-

9 tibus datur facultas faciendi per actus veros, quæ tamen denegatur per actus fictos, cum procurator non possit confiteri, vel acceptilare, aut remittere, ad Text. *in l. quod stipulatus*, *ff. de solut. cum concord.* apud Surd. *dec.* 229. *num.* 23. Rota apud Merlin. *dec.* 473. *repetit. dec.* 374. *part.* 5. *rec.* & in aliis ut advertitur *in dicto disc.* 24. *sub tit. de censibus*, ac etiam in supra allegatis *disc.* 115. & 129. *sub tit. de regalibus.*

Ideoque concludebam quod eatenus Æmilius tutus esset ab Augustini molestiis, quatenus frumentum non extaret, neque dolo possidere desiisset, atque in bona fide illud ab ejus debitore in solutum recepisset opinando recipere bona proprii debitoris, non autem aliena; cum tunc nulla videatur subesse actio exercibilis contra tertium, dum contra eum dari non potest personalis ob deficientem obligationem, quæ mater est actionis, minusque realis, dum res non extat, solumque edictum *de his, quæ in fraudem* datur posita fraude, quodquo dolo possidere desierit, cum ea subsidiaria actio, quæ, re perempta, Domino datur contra tertium ad pretium, quod vere, vel æquipollenter extet juxta terminos textus *in l. si me*, *& Titium*, *ff. si cert. petat. cum concordan.* procedat contra foventem causam lucrativam, atque ita de alieno se locupletare volentem, non autem contra foventem causam onerosam, ut habetur pluries *sub tit. de credito*, ac etiam *sub tit. de dote*, ac alibi pluries, & insinuatur quoque *dicto disc.* 115. *&* 129. *sub tit. de Regalibus.* 10

ANNOT. AD DISC. XLII.

DE securitate emptoris in portu, vel publico Emporio, vel respective a correspondenti, aut Administratore habetur specialiter actum in insinuatis *disc.* 115. *&* 129. *de Regal.* Et conferunt notata supra *ad disc.* 13.

CIVITATIS CASTELLI PRÆDII,

PRO ALBIZINO DE ALBIZINIS, CUM ELEONORA ET CATHARINA DE CHRISTIANIS.

Responsum pro veritate.

De Statuto Civitatis Castelli reddente tutum emptorem, qui per aliquod tempus possedit, & de altero inducente præsumptionem simulationis, si venditor continuavit in possessione, eorundemque Statutorum intelligentia.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De Statuto Civitatis Castelli reddente tutum emptorem possidentem per quinquennium.*
3 *De alio Statuto ejusdem Civitatis inducente præsumptionem simulationis in venditore.*
4 *Venditio exigit rem certam, & pretium certum, ideoque ex una, vel altera incertitudine, nulla remanet.*
5 *Quid de clausula constituti.*
6 *Contra viventes sub legali administratione patris, vel viri non currit præscriptio.*
7 *Statutum, de quo n. 2. non procedit, si venditio est nulla.*
8 *Statuta non extenduntur de casu ad casum.*
9 *De alio Statuto, de quo n. 3. quid requirat.*
10 *De eodem, & quando non intret.*
11 *De præscriptione statutaria, præsertim de Statuto Urbis quid operetur.*
12 *Cessat ex contraria probatione, vel fortiori præsumptione.*
13 *De statutis adimentibus fidem instrumentis, & scripturis.*

D I S C. XLIII.

CHristinus de anno 1614. recognoscendo se debitorem 1
Margaritæ uxoris, ac cessionariæ Ascanii ejus creditoris in scut. 150. pro hac summa vendidis dictæ Margaritæ tot cujusdam petii terræ, quæ sub ea caderent ad rationem juliorum 16. pro tabula ad ejusdem Margaritæ electionem, atque de anno sequenti, nulla de his habita mentione, idem prædium vendidit Albizino, contra quem Diana, & Margarita dictorum conjugum filiæ, tanquam matris hæredes judicium instituerunt pro vendicatione tantæ partis dicti prædii, quanta sub præfata summa caderet una cum fructibus, assumptoque post diuturnam plurium annorum litem, tractatu concordiæ, ex parte Albizini rei conventi super ejus jurium, vel exceptionum telavanila consultus fui, ad effectum deliberandi, an dictam concordiam amplecti, seu quomodo se regulare deberet.

Ejus Defensores in partibus præcipuum fundamentum constituebant in præscriptione, stante longissimi temporis pacifica possessione, tam ex terminis juris communis ad text. *in l. omnes*, *& l. sicut*, *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annorum*, quam fortius ex particulari Statuto hujus Civitatis *lib.* 2. *cap.* 19. per quod disponitur, ut emptor pacifice, ac quie-

quiete possidens per quinquennium, sciente, & patiente Domino, vel primo emptore, tutus reddatur, neque amplius molestari valeat, & de quo antiquo Statuto agunt Dynus, Marius de Fano, & Gaudinus Doctores antiqui, quos refert Castr. *cons. 424. nu. 1. post princ. lib. 2.* occasione disputandi, an illud liget forenses.

2 Et ulterius nimium se fundabant in altero Statuto *eodem lib. 2. cap. 30.* ubi disponitur, quod si, facta venditione, reperiatur venditorem possedisse rem venditam absque aliqua solutione pensionis facta emptori, venditio præsumatur in fraudem, ac nullius roboris. Et de quo, vel simili Statuto agit idem Castr. *cons. 21. & cons. 465. eadem lib. 2.* in quo ponderet facilius, dictam fraudis, vel simulationis præsumptionem cadere inter conjunctos, cum ibi agatur de sorore, ideoque multo magis in uxore.

3 Ultra vero hæc fundamenta ponderabam Ego, prætendi posse dictæ primæ emptionis, & venditionis inter conjuges nullitatem, dum dictum fuit vendi tot terras, quæ caderent sub dicta summa scutorum 150. nulla tamen facta erat expressio loci, seu partis fundi, unde propterea deficiebat unum ex tribus essentialibus requisitis emptionis, & venditionis, certæ scilicet rei, ad communites notata per DD. *in l. 3. §. incertam, ff. de acquir. poss. cum concordan.* de quibus late Paris. *cons. 59. n. 15. & sequent. lib. 1.* & conferunt quæ late habentur apud Merlin. *dec. 567. repetit. dec. 172. par. 6. rec.* super nullitate hujus contractus ob incertitudinem pretii, quod est alterum requisitum, fortius vero in præsenti, dum magis obstare videtur incertitudo rei, ob quam dari non poterat translatio dominii in emptorem.

4 Atque in idem conferre dicebam ea, quæ, cæteris relatis, habentur apud Duran. *dec. 49.* & alios plene deductos *decis. 373. num. 20. cum seq. par. 9. rec.* ac pluries *sub tit. de credito*, & sub altero de Judiciis, in proposito clausulæ constituti, an, & quando ob incertitudinem inefficax remaneat necne, si generaliter adjicitur super bonis etiam futuris, recte operativa est, cum in substantia sint certa, quamvis nobis ignota, secus autem si adjiciatur alicui quantitativæ parti unius prædii, non distinguendo, seu ad speciem non deducendo partem, seu locum, cum tunc omnimoda incertitudo adesse dicatur.

5 His tamen non obstantibus, respondi quod nimium dubitabam de juribus emptoris requirentis, cui proinde consului, ut eo quo posset modo se concordaret, ut credo sequutum, cum actricum intentio bene fundata esset in publico emptionis instrumento, ideoque actio erat fundata, exceptiones autem videbantur parum tutæ, illas siquidem distincte examinando.

6 Quatenus pertinet ad præscriptionem, attenta dispositione juris communis, nullatenus intrabat, cum Margarita emptria supervixisset spatio decem circiter annorum, atque vixisset sub illa legali administratione ejusdem emptoria tanquam viri, de qua *in l. finali, C. de pactis conventis cum concordantibus*, de quibus *sub tit. de dote, disc. 168.* ipsaque mortua, actrices, vivente ipso venditore patre, sub ejusdem administratione vixerunt ad terminos text. *in leg. cum oportet, & toto tit. C. de bonis maternis*: Ac ulterius demendum esset tempus pupillaris, ac minoris ætatis. Et quando etiam, ista demptione facta, superesset tempus habile ad præscriptionem, adhuc adversus eam receptum est competere restitutionem in integrum, etiam majoribus ex clausula generali, *si qua Mihi* ratione ignorantiæ, vel alterius justæ causæ, ex relatis per Adden. *ad decis. 3. par. 3. rec. & passim.*

7 Ex eodem quoque motivo, quod tam emptria, quam ejus hæredes vixerint sub administratione ipsius venditoris, a quo credere potuerint possideri rem emptam earum administratorio nomine, advertebam non intrare dictam præscriptionem inductam a Statuto *cap. 29.* Quod etiam tolli observabam ex supra insinuato motivo nullitatis, seu imperfectionis contractus ratione incertitudinis, quoniam ita Margarita, & ejus hæredes remanebant creditrices ex priori causa censuum fructiferorum, unde non intrabat Statutum, quod cum loquatur de Domino, vel de primo emptore, trahendum non est ad creditorem, de quo non loquitur, juxta naturam Statutorum a jure exorbitantium, ut attendi debeant in casu præciso, vel individuo, de quo verbaliter disponunt, denegata extensione de casu ad casum, quamvis rationis identitas accederet, ex iis quæ habentur pluries *sub tit. de successionibus*, ubi est magis particularis sedes materiæ Statutorum, & præsertim in Fanen. successionis, in qua prodierunt decisiones 6. Aprilis 1663. 26. Junii 1665. & 15. Martii 1666. coram Albergato, ibique de ista conclusione, ejusque declarationibus.

9 Quo vero ad alterum Statutum *c. 30.* super simulatione præsumpta ob decennalem continuatam possessionem venditoris, motivum cessabat ex facto, dum venditor ad menses eandem rem alteri vendiderat, ideoque non verificabatur decennalis possessio, & consequenter non versabamur in casu Statuti, ut in specie ponderat Castrens. *d. cons. 465. lib. 2.*

Ac etiam quia ubi etiam dicta decennalis possessio
concurreret, attamen illa remanebat æquivoca, utpote
referibilis ad præfatum titulum administratorium viri,
ac patris uxoris, ac filiarum respective, quo casu Statu- 10
tum cessat, utpote præsupponens continuationem possessionis ex priori dominio, & jure proprio, ut advertit etiam Castrens. *d. cons. 21. lib. 2.*

Item quia illud Statutum inducit solum quandam præ-
sumptionem a juris communis dispositione, vel intentio-
ne resultantem, cui famulatur ita ad tollendas DD. sub- 11
tilitates, & quæstiones, præscribendo certum terminum, ut advertit Castrens. *eodem cons. 21.* ac habemus in simili de illa præsumpta solutione, quam per Statutum inductam, præscriptionem statutariam dicimus, quoniam de jure communi ex longævo creditoris silentio, aliisque præsumptionibus, & adminiculis resultat præsumptio solutionis ad notat. *in l. Procula, ff. de probat. cum concord.* apud Afflict. *decis. 13.* Surd. *dec. 105.* Merlin. *dec. 124.* & frequenter *sub tit. de credito*, ac sub altero *de dote*, & alibi, sed quoniam super tempore magna est inter Scribentes variatio, ut etiam super adminiculis, eorumque efficacia, hinc proinde Statuta certum terminum præscri-
bentia, ut in Urbe est 16. annorum famulando disposi-
tioni juris, hujusmodi quæstiones sollunt, adhuc tamen 12
remanent in terminis solutionis præsumptæ, adeout si constet de contraria veritate, vel fortioribus præsumptionibus, Statutum cesset, ex deductis apud Cels. *dec. 63. n. 13. & seqq.* Add. ad Buratt. *dec. 98.* & sæpe in sua materia *sub tit. de credito*, & alibi.

Idemque habemus in illis Statutis, quæ adimunt fidem
instrumentis, aliisque scripturis certam formam, seu so-
lemnitatem non habentibus, quoniam est ademptio præ- 13
sumpta, unde si constat de contraria veritate, ista prævalet, ac attendenda est ex iis, quæ habentur in hoc proposito plene deducta *sub tit. de dote, disc. 143. & sub tit. de alienat. & contract. & sub altero de credito*, & alibi, cum similibus. Unde propterea cum in hac facti specie constaret de veritate, ac sinceritate actus, quodque nulla urgeret ratio, vel præsumptio fraudis, vel simulationis, dum vere, & realiter dicta Margarita ex causa correspectiva obtinuerat ab altero cessionem crediti fructiferi, pro quo magis viro debitori expediebat dare terras in solutum, quam pati majus interesse fructuum census, hinc proinde clarum videbatur, quod dicta Statutaria præsumptio contrariæ veritati cedere deberet.

ANNOT. AD DISC. XLIII.

De hujusmodi statutaria dispositione alia non suppetiit occasio disputandi; quo vero ad punctum, de quo *n. 4.* super incertitudine venditionis ratione quotæ, videri poterunt ea, quæ magis ex professo dicta sunt *sub tit. de usur. disc. 39.* Et conferunt notata supra *ad disc. 4.*

URBINATEN. VENÆ SULPHURIS,

PRO MARCO CORRADINO,

CUM MORELLIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Marco.

An vendito fundo, veniant sub venditione Fodinæ mineralium, vel thesauri, & alia existentia sub solo; & an ob Fodinam, vel thesaurum inventum intret læsio?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quomodo desumatur non comprehensio sub venditione.*
3 *Venditis mercibus in arcis, vel sarcinis, si alia res ibi inveniantur, non veniunt in venditione.*
4 *Idem de pecunia abscondita in domo vendita.*
5 *De actione quanti minoris, vel quanti majoris, si res reperiatur diversæ speciei.*
6 *Quod sub concessione fundi non veniant mineralia.*
7 *Et generaliter de non comprehensione Fodinæ sub venditione fundi.*
8 *Quando dicatur adesse læsio enormissima.*
9 *In casu læsionis enormis non veniunt fructus, qui veniunt in casu enormissimæ.*
10 *Ita pariter in uno casu competit reintegratio, & non in alio.*
11 *Sub venditione fundi veniunt regulariter fodinæ.*
12 *Regula fundat intentionem, ac transfert onus probandi contrarium in alium.*
13 *Ex quantitate pretii resultat argumentum comprehensionis.*
14 *De eodem, de quo n. 2.*
15 *De Constitutione, de qua n. 3. 4. & 5.*
16 *De altera, de qua n. 6.*
17 *De probatione læsionis, quomodo fieri debeat.*
18 *An intret læsio ob thesaurum, vel fodinam adhuc non detectam.*
19 *Onera, & impedimenta, vel vincula minuunt de pretio.*
20 *Observantia est optima interpres, eique defertur.*

D I S C. XLIV.

1 DE anno 1624. postquam vena sulphuris in controverso prædio jam detecta erat, Franciscus Marie illud emit e Vanninis pro scutis 850. de anno autem 1634. pro dote Judittæ filiæ eam dedit in solutum Marco pro scut. 1000. neque pro tempore, quo supervixit usque ad annum 1644. aliquid motivavit, eaque in eadem acquiescentie per multos annos continuavit Laurentius filius, & hæres, quo defuncto, ejus filii, sub prætextu, quod vena sulphuris, utpote magni redditus, ac valoris, sub dicta venditione, seu datione in solutum comprehensa non esset, vel quatenus esset comprehensa, contractus redoleret enormissimam læsionem, de anno 1670. judicium reintegrationis contra dictum Marcum instituerunt coram A. C. a quo cum justitiæ fundamento prodiit sententia absolutoria.

In disputationibus autem desuper habitis, duobus fundamentis innitebantur Scribentes pro actoribus, primo scilicet non comprehensionis fodinæ sub venditione prædii, & secundo quod ubi etiam comprehenderetur, intraret læsio etiam enormissima, quæ ratione doli præsumpti causat nullitatem.

Quatenus igitur pertinet ad primum motivum non comprehensionis, præsupponebatur in facto, quod detectis in isto, aliisque illius Regionis prædiis privatorum hujusmodi venis sulphureis circa annum 1617. Dux Urbini per aliquod tempus sola decima contentus extitit, postmodum vero de facto in totum sibi applicasset, eas concedendo in appaltum, quodque devoluto Statu, idem continuatum fuisset per Cameram Apostolicam usque ad annum 1640. circiter, quando discusso puncto in Congregatione Camerali, resolutum fuit hanc fodinarum speciem non esse de Regalibus, ideoque dimissæ fuerunt fundorum dominis; cumque venditio hoc intermedio tempore sequuta esset de anno 1634. hinc Scribentes pro actoribus inferebant, quod venditor habere non potuit in animo vendere id, quod non possidebat, sed ab alio occupabatur, sed solum vendere ipsam superficiem.

2 Ad id autem probandum, plura deducebant, primo scilicet eam facti circumstantiam, quod in venditionis instrumento specificarentur domus, vineæ, prata, terrena, arbores, & animalia, aliaque instrumenta, nulla facta mentione hujus venæ, cujus mentionem habitam fuisse supponebatur in alio instrumento emptionis, quam de anno 1628. venditor fecit, ideoque ex hac discretiva inferebant, istam voluntatem probari, ad *text. in l. fin. §. sin autem, C. de caduc. tollen.* cum concordan. frequenter *sub tit. de fideicomm.* & alibi.

Secundo ponderabant ea, quæ, cæteris relatis, habentur
apud Sanfelic. *decis.* 38. quod si vendantur arcæ plenæ sac-
caro, vel ballæ lanæ, aut alterius mercis, in eis autem exi- 3
stant gemmæ, aurum, argentum, vel pecuniæ, tunc ista
non veniunt, utpote præter intentionem venditoris, quinim-
mo quod emptor ea retinendo tenetur furti, adinstar eorum,
quæ habentur de pecunia abscondita, cui thesauri terminus
non congruat, ut non spectet ad emptorem, sed ad ven-
ditorem, ut distinguendo inter thesaurum, & pecuniam
absconditam, Aretin. & alii *in §. thesauros, institut. de rerum*
divis. cum concordan. disc. 147. *de regal.* ubi agitur de mate- 4
ria fodinarum, ac rerum existentium post superficiem.

Tertio ponderabant ea, quæ circa actionem quanti mi-
noris, vel respective quanti majoris, habentur ad materiam
text. *in l. cum ab eo, ac l. & quid tamen, ff. de contrahen.* 5
empt. cum concordan. collectis per Adden. *ad decis.* 10. *part.*
3. *recent. litt. A.* Ubi res vendita, vel respective empta sit
cum præsupposito, quod sit unius speciei, & detegetur
esse alterius, puta quia credatur aurea, & detegatur ænea,
vel e contra.

Et quarto cumulabant ea, quæ habentur apud Rosen- 6
thal. *de feud. c.* 5. *conclus.* 91. Sixtin. *de Regal. lib.* 1. *cap.* 5.
Montan. *eodem tract. verbo Argentariæ*, apud quos con-
cordantes super non comprehensione fodinarum sub con-
cessione rei.

Et in specie non comprehensionis lapidicinæ, vel alte- 7
rius fodinæ sub venditione, ex facti circumstantiis pun-
ctualiter firmatur per Rot. *decis.* 299. *part.* 5. *recent.* & apud
Buratt. *decis.* 471.

Quo vero ad alterum motivum læsionis ea, quæ proba-
tionem concernebant, in facto potius quam in jure consi-
stebant, potissime circa privatos libros cujusdam socii ap-
paltus sulphuris tentos cum eodem Marco emptore, ex qui- 8
bus probari prætendebatur extractio singulis annis magnæ
quantitatis, cujus valore attento resultare supponebatur
læsionem enormissimam, longeque ultra bessem, quod juxta
opinionem Fontanell. *decis.* 64. *& seqq.* ad id sufficit ea de-
ductis supra *in Romana transactionis*, *discurs.* 27. & in aliis.

Hoc autem posito, inferebant Scribentes in jure, ad effe-
ctus ex hac specie læsionis resultantes, tam circa restitutio-
nem fructuum, quam etiam circa competentiam intentati
interdicti reintegrandæ, cum ista sit differentia inter unam,
ac alteram speciem læsionis; ubi enim est læsio simplex, ac
ordinaria, quam enormem dicimus, verius est, ut non ve- 9
niant fructus medii temporis, sed solum a die motæ litis ex
deductis per Fab. de Ann. *cons.* 24. Hodiern. *controvers.* 3. *n.*
87. Franch. *decis.* 495. *& seqq.* Fontanell. *decis.* 64. *& seqq.*
Ubi vero est enormissima, veniant fructus, ex deductis per
Fontanell. ubi supra, Rota in Imolen. bonorum 6. Mar-
tii 1665. coram Verospio, Ariminen. manutentionis 16.
Decembris 1670. coram Alberg. & in aliis, ex ea differen-
tiæ ratione, quod primo casu venditio est valida, & per-
fecta, ideoque interim emptor est verus, ac perfectus Do-
minus, solumque subjacet rescissioni, quam impedire po-
test, cum optione, quæ sibi conceditur supplendi justum
pretium, in altero autem casu læsionis enormissimæ, ob do-
lum præsumptum, quem complicare dicitur, contractus est
nullus, ideoque dominium non censetur abdicatum a ven-
ditore, neque translatum in emptorem, qui propterea ob
malam fidem a dicto præsumpto dolo resultantem, non
potest facere suos fructus mala fide perceptos.

Atque ex eadem distinctione resultat decisio competen- 10
tiæ, vel incompetentiæ dicti interdicti possessorii reinte-
grandæ, quoniam ubi agitur de læsione ordinaria, seu
enormi, competit solum judicium ordinarium petitorii
super dicta rescissione, ubi vero de læsione extraordina-
ria, & enormissima redolente dolum, ac successive cau-
sante nullitatem, ex spolium implicitum, intrat dictum
possessorium interdictum reintegrandæ.

Scribens Ego pro emptore reo convento (etiam cum sen-
su veritatis, qualem Judex quoque agnovit) dicebam
neutrum fundamentum subsistere, ideoque justa beneque
fundata visa est sententia absolutoria; respondendo au-
tem objectis, eodem ordine retento, quatenus pertinet
ad primum motivum non comprehensionis, dicebam ju-
ris regulam assistere emptori, ut, vendito fundo, veniant
omnia, quæ tam in soli superficie, quam post eam exi-
stunt, ut in specie lapidicinarum, aliarumque similium 11
fodinarum sub emptione, & venditione venientium est
text. *in l. in lege fundi* 77. *ff. de contrahen. empt.* & admittunt
communiter Scribentes, ut patet ex eadem *decis.* 299.
part. 5. *recent. num.* 3. *& per tot. & dict. dec.* 471. Buratt. &
constat ex firmatis apud Barbos. *in l. divortio, §. si vir. ff. sol.*
ma-

materia. Castill. *de usufr. cap.* 37. Rot. *decis.* 359. *post.* 2. *vol. cons.* Farinac. cum aliis *disc.* 147. *de Regal.* super comprehensione hujusmodi fodinarum.

12 Ea vero est regulæ virtus, ac operatio, ut fundata dicatur intentio ejus, cui ipsa assistit, donec illa; qui allegat limitationem, eam probet, utpote non præsumendam, ex deductis per Barbos. *axiom.* 198. Mantic. *decis.* 251. *num.* 4. ideoque nisi probationes concluderent, fundata remanebat emptoris intentio.

Hæc autem probatio non aderat, cum instrumentum nullam contineret restrictionem, ut in casu dictarum decisionum continebatur, & (quod magis) non verificabatur
13 illa circumstantia, seu præsumptio, in qua potissimum dictarum decisionum fundamentum consistit, quod scilicet venditio facta esset ad æstimationem a peritis diligenter factam, quæ respondebat solum pretio vineæ in superficie, non autem lapidicinæ, ex regula in isto, omnique alio contractu recepta, & frequenti, ut ex pretii quantitate Partium intentio desumatur, de qua etiam apud Greg. & Adden. *decis.* 126. *nu.* 9. *&* 11. & passim, id autem retorquebatur, dum constabat, quod idem venditor paulo antea idem prædium cum fodina, & omnibus pro minori pretio scutorum 850. acquisierat.

Ideoque advertebam, quod valor utrumque motivum regulabat, quodque ista motiva essent potius connexa, seu dependentia, sive quod unum esset superfluum, quoniam si pretium non respondisset, nisi superficiei, non autem fodinæ, quæ supponebatur longe majoris valoris, intrabat motivum non comprehensionis, juxta *dictas decis.* 471. Buratt. *&* 299. *part.* 5. *rec.* Ideoque opus non erat recurrere ad læsionem, quæ supponit comprehensionem, & e converso, si valor erat adæquatus, excludebatur etiam læsio, adeout, quæstio potius facti quam juris esse videatur.

14 Respondendo autem singulis fundamentis, ex quibus ad non comprehensionem arguebatur, quoad primum non factæ expressionis fodinæ jam detectæ beneque cognitæ, responsio facilis erat, ob non expressionis probabilem causam, ne scilicet per Ministros camerales puniri possent, quod se ingererent in venditione rerum, ad Principem, & Cameram pertinentium, bene tamen aderat suppletio, ob generalem relationem ad instrumentum dictæ primæ acquisitionis, unde patet, quod venditor ponere voluit emptorem in universum ejus locum, & jus, & prout ipse quæsierat, juxta eas ponderationes, de quibus in proposito venditionis feudi *sub tit. de feud. disc.* 32.

15 Secundum fundamentum cessabat ex defectu applicationis, cum illud juxta casum, de quo apud Sanfelic. *decis.* 38. cum similibus, procedat, ubi accedat defectus intentionis, quia nempe venditor credat unam, & non alteram rem vendere, quod ad rem facere non videtur, cum venditori fodina jam detecta innotesceret, eademque responsio congruit tertio fundamento actionis quanti minoris, vel quanti majoris, cum pendeat ex eadem radice, vel ratione.

16 Prout extranea est a casu quæstio contenta in quarto fundamento non comprehensionis fodinarum mineralium in concessione feudi, quoniam id provenit ex ipsius subjectæ materiæ natura, atque privati, vel feudatarii incapacitate obtinendi ea, quæ sunt de regalibus, atque ad supremum Principem pertinent ex deductis *dicto disc.* 147. *de Regalibus*, cum tunc a defectu potestatis, vel a solito regulerur etiam voluntas.

17 Altera inspectio læsionis erat potius facti, quam juris, cujus theoricam ut supra, posita una, vel altera specie læsionis, admittebam, sed punctus erat in ejus probatione, quæ ut advertitur supra in Pisauren. *disc.* 24. exigit probationem perfectam beneque concludentem, quæ revera non aderat, tum quia dicti libri erant informes, quibus simplicium informium memorialium nomen conveniret, ideoque nullam facerent probationem ad text. *in l. exemplo*, C. *de probat.* & post antiquiores ibi relatos Rot. Jan. *decis.* 1. *n.* 19. *&* 20. Rota apud Buratt. *decis.* 274. *n.* 21. *decis.* 558. *num.* 2. *p.* 2. *recent. & sæpius*, tum etiam quia confusi, & non distinguentes quantitatem sulphuris, magis ex isto, quam ex aliis prædiis extractam, dum erant Appaltatores generales istius materiæ in toto eo Statu, & clarius quia oportebat deducere expensas, quæ frequenter in his materiis utilitatem superare solent, neque unius, vel aliquorum accidentalium annorum utilitas attendenda est, sed plurium non accidentalium peræquatio fieri debet, ut generaliter in materia valoris beneficiorum advertitur *sub tit. de benefic. disc.* 100. & in his terminis ad effectum regulandi læsionem admittitur in Ariminen. manutentionis 15. Decembris 1670. coram Albergato, per quam receditur a decisionibus 112. *&* 202. *part.* 10. *recent. & decis.* 264. *part.* 11. quæ sunt repetitæ *dec.* 211. 232. *&* 249. apud Posth. *de subhast. in addit.* cum nihil desuper justificaretur, atque aliqui testes de proprio judicio deponentes non deponerent eo modo, quo in hac materia deponere debent.

Cumque non ageretur de vena abscondita, sed jam detecta, unde propterea non cadebat quæstio læsionis competentis necne ratione ignoti thesauri, de qua apud Staiban. jun. *resolut*, 191. *a num.* 84. *ad* 92. ubi patet veriorem esse negativam, cum sit beneficium casus, & fortunæ, hinc 18
proinde dicebam, quod ob dictam circumstantiam occupationis hujusmodi fodinarum de facto, unde propterea apud privatos fundorum Dominos, & possessores, ac in eorum opinionem inutiles, vel modicæ æstimationis essent, deberet solum in valoris æstimatione attendenda de tempore contractus, haberi ratio quanti tunc istud jus privati Domini, ac possessoris æstimari mereretur, quod, vel nihil, vel satis modicum erat.

Quemadmodum enim receptum habemus, quod deficiens cautela evictionis, vel onera, & vincula, ex quibus rei amissio sequi potest, minuunt notabiliter de intrinseco pretio, seu valore, ex deductis pluries alibi, & præsertim *sub tit. de Regalibus*, *disc.* 30. *cum seqq.* ita ista occupatio reddens fodinam inutilem, de ejus pretio minueret, adeout cessatio occupationis sequuta de anno 1640. fuerit beneficium casus & fortunæ, eodem modo, quo est fodina tunc ignota, postmodum detecta, ad quod dabam exemplum practicum Episcoporum, & Abbatum titularium Ecclesiarum occupatarum per Infideles, vel Hæreticos, quæ sunt magni redditus, sed nullius utilitatis, quoniam si cessat occupatio, est beneficium fortunæ, ideoque hæc utilitas non retrotrahitur, cum attendatur tempus actus, juxta ea, quæ in eo proposito alienationis bonorum Ecclesiæ habentur *sub tit. de alien. & contract. disc.* 1. & in aliis.

Omnium vero magis apud Me impressionem faciebat, (ut etiam fecit apud Judicem) successiva diuturna observantia, quæ in omnibus est optima interpres, etiam con- 20
tractuum, & voluntatis contrahentium ex plene deductis *decis.* 199. *num.* 12. *&* 13. *&* 256. *num. fin. part.* 10. *recent. & decis.* 323. *n.* 13. *par.* 11. & quotidie, quoniam supponebatur, quod idem venditor per decennium, & ultra usque ad obitum fuisset emptoris Minister in illius fodinæ administratione, atque in eodem munere continuasset ejus filius, & hæres actorum peter usque ad obitum, ita bene conscii utilitatis exinde resultantis, absque eo quod aliquid unquam motivaverint, contra omnem verisimilitudinem, si diversa fuisset eorum intentio.

ANNOT. AD DISC. XLIV.

QUid comprehensum fuerit sub venditione habetur supra notatum *ad disc.* 34. *&* 35. De materia autem fodinarum, aliorumque mineralium late habetur actum *sub tit. de Regal. disc.* 147. *& sub tit. de Dote*, *disc.* 160. *n.* 29.

SPOLETANA PICTURÆ,

PRO SALVATORE CLAVARINO,

CUM N.

Casus disputatus in Signatura justitiæ sub incerto exitu.

An conventio de faciendo picturam, vel statuam pro certo pretio, vel incerto a peritis certificando, importet contractum emptionis, & venditionis, vel potius locationis, & conductionis, & quatenus unum, vel alterum importet, quomodo intelligendum sit pactum recipiendi picturam, vel statuam, quatenus placeat?

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Processus executivus competit pro mercede, seu salario operarum.*
3 *Judicium executivum non intret, nisi in casibus in jure expressis.*
4 *Etiam in executivis datur appellatio, accedente gravamine.*
5 *An sit validus contractus collatus in voluntatem unius ex contrahentibus?*
6 *Pactum recipiendi picturam, quatenus placeret, an dicatur perfecta conventio, vel dicatur collata in liberam voluntatem.*
7 *An conventio de facienda picturam, vel statuam importet contractum emptionis, & venditionis?*
8 *Ubi ageretur de pictura facienda per pictorem in propria tela, an sit contractus emptionis?*
9 *Quod probetur exemplis.*

D I S C. XLV.

1 COnvenit Salvator cum N. pictore de tabula conficienda pro quadam Cappella, sub ea lege, ut prius conficere deberet modulum, seu delineationem, vulgo *disegno*, ab ipso Salvatore, aliisque cappellæ Sanctesiis videndum, ad effectum deliberandi an placeret, vel diversa forma præscribenda esset; cum autem pictor dicto modulo non ostenso tabulam perfecisset, quam, utpote parum gratam, Salvator recipere renuebat, hinc introducta causa coram A. C. mandatum fuit in judicio summario, & executivo eligi peritos ad effectum æstimandi dictam tabulam, & cogendi Salvatorem ad solvendum pretium æstimandum, quare Salvatore appellante, ac adeunte Signaturam Justitiæ pro commissione, ex ejus parte requisitus fui ad scribendum, incertumque est quid rescriptum fuerit, sive an causa ulteriorem progressum habuerit, dum amplius de illa actum non audivi, neque vidi alterius partis informationes, ideoque maturum judicium pro veritate desuper efformare non potui.

2 Dicebam igitur Scribens in causa ad dictum effectum obtinendi commissionem appellationis, resolutionem pendere a natura, seu qualitate contractus, quem illa conventio contineret, an scilicet illum emptionis, & venditionis, vel potius alterum conductionis, & locationis operarum, ubi etenim hanc secundam speciem redoleret, admittebam quod congruus esset processus summarius, & executivus, qui ex dispositione, vel intentione juris, vel ex receptorum usu intrat pro mercede, seu salario operarum, e converso autem, ubi importaret emptionem, & venditionem, cum nullum adesset pactum executivum, nulla-
3 que desuper haberetur lex municipalis, dictum judicium non intrabat, cum receptum sit illud non competere, nisi in casibus in jure expressis, ut in sua materia *sub tit. de Judic. & sub altero de credito*.

4 Præterea sive de una, sive de altera specie contractus ageretur, adhuc dicebam adesse gravamen in demandatá peritorum electione, ad effectum determinandi pretium cum præsupposito perfectionis contractus, & quo gravamine accedente, etiam in executivis de plano intrat appellatio suspensiva.

5 Ubi enim conventio fuisset de facienda picturam, accipiendam tamen quatenus placeret, tunc intrat inspectio, an illud placitum importaret relationem ad puram, ac liberam voluntatem, vel potius in arbitrium, cum primo casu contractus, utpote collatus in unius contrahentis voluntatem inutilis remaneat, in altero autem, cum arbitrium regulandum sit a jure, vel a ratione, intrat Judicis officium pro moderatione, vel suppletione juxta distinctionem, de qua supra *disc.* 34. & in aliis.

6 Id enim procedit, quando datum esset mandatum pictori, ut faceret certam picturam cum obligatione recipiendi, quatenus esset receptibilis, ac placeret, cum tunc perfecta esset conventio, tam super substantia, quam super modo, reservatio autem esset super excellentia, seu qualitate operis, secus autem ubi conventum sit, ut prius fieri deberet modulus, seu delineatio, ad effectum exinde determinandi, an, vel quomodo tabula conficienda esset, cum id respiciat substantiam voluntatis, quia nempe cupiens quis Venerem stantem, seu vestitam, illam nolit sedentem, seu nudam, cum similibus, atque in hoc dicebam consistere hujus causæ punctum, stante dicta conventione de faciendo, ac respective ostendendo modulum, ex quo futura voluntas, adhuc indeterminata, determinationem recipere debebat.

7 Quatenus vero pertinet ad qualitatem, seu naturam contractus, an scilicet contineret emptionem, & venditionem, vel potius locationem operarum, quæstio, quæ in individuo disputatur in quadam *decis.* Rotæ Florentinæ, seu Lucensis registrata apud Andreol. *controv.* 169. incidenter tamen ad effectum competentiæ Fori, & an intraret quoddam Statutum super jurisdictione Officialis fundaci, percutit casum, in quo agatur de statua facienda in marmore, seu alio lapide, vel metallo pretioso, unde materia sit ejus, qui vult opus, alter vero, qui illud perficere debet, sit præstaturus operam, quo casu intrat quæstio super antinomia inter text. *in l. 2. §. adeo, ff. locat. & in l. item si pretium* 25. *§. cum insulam, ff. eodem*, quæ jura bene conciliare curat Castr. *in eadem l. 2.* ex iis quæ habentur *in dicta decisione, seu controvers.* Andreol. Itaque casus fuit acriter disputatus coram A. C. & in Signatura, Me tamen in causa non scribente, inter Monasterium S. Pauli, & Mochum excellentem statuarium, cujus opus est statua S. Veronicæ prope altare majus Basilicæ Vaticanæ, super statuis Apostolorum Petri, & Pauli conficiendis in marmore proprio ipsius Monasterii.

8 Secus autem in hac facti specie, in qua simpliciter agatur de pictura per ipsum pictorem in propria tela, vel tabula facienda, & cujus telæ, vel tabulæ valor infimus, ac vere nullus est, adeout totus consistat in opere, cum tunc sine dubio magis de plano intrare videatur dispositio *dict. text. in l. 2. §. adeo*, ubi de hac distinctione, neque intret difficultas, quæ resultet a dicto alio text. *in l. item si pretium, §. cum insulam*.

9 Quemadmodum enim si, pictore habente tabulas in domo, vel apotecha, aliquis unam, vel plures tabulas convento pretio emat, dubitandum non est, quod sit contractus emptionis, & venditionis, nullatenus vero intrare possunt termini contractus locationis, & conductionis, ita in præsenti, cum alia non videatur subesse ratio differentiæ, nisi ea quod in dicto alio casu, est emptio de tabula jam facta per emptorem electa, in altero autem est de facienda, eo modo quo emptio, & venditio esset, si conveniretur de emendo domum, quam quis in proprio solo cum proprio opere, propriaque materia est constructurus, & hic videbatur casus, quodque propterea, pro meo judicio versaremur in contractu emptionis, & venditionis, non autem locationis, & conductionis.

ANNOT. AD DISC. XLV. & seqq.

QUomodo unus contractus ab altero distinguatur conferunt deducta *sub tit. de Emph. disc.* 30. *& seqq.* occasione agendi de puncto, an sit locatio, vel emphyteusis, ac etiam *disc. 10. de tutor. & curat.*

De pluribus remissionibus ad hanc materiam emptionis, & venditionis, sub aliis titulis, vel materiis tractatam, præsertim circa pactum de retrovendendo, & circa fructus recompensativos pretii non soluti.

S U M M A R I U M.

1 *DE pacto de retrovendendo, seu redimendi.*
2 *Per quod tempus præscribatur.*
3 *An præscriptio cœpta cum defuncto, continuet cum hærede?*
4 *Quale pretium in redemptione attendi debeat.*
5 *An emptor præferatur tertio, cui jus redimendi cessum sit?*
6 *An hoc jus, vel alterum prælationis sit cessibile?*
7 *De materia fructuum recompensativorum pretii non soluti ad terminos* text. in l. curabit.
8 *De evictione præstanda de natura rei.*
9 *Quid ubi emptor sciat jus alienum.*
10 *Quomodo in feudis præstetur evictio.*
11 *De securitate ementis bona in vim Bullæ Baronum.*
12 *De eadem securitate ementis bona auctoritate Judicis,*
13 *Vel ab hærede cum beneficio legis, & inventarii.*
14 *De retractu adversus emptorem.*
15 *De jure offerendi competente creditoribus posterioribus contra emptorem.*
16 *De securitate emptoris ob consensum, vel approbationem creditoris.*

17 *De*

17 *De emptore locorum montium, aliorumque jurium hujusmodi.*
18 *De emente a militibus, vel aliis bona capta in bello.*
19 *Et de emente bona furtiva, vel aliena in nundinis, vel portu.*
20 *De emptore bonorum fideicommissi.*
21 *De emptore bonorum Ecclesiæ, vel pupilli.*
22 *An emptor teneatur esse sollicitus de versione pretii?*
23 *Quando emptor succedat in jus creditorum dimissorum*
24 *De prælatione venditoris in bonis venditis.*
25 *An in dubio sit datio in solutum, vel pignus?*
26 *An sequuta evictione revivischant primæva jura.*
27 *De emptore hæreditatis.*
28 *De materia novæ addictionis favore Ecclesiæ, seu minoris &c. adversus perfectam venditionem.*
29 *De iis qui emere, vendere, seu alienare sunt prohibiti.*

D I S C. XLVI.

1 DE pacto de retrovendendo, seu de retractu conventio-
nali, quamvis cadente sub hoc titulo, in eo tamen
actum non est, cum actum sit occasione tractandi de retra-
ctu *sub tit. de servit.* Ubi præsertim *disc.* 85. *&* *disc.* 87. ha-
betur, quod pactum de retrovendendo, seu jus redimen-
2 di præscribitur per annos triginta, quamvis conceptum sit
per verba denotantia perpetuitatem, ibique referuntur te-
nentes contrariam sententiam, ibidemque habetur, an
præscriptio cœpta cum defuncto continuet cum hærede,
& quatenus continuet, an ex capite ignorantiæ, vel alte-
rius impedimenti competat restitutio in integrum.
3 Eodemque *disc.* 87. habetur idem quod supra *hoc eodem
tit. disc.* 32. quod scilicet ex recepta æquitate, ad evitandam
claudicationem, cum qua habens jus redimendi sit semper
4 in lucro, absque timore damni, pretium attendi debeat de
tempore, quo pactum de retrovendendo exercetur, ideoque
intrinsecum augmentum medii temporis sit emptoris.
5 Atque *eodem tit. disc.* 88. habetur, an emptor cum pa-
cto de retrovendendo præferri debeat adversus extraneum,
cui venditor cessisset ipsum jus redimendi, quod esse cessi-
bile, ibidem firmatur, ac etiam *eodem disc.* 85. Ubi agitur,
6 an pactum prælationis in casu, quo res alteri vendenda sit,
esset cessibile, seu transmissibile, vel potius sit personale.
7 Sub *tit. autem de usur.* pluries agitur de usuris debitis
venditori per emptorem retinentem rem, & pretium ad
terminos text. in *l. curabit, Cod. de action. empti*, & quæ
usuræ in Curia sub vocabulo fructuum recompensativo-
rum explicari solent.
Præsertim vero *disc.* 15. *& seqq.* firmatur, ut ex veriori
sententia, quam tenet Curia Romana, non dentur istæ
usuræ, vel fructus, ultra id quod important fructus ab ipsa
re producti, vel qui ab ea percipi potuerunt, culpa tamen,
vel facto emptoris non percepti, ideoque nulli ex re sterili,
vel ex ea, quæ alias fructifera, deinde sine culpa, vel facto
voluntario emptoris effecta sit infructifera, vel minus.
8 Idque non solum, ubi agatur de fructibus ex sola dis-
positione juris *in d. l. curabit*, sed etiam ubi accedat ex-
pressa conventio, quæ prohibita non est, etiam cum cer-
ta taxa, dummodo fructus veros non excedat, quatenus
tamen excederet, non vitiatur conventio in totum, sed
in solo excessu.
Nisi pretii debitum transfusum sit in alium contractum
majoris fructus productivum, puta in censu, vel cambio
dummodo illius contractus debita requisita concurrant.
Ubi vero cessante expressa dilatione conventionali,
(quæ dictorum fructuum debitum cessare facit) illi ex
dispositione juris, vel ex conventione debentur, cum de-
bitum non proveniat a mora, sed ab æquitate, ne quis
re, & pretio eodem tempore potiatur, hinc proinde,
quamvis justæ excusationes accedant, non per hoc cessat
hujusmodi fructuum debitum *ut disc.* 20. 22. *&* 27. & in
aliis.
Eodemque titulo *disc.* 25. habetur, ut in hoc emptor,
& venditor sint correlativi, ideoque sicuti per emptorem
venditori debentur fructus pretii non soluti, ita e con-
verso pro rata pretii soluti debeantur per venditorem em-
ptori, cui res vendita tradita non est, cum eadem intret
ratio repugnantis æquitatis potiendi eodem tempore re,
& pretio, cum aliis ad hanc materiam in dicta ejus se-
de *sub tit. de usur.*
9 Sub *tit. de feud. disc.* 44. habetur de articulo in præce-
dentibus etiam insinuato, an & quando evictio de natura
rei præstanda sit, ac etiam de altero ad materiam text.
in *l. si fundum sciens, C. de eviction.* quando scilicet emptor
sciens jus alienum agat de evictione.
Eodem *tit. de feud. disc.* 32. agitur quomodo, & de qui- 10
bus præstanda sit evictio feudi venditi, ejusque membro-
rum, vel partium.
Et *eodem tit. disc.* 73. & in aliis de emptore tuto ab hy- 11
pothecis, & vinculis, quibus bona vendita affecta erant,
quando venditio fiat per Congregationem Baronum, in
vim Constitutionis 41. Clem. VIII. quæ Bolla Baronum
vulgo nuncupatur.
Et de eadem emptoris securitate, ac bonorum liberta- 12
te ab hypothecis, & vinculis transfusis in pretium, ubi
agatur de venditione facta Judicis auctoritate bonorum de-
fecti debitoris existentium sub concursu creditorum, habe-
tur *sub tit. de credito*, ubi etiam de consimili securitate 13
ementi ab hærede cum beneficio *leg. & inventarii*.
De retractu autem, seu jure prælationis competente ex 14
Statutis, vel etiam ex dispositione juris communis, vel
feudalis adversus emptorem habetur pluries *sub tit. de feu-
dis*, occasione agendi de jure protomiseos, & frequen-
tius *sub tit. de servit. ad materiam retractuum*, & de illo
retractu, qui resultat ex jure offerendi, quod competit 15
creditoribus posterioribus, an, & quando intret adversus
ementem jure creditoris, habetur *sub tit. de credito*.
De alia securitate emptoris ab hypothecis consentien- 16
tium venditioni, seu etiam illam permittentium, aut alias
explicite, vel implicite approbantium, habetur *eodem tit.
de credito disc.....*
Et de securitate ementis loca montium, vel alia bona 17
differentia in libero privato commercio non existentia,
quasi quod non ab ipso privato venditore, sed a Principe,
vel alio præstante consensum emptor potius acquirere di-
catur, habetur pluries *sub tit. de Regal.* præsertim *disc.* 36.
cum seq.
Item de emente a militibus, vel aliis bona aliena ju- 18
re belli *sub tit. de feud. disc.* 58. Et de emente bona aliena
furata, seu alias penes non Dominum existentia in por-
tu, vel nundinis, alioque publico Emporio, habetur *sub* 19
tit. de Regal. disc. 129.
Atque de emente bona fideicommisso universali, vel 20
particulari subjecta, quando bene emat, atque fiat tutus,
vel ratione derogationis fideicommissi, vel ob electionem
in causam detractionum *sub tit. de fideicommissis disc.* 180. 21
cum pluribus sequent. & sub altero de retractionibus.
Prout de emente bona Ecclesiæ *sub tit. de alienat. &* 22
contract. disc. 1. *& seq.* Ubi a simili de emente bona pupil-
li, vel Ministri, & quando emptor teneatur esse sollicitus 23
de versione pretii in causam ob quam facta est venditio.
Quando vero emptor cum cujus pecunia soluta in cau- 24
sam pretii creditoribus venditoris succedat in eorum jus,
hypothecas, & privilegia habetur etiam *sub dict. titul. de
credito*, ubi etiam quando intret necne favore venditoris 25
potioritas in ipsis bonis venditis adversus creditores ante-
riores emptoris.
Eodemque *tit. de credito* habetur de quæstione, an in 26
dubio re data per debitorem creditori censeatur implicite
vendita ex causa dationis in solutum, quæ idem im-
portat ac venditionem, cum qua in omnibus fraternizat,
eodemque jure censetur, vel potius in pignus ad plures
effectus exinde resultantes.
Ac etiam, an & quando hæc datio in solutum extinguat 27
primæva jura, prioresque hypothecas, adeout sequuta evi-
ctione non revivischant, sed solum competat actio nova ex
empto, vel potius e converso dicta reviviscentia intret.
De aliis vero, quæ in hac sede non habentur tracta- 28
ta, principaliter, vel incidenter, seu a simili, locis cita-
tis actum habetur, præsertim *sub tit. de hærede*, ubi de
emptore hæreditatis.
Et de materia novæ addictionis, quæ datur favore Ci- 29
vitatis, vel minoris, aut Ecclesiæ similium adversus jam
perfectam venditionem, habetur *sub tit. de Regalibus*,
disc. 81.
Prout de personis vendere, vel emere prohibitis sine
certa forma, certisque solemnitatibus, ut contingit in Ec-
clesiis, pupillis, & minoribus, Civitatibus, & similibus,
habetur actum *sub tit. de alienat. & contract.* cum id non
emptioni, & venditioni tantum, sed cuicumque alteri
alienationi propriæ, vel impropriæ congruat, ideoque ibi
videndum.

R O-

ROMANA PECUNIARIA PRO MARCHIONE FABRITIO NARIO, CUM MARCELLO SEVEROLO.

Casus disputatus coram A. C.

An illud augmentum pretii, quod conveniatur sub certa conditione redolente majorem emptoris securitatem, habeat naturam veri pretii ad effectum fructuum recompensativorum juxta æquitatem *l. curabit C. de action. empti?*

Et quando talis conditio sufficienter purificata dicatur, ut oriatur actio pro hujus augmenti assequutione?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Obligatio, vel qualibet dispositio conditionalis non producit actionem conditione non impleta.*
3 *Quando forma, vel conditio respicit certum effectum, attenditur æquipollens, atque principaliter spectatur effectus.*
4 *Exequutoris assertionibus non statur, nisi illæ justificentur ex actis.*
5 *Idem est nullum adesse beneplacitum, vel adesse, sed non justificatum.*
6 *Quando exequutor sit mixtus.*
7 *De eodem, ide quo num. 4.*
8 *De transportatione actorum coram Judice appellationis.*
9 *Ille, qui se fundat in aliquo jure agendo, tenetus docere de illo valido, & bene justificato.*
10 *An & quando fructus recompensativi debeantur pro pretio non soluto, etiamsi emptor non esset in mora?*
11 *Augmentum pretii ratione majoris securitatis, an ad effectum fructuum habeat eandem naturam pretii?*
12 *De diminutione pretii resultante a modica securitate, aliisque vinculis.*
13 *Admonitio Judicum, & Consulentium.*

D I S C. XLVII.

1 DOmum a Marcello cum fideicommissi onere possessam propriæ majori, & conspicuæ domui adjacentem, pro ejus ampliatione emit Marchio Fabritius Narius pro pretio scutorum trium millium incontinenti soluto cum jure redimendi infra quinquennium; quo elapso, ac redemptione non facta, conventum est, ut ipso venditore, cum Apostolica auctoritate subrogante in Faventina Civitate ejus patria quædam prædia præsupposita libera, & valoris scutorum quatuor millium ad favorem fideicommissi, a quo proinde domus vendita omnino exempta remaneret, emptor alia mille præstare deberet,

Elapso itaque dicto termino, atque redemptione non facta, aliquorum annorum spatio venditor distulit obtinere Apostolicam derogationem, qua obtenta in forma commissaria, directa ejusdem Faventinæ Civitatis Gubernatori cum clausula *constito de narratis*, & cum altera *dummodo prædia subroganda sint libera, & propria*, obtinuit a dicto exequutore sententiam commissioni conformem, cujus vigore contra emptorem in Tribunali A. C. intentavit judicium pro solutione dictorum sc. 1000. una cum fructibus a die capirati juris redimendi, atque post aliquas disputationes habitas inter causæ Patronos, super utroque prodiit decretum actori favorabile, ac propterea ex parte Rei conventi, pro frequentiori curiæ stylo recurrendi ad Advocatum tanquam ad Chyrurgum, post jam acceptum vulnus, evocatus fui ad causæ defensionem.

2 Dicebam itaque; etiam cum aliquo sensu veritatis, quod decretum esset male fundatum, etiam in ipsa sorte, cujus actio adhuc exercibilis non esset, ob non bene justificatam purificationem, vel implementum conditionis, cum qua obligatio concepta erat, & per consequens multo minus respectu fructuum; ideoque pro clariori resolutione duas efformabam inspectiones, unam nempe pro sorte, & alteram quoad fructus.

3 Circa primam, præsupponebam juxta stylum certum, ac notum juris principium, super quo erroneum perpetuo censui, cum auctoritatum allegationibus, juxta modernorum ineptias, chartas inutiliter implere, ut scilicet quælibet obligatio, vel alia conventio, vel dispositio conditionalis, non impleta, vel non purificata conditione inefficax censenda sit, nullamque producat actionem, clarius vero ac extra minorem dubitandi rationem, quando conditio aliquam non contineat formalitatem, sive exuberantem cautelam ex Notariorum formulariis potius quam a certa, & enixa contrahentium voluntate resultantem, sed respiciat certum finem, vel effectum ab ipsis contrahentibus expresse consideratum, & volitum, adeout percutiat substantiam conventionis, vel obligationis; & per consequens dici valeat conditio, sine qua non.

Isto namque casu pluries insinuata propositio, præsertim *disc. 87. de feud. & disc. 18. de testam. & alibi*, ut in 4
conditione, vel forma respiciente certum effectum, sive certam habente rationem expressam, sufficiat, vel attendatur æquipollens, quamvis desit forma præcisa, intelligenda venit non solum favore illius, qui conditionis, vel formæ implementum allegat pro actionis competentia, sed etiam alterius, contra quem actio exerceatur, atque implementum allegetur, ut scilicet non sufficiat ejus formalitas, sed principaliter attendi debeat assequutio finis, vel effectus, ob quem illa conditio, vel forma adjecta est, attendendo principaliter substantiam voluntatis potius quam verborum formalitatem.

His itaque sic stantibus, cum derogatio Apostolica, e- 5
jusque exequutio, cum aliorum prædiorum subrogatione ad favorem fideicommissi respiceret finem, vel effectum securitatis emptoris a molestiis fideicommissariorum, & emptæ domus, certa, & omnimoda libertate ac exemptione a fideicommissi nexu, hinc proinde nil suffragari dicebam solam exhibitam sententiam, quæ in verbis totum id contineret cum exequutoris assertione super justificatione omnium contentorum in litteris Apostolicis, nisi exhiberentur quoque omnia acta desuper facta ipsam sententiam justificantia, & ex quorum inspectione conjici potest, an bene sequutæ essent justificationes, adeout emptor assequeretur finem, vel affectum, ob quem id fuit desideratum, unde isto casu magis quam ubi de exequutione per diversum Judicem facienda agatur, sive agatur de probatione alicujus facti, quæ ex sententia deducatur, intrat vulgaria ac frequenter insinuata propositio de qua præsertim *disc. 36. de judic.* & alibi, ut sententia ubi admixtam non habeat antiquitatem conjunctam cum observantia, nisi justificetur ex actis, tam ad effectum exequendi quam probandi in nulla veniat consideratione habenda.

Siquidem ubi fideicommissi successor, facto casu, ha- 6
bens de plano intentionem fundatam in fideicommisso claro, & in certa identitate bonorum, domum vendicaret, utique non posset adversus actorem emptor se tueri cum sola Apostolica derogatione, nisi eam legitime exequutam ostendat utpote conditionalem, & in forma commissaria, quo casu paria sunt eam non adesse, vel non esse justificatam, seu alias male exequutam, aut alicui vitio obnoxiam, ex iis quæ generaliter in materia beneplaciti Apostolici super alienatione bonorum Ecclesiæ habentur *disc. 1. de alien. & contract. prohib. n. 59. & seqq.* Et de altero beneplacito super alienatione bonorum jurisdictionalium *disc. 66. & seqq. de feud.* cum similibus, & in his terminis specialibus derogationis fideicommissi liquet ex iis, quæ habentur *dec. 41. 325. & 363. p. 10. rec. dec. 233. part. 12.* & apud Peuting. *dec. 457. & 476.* & in sua sede *sub tit. de fideicomm. disc. 161. & 165.* & pluries.

Pro justificatione autem legitimæ exequutionis non suffi- 7
cit sententia cum Judicis exequutoris assertione, quoniam cum ille non esset exequutor merus, in quo extrajudiciales sufficiant informationes, sed mixtus cum clausula *constito, & dummodo &c.* ex iis, quæ pluries sub diversis materiis, præsertim vero *sub tit. de benef. disc. 73.* ac etiam *sub tit. de judic. disc. 43.* habentur, necessaria est justificatio ex actis, ideoque non defertur ipsius Judicis assertionibus, ex deductis *dict. disc. 1. de alienat. & contract. & disc. 37. de patroch. & alibi* pluries ex certo principio, quod in pro- 8
hibitis nunquam sola confessio aliunde non justificata sufficit, ne alias id quod directe, & expresse prohibitum est, tacite, & indirecte sequatur, ac propterea legis prohibitio elusoria remaneat, eaque verbis potius quam rebus imposita dicatur, ut frequenter ignarum leguleicum vulgus opinari solet, & sic advertebam recte dari posse casum, quod emptor re, & pretio careret, quodque Venditor, ut conventam summam obtineret ab amico, vel imperito Judice, sive eum falsis probationibus decepto hanc reportavetit sententiam nullius profectus, & operationis pro assequutione finis, vel effectus voliti.

8 Opinabatur jam male impressus Judex, quod opponeretur de defectu illius transportationis actorum, quæ in gradu appellationis a Judice a quo, ad Judicem ad quem de jure fieri debet, justa deducta *disc. 37. de judic.* Ac propterea dicebat non esse in casu, in quo actorum transportatio requiratur, cum ipse non esset Judex appellationis a dicta sententia exequutionis, a qua nulla interposita fuerat appellatio, sed ipsa sententia exhibeetur loco jurium ad effectum probandi purificationem conditionis, ob quam factus esset locus obligationi, dum exequutio coram ipso tanquam Judice primæ instantiæ in Curia petebatur, quodque emptor non esset legitimus contradictor, qui in sententia citari debuisset, sed pro illa non docto de contrario staret præsumptio ejus validitatis, & justitiæ.

9 Verum admittendo omnes dictas propositiones, tanquam in suis casibus respective veras, advertebam æquivocari in applicatione, quoniam tunc intrarent, quando agendo, vel excipiendo veniretur contra dictam sententiam, illam impugnando ex capite nullitatis, vel injustitiæ, atque nullitas objiceretur ob omissam citationem legitimi contradictoris, vel quod objiceretur de defectu jurisdictionis, impediendo ulteriorem processum ob non transportationem actorum, cum tunc recte diceretur omnia hæc non intrare in casu quæstionis, nihil tamen ex his dicebatur, sed quod cum actor pro fundamento ejus actionis, vel intantionis deduceret purificationem conditionis, premebatur onere perfectæ, & concludentis probationis, qualis non dicitur illa, quæ oritur a sola juris præsumptione, utpote habens contrariam possibilitatem ex relatis *disc.* 22. de judiciis, & alibi, cumque ipse ageret in vim Apostolicæ derogationis, & subrogationis respective, ex quibus actio oriebatur, docere tenebatur de actu valido, & perfecto justa distinctionem inter Actorem, & Reum sub diversis materiis frequenter insinuatam, & præsertim *sub tit. de donat. disc.* 60. & alibi.

10 Hinc cessabat necessitas agendi de fructibus, quorum cursus dari non potest, ubi desit proprietas in substantia, cum impossibile sit dare accessorium sine principali, vel effectum sine causa, & quamvis in contrarium deducerentur ea, quæ habentur in jam aditis *disc.* 22. *& seqq. de usur.* & alibi, quod scilicet hujusmodi usuræ, vel interusuria pro pretio rei venditæ fructiferæ, non proveniant a ratione moræ, sed potius ab æquitate naturali prohibente habere rem, & prætium, & percipere fructus ex re, quæ spectata naturali veritate dici potest non sua, dum pretium non solvit, adeout revera non sint usuræ, vel interusuria crediti pecuniarii, sed potius ipsius rei fructus, unde quamvis emptor justam habeat excusationem non solvendi pretium etiam ex facto, & culpa ipsius venditoris, adhuc tenetur ad hujusmodi fructus, qui merito in Curia recompensativi appellantur, utpote in recompensam fructuum ipsius rei, duobus exceptis casibus, primo nempe stante expressa dilatione conventionali, ex ratione, quod tunc illa dicitur pars pretii, ut etiam advertitur in proposito fructuum dotalium *sub tit. de dote disc.* 161. & in aliis pluries, cum eadem sit ratio, ideoque termini parificentur, & secundo ubi impedimentum culposum venditoris est causa, ut emptor aliud patiatur damnum interusuriorum pretii accepti sub usuris, vel quod vere, & realiter pretium e se abdicaverit, vel deposuerit, & oblatio non fuerit personalis, sed vero realis juxta deducta locis citatis.

11 Admittendo autem pariter omnium præmissorum veritatem in suis casibus, dicebam idem, quod supra, quod scilicet fallacia esset in applicatione; procedunt etenim hæc in eo credito, quod ex ejus intrinseca natura habeat naturam pretii certi, quod concurrat tanquam unum ex requisitis essentialibus hujus contractus, secus autem in hoc augmento, quod licet pars pretii quoque sit, attamen non est proprie illud pretium intrinsecum, quod necessarium est ad validitatem, & perfectionem contractus, tanquam requisitum substantiale, cum istud inter contrahentes jam Statutum fuerit in scutis tribus millibus solutis, sed sit quoddam augmentum accidentale, quod potest esse, & abesse citra subjecti corruptionem, cum potuerit venditor exercere facultatem redimendi, ideoque impedire ne illud nasceretur, ac nunquam ejus substantia existeret, sive etiam ista facultate ad exercitium non deducta, potuisset negligere Apostolicæ derogationis impetrationem, dictorumque aliorum bonorum subrogationem, vel quod volens non potuisset, quia Papæ gratiam concedere noluisset, quo casu absque dubio pretium remanebat in ejus primæva conventione, & natura scutorum istium millium.

12 Idque licet facti circumstantiæ docerent quod res vendita, attenta ejus intrinseca qualitate, vel erat quatuor mille ob diminutionem valoris resultantem a facultate redimendi, ac etiam a minori securitate emptoris, ex insinuatis supra *disc.* 24. & in aliis pluries, ac etiam magis ex proposito *disc. 30. de reg.* occasione agendi de pretio locorum montium vinculatorum, ac propterea advertebam, quod ista scuta mille vere, & proprie non merebantur dici pretium rei, sed potius pretium securitatis, & quietis emptoris, qui alias absque securitate, cum diminutione istius summæ, emerat aleam periculi evictionis, eo quia forte super aliis bonis emptoris non remaneret sibi consultum, & per consequens non poterat dici debitor hujus pretii, nisi præcederet traditio, vel oblatio rei, pro qua illud conventum erat, consistentis in ipsius domus omnimoda liberatione a præfato vinculo fideicommissi, de qua prius docere oportebat ita legitime, & perfecte sequuta, ut produceret illum effectum, pro cujus assequutione hoc augmentum in conventionem deductum erat.

Atque hinc patet, ut in omnibus pene Fori quæstionibus, 13
semper doceamur quam sit evidens error procedere cum generalibus propositionibus juris, absque debito discursu, vel ratiocinio efformando ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, ex quibus revera pendet congrua applicatio, reflectendo principaliter prudentiali potius quam scientifico more, ad substantiam veritatis, sive ad finem, vel effectum, ob quem concepta sit conventio, de cujus exequutione, vel interpretatione agatur.

P I S A U R E N.
PRO JULIO DE MONTANIS.

Responsum pro veritate.

An promissio de vendendo, ad certum tempus, vel in certum eventum, sit obligatoria, sive quem effectum operetur? Et quatenus sit talis, quale pretium attendi debeat, an scilicet illud de tempore venditionis, & promissionis, vel alterum, in quo venditio ob factum casum sequatur?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De fide testibus adhibenda.*
3 *An promissio de vendendo sit venditio?*
4 *Quod sit procedendum cum distinctione casuum.*
5 *Distinguuntur plures casus, in quibus promissio de vendendo sit venditio necne.*
6 *Quale remedium in vim promissionis de faciendo competat.*
7 *De promissione facti alieni.*
8 *Quænam melioramenta sint reficienda per petentem retractum, & quomodo in hac materia sit procedendum.*
9 *An debeat haberi ratio augmenti intrinseci ex beneficio temporis?*

D I S C. XLVIII.

COnclusis per Julium tractatu de emendo domum eum propria confinantem, Dominicus, ut impediret ne 1
Catharina, quæ illam conductam habebat, ab ea recedere cogeretur, convenit, ut permitteret, quod ipse emeret, cum promissione vendendi pro eodem pretio Julio post Catharinæ mortem, qua sequuta, ipso etque Dominico promissionem observare nolente, ex parte Julii pro veritate consultus fui, quale jus foveret.

Tres cadere inspectiones respondi, primo scilicet facti super hujusmodi conventionis probatione facta per Testes mediatores, adversus quorum fides supponebatur aliquas dari exceptiones, secundo, posita concludenti probatione, quid relevaret, & an exinde promittens cogi posset ad factum promissum, & tertio posito, quod dictæ conditioni locus esset, quale pretium attendi deberet, an illud, pro quo Dominicus emerat, vel potius de præsenti, quod supponebatur majus, tam ob melioramenta interim facta, quam etiam ob augmentum intrinsecum productum a beneficio temporis, & accidentium.

Super primo, cum in eo non caderet certa juris regula, 2
idcirco solum insinuavi illas generalitates, quæ circa testium fidem habentur *disc.* 3[illegible]. *de judic.* ac etiam *disc.* 27. *de dot.* ubi præsertim agitur de aliqua majori fide præstanda mediatori deponenti de facto proprio, nullumque habenti interesse, magis vero ubi sit persona qualificata, ponderando dis-

ferens-

ferentiam inter mediatorem, & proxenetam ex professione, seu ministerio.

3 Quatenus itaque pertinet ad secundum punctum, an scilicet esset promissio de vendendo, quatenus illius perfecta, & concludens probatio admittenda veniret, dicebam idem, quod alibi pluries insinuatum habetur, quod scilicet quamvis ex relatis per DD. & præsertim per Tiraquell. *de retract. convent. §. fin. ex nu. 4.* Thesaur. *decis.* 233. *& alios relatos* per Capyc. Latr. *consult.* 11. Merlin. *contr.* 4. *& seqq. lib.* 1. Coccin. *dec.* 1951. *repetit. dec.* 58. *p.* 6. *rec.* Add. ad Greg. *dec.* 28. involuta ob varietatem opinionum videatur ista quæstio, an promissio de faciendo habeatur pro facto, quod tam in isto contractu emptionis, & venditionis, quam in altero donationis, & in similibus frequentius autem in materia renunciationis fieri promissæ per mulieres, postquam ad virum ductæ sint procedit, aliquibus generaliter procedentibus cum opinione affirmativa, aliis e converso cum negativa, aliis distinguentibus inter promissionem juratam, & non juratam, sive inter præstationem facti præcisi, vel æquipollentis cum refectione damnorum, & interesse, cum similibus varietatibus, & superstitionibus, de quibus apud allegatos, ob illam præsertim propositionem, quod nemo cogi potest præcise ad factum, sed præstando interesse liberetur.

4 Erroneum tamen semper censui cum his generalitatibus procedere, illasque omnibus casibus indefinite applicare, quoniam verius est recurrendum esse ad adeo frequenter, sed semper tamen opportune insinuatam sacram anchoram distinctionis casuum, vel effectuum, cum qua pene in omnibus materiis in hoc adeo procelloso legali oceano pro congrua applicationis navigatione procedendum est, ut inter tot tenebras, quæ ab opinionum varietate, & a Scribentium æquivocis prodierunt ad veritatis, & justitiæ adeo obscurum, ac incertum portum deveniatur.

5 Aut etenim res in promissionem deducta extat, sed non est in facultate promittentis eam tradere, quia nempe in tertium ipse distraxerit, contra quem pro ejusdem speciei vendicatione agatur, & tunc pro regula recipienda veniat opinio negativa, ut promissio de vendendo non æquipolleat venditioni pro translatione dominii ad effectum realis remedii rei vendicationis, dum regulariter cessantibus casibus limitatis, etiam ipsamet perfecta venditio sine traditione istum non operatur effectum, ideoque ubi promissario consultum non sit cum æquipollenti, mediante scilicet regressu contra promittentem pro refectione ejus, quod interest, vel quia non sit idoneus, vel quod expediat ipsam rem habere, & tunc decisio pendet ex facti qualitate, & circumstantiis, an scilicet ex illis resultet, aliqua ex limitationibus hujus regulæ tradi solitis, cum qua actio realis, vel personalis in rem scripta, sive Judicis officium detur contra tertium ratione hypothecæ, sive rationum fraudis positivæ, & probatæ, quo casu nil refert, an tertius lucrativam, vel onerosam causam foveat, vel ratione fraudis præsumptæ resultantis a titulo lucrativo juxta ea, quæ generaliter habemus in materia *edicti de his, quæ in fraudem, &c.*

Aut vero non cum tertio, qui nullatenus sit in causa, sed cum ipsomet promittente, juxta hanc facti speciem, sit contentio, & res non extet, quia perierit, vel consumpta sit, aut quod translata in tertium, contra quem nullum tribuatur remedium, vel quod si tribuatur, non expediat, & tunc dici non potest, ut promissio de vendendo, habeatur pro venditione, cum id nullatenus verificabile sit, sed intrat opinio, quæ concedit actionem refectionis ad damna, & interesse.

Si vero in facultate sit ipsius promittentis implere ipsum promissum factum præcisum, & tunc altera intrat distinctio an tale implementum consistat in aliqua re materiali extante, in qua Judex explicare, vel supplere valeat factum Partis, ipsamque rem uni tollere, & alteri tribuere, ut juxta hanc facti speciem, contingit in rebus soli, vel etiam in mobilibus, aut semoventibus, quæ extent, atque tali casu promissio de vendendo, vel donando, seu permutando, &c. habenda est pro ipso facto, ut ad illud præcise promittens cogendus veniat, atque non admittatur ad oblationem reficiendi id, quod interest, neque admittenda sit illa propositio, ut nemo cogi valeat ad factum præcisum, sed præstando interesse liberetur, quoniam poterit Judex, non solum adhibere remedium mulctarum, aliarumque specierum coactionis, de quibus in casu sequenti, sed etiam supplendo factum ipsius principalis, atque faciendo id, quod ipse facere posset, ac deberet, exercebit remedium reale improprium pro actionis personalis effectuatione, tollendo ipsam rem promittenti, eamque tradendo promissario, juxta illam speciem immissionis, de qua agitur, præsertim *in Farfen. sub tit. de emphyt. disc.* 62.

Idque non solum in rebus stabilibus, vel mobilibus, aut semoventibus corporalibus, & extantibus, in quibus id practicabile sit, sed etiam in juribus, vel rebus incorporalibus, puta in jurisdictione, vel in aliquo jure honorifico, & præeminentiali, sive bursali, cujus utilitas, vel emolumentum consistat in exercitio, quoniam Judex poterit illud prohibere promittenti, & decernere promissario per speciem illius traditionis, vel translationis, quæ in juribus quoque incorporabilibus est practicabilis.

Sed si agatur de tali facto, cujus præcisa præstatio pendeat ab animo promittentis, possit tamen etiam in ea cadere factum Judicis suppletivum, & pariter illud est præcise præstandum, ideoque Judex declarare poterit illud haberi pro præstito, ad effectum, ut promittens remaneat privatus illo jure, quod in promissione deductum est, ut exempli gratia contingit in promissione de renunciando successionibus, aliisqua juribus ipsimet renuncianti delatis, vel deferendis.

Ubi autem illud remedium non sit practicabile, vel quia promissum fuerit factum alienum, juxta ea, de quibus agitur apud Franch. & add. *dec.* 624. *& disc.* 124. *de credit. & alibi*, vel quia licet agatur de facto proprio, attamen id præcise pendeat ab ejus animo, ita & taliter, quod Judicis suppletio intrare non valeat, & tunc poterit quidem a promissario implorari Judicis officium pro coactione in persona, vel in bonis, vel etiam in anima cum censuris, ad hoc ut impleat, atque ut in Curia dicimus eum mandato ad factum, decernendo mulctam, vel captionem pignorum, aut carcerationem, sive juxta rei promissæ qualitatem, etiam censuras, sed si indurato animo nolit ipsum factum præstare, tunc aliud non suppetit remedium nisi illud refectionis illius interesse, quod pro subjecta materia cadat, ut juxta frequentiorem contingentiam evenit in illa promissione de matrimonio contrahendo ex relatis *disc.* 8. *de matrim.* cum similibus.

His igitur ita stantis, atque descendendo ad applicationem, cum ageretur de re corporali, seu materiali extante penes ipsummet promittentem, in cujus facultate erat ipsum factum præcisum præstare, dicebam prorsus erroneum esse admittere dictam propositionem, ut nemo cogi possit ad id, sed præstando interesse liberetur, quoniam illa procedit, vel ubi agatur de facto alieno, vel ubi etiam de proprio, quod præstari non possit, vel si possit, attamen citra scandalum, vel inconveniens coactio præcisa non sit practicabilis. 6

Ita etenim Judex exercere poterit illud improprium reale, vel rei persequutorium remedium, quod etiam ex sola actione personali quandoque manat juxta ea, quæ habentur *d. disc.* 62. *de emphyt.* ac etiam *disc.* 78. *de feud.* & alibi, dum illa promissio redolet retractum conventionalem productivum illius retractus legalis, quem leges locales decernunt, ex deductis in sua sede *sub tit. de servit. ad materiam retractuum.*

Isto etenim casu interesse promissarii consistit in ipso facto præciso, neque est supplendum per æquipollens, cum vicini intersit ipsam domum habere, vel alteram speciem propriæ contiguam potius quam habere suppletionem, etiam pœnalem in duplo, vel triplo, & ultra, & per consequens concludebam, quod in hac facti specie casus esset de jure indubitatus pro coactione ad factum præcisum, & exclusione oblationis præstandi interesse, dum ita ex facti qualitate promittens versari dicebatur in dolo manifesto cum ingratitudinis nota, dum in ejus gratiam promissarius ab effectuatione conclusæ venditionis abstinuerat sub illa fide, atque cum ista distinctione intelligenda venit dicta regula, quia nemo cogi potest præcise ad factum, sed præstando interesse liberatur, de qua Capyc. Latr. *d. consult.* 11. Greg. & add. *dec.* 241. Baratt. & add. *dec.* 808. *& sæpius.*

Quo vero ad tertium punctum pretii reficiendi, pariter advertebam tres inspectiones cadere, primo nempe super ipso pretio convento, quatenus nempe ratione illius circumventionis, quæ licite datur inter contrahentes intra dimidium esset maius, vel minus, cujus commodo, vel incommodo id cedere debeat, secundo circa augmentum extrinsecum, quod ratione melioramentorum obligatus vendere fecisset, & tertio circa augmentum, seu melioramentum intrinsecum productum a beneficio temporis. 7

Circa primam nulla cadebat quæstio ob expressam conventionem, ut advertitur etiam supra *disc.* 32.

Quatenus vero pertinet ad secundam, quamvis occasio non dederit formiter disputare, advertebam, quod stante dicta conventione, ista dicenda essent melioramenta, cum 8

mala fide facta, ac propterea percipi non deberent ex dispositione, vel ratione textus *in §. cum in suo, instit. de rer. divis.* ex iis, quæ habentur in hac materia melioramentorum, quæ cum mala fide facta sint apud Bich. *dec. 199.* cum concurdan. *disc. 35. de legitim. & detract. n. 22.*

E converso pro refectione, malæque fidei exclusione, ac propterea non intraret dispositio, vel ratio dicti textus, sive sit illa præsumptæ donationis, sive sit altera temeritatis considerabam, quod non constaret conventionem esse reciprocam & obligatoriam hinc inde, adeout juxta regularem naturam retractus conventionalis potius conventio esset obligatoria ex parte promittentis, facultativa vero ex parte promissarii, ac propterea incertus remanebat promittens, an promissarius ista facultate facto casu usurus esset necne, & per consequens prohibitus esse non deberet rem suam meliorare, cum interim esset verus, & perfectus Dominus, ut occasione retractus activi, & passivi, & ad alios effectus in emptore cum pacto retrovendendi habetur apud Buratt. *decis. 777. add. ad eum, dec. 937. & plurius sub tit. de servit. disc. 71. & 74. & in aliis*, ideoque cum conventio redacta non esset in scripturam, ex cujus inspectione conjici posset, an conventio esset juxta unam, vel alteram speciem, sed penderet a dicto testis mediatoris, & aliorum, advertebam ad id reflectendum esse, cum notabilis dignoscatur differentia inter unum casum, & alterum ob rationis disparitatem.

Adhuc tamen dicebam, neque desuper sive in una, sive in altera specie certam, ac genericam statui posse regulam, cuicumque casui applicabilem, adeout intret quoque consuetus error procedendi in abstracto cum solis generalitatibus, cum verius decisio pendere videatur a facti qualitate, & circumstantiis bonam, vel respective malam fidem meliorantis redolentibus, quia nempe ad effectum bonæ constet melioramenta esse necessaria, vel utilia, prudenter beneque facta, adeout ille, cui retractus legalis, vel conventionalis competat, verisimiliter facturus esset, quia sibi æque commoda, & utilia sint, & propterea refectionis denegatio injustitiam, atque illicitam locupletationem de alieno redoleret, secus autem e converso si essent imprudenter, vel inopportune facta, adeout illi, cui retractus competat, inopportuna sint pro conjunctione duorum ædificiorum retrahentis scilicet, & retrahendi, sive quod alias caderet suspicio, quod in fraudem, & affectate illa facta sint ad inhabilitandum nempe habentem jus retrahendi, ne illud ad exercitium deducat, juxta notorias politicas quæstiones nostris legalibus superstitionibus non subjectas, sed regulandas cum illis regulis, & legibus, quæ insinuantur *disc. 146. de dote n. 16. in fin.* In illis scilicet magnis melioramentis, quæ facta sint in aliquibus Civitatibus, vel arcibus, quæ possideantur jure pignoris, vel custodiæ, sive ex alio titulo resolubili, ob hujusmodi refectionis nimiam difficultatem, vel impossibilitatem non exercibili.

Sed quoniam non constito de animo donandi regulariter non præsumendo, ubi præsertim, ut in præsenti, sit verus Dominus & possessor, adeout non dicatur meliorare in alieno, dura parumque rationabilis videtur opinio, quæ denegat omnimodam refectionem per speciem pœnæ, tum quia ista supponit delictum, non de facili verificabile, quando desit expressa inhibitio, in cujus contemptum melioramenta facta sint, tum etiam quia de recepta canonica æquitate in civilibus, & ad commodum privatum non practicantur illæ pœnæ, quas juris civilis rigor introduxit es insinuatis præsertim *disc. 43. de locat. & disc. 117. de erg.* & alibi.

Hinc proinde advertebam, ut ista dicenda veniat una ex materiis cadentibus *sub tract. Menochii de arbitr. judicib.* quod nempe pro Judicis prudenti arbitrio ex facti qualitate, & circumstantiis res esset regulanda, ut occurratur utrique inconvenienti, ne scilicet ille, cui retractus competit, gravatus, vel beneficiatus remaneat in reficiendo illa melioramenta, quæ sibi parum opportuna sint, atque pro sua opportunitate non remaneant ita utilia, sicuti essent de per se, ut erant penes meliorantem, quatenus res in priori statu perseveraret, & e converso non remaneret locupletatus de alieno in eo, in quo ex melioramentis utilitatem sit percepturus juxta ponderationes, de quibus *d. disc. 35. de detractionib.*

Sed quoniam etiam in isto casu, in quo refectio ad limites utilitatis facienda sit, adeout retrahens in aliquo damnificatus non remaneat, adhuc obligatio refectionis impedire solet ipsius juris retrahendi exercitium, sive effectum, quia nempe non habeat pecuniam ad id necessariam, hinc in proposito intrare videtur illud idem arbitrium per modernos prudenter introductum contra antiquorum in legum littera judaice immorantium indiscretam, ac irrationabilem rigorem, cum usufructuario non valente præstare cautionem a lege demandatam ex iis quæ habentur *in sua sede sub tit. de serv. disc. 51. & seq.* ut scilicet cogendus non esset retrahens reficere in pecunia, se admittendus veniat pro ea præstare annuum redditum, vel interusurium fructui proportionatum tanquam per speciem fructuum recompensativorum, ad terminos tex *in l. curabit, Cod. de act. empti, de quibus sub tit. de usur. disc. 17. & 18. cum seq.* Et conferunt quæ in materia refectionis melioramentorum facienda per eum, cui competit prælatio adversus investitum habentur *in Asculan. sub tit. de Emphyteus. disc. 63.*

Tertii puncti circa augmentum intrinsecum decisionem 9
pariter pendere dicebam a dicta circumstantia, an conventio esset obligatoria hinc inde, vel potius necessaria ex parte promittentis, & facultativa ex parte promissarii, in primo namque casu, in quo promissarii damno cedere debuisset deterioratio non culposa, vel casualis, ejus etiam deberet esse augmentum ex regula *secundum naturam &c.* In altero autem, quamvis pro hac parte favore promissarii urgeret consideratio, quod nisi ipse promittenti in ejus gratia locum cessisset, ex tunc acquisivisset domum, ejusque propterea fuisset hoc temporis, vel alterius accidentis beneficium, quo pro benevolo officio æquitas prohibet privatum remanere, attamen e converso magis præponderare videtur altera æquitas prohibitiva claudicationis, de qua supra *hoc eod. tit. d. dis. 32. & dis. 57. de dot. & disc. 87. de serv.* Ideoque contra ipsum requirentem potius concludere visum est, ut scilicet teneretur reficere hoc augmentum, quatenus e converso simili intrinseco decremento non esset subjectus.

ROMANA SOCIETATIS OFFICII PRO STEPHANO MAGNONO CUM JACOBO MARCHESETTO.

Casus disputatus coram A.C. resolutus pro Stephano.

An valeat obligatio de emendo non correspectiva, quia nempe non adsit obligatio de vendendo, & quatenus valeat, quomodo intelligi debeat, & quale pretium attendendum sit, & an talis obligatio importet potius fidejussionem, vel assecurationem?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De invalida venditione collata in arbitrium unius.*
3 *An valeat obligatio de reemendo?*
4 *Quare obligatio reemendi sit magis suspecta, quam obligatio retrovendendi.*
5 *Quomodo in hac materia sit procedendum.*
6 *De differentia an ista obligatio fiat per emptorem, vel venditorem, vel per tertium.*
7 *Declaratur conclusio, de qua n. 2. quando procedat.*
8 *De promissione de emendo, vel aliud faciendo, & quando juramentum operetur.*
9 *Claudicatio, sive inæqualitas minuit de pretio.*
10 *Exitus causæ.*
11 *Quale pretium attendi debeat, posita valida obligatione emendi.*
12 *De conclusione ut potius substantia veritatis, quam formula verborum attendi debeat.*
13 *De fidejussione, vel assecuratione resultante a laudatione, vel approbatione.*
14 *De eodem, & quare incongruum esset pactum de emendo.*
15 *Datur distinctio quando defectio debitoris cedat damno creditoris, vel futuri emptoris.*

D I S C. XLIX.

Contracta societate officii inter Marchesettum, & Officialem, ac Franciscum, & Victoriam conjuges, qui 1
vere debitores, & principales recognoverunt bonam fidem, juxta ea, quæ de isto contractu habentur in sua sede *sub tit. de Societ. offic. lib. 5. post tit. de censibus*, eisdem die & loco, & coram eisdem Notario, & testibus, Magnonus promisit, & se obligavit ad favorem Marchesetti illam emere infra annum pro eodem pretio, cumque isto termino durante debitores detecti essent non solvendo juxta regularem, ac frequentiorem conditionem eorum, qui ad istum contractum impelluntur, atque elapso anno creditor coram Auditore Cameræ pulsaret promis-

sorem

sorem ad emptionem, objiciebat reus conventus de obligationis invaliditate ex eo quod ille non esset reciproca, quodque propterea intrarent termini tex. *in l. ic vendentes*, *C. de pact. inter emptor. & vend. cum concord.* ap. Surd. *dec.* 52.
2 *n.* 9. super invaliditate emptionis, & venditionis collere in liberem voluntatem unius ex contrahentibus, cumque ex parte actoris deduceretur *Consilium* 1. *Dini cum sequacibus* ad probandum validitatem pacti obligatorii ad emendum, ac propterea Judex difficultatem habebat contra eum, hinc ex istius parte ad causam assumptus fui.

3 Scribendo itaque more Advocati dicebam quod præfatum *Consilium Dini* percutit terminos diversos, ubi scil. venditor se obliget intra certum tempus eandem rem propriam venditam reemere, quo casu, quamvis aliqui dubitent, nihilominus verius est pactum sustinesi, quoniam cum emptor, & venditor sint correlativi, hinc sequitur quod eodem modo quo, juxta nimis frequentem praxim, non dubitaret de validitate pacti obligatorii emptoris ad retrovendendum venditori, cui placet illam obligationem adjicere, ita e converso, ex natura correlativorum ex deductis per Leotar. *de usur. qu.* 68. *& habetur sub tit. de usur. disc.* 9. *&* 11. *& alibi*, ac etiam seclusa Bulla Piana habetur in censibus, quod licet ut plurimum jus redimendi est in facultate debitoris, non tamen est prohibitum esse in necessitate post certum tempus cum similibus.

4 . Et quamvis iste casus nimium rarus dignoscatur, non per hoc tamen id tollit libertatem adjiciendi tale pactum, vel causat ejus invaliditatem, cum solum dubitandi occasionem præbeat suspiciu usuræ, quod sc. sub hoc palliato contractu emptionis, & venditionis cum tali pacto insit contractus feneratitius pignoris fructiferi ex deductis *disc.* 32. *de regal.* ac etiam *d. disc.* 9. *&* 11. *de usur.* Sed hoc æque procedit in uno, ac in altero casu, magis tamen in isto tanquam insolito, cum ista circumstantia majorem redoleat suspicionem, ex deductis locis citatis.

5 Verum ista est simplex suspicio, quæ aliis non accedentibus circumstantiis, vel argumentis non sufficit, multo vero magis ubi potius sinceritatis accedant probationes, & argumenta hujusmodi suspicionem purgantia, ideoque intrat consuetus error etiam in hoc puncto procedendi cum generalitatibus, vel indefinite applicandi cuicumque casui illas auctoritates, quæ invaliditatem firment in certis casibus, ob argumenta, quæ in eis accedant, hanc suspicionem confoventia, cum verius ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis eandem suspicionem comprobantibus, vel respective dirimentibus, decisio pendeat.

6 Quicquid itaque sit in dicto casu, de quo loquuntur *Dinus & sequaces*, illum tamen extraneum esse dicebam ab illo præsentis controversiæ, dum conventio non est inter emptorem, & venditorem tanquam per speciem pacti resolutivi, sive venditionis factæ ad certum tempus, ac propterea ita conventum esset ad effectum, ut res rediret ad priorem Dominum, suamque priorem causam quodam jure postliminii, quodque inter datorem, & receptorem pecuniæ sub nomine pretii intrare posset suspicio fœnoris, & mutui usurarii ita palliati, sed est cum tertio se obligante, & promittente creditori emere nomen debitoris, & sic emptione, & venditione nova, & omnino integra, in qua proprie verificaretur id quod disponit textus *in l. in vendentis* dum ita deficere dicitur certus simultaneus utriusque contrahentis consensus, in quo consistit unum ex tribus vulgaribus essentialibus requisitis.

7 Reflectendo tamen ad veritatem, dubitabam de motivo, non quidem ex fallacia conclusionis, quæ in puncto juris in suo casu vera est, tam ob expressam dispositionem dicti textus, cum quo DD. transeunt relati per Surdum ubi supra, & alii, quam etiam ob supradictam rationem deficientiæ unius ex requisitis, dum deficere dicitur, vel sub incerto esse consensus venditoris, qui potuit nolle vendere illi, qui emere se obligavit, sed ex fallacia applicationis, cum conclusio procedat in ipso contractu emptionis, & venditionis, an dici valeat perfectus necne, tam ad effectum dominii, quam fructuum, & periculi, quam ad alios effectus exinde resultantes posita perfectione, secus autem ubi, ut in præsenti, non agatur de emptione, & venditione, sed de promissione de emendo, vel de vendendo, quoniam ista non est quidem apta importare perfectam venditionem, prædictorum ac similium effectuum productivam, sed bene apta est ad obligandum promittentem ad factum promissum, quando in ejus facultate sit illud præstare, vel ad id quod interest juxta distinctiones, de quibus supra *disc. prox.* ubi de hac materie promissionis de aliquid faciendo, vel præstando.

Potissime vero ubi promissio sit jurisjurandi religione munita, cum tunc juramentum dirimat omnia obstacula ex juris civilis rigoribus, & subtilitatibus manantia, ad generales terminos *in c. cum contingat*, *de jur. jur. & c.* 8
per vestras de donat. inter vir., *& uxor.* quoties non obstet infectio usurariæ, vel alia, quæ a jure canonico prodeat, sive ab eo probata sit, cum non implicet promissionem esse ex parte promittentis obligatoriam, ex parte promissarii facultativam, ut quotidiana praxis in facultate redimendi docet.

Ista etenim inæqualitas, vel claudicatio, est quidem 9
pretio æstimabilis, ut propterea minuat de valore, adeo ut diminutio ex parte facultatarii, & commodum ex parte necessarii promissoris illam inæqualitatem compenset ex deductis, *d. disc.* 32. *de regalib. & supra hoc tit. disc.* 24. *& alibi*, sed non per hoc irritat actum, sive obligationem inefficacem reddit.

Agnoscendo itaque difficultatem sustinendi motivum, ad cujus jam promoti defensionem avocatus fueram, aliud promovi ob quod idem obtineretur effectus, ut sequutum fuit, vel quia Reus absolutoriam reportaverit, vel quia actor destiterit, cum amplius de causa actem non audierim, eo- 10
dem nempe modo, cum quo sustinui idem in casu, de quo supra *disc.* 32. & in aliis pluries, non negandi sc. observantiam, & implementum promissionis, sed insistendi super pretio, ut illud de præsenti extendi deberet, & quanti nunc illud nomen valeret, non autem pro quanti tunc quæ- 11
situm esset, ob eandem æquitatem resultantem a claudicatione juxta deducta *d. disc.* 32. quæ repetere superfluum est.

E converso agnoscentes Defensores Actoris, qui erant iidem qui etiam scripserant in contrarium in alio casu, *de quo d. disc.* 32. vim motivi inevitabilis, & ob quod idem resultabat effectus invaliditatis pacti, cum ob detectam decoctionem viri, & ob nullitatem obligationis ejus uxoris tam ex Statuto Urbis 150. quam ex capite indotationis, istud nomen nullum pene haberet pretium, judiciose recurrebant ad aliud motivum, quod Mihi aliquem inserebat timorem, sed quoniam Judex illud non amplectebatur, procedendo cum littera, sive cum formalitate verborum obligationis, hinc defuit occasio super illo scribendi, ejusque veritatem mature examinandi, atque judicium efformandi.

Statuta siquidem per eos propositione in puncto juris ve- 12
rissima, atque in omnibus voluntatis quæstionibus principaliter, ac perpetuo attendenda, omniumque frequenter, & forte usque ad vitium, sed semper opportune inculcata, ut non cortex, & formula verborum, sed substantia veritatis ex facto potius, ejusque circumstantiis, quam ex verbis desumenda attendi debeat dicebant (& quidem pro meo judicio non improbabiliter) quod ista conventio in substantia 13
redoleret potius fidejussionem, seu verius pro meo sensu laudationem & assecurationem, juxta ea quæ de laudatione debitoris pro facti qualitate importante judicium fidejussionis, vel assecurationis habentur *sub tit. de cred. disc.* 90. Quasi quod dubitante datore pecuniæ de idoneitate illorum, qui recepturi erant, iste promissor eos tanquam idoneos laudaverit, & approbaverit, ita datorem assecurando quod ad annum ipse pro eadem summa emet.

Siquidem ratione subjectæ materiæ incongrua videbatur 14
dicta obligatio de emendo, cum de illa expediat esse sollicitus quando agatur de aliqua specie, cujus possit non reperiri emptor pro eodem pretio, ut in rebus immobilibus, vel etiam mobilibus, aut semoventibus contingit, ac etiam in illis juribus, & actionibus quæ tertiam constituunt speciem, atque sub stabilium genere recenseri solent, ut contingit exempli gratia, in censibus ob perpetuam irrepetibilitatem pretii, vel sortis ex parte creditoris ab invito debitore, secus autem in ista specie contractus societatis officii, quæ pro libito disdici potest, atque ita ab ipso debitore repeti valet pecunia data, ex deductis *in sua sede*, *sub tit. de Societ. officii*, & per consequens non videbatur ad quid creditor contemporaneo, unde correspectivitas resultat, de ista tertia obligatione sollicitus esset, nisi pro isto effectu implicitæ assecurationis, vel approbationis.

Hinc proinde reflectebam, quod quamvis (ut præmissum 15
est) ob cessantem necessitatem formalis disputationis, maturum non efformaretur judicium, distinguendum esset an hujus nominis deterioratio ex aliquo superveniente casu contigisset, vel e converso revera de tempore contractus præexisteret (quod in hac facti specie incertum erat, dum actore allegante insufficientiam ex tunc, id ex parte rei negabatur, quodque viri sufficientia, a quodam super-

supervento infortunio prodierat) primo etenim casu, quod sc. deterioratio casualiter post contractum contigisset, tunc ad favorem promissoris respondendum esset, ut superventum periculum esse deberet ipsius creditoris tanquam Domini, eodem modo quo suum esset augmentum, vel commodum majoris idoneitatis, & perseverantiæ in contractu, atque eodem modo, quo ejusdem creditoris damno cedebat lucrum sortis, quod debitor juxta naturam hujus contractus fecisset si contigisset mors illius, sub cujus vitæ periculo societas inita fuit, secus autem in altero casu, in quo tunc insufficientia jam præexisteret, quoniam tunc illa promissio de emendo claram præseferre videtur approbationem, & assecurationem, ob quam creditor incertus de statu debitoris, ad contrahendum cum eo inductus fuit, ac propterea saltim videretur intrare actio de dolo juxta ea quæ *sub tit. de credito pluries*, & alibi habentur super obligatione cedentis circa idoneitatem, & exigibilitatem nominis cessi, cum similibus, ideoque decisio pendere videbatur ex facto potius quam ex jure, cumque illud incertum esset, idcirco judicium desuper efformare non potui.

ROMANA
SEU ALBANEN. VINEARUM
PRO MAGDALENA ESCHINARDA DE VITELLESCHIS,
CUM FRANCISCO ET ALIIS DE MOLARIA.

Casus decisus per Rotam pro Magdalena.

De actione competente emptori adversus venditorem pro remotione molestiarum passarum, an competat ubi non accedat illa denunciatio, quæ de jure requiritur pro actione evictionis?

Et aliqua ad ejusdem evictionis materiam, an sc. & quando ad eam teneatur ille, qui emendo rem pro persona nominanda, alterum nominavit, cum aliqua alteratione pretii, & pactorum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Denunciatio non est necessaria ubi constat de justitia evincentis.*
3 *Non est necessaria denunciatio ad effectum removendi molestias, & tradendi rem liberam, & de ratione.*
4 *Quando etiam isto casu omissio denunciationis prajudicet.*
5 *Re non integra non tenetur venditor removere molestias.*
6 *Quando denunciatio etiam post sententiam dicatur re integra.*
7 *De stylo Signaturæ rescribendi de appellatione etiam in causis exequutivis.*
8 *De alio casu controversiæ, & qualis esset punctus.*
9 *Ad evictionem non agit ille, qui sciat onus, vel jus alterius.*
10 *Venditor universitatis non tenetur de evictione.*
11 *An, & quando ille, qui emit pro persona nominanda, & postea nominet, teneatur de evictione?*
12 *De eodem, & quando etiamsi sit venditor, non teneatur.*

D I S C. L.

1 DE anno 1618. Petrus Eschinardus emit vineas a Gregorio Paravicino, cum obligatione Octavii Garimberti, cumque de anno 1667. Savus Porcarius pro censu per dictum Gregorium imposito usque ab anno 1612. tanquam donatarius Juliæ Porcariæ ad eas obtinuisset immitti in Salviano, hinc Magdalena dicti Petri mediata succeditrix, quæ immissionem passa fuit, obtinuit ab A.C. mandatum pro liberatione a molestiis contra Molarios mediatos hæredes dicti Octavii, commissaque per Signaturam causa in Rota *cor. V. Comite cum clausula si quid exequendum*, atque dato dubio ex ejusdem rescripti ventre manante, an mandatum esset exequendum, *sub die 1. Junii 1672.* affirmativa prodiit resolutio confirmata 17. *Januarii* 1673.

In disputationibus autem desuper habitis, cum nulla caderet quæstio super judicii extremis, dum obligatio Octavii erat clara, & non negabatur hæreditaria qualitas ex parte reorum, hinc restringebatur punctus ad duas exceptiones insimul connexas, quarum una venit in consequentiam alterius, primo sc. quod nulla accessent denunciatio, sine qua emptori non competit actio evictionis, & secundo super ejusdem evictionis injustitia, negando in evincente pertinentiam census jure donationis, seu fideicommissi, atque super hac secunda exceptione Scribentes pro reis magis insistebant, nimiumque se diffundebant.

2 Scribens autem pro actrice dicebam, etiam in sensu veritatis, qualem Rota agnovit, quod utraque inspectio extranea esset a casu quæstionis, quodque propterea omnia, quæ desuper late deducebantur, inanem laborem, inanemque chartarum repletionem continerent, ut frequenter contingit; tunc enim intrat inspectio super justitia evictionis, quando emptor qui ad eam jam passam agit, ita vult evitare defectum omissæ denunciationis, ob limitationem tradi solitam regulæ illius necessitatem exigenti, ratione justitiæ claræ, quam auctor laudatus, vel necessarius Defensor, si fuisset interpellatus, impedire non potuisset, unde eidem de hoc excipienti replicari solet, dicas nunc quid dicturus fuisses, si re integra denunciatio facta esset, ut advertitur *sub tit. de feud. disc. 44. & sub. tit. de regal. disc. 64. & de jurisd. disc. 60. & alibi sæpius.*

3 Id autem extraneum erat a casu quæstionis, quoniam juxta practicatum formularium, per quod cessat major pars illarum quæstionum, quæ in ista evictionis materia cadunt, tam venditor, quam fidejussor, qui æque principaliter, & insolidum tanquam principalis correus se obligavit, non solum promiserunt de evictione, sed etiam præstare, & manutenere rem liberam, ac propterea liberare emptorem ab omnibus molestiis, illasque in se assumere, atque in vim istius posterioris obligationis agebatur, potissime dum molestiæ vere, & proprie non importabant evictionem formalem per abdicationem dominii, & possessionis, cum ageretur de remedio Salviani, quod hunc effectum non operatur, ut pluries advertitur, ideoque nil refert an res sit integra necne, & an deventum fuerit ad exequutionem intentati remedii, dum semper agi dicitur de molestiis, pro quarum remotione, & liberatione, atque pro manutentione rei liberæ, prout narratum, & promissum fuit, agitur, ad quem proinde effectum nentra cadit inspectio, quoniam etiam re non integra emptor petere potest liberationem ab illis molestiis, quas non solum in verbis, ut contingit ante condemnationem, & exequutionem, sed etiam factis patitur, juxta auctoritates in eadem decisione relatas, quæ deducebantur, frustra repetendas utpote super juris principio certo, atque advertitur *etiam d. disc. 44. de feud. in fine.*

Intrare siquidem dicebam clarum, ac inevitabile dilemma, quod scil. aut ipsi rei conventi credebant quod ille, qui molestias inferebat, foveret bonum jus, aut non, si id credebant, in comperto res erat, dum quamvis ageretur de formali evictione, non intrabat defectus denunciationis, ob supradictam limitationem regulæ resultantem a justitia evictionis, & si non credebant, ita eis facile erat, assumendo in se litem, & molestias, ab illis eximere emptorem juxta formam obligationis.

4 Duplicem vero effectum ipsi emptori præjudicialem observabam ab omissa denunciatione etiam in casu molestiarum, quando illæ essent injustæ, atque removeri potuissent per Defensorem necessarium, resultare posse, primo nempe circa jam factas expensas, ac damna, & interesse passa ob non perceptionem fructuum, quoniam auctor laudatus, seu Defensor necessarius, suscipiendo in se litem in statu, & terminis, in quo illa sit de tempore quo evocatur, atque molestias removendo, recte emptori objicere potest, quod sibi imputes cur ab initio eum non evocaveris, quoniam fecisset idem quod evocatus facis, ac propterea dicendum videtur, ut damna, & interesse in expensis, & fructibus inferri possent ad propriam culpam, in cujus casu obligatio, vel actio evictionis non intrat.

5 Et secundo quando dicta res perempta esset, sive alias deteriorata, vel difficilis recuperationis, penes eum, qui de facto avocasset etiam in sola possessione, quoniam ubi ex parte auctoris laudati doceatur de injustitia molestiarum, non tenebitur ipse ad assumendum in se molestias irreparabiles, atque in parte, in qua res non sit amplius integra, ex eadem ratione, de qua supra in expensis, & damnis, quod scilicet emptor propriæ culpæ id referre debeas, dum venditor dicere potest idem quod supra, quod scil. impedisses si ab initio, & re integra evocatus esset, ut habetur apud Merlin. *decis. 769. num. 6. cum seqq.*

6 Neutrum vero in hac facti specie dici posse advertebam ob illam facti circumstantiam, quod sc. quamvis Magdalena molestata utpote mediata hæres, vel succeditrix emptoris tanquam ignara quales essent ejus necessarii Defensores, sen-

tentiam

tentiam immissionis in Salviano, nulla facta denunciatione, passa esset, attamen illam fecit re integra, priusquam scilicet causa disceteretur in Signatura justitiæ, ex cujus rescripto denegativo appellationis suspensivæ cum solita clau-
7 sula sine præjudicio exequutionis in vim Ægidianæ ad exequutionem deventum est, ideoque auctor laudatus sibi exequutionem imputare debet, quoniam si in eo statu assumpsisset defensionem, atque deduxisset ea, ex quibus injustitia molestantia prætendebatur, id impedivisset, quoniam etiam in exequutivis, & privilegiatis suspensivam appellationem regulariter excludentibus, de illa ratione injustitiæ, vel saltim de clausula translativa ratione turbiditatis responderi solet, ea insinuatis *disc. 37. & seq. de jud. & dis. 30. & 31. in rel. Cur.* sed revera videbatur quod subsisteret jus molestantis.

In hoc item proposito evictionis præstandæ per venditorem, sive actionis quanti minoris pro eadem Magdalena conversam personam reæ conventæ agente, aliam disputavi quæstionem in Rota coram Albergato cum Aloysio Benedello *in alia Romana, seu Albanen. bonor.* Siquidem efformato concursu creditorum Petri ejusdem Magdalenæ fratris, atque expositis venalibus domibus, & vineis per eum in Civitate, & territorio Albani possessis, illarum emptionem pro scutis octo millibus circiter fecit dicta Magdalena pro persona nominanda, deindeque ad quatuor circiter annos nominavit præfatum Aloysium pro diverso tamen, ac ma-
8 jori pretio sc. 12. m. circiter. Cumq; tractu temporis emptor, & possessor aliquas molestias pateretur, non ex facto Magdalenæ, sed ejus auctorum, sive ea eorum non jure in quibusdam aquis, quæ evictæ erant ab illis de Plastis, idcirco introducta causa in Rota coram prædicto Albergato, datoque dubio generali *an, & de cujus bono jure constaret*, stante quod multa erant controversiarum capita, hinc in disputatione habita 18. Junii 1674. In iis quæ jus concernunt, solus punctus erat ille, an Magdalena teneretur de evictione, sive ad quanti minoris, cum omnes alii puncti essent potius facti quam juris, ideoque pro Curiæ stylo causæ Patrono potius incumberent.

9 Quinimmo etiam potius facti quam juris dicendus erat punctus prædictus super verbis scilicet apochæ desuper confectæ, ac etiam subsequuti instrumenti, nec non super fide adhibenda testibus hincinde deductis super circumstantia restrictionis evictionis ad factum proprium, ut prætendebatur per Magdalenam, negabatur autem per Aloysium, ac etiam super emptoris scientia illarum prætensionum, ex quibus postmodum molestiæ proveniebant, adeout intrarent termini tex. *in l. si fundum sciens, C. de act. empt. de quibus, dec. 300. p. 7. rec. 453. & 457. p. 9. & d. disc. 44. & disc. 32. de feud. & passim.*

10 Potissime vero quoniam ista erat quædam emptio universitatis bonorum, seu patrimonii debitoris in eo loco, ac propterea cum eadem proportione, cum qua venditor non tenetur de evictione erga primum emptorem nisi in expressis, & ad speciem deductis, ita non tenetur ipse primus emptor, qui venditoris, vel cedentis personam gerat erga secundum juxta deducta *supr. disc. 26.* ac etiam proxime ad rem *sub tit. de feud. disc. 32.* & alibi, ideoque totum pendebat ex facto, super cujus justificatione major, peneque tota versabatur controversia.

11 Et quoniam in præcedenti instantia coram A. C. sive alio Judice, in qua non scripseram, per alios Defensores ejusdem Magdalenæ, quæ erat ex genere illorum infirmorum, qui de facili mutant medicos, ad excludendam obligationem evictionis, vel defensionis insistebatur in conclusione, de qua *disc. 26. de locat.* & alibi pluries, quod emptor pro persona nominanda post factam nominationem ad aliquid non teneatur nisi ad ea, quæ ex proprio facto, vel culpa proveniant, eo quia dicitur nudum organum, vel instrumentum ipseque nominatus censendus est primus, ac immediatus emptor perinde ac si cum ipso directe, & immediate contractus initus esset, hinc Scribentes pro altera parte insistebant in negatione applicationis dictæ conclusionis, late probando, quod non versaremur in terminis vere nominationis, per quam primus acquirens ita gereret figuram simplicis organi, vel instrumenti. Tum ob lapsum temporis notabilis annorum quatuor, & ultra, dum dicta conclusio intrat, quando ad breve tempus id agitur intra annum, & sincere, ac citra fraudem sequatur nominatio, *ut d. disc. 26. de locato, & alibi.* Tum fortius ob notabilem alterationem pretii ad commodum nominantis, aliasque circumstantias probantes, quod venditoris ex integro potius quam simplicis nominatoris, Magdalena personam gereret. Dec. *cons.* 543. & alii plene relati per Salgad. *in labyr. p. 2. c. 13. per tot. cum aliis d. disc. 26. de locat.*

Scribens itaque pro venditrice rea conventa, non negabam quod stante alteratione pretii, aliarumque pactorum revera dici non posset, quod versaremur in casu veræ nominationis, cujus terminis agentis nominator nullam facere potest prioris contractus alterationem ex præmissa ratione, quod ipse habetur tanquam nudum organum, sive instrumentum, sed dicebam illam inspectionem cadere ad alios effectus, *de quibus d. disc. 26. de locat.* & apud Salgad. *ubi supr.* & alios, non autem ad illos præsentis controversiæ, quoniam ubi etiam censenda esset vera, & prima venditrix, adhuc tamen si protestata esset nolle teneri, nisi de facto; & dato proprio, idem erat effectus, nil obstante notabili augmento pre-
tii. Tum quia, ut in facto supponebatur, referri pote- 12
rat ad fructus illius anni, jam maturos, nec non melioramenta. Tum etiam, quia si ea propria industria hoc lucrum sibi paravit, sibi imputare debet emptor, cur tali restrictioni evictionis consensum præstitit, ideoque tunc ab eo aliud prætendi non potest, nisi remedium rescissorium, quatenus ita enormis læsio intraret.

PARMEN. PERMUTATIONIS, PRO FRATRIBUS DE PONTULIS, CUM ANTONIO MARIA THOMATO.

Responsum extra Curiam.

An, & quando emptori, vel respective venditori, sive permutanti petenti ab altero contrahente pretium, vel rem, obstet exceptio non traditionis, vel non implementi; si defectus proveniat a casu, vel a facto tertii.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Periculum est emptoris post perfectum contractum.*
3 *Impedimenta non excusant, nisi doceatur de diligentiis.*
4 *Non intrat hæc obligatio; ubi certum sit eas non esse profuturas.*
5 *Quod causarum decisiones pendeant magis ex facto, quam ex jure.*
6 *Substantia voluntatis; potius quam formalitas verborum attendi debet.*
7 *Quod alicui indecorum sit habitare domum conductitiam.*
8 *Qualis in facti specie esset substantia voluntatis.*
9 *Ubi forma respicit certum effectum, iste attendi debet.*
10 *An, & quando ille, qui sciat, vel prævidere possit casum, eo contingente, habeat actionem, vel exceptionem?*

D I S C. LI.

INita inter fratres de Pontulis, & Antonium Mariam 1
Thomatum permutatione quamdam domorum sitarum in Civitate Parmæ sub lege, ut non tenerentur Pontuli dimittere domum propriam, nisi postquam obtinuerint alteram vacuam, & expeditam, quam quidem conductor inhabitabat, cum finita conductione, atque conductore domum vacuam dimittente, de mandato Ducis, ejus Medicus domum occupasset, præfatus autem Thomatus peteret dimissionem domus a Pontulis, hinc ex istorum parte requisitus fui ad scribendum pro eis in causa jam introducta in Foro Episcopali, sive ad respondendum motivis, quæ pro stylo per Judicem edita erant.

In motivis autem, fundate quidem, ac elaborate di- 2
cebatur, quod implementum ex parte Thomati promissum, jam dici poterat sequutum, dum conductor domum vacuam, & expeditam dimiserat, adeout ex ejus parte talis censenda esset de jure, quamvis de facto non esset, utpote ab alio occupata ex facto, vel mandato Supremi Principis, quod recensetur inter casus fortuitos, de quibus Venditor, vel permutator non tenetur post jam perfectum contractum initum super specie, cum solum difficultas intret in iis, quæ sunt in genere, sive consistunt in pondere, numero, vel mensura, ex pluries insinuatis *hoc tit.*

Cumque ex parte reorum conventorum oppositum esset 3
de conclusione, de qua Gregor. *dec. 501. n. 1.* Buratt. *dec. 110. n. 4. bene, dec. 286. n. 13. & 14. p. 1. recen. & sæpius*, quod scilicet Impedimenta, quæ a facto hominis proveniunt; impedito non suffragantur ad illum excusandum, ubi præsertim non

sit reus, vel actor, nisi doceat de diligentiis ex ejus parte sufficienter adhibitis pro impedimenti remotione, replicabatur dupliciter, ex facto scilicet, in quo supponebatur eas adhibitas fuisse, & secundo ex altera juris propositione præcedentia limitativa, ut scilicet ista obligatio non intret quando certum, ac notorium sit, ut in hac facti specie supponebatur esse, quod sint inanes, & non profuturæ, ut apud Bich. *dec.* 484. *n.* 25. atque alibi pluries advertitur.

4 Respondendo itaque admittebam dictarum propositionum veritatem generaliter, & in abstracto, negabam tamen applicationem ad casum ob ejus particulares circumstantias, ex quibus potius, ac principaliter, quam ex juris regulis, ac propositionibus, ut mea frequens est dicendi consuetudo, forensium controversiarum decisiones pendent, ob sæpius insinuatam differentiam inter scholasticos, & forenses, ut primis congruat quæstiones peragere in abstracto, aliorum autem partes principaliter consistunt in conclusionum, & auctoritatum congrua applicatione ad casum controversiæ, juxta ejus particulares, & individuas circumstantias, ut præsertim advertitur *disc.* 37. *& alibi pluries.*

5 Applicando itaque ad rem, advertebam ut in hac facti specie super istius conventionis interpretatione, & praxi, procedendum esset cum adeo frequenter, sed semper opportune insinuata propositione, in omnibus voluntatis quæstionibus perpetuo, ac principaliter attendenda, sive agatur de dispositionibus morientium, sive de correspectivis conventionibus viventium, ut præsertim istarum occasione advertitur *sub tit. de cred. disc.* 103. *& tit. de dote, disc.* 27. *ac etiam disc.* 49. *de regal.* & pluries, ut non cortex, & formalitas verborum, & per consequens neque juris regulæ generales ex eadem formalitate manantes attendi debeant, sed substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis.

6 Procedendo igitur cum ista propositione advertebam, quod cum ipsi rei conventi essent soliti habitare domum propriam, non autem cogi quærere domos conductitias, quas ex aliquarum Civitatum, vel Regionum moribus, indecorum reputatur inhabitare, ut præsertim liquet ex Epigrammate composito super tumulo *Auctoris Glossa Parisiensis*, qui sub nomine *Auctoris damnata memoria* nuncupari solet, ut scilicet quamvis esset doctus Jurisconsultus, nimiumque turpi lucro incumberet, adhuc tamen, ob ejus nequitiam, ita Deo permittente pauper obiit, ac vivens conductitiam domum inhabitare coactus est, id ad injuriam referendo.

7 Cum itaque dictam haberent consuetudinem habitandi domum propriam, non autem conductitiam, eamque continuare cuperent, idcirco de hoc pacto sibi consulere solliciti fuerunt, ut scilicet eatenus propriam domum dimittere tenerentur, quatenus alteram vacuam, & expeditam haberent, ut ad illam directe, & immediate eandem habitationem transferre possent. Potissime vero, quia erat impedimentum, de quo ob illius domus situm Palatio Ducali proximum, ita retroacta observantia docente, verisimiliter timeri poterat, & sic quod substantia voluntatis in adjiciendo dictum pactum, fuerit habendi domum vacuam, & expeditam, non ex fictione juris, vel intellectualiter, ut de jure, circumscripto pacto sequi diceretur, ac sufficeret, sed de facto, atque spectato effectu, seu fine, ob quem tale pactum adjectum fuerit.

8 Atque ad id recte conferre dicebam propositionem, de qua *disc.* 87. *de feud. & disc.* 18. *de testam.* & alibi pluries, quod scilicet, quando forma respicit certum effectum, tunc principaliter attenditur ejusdem effectus implementum de facto, non autem curantur formalitates juris cum similibus.

9 Et quamvis tam per Scribentes in contrarium, quam per Judicem motivantem prædicta circumstantia situs domus, & retroactæ consuetudinis retorqueretur, dum casus potuit prævideri, ideoque intrarent ea, quæ habentur ad materiam text. *in l. si fundum sciens, C. de evict.* ac etiam ad materiam text. *in l. ede, C. locat.* ut non suffragetur illa proprii usus necessitas, quæ prævideri potuerit, sive ea, quæ juxta *dec.* 422. Coccini habentur *disc.* 1. *de locat. & pluries sub tit. de regal.* ad terminos text. *in cap. propter sterilitatem, & cap. potuit, de locat.* cum similibus.

10 Dicebam tamen, id recte procedere in puncto juris, quatenus de pacto consultum non esset, quo accedente, secus dicendum est, adhibendo eosdem terminos, de quibus supra, tam in proposito evictionis, quam restauri, quoniam si de uno, vel altero quis pacificatur, prædictorum jurium dispositio non intrat, ex ea congrua tam legali, quam naturali ratione, quod scilicet, quo magis scivit, vel prævidit casum, eo magis illum suscipere voluit, sed sibi cum pacto expresso consulere, & propterea alter contrahens, qui pacto consensum præstitit, ita in se suscepisse dicitur illum casum, qui alias non sibi, sed alteri de jure cedere deberet, ut præsertim super dicta materia defalchi, seu restauri sæpius advertitur, & sic quod quemadmodum isti rei conventi in ea domo, quæ per contractum effecta erat propria, cogebantur pati conductorem, quamvis nolentum ex facto Principis, cui resisti non potest, ita e converso ipsi actores cogendi essent habere hanc domum conductitiam, ut eam ipsi rei conventi inhabitarent, potissime dum in ipsis actoribus non militabat eadem ratio, dum non erant soliti dictam propriam domum inhabitare, sed locare, ideoque conqueri non poterant, quod defraudarentur voto non habitandi nisi domum propriam.

ROMANA LIGNORUM, PRO COLASANTE, ET SOCIIS, CUM CAPITULO LATERANENSI.

Casus disputatus cor. Vicario ejusdem Basilicæ, sub incerto exitu, credo per concordiam resolutus.

De materia periculi rei venditæ resultantia ab incendio, vel alio simili casu, an illud esse debeat Emptoris, vel Venditoris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ubi venditio est conditionalis pendente conditione periculum est venditoris, & de ratione.*
3 *An detur pænitentia conditione pendente?*
4 *Quando dicatur conditionalis sub ea conditione, quæ impediat perfectionem.*
5 *Quid censeatur deductum in contractum venditionis.*
6 *Venditor non agit ad pretium, si non tradat, vel offerat rem venditam.*
7 *Quando dicatur venditio, vel locatio, & in quo consistat substantia contractus.*
8 *De novo anno productionis fructuum, & quando damnum debeat esse in parte venditoris, quamvis sit emptoris.*

DISC. LII.

Facta per Canonicum Camerarium Capituli Basilicæ 1
Lateranensis venditione Colasanti, & sociis Carbonariis Sylvæ, seu arborum Sylvestrium vulgo *macchia* existentium in quodam Capituli casali pro incisione, quæ ad effectum conficiendi carbonem facienda esset pro stylo artis in pluribus annis, in quolibet scilicet juxta ipsarum arborum opportunitatem, sub reservatione ratificationis Capituli, cum clausula, *& non alias*, cum ad breve tempus casuale incendium ortum occasione incendendi stipulas, notabiliter dictas arbores deteriorasset, adeout, vel in totum, vel in parte notabili pro usu prædicto inutiles reddidisset, hoc autem non obstante prætenderet Capitulum integras pagas conventas; hinc introducta lite coram Vicario ejusdem Basilicæ, quamvis ex primo motivorum, de quibus infra in prima disputatione crederem scribendo pro emptoribus, ut pro eis esset respondendum. Attamen, quia illud ex facto cessabat, quia nempe docebatur de ratificatione Capituli contenta in libro, in quo acta Capitularia registrari solent, idcirco isto solidiori motivo cessante consului, ut eo meliori, quo possent modo, se concordarent, ut credo sequutum, dum amplius post unicam disputationem de causa actum non audivi.

In dicta itaque unica disputatione, cum præsupposito, de 2
quo supra, non factæ ratificationis per Capitulum, dicebam, etiam cum sensu veritatis, casum esse planum favore emptorum contra venditorem, ut stante imperfectione contractus, atque pendente illa conditione suspensiva a cujus purificatione, vel implemento perfectio pendet, venditoris potius quam emptoris esset periculum juxta textum litteralem *in l. necessario, vers. plane, ff. de pericul. & commodo rei vend.* qui loquitur in individuo hujus casus incendii, & firmant communiter Scribentes, qui loqui non possunt contra textum expressum, & litteralem, cum solum eorum opiniones, & quæstiones intrent, ubi agatur de lege, quæ sit capax interpretationis ob aliquam dubietatem, sive ubi legum antinomia dignoscatur, ut advertunt Gomes. *to.* 2. *var. c.* 2. *n.* 32. Minsinger. *obser.* 36. *nu.* 4. *center.* 6. Rot. *dec.* 46. post Collect. Bonden. *ubi concordantes.*

Idque

Idque summa ratione, quoniam tam periculum, quam commodum dicuntur sequela dominii saltim habitualis, quod resultare dicitur ab isto contractu emptionis, & venditionis ob traditionem, quæ raro, & difficile omittitur ob moderna formularia Notariorum, ob quorum cautelas, & clausulas adesse dicitur, saltim ficta per clausulam con- 3 stituti, sive per verba, vel dictiones, *dans*, *transferens*, *&c.* & similia, unde cum pendente conditione suspensiva contractus dicatur in statu imperfectionis, atque dominium non abdicetur ab uno, neque transferatur in alium, quinimmo pendente conditione admittat pœnitentiam cum declarationibus, de quibus præsertim *disc. 61. de donat.* ubi late de ista materia facultatis pœnitendi pendente conditione a qua perfectio pendeat, cum illa dicatur differentia inter conditionem suspensivam, & resolutivam ex insinuatis eodem *disc. 61. ac etiam disc. 73. de testam. &* 154. *de fideic. & sæpius*.

Dubitandum vero non esse dicebam quin ratificatio Capituli importaret conditionem suspensivam, a qua contractus perfectio penderet ob expressam ejus reservationem 4 cum clausula *non alias, aliter, nec alio modo &c.* ob quam opus non esse dicebam assumere quæstionem potestatis Canonici Camerarii, quoniam ubi etiam illa adesset sufficiens, adeout de jure dicta ratificatio necessaria non esset, adhuc tamen ejus necessitas resultat a voluntate Partium, quæ sub ista conditione, & non alias contrahere voluerunt, ex deductis *d. disc. 61. de donat. & disc. 1. de alienat. & contract. prohib.* in proposito beneplaciti Apostolici reservati cum ista clausula, & alibi pluries, ac propterea causa fuisset in tuto, nisi ex facto cessasset præsuppositum,

Dicebam secundo, quod præcedenti motivo quoque non subsistente, adhuc idem dicendum esset, quoniam in arbo- 5 ribus cæduis in contractum deductis, utpota infixis solo ipsius Capituli, verificabilis non erat abdicatio dominii a Venditore, ejusque translatio in emptorem, cum dicantur pars inseparabilis a fundo, donec fiat incisio, & separatio juxta ea, quæ in materia fructuum pendentium habentur, præsertim *sub tit. de benef. disc. 81. cum seqq.* & alibi, ideoque cessare dicebam rationem, ob quam periculum transferatur in Emptorem, potissime vero ubi ea parte itius nulla concurrat, ut in hac facti specie non concurrebat culpa, vel mora, ob quam solat esse periculum culposi, quamvis non adsit dominium saltim habituale, tanquam pro limitatione regulæ, juxta ea, quæ in proposito periculi rerum consistentium in pondere, numero, vel mensura habentur *sup. disc. 6. & sub tit. de regal. disc. 118. & alibi*.

Ita etenim advertebam, quod ex parte venditoris, penes quem res vendita erat, verificari non poterat implementum contractus mediante traditione, & per consequens, quod nulla competaret actio ad petitionem pretii ad tritum vul- 6 garem *text. in l. Julianus*, §. *offerri*, *ff. de actionib. empt.* ea quo manat recepta propositio pariter vulgaris, & quotidiana, quæ generaliter habetur in omni contractu super exceptione non implementi admittenda in omni judicio, quamvis exequutivo, & privilegiato, quod scilicet ille, qui agit ea contractu correspectivo, docere debet, ex ajus parte de adimplemento non curando, an reus de illo doceat necne, ex relatis *disc. 20. n. 22. de judiciis*, & alibi frequenter, præsertim *sub tit. de cred.* ac etiam sub altero *de locato*.

Verum reflectendo ad veritatem ab initio requirentibus de more insinuatam, dubitabam de motivo sive de applicatione dictarum propositionum, quamvis in suis casibus essent veræ, quoniam in hujusmodi contractibus, qui promiscue sub nomine emptionis, & venditionis, vel sub altero locationis, & conductionis, vel appaltus, siva arrendamenti explicari solentur iis, quæ in vectigalibus, aliisque 7 Regalibus, vel salinis habentur pluries in sua sede, *sub tit. de Regal.* & in specie venditionis, vel locationis sylvæ cæduæ habentur *sub tit. de loc. disc. 46.* quoniam, ut advertitur *d. tit. de Reg.* præsertim *disc. 117. & in aliis*, ex celebri *cons. 156.* Socini *lib. 2.* in quæstione est cum solita opinionum scissura, an hujusmodi contractus veniat potius dicendus locationis, & conductionis, vel emptionis, & venditionis, sed quicquid sit sive unam, sive alteram redoleat speciam, in hoc proposito effectus est idem, quod scilicet in contractum non deducatur ipse fundus, sive ipsa causa productiva fructuum, minusque ipsi fructus de per se tanquam species, sed deducitur jus, vel facultas percipiendi fructus, & sic in proposito jus, vel facultas incidendi ligna, & arbores, ac propterea ob casum, qui in eis contingat, non dicitur deficere contractus, vel rei locatæ substantia, cum non cesset causa productiva, neque ipsa facultas incidendi, exercibilis, aut verificabilis in arboribus ab incendio præservatis, quamvis in minori quantitate, quinimmo in ipsismet, quæ incendium passæ fuerant, quamvis longa minoris aptitudinis, & utilitatis, ideoque damnum esse dicebatur in fructu potius quam in rei substantia, juxta distinctionem in proposito Appaltuum, sive defalchi, cujus prætensio Appaltatoribus vectigalium solet esse connaturalis, ut habetur pluries in dicta *Regalium sede*, distinguendo quando damnum dicatur in substantia, vel in fructu ob notabilem differentiam ex una, vel altera specie damni resultantem, ac propterea, postquam comperii, quod primum motivum imperfectionis contractus corrueret ex facto, consului, ut supra insinuatum est, ut curarent eo quo possent modo, se concordare, cum in hoc altero motivo, quod nimium placuerat causæ Patrono, ex cujus judicio in Curia apud Principales pendet æstimatio informationum Advocatorum, ita minus perito judicante labores, & opera magis peritorum, tutum fundamentum constituendum non esset.

Advertebam tamen, eodem sensu veritatis retento, quod 8 casus esset aliqua concordia, seu remissione pensionis dignus non solum ob illam non scriptam æquitatem & commiserationem, quæ ex hujusmodi infortuniis in humano sensu resultat, & quam Ecclesia, & Clerici, sive personæ Ecclesiasticæ magis colere debent, sed etiam de stricto rigore, ea ratione versionis in utilitatem, sive locupletationis de alieno, quod scilicet cum ob hujusmodi accidens, sive utiliter, sive inutiliter, succensas arbores præmature, & per annos ante præfinitum tempus incidere opus esset, uti de facto incisæ fuerunt, ita agrariæ artis regulis exigentibus, exinde resultabat, quod per annos anticiparetur, sive acceleraretur novus fructus, sive nova recollecta, quæ initiare dicitur ex ipso instanti, in quo fructus alterius recollectæ separatus est, ex insinuatis *d. disc. 81. & seqq. de benef. & disc. 24. de pension. ac etiam, disc. 160. de dote, & alibi*, cum illico post incisionem radices incipiant concipere, & respective producere novos renascentes virgultos, ex quibus beneficio temporis altera perficiatur sylva cædua, in cujus incisione consistit recollecta, & ob quam rationem *d. disc. 46. de locato*, firmatur, ut validitas pacti prohibentis emptori, vel conductori, ne ligna incisa auferre possit ad certum tempus, & propterea rei non habitæ solvat pretium, non quidem in pœnam, & ea sola ratione pacti, sed ex prædicta alia congrua ratione, unde illius utilitatis ratio haberi deberet.

FLORENTINA PRETII PRO HÆREDIBUS MARCHIONIS JOANNIS CORSI

CUM HÆREDIBUS FERDINANDI CAPPONII.

Discursus pro veritate.

De venditione facta pro pretio solvendo, quando emptor uxorem duxerit, vulgo *a tempo a moglie*, an emptore moriente, uxore non ducta, venditor habeat actionem ad pretium consequendum ab ejus hæredibus necne?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De iste contractu* a tempo a moglie *ubi agatur de ejus validitate.*
3 *Quomodo procedendum sit, ubi non habeantur speciales decisiones.*
4 *Quando tempus nuptiarum stet pro conditione, vel pro dilatione, & quid mors operetur.*
5 *Quomodo dignoscatur, an sit dilatio, vel conditio?*
6 *De eodem, & quod attendatur quantitas pretii.*
7 *De ratione, ob quam ad effectum conditionis requiratur magnus excessus in pretio.*
8 *An mors violenta debitoris ei præjudicet necne?*
9 *Conclusio responsi.*

DISC. LIII.

Emit Ferdinandus de anno 1647. a Joanne equum cursibus braviorum aptum vulgo *barbero* pro pretio scutorum centum quinquaginta, quos promisit solvere quando uxorem duceret vulgo *a tempo a moglie*, cum autem casus dederit quod Ferdinandus emptor uxore non ducta occisus fuisset, hinc inter ejus hæredes, ac illos venditoris,

ditoris; interim quoque defuncti, orta est quæstio, an dictum pretium solvendum esset necne, atque desuper ex parte hæredum venditoris consultus.

Respondi casum pro mea notitia videri novum, quod scilicet nemo ad hanc speciem descendat, quoniam licet plerique Moderni (cum antiquioribus ista species contractus
2 ignota esset) tractent de hujusmodi contractu *a tempo a moglie* ex relatis a Me *disc. 36. de usur.* Attamen percutiunt diversum punctum validitatis, vel invaliditatis, non autem istum, an scilicet mors ante purificatam conditionem liberet debitorem, vel e converso aperiat creditori actionem, ideoque tanquam in casu non deciso dixi procedendum es-
3 se cum regulis generalibus, vel a simili *ex deductis disc. 35. de judic.* & in opusculo styli, ac alibi.

Dicebam itaque cum generalitatibus procedendo, decisionem pendere a puncto, an tempus nuptiarum staret pro traditione, sub qua stipulatio solvendi in substantia concepta esset, adeout interim esset imperfecta, suam expectando perfectionem a conditionis purificatione, vel e converso staret pro dilatione, adeout ab initio perfecta esset obligatio,
4 dilata vero solum esset solutio, ut priori casu mortis, quæ certificat, conditionis purificationem esse impossibilem, evanescere faciat obligationem, secus autem in posteriori, in quo mors æquivalet purificationi conditionis, ad text. *in l. centesimis 46. §. Si ita stipulatus fuera, ff. de verb. obl.* ubi Bart. n. 2. plura ea pendit jura, quæ videntur contraria, eaque ita conciliat, & est distinctio recepta, de qua *disc. 108. de Feud. n. 30. & seqq. & disc. 3. de Legat. n. 5. & seqq.* ubi concordantes, & alibi, adeout quoad ea quæ juris sunt in abstracto, nulla videatur cadere quæstio, quæ ita remanet facti, & applicationis, an in una, vel in altera distinctionis parte versemur.

Ad id autem dignoscendum nostri Majores cum consueto vitio procedendi in sola littera legum, vel cum formalitate
5 verborum, vim constituere solent an processum fuerit per dictiones, & verba denotantia conditionem, vel respective exequutionem eodem modo quo facere solent in altera quæstione, *de qua disc. 154. de fideic. & disc. 73. de Testam.* an processum sit per viam conditionis, vel per viam modi, quod etiam habetur in materia donationis post mortem donatoris effectum sortituræ an scilicet mors percutiat substantiam vel solam exequutionem, ut in sua sede *sub tit. de Donat.* & alibi pluries.

Verum, ut locis citatis advertitur, id continet consuetam Juristarum simplicitatem, quoniam cum agatur de quæstione voluntatis, & sic potius facti quam juris, substantia veritatis ex facti circumstantiis desumenda, potius attendenda venit, quamvis verba in cortice, & attenta grammaticali significatione contrarium suadere videantur, ut advertitur, præsertim *d. disc. 154. de fideic. n. 12. disc. 103. de cred. in fine, & generaliter d. disc. 73. de Testam.*

Potissime vero ubi agatur de hujusmodi conventionibus, quæ in lingua materna cum brevibus apochis privatis fiant inter negotiatores, vel Nobiles idiotas juris non Professores absque Notariorum formulariis, vel Advocatorum consiliis, & cautelis, cum tunc magis de bono & æquo procedendum sit, spectata substantia verisimilis voluntatis.

Applicando autem ad rem, dicebam decisionem pendere ex quantitate pretii in contractum deducti, an scilicet illud
6 esset nimium excessivum, adeout alias redoleret usuram, vel enormissimam læsionem, quæ dolum, & turpem deceptionem redoleat, qualis erat casus, de quo *d. disc. 36. de Usur.* Vel e converso esset pretium valori proportionatum cum illo moderato excessu, qui pro communi usu adesse solet ratione dilationis præsertim incertæ, quæ ad multos annos protrahi posset, ut priori casu contractus habeat potius speciem sponsionis, & aleæ, sive ut vulgo dicitur *Lotto*, adeout illud magnum lucrum a purificatione conditionis speratum compensatum remaneat a periculo amittendi totum, quatenus conditio non purificetur, & per consequens importat conditionem, secus autem in posteriori, ex regula, quod ex pretii quantitate desumitur contrahentium voluntas, & quid in contractum deductum sit.

Ac propterea (applicando ad rem) cum hujusmodi equi nimium æstimabiles pro moribus præsertim Regionis esse
7 soleant, idcirco pretium conventum videtur non continere d. magnum excessum, dum magnus requiritur non solum ob periculum mortis emptoris, cum qua cessat spes purificationis conditionis, sed etiam quia in ejusdem emptoris, ac respective debitoris facultate repositum est pene illico, & ad breve tempus se liberare, atque conditionis purificationem reddere impossibilem, suscipiendo Ordines Sacros, igitur debet esse talis excessus, qui congrue, & adæquate istud periculum compenset, quod utique in hac facti specie non videbatur dici posse.

Considerabam quoque stante morte violenta an adaptari 8
possent ea quæ habentur *disc. 69. de Pens. & disc. 118. de Regal. n. 7. & seqq.* quasi quod culpa debitoris sequuta esset mors, atque sublata spes purificationis conditionis nuptiarum. Sed reflectendo ad veritatem non videbatur motivum considerabile, dum ea quæ habentur *disc. 69. de Pens.* illi innituntur fundamento, quod mors per manus justitiæ dicitur voluntaria positive culposa, sed ubi damnum, vel mors proveniant ab inimicis, tunc nimium raro, peneque unquam intrat obligatio refectionis, ex deductis *eod. disc. 118. de Regal.*

Ac propterea neglecto isto motivo ex altero adæqua- 9
tionis pretii, atque cessationis magni excessus pro hæredibus venditoris censui respondendum, ut scilicet tempus nuptiarum dilationis potius quam conditionis gratia adjectum esset.

ROMANA LÆSIONIS PRO LERCARIIS CUM JOSEPHO BAVA.

Casus decisus per Rotam pro Bava.

An in venditione judiciali sub hasta detur enormis, vel enormissima læsio, & quatenus detur, an sufficiat in sexto, vel debeat esse ultra dimidium; & de illius probatione?

SUMMARIUM.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *De nullitatibus solent agere Procuratores.*
3 *De probatione læsionis.*
4 *An hoc remedium læsionis detur contra tertium?*
5 *De eodem, & quare detur in casu enormissimæ.*
6 *Qualis læsio constituat enormissimam.*
7 *De eodem in Urbe ob Statutum.*
8 *De quæstione an in venditione sub hasta sufficiat sexta, vel requiratur etiam ultra dimidium.*
9 *De alia quæstione an in venditione sub hasta detur hoc remedium?*
10 *Quales auctoritates non merentur attendi.*
11 *Examinantur decisiones Rotæ, ut non sufficiat sexta.*
12 *De eodem de quo n. 10. circa auctoritates DD.*
13 *De auctoritatibus ut sufficiat sexta.*
14 *De propositione quod factum Judicis reputetur factum Partis.*
15 *De differentiis inter principalem, & Judicem.*
16 *De cautione præstanda per creditores recipientes pretium.*
17 *De differentia inter procuratorem voluntarium, & administratorem legalem.*
18 *Qualis differentia sit inter creditorem licitantem, & tertium.*
19 *Alia differentia in casu quod subhastatio detegatur justa.*
20 *Et de puncto restitutionis fructuum in casu enormissimæ læsionis.*
21 *Ad quid prosit oblatio, quam emptor faciat restituendi bona licitata.*
22 *Concluditur quomodo ista materia debeat regulari.*

DISC. LIV.

PRo executione mandati obtenti per Desiderium Od- 1
dum contra Joannem Baptistam Bighezam, subhastatæ fuerunt duæ domus, & decem granaria deliberata eidem Desiderio majori oblatori pro summa sibi debita, atque pro eadem summa data fuerunt in solutum Josepho Bavæ creditori, contra quem idem Bigheza, sive Lercarii ejus hæredes judicium instituerunt reintegrationis ex capite nullitatis subhastationis, vel ex alio enormissimæ læsionis coram Judice Basilicæ Vaticanæ, a quo prodiit sententia rei conventi absolutoria, introductaque causa in Rota coram Taja sub die 27. Junii 1672. prodiit resolutio reis conventis pariter favorabilis super exclusione nullitatis subhastationis; in repropositione vero sub die ... 1674. cum tam in facto quam in jure læsio nimium stringeretur ex parte Actorum, reus autem repeteret oblationem, quæ initio judicii supponebatur etiam facta restituendi bona, refectis pretio, & aliquibus melioramentis, Rota huic oblationi acquiescente, absque alia discussione persitum fuit in de-

indecisa, sed cum Actores obligationem recusarent, ob notabile interesse fructuum medii temporis, & expensarum, idcirco causa adhuc pendet, atque in istis disputationibus duæ erant inspectiones, una scilicet nullitatis subhastationis, & deliberationis ratione ordinis male servati, vel excessus, & altera læsionis.

2 In prima modicæ fuerunt meæ partes, quoniam positis defectibus, qui per actores supponebantur, planum erat de jure ut resultaret nullitas, adeo ut nulla in puncto juris cadere dubitatio, quæ tota erat facti, an adesset nec ne talis defectus negatus a parte Rei, cui Judices adhæserunt, ideoque in hoc pro Curiæ stylo versaretur potius opera causæ Patroni.

3 Altera inspectio læsionis in alias duas etiam subdistinguebatur, unam scilicet facti super justo valore, ex quo pendebat, an læsio adesset necne, & altera juris, super effectibus ex qualitate probatæ læsionis resultantibus.

Prior pars quoque facti potius erat, quamvis etenim quamplures juris propositiones caderent, de quibus supra *disc. 40. de judiciis*, & alibi, super modo scilicet æstimandi, ac fide testibus, vel peritis adhibenda, nec non super deductionibus a pretio faciendis ob circumstantias minuentes, illam præsertim in hujusmodi venditionibus judicialibus considerari solitam, ut emptori remaneat bene consultum in casu evictionis, vel molestiarum, cum similibus, ideoque per Scribentes hincinde pro consueto moderno abusu conficerentur pene volumina, cum copiosis allegationum cumulis super propositionibus hodie præsupponendis concordato facto, nihilominus erroneum, vel superfluum videtur desuper deducta recensere, cum revera non sit materia capax regularum generalium, quæ paraformiter omnibus casibus applicari valeant, cum decisio pendeat a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, & per consequens remanet potius quæstio facti, & applicationis quam juris.

4 Prout, quamvis initio aliqualiter actum esset de puncto supra *disc. 25.* an remedium rescissorium, ex capite enormis læsionis, ad simplices terminos text. *in l. 2. C. de rescind. vend.* sit exercibile contra tertium, attamen opus non fuit in eo immorari, tum quia reus conventus id non opponebat, sed bonorum restitutionem offerebat ut supra, & quæ oblatio fuit potissima causa resolutionum, inhærendo alias firmatis in consimili casu *dec. 112. p. 10. rec.*

5 Tum etiam quia actores insistebant principaliter super qualitate læsionis enormissimæ redolentis dolum pro effectu fructuum medii temporis in ista specie venientium, non autem in altera simplicis læsionis enormis ea insinuatis etiam supra *disc. 44.* eaque posita non dubitatur de actionis exercitio contra tertium ea eadem ratione, ob quam veniunt fructus, quod scilicet ista species læsionis ob dolum, quem complicare dicitur, producit nullitatem, cujus operatio est, ut dominium nunquam censeatur abdicatum ab eo, qui subhastationem passus est, vel respective venditionem facit, & per consequens rem suam e quocumque possessore vendicat jure dominii, iste concurrente differentia inter principalem emptorem, seu deliberatarium, & tertium, ut contra illum ratione malæ fidei a dolo præsumpto resultantis veniant fructus ab initio, contra illum vero nonnisi e die motæ litis, seu quod alias malæ fidei possessor effectus fuerit.

6 Major igitur, peneque tota juris quæstio fuit super qualitate læsionis an dicenda esset enormissima, idque principaliter pendebat a puncto regulationis simplicis læsionis enormis, an in hac venditione judiciali sub hasta esse deberet eodem modo quo in venditione conventionali juxta terminos textus *in l. 2. Cod. de rescind. vendit. & cap. 2. & 3. de empt. & vendit.* cum excessu ultra dimidiam, ut propterea, juxta opinionem enunciatam supra *disc. 27.* cum qua hodie in Curia proceditur, ad constituendam enormissimam requiratur excessus ultra bessem, vel potius pro enormi sufficiat ultra sextam, ut ita cum sua proportione arithmetica inferri posset ad enormissimam ex aliquo majori excessu notabili, quamvis non sit in besse, vel in dimidio.

7 Ut etiam pluries in facti contingentia dicere consuevi in iis casibus, in quibus intraret Statutum Urbis enunciatum supra *disc. 28.* & in aliis, per quod ad enormem sufficit tertia, quoniam ita pro enormissima desiderandus non videtur excessus in besse, qui sufficit ad terminos juris communis, quibus attentis pro enormi requiritur dimidium, sed attendi debet eadem proportio cum illa arithmetica regula, quæ vulgo *del trè* dicitur.

In hoc igitur puncto, an scilicet venditio sub hasta differat necne a voluntaria, ut propterea requiratur etiam excessus in dimidio, vel potius sufficiat in sexta, dicebant Scribentes pro reo, quibus hucusque Rota adhæsit, non tamen absque aliquorum, præsertim autem Ponentis dissensu, quod licet DD. Regnicolæ hanc retineant opinionem, ut in sexta sufficiat læsio, ut patet ex Franch. *dec. 120. & 224.* Ubi add. a Ponta *de Potestate proreg. tit. de regal. imposit. §. 5. num. 8. & seqq. cum aliis* apud Bich. *dec. 609. & d. disc. 40.*
de judic. attamen Rota inconcussè contrariam sequitur opi- 8
nionem ab antiquo firmatam apud Seraph. *dec. 1478.* cum qua consuevit pertransire, adeout quamvis de anno 1654. apud Bich. *dicta decis. 609.* (quia forte doctus Extensor illum quoque haberet sensum) in prædictam opinionem inclinerut, attamen postea declaratum fuit, illam non esse decisionem Tribunalis, sed potius discursum Extensoris, ut præsertim habetur *dec. 270. par. 14. recent.* atque a Me, licet obiter, insequendo sensum Rotæ insinuatur supra *disc. 16. & 28. & alibi*, & sic quod illa esset opinio particularis derivata potius ex illorum Tribunalium stylo in Rota, & Curia non attendendo, ubi procedendum esset cum dispositione juris communis, tam civilis *in d. l. 2. C. de rescind. vend.* quam fortius Canonici *in d. c. 2. & 3. de empt. & vendit.*

His tamen non obstantibus etiam cum sensu veritatis jam de illarum dispositionum tempore explicato *d. disc. 40. de jud. n. 65. & seq.* contrarium etiam in puncto juris communis verius esse dicebam, quodque propterea dicta opinio Regnicolarum non ex particulari stylo, sed a juris communis dispositione, vel ratione, atque a sensu antiquorum Interpretum, & primorum Magistrorum proveniret.

Priusquam vero ad hujus assumpti probationem deveniretur, insistebam super æquivoco, a quo originata fuit hæc opinio, cum qua Rota, & Curia hucusque processit.

9 Siquidem apud DD. quæstio est in genere an venditio quæ judiciali auctoritate ad hastam publicam fiat, subjaceat necne huic rescissorio remedio ex capite læsionis, adeout intret dispositio, vel ratio præfati text. in *l. 2.* non distinguendo speciem læsionis, an sit enormis, vel enormissima, sive quando unam, vel alteram speciem redoleat, plerisque negativam simpliciter tenentibus, quasi quod judicialis auctoritas omnem sanet defectum, aliis vero contrariam tenentibus opinionem affirmativam, & aliis distinguentibus, seu conciliantibus, an venditio ad hastam publicam fiat voluntarie per ipsummet Dominum, vel potius eo invito fiat per Judicem ex officio, ut patet ex relatis per Cagnol. *dict. l. 2. n. 157. & seqq.* Gabr. *de empt. & vendit. concl. 1. n. 61. & seq.* Anna *alleg. 43. n. 6. & seq.* Surd. *cons. 39. n. 4.*

In isto itaque conflictu, Rota secuta opinionem affirmativam, sive distinguentem ut supra, quod scilicet etiam in casu in quo fiat cum auctoritate Judicis, attendatur læsio, ut præsertim apud Cavaler. *dec. 187. & 358.* ex quibus patet quod cum dictis auctoritatibus procederet, dictaque deciditur quæstio, ex qua manat æquivocum, quoniam aliud est agere an rescissio ex capite læsionis ad terminos dicti text. *in l. 2.* intret necne in genere, sive in abstracto; & aliud est an posita affirmativa debeat læsio præcise regulari juxta dispositionem ejusdem textus, qui percussit terminos voluntariæ, & conventionalis venditionis, ac propterea decisiones, & auctoritates percutientes dictam quæstionem generalem super substantia hujus remedii in genere, ponendæ sunt ad partes, & non bene adaptantur ad alteram diversam quæstionem super qualitate, vel quantitate excessus in hac judiciali venditione, cum termini sint diversi, diversaque sit ratio.

10 Quatenus itaque pertinet ad istam quæstionem particularem, quamvis opinio pragmaticorum sit, ut id firmatum fuerit ab antiquo tempore coram Seraph. *d. dec. 1478.* attamen, ut ejus lectura probat, id obiter articulo non examinato absque aliqua auctoritate, vel ratione, dicitur, ideoque decisionis nomen in hac parte non meretur, ex insinuatis *disc. 35. de jud. n. 77. & disc. 32. n. 80. in relat. Cur.*

11 Deinde vero id positive dictum fuit de anno 1614. in Spoletana coram Pamphilio, qui postmodum fuit Pontifex Innoc. X. *dec. 648. par. 1. rec. n. 5.* cum qua simpliciter pro moderno pragmatico usu, una decisione alteram insequente, proceditur in aliis, & præsertim *dec. 53. n. 1.* apud Posth. *de subhast. dec. 12. n. fin. part. 12. recent. & dicta decis. 270. n. 14. par. 14. & in aliis.*

Sed pariter dignoscitur æquivocum *dict. primæ dec. 548. part. 1.* a qua revera aliæ pendent, quoniam ut ex ea patet, proceditur cum præmissis, & aliis auctoritatibus percutientibus

tibus dictam priorem diversam quæstionem, ita capiendo
12 quid pro quo, ideoque posterioribus decisionibus recte congruere videntur ea, quæ circa numerum Doctorum habentur *eadem disc. 35. de judic.* adhibendo exemplum testium deponentium de auditu originato ab uno, qui detegatur mendax, vel male informatus, ut eorum nullatenus, attento numero, quamvis esset millenarius, nulla fide digni sint, nullamque faciant probationem.

E converso dicebam quod examinando punctum tam per auctoritates, quam per rationes, altera opinio, ut sufficiat sexta, omnino verior censenda sit.

13 Attentis etenim auctoritatibus, id bene, ac explicite firmat loquendo de venditione facta per Arbitrum, Bart. *in l. si societatem, §. arbitrorum, num. 25. ff. pro soc.* quem omnes in hac propositione agnoscunt in Magistrum, eumque sequuntur Castr. Alex. Curt. & alii relati per Franch. *d. dec. 224. n. 2.* & bene advertit a Pont. *ubi supra*, ac sequuntur alii relati *in d. dec. 609.* Bich. *n. 6.* quamvis plures ex ais, ut sunt præsertim Mangil. & Posth. & similes non mereantur numereri, tanquam collectores, qui pro eorum stylo non examinando punctum, neque ejus difficultatem gustando, sunt simplices relatores, atque de facili confundant triticum cum palea, unde tot æquivoca, & confusiones manant, ac propterea faciendo auctoritatum combinationem, ad evidentiam patet, quod illæ huic assistunt opinioni.

14 Clarius vero eidem opinioni assistunt rationes, quoniam licet vera sit propositio, in qua præsertim potissimum constituitur fundamentum in supradictis Rotæ decisionibus, & præcipue *d. dec. 270. p. 14. rec. n. 15.* quod factum Judicis reputatur factum partis, attamen illud dicitur factum gestum a Judice tanquam a legali, & necessario procuratore, seu administratore debitoris ad effectum evictionis, aliosque effectus eodem modo quo si fiat ab Arbitratore, cui assimilandus est, & de quo loquitur Bart. *ubi supra*.

15 Magna etiam dignoscitur differentia inter ipsum principalem venditorem, & ejus legalem necessarium administratorem, ex pluribus, primo nempe quia principalis venditor præsumitur informatus, unde vendendo minus justo pretio, sibi imputet, cur se circumveniri passus est ab emptore, secundo quia habet liberam suorum bonorum administrationem, & dispositionem, ideoque potest donare, vel remittere in totum, & multo magis in parte, quod in Judice tanquam legali administratore, & qui a lege supponitur bonus, & prudens vir, non est verificabile, & tertio quia sæpe contingit quod ob aliquam urgentem necessitatem, & congruentiam expediat vendere minus justo pretio etiam scienter, cum sæpius plus valeant decem hodie quam centum cras, ac etiam potest quis sciens, & volens vendere minus ad captandam gratiam, vel benevolentiam emptoris, vel ad alium finem, quæ omnia cessant in Judice, & præcipue cessat ratio, seu motivum necessitatis, vel imminentis urgentiæ, dum per legem provisum est, quod non reperto justo oblatore bona adjudicentur ipsis creditoribus pro justo pretio ad æstimationem, ex qua de magis communi, rationabili quidem, & commendabili praxi detrahitur ista sexta.

16 Fortius vero in nostris modernis temporibus, & post introductam pariter nimium rationabilem, & commendatione dignam praxim, de qua *disc. 53. & seqq. de credit. & eadem disc. 45. de judic.* & pluries *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, & alibi, ut creditores, quibus liberandum est pretium, caveant de restituendo in casu evictionis, & molestiarum, dum ita cessat illa ratio deficientiæ cautelæ evictionis, ob quam valor nimium diminui solat, ut etiam ponderatur *d. disc. 40. de judic.*

17 In idem quoque conferunt ea, quæ apud Cagnol. *d. l. 2. n. 166.* & alios habentur circa differentiam, quæ constituitur inter Procuratorem, vel alium voluntarium administratorem venditoris, & administratorem legalem necessarium, ut scilicet priori casu requiratur eadem læsio enormis ultra dimidiam perinde ac si ab ipso principali venditio facta sit, vel quia præsumendus sit procurator a principali instructus, vel quia sibi imputandum est cur minus providum, minusque diligentem præfecerit illi administrationi quam per se ipsum facere poterat, ac etiam ob favorem libertatis commercii, quod frequenter per mandatarios, & correspondales, seu ministros exercetur, & sub cujus voluntarii administratoris genere venit etiam creditor, qui ex facultate sibi per venditorem attributa vendat pignus. Secus autem ubi agatur de tutore, vel Curatore, vel œconomo piorum locorum, & simili legali administratore, qualis dicendus est Judex, cujus factum (ut præmissum est) reputatur quidem Partis, cujus nomine, ac vice actus geritur ad effectum obligationis evictionis, ac translationis dominii, aliosque similes effectus, non autem ut facultatem habeat donandi, vel profundendi quod non est suum, dum ut advertitur *disc. 44. de jud.* & alibi occasione agendi de remedio possessorio reintegrandæ, vel retinendæ competente adversus factum Judicis nullum, seu valde injustum, quando Judex non bene suas explet partes, dicitur potius prædo, & spoliator, ideoque merito ista videtur ineptia generaliter, & indefinite intelligendi, & practicandi dictam propositionem, quod factum Judicis reputetur factum Partis, cum sit quidem vera, sed discrete intelligenda in suis casibus, & effectibus respectiva.

Procedunt hæc, etiam ubi adversus tertium licitatorem 18 hoc rescissorium remedium ex capite læsionis intentetur, multo vero magis, atque cum longa minori dubitandi ratione, quando (ut in præsenti) esset licitator idem creditor, ad cujus instantiam fiat subhastatio, quoniam licet, ut advertitur *d. disc. 40. de jud.* & alibi, & præsertim *disc. 32. de credito*, occasione agendi de jure offerendi, non prohibeatur creditor publice, & palam licitari per se ipsum, vel per substitutum, ne alias sit deterioris conditionis quocumque extraneo, cum dispositio textus *in l. & qui sub imagine, C. de distract. pignor.* procedat in illa subhastatione, quam faciat ipse creditor, nihilominus adhuc notabilis differentia dignoscitur inter ipsum, & tertium, qui dici valet oblator quodammodo necessarius, ob necessitatem cui subjacet recipiendi adjudicationem ut supra, quatenus justus non reperiatur oblator.

Atque hinc rationabiliter quidem inter istum casum, in quo ipse creditor licitetur, & alterum, in quo sit tertius licitator, constituitur differentia per Rot. apud Rojas *dec. 284.* super conclusione, de qua apud Franch. *dec. 120. & alios*; quod si subhastatio, quæ ex actis valida sit, detegatur injuste, non competet illi, qui eam passus est, actio contra tertium licitatorem, sed solum contra ipsum creditorem ad restitutionem accepti pretii, quatenus non sit in dolo, quo accedente etiam ad damna, & interesse, secus autem si ipsemet sit licitator, ut etiam hanc differentiam inter tertium, & ipsummet creditorem in venditione pignoris conventionalis considerant Doctores, & præsertim Cagnol. *d. l. 2. n. 211.*

Istaque conclusio ponderanda quoque venit pro una ex rationibus, ob quas omnino verior censenda est dicta opinio, ut sufficiat sexta, quoniam in casu in quo detegatur citra dolum creditoris indebitum, ad aliud creditor non tenebitur nisi ad restitutionem accepti, quod potest esse modicum, si permittatur læsio infra dimidium, cum pluribusque aliis effectibus præjudicialibus, ac propterea liquet quod sive attendantur auctoritates, sive rationes, ista opinio omnino probabilior censenda est, quodque altera nullum habeat, nec rationis, nec auctoritatis fomentum, sed derivet ab æquivoco, & erroneo principio capiendi quid pro quo.

Atque hinc semper magis, ac magis monemur, quam 19 magnus, ac evidens error sit procedere cum auctoritatibus ad litteram, & in sola earum fide absque discursu, vel ratiocinio, indagando earum principium, ac rationem pro congrua applicatione, cum ita de facili incidatur in æquivoca, ut latius advertitur *disc. 35. de judic. & alibi*.

Quamvis autem ex præmissis de facili cum arithmetica 20 proportione ut supra, in hac specie judicialis venditionis admittenda veniat læsio enormissima pro irritatione actorum ad alios effectus exinde resultantes, attamen ut advertitur *eod. disc. 40. de judic.* ac etiam *disc. præc.* non de facili admittendus est ille effectus, qui tali casu tribuitur huic læsioni, restitutionis nempe fructuum ab initio ratione malæ fidei, quoties illa præsumptio quæ a lege manat, aliud non habeat fomentum facti saltim adminiculativum, cum ita possessor hujusmodi legalium subtilitatum ignarus versari potuerit in bona fide, ac etiam quia improbabile videtur, ut interim ille, qui subhastationem passus est, obtineat istam favorabilem sequelam dominii pro cursu, & perceptione fructuum, atque non subjaceat alteri sequelæ odiosæ, & præjudiciali periculi, vel diminutionis interim contingentis, ac propterea elapatur eadem ratio claudicationis, & inæqualitatis de qua supra *disc. 32.* & in aliis, quoniam si res periret, vel notabilem pateretur diminutionem ille, qui subhastationem passus est, nil motivaret, neque licitator aliquam contra ipsum haberet actionem, ideoque justum non est ut commodum fructuum & augmenti intermedii habere debeat, præterquam in odium dolosi, & sic ubi adsit mala fides vera, adeout non concurrat solum dolus præsumptus a lege, sed juris præsumptio aliud

habeat

habeat quoque facti fomentum, isteque pariter est unus de erronibus procedentium cum solis generalitatibus, & in littera absque discursu, vel ratiocinio.

Fortius vero ubi e converso aliquæ accedant bonæ fidei argumenta; sive adminicula, inter quæ ad rem considerabile videtur illud, in quo ut supra, magnum peneque totum constitutum est fundamentum oblationis factæ per posses-
21 sorem dimittendi bona restituto pretio, non quod ista sola circumstantia, sola & de per se sufficiat, quando ex aliis constet de dolo, & mala fide emptoris, & possessoris, cum sæpius esse possit affectata cautela, quam offerens scit ob suffocationem, ac malum statum debitoris esse inanem, unde merito in casu de quo agunt superius allegatæ dec. 112. p. 10. rec. post melius justificatam læsionem cum circumstantiis dolum verum redolentibus ista obligatione neglecta a prædictis decisionibus 15. Decembris 1670. coram Albergato recessum fuit, sed bene est vehemens, & considerabile bonæ fidei argumentum, sive adminiculum exclusivum illius malæ præsumptionis, quam lex ex læsione in pretio deducit.

Ac propterea concludendum est, ut ex singulorum casuum particularibus circumstantiis, non autem ex generalibus pro- 22
positionibus, vel ex auctoritatibus, & decisionibus, quæ diversos percutiant casus, & sic potius ex facto quam ex jure decisio pendeat, ista materia regulari debeat, atque ad hunc effectum intret differentia inter principalem, & tertium.

S U M M A,

S I V E

C O M P E N D I U M

Eorum, quæ continentur in hoc titulo de Emptione, & Venditione.

S U M M A R I U M.

1 *Contractus emptionis, & venditionis est frequens, & de jure gentium.*
2 *Distinguitur a permutatione, quæ continet contractum diversum.*
3 *In Foro est materia angusta.*
4 *De tribus essentialibus requisitis emptionis, & venditionis.*
5 *Eadem desiderantur in datione in solutum.*
6 *De quæstionibus circa defectum potestatis vendendi ob inhabilitatem resultantem a natura, vel a lege.*
7 *De promissione de vendendo, an importet venditionem, & quid importet?*
8 *De aliis quæstionibus cadentibus super requisito consensus.*
9 *Requiritur, ut sit res certa, & quando etiam incerta cadat sub isto contractu.*
10 *De rebus, quæ non sint in libero commercio, atque in istum contractum non deducantur.*
11 *Quid in istis bonis importet conventio partium, & an intret pœnitentia?*
12 *Secunda emptio habens solemnitatem necessariam prævalet primæ.*
13 *Debitor, qui bona hypothecavit, non prohibetur ea vendere.*
14 *Possunt etiam vendi bona posita sub pignore prætorio.*
15 *Impositio servitutis non prohibet potestatem vendendi.*
16 *Quid de vitio litigiosi.*
17 *Etiam res aliena vendi potest, & quomodo.*
18 *Pretium debet esse certum, & in quantitate, pro qua species dari potest.*
19 *Quando incertitudo pretii obstet necne perfectioni contractus venditionis.*
20 *Data perfectione periculum, & commodum, ac fructus sunt emptoris, & ad quid requiratur traditio.*
21 *In iis quæ consistunt in pondere, numero, vel mensura periculum est venditoris, donec sequatur traditio, seu actus numerationis.*
22 *Quando etiam his casibus sit etiam emptoris.*
23 *Læsio enormis causat rescissionem contractus interim validi.*
24 *Enormissima vero nullitatem.*
25 *De differentiis inter unam, & alteram speciem læsionis, & de effectibus exinde resultantibus.*
26 *Quando dicatur enormis, vel enormissima.*
27 *An circa enormem aliqua sit differentia inter emptorem & venditorem?*
28 *Pacta minuunt de pretio, præsertim illud redimendi, vel minor cautela.*
29 *De privilegiatis, in quibus læsio sufficit in sexta parte.*
30 *Quid in venditione sub hasta.*
31 *Evictio inest contractui, ac debetur, quamvis non promissa, & quando præstanda non sit.*
32 *Quando evictio ex natura rei, vel ob juris alieni scientiam præstanda non est, adhuc debet præstari ob factum culposum venditoris.*
33 *Etiam in casu quo præstanda non sit, intrat obligatio ad restitutionem pretii, & quid differat evictio a restitutione pretii.*
34 *De evictione præstanda, ubi vendatur hæreditas, vel feudum, seu alia universitas.*
35 *Quid censeatur deductum in contractum, an tota res vel ejus pars, & quæ onera &c.?*
36 *De actione quanti minoris, vel quanti majoris.*
37 *Si evincatur res in parte, seu diversæ qualitatis detegatur, an contractus resolvatur &c.?*
38 *De actione redhibitoria.*
39 *An imminente evictione emptor neget solutionem pretii?*
40 *Evictionis actio non competit, nisi ea sequatur per abdicationem dominii, non autem in Salviano, vel possessoria.*
41 *Neque ei, qui litem non denunciavit, nisi justitia evictionis sit clara.*
42 *Si venditor rem evictam recuperat, an emptor eam recipere teneatur?*
43 *Emptor potest evictionem prævenire per transactionem, & venditor tenetur supplere.*
44 *Sed ad id non tenetur.*
45 *Dominus vindicat rem suam ab eo, qui emit a non Domino, non restituto pretio.*
46 *Quid ubi quis a non Domino redimat, ut Domino rem gratam faciat.*
47 *An ementes in Emporiis publicis, vel nundinis, & portubus sint tuti?*
48 *Emens sub hasta rem alienam non redditur tutus a Domino, quamvis redderetur tutus a creditoribus.*
49 *De securitate ementium bona defuncti ab hærede beneficiato, quæ non procedat.*
50 *De ementibus ab hostibus, & aliis, qui jure belli bona occuparunt.*
51 *Si emens sub hasta est tutus a jure offerendi, & quid de ipsemet creditore emente.*
52 *Emens a debitore subjacet juri offerendi, quod competit posterioribus.*
53 *Quando emens sub hasta ad instantiam creditorum posteriorum reddatur tutus ab hypothecis anteriorum.*
54 *Creditores consentientes venditioni, vel eam approbantes, non possunt molestare emptorem.*
55 *De securitate ementium in vim Bullæ Baronum.*

56 *Ex*

56 *Et de securitate ementium loca montium, vel officia venalia, aliaque jura Regalia, seu cum Principe.*
57 *Emens rem sub simulato nomine alterius, an sit emptor, & Dominus? distinguitur.*
58 *Emens rem nomine proprio de aliena pecunia est Dominus, & sibi acquirit, & quid in hærede gravato fideicommisso.*
59 *De emptione facta pro persona nominanda, & de effectibus &c.*
60 *An emptio, & venditio censeatur facta ad corpus, vel ad mensuram, & de mensura, quando facta præsumatur?*
61 *An fodina, & alia, quæ sunt sub solo, seu superficie veniunt sub venditione?*
62 *De pacto commissorio.*
63 *De addictione in diem.*
64 *De pacto resolutivo, & de alio de retrovendendo, & de pluribus ad hanc materiam circa præsumptionem, vel pretium, ac solemnitates.*
65 *De retractu legali, & conventionali adversus emptorem*
66 *Obligationes causativæ emptoris cessant, re evicta, vel amissa.*
67 *An & quando emens se tueatur cum juribus creditoris dimissi, vel ejus, qui in contractu intervenit?*
68 *De concursu venditoris pro pretio cum creditoribus emptoris.*
69 *De fructibus recompensativis, seu usuris pretii.*
70 *De emptione, & venditione ad vitam, ejusque materia.*
71 *De venditionibus bonorum prohibitorum cum Principis licentia, vel dispensatione.*

1 QUamvis omnium humanorum actuum frequentior iste sit emptionis, & venditionis, utpote humano usui, & commercio magis necessarius, adeout juri gentium potius quam positivo referatur, quæstione cadente, circa modum, ob interventum pecuniæ, quæ ex positiva publica auctoritate introducta est, sive circa vocabulum, quasi quod, gentium jure attento, permutatio rei cum re pro utriusque agentis opportunitate potius quam vera emptio, & venditio, pecunia mediente, in usu esset,
2 de quibus Scholis, & Academiis magis quam Foro agere congruit, distinguente Foro istos venditionis, ac permutationis contractus tanquam diversos.

Atque hinc majoris frequentiæ ratione, omnium amplior ista materia, primo aspectu, vel inconsiderato humano sensu esse videatur, contrarium tamen Fori praxis
3 docet, cum ob pene certas, ac determinatas regulas, quæ desuper habentur, omnium fere brevior, magisque angusta apud Forenses dignoscatur, quamvis ampliorem scholasticis disputandi occasionem præbeat, circa ea, quæ Foro inutilia sunt.

Notoria siquidem, ac determinata sunt hujus contractus tria essentialia requisita copulative desiderata, in perfectu
4 scilicet consensu, re certa, pretiove certo consistentia, sine quibus valida, perfectaque emptio & venditio non datur,
5 *a* sive in solutum datio, quæ emptionis, & venditionis speciem habet, ejusque jure in omnibus metitur. *b*

Sub primi autem requisiti verificatione quæstiones cadunt, judicii imperfectionem, vel aliam prohibitionem,
6 sive inhabilitatem absque certa forma, vel solemnitate percutientes, ut in pupillis, minoribus, amentibus, aliisque imperfectum judicium habentibus, vel in Civitatibus, & Ecclesiis, aliisque sub necessaria legali administratione viventibus dignoscitur, quod alienationum, & contractuum genericam inspectionem potius continet, quam hujus contractus peculiarem naturam, ideoque sub eo genere id cadit. *c*

Idemque ubi etiam inter habentes perfectum judicium, liberamque suorum bonorum administrationem, quæstio cadat super ipsius consensus perfectione, ac legitima conjunctione, quæ in omni contractu, vel alienatione necessaria est, atque inter absentes fit per acceptationem litterarum. *d*

Potissime autem in isto contractu frequens inspectio cadere solet super promissione de emendo, vel vendendo, ab
7 ipsa emptione, vel venditione discreta, & quæ differentia inter unam, ac alteram speciem dignoscatur, quæ notabilis est, quoniam ubi etiam promissio valida, & perfecta sit, adeout pœnitentiam excludat, atque promittentem ad observantiam obliget, non tamen jus reale tribuit promissario, neque dominii translationem aliam actualem, vel habitualem producit, solumque actionem ad factum, vel ad quanti interest, non impedientem posteriorem dominii translationem in alterum a promissarii molestiis tutum, ubi fraudis vel causæ lucrativæ junctæ cum subsidio, ratio aliter non exiget, e nisi hypotheca promissarii favore prius contracta pro observantia promissorum, actionem rei persecutoriam, jure tamen crediti potius quam dominii, aliter statuat.

Atque sub ejusdem primi requisiti consensus inspectione cadunt etiam ea, quæ super pacto commissorio, vel addictionis in diem, seu de retrovendendo, aut redimendo respective, aut super pactis resolutivis, vel sub simu- 8
latione personæ, ut infra, disputari solent.

Quo vero ad alterum requisitum rei, quæ in hujusmodi contractum deducta sit, aliud est ipsius rei materialis certitudo, ac existentia de facto, (cum super re incerta, vel non extante non detur valida, & perfecta emptio, 9
& venditio) aliud vero, ut res extet, atque certa sit, ea tamen commercii libertatem non admittat, neque sit libere deducibilis in hujusmodi contractum.

Non tamen rei certa existentia & pertinentia de facto præcise necessaria est, cum sufficiat existentia juris, vel spei, sive actionis, quæ in re, vel ad rem habeatur, quamvis eventus eam inanem reddat, cum jactum retis, incertamque aleam, vel spem, in istum contractum deduci lex non vetet. *f*

Ubi vero ipsius rei certæ, ac extantis talis sit qualitas, ut privatum liberum commercium non admittat, absque certa solemnitate, vel alterius assensu, ut sunt res Sacræ, 10
Sanctæ, & Religiosæ, ac etiam sunt feuda certa, & recta, officia venalia, loca montium, aliaque jura Regalia, vel etiam bona indifferentia, quæ ob emphyteuticam, vel fideicommissariam qualitatem, seu alias expressam habeant hominis prohibitionem, quæ translationem dominii omnino prohibeat, tunc in his ac similibus casibus, ob rei vitium, vel incapacitatem, iste contractus perfectus, ac 11
dominii translativus non intrat, sed ipsorum contrahentium conventio in simplicem tractatum de vendendo resolvitur, solamque velleitatem importat, donec accedat id, quod contractum perficit, unde propterea pœnitentiæ locus integer remanet, vel actionem personalem solum producit ad quanti interest conventionem servari, nullum vero jus reale tribuit, adeout secunda emptio, quæ as- 12
sensum, vel aliam circumstantiam perficientem habeat, primæ tanquam inutili prævaleat, seu aliud jus reale posteriori valide contrahenti tribuat. *g*

Bona vero, vel jura indifferentia, in istum contractum 13
deduci, hypotheca quantumvis speciali, ac privilegiata, etiam ea, quæ ex impositione census resultat, non pro- 14
hibet; *h* quinimmo neque prætorium pignus, quod per exequutionem judiciali auctoritate factam resultet; *i* sive impositio servitutis; *l* aut litis pendentia (nonnisi cer- 15
tis casibus) id vetant *m* quoad ipsos contrahentes quorum respectu, etiam res aliena (Domino non contradicente) 16
vendi potest, salvo tamen in his omnibus jure Domini, 17
vel creditoris, aut alterius, cui legitime jus reale, vel rei persecutorium quæsitum sit.

In tertio demum requisito pretii, istud debet esse certum, & in quantitate, non autem in specie, cum hoc secundo casu, permutatio potius quam emptio, & venditio dicatur, quamvis conventæ quantitatis loco, prohi- 18
bitum non sit speciem ex pacto recipi debere, eamque in facultate solvendi consistere. *n*

Intrinseca vero, seu habitualis certitudo pretii sufficit, quamvis contrahentibus de tempore contractus obscura sit, 19
puta quia ad æstimationem ab arbitrio, vel a peritis faciendam venditio facta sit, quoties tamen ea sequetur, quæ actum perficit; ubi vero ex voluntatis, vel potestatis defectu, seu alias non sequatur, intrat quæstio imperfectionis, ac pœnitentiæ, cum plurium casuum distinctione decidi solita, præsertim vero, an rei traditio sequuta sit, vel quod non extet, adeout pro resolutione actus extrema non sint habilia, sive quod intret æquitas canonica, aut quod agatur de victualibus, aliisque usualibus bonis, quæ a publico Foro, vel communi usu, & commercio quandam habeant pene uniformem, ac generalem taxam pretii, quod civile dici solet. *o*

Ex hujusmodi autem requisitorum copulativo concursu perfectio resultat, & de consequenti translatio dominii, ad effectum eorum, quæ sunt ejusdem dominii sequelæ, 20
præsertim vero augmenti, vel decrementi commodum, & incommodum, sive fructuum emolumentum, ac peremptionis, vel deteriorationis periculum; *p* quamvis ad

aliquos

aliquos effectus traditio pro dominii vera, perfectaque ac-
quisitione sit necessaria, illum præsertim fructuum, quo-
rum loco venditor damna, & interesse emptori præstat. q
21 Id autem quod de periculo, vel commodo, posita con-
tractus prefectione, in jure statutum est, ut emptoris, non
autem venditoris esse debeat, cessat in iis, quæ in pon-
dere, numero, vel mensura consistunt, quoniam donec
unus ex his actibus valide, ac perfecte resultet, vendito-
ris, non autem emptoris est periculum, quamvis contra-
ctus perfectio accedat, nisi per emptorem staret, quomi-
22 nus reciperet, cum tunc in odium morosi, ac negligentis,
talis actus pro jam sequuto habendus veniat, sive quod
implicita traditio ex partium voluntate, vel ratione sub-
jectæ materiæ subintelligenda veniat, ut in mercibus de
loco ad locum transmittendis, praxis docet. r
23 Posita perfectione contractus, e dictorum requisitorum
legitimo concursu resultante, quoad ea quæ ad Forum per-
tinent, frequentiores controversiæ percutiunt læsionem,
qua mediante, ubi est ordinaria (quæ enormis in jure di-
citur) locus est rescissioni, ubi vero est extraordinaria,
quæ enormissima dicitur, locum præbet nullitati, utpote
redolens dolum præsumptum, qui influit in defectum pri-
mi, ac essentialis requisiti consensus, ea vigente differen-
24 tia inter dolum verum, & hunc præsumptum, quod il-
le læsionem non desiderat, eaque qualis ea sit, contractus
invalidus remanet ab initio ex prælato defectu consensus,
iste vero aliunde non probatus, ex juris præsumptione ob
magnam, ac enormissimam læsionem resultat. f
25 Notabilis autem differentia proinde dignoscitur inter
unam, & alteram læsionis speciem, in prima etenim
contractus interim quod rescissio petitur, remanet in sta-
tu validitatis, ideoque fructus interim decursi ad empto-
rem pertinent, ac etiam in emptoris facultate repositum
est, vel pati rescissionem ex nunc, non autem ex tunc,
vel illam impedire, justi pretii suppletione mediante,
eaque aliquando exercibilis non est contra tertium, qui bo-
na fide pro justo pretio emerit, in altera vero specie, ob
nullitatem, quæ ab initio inesse dicitur, utrumque ait in
oppositum, quoniam veniunt fructus ab initio, neque lo-
cus est optioni, quæ emptori conceditur, supplendi justum
pretium, ac etiam exinde resultat ordo judicii, seu com-
petentia actionis, quoniam in prima specie actio est in
petitorio super rescissione in judicio ordinario tractanda,
in altera vero, interdictum possessorium reintegrandæ,
immo quandoque (ubi actus vere, & clare laborat defectu
consensus) etiam in illo retinendæ, ratione civilis pos-
sessionis animo retentæ, ad se naturalem attrahentis, proi-
ndeque ad id quoque habilis. s
26 Quando vero læsio, unam, vel alteram speciem redo-
leat, nimium inter Scribentes controversum est ad effe-
ctum metiendi enormissimam, aliquibus volentibus suffi-
cere, ut bessem excedat, aliis autem desiderantibus eam
longa majorem, quasi quod modicus reputetur his exces-
sus supra dimidium ad bessem, ac aliis probabilius id re-
mittentibus Judicis arbitrio, regulando ex facti circumstan-
tiis doli, præsumptionem exinde resultantem, facilius, vel
difficilius inducentibus. u
27 Circa vero ordinariam, seu enormem, pro qua exces-
sus ultra dimidiam in venditore extra controversiam desi-
deratur, sub quæstione est, an idem procedat in casu con-
verso emptoris, aliquibus opinantibus non dimidium in-
tegri, sed excessum medietatis pretii sufficere, probabilior
autem est opinio volentium, ut quod in venditore statu-
tum est, in emptore quoque pariformiter procedat. x
28 Ad rei autem valorem, seu justum pretium, pro læsio-
ne dignoscenda æstimandum, pacta, aliaque circumstan-
tiæ pretium minuentes, vel respective augentes, atten-
dendæ veniunt, potissimum vero pactum de retrovendendo,
quod de valore minuit, aliquibus opinantibus in sexta,
aliis in quarta, vel tertia parte, ac aliis probabilius, ut
remissum sit Judicis arbitrio pro facti qualitate, prout etiam
minor evictionis cautela, seu temporum qualitas, vel non
libertatis timor, ac similia pro facti qualitate minuunt. y
29 Procedunt hæc in emptione, & venditione ex privata
partium conventione sequuta inter privatos, secus autem
in ea quæ per Fiscum, vel Ecclesiam, seu Rempubli-
cam, aliosque privilegiatos sub aliena legali administra-
tione vivunt, in quibus sexta pars sufficit, atque exinde
plurium sententia est etiam sextam sufficere in judiciali
30 venditione, quæ sub hasta fiat, quod tamen Romana
Curie recipere noluit, sed hanc speciem venditionis pari-
formiter cum voluntaria, seu conventionali regulat; z

reliqua vero quæ modum æstimandi, seu probandi va-
lorem pertinent, facti potius quam juris videntur, ex
bonorum qualitate, moribus Regionis, aliisque circumstan-
tiis regulanda.
Altera inspectio forensis, quæ super isto contractu fre-
quentius cadit, est illa evictionis, tam circa substantiam,
ejusque præstationem in genere, quam circa modum,
quoad substantiam autem, ea est contractui connaturalis,
adeout etiam in conventionem non deducta, præstanda 31
sit, nisi aliter cautum sit, vel nisi ea sequatur ex vitio
ipsi emptori bene cognito, aut ex natura rei, quibus ca-
sibus, regula est eam præstandam non esse, nisi expresse
promittatur, sive adeo prægnantia, & effrænata verba
accedant, ut hujusmodi etiam casus complecti videantur
quod utpote facti potius quam juris, certam, ac determi-
natam regulam non habet, sed pro facti qualitate, ac
singulorum casuum circumstantiis decidendum est, potissi-
me vero ex factis potius quam verbis verisimilem volun-
tatem, vel ejus substantiam redolentibus. a
Ubi vero agatur de evictione ex natura rei, quæ, cessan-
te conventione, præstanda non sit; adhuc tamen præstan-
da venit, si ob ipsius venditoris factum culposum ea se-
quatur, b cadente quæstione, an in casu, quo ob contra- 32
riam conventionem, sive ob juris alieni scientiam, vel
ex natura rei, præstanda non sit evictio, instet saltem ob-
ligatio restitutionis pretii, ut plerique putant, contra- 33
ria vero probabilior, magisque recepta videtur, ut sem-
pe id præstandum sit, nisi alias implicita vel explicita
conventio suadeat, in eo autem differt restitutio pretii ab
evictione, quod sub illa venit totum id, quod interest,
spectato tempore, quo ea sequitur.
Ubi vero agitur de venditione rerum universitatem con-
stituentium, ut sunt, hæreditas, feudum, & similia,
tunc ipsius juris universalis evictio præstanda est, non au- 34
tem singularum rerum, vel membrorum ad eam pertinen-
tium, nisi verba specialitatem denotantia, vel pretii quan-
titas, aliaque circumstantiæ diversimode suadeant pro fa-
cti qualitate. c
Ex eadem facti qualitate quoque resultat determinatio
circa rem in hunc contractum deductam, an scilicet tota
vel pars, vel an libera, seu affecta vinculis, & oneribus;
ubi enim venditor nullum jus habet in re, quam simplici- 35
ter vendit, tota, & libera regulariter in contractum de-
ducta censetur, ubi vero partem habeat, vel totam alicui
oneri subjectam, præsumptio est, ut venditum solum cen-
seatur id, quod ad venditorem spectabat, nisi uno, vel
altero casu facti circumstantiæ aliter suadeant, inter quas
pretii quantitas magnum esse solet argumentum compro-
bans quid in contractum deductum sit, & ex hoc pen-
det inspectio onerum, quibus ipsa res subjaceet. d
Atque hinc ad evictionis instar, pendet etiam deter-
minatio alterius actionis quanti minoris, vel respective quan- 36
ti majoris, ubi res vendita diversæ qualitatis, vel spe-
ciei detegatur, cum tunc defectus primi requisiti consen-
sus adesse dicatur. e
Cadente quæstione, tam uno evictionis quam altero
quanti minoris casu, quid ubi non in toto, vel in parte id
sequatur, an actus in totum resolvetur, quod ex variis 37
distinctionibus determinationem recipit, præsertim an ac-
cedat dolus, qui omnimodæ resolutioni, vel annullationi
aditum præbet, sive an dolo cessante, agatur de unius, vel plu-
rium rerum venditione, vel an pars evicta sit notabilis, aut
quod alias contrahendi voluntas probabiliter deficiat. f
In venditione autem semoventium, ob vitia etiam
post perfectum contractum detecta, datur redhibitoria, 38
quæ frequentius pro locorum diversis moribus, ac stylis
regulari solet, quamvis etiam in scripturis, aliisque rebus
eadem redhibitoria actio concedatur. g
Imminente autem, seu alias formidata evictione, fre-
quenter disputari solet, an pretii solutio per emptorem in- 39
ste retardari valeat, atque verior est negativa, ubi vendi-
tor idonee cavere offerat, nisi prompta imminentia, vel
aliæ facti circumstantiæ diversimode suadeant. h
Evictionis autem actio non competit, nisi ea effective
sequatur per abdicationem rei in dominio, secus autem, si
in sola possessione, vel detentione, ut præsertim in Sal- 40
viani interdicto sequi dicitur, nisi alias cautum sit.
Neque talis actio conceditur emptori, qui litem, ac
molestias venditori non legitime denunciaverit, nisi adeo 41
certa sit evictionis justitia, quod venditor, quamvis denun-
ciatus eam impedire non potuisset. i
Atque si venditor rem evictam recuperat, eam emptor
reco-

42 recusare non potest, ubi res integra sit, ne jus emptoris alias deterius efficiatur pro facti qualitate. *l*

43 Si vero emptor, ut imminentem non evitabilem evictionem impediat, bona fide, ut venditoris, ac propriam meliorem efficiat conditionem, cum transactione occurrat, aliquam summam, vel speciem præstando, justum, ac rationabile est, ut venditor id ei reficiat, in aliquibus ad

44 id ipsum emptorem obligantibus, ut scilicet ubi per hanc præventionem impedire potest evictionem, ad eam non agat, quod tamen probabilitatem non habet, nisi fraus, vel conclusio accedat. *n*

45 Alienorum autem, seu aliis affectorum bonorum emptores, quando a Domini vendicatione, vel a creditorum hypothecariis actionibus tuti sint, Forum disputare solet, distinguendo autem aliena, quæ a non Domino vendita, per Dominum vindicentur, ab iis, quæ vendita per Dominum hypothecis affecta sint, Juris regula Domino vindicanti rem suam assistit etiam absque pretii restitutione, quamvis emptor in bona fide sit versatus, eum ea excusat a pœnis, quibus cum mala fide emens a non Domino

46 subjacet, non tamen pretii repetitionem tribuit, nisi a proprio auctore, *o* nisi a non Domino, a quo desperata esset recuperatio, ut Domini utile negotium gerator, atque charitatis officium exercaator, facta sit redemptio; cum tunc Domino vindicanti refectionem ejus, quod erogatum est, recte objici posse æquitas suadeat. *p*

47 Publicam vero nundinarum, seu portuum, vel Emporiorum fidem, emptorem tutum reddere, vel saltem pretii bona fide erogati refectionem tribuere, quædam non scripta æquitas frequentius moribus recepta docet, quamvis scripti juris rigor aliter disponat, & alicubi servetur. *q*

48 De altera vero publica fide judicialis hastæ, frequens est quæstio, an emptorem tutum reddat, ea vero sequentem casum hypothecarum, non autem illam dominii, ac vendicationis percutit, cum respectu Domini non detur hæc securitas, quamvis alias respectu creditorum daretur ut infra.

49 Idemque receptum est in ea emptoris assecuratione, quam lex tribuit ementibus bona defuncti ab hærede beneficiato, hæreditario tamen titulo expresse vendente, ut ab ipsius defuncti hypothecis, ac oneribus assecuret, non autem ab alieno dominio, minusque a prioris Domini hypothecis, & oneribus rei infixis, quinimmo una opinio credit, ut neque respectu hypothecarum ipsius defuncti omnimoda sit securitas, quoties facta aliorum bonorum excussione, subsidio locus aperiatur. *r*

50 Ementes autem ab hostibus, vel iis, qui jure legitimi belli aliena bona nacti sunt, quoties apud eos pernoctaverint, talisque naturæ sint, quod postliminio non redeant, tuti redduntur, cum declarationibus, de quibus in sua sede. *f*

51 Majores igitur, ac frequentiores audit Forum quæstiones ementium sub dicta judicialis hastæ publica fide; ista vero ab eo jure offerendi, quod lex posterioribus creditoribus tribuit, ita ementem tutum reddit, ubi actus nullitatis vitio non subjaceat, cadente quæstione, an eadem securitas competat ipsimet creditori, ad cujus instantiam venditio judiciali auctoritate sequatur, ubi ipsemet emat, atque probabilior est affirmativa, quoties fraus, vel simulatio aliter non suadeat. *t*

52 Ille vero, qui ex privato contractu a debitore emit, vel in solutum recipit, quamvis pretium in antiquioris debiti dissolutionem erogatum sit, a dicto posteriorum creditorum jure offerende tutus non redditur.

53 Si autem ad posteriorum creditorum instantiam judicialis ad hastam publicam venditio sequatur, integrum est anterioribus eorum hypothecas contra emptorem ad ipsam rem venditam, eisque affectam prosequi, nisi contumacialis negligentia obstet, eosque ad pretii prosequutionem contra posteriores cogat, quod tamen certam, ac generalem determinationem non habet, sed pro locorum ac Ditionum, seu Tribunalium diversis legibus, ac stylis, eam diversam recipit. *u*

54 Consensus autem nedum expressus, sed etiam tacitus, vel ratihabitio creditoris, emptorem tutum reddit, quamvis de privata, & conventionali venditione agatur, talisque consensus ex receptione, vel petitione partis pretii resultare dicitur. *x*

55 In Urbe vero ex peculiari lege ementes Baronum, ac Domicellorum bona ab eo Tribunali, quod sub Congregationis Baronum vocabulo explicatur, omnino tuti redduntur ab hypothecis, omnibusque vinculis, & oneribus etiam illis, quæ dominium Auctorum possessoris, non autem tertii reddilent in pretium translatis, quod etiam in conventionali venditione ex Pontificio chirographo adinstar dictæ legis concedi solet. *y*

Eademque omnimoda libertas, ac securitas est eorum, qui cum legitima superioris auctoritate emunt officia venalia, & loca montium, seu jura cum Principe, vel Re- 56 publica, cum non a privato venditore, sed ab ipso Principe sub fide publica emi dicantur. *z*

Circa emptoris personam disputationes cadere solent, quando unus alterius nomine emat, an veritas, vel si- 57 mulatio attendenda sit, quod distinctionem recipit ab ipsorum bonorum natura, & qualitate; si enim indifferentia sunt, ac liberi commercii, veritas potius attenditur, quam quod simulate conceptum sit, in iis autem, quæ differentia sint, atque commercii libertatem non habeant, ut sunt feuda, & officia, aliaque Regalia, simulatio prævalet, ideoque dicitur emptor, ac Dominus, sub cujus nomine acquisitio cautat. *a*

Si vero sibi ipsi acquirat de aliena pecunia, ipse est emptor, & Dominus, nisi testatoris præceptum in eo, 58 qui fideicommisso gravatus est, aliud suadeat. *b*

Ubi autem in ipso acquisitionis actu dicatur eam fieri pro persona nominanda, tunc facta nominatione ille, qui nominatus est, censetur ab initio emptor, alter vero in- 59 strumentum, vel organum, ideoque omnia onera, seu vincula per ita acquirentem injuncta nominatione sequuta, evanescunt, quamvis aliquorum opinio sit inter necessariam, ac voluntariam nominationem distinguendum esse, quæstione etiam cadente circa tempus, in quo hæc nominatio facienda sit, ut hunc effectum producat, quod ex facti circumstantiis fraudem includentibus, vel excludentibus determinationem recipit. *c*

Circa rem vero in contractum deductam quæri solet, an ad corpus, vel ad mensuram venditio facta sit, & quatenus 60 juxta hanc speciem, infra quantum tempus mensura fieri debeat, ac quid valeat, quodque alias præscriptio, vel præsumptio jam facta resultat, quod pariter ex facti qualitate pendet, ideoque certam regulam generalem non admittit. *d*

Item circa rem quæstiones cadunt, an fodinæ, thesauri, lapides, aliaque abscondita, atque sub solo, seu superficie 61 existentia sub ista contractu cadunt, atque regula est affirmativa aliquibus limitationibus subjecta. *e*

Pacta item adjici solita disputandi non infrequentem 62 occasionem præbent, illud præsertim commissorium, super cujus validitate, ob usuræ suspicionem dubitari solet, ac etiam quando ad exercitium deductum censeatur, quod paritas a singulorum casuum circumstantiis determinationem recipit ut in sua sede. *f*

Plerisque vero privilegiatæ quamvis vendendi potestatem habentibus, actus perfectione non obstante, compe- 63 tit facultas admittendi novas oblationes, seu addictionem, quod, quando, & quomodo procedat, non de facili sub compendio est explicabile, utpote a diversis facti circumstantiis pendens, ideoque in sua sede agitur. *g*

Emptionis resolutio sequi solet, nedum ex insinuatis cau- 64 sis juris offerendi, vel pacti commissorii, sive addictionis, verum etiam ex pactis resolutivis, ac frequentius ex retractu conventionali, qui sub nomine juris redimendi, seu pacti de retrovendendo applicari solet, ifloque casu disputationes cadunt super hujus juris, vel pacti præscriptione, seu in integrum restitutione adversus præscriptionem, ac etiam super pretio, quod a redimere volente præstandum, seu offerendum est, atque probabilius est, ut illud de præsenti præstari debeat, unde propterea intermedium augmentum, seu decrementum sit emptoris, ac etiam, an illud pactum egeat eadem solemnitate, qua ipsa venditio. *h*

Verum hæc species retractus, ac altera legalis, quæ 65 ratione vicinitatis, vel sanguinis, aut consortii, seu inquilinatus, vel census cum similibus, sub retractuum, ac servitutum materia cadunt, atque sub eadem agitur, an usus & habitationis, vel ususfructus servitus vendendi facultatem impediat.

Emptoris quoque obligationes ex causa pretii, vel ra- 66 tione onerum, quibus res empta subjacet, tanquam causativæ, vel occasionales, ubi contractus absque ipsius culpa, vel facto voluntario effectum sortiri desinit, cessant, ac evanescunt, ex regula cessantis effectus cessata causa, nisi veræ delegationis requisita accedant favore tertii. *e*

Pleraque vero alia concernentia emptoris defensionem 67 cum juribus eorum, qui cum pretio dimissi sunt, vel qui in contractu intervenerant.

Sive

Sive circa venditoris potioritatem in concursu cum em-
68 ptoris creditoribus, ubi venditio facta sit habita fide de pretio, crediti, ac debiti, seu concursus creditorum materiam potius respiciunt. *l*

Prout sub usurarum materia cadunt ea, quæ frequenter
69 Forum disputare solet super usuris pretii non soluti pendente eo tempore, quo emptor re, & pretio fruatur, & quæ sub recompensativorum fructuum nomine explicari solent, sive partium conventio accedat, sive non, & de quibus in dicta usurarum sede. *m*

Ad vitam quoque emptoris, vel aliquod determinatum
70 tempus iste emptionis, & venditionis contractus fieri solet, adeout cessante vita, vel expirato termino, contractus evanescat, isto autem casu sub Judice lis est, an istum emptionis, & venditionis, vel potius locationis, & conductionis, aut innominatum contractum hæc species conventionis redoleat, ad plures effectus, præsertim vero periculi in ipsa re contingentis, ac oneris refectionis, seu læsionis, an intret in vitalitiis, quod varias habet opiniones in sua sede recensitas, ac etiam ad effectum retractus activi., & passivi, de quo pariter in præfata retractuum materia habetur. *n*

Ubi vero agitur de venditione bonorum alienandi pro-
71 hibitionem habentium, quam cum Principis dispensatione fieri contingat, ut frequentius sortitur in ea venditione, quæ fiat bonorum Ecclesiæ cum Apostolico beneplacito, seu eorum, quæ fideicommisso, vel majoratui subjecta sint, cum fideicommissi derogatione, ac similibus, quæstiones cadunt super derogationis, vel beneplaciti vitio, seu mala exequutione, formaque non servata, sive emptoris sollicitudine in pretii erogatione, ac similibus, quæ hujus emptionis, & venditionis contractus peculiaria non sunt, sed cuicumque alienationi, etiam latæ, ac impropriæ, quæ per obligationem sequatur, congruunt, ideoque sub alienationum, & contractuum sede potius cadunt. *o*

a *hoc tit. disc.4. cum seqq.*
b *sub tit. de credito, disc.32. & 70. cum seqq.*
c *sub tit. de alienat. & contract.*
d *sub tit. de alienat. disc.47. tit. de jurisdict. disc.71.*
e *sub tit. de feud. disc.66.*
f *hoc tit. disc.26. & 40. & sub tit. de credito, disc.70. & seq.*
g *sub tit. de feud. disc.66. sub tit. de Regal. disc.4. & 10.*
h *hoc tit. disc.2.*
i *eodem disc.2.*
l *sub tit. de servit. disc.65.*
m *sub titul. de dote, disc.156. & sub tit. de alienat. & contract. disc. 40.*
n *disc.4. cum seqq. hoc tit.*
o *eod. disc.4. cum seqq. & disc.15. usque hoc tit. & sub tit. de Regal. disc.125.*
p *disc. 5. & seqq. & sub tit. de Regal. disc. 117. & 125.*
q *sub tit. de dote, disc.160.*
r *eodem disc.5. & seq. hoc tit. & sub tit. de Regal. disc. 117. & 125.*
s *hoc tit. disc. 27. & in aliis proximis.*
t *de his omnibus, disc.24. & 25. 27 & 28.*
u *dicto disc.27.*
x *dicto disc.24. & seq.*
y *dicto disc.24. & seqq.*
z *ibidem.*
a *de his disc. 16. cum seqq. & sub tit. de feud. disc. 44.*
b *sub tit. de pension. disc.68. & 69.*
c *disc.26. hoc tit. & sub tit. de feud. disc. 32.*
d *disc.34. & seqq. & disc. 40.*
e *disc.9. & seqq.*
f *disc.11. 17. & 18.*
g *disc.8.*
h *dicto disc.11.*
i *hoc tit. disc.19. & sub tit. de feud. disc. 44.*
l *disc. 37.*
m *disc.19.*
n *disc.16.*
o *disc.42. & sub tit. de feud. disc.58. & sub tit. de Regal. disc. 129.*
p *dicto disc.58. de feud. & disc. 129. de Regal. & sub tit. de usur. disc. 5.*
q *locis proxime citatis.*
s *hoc tit. disc. 41. & sub tit. de credito, disc.53. & 54.*
s *dicto disc. 58. de feud.*
t *hoc tit. disc.31. & sub tit. de credito, disc. 53. & 54.*
u *locis proxime citatis.*
x *tit. de credito, disc. 34. & 35.*
y *sub tit. de feud. disc.73.*
z *sub tit. de Regelib. disc. 36. cum seqq.*
a *sub tit. de feud. disc.7. & sub tit. de Regal. disc.1.*
b *sub tit. de fideicomm. disc.177.*
c *hoc tit. disc.29. & 30.*
d *disc.7.*
e *disc. 44. hoc tit.*
f *disc. 33.*
g *sub tit. de Regal. disc.81.*
h *hoc tit. disc.32. & sub tit. de servit. disc. 85. & 87.*
i *hoc tit. disc. 23.*
l *sub tit. de cred. disc.1. & seqq. & hoc tit. disc.21. & 22.*
m *sub tit. de usur. disc. 15. cum seqq.*
n *hoc tit. disc.1. & sub tit. de servit. disc.74. & sub tit. de donat. disc.54.*
o *sub tit. de alienat. & contract. disc. 1. & seq. & sub tit. de fideic. disc.160. & seq.*

Finis Partis Secundæ Libri Septimi.

JO. BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Septimi Pars Tertia.

DE ALIENATIONIBUS, ET CONTRACTIBUS PROHIBITIS.

Discursus generalis ad materiam Alienationis bonorum Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

1 ANtiqui *Canones pene inutiles hodie remanent ob* Extravag. Ambitiosæ.

2 *Per dictam* extravagan. *copulative requiruntur justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatie, & beneplacitum Apostolicum, quod supples omnes alias solemnitates.*

3 *Nil refert adesse alias solemnitates, absque beneplacito Apostolico.*

4 *An Capituli consensus requiratur, si in beneplacito adest clausula,* vocatis vocandis?

5 *Quid in alienatione bonorum, vel jurium Ecclesiæ Cathedralis, vel Mensæ Episcopalis.*

6 *Ad quid deserviant antiqui Canones, & traditiones Canonistarum.*

7 *Beneplacitum Apostolicum non supplet causam.*

8 *Quod hæc duo sufficiant, & necessaria sint causa, & beneplacitum Apostolicum.*

9 *Distinguitur materia in sex inspectiones.*

10 *Ecclesiarum majorum, vel minorum, ac Monasteriorum, & Conventuum bona sine dubio cadunt sub* Extravag. Ambitiosæ.

11 *Quid de Hospitalibus, & Piis locis administrari solitis per laicos, & de Confraternitatibus laicorum.*

12 *Datur Distinctio, an sint erecta auctoritate Superioris Ecclesiastici necne?*

13 *Qualis debeat esse ista erectio.*

14 *Etiam in locis piis mere laicalibus auctoritas Superioris Ecclesiastici adhibetur, & quare.*

15 *Aliud est, locum esse pium, & aliud esse Ecclesiasticum.*

16 *De signis arguentibus locum esse Ecclesiasticum.*

17 *In bonis stabilibus sali, & per veritatem indubitate intrat prohibitio, sed eadem quoque viget in censibus, canonibus, livellis, & locis montium, eorumque diminutione; vel affrancatione.*

18 *Jurisdictiones, præeminentiæ, & alia jura veniunt sub eadem prohibitione.*

19 *Pecunia reposita pro thesauro, seu peculio, etiam venit, & de aliis speciebus pecuniæ, & quomodo prohibitio intelligatur.*

20 *De pecuniis, quæ retinentur super montibus, &c.*

21 *Quid de mobilibus pretiosis.*

22 *De declaratione circa istam prohibitionem mobilium.*

23 *Quid de animalibus distinguendo, an de grege, vel de singulis.*

24 *De eadem distinctione remissive circa subrogationem.*

25 *Et quando, etiam si sit grex, non veniat sub prohibitione*

26 *Quid de incisione arborum.*

27 *Et de Molendinis cum distinctione.*

28 *De stabilibus modici valoris ad materiam* cap. terrulas, *remissive infra.*

29 *Vera alienatio indubitanter prohibita est, per quam dominium de facto ab alienante abdicatur, & in alium transfertur, puta, venditio, donatio, &c.*

30 *Quid de permutatione.*

31 *Item feudum, emphyteusis, concessio livellaria, &c.*

32 *Item de locatione ad longum tempus, quod hodie est triennii.*

33 *Si locatio fiat ultra triennium, est nulla in totum, & quid ubi fiat locatio de triennio in triennium, idemque de constitutione facta per Ecclesiam a privata, ut non obliget.*

34 *Quomodo computari debeat annus pro regulatione triennii.*

35 *De ratione, ob quam Casalia in Urbe locantur ad novennium.*

36 *Laicus creditor immissus in Salviano ad bona Ecclesiæ non locat ultra triennium.*

37 *Quomodo intelligi debeat, ut qualibet fructuum perceptio faciat unum annum.*

38 *Census passivi imponi non possunt per Ecclesiam sine solemnitate, & causa, & an pro extinguendo alio censu jam imposito.*

39 *Imponitur census super bonis de novo quæsitis, & quid super domo construenda, vel ampliando infra.*

40 *De hypotheca, an & quando veniat sub prohibita alienatione.*

41 *In casu alienationis impropriæ, & dubiæ, licet actus sit nullus, non tamen incurritur in censuras, & pœnas.*

42 *Transactio an, & quando cadat sub hac prohibitione? referuntur plures opiniones, cum declarationibus regula affirmativa.*

43 *De compromisso.*

44 *Dismembrationes, divisiones, vel uniones subjectivæ Ecclesiarum veniunt sub prohibitione, quod declaratur.*

45 *Causa consistit in necessitate, vel evidenti utilitate, & qualis debeat esse utilitas.*

46 *Utilitas attendi debet, attento tempore contractus, non curato, quod postea sequatur.*

47 *Declaratur, nisi sit tempus calamitosum, vel alias accidentale.*

48 *Quæ circumstantiæ attendi debent pro regulanda utilitate.*

49 *De errore pragmaticorum applicandi doctrinas percutientes unum casum, cuicumque alteri, non ponderata diversitate.*

50 *Bona feudalia, & jurisdictionalia quomodo æstimentur.*

51 *An & quando merita ejus, in quem fit alienatio, haberi debeant in consideratione?*

52 *De modo metiendi justam causam in alienatione jurium incorporalium.*

53 *De modo metiendi utilitatem in transactione.*

54 *In hac materia non attenditur alia subreptio circa beneplacitum Apostolicum, nisi illa, quæ concernat defectum causæ, ideoque concessum pro una persona suffragatur pro altera.*

55 *De materia subreptionis.*

56 *Beneplacitum Apostolicum potest præcedere, & subsequi.*

57 *Atque attenditur solus finis justæ causæ.*

58 *Retrotrahitur ad initium, & potest impetrari etiam post mortem alienantis.*

59 *Idem est non adesse Beneplacitum Apostolicum, ac adesse, sed male exequutum.*

60 Si

60 *Si male exequutum est, non potest idem exequutor se ingerere.*
61 *Debet exequi vivente Papa, qui concessit, vel saltem præsentari.*
62 *Servanda est forma in beneplacito præscripta, & quando dicatur præscripta forma, præsertim de clausula,* specificatis bonis.
63 *De modo procedendi an judicialiter, vel extrajudicialiter?*
64 *Si sunt duo executores, invalide unus procedit.*
65 *Invalide procedit exequutor non præsentatis litteris.*
66 *Clausula,* vocatis vocandis, *facit executorem mixtum.*
67 *An per istam clausulam citari debeat ipse Prælatus, qui alienat?*
68 *Sed debet citari Promotor Fiscalis in alienatione facta per Episcopum.*
69 *An & quando emptor teneatur esse sollicitus de versione pretii?*
70 *Non tenetur, ubi Papa in beneplacito eum eximit ab hoc onere.*
71 *Dummodo tamen dicti beneplaciti forma servetur.*
72 *Si dicta exemptio non adest, intrat distinctio, an versio desiderata sit per viam modi, vel per viam conditionis.*
73 *Quando dicatur modus, vel conditio.*
74 *Ad quid deserviant, & operentur clausulæ, & verba.*
75 *Obligatio versionis restringitur ad primum investimentum.*
76 *De distinctione alienationis ex causa necessaria, vel voluntaria.*
77 *Non sufficit supplicatio signata in beneplacito Apostolico sine litteris.*
78 *Et quando sola supplicatio sufficiat.*
79 *Excludit autem pœnitentiam.*
80 *Cui incumbat onus justificandi causam necessitatis, vel evidentis utilitatis.*
81 *Non defertur assertionibus executoris, ideo sententia est justificanda ex actis.*
82 *Nisi sit sententia antiqua juncta cum observantia.*
83 *Vel acta essent deperdita.*
84 *De beneplacito Apostolico præsumpto ex lapsu temporis juncto cum observantia, istaque præsumptio influit etiam in præsumptionem causæ.*
85 *An obstet cumulus præsumptionum?*
86 *An sit subducendum tempus vitæ Prælati alienantis?*
87 *Quæ requisita concurrere debeant, ut intret beneplacitum præsumptum, & primo ut sit 30. annorum completorum.*
88 *Item ut concurrat observantia, & qualis esse debeat.*
89 *Debet item constare de titulo vero, & non sufficit præsumptus.*
90 *Etiam concurrentibus omnibus requisitis est simplex præsumptio, contraria probatione elidibilis, & quomodo constet de contrario.*
91 *An contraria negativa probetur per diligentias in regestris Apostolicis?*
92 *Et quando ista probatio per dictas diligentias non sit practicabilis.*
93 *Excluditur præsumptio si constet de actu læsivo.*
94 *De Constitutione Urban. VIII. tollente beneplacitum præsumptum.*
95 *Dicta Constitutio præservat centenariam.*
96 *Quomodo ista centenaria computari debeat.*
97 *Non procedit in iis, quæ deducta erant in judicium.*
98 *Minusque ubi alienatio est in aliam Ecclesiam.*
99 *Alienatio sine causa, ac solemnitate est ipso jure nulla.*
100 *Decretum irritans contentum in* Extravag. Ambitiosæ *inficit titulum, & possessionem.*
101 *Datur Ecclesiæ reintegratio, vel manutentio, & quare potius manutentio.*
102 *Etiam ipsimet Prælato alienanti datur manutentio.*
103 *Quando dicta manutentio non intret, sed detur possessori.*
104 *Procedit prohibitio, etiam in alienatione inter duas Ecclesias.*
105 *Veniunt etiam fructus restituendi.*
106 *Quid de fructibus, qui percipi potuerunt.*
107 *Et quid, ubi jus sit dubium.*
108 *Et quid a fructibus restituendis sit deducendum.*
109 *Non veniunt fructus exacti ex censu nulliter imposito.*
110 *Nullitas allegari potest per Ecclesiam volentem, non autem per alium contrahentem, & Ecclesia potest pœnitere.*
111 *Quid ubi Prælatus alienans asseruit habere facultatem.*
112 *Potest alter contrahens facere præfigere terminum ad obtinendum beneplacitum.*
113 *Non datur dicta pœnitentia post obtentum beneplacitum, licet non exequutum.*
114 *An post declaratam pœnitentiam, Ecclesia possit velle stare contractui?*
115 *De alienatione bonorum modici valoris*, ad cap. terrulas, &c.
116 *De requisitis, ut intret dispositio dicti tex.* in c. terrulas, *& in specie, quod Ordinarius non sit pars alienans.*
117 *Quando res dicatur modici valoris ad hunc effectum.*
118 *An, & quando plura bona separata constituant unum prædium?*
119 *Casus magnæ, & imminentis necessitatis non cadit sub prohibitione.*
120 *Item, ubi Ecclesia est incapax retinendi bona, ut sunt Minores.*
121 *Vel si adsit incapacitas ratione bonorum, quæ non possint esse penes Ecclesiam.*
122 *Non procedit prohibitio in bonis quærendis, & Ecclesiæ non incorporatis.*
123 *Declaratur quando id procedat.*
124 *Et an ubi concurrat acquisitio instantanea?*
125 *Quid de remissione caducitatis.*
126 *Prohibitio non procedit, ubi est alienatio necessaria.*
127 *De alienatione facta occasione acquirendi bona.*
128 *Quid ubi bona data sunt Ecclesiæ cum hac facultate alienandi.*
129 *De privilegiis Ecclesiarum, & Religionum hodie moderatis.*
130 *Res solita alienari potest alienari sine solemnitate.*
131 *Dummodo non alteretur solitum.*
132 *An in hac materia utile per inutile vitietur?*
133 *Quod verius sit vitiari.*
134 *Debet durare eadem causa, seu idem rerum status.*
135 *Requiritur item utilitas Ecclesiæ de præsenti.*
136 *Declaratur item, ubi bona sint incorporata Ecclesiæ, & quando dicatur facta incorporatio.*
137 *De alia alteratione circa diversitatem qualitatis personæ.*
138 *Dicuntur bona solita alienari per unam alienationem solemnem.*
139 *Vel per duas effectum sortitas per annos 40.*
140 *De aliis ad materiam remissive.*
141 *Non procedit prohibitio in fructibus, vel in commoditate.*
142 *Neque in transactione super decimis, & Funeralibus.*
143 *Recognitio veritatis, & bonæ fidei non est alienatio, ideoque fieri potest per Prælatum.*

DISC. I.

Quamvis per Sacros Canones *in tertia, & sexto libro Decretalium sub tit. de rebus Eccles. non alien.* 1
ac etiam per quamplura Apostolica, & Conciliaria decreta, diversæ solemnitates in alienationibus bonorum Ecclesiæ præscriptæ sint, atque super eis adhibendis antiquiores Canonistæ, cum consueta Scribentium varietate, nimium labbraverint, postquam tamen desuper prodiit Constitutio Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ*, registrata *inter Extravag. sub eodem tit. de rebus Eccles. non alien.*
per quam prohibitum est dictas alienationes fieri sine 2
Apostolico beneplacito, sub decreto annullativo, ac censuris, aliisque pœnis ibi contentis, inanis quodammodo remanere videtur dictorum Canonum, ac Decre-
torum dispositio, sive labor antiquiorum Canonistarum, 3
quorum mentionem facit Faguan. *in cap. nulli, hoc tit. de rebus Eccles. non alien.* circa alias solemnitates, quoniam Apostolico beneplacito ad præfatæ Extravagantis præscriptum accedente, aliæ solemnitates necessariæ non sunt, adeout excepta causa, quam non supplet, ut infra,

alias omnes suppleat aa iis, quæ habentur ap. Franc. *dec.* 163. *n.* 53. Rot. ap. Duran. *dec.* 397. *n.* 8. *& dec.* 459. *n.* 4. *dec.* 260. *nu.* 6. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 212. *p.* 7. & frequenter, cum sit conclusio hodie nimium recepta.

3 Et licet aliquorum sententia sit dictum beneplacitum Apostolicum desiderandum esse, ad dictum solum effectum supplendi alias solemnitates de jure communi requisitas, ut ita cesset earum necessitas, secus autem illis bene adhibitis, quasi quod alternativa, unum de duobus sufficiat, attamen in Rota, & Curia (quæ in hac materia toti Orbi Catholico normam præbere videtur, ac debet) hæc opinio rejecta est, cum dictum beneplacitum, in littera, vel ex recepto sensu dictæ *Extrav.* exceptis aliquibus casibus limitatis, de quibus infra in ultima inspectione, præcise necessarium sit, quamvis omnes aliæ solemnitates adhibeantur, ut habetur apud Rot. *dec.* 277. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *num.* 4. *cum seq. & in aliis passim*, cum hodie sit conclusio, de qua amplius non dubitetur, ac propterea usus recepit, ut dictæ solemnitates, utpote insufficientes, vel non necessariæ negligantur.

4 Cumque inter solemnitates a jure communi præscriptas, præcipua sit illa consensus Capituli, crediderunt aliqui, istam solemnitatem a dicto beneplacito Apostolico non suppleri, sed necessariam esse, verius tamen est contrarium, quamvis dictum beneplacitum contineat clausulam, *vocatis vocandis*, vel *seq. ser.* nisi idem Capitulum interessatum sit, ideoque ejus consensus intervenire debeat pro interesse, non autem pro solemnitate, Seraph. *dec.* 338. *n.* 3. *& dec.* 443. *n.* 4. & ap. Duran. *dec.* 365. *n.* 13. & in aliis.

5 Solumque ex deductis ap. Barbos. *alleg.* 95. *n.* 70. videtur hanc solemnitatem consensus Capituli requiri, ubi agatur de alienatione bonorum mensæ Episcopalis ex auctoritate Rotæ ap. Seraph. *d. dec.* 443. *n.* 4. Quod tamen minus verum videtur, ut etiam receptus usus docet, dictaque decisio potius contrarium innuit, quoties agatur de bonis Mensæ Episcopi, vel Prælati, atque bene verificetur causa utilitatis, id enim recipiendum est, ubi agatur de alienatione, vel alio contractu, sub hujus prohibitæ alienationis genere cadente, in bonis, vel juribus ipsius Ecclesiæ Cathedralis contradistinctis a bonis Mensæ Episcopalis, ut frequenter contingit in iis, quæ jurisdictionalia, vel præeminentialia concernunt, & tunc non pro solemnitate, sed pro integranda, seu constituenda formali persona ipsius Ecclesiæ, quam simul efformant Episcopus tanquam caput, & Capitulum tanquam reliquum corpus ex iis, quæ occasione validitatis sententiarum, aliorumque actorum judicialium, in præjudicium jurium Ecclesiæ, habentur, præsertim in Tirason. *sub tit. de jurisdict. disc.* 21. *& in aliis, eod. tit.* ac pluries in altero ibi annexo *de præeminentiis*, ac etiam *sub tit. de beneficiis*, occasione simultaneæ provisionis beneficiorum Cathedralis competentis Episcopo, & Capitulo, ac alibi.

6 Hinc proinde, dictæ solemnitates a jure communi requisitæ, sive quæstiones desuper a Canonistis disputatæ, deservire solum hodie videntur pro illis alienationibus, & contractibus, qui sub præfatæ *Extrav.* dispositione non cadant, de quibus infra in dicta ultima inspectione, sive pro regulanda justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis.

7 Absolutum etenim est, atque in Foro extra controversiam receptum, ut (excepto casu, in quo Papa tanquam absolutus bonorum Ecclesiasticorum Dominus, vel Arbiter, alias non disponat) beneplacitum Apostolicum, dictam causam necessitatis, vel evidentis utilitatis non suppleat, quamvis eam expresse non desideret Greg. *dec.* 113. *nu.* 8. ubi Add. Cavaler. *dec.* 288. *n.* 6. Duran. *dec.* 250. *nu.* 15. *& passim*, quod tamen nimium rarum est, cum communis, ac usitata formula id pro conditione præscribat, adeout litteræ Apostolicæ desuper expediri solitæ, per practicos, vulgo, *si in evidentem*, appellentur.

8 Ideoque neglectis superfluis quæstionibus, vel evagationibus vim forensi nimium incongruis, de quibus apud modernos Scribentes, vel Collectores habetur, firmum ac certum in Foro principium est, in hujusmodi alienatione duo copulative requiri, neque unum sine altero sufficere, causam sc. necessitatis, vel evidentis utilitatis, & solemnitatem in dicto beneplacito Apostolico unice ex necessitate consistentem, alia vero concernunt perfectionem, seu validitatem actus in genere, etiam inter privatos non prohibitos, ac super bonis prophanis indifferentibus.

His igitur ita prænotatis, sex in hac materia inspectiones cadunt, primo scil. super bonis, vel juribus alienari prohibitis, atque super dictæ *Extrav.* dispositione cadentibus, secundo super qualitate alienationis, vel contractus, an sc. & qui sub eadem prohibitione cadant, tertio super causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, quando sc. adesse dicatur, & quomodo justificari debeat, quarto super beneplacito Apostolico, ejusque legitima executione, 9
sive super eodem præsumpto, quoties expressum non habeatur, quinto super effectibus exinde resultantibus, quando *Extravagantis* forma non adimpleatur, tam circa invaliditatem actus, quam circa jura, & remedia Ecclesiæ pro ejus reintegratione competentia, & sexto demum super casibus exceptis, seu limitatis sub ejusdem *Extravagantis* dispositione non cadentibus, sed ad limites juris communis absque dicta Apostolici beneplaciti solemnitate regulandis, vel etiam, ubi ex lege particulari, ultra dicta duo requisita, justæ causæ, & Apostolici beneplaciti, alia etiam solemnitas requiratur.

Quatenus ergo pertinet ad primam, ea in duas alias inspectiones subdividitur, unam sc. circa qualitatem domini, & possessoris bonorum, an sub Ecclesiæ, vel Ecclesiastici loci nomine veniat, adeout sub hac *Extravaganti* cadant necne, & secundo (posita qualitate Ecclesiastica) super qualitate ipsorum bonorum, vel jurium, quæ sc. sint de prohibitis, & quæ non.

Quoad primam inspectionem, certum est, nullam cadere dubitationem, quoad bona Ecclesiarum, sive sint Cathedrales, & Metropolitanæ, seu alias majores, ac etiam minores cujuscumque qualitatis, ac etiam illa Monasteriorum, vel Conventuum tam virorum, quam mulierum, quæ veram formam habeant Monasteriorum, vel Conventuum, in quibus vere possessio regularis emittatur, eorumque membrorum, sive (nulla existente Ecclesia) sint Ecclesiastica beneficia sæcularia, vel regularia quomodocumque nuncupata, dummodo beneficiorum naturam, seu veram qualitatem habeant; cum extra omnem controversiam sit, ut illa cadant sub *Extrav.* dispositione. 10

Ideoque inspectio restringitur ad Hospitalia, aliaque 11
pia loca per laicos administrari solita, in quibus pietatis opera exerceri solent, vel etiam ad laicorum Confraternitates, seu Oratoria, an scilicet eorum bona dicantur necne Ecclesiastica, sub dicta *Extravag.* dispositione cadentia.

In hoc autem, quicquid aliqui variaverint, præsertim 12
illi, qui laicalem potestatem, occasione jurisdictionis, vel competentiæ Fori in hujusmodi locis statuere curarunt, vera, & recepta distinctio est, quæ tam huic alienationis materiæ, quam præfatæ alteri jurisdictionali fere in omnibus, aliquibus exceptis, communis videtur, ut inspiciendum sit, an Confraternitas, seu Hospitale, vel alter locus pius, formalem habeat erectionem in locum Ecclesiasticum, cum ordinaria, vel Apostolica auctoritate necne, ut in casu dictæ erectionis, jure Ecclesiæ, seu loci Ecclesiastici censeri debeat, secus autem in casu converso, ut post collecta per Barbos. *de Episcopo, allegat.* 75. *per tot. nu.* 31. *&* 32. ac alios plena manu relatos, ita distinguendo firmatur per Rotam *dec.* 313. *num.* 9. *p.* 10. *rec. & dec.* 248. *p.* 11. *nu.* 19. & in Romana census 25. Aprilis 1652. cor. Bichio, & in aliis.

Talisque erectio in ea forma esse debet, ut redoleat ita 13
factam esse, ut locum Ecclesiasticum constituat, secus autem, ubi importaret simplicem approbationem Apostolicam, vel ordinariam ipsius pii loci, vel Instituti, ad aliquos effectus pro facultate exercendi divina, vel spiritualia independenter a Parocho, ut frequenter concedi solet, præsertim Hospitalibus, ex deductis *sub tit. de Parochis disc.* 23. *&* 37. ac etiam in Mediolan. *sub tit. de Regalib.* occasione domorum, in quibus viri, vel mulieres quandam religiosam, & collegialem vitam ducant, an scil. sit Monasterium, seu locus Ecclesiasticus necne, de quo etiam *sub tit. de jurisd. disc.* 45. ubi de Conservatorio mulierum, *& eod. tit. disc.* 92. ubi de Militus, quæ cum Apostolica auctoritate erectæ sunt ad pietatis opera exercenda, cum plerisque etiam Ecclesiasticis Institutis, an sc. personæ, & bona veram Ecclesiasticam qualitatem habeant necne, tam ad effectum jurisdictionis Ecclesiasticæ, ac exemptionis a Foro laicali, & laicalibus Statutis, quam etiam ad effectum immunitatis ab oneribus laicalibus, sive istum prohibitæ alienationis.

Cum enim, ut ibi advertitur, hujusmodi Congregationes, vel Adunantiæ, ad opera pia, vel divina prohibitæ sint absque Ecclesiastici Superioris auctoritate, ne ita illicita, & scandalosa conventicula sequantur, ut frequens experientia docuit, sive expediat, Apostolicam præsertim auctoritatem

tem

14 tem habere pro facultate celebrandi divina, & spiritualia emolumenta obtinendi, hinc proinde, non omnis licentia, seu concessio, vel approbatio formalem erectionem hujusmodi effectuum productivam importare dicitur, ut plerique æquivocando male opinantur, quamvis in eadem licentia, seu concessione Ordinarii, vel alterius Ecclesiastici Superioris visitatio, vel alia potestas reservata sit, cum id contineat expressionem ejus, quod de jure inest, ob facultatem, quæ locorum Ordinariis ex eorum ordinaria, vel Apostolica delegata auctoritate, tam de jure communi, quam ex Sac. Conc. Trid. & Apostolicis Constitutionibus competit, visitandi ipsa loca, sive assistendi redditioni rationum per Administratores faciendæ cum similibus, de quibus pluries *sub tit. de jurisdict.*

15 Ut enim bene advertitur per Rotam in dictis decisionibus, ac etiam in locis supra allegatis, aliud est locum esse pium, aliud vero esse Ecclesiasticum, ideoque stant bene simul esse pium, atque pietatis opera exercere, necnon visitationi, correctioni, & jurisdictioni Ordinarii, vel alterius Ecclesiastici Superioris in aliquibus subjacere, & tamen non esse locum Ecclesiasticum ad istum præsertim effectum, ut ejus bona sub hac prohibitione non cadant.

16 Ubi vero de fundatione, vel erectione non constet, adeout incertum sit, an locus, vel opus unam, vel alteram speciem redoleat, recurrendum est ad signa, quæ cæteris relatis, habentur apud Gabr. *de pia caesa, concl.* 1. *&* 2. Barbosa *de Episcopo d. alleg.* 75. *&* *in supra allegatis Rotæ decisionibus*, an scilicet habeat Ecclesiam cum campanili, aliisque signis, potissimum vero, ac præ omnibus illud observantiæ, cui tanquam in omnibus optimæ interpreti deferendum est.

17 Posita vero qualitate Ecclesiastica, adeout non dubitetur, ut bonorum Dominus, & possessor dictæ *Extravagantis* dispositioni subjaceat, quatenus pertinet ad qualitatem bonorum, vel jurium sub ejusdem *Extravagantes* dispositione cadentium, quoad bona stabilia per veritatem, idest soli, ut sunt prædia rustica, vel urbana, nulla cadit ratio dubitandi, quæ apud antiquiores vigebat solum in stabilibus per legis fictionem, tertiam speciem potius vere constituentibus & quæ pro stabilibus habentur, ut sunt census activi per Ecclesiam possessi, sive sint consignativi, sive reservativi, aut livelli, vel canones, & similes annuæ perpetuæ præstationes, ac etiam jura cum Principe, vel Republica, quæ in Urbe, & frequentius per Italiam loca Montium dicuntur, nam receptum est ea quoque venire, tam quoad omnimodam alienationem, quam reductionem, vulgo sbassationem, ut apud Seraphin. *dec.* 1228. Ricc. *dec.* 234. *p.* 1. de Marin. *resol.* 6. *n.* 10. *lib.* 1. Rota *dec.* 95. *n.* 7. post Merlin. *de pignor.* Veneta pretii 13. Novembris 1602. coram Pamphilio, nisi quoad loca Montium lex erectionis hujusmodi locorum Montium pro commercii facilitate aliter statuat, ut frequentior praxis docet, & consequenter si census est irredemibilis, ut contingit in reservativo, voluntaria facultas affrancandi est species alienationis prohibitæ, ut in Bonon. investiturarum 14. Aprilis 1660. coram Bevilaqua, Mediolanen. bonorum 21. Junii 1661. coram Cerro, & in aliis.

18 Jura quoque incorporalia jurisdictionem, vel præeminentiam, aliudque jus honorificum concernentia sub hac prohibitione veniunt, quamvis in aliam Ecclesiam, seu locum, vel Prælatum Ecclesiasticum alienatio fiat, ut cæteris relatis, apud Othob. *dec.* 159. *&* *dec.* 220. edita in Aceren. Vicariæ, de qua *sub tit. de jurisd. disc.* 24. ubi enunciatur altera decisio coram Bichio, & de juribus mere honorificis, seu præeminentialibus, distinguendo an inter ejusdem Ecclesiæ personas, vel inter plures Ecclesias, sive etiam inter ejusdem corpora distincta advertitur in Collen. *sub tit. de Canonicis, & Dignitatib. disc.* 30. & alibi pluries.

19 Collocatur etiam inter bona prohibita, quandoque pecunia, quamvis de sui natura sit de illis rebus, quæ servando servari non possunt, ubi scilicet destinata sit conservationi perpetuæ ad formam thesauri, seu illius peculii, quod apud antiquos in usu erat, pro Ecclesiæ decore, & existimatione conservanda, ut (e. g.) sunt illi milliones, qui per Sixtum V. pro Ecclesiæ Romanæ peculio, seu præsidio repositi fuerunt, & conservantur in arce Sancti Angeli, verum in Ecclesiis inferioribus, idealis videtur iste casus, ideoque solum verificabilis in ea pecunia, quæ proveniens ab alienatione voluntaria, seu necessaria stabilium, vel censuum, aut locorum Montium, sive in ea, quæ data, vel relicta est cum onere perpetuo missarum, vel pro alia fundatione, ideoque destinata est emptioni bonorum stabilium, atque interim sub custodia tanquam inalienabilis retinetur, ut supponi videtur in dicta Veneta pretii, seu nullitatis contractus 13. Novembris 1602. coram Pamphilio, quæ circumfertur tanquam magistralis.

Quamvis in hac bonorum specie prohibitio (ut frequenter præsertim in Regularibus contingit) operativa videatur quoad pœnas ipsis Prælatis, ac Rectoribus, vel Administratoribus *a dicta Extravag.* aliisque Constitutionibus, & decretis comminatis, secus autem quoad tertios, in quibus dicta pecunia detur pro ære alieno dissolvendo, sive pro victualium emptione, aut alio usuali commercio citra collusionem, ac fraudem positivam, quoniam cum pecunia de sui natura sit de rebus, quæ servando servari non possunt, atque functionem recipiat in genere, hinc proinde non de facili dari potest quoad tertium hæc distinctio, an sit usualis, vel in emptionem stabilium destinata. Et quatenus etiam aliqua hujus qualitatis scientia daretur, adhuc tamen tertius opinari potest, ut Prælatus, vel Administrator facultatem desuper habeat utendi hac pecunia pro occurrentibus necessitatibus cum animo, & obligatione supplendi, vel subrogandi æquivalentiam de redditibus, vel aliis effectibus, qui dictis usibus destinati promptam pecuniam non suppetant, ut frequenter sum expertus, quando in annis penuriosis, seu alias calamitosis, vel qui tales timentur, oportet ut formidatæ calamitati occurratur, aliquas facere provisiones, dum desuper per Sac. Congregationem, vel alios Superiores, hæc facultas concedi solet, & quatenus non adsit, tunc urgentia, seu imminentia, aut alia justa causa considerabilis videtur ad dictum effectum excusandi Rectorem, vel Administratorem a culpa, & pœnis, non autem quoad tertium, nisi fraus, & collusio positiva accedat.

Et quamvis apud antiquiores exemplificari soleat in pe- 20
cunia, quæ retinetur in montibus alicujus Reipublicæ, frequentius autem in illis Venetiarum, & Florentiæ, ut apud Paulum de Castro *in l. si tibi homo*, §. *cum servus*, *ff. de legat.* 1. ubi Alex. Jas. & alii de quibus *sub tit. de Regal. disc.* 36. Attamen hodiernis temporibus, illa species sub nomine locorum Montium, vel jurium cum Principe, vel Republica, juxta frequentiorem usum, vel sub specie censuum consignativorum, sive annuorum reddituum recensenda videtur, quamvis etiam hodie in plerisque Civitatibus in usu sit, quod aliquæ ædes sacræ accipiant pecunias absque formalitate census, & correspondent quemdam fructum, quod an fieri possit, non est præsentis inspectionis.

In mobilibus pretiosis, quæ pro Ecclesiæ cultu, seu de- 21
coro, perpetuæ conservationi destinata sunt, illisque utpote solidæ materiæ, dicta conservatio congruit, ut sunt vasa aurea, argentea, vel ænea, seu alterius materiæ, ita & taliter quod ubi eadem ratio congruat, idem dicendum venit, quod etiam auleis, aliisque mobilibus sericis, vel similibus pro facti qualitate congruere videtur, ex deductis apud Barbos. *dicta alleg.* 95. *num.* 39. *ubi concordantes*, & conferunt quæ habentur pluries *sub tit. de servitutib.* ad materiam ususfructus, super ea distinctione mobilium, quæ servando servari non possunt, ac aliorum, quæ perpetuæ, vel longævæ durationi apta sunt, quamvis ex longævo usu, ac tempore edaci, quod omnia consumit, inveterascant, ac minuantur, sive etiam omnino atterantur ex longo temporis decursu, ac etiam *sub tit. de fideicommiss.* super præsumpta consumptione.

Verum, & in istis pro facti qualitate, eadem distinctio 22
intrare videtur, de qua supra occasione pecuniæ, quæ firmo peculio, vel emptioni stabilium destinata est inter ipsum Prælatum, vel Administratorem alienantem, & tertium, in quem citra collusionem, ac fraudem, seu malam fidem positivam, alienatio fiat, & præsertim in vasibus auri, & argenti, quæ fictilia sunt, ideoque functionem in genere recipiunt, seu alias in usuali commercio sunt, cum tertius bona fide credere possit, ut id per Prælatum, seu Administratorem agatur, ut vasa renoventur, atque in meliorem, & moderniorem formam reducantur, ut in calicibus, & pyxidibus, atque crucibus, & candelabris, aliisque similibus auri, & argenti vasibus communis, ac frequens praxis docet, unde propterea ista est quæstio potius facti, quam juris pro facti qualitate prudenti arbitrio decidenda, cum etiam seclusa dicta credulitate, quod pro renovatione id fiat, frequenter impropria alienatio jure pignoris in Ecclesiæ urgentiis sequi soleat, ideoque punctus est, an facti circumstantiæ in tertio bonam, vel malam fidem redoleant.

Quo vero ad semoventia, quamvis DD. veram, ac juridi- 23
cam adhibeant distinctionem inter animalia singularia, & ea quæ gregem, seu universitatem constituunt, sive pars fundorum, ac bonorum stabilium tanquam eorum instrumenta

dici possint ex iis, quæ, cæteris relatis, deducta habentur
apud modernum collectorem Barbosam *de Episcopo, dicta
alleg.* 95. *n.* 37. *& seqq.* Attamen quoad tertios, in quos
alienationes fiant, eædem distinctiones intrare videntur
inter ipsum Prælatum, vel Administratorem alienantem
quoad ejus culpam, ac pœnas, & tertios, in quos alie-
natio fiat, ubi hæc de singularibus animalibus sequatur ob
eandem rationem supra ponderatam, secus autem, ubi
de ipso corpore, seu universitate, cum tunc dicta ratio
usualis commercii non intret, atque tertius advertere de-
beat, an in Prælato, vel alio Administratore legitima fa-
24 cultas accedat necne, juxta eam distinctionem, de qua
ad materiam text. *in l. cum tabernam, ff. de pignor.* habe-
tur *sub tit. de credito* super puncto, an hypotheca contra
tertium sit exercibilis in mercibus, & animalibus.

25 Quoties tamen agatur de eo grege, qui veram universi-
tatem constituendo, perpetuæ conservationi sit aptus, ob
renovationem, quæ mediante subrogatione novorum capi-
tum in locum deficientium ex fœtibus datur, juxta distin-
ctionem, quam in dicta ususfructus materia etiam habe-
mus, nil enim refert, quod animalia in magno numero sint,
adeout gregem constituant, si hanc aptitudinem non ha-
beant, ut contingit in gregibus porcorum, qui macello
destinati sunt, sive boum aratoriorum, cum similibus.

26 In arboribus quoque prædiorum Ecclesiæ cadit quandoque
prohibitio, ubi non agatur de sylvis cæduis, quæ incisio-
ni destinatæ sint (quia in ea consistat fructus), sed conser-
vationi, earum fructu consistente in eo, quod singulis annis
ab eis producitur, ut sunt baccæ, glandes, castaneæ, & simi-
les, verum, & in hac specie eadem distinctio pro facti quali-
tate intrare videtur inter Prælatum, vel Administratorem
vendentem arbores, seu earum incisionem demandantem,
& tertium cui alienatio fiat, quoniam plures dantur casus,
in quibus etiam in sylvis non cæduis aliquarum arborum
incisio licita sit, ut aliæ melius crescant, & proficiant, ut
vulgo dicitur, ad rarefaciendum, cum densitas, quæ ab
excrescentia resultat, præjudicialis esse soleat pascuis, &
fructibus, sive quod ob eorundem pascuorum usum ali-
quam incisionem pastoribus, & custodibus animalium per-
mittere oporteat, vel congruat, juxta ea, quæ in hoc pro-
posito incisionis arborum in sylvis Ecclesiæ habentur apud
Lotter. *de benefic. l.* 3. *quæst.* 25. *n.* 26. *& seqq.* & in Ve-
nusina. seu Melphien. *sub tit. de jurisdict. disc.* 81.

27 In molendinis etiam DD. disputare solent, sed quæstio
vere cadit solum in iis, quæ loco mobilium potius quam
stabilium de communi usu habentur, ut sunt ea molendina
lignea, quæ in ipsomet flumine, adinstar navium assistunt,
ut in Urbe cernimus, secus autem in iis, quæ in solo adin-
star domorum constructa sunt, quamvis alicui devastatio-
ni, vel deteriorationi ob magnas, ac insolitas inundatio-
nes fluminis subjaceant; id enim pro majori, vel minori
periculo valorem alterat, non tamen bonorum qualita-
tem, seu naturam corrumpit, adeout cum vere soli stabilia
sint, mobilium loco haberi debeant, ut aliqui æquivo-
cando, unamque speciem cum altera confundendo, male
opinantur, attendendo pro consueto pragmatico abusu au-
ctoritates, ac doctrinas in sola littera, aliud non distin-
guendo, vel ratiocinando contenti, quod auctoritas de
molendinis loquatur, ut pluries in praxi sum expertus.

De stabilibus vero, ac aliis sub hac prohibitione caden-
tibus, quæ ob exiguum valorem ab ea exempta sint, juxta
terminos text. *in cap. terrulas* 12. *q.* 2. habetur infra in ul-
tima inspectione super casibus exceptis, seu limitatis.

28 Secunda principalis supradistincta inspectio est super spe-
cie, seu qualitate alienationum, vel contractuum, qui
sub hac alienatione cadant necne, atque in ita, quæ de
jure sub veræ, ac propriæ alienationis vocabulo veniunt,
ut sunt venditio, datio in solutum, (quæ venditionis spe-
ciem in omnibus habet) donatio, & similes actus, per quos
dominium pleno jure, ac omnino ab alienante abdicatur,
29 ac transfertur in eum, in quem alienatio fiat, extra con-
troversiam est, sub hac prohibitione venire, quæ permuta-
tionem quoque comprehendit, ut clare disponit tex. *in
cap. nullis, de reb. Eccles. non alienat.* ibique communiter
Scribentes, de quibus Fagnan. *in eod. cap. nulli*, Rot. apud
Gregor. *decis.* 113. *dec.* 157. *n.* 4. *p.* 3. *recent.* Cadente so-
30 lum dubietate in ea permutatione, quæ cum Principe, vel
Republica fiat, ex deductis infra in ultima inspectione in-
ter limitationes, seu casus exceptos.

Verum ubi dicta omnimoda alienatio perpetua totius,
ac pleni dominii non fiat, sed illa, vel perpetua, vel ad lon-
gum tempus sequatur in parte, puta dominii utilis, dire-
cto retento, ut contingit in concessionibus in feudum, vel 31
emphyteusim, seu livellum in perpetuum, sive ad certas
generationes, & ultra triennium, idem dicendum est.

Idemque in locationibus, quoties illæ fiunt ad longum 32
tempus, cum tunc quædam dominii utilis species in con-
ductorem transferri videatur, seu aliquod jus considerabile
in re conductori acquiri, cadente solum in terminis anti-
quorum Canonum quæstione super dictæ qualitatis verifi-
catione, quando scilicet dicatur locatio ad longum tempus
necne, super quo variæ habentur opiniones, aliis volenti-
bus juxta regulam Feudistarum, talem dici eam locatio-
nem, quæ fit ultra decennium, non autem infra, aliis ve-
ro diversum tempus majus, vel respective minus attenden-
tibus, & aliis id remittentibus Judicis arbitrio pro bono-
rum, ac Regionum qualitate, & moribus, ut *sub tit. de lo-
cato* quandoque insinuatur, istam vero quæstionem sustulit
eadem Pauli II. Constitutio registrata in dicta *Extrav. Am-
bitiosæ*, cum qua in hac materia vivimus, dum per eam trien-
nii tempus præscriptum est, ultra quod quælibet concessio,
sub locationis, vel feudi, aut emphyteusis, seu alio vocabu-
lo, invalida reputatur, atque illicita alienatio declaratur,
unde propterea antiquorum labores, & quæstiones ita hodie
in Foro inanes remanent, scholis, & academiis pro inge-
niorum exercitio solum adaptabiles.

Adeoque locatio, vel similis contractus, ultra dictum 33
triennale tempus prohibitus est, ut rejecta contraria senten-
tia, volente actum vitiari in excessu, firmum autem rema-
nere in tempore licito. In Rota, & Curia magis recepta,
hodieque plana sit opinio, ut utile per inutile vitietur, ideo-
que corruat actus in totum, etiam pro ipso triennio, juxta
decisiones, & auctoritates, de quibus in Bojanen. *sub tit.
de locat. disc.* 22. ubi examinatur quæstio, an valeat loca-
tio ad triennium sub pacto, ut eo finito pro alio triennio
facta censeatur, & sic successive, adeout tot dicantur loca-
tiones, quot sunt triennia, & quicquid aliqui æquivocando
involvant, omnino vera videtur distinctio ibi tradita, quod
aut dictum pactum renovationis est necessarium ab initio,
adeout locatio pro secundo, vel ulteriori triennio, præcise
derivat a primo contractu, & tunc sit verius actum ca-
dere sub prohibitione, atque in totum corruere, aut con-
tinuatio pendet ab omnino libera utriusque contrahentis
voluntate, solumque de illa conventum sit in casu perseve-
rantiæ, seu voluntatis in contrarium non declaratæ, & tunc
secus, quoniam isto casu fingitur vere omnino novum con-
tractum ex integro celebrari per viam novæ voluntatis, &
conventionis ita mediante silentio explicatæ, ex ibi latius
deductis, idemque in casu converso conductionis, quam
a non prohibito Ecclesia faciat, ut ibidem Rot. *decis.* 375.
n. 6. *p.* 5. *rec. & dec.* 181. *n.* 19. *& seqq. p.* 10.

Hinc proinde in hac locationis, vel consimilis conces- 34
sionis materia, Forum illas quæstiones raram audire vide-
tur, quæ cadunt super dicti triennalis temporis regulatione
pro diversa natura bonorum, seu qualitate, cum non in
omnibus prædiis, ac bonis, præsertim rusticis, cursus sola-
ris annum conficiat, sed quælibet integra fructuum perce-
ptio pro uno anno reputetur, ad not. *in l. item quæritur, §.
Qui impleta, ff. locat. ex cumulat. dec.* 219. *n.* 7. *p.* 10. *rec.*
cum aliis, de quibus *sub tit. de dote disc.* 160. ubi de hac
materia regulationis annorum pro repartitione fructuum, &
a quibus dotalibus terminis, eandem regulam desumpserunt
Beneficialistæ, ut advertitur in sua materia *sub tit. de be-
neficiis*, & sub altero *de pensionibus*.

Et in specie advertitur per Rotam *d. decis.* 219. *num.* 7. 35
p. 10. *recent.* ex hoc resultare, quod usus recepit in Urbe,
ejusque adjacentibus locis, quod ea prædia rustica, quæ ca-
salia nuncupantur, ad novennium licita sub isto locationis
contractu veniunt, id enim non provenit ex particulari
consuetudine, ut aliqua sentorum simplicitas putabat, sed
ex dicta ratione, quod cum ista prædia diversimode singu-
lis annis coli soleant, neque integer uniformis fructus perci-
piatur, nisi expleto triennio, eoque peræquato, hinc proinde
quodlibet triennium pro uno anno habetur, & consequen- 36
ter novennium triennale tempus constituere dicitur, & sic
successive, idemque terminus triennii in locatione bonorum
Ecclesiæ non solum a Prælato, vel Administratoribus ser-
vari debet, sed etiam a laico creditore, qui in Salviano,
vel alio remedio ipsa bona detineat, ut sibi satisfiat de fru-
ctibus, ut advertitur *sub tit. de locato disc.* 38.

Quod autem dicitur de trina fructuum perceptione inte- 37
gra discreta, ac pro facti, & bonorum qualitate recipiendum
est, non autem ita indefinite, cum legi fraus desuper fieri va-
leat, seu cessare possit finis, ob quem prohibitio inducta est,
siqui-

Siquidem in sylvis cæduis quodlibet decennale, vel tricennale, aut majus tempus incisionis pro ipsius sylvæ qualitate destinatum, de jure pro uno anno reputatur, & tamen absonum videtur, ut licita dicenda sit locatio ad 60. vel 90. annos, cum ita resultare valeat illud usurpationis inconveniens, ob quod locatio ad adeo breve tempus triennii restricta sit.

38 Ubi vero de magis lata, & impropria alienatione agatur, quia nempe ipsius rei dominium, ac possessio de facto ab Ecclesia non abdicentur, neque in alterum transferantur, sed actus fiat, per quem ipsi Ecclesiæ, vel ejus bonis onus adjiciatur, vel alteri jus tribuatur, quod ipsa bona afficiat, ipsiusque rei substantiam feriat, ut contingit in servitutibus prædialibus, vel mixtis, receptum pariter est hanc speciem sub dicta prohibitione cadere, dum extra controversiam hodie receptum est, consignativi census impositionem super Ecclesiæ bonis prohibitam sapere alienationem, ut *dec.* 27. *&* 28. 36. *&* 37. post Cenc. *de cens.* Romane Census 15. Aprilis 1652. coram Bichio, & sæpius, & conferunt quæ habentur infra *disc.* 28. ut census veniat sub Statuto Urbis 113. Licet enim census ex veriori sententia rei censitæ dominium non importat, minusque jus vere reale, sed solum quandam magis specialem hypothecam tribuat, ex deductis per Cenc. *de cens. quæst.* 23. & in sua materia *sub tit. de cens. & sub titul. de Regal. disc.* 92. attamen, quia ipsam rem specialiter afficit, receptum est, prohibitam alienationem continere, cadente quæstione, ubi census imponatur pro extinctione alterius census, de quo Salgad. *in labyr. par.* 2. *cap.* 17. *nu.* 46. *& seqq.* Duard. *de cens.* §. 1. *q.* 19. *n.* 40. *& alii.*

39 Nisi census reservativi, vel consignativi assumptio occasionalis, vel causativa esset, quia nempe bona censu gravata acquirantur, vel pro pretio non soluto imponatur super ipsamet re in ipsomet actu, non autem super aliis Ecclesiæ bonis, juxta plene deducta per Rotam apud Rojas *decis.* 205. *&* 261. & admittitur in dicta Romana census 15. Aprilis 1652. coram Bichio.

40 In hypotheca vero, post Scribentes, eadem Rota variavit, siquidem apud Rojas *decis.* 161. 205. *&* 230. indefinite credidit, hanc speciem alienationis non cadere sub prohibitione, ubi potissimum occasione acquirendi alia bona, seu alias ex legitima causa contracta sit, discusso tamen deinde puncto prius in plena Signatura Gratiæ, ad quam recursum habuit Pars victa, & postea in Rota reproposita causa coram eodem Rojas, dictæ decisiones moderatæ, seu declaratæ fuerunt, ut dicta conclusio procedat in hypotheca generali, vel etiam speciali pro solo exercitio super fructibus, non autem quod exerceri possit in proprietate per subhastationem, vel aliud remedium, dum ita resultaret inconveniens, quod indirecte fieret id, quod directe prohibitum est, ut *in dicta decis.* 261. quæ reputatur in materia magistralis pluries canonizata, præsertim in dicta Romana census 15. Aprilis 1652. coram Bichio, edita in causa, de qua infra *disc.* 7. Et de hypotheca plura deducit Fagnan. *in dict. cap. nulli hoc tit. n.* 29. *& seqq.*

41 Est bene verum, quod ubi de hujusmodi impropriis, ac remotis alienationibus agitur, itaut non devenietur ad actum facti, abdicationis scilicet dominii, & possessionis bonorum ab Ecclesia de facto, sive quod alter fiat actus notorie prohibitus, & inexcusabilis, actus quidem erit nullus, non tamen fiet locus censuris, ac pœnis, ut infra in quinta inspectione super effectibus ex hac prohibita alienatione resultantibus.

42 Super transactione autem, quæ fiat in bonis, vel juribus sub lite existentibus, nimis variant Scribentes, aliquibus generaliter opinantibus, ut quoties collusiva, & malæ fidei non sit, per quam prohibita alienatio sub hoc affectato vocabulo veletur, dici non debeat alienatio prohibita, utpote sapiens speciem rei judicatæ, sive prudentis assecurationis partis, ne amittatur totum per incertam aleam eventus litis, juxta ea, quæ habentur *sub tit. de fideicommissis*, et sub altero *de feudis*, *& de emphyteusi*, ac alibi super articulo, an, & quando alienari prohibitus, transigere valeat, adeout obliget etiam successores.

Alii vero distinctionem adhibent, an bona, super quibus transigitur essent penes Ecclesiam, quæ partem collitiganti dimittat, ut tunc dicatur alienatio prohibita, secus autem si non possideat, unde propterea potius acquirat, ut tunc sub prohibitionem non cadat, quasi quod cesset ratio prohibitionis.

Indefinite autem, his opinionibus reprobatis, in Rota, & Curia recepta est opinio simpliciter affirmative super comprehensione transactionis sub hac prohibitione, quoties fiat super bonis, vel juribus alienari prohibitis, quæ in toto, vel in parte remittantur, non curato, an possessio de facto sit penes Ecclesiam, vel penes aliam Partem, ut cæteris relatis apud Coccin. *decis.* 301. *n.* 1. *decis.* 270. *par.* 4. *recent. n.* 7. *dec.* 518. *nu.* 6. *&* 7. apud Posth. *de manut. cum concord. relatis* per Adden. ad Gregor. *decis.* 418. *nu.* 17. & ad Buratt. *decis.* 690. Otthob. *decis.* 159. *&* 220. ex quibus patet idem procedere, quamvis super juribus incorporalibus inter duas Ecclesias, vel duo corpora Ecclesiastica transactio fieret.

Nisi Ecclesia omnia controversa bona, vel jura alienari prohibita obtinendo, per transactionem, aliquid collitiganti præstet in pecunia, vel aliis rebus alienari non prohibitis, sive etiam debitum contrahat cum eodem transigente, vel cum alio, solvendum cum fructibus, ita & taliter, quod bonorum substantia in proprietate non tangatur, ut apud Rojas *decis.* 364. *num.* 11. *&* 12. & in aliis per Adden. ad Buratt. *decis.* 690. *litt. B.*

Limitationem tamen dicta conclusio recipiente, ubi ageretur de transactione super decimis, vel aliis juribus Parochialibus ex iis, quæ habentur infra in ultima inspectione super limitationibus.

Voluntarium item compromissum cum transactione fraternizat, atque species prohibitæ alienationis dicitur, ubi
fiet super bonis, & juribus alienari prohibitis, secus autem, 43
ubi sit necessarium ex necessitate inducte ab ea lege, quæ Ecclesiam obliget ea iis, quæ, cæteris relatis, habentur apud Cavaler. *dec.* 327. *num.* 4. apud Cels. *decis.* 200. *num.* 8. *& in aliis ibi relatis*, & conferunt quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 49. super quæstione, quam tractant Feudistæ, præsertim Regnicolæ, an in causis feudalibus voluntarium compromissum sine assensu fieri valeat.

Actus quoque judiciales, vel extrajudiciales, qui a solo Prælato, vel Superiore, absque aliqua specie contractus fiant, sub hac prohibitione veniunt, quoties bonorum, vel
jurium Ecclesiæ alienatio, vel diminutio sequatur, ut ad 44
dismembratio Ecclesiæ, vel partis Populi, seu territorii, sive unio subjectiva, aut divisiva, & similes, ex iis, quæ plene aliis relatis habentur apud Otthob. *dec.* 6. *dec.* 224. *p.* 10. *rec. dec.* 320. *part.* 12. *& sub tit. de Parochis*, *disc.* 35. et etiam *sub tit. de beneficiis*, ad materiam unionis, & alibi.

Verum ista species alienationis non subjacet simpliciter, ac indefinite dispositioni *d. Extravag. Ambitiosæ*, super præcisa necessitate copulativi interventus justæ causæ, & solemnitatis beneplaciti Apostolici, sed solum urget necessitas primi requisiti super justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, aliunde tamen, ac extrinsecus justificanda, non autem per solam assertionem ipsius Prælati, quoniam prohibitus facere, est etiam prohibitus confiteri, aliis quoque requisitis desideratis, potius tamen pro interesse, quam pro solemnitate, pure consensu Rectorum, & Parochianorum, cum aliis, de quibus in proxime supra allegatis decisionibus.

Tertia superius distincta principalis inspectio est super causa, quæ in hujusmodi alienationibus desideratur, & sine qua, ut dictum est, solemnitas beneplaciti Apostolici nihil prodest, cum absque dubio istud causam non suppleat, illaque consistit, vel in necessitate, vel in evidenti utilitate, ut
ad litteram in eadem *Extrav.* disponitur, ac passim habetur 45
in omnibus supra allegatis, cum sit principium absolutum, Unde propterea quæstio facti potius, quam juris esse dicitur, quando scilicet adesse dicatur necessitas, quæ præcise ad id cogat, adeout non sit alias consulrem, et qua non consulendo majus damnum resultare possit; frequentiores autem forenses quæstiones sunt super utilitate, ex cujus causa praxis docet hujusmodi alienationes fieri, debet enim esse utilitas certa, non autem incerta, & adeout Ecclesia plus percipiat alienando, quam retinendo, unde non sufficit, quod non sit in damno, nisi lucrum percipiat, ex deductis *decis.* 241. *n.* 25. *decis.* 261. *nu.* 14. *decis.* 284. *n.* 1. *& decis.* 319. *num.* 1. *part.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 94. 243. *&* 252. *par.* 7. *dec.* 275. *p.* 50. & in aliis, & quotidie, cum nil frequentius, adeout in hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ ad læsionem regulandam non intrent termini Text. *in l.* 2. C. *de rescind. vendit. & in cap.* 2. *&* 3. *de empt. & vendit.* an læsio sit ultra, vel infra dimidiam; quoniam in voluntariis alienationibus, eo ipso quod Ecclesia non est in lucro, dicitur esse in damno.

Eadem utilitas tamen regulari debet, attento tempore con-
tractus, quando eam adesse sufficit, non curato, an superve- 46
niens accidentalis rerum mutatio damnum causet, dum poterit etiam causare lucrum, ut *d. decis.* 319. *nu.* 10. *& seqq.*

*par.4. rec.tom.2.decis.*129. *nu.*18. *& seqq. dec.*243.*num.*15. *&* 252. *numer.* 16. *par.* 7. Duran. *decis.*397. *num.*13. *& seqq.* & frequenter, ita tamen quod tempus, in quo contractus fiat, sit solitum, & naturale, probabiliter ita duraturum, non autem accidentale, quia nempe, ob divini, vel humani belli calamitates, seu ob alia accidentia, rerum valor, vel fructuum quantitas diminutionem habuerit, subsit vero
47 spes, quod progressu temporis ad priorem non calamitosum, seu accidentalem statum res possit redire, cum tempore calamitosa, vel accidentalia, tam in hac materia alienationis, quam pro regulando valore, aliisque effectibus, attendi non debeant, ut apud Mantic. *decis.* 101. *num.* 4. Seraph. *decis.* 1073. *nu.* 4. *&* 5. *d. decis.* 129. *num.* 10. *par.* 7. *rec.* & in aliis frequenter, & conferunt quæ habentur in Assisien. oblationum *sub tit. de præeminentiis*, *disc.* 11. ac etiam *sub tit. de emphyt.* pluries in proposito aliquarum alienationum, vel concessionum factarum in Urbe de tempore proxime ejus excidio.

Ad regulandam item dictam utilitatem, pro Judicis prudenti arbitrio habenda est ratio de pactis favorabilibus, vel respective præjudicialibus, aliisque circumstantiis, valorem augentibus, vel respective minuentibus, adeous vere in hac
48 materia non detur certa, & determinata juris regula generalis, sed tanquam in quæstione potius facti, quam juris, decisio pendeat ab ipsius facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, puta quod concessionarius pro aliquo minori pretio, vel reddito rem obtineat intuitu solutionis summæ, ex cujus erogatione in investimentum fructiferum, seu in extinctionem æris alieni fructiferi contracti, vel quod alias contrahere oportebat, ita resultet utilitas, vel quod concessionarius in se assumat omnes casus fortuitos, quod pro qualitate bonorum, vel Regionum, seu temporum, sit nimium considerabile, aut quod promittat notabilia facere melioramenta non reficienda, sed reversura, cum similibus, habita quoque ratione, an concessio sit ab breve, vel longum tempus, juxta *decis.* 101. Manticæ *nu.* 1. & advertitur *sub tit. de locat. disc.* 23. Ac etiam pro idoneitate, & securitate personæ, juxta ea, quæ in supra allegatis decisionibus, ac frequenter in aliis habentur, quarum plures in hac materia videntur primo aspectu contrariæ, talesque ab ignaro vulgo reputantur, sed male, cum diversæ potius sint, pro singulorum casuum diversa qualitate, ob quam eædem circumstantiæ individuales, quæ in uno casu sufficiunt ad utilitatem concludendam, in altero juridice reputantur minus justæ, quia sic unius, vel alterius facti qualitas exigat, juxta ea, quæ circa pondus, vel efficaciam con-
49 jecturarum, vel præsumptionum pluries habentur *sub tit. de fideicomm.* & alibi, cum revera positiva ineptia sit, Pragmaticorum tamen, & Collectorum frequens, ex decisionibus, vel auctoritatibus aliquid in uno casu firmantibus, generalem desumere regulam, seu conclusionem cuicumque casui applicabilem, cum oporteat debitam combinationem facere, ad effectum congruæ applicationis, in qua totum consistit, habendo etiam respectum ad qualitatem bonorum, an sint magis, vel minus qualificata, sive annexam habeant jurisdictionem necne, pro locorum tamen, seu Regionum qualitate, ac moribus, non autem ab una Regione ad aliam arguendo.

50 Ut cum aliquo æquivoco processum esse videtur apud Merlin. *decis.*702. *repet. decis.*94. *par.*7. *rec. num.* 56. *& seqq.* Cum enim in Statu Ecclesiastico bona jurisdictionalia æstimentur ad duo, vel duo cum dimidio pro centenario, ut dictum fuit usque a temporibus Seraphini *disc.* 1030. hinc in una Messanen. feudi, disputata in Rota coram Merlino in supra allegata decisione, ponderando quod ageretur de feudo jurisdictionali, ad regulandam Ecclesiæ læsionem, seu deficientem utilitatem, dictum fuit, quod valeret duplo magis, quam valerent bona allodialia, sed hoc argumentum non bene procedit, quoniam in Statu Ecclesiastico, bona sunt allodialia ad liberam dispositionem, ac transmissionem in quoscumque extraneos, atque ob eorum penuriam productam a Bulla S. Pii V. de non infeudandis, vel ob copiam pecuniæ investiendæ per novas domos, quæ in dies excitantur, id provenit; istæ autem rationes non congruunt feudis aliarum ditionum, in quarum plerisque illa minus æstimantur, quam allodialia privata, adeout feudalitas minuat de valore, ex iis, quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 19. Igitur erroneum est, ex iis, quæ dicuntur in una specie bonorum unius Provinciæ, vel Regionis, arguere ad reliqua omnia, seu generalem regulam statuere, juxta maledictum, ac semper declamandum modernum pragmaticum abusum, quoniam reflectendum est ad illius casus controversi individuas circumstantias, & an eis ponderatis, congruant ea, quæ in diverso casu statuta sunt.

Ad utilitatem, vel respective læsionem regulandam, ponderari quoque solent merita ejus, in quem fit alienatio, vel concessio, quasi quod benemerentia sit pars pretii, ejus- 51
que diminutionem aliquam compenset, ex deductis per Redoan. *hoc tract. de reb. Eccles. non alien. q.* 22. *n.* 23. *& seqq.* Verum ista consideratio per Rotam neglecta fuit in Gerunden. coram Merlino *inter suas decis.* 756. 764. *&* 775. *repet. decis.* 243. *&* 252. *par.* 7. *recept.* ubi de quadam concessione facta nostro Fontanellæ pro minori pretio in recompensam ejus meritorum resultantium a munere Advocationis, quod pro Ecclesia impenderat, dum præcise merita non probabantur, ita & taliter, quod non ex simplici ratione congruentiæ, vel antidorali obligatione, sed ex debito justitiæ producente efficacem obligationem, illud præmium exigerent, juxta distinctionem, de qua *sub tit. de feudis*, *disc.* 94. & in sua materia *sub tit. de donat.* quoniam aliud est considerare donationem remuneratoriam inter prohibitos, & aliud inter non prohibitos. Atque aliud est ad effectum reddendi donationem aliqualiter causativam, & ne dici possit omnino proveniens a liberalitate, seu profusione, quod de sui natura perditionem importat, aliud vero, ut concurrente termino donationis in solo vocabulo, in effectu sit potius contractus onerosus, seu correspectivus, ut intret obligatio evictionis, vel cesset necessitas insinuationis, aliarumque solemnitatum, cum similibus.

Quando autem utilitas non consistit in commodo bursali, sed in re intellectuali, puta jurisdictionali, vel præeminen- 52
siali, juxta casum, de quo in dicta Assisien. oblationum *sub tit. de præeminentiis disc.* 11. & alterum, de quo *sub tit. de jurisdict. disc.* 24. cum similibus, tunc metienda est utilitas diverso modo, ut circa utilitatem salutis animarum, vel cultus divini, aliorumque spiritualium advertitur in supra allegatis *decisionibus* 224. *par.* 10. *&* 320. *par.* 12. *recent.* cum aliis per Lotter. *de benef. lib.* 1. *quæst.* 28. *& sub tit. de Parochis*, *disc.* 35. ac pluries *sub tit. de benef. in genere.* in proposito subjectivæ unionis, vel divisionis, seu dismembrationis Ecclesiarum.

Atq; ubi agitur de alienatione facta per viam transactionis, procedendum est cum iis regulis, de quibus pluries habetur *sub tit. de fideicomm. disc.* 173. *cum seqq. & sub tit. de feud. disc.* 49. *& de emphyteusi*, *disc.* 52. ac etiam *sub tit. de emptione, & venditione*, æstimando scilicet probabilem even- 53
sum litis, ab istius majori, vel minori dubietate, ita conjiciendo, an prudens, ac laudabile consilium fuerit ad eam transactionem devenire pro majori utilitate resultante, tam ab exemptione dispendiorum litis, quam ab assecuratione dubiæ partis, quæ periculo amissionis quoq; subjacebat, ideoque tanquam in quæstione facti, certa regula desuper tradi non potest, sed a facti qualitate decisio pendet.

Circa quartam inspectionem super altero essentiali requisito beneplaciti Apostolici, quod cum justa causa copulative necessarium est, ut supra, illa in plures alias subdistinguitur, primo scilicet circa ejusdem beneplaciti validitatem, vel subreptionem, aliamque invaliditatem, adeout vitium sit in ipsius gratiæ substantia, secundo circa ejus bonam, vel malam executionem, ejusque formam bene, vel male servatam, & tertio circa ejusdem solemnitatis præsumptionem a diuturna observantia resultantem, quando antiquus possessor bonorum, vel jurium, quæ alias Ecclesiæ fuerunt, de alienationis validitate docere cogitur non habens expressum beneplacitum Apostolicum, unde propterea ad præsumptum confugere cogatur.

Quatenus pertinet ad primum, non habemus in hac materia certa, & determinata regula, ideoque procedendum venit cum iis, quæ generaliter habemus in materia assensus Domini in alienatione rei feudalis, vel emphyteuticæ, sive in materia derogationis fideicommissi, ac facultatis a Supremo Principe, vel altero ad id potestatem habente, pro alienandis bonis fideicommissi, vel majoratus cum similibus, cumque materia subreptionis, & ob- 54
reptionis dicatur arbitraria, utpote pendens a facti circumstantiis arguentibus intentionis verisimilem defectum necne, ut frequentissimum in hac subreptionis materia habemus, idcirco certa generalis regula tradi non potest, sed totum pro Judicis arbitrio ex singulorum casuum particularibus circumstantiis regulandum est.

Illud autem in hac materia peculiare videtur, ut solum inspiciatur, an adsit per Papam præsupposita evidens Ecclesiæ utilitas, sine qua concedi non solet hujusmodi beneplacitum, (quod proinde in forma *si in evidentem* vulgo dicitur) ea

enim

enim accedente non curatur de aliis, quæ expressa, vel
respective tacita sint, ut apud Mantic. *dec.* 101. *n.* 5. Se-
raph. *dec.* 443. n. 1. *cum aliis dec.* 319. *n.* 4. *& seqq. p.*
4. *rec. tom.* 2. *& d. dec.* 94. *n.* 61. *&* 74. *cum seqq. p.* 7.
rec. & alibi pluries, ideoque concessum pro una persona,
suffragatur pro altera, quoniam Papa non considerat per-
sonas, sed utilitatem Ecclesiæ, Rot. *dec.* 228. *n.* 21. *p.* 7.
& dec. 46. *nu.* 18. *& seqq. p.* 10. nisi facti particulares
circumstantiæ aliter suadeant.

55 Quamvis enim, ubi consoli potest cum aliis bonis mi-
noris existimationis, vel qualitatis, invalida reputetur fa-
cultas alienandi alia magis qualificata, & habentia ali-
quam circumstantiam, quæ si fuisset narrata, verisimili-
ter concedentem facultatem retrahere, vel difficiliorem red-
dere potuisset, ex iis, quæ in materia facultatis alienan-
di bona fideicommissaria habentur *sub tit. de fideic.* præ-
sertim *disc.* 161. ac etiam *sub tit. de dote disc.* 145. ad
materiam alienationis pro dote *in vim auth. res quæ*, C.
commu. de legat. & alibi; attamen id ibi procedit, quia
ex sola ratione necessitatis hujusmodi facultas concedi so-
let, ideoque diversa intrat ratio, quam ubi fiat ex causa
utilitatis, ac etiam quia dicta circumstantia quod aga-
tur de bonis qualificatis, & quod alienare non expediat,
attendenda est pro eadem utilitate metienda, qua non be-
ne justificata, intrat subreptio magis substantialis, ideo-
que alii minores defectus negliguntur.

56 Pro ejusdem beneplaciti validitate quæri solet, an de-
beat ejus impetratio præcedere alienationem, vel possit
subsequi, & an in casu, quo subsequi valeat, fieri debeat
mentio alienationis jam factæ, & quamvis Genuen. *in
praxi Episcop. c.* 52. credat, ut debeat præcedere, & cum
eo pertranseat de Marin. *resol.* 6. n. 16. *cum seqq. lib.* 1.
Attamen Rota contrarium recepit, talisque est praxis in
his terminis, in quibus obstet solum dispositio *Extravag.
Ambitiosæ*, secus autem, ubi obstet prohibitio Constitu-
tionum Apostolicarum, ut est in alienationibus bonorum
stabilium in forenses, vel jurisdictionalium etiam in sub-
57 ditos, Coccin. *dec.* 374. *n.* 4. *cum seqq.* Duran. *dec.* 397.
n. 9. *cum seq.* ex Franch. *dec.* 163. *n.* 12. *& aliis*, quoniam
eo ipso, quod verificatur dictus finis evidentis utilitatis,
ob quem prodiit prohibitio, ad impediendam supplanta-
tionem, quam Prælati, & Rectores facere solebant, ut
bona Ecclesiæ traderent conjunctis, vel benevolis, non
insistitur in aliis subtilitatibus, quæ cadere solent circa
assensum requisitum in alienatione feudalium, ac aliorum
bonorum in commercio non existentium.

58 Cumque beneplacitum, postquam obtentum est, quoties
illud justificetur, quod sc. bona fide alienatio cum narrata
evidenti utilitate sequuta sit, retrotrahatur, atque actum
revalidet ab initio, hinc proinde, non data intermedia
pœnitentia, seu revocatione actus, non intrat quæstio,
quam habemus in feudalibus, vel similibus examinatam *sub
tit. de feud. disc.* 109. an sc. post mortem unius ex contra-
hentibus beneplacitum impetrari valeat absque novo con-
sensu hæredis, vel successoris, quoniam ubi successor re in-
tegra non revocaverit actum, novus ejus consensus non de-
sideratur, neque dissensus attenditur, cum (ut infra in se-
quenti inspectione) pœnitendi facultas cesset post benepla-
citum obtentum, quamvis adhuc non executum, ut apud
Coccin. *d. dec.* 374. Duran. *d. dec.* 397. *n.* 14. *&* 25. *cum
seqq.* ubi plene respondetur objectis *dec.* 82. *n.* 10. *p.* 6. *rec.
& in aliis*, bene siquidem proficuum est successorem dis-
sentiri potius, quam assentiri, ut ita cum oppositora, uti-
litatis criticatio fiat, si enim non adest, actus infectio re-
sultat, non ab ejus oppositione, sed a deficiente substan-
tiali requisito, & si adest, esset species malignæ oppositio-
nis actui utiliter gesto per prædecessorem, ejusque fidem
sine causa violare, sibique imputet, cur re integra solli-
citus non fuit uti illa pœnitendi facultate, quam habebat.

59 Frequentiores autem quæstiones in Foro cadere solent
super mala beneplaciti executione, cum idem sit illud es-
se male executum, ac nullatenus adesse, ut *dec.* 375. *p.* 5.
rec. dec. 319. *n.* 15. *p.* 4. *tom.* 2. & frequenter de Marin.
d. resol. 8. *lib.* 1. Duran. *d. dec.* 250. Adeout, si executor
60 male processerit, cum ita ejus jurisdictio consumpta sit,
denuo ad alium actum procedere non possit, ut ap. Du-
ran. *dec.* 225. n. 6. *dec.* 631. *nu.* 8. *cum seq. p.* 2. *rec.* &
in aliis.

61 Ad validam vero executionem, inter cætera requiritur,
ut de tempore, quo ad eam proceditur, duret executoris
delegata potestas, quia sc. adhuc vivat Papa, qui con-
cessit, vel sequuta ejus morte, supersit spatium, in quo
durent ejus rescripta in forma commissoria, ut advertitur
ap. Mantic. *dec.* 41. *dec.* 473. *p.* 2. *rec. dec.* 336. *n.* 51. *p.*
10. *rec.* Quoties tamen dicta mors sequatur re integra,
priusquam sc. litteræ Apostolicæ executori præsententur,
secus autem, si postquam præsentatæ sunt, quamvis ad
sententiam, aliaque acta processum non fuerit, quoniam
sufficit in tempore habili firmatam esse jurisdictionem,
ut apud Mantic. *d. dec.* 41. *& d. dec.* 397. Durani n. 22.
& seqq.

Alterum est requisitum, quod forensibus controversiis 62
majorem ansam præbere solet, ut bene ejusdem beneplaci-
ti forma servetur, cum ea neglecta, actus absque dubio
corruat, ut apud Duran. *dec.* 205. *&* 238. *dec.* 295. *&*
350. *p.* 5. *rec. d. dec.* 336. *p.* 10. *& passim*, cadente in-
spectione, an forma ibi præscripta præcise impleri debeat,
vel impleri sufficiat per æquipollens, id autem in hac
materia alienationis bonorum Ecclesiæ decisionem recipe-
re videtur potius a rei substantia, quam a verborum for-
malitate, super dicto sc. implemento finis principalis evi-
dentis utilitatis, dum hujusmodi quæstiones, ut plurimum
cadunt, quando formæ inobservantia causat Ecclesiæ da-
mnum, quia non bene factum sit pretii investimentum,
unde intrat quæstio, an Prælati, vel alterius administra-
toris culpa redundare debeat in damnum emptoris, vel
in damnum Ecclesiæ, quod pendet ab eo, an ad bene-
placiti præscriptum teneatur emptor esse sollicitus nec-
ne, idque pendet, an aliquid præscriptum fuerit pro for-
ma, quæ servata non sit, adeout emptori imputari pos-
sit, cur eam non servaverit, juxta distinctionem, quæ in
similibus terminis derogationis fideicommissi habentur ple-
ne deducta in Bonon. fideicommissi de Rubeis *dec.* 363.
p. 10. *rec.* quæ videtur in materia magistralis, & habetur
infra, & in specie de clausula, *specificatis bonis*, ut non
dicatur impleri forma, nisi fiat specificatio, Rot. *dec.* 624.
n. 2. *p.* 1. *rec. dec.* 336. n. 11. *p.* 10. *dec.* 11. n. 7. apud
Posthium *de manut.*

Super modo autem procedendi, certa forma præscripta 63
non videtur, cum verius hic executor sit potius merus,
quam mixtus, nisi ipsum beneplacitum certam formam in
procedendo præscribat, seu aliquas clausulas adjiciat, quas
implere oporteat, ut *dec.* 350. *n.* 6. *&* 8. *& dec.* 367. *n.* 11.
& 12. *p.* 5. *rec. dec.* 94. *n.* 49. *& seqq. & dec.* 129. *n.* 14.
p. 7. *rec. d. dec.* 336. *p.* 10. *& in aliis*, unde propterea
si duo executores deputati fuerunt, gesta per unum inva- 64
lida sunt, ut *dec.* 204. *p.* 5. *rec.* nisi in uno concurrat utrum-
que officium, vel dignitas, ut in eadem decisione, prout
invalide procedit executor non præsentatis litteris, cum
ita sine jurisdictione procedat, ut *d. dec.* 129. n. 1. *p.* 7.
Atque ubi adest clausula, *vocatis vocandis*, tunc in forma 65
judiciaria citari debent interessati, cum ita executor effi-
ci dicatur mixtus, ut in his terminis advertitur *d. dec.* 66
350. *n.* 5. *& dec.* 367. *n.* 10. *p.* 5. *rec. d. dec.* 94. n. 49. *p.*
7. *dec.* 275. *&* 336. *p.* 10. *& in aliis.*

Est bene verum, quod per istam clausulam, citandus 67
non est Prælatus, vel Administrator Ecclesiæ, quæ alie-
nationem fecit, vel facere vult, cum ad ejus supplicatio-
nem illud concedi soleat, ut *dec.* 636. n. 4. *&* 5. *p.* 1. *di-
vers. dec.* 624. *p.* 1. *rec.* Duran. *dec.* 365. *n.* 13. *& in d.* 68
dec. 275. *p.* 10. ubi, & in aliis proxime allegatis adver-
titur, quod si agitur de alienatione bonorum Ecclesiæ Ca-
thedralis, vel alterius habentis Promotorem fiscalem, seu
alium ordinarium Defensorem, iste citari debet, atque sub
dicta clausula, *vocatis vocandis* venit, idemque si alii ad-
sint, ad quos legitima defensio pertineat, vel aliud con-
siderabile interesse habeant.

Super quæstione autem, an ille, in quem fit alienatio, te- 69
neatur esse sollicitus de versione pretii in causam expressam,
adeout, ea nullatenus, vel male sequuta, corruat actus, seu
alias ejus, non autem Ecclesiæ sit damnum, distinctio est,
an forma in beneplacito præscripta servata sit necne, si enim
servata non fuit, adeout illud, utpote male exequutum ha-
bendum sit pro non extante, planum est, totum damnum
esse ejus, in quem alienatio facta est, quamvis ipse a versio-
nis sollicitudine expresse exemptus fuisset in ipsomet bene-
placito, quoniam intelligitur cum præsupposito, quod ejus
forma servetur, ita enim jus Ecclesiæ non est super mala ver-
sione, sed potius super vindicatione rei propriæ, tanquam
male alienatæ, ut in specie advertitur *dec.* 41. *&* 325. *p.* 10. *rec.*

Ubi vero forma bene servata sit, adeout non obstet defe- 70
ctus male executi beneplaciti, & tunc, aut continetur clau-
sula frequenter adjici solita, ut emptor, seu ille in quem fit
alienatio, non teneatur de investimento esse sollicitus, &
planum

planum est ipsum ad aliud non teneri, ut *dec.* 298. *p.* 9. *rec.* apud Cels. *dec.* 116. *n.* 19. & Othob. *dec.* 249. Licet enim istæ decisiones percutiant diversos terminos Apostolicæ derogationis fideicommissi, attamen eadem est ratio, iidemque termini intrant.

71 Ideoque ejus sollicitudo consistit, ut servetur forma præscripta, quæ ut plurimum esse solet, ut pretium unico contextu investiatur, sive in Æde sacra deponatur ad effectum investiendi; si enim id non servetur, actus corruit ex defectu formæ non servatæ, ut supra, si vero servetur, investimentum autem parum tute, vel parum utiliter fiat, ad aliud non tenetur, quoniam in hoc Papa noluit eum gravare, sed contentus fuit sequi fidem Prælati, seu administratoris Ecclesiæ, contra quem actio pro reintegratione competit, ut in dictis *dec.* 156. Celsi, & 249. Othob. Nisi fraus, vel collusio adsit cum ipsomet emptore, seu in quem fit alienatio.

72 Quatenus vero dicta clausula exemptiva non accedat, tunc attenditur tenor beneplaciti, an investimentum adjiciat pro conditione, vel pro modo, ut primo casu uterque contrahens ad id oneratus censeatur, quoniam idem est conditio, ac forma, quam omnino servare oportet, in altero autem secus, quia dum Papa præsupponendo alienationem jam perfectam, præcipit investimentum per viam modi, ita supponit emptorem exiisse de scæna, atque pretium remansisse ad dispositionem Prælati, seu administratoris, qui investimentum pro opportunitate facere debebit, istius fidem insequendo, ut ita distinguendo cæteris relatis plene habetur *dec.* 41. 325. *&* 363. *p.* 10. *rec. ubi concordantes.*

Quare videtur cadere quæstio potius facti, & applicationis, quam juris, quando scil. versio, seu investimentum præscribatur per viam modi, vel per viam conditionis.

73 In hoc autem Scribentes nimium certant, insistendo potissimum super dictionibus, & clausulis, aliisque verborum formalitatibus, quod pro meo judicio erroneum videtur, quoniam ut in ista quæstione, an aliquid præcipiatur per viam modi, vel per viam conditionis plene advertitur *sub tit. de fideic. disc.* 154 vis non est in verbis, clausulis, & dictionibus, sed in substantia veritatis, an adimplementum præscribatur e parte antea, seu instantanee, quod idem importat, vel a parte postea, ut primo casu importet conditionem, altero autem importet modum, quamvis clausulæ, vel verba in sua propria, & grammaticali significatione diversimode importarent.

74 Eisdem tamen verbis, vel clausulis, & dictionibus nimium conferentibus, ac attendendis in ambiguo, quando incertum est, an uno, vel altero modo Papæ voluntas fuerit.

75 Verum etiam in casibus, in quibus emptor tenetur esse sollicitus, ejus obligatio restringitur ad primum investimentum, quod sufficit bene sequutum esse, quamvis deinde diversimode sequatur, ut contingit in eo investimento, quod fiat in loca Montium, vel census tutos, & idoneos, quorum extinctio tractu temporis sequatur cum restitutione sortis denuo investiendæ, quoniam alia obligatio emptori non incumbit, dum ipse jam omnino exivit de scæna, sed tantum interest Ecclesiæ, eodem modo, quo si pecuniæ aliunde obventæ male investirentur, ut in specie, cæteris relatis, in similibus terminis alienationis bonorum fideicommissi in vim Apostolicæ derogationis, seu facultatis advertitur ap. Cels. *d. dec.* 156. *&* *dec.* 249. Otthobon.

76 Et quamvis in hac materia versionis alia adhiberi soleat distinctio, an alienatio sequatur ex causa necessaria, vel voluntarie, ut primo casu emptor teneatur esse sollicitus de versione, in altero autem non, ex iis, quæ cæteris relatis plene habentur ap. Merlin. *dec.* 219. *repetit. dec.* 463. post Cenc. *de censib.* Attamen rarum est hodie, attenta frequentiori formulæ hujusmodi beneplaciti, seu licentiæ, ut ab hac distinctione decisio pendeat, cum ut plurimum consistat in eo, an per viam conditionis, vel per viam modi id præscriptum sit, ut supra.

77 Item in hoc proposito beneplaciti advertendum est, non sufficere solam supplicationem signatam, nisi accedat expeditio litterarum ob regulam, *de non judicando juxta formam supplicationis*, ut in his terminis Mantic. *dec.* 41. *n.* 3. *dec.* 277. *n.* 14. *p.* 4. *rec. to.* 2. Nisi agatur de illa specie bene-
78 placiti, quæ accedat ex post facto pro simplici confirmatione, seu approbatione pure, non autem in forma commissoria, adeout non indigeat ulteriori executione, ut contingit in confirmationibus concordiarum, ad illas reddendas perpetuas, ac successorum obligatorias, tunc etenim, cum desuper judicandum non sit, sola supplicatione Rotam contentam fuisse, constat *dec.* 218. *n.* 7. *p.* 7. *rec.* vel ubi talis licentia, seu facultas concedatur per Sac. Congregationem Concilii, vel alteram Episcoporum, & Regularium negotiis præpositam, ut in alienationibus, quæ fiunt per Regulares, vel Moniales frequentior praxis docet, ut in Romana Domorum 25. Decembris 1649. & 18. Februarii 1650. coram Bichio, quarum secunda est impressa *dec.* 57. *p.* 11. *rec.* & prima *dec.* 92. post Salgad. *ubi concordantes.*

Bene tamen sola supplicatio signata operatur effectum 79
exclusionis pœnitentiæ alias ex parte Ecclesiæ, quandocumque competentis, ut in eisdem proxime allegatis decisionibus cor. Bichio, & habetur in sequenti inspectione super effectibus ex invalida alienatione resultantibus.

Quando autem accessit beneplacitum, atque ad illius exe- 80
cutionem processum est, intret autem quæstio super justificatione causæ, cui scil. incumbat onus probandi evidentia utilitatis affirmativam, vel negativam, quia nempe non habeantur processus, & acta, ex quibus id apparere valeat, tunc attendendum est, an executor deputatus sit merus, vel mixtus, juxta terminos, ac regulas, quas habemus in materia beneficiali circa executorem litterarum Apostolicarum; quando etenim est merus, quia non obligatur ad actorum formalitatem, sed etiam per extrajudiciales informationes 81
procedere potest, hinc proinde præsumptio est pro executione, quodque ser. ser. ac prævia legitima justificatione causæ ad executionem deventum sit, secus autem e converso, cum tunc executor assumere debeat partes Judicis, ideoque sententia super executione justificari debet ex actis, neque ipsius executoris assertionibus defertur, ut cæteris relatis habetur *dec.* 319. *n.* 8. *&* 13. *cum seqq. &* *dec.* 261. *n.* 6. *p.* 4. 82
rec. to. 2. *dec.* 94. *n.* 43. *& seqq. &* *dec.* 201. *n.* 11. *& seqq. p.* 7. *dec.* 367. *n.* 8. *&* 9. *p.* 5. *& frequenter*, nisi agatur de sententia antiqua, qualis est ea, quæ 30. annos excedit, dummodo cum tempore concurrat etiam observantia juxta *dec.* 1073. Seraph. *dec.* 684. *n.* 1. *& seqq. p.* 2. *rec.*

Sive quod absque culpa, & facto emptoris acta essent deperdita, atque legitimæ justificationis probabilia adminicula, seu argumenta accedans, ut advertitur *d. dec.* 684. *p.* 2. *rec.* & habetur in Bononien. bonorum de Campegiis, *sub tit. de emphyteusi, disc.* 53. *& alibi.*

Demum in hac materie beneplaciti Apostolici, frequen- 83
tes in Foro esse solent quæstiones super illius præsumptione, quando de eo expresse non constat, ut in antiquis alienationibus sæpe contingit, atque attenta sola dispositione juris communis, præscindendo a moderna Constitutione Urbani VIII. de qua infra, receptum est, ex solo tempore longissimo 30. annorum resultare hanc præsumptionem beneplaciti bene executi, & cum justificatione causæ necessita- 84
tis, vel evidentis utilitatis, ex iis, quæ cæteris relatis habentur ap. Mantic. *dec.* 101. *&* 227. Seraph. *dec.* 671. 792. *utrobique n.* 1. *&* *dec.* 1174. *n.* 3. Greg. & Adden. *dec.* 52. *&* 354. Burat. & adden. *dec.* 45. Merlin. *dec.* 702. *alias dec.* 94. *p.* 7. *rec. & frequenter*, cum sit conclusio plana, de qua ad aliud propositum habetur etiam actum *sub tit. de dote disc.* 143. Idque verum etiamsi in ipso alienationis actu beneplacitum nullatenus enunciatum esset, ut apud allegatos.

Et quamvis ita obstare videatur juris regula prohibens 85
cumulari præsumptiones, ac specialitates, dum ita triplex præsumptio admittitur, primo sc. circa substantiam beneplaciti, secundo circa ejus validam, ac legitimam executionem, & tertio circa evidentem utilitatem, attamen istæ dicuntur præsumptiones, quarum una venit in consequentiam alterius, ideoque regulæ non obstat.

Prout licet ubi agitur de præscriptione contra Eccle- 86
siam, subducendum est tempus vitæ Prælati alienantis, ex plene deductis *dec.* 57. *n.* 22. *& seqq. &* *dec.* 94. *n.* 12. *& seq. p.* 7. *rec.* attamen ad effectum hujus præsumptionis, ista subductio non intrat, Seraph. *dec.* 1027. *nu.* 13. cum aliis per Adden. ad Greg. *d. dec.* 354. *in fine d. dec.* 67. *n.* 21. *cum seqq. p.* 7. *rec. &* *dec.* 268. *p.* 12. pluries confirmata, ubi respondendo pluribus intermediis decisionibus firmantibus etiam ad hunc effectum præsumptionis dictam subductionem faciendam esse, quarum plures referunt Addentes *ad dec.* 12. *p.* 3. *rec.* & habetur ap. Rojas *dec.* 402. *n.* 7. *etiam dec.* 336. *p.* 10. *n.* 29. *rec.* advertitur, ut hæc subductio intret, quando ageretur de alienatione facta in conjunctos ipsius Prælati, vel administratoris alienantis ob malam præsumptionem, unde ex identitate rationis idem dicendum videtur quando sanguinis conjunctione non accedente, aliæ urgeant fraudis argumenta, & suspiciones in eo, qui alienationem fecit.

Plura vero concurrere debent, ut dicta præsumptio in- 87
tret, ut etiam advertitur ad aliud propositum *d. tit. de dote disc.* 143. Primo sc. ut tempus sit annorum 30. com-

pleto-

pletorum, neque minus sufficiet, ex deductis per Adden.
ad Gregor. *d. dec.* 52. *&* 354. apud Otthob. *dec.* 220. *&*
passim. Quamvis enim plures credant, extrinsecæ solem-
nitatis præsumptionem resultare a longo tempore annorum
decem, attamen id procedit in iis, in quibus juris resi-
stentia non habetur, eo modo, quo in præsenti habetur,
ideoque in his terminis extra omnem controversiam est,
minus tempus non sufficere.
Secundo, ut solus lapsus temporis non sufficiat, nisi et-
iam copulative concurrat observantia, quæ sit vera, non au-
tem præsumpta, cum tunc esset dare duas præsumptiones
88 principales, & coæquales, ac etiam sit continua, non au-
tem interrupta, vel deducta ea aliquibus actibus, puta
una, vel duabus solutionibus pro toto tempore tricennali,
& sit etiam pacifica, & univoca, non autem æquivoca, ut
apud Coccin. *dec.* 301. Adden. ad Gregor. *dicta dec.* 354.
& apud Buratt. *d. dec.* 45. Otthobon. *dec.* 159. *&* 220. &
alias quotidie, cum pariter sit conclusio plana, nullam in
puncto juris admittens controversiam, quæ tota remanet
facti, & applicationis, quando scilicet observantia dicatur
continua pacifica, & potissimum univoca, super quo ma-
jores esse solent quæstiones, an scilicet suffragentur actus,
qui dici valeant æquivoci, quo casu alia adminicula pro
interpretatione attendi solent, ut advertitur *d. decis.* 268.
par. 12. *rec.* & in aliis ejus confirmatoriis, ideoque certa,
& determinata regula desuper tradi non potest, sed ad-
instar omnium aliarum quæstionum facti, decisio ea ejus
qualitate pendet pro singulorum casuum particularibus cir-
cumstantiis prudenti arbitrio regulanda.
Tertio requiritur, ut constet de titulo vero, super quo
89 dicta præsumptio radicetur, ne alias detur præsumptum
super præsumpto, seu fictum super ficto, ut ex Ruin.
cons. 75. n. 8. *lib.* 1. *& aliis*, Seraph. *decis.* 1042. *nu.* 4.
d. dec. 57. *n.* 15. *& seqq. par.* 7. *recent. & frequenter*.
His autem omnibus requisitis concurrentibus, aliud
90 exinde non resultat, nisi simplex juris præsumptio absque
dubio elidibilis ex contraria expressa probatione, quæ præ-
sertim oriri dicitur in illis actibus, in quibus solemnitas
pernecesse instantanee in ipso actu adhiberi debet, non au-
tem præcedere, vel subsequi potest, cum tunc ea ipsiusmet
tituli inspectione probata dicatur negativa, quod tamen in
aliis solemnitatibus recte procedit, quæ in suis casibus de
forma præcisa instantanee requirantur, non autem in ista
beneplaciti Apostolici, quam ut supra certum est, præce-
dere, ac subsequi posse, ideoque illa species probationis non
intrat, bene tamen aliæ intrare possunt, quibus concurren-
tibus dicta præsumptio cessat, ut per Cravett. *de antiquita-
te temporis*, *par.* 3. *cap.* 1. *n.* 27. *dec.* 294. *n.* 29. *& seq.
p.* 6. *recent.* cum aliis per Add. ad Buratt. *decis.* 1. *&* 120.
Ista vero contraria probatio sequi potest per diligentias,
91 quæ adhibeantur in registris Apostolicis, in quibus hujus-
modi licentiæ, seu facultates registrari solent, quoties ta-
men agatur de alienatione facta ab eo tempore citra, quo
post Urbis excidium habeantur integra omnia regestra,
itaut nullum deficiat, cum non deficiente, dici possit ibi
illud registratum esse, ut passim receptum habemus in pro-
posito negativæ citationis, vel alterius actus probandi ex
revolutione processus, & actorum, quatenus hæc sint in-
tegra, & non alias, sive quando existat integer processus
per executorem, vel alium superiorem factus super alie-
natione, ex quo de defectu pateat, ut advertitur *in d.
decis.* 336. *par.* 10. *recent. & in aliis*.
Unde propterea in illis alienationis speciebus, in qui-
bus una, vel altera Congregatio Concilii, vel Episcopo-
92 rum, & Regularium licentiam dare solet per viam rescri-
pti, seu memorialis, hæc species probationis practicabilis
non est, idemque in illis alienationibus, quæ factæ essent
priusquam Pius IV. moderasset facultates Pœnitentia-
riæ Apostolicæ, per quam hujusmodi licentiæ dari sole-
bant, ideoque hæc possibilitas excludit negativæ proba-
tionem ex Apostolicis regestris resultantem.
Eadem probatio negativæ admittitur etiam præsumpti-
va ob fortiorem præsumptionem resultantem ex ipsa spe-
cie, seu natura alienationis, quam constet damnosam, vel
93 imprudentem esse, ideoque improbabile est, quod Papa il-
lam approbare voluerit, non enim admittenda est præsum-
tio in iis, in quibus veritas dari non potest, ut sæpius fir-
matum fuit per Rotam, præsertim *dec.* 83. *n.* 11. *&* 348.
n. 28. *par.* 11. *recent. & dec.* 320 *n.* 17. *par.* 12. *& sæpius*.
Omnia hæc circa beneplacitum præsumptum ex lapsu
longissimi temporis, hodie in Foro pene inutilia esse viden-
tur in hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ, ideoque
solum deservire videntur pro aliis solemnitatibus desumen-
dis, juxta deducta *d. disc.* 143. *de dote*, cum similibus,
ob superventam Constitutionem 157. Urbani VIII. de an- 94
no 1641. per quam istud beneplacitum præsumptum re-
sultans e tempore longissimo sublatum est, solumque præ-
servatum illud, quod resultat ab antiquiori tempore cen-
tenario, & quamvis vera dicti Pontificis sensus non fue-
rit id statuere in contractibus ordinariis inter Ecclesias, &
Privatos, sed solum præservare jura Ecclesiæ Romanæ,
vel Sedis Apostolicæ, sive etiam aliarum Ecclesiarum ad-
versus Principes, & Potentes, (ut Egomet audivi a plu-
ribus ex illis, qui in ea Constitutione edenda aliquam
participationem habuerunt) attamen, quia Rota innixa
amplitudini verborum indefinite in omnibus alienationibus,
& contractibus eam procedere interpretata est, ut *dicta
decis.* 219. *par.* 10. *recent.* cum relatis per Adden. *ad dec.*
12. *n.* 30. *cum seqq. p.* 3. *rec.* & in aliis, de quibus proxi- 95
me infra, hinc proinde de plano hodie id receptum est, nisi
tempus centenarium accedat, ut in *d. dec.* 268. *p.* 12. *rec.*
& in aliis ejus confirmatoriis, cadente solum quæstione,
an centenaria completa esse debeat de tempore editæ Con- 96
stitutionis, cum quo præsupposito proceditur *in dicta dec.*
268. *p.* 12. vel sufficiat eam completam esse de tempore,
quo lis movetur, de quo habetur actum *infra disc. seq.*
ubi an tollat præsumptionem jam consumatam de tempo-
re, quo Constitutio prodiit.
Duplici recepta limitatione, primo scilicet in iis, quæ
tunc in judicium deducta erant, ut præfata juris communis
dispositio contenta solo lapsu temporis longissimi, ista Con- 97
stitutione non obstante attendi debeat, ut in Romana do-
mus 16. Martii 1665. coram Bevilaqua, ubi concordantes.
Et secundo, ubi ageretur inter duas Ecclesias, cum tunc
non intret ea mala præsumptio, cui Constitutio innixa est, 98
ut apud Dunozett. *dec.* 713. *n. final.* & sæpius in aliis, præ-
sertim in Mediolanen. 10. Decembris 1664. cor. Albergato,
Romana census 13. Junii 1665. cor. Priolo, & in aliis.
Effectus deficientium dictorum requisitorum solemnita-
tis, & causæ modo quo supra, principaliter consistit in an-
nullatione actus ipso jure ob decretum irritans contentum in
eadem Extravag. *Ambitiosæ*, quamvis enim per eandem
censuræ, aliæque pœnæ inflictæ sint, raro tamen Forum 99
hujusmodi pœnales quæstiones tractat, quoniam cum rece-
ptum sit ad hunc effectum requiri eam culpam positivam,
quæ temeritatem, ac delictum redoleat, ab hoc autem quæ-
libet causa excuset, hinc proinde id rarum est in solis ter-
minis *Extravag.* frequenter tamen auditur in Sac. Congre-
gatione Regularium, ob strictiora vincula a Statutis, &
Constitutionibus Religionum resultantia.
Adeoque invalida reputatur alienatio, quod non solum, 100
ab Ecclesia bonorum dominium nullatenus abdicatur, sed in
ea semper continuare dicitur, perinde ac si actus gestus
non esset, sed ratione decreti irritantis, cujus virtus, & ope-
ratio est inficere non solum titulum, sed etiam possessionem,
illa proinde saltem civilis in Ecclesia continuat, cujus ra-
tione antiquiores interdictum reintegrandæ pro naturali con-
solidatione cum civili concorditer concedebant, verum quia
istud interdictum, prout alterum adipiscendæ, ex magis com-
muni, & recepta sententia Canonistarum est appellabile ad
utrumque, quasi quod dispositio juris civilis *in l. unica*, 101
C. si de moment. possessione per jus Canonicum correcta sit,
e converso autem receptum pariter est, ut aliud interdictum
retinendæ in forma summariissimi judicii intentatum, at-
que per decretum interlocutorium, non autem per senten-
tiam diffinitivam concessum, exequutivum sit, atque su-
spensivam appellationem non admittat, hinc proinde mo-
dernus usus currentis sæculi recepit praxim dicti interdicti
retinendæ, quod manutentionis dicimus ratione dictæ ci-
vilis possessionis, ex iis, quæ habentur *decis.* 215. apud Post.
de manutent. n. 15. *cum seq. & dec.* 518. n. 3. *& seq. dec.*
79. 139. 226. *&* 275. *par.* 6. *rec. dec.* 94. *par.* 7. *dec.* 219. *p.* 10.
cum aliis collectis per eundem Posth. *d. tractat. observ.* 56.
n. 102. *cum seq. & passim*.
Adeoque id receptum est, ut ipsimet Prælato, vel Recto-
ri, seu Administratori alienanti, licitum reddatur idem re-
medium contra factum proprium intentare, non tamen 102
proprio, sed Ecclesiæ nomine, ut in proxime allegatis, quod
tamen intelligendum est, quatenus clara sit nullitas, secus
autem ubi sit turbida, vel quia probabiliter dubitetur an
casus cadat necne sub d. *Extravag.* dispositione, unde pro- 103
pterea ambiguum remaneat, an intret decretum irritans,
ut advertitur apud Otthob. *decis.* 141. *n.* 20. *& seq. & dec.*
575. *&* 200. *part.* 10. *rec. dec.* 160. *par.* 11. *& in aliis*.

Vel

Vel quia apparenter constet de solemniretibus, & causa, unde propterea possessor ita intentionem fundatam habere dicatur, Ecclesia vero actrix prætendat aliquem defectum, vel circa beneplacitum, vel circa executionem, sive causam, idque sit turbidum, & altioris indaginis, adeout dici valeat exceptio clara, & replicatio turbida, cum tunc in judicio petitorio de hoc agendum sit, neque possessor interim ejus possessione privari debeat, ut plene ita distinguendo, cæteris relatis, habetur apud Merlin. *decis.702. repetit. d. dec.94. part. 7. recent.* & cum eodem sensu procedimr in aliis proxime supra allegatis, adeout videatur ista quæstio facti, & applicationis, ex cujus scilicet parte sit turbiditas, adinstar illius distinctionis, de qua circa executionem litterarum Apostolicarum habetur *sub tit. de beneficiis disc. 5.*

104 Præmissaque circa nullitatem procedunt, quamvis agatur de alienatione facta in aliam Ecclesiam, sive etiam inter ejusdem Ecclesiæ Cappellas, vel beneficia, ex eo communi dicterio, quod discooperiendum non est unum altare, ut alterum cooperiatur, ex iis, quæ plene habentur cæteris relatis *decis. 277. n. 7. & seq. par. 4. recent. tom. 2. dec. 561. n. 7. p. 5. dec. 191. n. 11. par. 7. & sæpius*, quicquid in contrarium dicant aliqui relati per Barbos. *de Episc. allegat. 95. n. 55. cum seq.*

105 Operetur etiam eadem nullitas alterum effectum restitutionis fructuum ab initio, ut late apud Merlin. *dec. 663. repetit. dec. 3. par. 7. rec. n. 32. cum seq. dec. 444. part. 4. tom. 2.* ubi Addentes plures concordantes cumulant, Duran. *dec. 256.* & frequenter, pluraque pro consueto elaborato stylo colligit Castill. *tom. 8. controv. c. 64. n. 5.*

106 Adeoque verum, ut plerique credant etiam fructus percipiendos venire ex dispositione *Constit. 98. S. Pii V. §. 3.* & in subsequenti extensione incipien. *ex debito*, §. 2. quod tamen rarum est ad praxim deduci posse, quoniam cum restitutio percipiendorum sit species pœnæ, hinc proinde talis culpa requiri videtur in possessore, quod redoleat dolum, seu delictum, sine quo pœna non datur, dum etiam respectu perceptorum eatenus restitutio intrat, quatenus nullitas sit certa, secus autem ubi justus error, qui
107 in facto consistat, legitimam inducat excusationem, quinimmo etiamsi in jura dubio, cujus ignorantia assimilatur ignorantiæ facti, ut advertitur *dicta decis. 44. par. 4. tom. 2. cum ibi deductis in annotationibus.*

108 Quia vero id percutit præservationem Ecclesiæ a damno, non autem ut faciat lucrum, hinc proinde non solum a dictis fructibus deducendæ sunt expensæ, ex iis, quæ super principio plano, ac præsupponendo plenissime cumulat elaboratus Additionator *ad d. dec. 444. tom. 4. part. 2.* sed etiam deducendum est emolumentum, quod interim Ecclesia perceperit ex pretio soluto per emptorem, quia nempe investito in effectus fructiferos, sive in extinctionem æris alieni fructiferi, ut advertitur apud Duran. *d. dec. 256. n. 5. & seqq.* cum aliis per Adden. *ad d. decis. 444.*

109 Hanc autem conclusionem super fructuum restitutione non admisit Rota in terminis census impositi per Ecclesiam, quamvis extra controversiam sit, illum contractum continere quoque prohibitam alienationem, ut apud Cenc. *decis. 29.* cum aliis per Gonzal. *ad regul. 8. glos. 56. n. 97.* Gratian. *discept. 559. n. 54.* Cenc. *de cens. q. 24. n. 16. & q. 88. n. etiam 16.* assignata in dicta decisione ratione, quod contractus interim fuerit in implicito statu validitatis, eo quia Ecclesia volens, in eo continuare poterat, dum nullitas per alterum contrahentem allegabilis non est, juxta claudicationem, de qua proxime infra. Hæc autem ratio æque procedit in hac specie alienationis, sicut in aliis, ideoque non videtur, quæ probabilis differentiæ ratio urgeat, ob quam, vel indefinite restitutioni fructuum locus esse debeat, vel e contra indefinite possessor excusandus: Sed quia majoribus ita visum est, idcirco juxta consuetam hujus facultatis miseriam, repugnante ratione, in obsequium auctoritatis pluries intellectum captivare oportet ad evitandam notam viri opinionum singularium.

110 Nullitas autem hæc quamvis ipso jure resultet, ut supra, non tamen utrique contrahenti communis est, sed contra æqualitatem inter contrahentes servandam, sive contra naturam correlativorum, specialis favor Ecclesiæ claudicationem induxit, ut scilicet ex parte Ecclesiæ tantum allegabilis sit, non autem ex parte alterius contrahentis, qui, Ecclesia volente, tenetur invitus stare contractui, ut apud Franch. *dec. 35. & 296.* Capyc. Latr. *decis. 19.* Rota apud Manticam *decis. 201. decis. 350. n. 15. & seq. part. 5.* & passim, cum sit conclusio, de qua amplius non dubitetur.

Et quamvis, ubi accedit expressa reservatio beneplaciti, sive ubi Prælatus alienans asseruit hanc facultatem habe- 111
re, adeout constet de voluntate alterius contrahentis non nisi licite, ac valide contrahendi, non improbabiliter dicatur apud Franch. *d. dec. 296.* etiam alteri contrahenti licitum esse recedere, quasi quod ita in animo non habuerit alias contrahendi, attamen contrarium per Rotam receptum videtur, ut apud Duran. *decis. 397. n. 12.* & in Romana emphyteusis 14. Maji *1666.* coram Carpinea, ubi plene concordantes.

Bene verum, quod potest alter contrahens, Ecclesiam,
seu Prælatum cogere ad adimplendum solemnitates pro con- 112
tractu valide perficiendo cum aliqua præfixione termini, quo elapso ipse liber remaneat, ut apud Franch. *dec. 35.* ubi Adden. Capyc. Latr. *d. decis. 19.* in qua concordantes.

Non datur tamen hæc pœnitentia ex parte Ecclesiæ post 113
obtentum beneplacitum, quamvis adhuc executum, vel præsentatum non esset, quinimmo, quamvis adhuc non essent expeditæ litteræ, dummodo signata sit supplicatio, quoniam ut pluries advertitur *sub tit. de beneficiis*, & sub altero de pensionibus, litteræ non requiruntur ad substantiam gratiæ, sed solum pro executione, ut satisfiat Regulæ de non judicando, juxta formam supplicationis, ideoque eo ipso quod re integra, & ante declaratam pœnitentiam, seu factam revocationem gratia perfecta est, excluditur pœnitentia, Coccin. *decis. 374. n. 5.* Duran. *dec. 397. n. 12. & seq. decis. 336. n. 19. & seq. part. 4. recent. tom. 2.* cum aliis per Buratt. & adden. *decis. 15. decis. 17. part. 11. recent. & decis. 92.* post Salgad. ubi tamen quod non sufficit supplicationem, vel preces porrectas esse, nisi actus perficiens accedat.

Postquam vero pœnitentia declarata est, atque Ecclesia, vel ejus legitimus administrator contractum revocavit, eique stare nolle declaravit, quamvis plurium sententia sit, de quibus apud Capyc. Latr. *d. decis. 19.* ut adhuc Eccle-
sia volens possit, mutato consilio, ex dicto claudicationis 114
privilegio stare contractui, invito altero, attamen Rota contrarium dixit apud Dunozett. *dec. 591.* cum aliis apud Gratian. *discept. 661. n. 16.*

Demum quoad quintam, & ultimam inspectionem casuum exceptuatorum, in quibus dictæ *Extravagantis* dispositio non procedat, plures dabentur in jure casus hujus-
modi, & præsertim, primo in bonis quamvis stabilibus, 115
ac alias sub prohibitione cadentibus, ubi sint modici valoris, juxta *cap. terrulas 12. q. 2.* cujus dispositionem correctam non esse per *Extravag. Ambitiosæ* declaravit Sac. Congregatio Concilii, ut referunt Quarenta *in summa Bullarii, verbo alienatio rerum Eccles.* Barbos. *de Episcopo, dicta alleg. 95. n. 50. & in collectan. ad idem cap. terrulas*, bene Fagnan. *in cap. nulli, de reb. Eccles. non alien. n. 24. cum seqq.* Adden. *ad dec. 444. p. 4. recent. tom. 2. n. 50.* Rota apud Rojas *decis. 444. n. 1.* & pluries, cum praxis ita receperit.

Ut autem id procedat, tria copulative requiruntur, primo valoris modicitas, secundo, quod res non sit utilis Ecclesiæ, atque concurrat causa necessitatis juxta unam opi-
nionem, vel saltem notabilis utilitatis, & tertio, ut acce- 116
dat auctoritas Ordinarii causa cognita super dictis requisitis, Quarantana ubi supra, Genuen. *in praxi Archiepisc. cap. 62. alias 75.* Fagnan. ubi supra, *n. 24.* Barbos. *dicta allegat. 95. n. 50.* non sufficit autem decretum Vicarii Generalis, qui esset Canonicus, vel Rector, qui facit alienationem, quoniam non potest auctorari sibi ipsi, ut firmat Rot. in Alluricen. census 1. Julii 1661. coram Priolo.

Et alii adduut quartum requisitum, ut res longe distet, ex relatis apud Rotam *dec. 624. n. 11. par. 1. rec.* Lotter. *lib. 3. q. 25. n. 25.* qui propterea dicit id vix posse practicari, quod tamen non videtur in praxi receptum, atque ubi bene verificatur requisitum evidentis utilitatis, nimium rarum est in rebus modici valoris, hujusmodi controversias in Foro audiri.

Quando autem res dicatur modici valoris, variæ sunt
opiniones relatæ apud allegatos, quarum nulla pro meo 117
judicio recipienda videtur, sed est arbitrarium pro Ecclesiarum, & locorum, ipsorumque bonorum qualitate decidendum, cum attenta qualitate unius loci, vel Ecclesiæ respective, prædium valoris scutorum 50. reputetur magnum, & considerabile, attenta vero qualitate alterius loci, vel Ecclesiæ dicatur quid minimum, & contemptibile quamvis esset valoris scutorum 100. ut bene apud Fagnan. *in d. cap. nulli, n. 26.*

Dictum autem requisitum, ut res distet ab aliis prædiis, & bonis ejusdem Ecclesiæ, videtur potius circumstantia

con-

considerabilis pro dicta arbitrio regulando, quoniam ubi
plura petiola terræ, seu prædiola in eadem contrata per
Ecclesiam possiderentur, quorum æqualis cura, seu culture
eodem tempore haberi possit, adeout si non materialiter
unita, attamen formaliter unum prædium constituere vi-
118 derentur, juxta ea quæ habentur ad materiam textus *in l. quod in rerum, §. si quis post, ff. de legat.* 1. *l. cum fundus, ff. de le.* 2. *cum concord.* per Laderch. *cons.* 78. Galeot. *lib.* 1. *controv.* 22. Rot. *dec.* 249. *p.* 11. *rec.* & in aliis *sub tit. de servit. disc.* 74. & *sub tit. de legatis*, alienatio alicujus ex hujusmodi prædiolis, seu petiolis terræ, quamvis exigui valoris, esset species dismembrationis illius prædii, seu possessionis, quæ ita in ea Regione magna dici possit, cum similibus circumstantiis, bonam, vel malam fidem redolentibus, & an sit actus, qui a prudenti, ac industrio patrefamilias fieret necne pro facti qualitate excludenta fraudem, quæ legi, seu prohibitioni fieret.

119 Secundo sub eadem Extravaganti non cadit casus magnæ, ac imminentis necessitatis non patientis dilationem obtinendi beneplacitum e Sede Apostolica, Quaranta *in summa Bullar*, ubi supra, nu. 50. Gratian. *discept.* 921. *n.* 1. Barbos. *d. allegat.* 95. *n.* 58. de Marin. *resolut.* 6. *n.* 9. *lib.* 1.

120 Tertio ubi Ecclesiæ incapaci possidendi bona relicta sint, ut est Religio Minorum, ac etiam sunt Domus professæ Societatis Jesu, cum similibus, quæ possunt acquirere ad effectum vendendi, ac pretium erogandi in quotidianos currentes usus, Quaranta ubi supra, *num.* 4. Barbos. *ibidem*, *num.* 59. Duard. *de cens.* §. 1. *quæst.* ee. *num.* 53. & *sub tit. de Regul.*

121 Idemque videtur dicendum etiam in illis Ecclesiis, quæ sint incapaces etiam retinendi, ubi incapacitas est ex parte rei, puta quia ageretur de bonis amphyteucis, quæ citra Domini voluntatem esse non possunt penes manum mortuam, cui incumbit obligatio ponendi infra annum extra manum mortuam, unde concurrit eadem incapacitas, de qua supra, cum ita verificari dicatur altera limitatio, de qua proxime in bonis quærendis, adhuc Ecclesiæ non incorporatis.

122 In quibus generaliter dictæ *Extravag.* dispositionem locum non habere receptum est, ex deductis per Franch. *dec.* 14. *num.* 16. *cum seq.* Barbos. *d. allegat.* 95. *n.* 53. Gregor. *dec.* 40. *n.* 9. & in. Buratt. *dec.* 773. ubi Adden. Ror. *dec.* 518. apud Posth. *de manut.* in Bonon. hæreditatis 11. Februarii 1658. coram Cerro, & in aliis, quicquid in contrarium teneant relati per Barbos. *dict. allegat.* 95. *n.* 54. quoniam contrarium est magis receptum, juxta *dec.* 507. Putei *lib.* 2. quæ reputatur in materie magistralis.

123 Dummodo tamen dictum requisitum bene verificetur, quod scilicet agatur de non acquirendo, puta non adeundo hæreditatem, vel non agnoscendo legatum, vel aliud jus delatum, sive remittendo caducitatem incursam, ob quam posset Ecclesia jure devolutionis acquirere cum similibus, secus autem ubi acquisitio jam accessit, nisi actus acquisitionis nulliter factus esset, ut de repudiatione hæreditatis jam aditæ ex intervallo habetur in *d. Bonon. hæreditatis* coram Cerro.

124 Et quamvis id verificabile non videatur, nisi in sola repudiatione ebitiautiva, per quam Ecclesia tollat se de medio, unde propterea alter de jure suo potius obtineat, non autem in renunciatione translativa per quam cessionarius cedentem repræsentet tanquam emptor, seu cessionarius hæreditatis, juxta terminos text. *in l.* 1. & 2. & *toto tit. ff. de hæredit. vel act. vendit.* quasi quod ita per necessarium antecedens, aditio, & acquisitio præcedere dicatur, ex deductis per Franch. *dicta dec.* 14. & melius *dec.* 101. & habetur in suis respective materiis *sub tit. de renunciat.* sub altero *de hærede*, & *hæreditate*, nihilominus ubi agitur solum de hac instantanea, magisque intellectuali, quam reali, & effectiva acquisitione, & incorporatione, receptum est id non haberi in consideratione, ut punctualiter apud Put. *dicta dec.* 507. *lib.* 2. cum aliis supra allegatis; multoties enim contingit, quod delata Ecclesiæ libere, vel fideicommissaria hæreditate ab alio possessa, adeout sibi non expediat, vel non possit litem assumere, & sustinere, eam cedit alteri sub pacto alicujus participationis ejus, quod recuperabitur juxta casum, de quo in Romana restitutionis dotis *sub tit. de fideicommissis, disc.* 109. ubi de decisionibus in ea causa editis, cum similibus.

125 Quod autem dicitur de remissione caducitatis, recte procedit, ubi agatur de caducitate pœnali ob alienationem irrequisito Domino, vel ob non solutionem canonis cum similibus, adeout declaratio caducitatis redoleat rigorem potius damnatum a lege, quæ de facili excusationem concedat, secus autem ubi factus sit casus devolutionis veræ per lineam, vel generationem finitam, cum tunc remittere, vel nolle agnoscere, esset species novæ implicitæ concessionis quod fieri non potest, unde quod directe prohibitum est, ne indirecte sequatur, ut advertitur in Romana devolutionis domus 15. Junii 1650. coram Meltio, & in eadem 21. Junii 1652. coram Bichio, quarum ultima est *dec.* 277. *p.* 11. *rec.* ubi concordantes, atque videtur absolutum ex dicta clara ratione.

Quinta est limitatio in illa restitutione, vel alienatione,
quæ fieret ex necessitate, non autem ex voluntate, puta 126
quod Ecclesiæ relicta sint bona cum onere ad certum tempus, vel cum certa conditione restituendi, ut per Barbos. *dicta allegat.* 95. nu. 61. Sive quia eadem bona subjecta sint retractui legali, vel conventionali, ut frequens praxis docet in necessaria retrovenditione, vel extinctione censuum, & locorum montium, cum alienatio necessaria sub illius prohibitione regulariter non veniet, ut passim receptum habemus in minoribus, & mulieribus, absque certis solemnitatibus alienare, vel contrahere prohibitis, ac etiam in materia fideicommissaria super alienandi prohibitione a lege, vel ab homine adjecta.

Seato limitatur in illa specie alienationis, quæ fiet in 127
bonis non acquisitis, occasione illa acquirendi, ut insinuatur supra, occasione agendi de impositione census ex pretio rei, quæ acquiritur, super ipsa tamen re, non autem super aliis bonis jam quæsitis, ut admittitur in Romana census 15. Aprilis 1652. coram Bichio, edita in casu, de quo infra *disc.* 7. ubi de articulo, an valide imponatur census super domo construenda; vel in meliorem structuram reducenda, si solum, vel depressior domus est jam de bonis quæsitis & incorporatis.

Septimo limitetur, ubi bona expressa relicta, vel data
sint cum hac facultate, ut absque aliqua solemnitate in occur-
rentiis alienari possint, quamvis enim Barbos. *dicta alleg.* 128
95. *n.* 70. *in fine*, contrarium sentiat, non tamen hæc dubitatio probabilem rationem habere videtur, quoniam sicut ille, qui legavit, vel dedit, alienare poterat, ac pretium in pecunia dare Ecclesiæ, seu loco Ecclesiastico pro quotidianis usibus expendibili, vel alicui executori committere, ut id agerat, ita non videtur quid prohibeat, ut id eidem Ecclesiæ committatur, ad quod conferunt ea, quæ habentur *decis.* 172. *n.* 38. *p.* 7. *rec.* & *passim*, ut bona pupilli, vel minoris regulariter de jure inalienabilia absque certis solemnitatibus, alienari tamen possint ex voluntate, seu judicio testatoris.

Octavo demum (omissis aliis limitationibus in Foro ra- 129
ris, de quibus apud supra allegatos, inter quas illa est resultans ex privilegiis concessis aliquibus Religionibus generaliter revocatis per decrete edita a Sac. Congregatione Concilii cum Papæ oraculo de anno 1624.) intrat limitatio, de qua frequentius in Foro agi contingit, ubi scilicet agatur de bonis concedi, seu alienari solitis, ex regula, quod res affecta semel alienabilis, semper talis remanet, unde de-
super nulla cadit juris dubitatio super ipsa conclusione in 130
abstracto, sed frequentes quæstiones sunt facti super verificatione ipsius soliti, eoque concurrente, super pluribus requisitis, quæ desuper desiderantur, ut licite alienatio fiat.

Primo scilicet, ut solitum non alteretur in præjudicium 131
Ecclesiæ, quia nempe res solita concedi ad tres generationes detur pro quatuor, aut aliæ pacta alterative, & præjudicialia apponantur, quæ in præcedentibus concessionibus non aderant, secus autem ubi alteratio concernat Ecclesiæ servitium, vel utilitatem, quia nempe detur quid minus, vel cum aliqua restrictione. Dictaque alteratione data, actus corruit in totum etiam pro tempore, vel modo solito, quem-
vis enim apud Scribentes magna sit quæstio, an utile per 132
inutile vitietur, ex relatis *dec.* 241. *n.* 18. *cum seq. dec.* 661. *n.* 24. & *seq.* & *dec.* 284. *n.* 12. & *seq. p.* 4. *tom.* 2. adeout *in decis.* 444. *eadem p.* 4. *tom.* 2. *in fine* dicatur esse articulum adeo dubium, quod tanquam per speciem justæ ignorantiæ facti
excusaret possessorem a restitutione fructuum, attamen ho- 133
die in Rota, & Curia passim receptum est, quod utile per inutile vitietur, ideoque actus tanquam individuus remaneat in totum inutilis, ut *decis* 202. *n.* 6. *p.* 7. *rec. dec.* 165. *p.* 10. cum aliis collectis per Adden. *ad dec.* 12. *p.* 3. *rec. n.* 29.

Secundo requiritur, ut duret eadem causa concessionis,
vel primæ alienationis, adeout rerum status non sit immu- 134
tatus, ex relatis per Barbos. *dicta allegat.* 95. *nu.* 33. Rota *dec.* 243. *n.* 17. *par.* 7. *recent.*

Tertio, quod alienatio, vel nova concessio sit cum Ec- 135
clesiæ utilitate, attendenda de præsenti, non autem de præterito,

terito, Barbof. ubi fupra, *nu.* 34. Rota *dec.* 36. *n.* 12. *decif.* 243. *n.* 15. *& feq. & dec.* 252. *n.* 16. *& feq. par.* 6. *rec. & pluries*, cum fit conclufio, de qua amplius non dubitetur, quoties tamen agatur de alienatione, vel nova conceffione voluntaria, quam Ecclefia volens poffet non facere, fed bona pro fe retinere, fecus autem ubi agitur de illis neceffariis renovationibus ex confuetudine, vel indulto Apoftolico de quibus pluries *fub tit. de emphyteufi*, quoniam tunc novæ conceffiones fiunt juxta folitum, ut ibi.

136 Atque ex hoc pendet altera limitatio, de qua *decif.* 241. *nu.* 6. *par.* 4. *rec, tom.* 2. *&* 243. *nu.* 18. *par.* 7. quod ubi bona funt jam Ecclefiæ incorporata, tunc alienatio fieri non poffit, quamvis effent alienari folita, ibique allegantur concordantes, & per Fulgin. *de emphyteufi, tit. de contract. emphyt. q.* 9. *nu.* 15. ubi *ex nu.* 16. *ad fin.* reaffumendo plene, ac magiftraliter deducta per Menoch. *conf.* 79. agit quando dicatur facta necne incorporatio.

137 Alteratio foliti etiam fieri dicitur, quamvis non alterentur pacta, vel tempora, ubi adeffet alteratio circa qualitatem perfonarum, quia nempe bona effent folita alienari, vel concedi perfonis privatis, & alienentur potentibus, vel manibus mortuis, ut in fpecie advertitur in Romana devolutionis domus 4. Decembris 1651. coram Bichio.

138 Dicta vero qualitas, ut bona dicantur concedi, vel alienari folita, inducitur, vel per unam alienationem folemnem, & validam a principio, ita tamen, ut de validitate conftet clare, & exprefle, non autem præfumptive, & ex illa præfumptione, quæ refultat a longiffima temporis obfervantia, ut advertitur *decif.* 36. *nu.* 8. *par.* 7. *recent.*

139 Vel ubi concurrant duæ alienationes effectum fortitæ fpatio annorum 40. ita tamen quod fint cum diverfis perfonis, ac per diverfos, & feparatos actus, adeout vere, & realiter fint duæ diverfæ alienationes, non autem quod una alteri infit, Seraph. *decif.* 434. *num.* 5. *decif.* 1451. *&* 1490. *d. decif.* 36. *part.* 7. apud Duran. *decif.* 250. & in aliis, & nihilominus ifta præfumptio, quæ refultat a geminatione actus juncta cum dicto fpatio annorum 40 dicitur præfumptio juris tantum, quæ ceffare debet, ubi contraria expreffa concurrit probatio, vel etiam adminiculativa, quæ ex fortioribus præfumptionibus refultet, juxta ea quæ fupra habentur in materia beneplaciti præfumpti, potiffime vero hodie, ftante dicta moderna conftit. 57. Urbani VIII. quæ juris præfumptionem a longiffimi temporis decurfu refultantem adeo notabiliter alteravit.

140 De aliis vero ad materiam habetur apud Quarant. *in fumma Bullar. verbo alienatio bonorum Ecclefiæ*, Barbof. *de Epifcopo, allegat.* 95. & plura habentur in recollecta fuper hac materia facta per Cardinalem Hieronymum Pamphilium Innocentii X. patruum, dum effet Rotæ Auditor *impreff.* 2. *volum. fingular.* Rubei, fol. 243.

141 Item inter limitationes fupra recenfitas, cadit illa, ubi ageretur de alienatione fructuum, feu commoditatis tanquam nudi facti, adeout non tangatur ipforum bonorum fubftantia, ut apud Rojas *decif.* 311. *&* 364 cum aliis, quæ habentur *fub tit. de feudis, & fub tit de emphyt.* circa alienationem commoditatis, *& fub tit. de penfionibus*, circa alienationem commoditatis penfionis.

Ac etiam alia eft limitatio, ubi ageretur de transfactione fuper decimis, vel funeralibus, juxta ea quæ habentur *in Comment. funeralium fub tit. de parochis, difc.* 26. ad materiam text. *in cap. finali, de præfcript. in fexto*, cum ibi communiter notatis, ac juxta diftinctionem; de qua etiam *in Collen. fub tit. de Canonicis, & Capitulo, difc.* 30.

Sub alienationis autem prohibitione non venit recognitio veritatis, & bonæ fidei, quam Prælatus, vel Rector facere poteft, Bald. *in Auth. fi qua mulier, n.* 4. *C. de facrofanct. Eccleſ.* Rebuff. *dicto compend. de alien. bonorum Ecclefia nu.* 28. Seraph. *decif.* 167. *nu.* 1. Quod etiam habemus in tutore, qui licet fit prohibitus alienare, vel obligare bona pupilli, attamen poteft recognofcere bonam fidem, Buratt. *decif.* 54. *nu.* 3. *decif.* 49. *nu.* 19. *decif.* 239. *n.* 10. *& dec.* 453. *nu.* 6. *ubi concordantes.*

Dummodo tamen recognitio fit bene adminiculata, ne alias quod directe prohibitum eft, indirecte fequatur, juxta ea, quæ de Prælati, vel tutoris confeffione habemus, ut adminiculata noceat, fecus autem ubi fit nuda, Cavalet. *decif.* 79. *nu.* 4. Mantic *decif.* 39. *num.* 1. Buratt. & Adden. *decif.* 453. *dec.* 39. *par.* 7. *rec. n.* 2. *& fæpius.*

ANNOT: AD DISC. I. cum plur. feqq. ufque ad Difc. XXII.

Agitur in his difcurfibus de Alienatione bonorum Ecclefiæ, de qua in *hoc eod. tit.* habetur actum, *difc.* 51. *& feq.*

Ad materiam alienationis rerum Ecclefiæ facit fequens decifio.

R. P. D. LANCETTA.

Romana Retractus.

Veneris 28. *Junii* 1679.

Publicis, privatifque Urbis ædificiis, antiquæ Majeftati reftituendis plures ftuduere Summi Pontifices, ftuduit præ cæteris fan. mem. Gregorius XIII. qui ejus ornatui fpeciali Conftitutione de jure congruo concludit: Ruinofa enim reftitui voluit, fpatia inter ædes occupari permifit, vicinis licentiam dedit præter Jus noftrum cogendi vicinos ad vendendum, eifdemque prælationem in emptores conceffit, inquilinos præhabuit, prædia minora majoribus addixit, emphyteutica pacta in pretium tranftulit, eifdemque legibus de plenaria Pontificis poteftate fubjecit nedum bona fideicommiffis obnoxia, fed & ipfa bona Ecclefiaftica, & ad loca Pia fpectantia fubrogato pretio pro vinculis, ac utilitate fideicommiffi, & Ecclefiæ.

Hac decretali compulfæ Moniales Purificationis anno 1654. vendiderunt hæreditati Cardinalis Veralli Domum æftimatam fcut. 797. 28. & in inftrumento fibi ftipulatæ fuerunt folvi quotannis fcut. 25. donec res ftabilis juxta Gregorianam Conftitutionem daretur, nuper autem D. Marchio Spada hæreditatis Verallæ Poffeffor Monialibus obtulit, vel dictum pretium fcut. 797. 28. vel unam ex tribus Domibus æqualis valoris, inter quas aderat altera annui canonis fc. 23. æftimata fcut. 1856 quam A. C. Monialibus addixit reddito Marchioni majori pretio fc. 58. cui judicato non acquiefcentibus Monialibus caufa ad Me devoluta exquifivi a DD. die 3. hujus, an effet locus executioni Inftrumenti retractus, & quomodo, feu quænam bona effent affignanda, cumque ob gravitatem articuli nunquam in hoc Sacro Auditorio examinati dilata fuerit refolutio addito quod ftricte fcriberetur fuper intelligentia Bullæ, omnefque Domini ferrent fuffragium, dubium hodie repropofui, & refponfum habui effe locum executioni Inftrumenti, & pretium effe deponendum ad effectum inveftiendi in bonis ftabilibus etiam locis montium æqualis valoris, licet non æqualis redditus domus retractæ fervata forma Bullæ.

Et fane omiffa prima dubii parte, fuper qua Scribentes hinc inde concordes erant, affumptoque examine fecundæ concernentis modum executionis, & refpective bonorum affignationem, movit principaliter Dominos impulfiva ratio Conftitutionis, publica nempe utilitas privato commodo præferenda juxta illud verba proœmialia, ibi: *Quæ publice utilia, & decora effe huic Almæ Urbi, ratio ipfa atque ufus docuit ea privatis cupiditatibus, ac commodis præferenda cenfemus.* Ifto que retento principio Summi Pontifices voluntatem indagantes ad cafum præfentis controverfiæ putarunt illum in §. 17. præfatæ Conftitutionis Vicinis rem Ecclefiæ retrahere volentibus nullum aliud onus impofuiffe quam quod ipfi juftum pretium una cum duodecimæ partis augmento in æde Sacra deponerent, ac poftea in ftabilibus inveftirent, nulla prorfus habita ratione, quod inveftimenti fructus æquarent redditus fundi retracti. Cum enim tale onus retrahentibus injunctum non legatur, noftrum non eft addere, fed fpecialem Principis legem adamuffim fervare, ut in terminis hujus Conftitutionis refponfum fuit in Voto Camerali impreffo *decif.* 513. *nu.* 14. *&* 15. *part.* 12. *recent.*

Fortius dum in præcedenti §. 13. conceffa emphyteutis facultate folum fub directo Ecclefiæ dominio pofitum a Canone liberandi certa illis adjiceret conditio tradendi rem ftabilem, nedum in pretio, fed in redditu etiam æqualem. Quocirca dum in cafu retractus rei libere ab Ecclefia poffeffæ repetita non fuit, inde urgens refultat argumentum Pontificem nullatenus emptores gravare voluiffe ad text. *in l. unica, §. fin autem ad deficientis, C. de caducis tollen.* Rot. *decif.* 599. *n.* 9. *par.* 18. *rec.*

Huic præfumptæ voluntatis diverfitati affiftit profecto diverfa ratio difponendi, quod fcilicet eatenus in affrancatione

tione Canonis imposita fuerit emphyteusis assignatio rei quoad redditus etiam æqualis, quatenus illa solum respicit privatum emphyteutæ interesse, quem ideo pars est quanti pluris propriam emere libertatem Reipublicæ nullatenus proficuam, at non ita in simplici retractu, ad quem assequendum cum emptor onus habeat publico Urbis Ornatui ædificandi, æquum non erat ut altero, & quidem præponderanti gravaretur fundum valore, ac reddítu parem Ecclesiæ tradendi, contra regulam textus *in l. Navis onusta*, §. *cum autem*, *ff. ad l. Rhodiam*, *de Jactu*, Cravett. *consil.* 111. *n.* 8. M. Anton. *in var. resol. lib.* 1. *resol.* 97. *sub n.* 4. Rot. *dec.* 672. *in fin. part.* 1. *recent.*

Et revera dato contrario intellectu Pontificia Constitutio raro ad praxim deduci posset, siquidem cum stabile investimentum Domus retrahendæ pretio, ac fructibus correspondens difficillimum sit, ut testatur Card. de Luca *de servit. disc.* 97. *num.* 6. nemo non videt quod tam enixa Pontificia voluntas soli Urbis Ornatui directa elusoria prorsus redderetur a nimis difficili adjecti Oneris implemento, cum tamen primaria Constitutionis causa ea fuerit, quod omnes majori facilitate ad ornandum invitarentur juxta verba alterius Voti Cameralis impressi *dec.* 358. *n.* 87. *part.* 1. *recent.*

Clarior convincitur hæc interpretatio ex parificatione bonorum fideicommisso subjectorum cum illis ad Ecclesiam spectantibus *in eodem* §. 17. *Conventa*, ibi: *Deinde si res Ecclesiastica erit, vel etiam laicalis, sed quod sciatur fideicommisso similive dispositioni subiecta*, sicut enim dubitari nequit fideicommisso satis esse consultum quoties emptor justum pretium una cum augmento persolverit, quamvis illud in stabilibus erogatum fructus non æquet fundi retracti, nulla subest ratio cur Ecclesiæ respectu coæqualis fructus requiratur contra regulam, quod æquiparatorum eadem esse debet dispositio, de qua Roman. *cons.* 129. *n.* 1. *litt. A.* Actolin. *resol.* 11. *n.* 14. *& resol.* 76. *n.* 8. *Palma Nepos alleg.* 107. *n.* 21. Rota *dec.* 98. *n.* 20. *p.* 19. *rec.*

Absque eo quod contrarium suadere posset dictio *utiliter* in præcepto investiendi apposita, quasi quod ea virtualiter contineat investimentum fieri debere in stabilibus, vel majorem, vel saltem æqualem fructum reddentibus. Quippe illa dictio designat solum pretium esse investiendum in bonis fructiferis ad exclusionem eorum, quæ nullum redderent fructum, non autem quoad bona æqualis fructus necessario esse debeant. Idque patet ponderando, quod prius Constitutio jubet pretium una cum augmento deponi, ac deinde ille utiliter investiri, unde utilitas restricta est intra pretium jam depositatum, & ab illo desumenda venit, non autem indefinite consideranda, præsertim quia in altero casu affrancationis rei emphyteuticæ Pontifex non demandavit emphyteutæ depositum pretii, ejusque investimentum, sed directe traditionem rei stabilis, ut ita indicaret illo tantum casu æqualis redditus necessitatem imposuisse.

Quod etiam comprobat tam dicta parificatio bonorum Ecclesiæ cum fideicommissariis, ad quæ illa dictio *utiliter* pari modo refertur, ac proinde æqualiter determinatur, *l. jam eu jure*, *ff. de vulgar. & pupill.* Quam & fortius sequentia Constitutionis verba, in quibus dispositum fuit, quod venditio ab Ecclesia facta modo præscripto nequaquam rescindi, aut impugnari possit prætextu inutilitatis Ecclesiæ. Hinc enim palam fit præcogitatum fuisse casum, quo ab hujusmodi venditione damnum Ecclesiæ irrogaretur, & quidem in fructibus (dum respectu capitalis verificari non poterat ex quo integrum illius pretii depositum una cum augmento etiam duodecimæ partis fuerat demandatum) & tamen noluit Summus Pontifex illius prætextu retractari posse venditionem, quam publico beneficio permiserat.

Nec urget quod per dictionem *utiliter* voluerit particularem legem juris dispositioni conformare, juxta quam ut alienatio ab Ecclesia facta sustineatur necessaria est utilitas, nedum in pretio, sed etiam in fructibus, Redoan. *de reb. Eccl. non alienandis*, *q.* 20. *n.* 199. Corrad. *in prax. dispensat. lib.* 9. *cap.* 5. *n.* 52. Rota *de execut. litterar. Apostolicar. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 314. Omisso enim, quod hoc argumentum non probaret assumptum, nam juxta illud, nec sufficeret æqualitas redditus, sed major esse deberet, quod tamen nec Monasterium, aut ullus unquam alius prætendit, satisfacit responsio, quod in casu voluntariæ venditionis, utque loquuntur auctoritates proxime allegatæ, nulla intercedit publica utilitas, quæ privato Ecclesiæ commodo præferenda veniat, dum emens ab Ecclesia voluntarie vendente obligatus non est ad ædificandum, ad quod è contra tenetur emens mediante retractu coactivo, itant publica utilitas ab ædificio resultans nedum relevet Emptorem ab onere tradendi fundum æqualis redditus, verum etiam operetur, ne damnum Ecclesiæ attendi debeat, ut in dicto Camerali *dec.* 413. *n.* 7. *par.* 12. *recent.*

Et de facto in eadem Constitutione legitur specifica derogatio *Extravag. Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienandis*, quæ posita coactione ad vendendum necessaria non erat, nisi ad effectum ne venditio prætextu resultantis ab illa præjudicii, & sic dicta *Extravag.* contraria revocarentur, ut in superiori §. *Quod etiam*.

Consonat his omnibus altera Constit. pars in §. 23. aperte disponens, *omnia, & singula quæ sup. statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controversia contingit, in eam partem interpretandam esse, quæ ad Urbis ornatum magis facere videbitur*. Quamobrem cum declaratio necessitatem excludens tradendæ rei quoad fructus æqualis citra dubium sit magis Urbis ornatui profutura, in alium sensum nobis ire non licet, Gratian. *discept.* 464. *nu.* 44. *cum seqq.* Rota *dec.* 143. *n.* 14. *cum duob. seq.* apud Pacif. de Salv. & firmatum fuit in dicto voto Camerali 538. *n.* 13. *p.* 13. præsertim dum facultatem sustulit ipsa Constitutio per clausulam sublata, decretumque irritans immediate appositum, ut prosequitur dictum votum *n.* 14. *&* 16.

Posito ex præmissis, quod stabilia Ecclesiæ tradenda paris fructus esse non debeant, facilis fuit resolutio, quod Constitutionis forma satis adimpleta remaneat, pretium investiendo etiam in locis Montium Cameralium non vacabilium, cum ista ad omnes effectus pro stabilibus, & immobilibus habeantur, Pacif. de Salv. *inspect.* 3. *c.* 2. *n.* 650. *& seq.* Cohell. *ad Bullam Boni Regiminis c.* 34. *art.* 28. *a num.* 12. *usque in finem*, Car. de Luc. *de regal. disc.* 143. *n.* 2. *cum cæteris lato calamo collectis* per R. P. D. meum Ansaldum *in tract. de commercio*, *& mercatura disc.* 95. *n.* 10. *cum seq.* & in his præcisis terminis in dicto voto Camerali *decis.* 413. *num.* 72. *& seq. par.* 12. *recent.* potissime quia Summus Pontifex ab hujusmodi investimento non abhorruit, dum illud in §. 18. positive admisit in certo casu, ibi: *Emantur ex ipso pretio, vel loca montium non vacabilium, vel alia bona immobilia*.

Immo perpensis omnibus circumstantiis reputari possunt non minus proficuum investimentum, quam sint domus, quæ subjacent dislocationibus, difficultati pensiones exigendi, ac periculo illarum amissionis, reparationibus, publicis taxis, ruinis, fideicommissis ac hypothecis, quando e contra loca Montium licet remoto extractionis ac fructuum reductionis periculo subjecta nullam tamen hypothecam recipiunt præter expressam in litteris patentibus, Card. de Luca *de regal. disc.* 27. *in fin. & disc.* 38. *n.* 3. *& est notorium*.

Et hæc quoad intelligentiam Bullæ. Quod vero attinet ad executionem instrumenti, de quo erat quæstio, placuit Dominis declarare, quod nisi Monasterium intra terminum judicialiter præfigendum certum designaverit investimentum cum pretio jam declarato in scutis 797. 28. comparandum, vel mutato consilio domum acceptaverit jam oblatam, & in sententia A. C. admissam dempto tamen onere reddendi scuta 58. ad quorum restitutionem fuerat condemnatum, possit Marchio, vel tradere tot loca montium regulato tamen illorum valore ad rationem currentem de anno 1654. quo orta fuit actio favore Monasterii rem stabilem consequendi, ne dilata promissionis executio Marchionis cedat beneficio per valoris incrementum, dum aucto pretio capitalis fructus hodie in Monasterii præjudicium diminuti remanerent, vel dictum pretium deponere ad effectum implicandi in aliud investimentum modo, & forma supra firmatis, & in Constitutione expressis.

Et ita omnibus Dominis suffragantibus utraque &c.

LUNEN. SARZANEN.
PRO HIPPOLITA DE AUGUSTINIS
CUM RECTORE ECCLESIÆ PAROCHIALIS DE VALLECCHIA.

Responsum extra Curiam.

De Constitutione Urbani VIII. tollente beneplacitum præsumptum ex lapsu temporis longissimi, præservante autem centenarium, quomodo intelligi debeat, an scilicet dictum tempus centenarium computari debeat a die alienationis usque ad diem ipsius editæ Constitutionis, vel potius usque ad diem litis, ac impugnationis actus, & de aliis circa dictæ Constitutionis intelligentiam? Et quando procedat, necne.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Præservativa supponit existentiam subjecti conservabilis.*
3 *De Constitutione 157. Urbani VIII. ejusque interpretatione.*
4 *De centenaria in eadem Constitutione præservata, a quo tempore sit computanda.*
5 *Quod sit facienda computatio a tempore alienationis ad tempus litis.*
6 *De historia legali, ex qua deducitur simile præscriptionis.*
7 *De alio simili in materia jurispatronatus.*
8 *In vim centenariæ potest allegari quicumque titulus de mundo melior.*
9 *De ratione dictæ conclusionis.*
10 *Possessio centenaria suffragatur, ubi constat de negativa solemnitatis.*
11 *Lex nova respicit futura, & quando etiam præterita.*
12 *Quod dicta Constitutio Urbani non tollat præsumptionem jam firmatam.*
13 *Non procedit in contractibus inter Ecclesias.*
14 *Quid ubi Ecclesia habet causam a laico privato.*
15 *Quod debeat attendi origo, & datur simile de jurepatronatus.*
16 *Secus ubi suspicio auctoris purgata est in possessore.*
17 *Sæpe Notarii dicunt in testamentis, & instrumentis id quod partes noluerunt.*
18 *Idem contingit in legibus, & dantur aliqua exempla.*

D I S C. II.

1 IN controversia coram Ordinario excitata inter Rectorem Ecclesiæ, & Hyppolitam de ultima generatione concessionis bonorum, super puncto facultatis affrancandi, de quo habetur actum *sub tit. de emphyteusi disc. 39.* Recurrente Rectore ad aliud motivum nullitatis concessionis emphyteuticæ, ex defectu beneplaciti Apostolici, cujus præsumptio, quæ alias de jure communi ex lapsu temporis longissimi juncti cum observantia resultabat, hodie sublata remanet per Constitutionem 157. Urbani VIII. ut insinuatur *disc. præced.* præterquam ubi lapsus temporis centenarii accederet, qui in hac facti specie accedebat, quando computatio ex die alienationis, usque ad illum motæ controversiæ facienda esset, hinc excitata fuit difficultas, an id suffragaretur, vel potius centenaria deberet esse completa de tempore, quo Constitutio prodiit, quare desuper ex parte Hyppolitæ consultus

2 Respondi quod primo aspectu attendendum videretur tempus editæ Constitutionis, adeout tunc existeret centenaria per eam præservata, ea regula, quod præservativæ naturæ est nihil dare, vel tollere, sed conservare id, quod invenit in suo statu, *cap. sollicitudinem, de appel. cum concord.* per Mantic. *decis.* 270. *num.* 15. *decis.* 278. *num.* 8. *& seqq. par.* 9. *recent.* & consequenter præsupponit subjectum, jam existens conservabile, quod dici non potest, ubi tunc dictum centenarium tempus lapsum non esset, quoniam quod non existit, præservari non potest.

Cumque super hac moderna lege alias non habeamus
3 glossas, vel auctoritates, nisi decisiones Rotæ Romanæ, quæ illam interpretata est (forte præter intentionem Legislatoris) ut hujusmodi inferiores, ac privatas alienationes complectatur, eximit autem illas, quæ factæ essent in alteram Ecclesiam, ac etiam casus tunc in judicio deductos, ut *eodem disc. præced.* Hinc proinde, cum in Romana palatii coram Albergato 18. Maji 1657. *impress. de-*
4 *cis.* 268. *num.* 22. *part.* 12. *recent.* pluries in aliis instantiis confirmata, firmetur centenariam attendi facta computatione ad tempus ipsius editæ Constitutionis, ita cum hoc sensu procedendum esse videremur.

5 His tamen non obstantibus, contrarium dixi probabilius videri, quoniam ista lex non prodiit solum super negotiis particularibus alienationum jam factarum a centum annis citra, sed per viam legis universalis, ac perpetuæ pro temporibus, ac sæculis futuris, mundo durante, usque ad diem judicii, ad quem nulla fides est, Catholicam Ecclesiam duraturam esse, & consequenter intelligenda est adinstar aliarum legum desuper providentium, ut in specie habemus dispositionem juris civilis *in authent. ut Ecclesia Romana, §. unita,* super præservativa centenariæ tantum favore possidentium bona Romanæ Ecclesiæ, contra quam alia præscriptio non est allegabilis, quoniam licet dicta lex prodierit sub Justiniano circa annum salutis 530. atque in his partibus occidentalibus ejus observantia resumpta fuerit circa annum 1130. juxta legalem historiam pluries insinuatam, præsertim autem latius enarratam, & expensam *sub titul. de servit. disc.* 1. occasione agendi de puncto, an novæ leges, 6
quæ per Antonium Contium, & Gotifredum, aliosque modernos antiquitatis indagatores in modernis Codicibus registratæ fuerunt, vim legis habeant, & tamen fabulosum esset, ut justificari deberet centenaria completa de tempore editæ legis, adeout alia præscriptio allegabilis non esset.

Item pluries habetur *sub tit. de jurepatr.* præsertim *disc.* 57. 7
& 58. super probatione Jurispatronatus tam potentium, quam privatorum, cujus explicitus titulus fundationis, vel donationis per authentica documenta non habeatur, ut tempus immemorabile, vel centenarium hujus tituli præsumptionem inducat, & tamen tale tempus completum esse non debet, quando prodiit Concilium Tridentinum, sed de præsenti quando lis movetur, atque possessori de ejus possessionis viribus quæstio movetur, idemque circa alium terminum 50. annorum, per quem de continuatis præsentationibus effectum sortitis docendum est, sic a pari.

Clarius vero, attenta ejusdem præservativæ ratione, 8
quoniam illa non prodiit per viam gratiæ, & privilegii, sed explicando id, quod de jure dispositum est, & ne alias maxima exorbitantia ex hac nova lege resultaret, quoniam centenaria possessio (quoties non constat certitudinaliter de contrario initio vitioso, ad quod præcise possessor se restrinxerit tanquam ad titulum meliorem) omnem maculam, vel suspicionem purgat, atque jus tribuit allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem absque necessitate illum justificandi, ex deductis per Gabr. *de præscript. concl.* 1. *num.* 7. Menoch. *cons.* 1023. *num.* 3. *&* 4. Rota apud Merlin. *dec.* 593. *n.* 28. & habetur *sub tit. de feud. disc.* 3. & sub altero *de Regal. disc.* 47. *& alibi frequenter.*

Ea viva, & convincenti assistente ratione, quod cum per 9
centenarii temporis decursum, hominum memoria pereat, ac etiam, ut plurimum perire soleant scripturæ, & quatenus extent, ignotæ sint, cum nemo adsit, qui eas indicare valeat, hinc proinde esset revolvere totum mundum, si dominia per sæculum, & ultra confirmata, ex integro justificanda essent, præterquam, ut dictum est, ubi possessor suæ possessionis daret initium, cum restrictiva ad illum titulum tanquam unicum, & meliorem, de cujus infectione incontinenti constaret, cum ita præsumptio exclusa remaneat per contrariam veritatem, secus autem, ubi idem titulus compatibilis est cum præsumptione alterius tituli melioris, quæ ab immemorabili, vel centenaria resultat, ex deductis præsertim *dicta disc.* 47. *de Regal. & infra disc. seq.*

Tantæque potentiæ centenaria possessio haberi solet, 10
quod licet in terminis juris communis dicta præsumptio resultans ex observantia longissimi temporis 30. annorum cesset, ubi de negativa adhibitæ solemnitatis constaret ex deductis *dicto disc. præced.* & sub *tit. de dote disc.* 143. ac alibi, adhuc tamen tempus centenarium sufficit, quoties tituli infectio non sit talis, quod in possessore malam fidem inducat, omnemque diversam præsumptionem omnino excludat, ut apud Cavaler. *decis.* 613. *n.* 3.

In proposito item hujus Constitutionis, alias pluries in 11
facti contingentia disputando, dicebam, probabilius videri, quod cum legis natura sit respicere futura, non autem præterita, nisi quando expresse dicatur, vel ubi prodierit per viam declarationis ejus, quod prius dubium erat, aut circa ea præterita, quæ adhuc aliquam perfectionem expectant a futuro ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur collecta apud Fainac. *in fragment. verbo lex, num.* 36. *& seq.* Mantic. *dec.* 259. *n.* 4. Ruvit. *pragm.* 2. *de censib.* Rota *dec.* 35. *nu.* 9. post Merlin. *de pignor. & sæpius*, ac etiam in dubio præsumenda non sit voluntas Principis tollendi jus tertio jam quæsitum, ex iis, quæ habentur pluries deducta, præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 148. ubi de hac materia potestatis tollendi jus tertii, hinc proinde dicere consuevi, durum videri, ut ista Constitutio afficere deberet eos, qui de ta 12
tempore, quo edita fuit, suam possessionem, ac dominium confirmaverant, cum jam nata, & completa legitima solemnitatis præsumptione resultante a longissimi temporis possessione, juncta cum vera, & pacifica observantia, unde propterea esset tollere jus quæsitum, ac facere non Dominum eum, qui jam Dominus effectus erat, eo modo, quo mala fides superveniens post jam completam præscriptionem, illius effectum non tollit, Abb. *& cæteri in cap. audistis, de præscript.* Mantic. *dec.* 296. *n.* 5. Buratt. *dec.* 739.

Atque si declaratum fuit quod Constitutio non comprehendit

hendit casus in judicio deductos, ut *dict. disc. praced.* non videtur quæ diversa ratio suadeat, ut iste casus quoqoa ab ea exceptus remanere non debeat, quodque dicta nova lex futuris, non autem præteritis provideret, potissime vero ubi ageretur da personis privatis, in quibus non urgeret illa potentiæ, & usurpationis ratio, ob quam respectu potentium dicta Constitutio prodiit, ad hujusmodi privatas alienationes forte male axtensa.

13 Cumque jucta decisiones insinnatas *eadem disc. praced.* firmatum sit, hujusmodi Constitutionem non procedere in alienationibus, & contractibus inter duas Ecclesias, ducto argumento ab iis, quæ habemus io materiis Jurispatronatus potentium, ob malam usurpationis præsumptionam a Tridentino Concilio inductam, ut non procedat in personis, vel corporibus ecclesiasticis, quamvis haberent jurisdictionem, vel universitatem constituerent ex deductis *sub tit. de jurepatron. disc.* 158. Hinc dubitatum fuit pluries in facti contingentia, præsertim in Romana domus pro Ecclesia S. Thomæ librariorum, cum Monasterio Sublacensi pendente in Rota coram Taja, an dicta limitatio suffragari deberet in casu, quo Ecclesia non contraxisset ab initio, &
14 causam haberet a privato laico, in quem bonorum ecclesiasticorum alienatio facta fuit, quatenus ipsa Ecclesia post successionem per longissimum tempus pacifice bona possedisset.

15 Atqua dubitandi rationem præbere videbantur ea, quæ *in dicta materia jurispatronatus* habentur, præsertim *disc.*6. *&* 158. ut spectari dabeat origo, & consequenter nihil referat juspatronatus possideri a privato habente causam a potente, quoniam adhuc jure potentia censendus est, & e converso, potens jura privati, si ab isto causam habet.

16 Verum credebam (etiam in fausa veritatis) contrarium dicendum esse ex limitatione, quæ dictæ conclusioni traditur *eadem disc.6. & 158. de jurepatronatus*, ubi habentur auctoritates, & decisiones, ut scilicet id non procedat, quando talis fuit Ecclesiæ possessio, quod purgata censeatur illa mala præsumptio, quæ ex qualitata personæ potentis resultat, ut habetur in aadem Rumana domus infra *disc.*16.

17 Fortius vero ax dicta circumstantia in meo sensu magnifacienda, quod etiam in ipsis laicis privatis, quibus dictæ modernæ Constitutionis ratio non congruit, neque absolutum est aandem Constitutionem procedere, cum potius hoc jure vivamus, eo quia semel casus dedit, ut ita per Rotam responderetur, ita deinde continuando, juxta illum stylum, qui Mihi non placet, potissime dum, ut *d. disc. praced.* insinuatur, Egomet audivi ab aliquibus, qui participationam in dictæ Constitutionis editione habuerunt, quod id in intentiona Pontificis non fuerit quod novum non est, ut Ministri extensores legis phrases, seu verba ita concipiant, quod importent diversum sensum ab ao, quem ipse Legislator habuit, juxta id, quod in diec practicamus de Notariis, ita dicentibus in instrumentis, ac testamentis ea, quæ testatores nunquam voluerunt, nequa cogitarunt, immo voluerunt oppositum, juxta præsertim casum, de quo *sub tit. de dote disc.*99. & pluries sub *tit. de fideicom.*

18 Et io specie legis cum amplioribus verbis conceptæ præter intentionem Legislatoris, habetur insinuatum sub *eod. tit. de dote disc.* 166. in proposito Constitutionis, vel privilegii ab eodem Urbano VIII. concessi pistoribus super potioritata adversus creditores anteriores, etiam dotem, & de aliis declarationibus propriæ Constitutionis factis ab eodam Urbano VIII. in plena Signatura Gratiæ habetur apud Royas *dec.* 217. & advertitur pluries *sub tit. de pension.* cum similibus, quæ pondarari possunt.

COLONIEN. BONORUM
PRO MONASTERIO SANCTI CORNELII AD INDAM
CUM ECCLESIA N.

Responsum pro veritate.

De eadem materia præsumptæ justificationis solamnitatum, ac legitimæ alienationis bonorum Ecclesiæ, resultantis ab antiquissima, præsertim centenaria possessione, & quando dictæ præsumptioni obstet necne infectio tituli, ex cujus inspectione appareat de defectu solemnitatis, vel causæ, & præsertim de alienatione antequam ederetur *Extravagans Ambitiosæ*.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De nova dispositione* Extravagantis Ambitiosæ.
3 *De ejusdem moderno recepto intellectu.*
4 *Decisiones, & auctoritates moderna non applicantur alienationibus antiquis, & de ratione.*
5 *Quando fuit editus liber Decretalium.*
6 *De beneplacito præsumpto ex tempore.*
7 *De virtute possessionis centenaria.*
8 *Quæ sint solemnitates de jure communi.*
9 *Non suffragatur possessio quantumvis antiqua ubi constat de initio vitioso.*
10 *Mala fides impedit præscriptionem non obstante quocumque tempore.*
11 *Retentio tituli infecti inter scripturas inducit malam fidem.*
12 *De differentia inter centenariam, & immemorabilem, & quod prima non sit tanta virtutis.*
13 *Non valenti agere non currit præscriptio, ideoque successori non nocet negligentia prædecessoris.*
14 *Quare cum difficultate præscriptio sola raro juvet possessores.*
15 *Habens centenariam potest allegare titulum meliorem, quem non tenetur probare.*
16 *De eadem conclusione, de qua num.*12.
17 *An immemorabilis sit major, quam centenaria, vel e contra?*
18 *Declaratur conclusio, de qua n.*9. *ut possessio antiqua non suffragetur, ubi constat de initio, quando procedat.*
19 *De eodem.*
20 *An investitura probet dominium, sive an istud bene probatum de tempore præterito sufficiat de præsenti?*
21 *Quod stant bene simul initium, & immemorabilis, dantur exempla.*

DISC. III.

1 Cum usque ab anno 1270. quædam bona (attento hodierno statu) nimis conspicua, magnique valoris, per Abbatem, ac Monasterium S. Cornelii ad Iodam, pro axiguo pretio alteri Ecclesiæ alienata fuissent, adeout supponeretur, majorem esse unius anni fructum, quam pretium in sorte principali, hinc proinde cupiens Abbas modernus dicta bona recuperare, ac Monasterium reintegrare, consilium pro veritate a pluribus Romanæ Curiæ Advocatis da anno 1666. petiit, cumqua Ego essem unus ax dictis desuper consultis

2 Respondi quod pro meo sensu, id nimis durum, peneque desperatum opus videbatur, quoniam io hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ, modernis temporibus magis rigorose proceditur ob Constitutionem Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ, registratam inter Extravag.* communes sub hoc *tit. de rebus Eccles. non alien.* per quam de novo inducta ast præcisa solemnitas beneplaciti Apostolici, magisque inculcata justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, sub decreto irritanti inficiente quemcumque titulum, & possessionem, ex iis, quæ desuper ad hanc materiam generaliter deducta habentur supra *disc.*1. Quinimmo illa præcisa necessitas, quam hodie receptam habemus dictæ solamnitatis prodiit magis videtur a traditionibus modernorum,
3 ut a Rotæ Romanæ determinationibus, cum prius sub quæstiona esset, an alternative dicta solemnitas beneplaciti Apostolici, vel aliæ solemnitates per antiquos canones desideratæ sufficere deberent, ut eodem *disc.*1.

4 Cum igitur dicta moderna Constitutio prodierit de anno 1448. & sic pene per duo sæcula post illam alienationam, quæ, ut supra, supponebatur facta de anno 1270. hinc proinde advertebam, suffragari non posse conclusiones ex modernorum traditionibus, ac Rotæ decisionibus desumptas, cum quibus hodie vivimus, quamvis aliqui desuper etiam consulti, utpote totam scientiam desumentes ex modernis decisionibus, ac juxta conclusiones, quas in repertoriis adnotatas habent, cum illis aliud non indagando, procederent.

5 Quinimmo advertebam, dubitari posse, an de tempore alianationis, ipsi Decretales in illis partibus publicati, vel cogniti essent, cum eorum volumen continens quinque libros editum esset sub Gregorio IX. inter annum 1227. in quo creatus fuit, & annum 1241. in quo obiit, & sic tempore proximo.

Fortius, quoniam etiam in rigorosis terminis *Extravag. Ambitiosæ*, solus lapsus temporis longissimi sufficit ad præ-

sumptionem solemnitatum, & causæ, ex deductis disc. præc.
6 multo magis ubi accedit spatium annorum circiter 400.
dum, ut eodem discursu præc. advertitur, sola centenaria
sufficit, non obstante moderna Constitutione Urbani VIII.
ob facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo
meliorem. Si enim solum spatium annorum 100. id ope-
ratur, multo magis, & absque dubio, ubi illud est in
quatruplo; dum scimus quod ipsamet Romana Ecclesia
plures habet concessiones Imperiales, vel alia jura super
Civitatibus, Oppidis, & locis de facto possessis per alios
Principes, quos tutos reddit aliquorum sæculorum posses-
sio, ac etiam quia inter duas Ecclesias, neque intrat di-
7 cta Constitutio Urbani, sed intacta remanet dispositio ju-
ris communis, ut eod. disc. præced.
8 Quia vero ex parte Abbatis dabatur sumptum instrumen-
ti alienationis, ex cujus inspectione constabat de ejus
infectione ex defectu personæ alienantis, dum per so-
lum Abbatem absque Capitulo Monasterii facta erat, at-
que incontinenti ex eadem scriptura detegi videbatur ine-
ptia causæ, necnon defectus aliquarum ex illis solemnita-
tibus ex dispositione antiquorum canonum requisitis, quas
recensent Rebuff. in compend. alienationis bonorum Eccle-
siæ, & Redoan. eod. tract. quæst. 24. num. 31. & seq. hinc
proinde alii desuper consulti dicebant, rem esse in tuto
pro hac parte, innixi conclusioni deductæ ex textu in cap.
veniens, de præscript. & theor. Innoc. in cap. dudum, de de-
cimis, cum qua cæteri pertranseunt relati apud Buratt.
9 dec. 792. nu. n. 2. & apud Merlin. decis. 702. num. 39. repetit.
decis. 94. part. 7. recent. cum aliis, de quibus sub tit. de Re-
gal. disc. 47. ut scilicet quævis antiquissima possessio, etiam
mille annorum, non suffragetur, ubi constat de initio in-
fecto, quoniam istud inducere dicitur in possessorem ma-
lam fidem, quæ attenta dispositione juris canonici ubique
10 recepta, etiam in Terris Imperii, & inter laicos, mul-
to magis inter Ecclesiasticos, perpetuo impedit præscri-
ptionem ad notum textum in cap. finali, de præscript. ubi
communiter Scribentes collecti decis. 373. n. 9. & seqq. par.
9. rec. & infra pluries, præsertim disc. 130.
11 Potissime quia supponebatur, quod dictum alienationis
documentum existeret in archivio Ecclesiæ emptricis, ex
qua retentione tituli infecti inter scripturas, resultare di-
citur etiam scientia juris alieni, ac mala fides juxta con-
sil. 96. Gemin. num. 4. vers. quoties loquunt, Caputaqu. dec. 24.
part. 2. Cavaler. decis. 77. num. 7. & decis. 91. num. 10. Buratt.
decis. 912. num. 9. Merlin. dec. 663. num. 27. repetit. decis. 3.
par. 7. rec.
12 Atque ad facultatem allegandi quemcumque alium ti-
tulum de mundo meliorem a centenaria resultantem.
Respondebant id procedere in immemorabili vera, & pro-
pria, qualis dicitur ea, de cujus initio non constet, non
autem ubi de centenaria, vel etiam alio majori tempore,
de cujus initio constat, cum tunc, dato initio infecto,
intret dicta conclusio, ut ita distinguendo, cæteris relatis,
firmant Barbos. in l. cum notissimi, §. illud, num. 91. & 95.
ff. de judic. Caldas. lib. 1. receptarum sententiarum quæst. 23.
num. 80. & seqq. & num. 109. Adden. ad Molin. de primo-
gen. lib. 4. cap. 10. nu. 10. Castill. lib. 5. controvers. cap. 93. §. 8.
ex num. 41. cum pluribus seq. ex quibus Auctoribus, alios
transcribendo magnus fiebat allegationum cumulus.
13 His tamen non obstantibus, Ego adhuc dubitabam. Di-
cebam etenim præfatos DD. ac alios apud eos percutere
diversos terminos; ubi scilicet possessor munire se vellet
cum solo clypeo præscriptionis, quam successores in fidei-
commissis, & majoratibus, de quibus ipsi loquuntur, de
facili evitare possunt cum regula textus in l. finali, C. de
annali præscript. quod scilicet non valenti agere, non cur-
rit præscriptio, ideoque prædecessorum negligentia nocere
non debet successoribus postea natis, ut adinstar eorum,
quæ in his terminis fideicommissariis habentur, idem in
terminis jurispatronatus gentilitii firmatur sub tit. de jure-
patron. disc. 35. ubi allegantur Gratian. Clarlin. & alii, ac
Rotæ decisio in eo casu edita.
14 Secus autem ubi possessor non est ita imprudens, quod
recurrat ad solius præscriptionis præsidium, hodie nimium
raro ad praxim deducibile, tam ex dicta regula textus in
l. finali, de annali præscript. quam ex altera in d. cap. fi-
nali, de præscript. ac etiam ob subductiones temporum
pupillaris ætatis, & ob restitutionem in integrum, quæ
ratione minoris ætatis, aut alterius justi impedimenti,
sive ratione justæ ignorantiæ competit, sed cautius agen-
do, ejusdem temporis beneficio utatur ad probationem ti-
tuli melioris, puta, derogationis, seu privilegii concessi per
Principem, aut Pontificem, quem titulum sufficit allegare, 15
dum ipsa antiquissima possessio, quæ hominum memoriam,
vel sæculum excedat, probationis loco stare dicitur, ex
deductis d. disc. præced. cum aliis, quos pro consueto ela-
borato, sed nimium prolixo, superfluo stylo deducit Castill.
d. lib. 5. controv. cap. 39. §. 8. n. 27. ad finem cum seqq.
Neque ad rem facere dicebam dictam distinctionem in- 16
ter immemorabilem, & centenariam, quasi quod dicta
operatio competat immemorabili, de qua plures ex alle-
gatis loquuntur, & plenissime habetur apud Rot. dec. 101.
n. 31. par. 10. rec. ac frequenter, non autem in centenaria,
cujus initium, ut supra habetur; tum quia magna quæ-
stio est inter Scribentes, quænam esset major, ac majoris
virtutis, centenaria, vel immemorabilis, plerique opinan-
tibus, majorem esse centenariam, per quam certus redda-
tur excessus memoriæ hominum, ac diversus status per 17
integrum sæculum, cum dari possit ut non habeatur me-
moria etiam eorum, quæ infra spatium 100. annorum se-
quuta sunt, ex iis, quæ pro utraque opinione ad satietatem
colligit idem Castill. d. c. 93. §. 8. n. 52. cum seqq.
Tum clarius, quoniam id procedit, quando certitudi- 18
naliter constat, centenariam, seu majorem possessionem
habitam esse in vim tituli, qui ex sui facie pateat clare
infectus, hæc autem certitudo resultare non dicitur, nisi
quando imprudens possessor, simpliciter, ac principaliter
titulum ita producit ad suæ possessionis justificationem,
quod ad eum se restringendo, alterius melioris præsum-
ptio excludatur, juxta casum, de quo in dict. disc. 47. sub
tit. de Regal. cum similibus, secus autem ubi (ut cautius
ac prudentius est) nullum exhibet, nec producit titulum,
contentus ea majori facultate, quam antiquissimum tem-
pus ita sibi tribuit, vel ita producit cautelate, quod non
excludatur compatibilitas, seu possibilitas alterius tituli
melioris, adeout cesset dicta restrictio juxta deducta apud
Lanar. cons. 94. quod videtur in hac materia magistrale,
cum aliis eodem disc. 57. de Regal.
Atque hinc respondendo ad dictas conclusiones deductas 19
ex theor. Innoc. in cap. dudum, & cons. 96. Gemin. Dice-
bam illas esse veras in puncto juris, ac in abstracto, po-
sitis tamen terminis habilibus, quod scilicet præcise con-
stet possessionem habitam fuisse in vim illius tituli, tan-
quam unici, & melioris alterius exclusivi, secus autem
illa restrictione non bene justificata, quoniam cum ex-
tra controversiam sit, dari posse titulorum multiplicatio-
nem, hinc recte centenarius possessor dicere potest, quod
ejus prædecessores agnoscentes titulum, de quo constat,
esse minus tutum, alium titulum meliorem sibi cumula-
runt, cujus vigore, non autem primi possessum est, &
quem justificare non tenentur, sed sufficit allegare, at-
que in hoc dicebam residere difficultatem, quatenus di-
cta alia Ecclesia pulsata ad docendum de suæ possessionis
titulo, imprudenter illum non produceret ita simpliciter,
& restrictive, quo casu admittebam, quod longissima pos-
sessio quatuor sæculorum, & longe major suffragari non
potuisset, ideoque difficultas non erat in veritate conclu-
sionum, sed in applicatione, ut frequentius, ac pene sem-
per contingit.
Ad quod ponderabam etiam ea, quæ habentur deducta 20
in Romana Castri Orciani sub tit. de feudis disc. 70. ac in
decisionibus Rotæ ibi recensitis, quod non sufficit, ut quis
doceat de ejus antecedenti dominio ex investituris, aliis-
que documentis, nisi constet, quod hodiernus possessor
jure illarum investiturarum, & titulorum possideat, vel
quia id explicite, vel implicite fateatur per tituli produ-
ctionem, vel quia aliunde constet quod ille alio titulo
rem habere non potuit, sed pernecesse bona in eum ob-
venerunt ab eo, cui investitura concessa fuerat, adeout
excludatur dicta possibilitas, quæ utpote continens præ-
sumptionem juris, contraria probatione, vel saltem for-
tioribus præsumptionibus, & adminiculis tollenda est.
Neque ratio differentiæ inter immemorabilem, & cente- 21
nariam, ut supra per allegatos considerata, attendenda venit,
nisi quando, ut supra, concurrit certitudo initii infecti, cum
restrictione excludente alterius tituli melioris possibilitatem.
Non enim omne initium id operatur, quoniam stant simul,
ut constet de initio status contrarii, & tamen recte detur
præscriptio immemorabilis, cujus vigore quilibet melior
titulus allegari possit, atque plures in facti contingentia,
agendo de hoc articulo, deducere consuevi exemplum Im-
perii Romani, quod notorium est, possedisse plene universum
Orbem, præsertim nostras occidentales Provincias Italiæ,
Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, & alias, & tamen receptum
est

ait plures Italiæ Principes, vel Civitates, dictosque Hispaniæ, & Galliæ, Germaniæ, aliarumque Provinciarum Reges, & Principes, omnimodam libertatem, ac exemptionem ab Imperio præscripsisse, ea præscriptione immemorabili præbente quemlibet titulum meliorem, eo modo quo idem Romanum Imperium prius quæsierat, ac præscripserat contra alias antiquiores Monarchias Medorum, Assyriorum, Persarum, & Græcorum, ex deductis per nostrum eruditum Borell. *in ejus tractatu de præstantia Regis Catholici*, c.4. *&* 47. Ergo contrarium initium ita generice sumptum, & de per se, hoc impedimentum non præstat.

Ita pariter certum est, quod Ecclesiæ, quæ hodie possidentur cum jurepatronatus a laicis, diversum habuerunt initium, cum introductio jurispatronatus fuerit posterior, ut advertitur in sua materia *sub tit. de jurepatr.* & sic adest initium, & tamen passim datur possessio immemorabilis, idemque in decimis, quas laici possident, præsertim in Hispania, ut patet ex copioso numero decisionum Rotæ, quas desuper inter volumina habemus. Certum enim est initium post expulsionem Maurorum, & tamen adhuc datur immemorabilis, quia hæc intelligitur ab eo diverso statu citra, ideoque punctus est in modo possidendi, quod scilicet possessor præcise ad illum titulum suam possessionem restringat, de cujus vitio constet, cum tunc dicatur excludi dicta possibilitas alterius tituli melioris, qui cumulari potuit, atque initium infectum bene obstat, & hæc dicebam in sola forma discursiva, nihil firmando.

NERITONEN. BONORUM, INTER MENSAM EPISCOPALEM, ET RUGGERIOS,

Responsum pro veritate,

An, & quando alienatio bonorum Ecclesiæ invalida dicatur, quamvis expressum beneplacitum Apostolicum accedat, ob illius formam non servatam, & posita nullitate, an per possessorem fructus restitui debeant, & e converso, an & quæ melioramenta per Ecclesiam ejus bona vindicantem, possessori debeant refici.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *In claris non intrant argumenta.*
4 *Fructus quando veniant restituendi.*
5 *Dominium, & possessio ab Ecclesia non abdicantur.*
6 *Meliorans bona Ecclesiæ non fit Dominus melioramentorum, sed solum creditor pecuniarius.*
7 *Fructus causati a melioramentis non sunt meliorantis, sed Ecclesiæ.*
8 *In materia usuraria non attenditur utilitas debitoris, sed interesse creditoris.*
9 *Meliorans cum mala fide, etiam si repetit, censetur esse implicitus mutuator.*
10 *Contrarium ejus, quod dicitur n.7.*
11 *Ecclesia debet sequi æquitatem.*
12 *Quare Ecclesia non debeat percipere fructus melioramentorum.*
13 *Quod usura in his terminis non intret.*
14 *Quod melioranti malæ fidei non sint reficienda melioramenta.*
15 *Contrarium, & quare.*
16 *Expenditur ratio conclusionis, de qua n.14.*
17 *De ratione donationis præsumpta.*
18 *Quæ species malæ fidei requiratur.*
19 *Quæ species melioramentorum refici debeat, & quomodo.*
20 *De temperamento cum quo proceditur quandoque circa refectionem melioramentorum.*
21 *De distinctione in purgatione attentatorum.*
22 *Quando alienatio redoleat fraudem, & malam fidem veram.*
23 *Et quando sit mala fides excusabilis.*

DISC. IV.

1 Impartita per Urbanum VIII. facultate Episcopo Neritonen. concedendi in emphyteusim territorium nuncu-

Card. de Luca, Lib. VII.

patum *de Erneo*, sub duplici forma, seu conditione, primo scilicet, quod simul, ac unico contextu, uni, vel pluribus illud ita in totum concederetur, & secundo, quod priusquam ad traditionem, dictæque facultatis executionem deveniretur, in eodem loco, in parte executoribus bene visa, apponi deberet marmoreum monumentum, quod Ecclesiæ dominium, dictamque concessionem demonstraret, alioquin gratia cum omnibus inde sequutis invalida remaneret, ac haberetur pro non facta. Episcopus, utraque forma neglecta, quandam dicti territorii partem incultam oleastris, & vepribus plenam, ac pascuis tantum habilem, concessit Alaxandro de Ruggeriis, sub annuo canone ducatorum 16. cum obligatione præstandi decimam de singulis fructibus; Episcopus autem successor, postquam dictus Alexander, ejusque successores dicta bona concessa, cum notabili sumptu ad culturam redegerant, ob non servatam formam in licentia Apostolica præscriptam, concessionem invalidam declaravit, cumque nullitas esset inevitabilis, hinc proinde possessores opponebant de refectione melioramentorum; e converso autem Episcopus, ista denegata, petebat restitutionem fructuum, vel eorum imputationem in dicta
melioramenta. Unde introducta causa in Rota coram Cel- 2
so, sub die 27. Junii 1662. super puncto melioramentorum
prodiit resolutio Episcopo, seu Ecclesiæ favorabilis, ut me-
lioramenta, tanquam facta mala fide, refici non debeant,
dum non sunt necessaria, quæ alias per Dominum fieri de-
buissent, ut inter impress. ejusdem Cels. *dec.*387.

Edita ista decisione, cupientes Partes amplius non litigare, concorditer meum desuper votum pro veritate petierunt, ideoque distinguendo casum in duas inspectiones, primo scilicet circa restitutionem fructuum, & secundo, circa refectionem melioramentorum; inanis enim labor erat agere de nullitate concessionis, dum ob decretum annullativum contentum in licentia, nullitas erat indubitata, cessabantque disputationes, quæ, tali decreto non accedente, cadere solent super eo, an implementum importaret
conditionem, vel modum, quoniam juxta vulgarem regu- 3
lam text. *in l. ille, ff. de legat.*3. *cum concordan. deduct.* apud
Rota *dec.*44. *n.* 14. *par.* 11. *rec.* in claris, & expressis non in-
trant argumenta.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum restitutio-
nis fructuum, dixi planam esse affirmativam, ex iis, quæ 4
habentur supra *disc.* 1. dum nullitas erat clara, & inexcu-
sabilis, unde propterea cadere non poterat illa probabilis
dubietas, vel credulitas facti, vel juris dubii, quæ ali-
quando excusat, ex deductis *dec.*444. *p.* 4. *rec. tom.*2. ibi-
que late Adden. cum aliis *eodem disc.*1.

Quare posita tanquam absoluta substantia dictæ restitu- 5
tionis, inspectio cadebat solum super modo, an scilicet, &
qui fructus restitui deberent? In hoc autem pro ratione du-
bitandi dicebam, integros fructus a possessore perceptos re-
stitui debere, nulla ratione habita, quod melioramenta fa-
cta per possessorem notabile eorundem fructuum augmen-
tum causaverint, quoniam cum extra controversiam sit,
ut ob decretum irritans contentum in *Extravag. Ambitio-
sæ*, dominium, quinimo & possessio civilis non abdicetur
ab Ecclesia, quæ interim domina, & possiditrix reputa-
tur, etiam ad affectum interdicti possessorii recuperandæ,
vel retinendæ, ut advertitur supra *disc.* 1. melioramenta
vero inseparabilia sine dubio acquirantur ei cujus est do-
minium rei melioratæ, etiam in casibus, in quibus de jure,
vel de æquitate melioranti refectio debita sit, cum semper 6
ipse remaneat creditor pecuniarius, non autem Dominus,
ut, cæteris relatis, habetur *sub tit. de feudis, disc.*27. ac etiam
sub tit. de legitima, & detractionibus, præsertim in Romana
domus, occasione agendi de melioramentis, quæ in restitu-
tione fideicommissi sub nomine detractionum veniunt, vel
de alia refectione, ac in pluribus decisionibus in ea causa
editis, hinc proinde, juxta pleriem opinionem, de stri-
cta censura, juridico fundamento non destitutam, omnes
fructus ad Dominum rei pertinent, eorumque participa- 7
tionem meliorans prætendere non potest, dum fructus dicun-
tur sequela dominii, meliorans vero est creditor pecuniarius,
qui citra usurariam labem, fructus, vel accessiones perci-
pere non potest, non concurrentibus legitimis requisitis lu-
cri cessantis, vel damni emergentis accessionum justifica-
tivis, ut tenent Covarruv. & alii relati in infrascriptis de-
cisionibus, in quibus contrarium firmatur.

Neque absonum videri debet, ut Ecclesia, vel alter Do- 8
minus rei melioratæ, ita lucrum faciat de eo, quod ex alie-
na pecunia partum est, quoniam ut pluries habetur *sub tit. de
usuris*, in hac materia, non spectatur quid intersit debito-

ria, sed solum interesse creditoris, qui non ex eo quod de-
bitor ex mutuo magnum commodum, seu lucrum fecerit,
usuras, vel accessiones (ubi legitimum interesse cesset)
percipere potest, ut pluries etiam habetur apud Leotard.
de usur. præsertim *quæst.* 32. *num.* 30. *quæst.* 78. *num.* 14.
& *quæst.*80. *num.*18. Ideoque cum possessor bonorum Ec-
9 clesiæ male alienatorum, sciret, vel scire deberet se non
esse Dominum, unde præsumitur possessor malæ fidei ad
fructuum restitutionem obligatus, hinc proinde melioran-
do rem alienam, ubi etiam melioramentorum refectio
debita sit, aliud agere non videtur, nisi implicite mu-
tuare Ecclesiæ illam pecuniam, quæ in melioramenta
erogatur.

His tamen non obstantibus, contrarium respondi verius
de jure videri, tum quia generaliter verior, magisque
10 recepta est diversa opinio, ut fructus producti a meliora-
mentis, ipsius meliorantis commodo cedere debeant, ad
text. *in l. cæterum* 22. *ff. de rei vendic.* quem perpetuo notan-
dum dicit Roman. *singul.* 337. & cæteris relatis plene pro-
bant Gabr. *cons.* 80. *num.* 8. *lib.* 1. Giurb. *dec.* 105. *num.* 19.
Rota apud Buratt. *dec.* 558. *num.* 1. apud Merlin. *dec.* 363.
num. 5. *dec.* 188. *nu.*5. *part.* 5. *rec. Romana domus* 24. *Janua-*
rii 1650. *coram Bichio*, *impress. dec.* 6. *par.* 11. *rec. num.* 13.
& seqq. cum aliis deductis in locis supra citatis, præsertim
infra *in Romana domus*, *sub tit. de detract.* & in decisionibus
in ea causa editis.

Tum etiam quia, ubi de juris rigore inter privatos alias
11 dicendum esset, talis rigor admittendus non est in Ecclesia,
in qua, ut advertitur *sub tit. de emphyteusi* ad materiam ca-
ducitatis, & alibi, sola æquitas, ac naturalis veritas atten-
di debet; cum etenim ipsa dicatur æquitatis, ac justitiæ ma-
ter, & cultrix, atque super hisce virtutibus privatorum
exemplar sit, ita justitiam, & æquitatem lædere videretur,
obtinendo locupletationem de alieno.

Non debet etenim fictio plus operari, quam veritas,
sive actus nullus, non magis, quam nihil, atque cano-
nes provident, ne Ecclesia per alienationes ejus bonorum
12 factas contra formam ab ipsa lege præscriptam lædatur, ac
supplantetur, non autem, ut alios lædat, sive lucrum de
alieno faciat, ideoque illi sufficere debet, ut ei reficiantur
fructus, quos ipsa percepisset, nisi alienatio facta esset, &
consequenter dixi, inspiciendum esse, quantum Ecclesia
prius solita fuisset percipere de hoc prædio in eo statu in-
culto, in quo erat ante concessionem, ac faciendam esse
peræquationem cum canonibus, & decimis singulis annis
solutis, & si quid superesset, refici debere: Ex facti tamen
serie supponebatur, nullum adesse excessum, quinimmo po-
tius Ecclesiam fuisse in lucro, & consequenter ea facto
cessabat necessitas assumendi alteram quæstionem, de qua
dicto tit. de detract. an fructus, qui singulis annis per me-
liorantem ex parte non meliorata percipiuntur, imputan-
di veniant in sorte necne.

Neque obstare credebam ea, quæ supra insinuantur de
usuraria pravitate alias resultante ex fructuum, seu acces-
13 sionum perceptione a credito pecuniario, quoniam istud
dicitur mutuum implicitum ex quadam juris subtilitate, vel
fictione, non autem attenta naturali veritate in animo me-
liorantis, qui intentionem non habuit mutuandi, sed me-
liorandi id, quod credebat suum, atque ita investiendi pe-
cuniam in effectus fructiferos, unde propterea probata vi-
dentur requisita interesse, adinstar eorum, quæ habemus
in fructibus recompensativis ad terminos textus *in l. cura-*
bit, *Cod. de action. empt.* debitis venditori pro pretio non
soluto rei fructiferæ, ac etiam emptori solventi pretium rei
non traditæ, ut in sua materia *sub tit. de usuris*, nil obstan-
te quod ob malam fidem a lege præsumptam, ita implicitus
pecuniæ mutuator censeri debeat, quoniam, ut dictum
est, id provenit ex quadam juris rigorosa fictione, non au-
tem ex naturali veritate, & æquitate, quas Ecclesia atten-
dere, ac servare tenetur, potissime dum est quædam ma-
la fides, potius præsumpta, quam vera, ut infra.

Quo vero ad alium punctum refectionis melioramento-
rum, quando subsisteret facti præsuppositum insinuatum
in dicta hujus causæ *decis.* 387. Celsi n. 9. quod ex prædio
14 meliorato non perciperentur majores fructus, quam ex
præcedenti statu non meliorato, & quæ utilitas quoad Ec-
clesiam, quæ citra necessitatem vendere non potest, nec de-
bet, attendenda videtur, cum alias nil sua intersit prædium
in sorte majoris æstimationis effectum esse, & tunc, lau-
dando resolutionem, dixi pro Ecclesia respondendum ve-
nire, quoniam ex deductis in eadem decisione, ac *dicto*
disc. 27. *sub tit. de feud.* & pluries *sub dicto alio tit. de detractio-*
nibus, in melioramentis utilibus, ex sola ratione æquita- 15
tis reficiendis, ad tollendam locupletationem de alieno,
refici debet id, quod minus per quandam speciem actionis
de in rem verso, & pro ea sola utilitate, quam Dominus
reportaret.

Ubi vero istud factum non assisteret, contrarium dixi
probabilius videri, non obstante rigorosa conclusione in
eadem decisione deducta, ut mala fide melioranti refici 16
non debeant melioramenta ad text. *in l. domum*, *Cod. de*
rei vendic. Bald. *cons.* 257. *num.* 1. *lib.* 1. *cum concord.* per
Rot. *decis.* 188. *numer.* 29. *& seqq. &* 318. *num.* 22. *&* 23.
part. 9. *recent.* quoniam perpensis omnibus auctoritatibus
hujusmodi, liquet illam duplici ratione alternative inni-
xam esse, vel scilicet ob præsumptam donationem, qua-
si quod scienter ædificans in alieno, donare censeatur, vel
in poenam temeritatis ædificandi, seu meliorandi in alieno.

Neutra ex his rationibus videbatur ad rem adaptabilis,
non quidem prima præsumptæ donationis, cum hæc sit 17
præsumptio, quæ absque dubio contraria probatione verita-
tis tollitur, dum ita constat, meliorantem non animo
donandi alteri fecisse, sed ut sibi ipsi proficeret, & acquire-
ret, minusque altera, quoniam rigorosa opinio volentium
malæ fidei melioranti denegandam esse quamcumque refe- 18
ctionem, ubi etiam reficienda esset, præsupponit talem
malam fidem, ut redoleat temeritatem, & sic delictum po-
sitivum, sine quo poena non datur, ut exemplificari solet
in doloso, ac violento spoliatore, sive etiam in attentan-
te, quoties attentata dolosa dici possunt, & inexcusabilia,
puta post inhibitionem, sive lite pendente, cum affectatio-
ne, atque cum hoc præsupposito malæ fidei veræ, & cul-
posæ loquuntur Bald. *d. cons.* 257. ac *dictæ dec.* 288. *&* 318.
par. 9. *rec.* & alii, qui in eisdem, ac in hujus causæ decisio-
ne allegantur.

Et nihilominus, etiam isto casu, quando cesset altera ra- 19
tio donationis, idem tex. *in l. domum*, *Cod. de rei vendicatio-*
ne concedit melioranti facultatem auferendi melioramenta,
quæ sine prioris status læsione, vel deturpatione auferri
possunt, data optione domino rei melioratæ solvendi æsti-
mationem raderum ablatorum, atque ubi sunt inseparabi-
lia, intrat quoddam æquitativum Judicis officium, seu quæ-
dam æquitativa actio, vel exceptio doli, vel de in rem ver-
so, ad tollendam locupletationem de alieno, ex deductis
locis citatis.

Ac etiam ex alia conclusione in quocumque privato re- 20
cepta, multo vero magis in Ecclesia, ut in civilibus, ex
canonica æquitate non detur exactio poenæ, ultra id quod
interest, unde propterea *d. dec.* 188. *&* 318. *par.* 9. circa
hujusmodi rigorosam conclusionem in eis firmatam effe-
ctum non habuerunt, dum in alia instantia in decisione
edita coram Cerro *impress. ead. p.* 9. *rec. dec.*420. stante quod
melioramenta erant notabilia, atque rei melioratæ dominus
ob ejus paupertatem reficere non poterat, adhibitum fuit
prudens, & æquitativum temperamentum, ut ipse melio-
rans remaneret rei melioratæ dominus, ac possessor, domi-
no autem reficeret valorem rei in eo statu, in quo erat ante
meliorationem, quod etiam in præcedentibus decisionibus
coram Bichio quoque dictum fuerat, ideoque dictus sum-
mus rigor de stricta censura juris civilis, ac præscindendo a
præfata canonica æquitate, intrare non debet nisi in posses-
sore talis malæ fidei certæ, & inexcusabilis, quæ dolum,
seu delictum positivum redoleret.

Non autem in hac specie malæ fidei ex quadam rigoro-
sa legis fictione resultante, juxta eam distinctionem, quam 21
habemus in eadem materia attentatorum inter attentata
facti, mere dolosa ob positivum spretum inhibitionis, &
alia attentata juris, quæ ratione appellationis, vel litis
pendentiæ committi dicuntur, ut in istis, ratione scanda-
li, vel paupertatis, seu ex alio justo motivo, de facili de-
tur suspensio, vel rejectio, quæ in illis denegatur, ut in
sua materia *sub tit. de judiciis*.

Negari etenim non potest, hanc esse malam fidem fictam
a lege subintellectam, non autem veram, & culposam, ni-
si quando particulares facti circumstantiæ illam redolerent, 22
quia nempe fraudis, & affectationis efficacia argumenta
concurrerent inter Prælatum alienantem, & eum, in quem
facta est alienatio, prohibitionis bene conscium, ut (e. gr.)
rigorose dici poterat in casu, de quo apud Merlin. *dec.* 736.
& 764. *repert. dec.* 243. *&* 252. *par.* 6. *rec.* ubi de quadam
alienatione facta Fontanellæ Auctori tractatus *de pact. nu-*
ptial. ac decisionum, cum Ecclesiæ læsione sub affectato
prætextu remunerationis meritorum, eo quia fuisset Eccle-
siæ Advocatus, cum similibus, & potissime ubi accederet

conjun-

conjunctio sanguinis inter Prælatum alienantem, & eum in quem fit alienatio.

23 Nil autem in præsenti concurrebat, quod dictam fraudem, vel malam fidem veram redoleret, quoniam concessio ex utraque parte, de facto, ac naturali veritate attenta, sincere, bonaque fide inita erat, nullitas vero non resultabat a læsione, quæ, ut advertitur *supra disc.* 1. principaliter in hac materia attendenda est, sed a non servata forma in Apostolica licentia contenta, ut integrum tenimentum eodem tempore, uni, vel pluribus concedi deberet cum erectione marmorei monumenti tum forte neglecta, quia crederetur, ut sequi deberet quando inventis aliis concessionariis, integra concessio perfici deberet, potissime quia concessionarius, quamvis nobiles, vel civiles natales habens, erat vir idiota, non de facili hujusmodi callens subtilitates, quas in illis præsertim partibus, in quibus incolæ non multum litteraturæ, ac studiis dediti sunt, vix Juris Professores callent, minusque callebat ille, qui alienationem fecerat, dum non ipse Episcopus, tunc absens pro servitio Apostolicæ Sedis Nuncium agens in Germania inferiori (postmodum ad Summi Pontificatus apicem evectus sub nomine Alexandri VII.) sed mensæ Episcopalis Œconomus concessionem fecit, ideoque concludebam quod naturalis veritas spectari deberet. Puto autem quod honesta concordia controversiæ finem dederit, cum amplius de causa actum non audierim.

LUCANA BONORUM
PRO NICOLAO DE DONATIS
CUM RECTORE ECCLESIÆ N.

Responsum pro veritate.

De concessione rei solitæ concedi, an, & quando sustineatur, & an posita valida alienatione, seu concessione, possit Ecclesiæ Prælatus, vel Rector, illam retractare concorditer cum concessionario, istumque liberare in Ecclesiæ præjudicium?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De claudicatione favore Ecclesiæ.*
3 *Etiam ubi alienatio esset excusabilis circa pœnas, redditur culposa ob perseverantiam.*
4 *Ubi alienatio retractatur, dicitur adesse quædam fidei violatio.*
5 *Quod filii, vel descendentes possint nolle continuare in concessione emphyteutica, vel conductione.*
6 *Ut feudatarius possit refutare feudum Domino invito.*
7 *Contrarium verius ejus, quod habetur n.5.*
8 *Diminutio, seu sbassatio censuum importat alienationem prohibitam.*
8 *Eadem solemnitas, quæ requiritur in contractu, desideratur in distractu.*
10 *De licita concessione eorum, quæ sunt solita concedi.*
11 *An utile, per inutile vitietur?*
12 *De ratione dubitandi in casu.*
13 *Quod Consulentibus non sit deferendum.*

D I S C. V.

1 Facta controversorum bonorum concessione, alias per Ecclesiam facta Matthæo de Liliis, eadem bona, jure renovationis, seu novæ concessionis, data fuerunt Cæsari de Donatis, pro se, filiis, nepotibus, pronepotibus, & abnepotibus masculis, cum plerisque tamen pactis, & conventionibus dictæ antiquæ concessionis alterativis, cumque defuncto Cæsare, Nicolaus ejus filius de præfatæ concessionis invaliditate dubitaret, ne incertus ita remaneret, concorditer cum eodem Ecclesiæ Rectore, qui concessionem fecerat, ab ea tanquam invalida recessit, deindeque ad aliam devenit, in omnibus antiquæ conformem, sublatis alterationibus Ecclesiæ præjudicialibus, ex quibus nullitas resultabat, cumque defuncto dicto Rectore, de Ecclesia prædicta provisus fuisset Cardinalis Bonvisius, isque crederet, quod magis Ecclesiæ expediret primam concessionem sustineri, pactis alterativis non obstantibus, quodque non potuerit prædecessor ab ea recedere, concorditer autem, ac in forma benevola, & extrajudiciali veritas inquireretur, hinc proinde ex parte dicti Nicolai desuper consultus

Respondi pendere resolutionem a puncto validititatis, vel invaliditatis dictæ concessionis, a qua concorditer fuerat recessum; si enim illa invalida erat, planum remanere videbatur potuisse recedi, quamvis etenim Ecclesia in hoc privilegiata sit, quod neglecta illa æqualitate, quæ de jure ex regula correlativorum servanda est, intrat ejus favore 2
claudicatio, ob quam ipsi, ejusque Rectori, vel administratori licitum est pœnitere, atque a contractu recedere, sive illum invalidum declarare, non autem alteri contrahenti, ex deductis supra *disc.* 1. ubi de aliquibus declarationibus, attamen ista pœnitendi, seu nullitatem declarandi facultas, nullam in jure habere videtur restrictionem, ut exerceri non valeat, ac potius ex sacrorum Canonum dispositione, vel sensu commendabilis est, ut retractentur male gesta, & cesset perseverantia in peccato, quæ eo agnito 3
causare potest illum incursum censurarum, ac pœnarum, qui utpote proveniens a malitia, vel temeritate, quandoque ob hujusmodi alienationes non intrat, quamvis intret nullitas, quia probabilis error excusare valeat, & tamen errore cognito, locum habere potest ratione perseverantiæ, juxta ea quæ habemus circa incursum censurarum ob carcerationem, vel aliud exercitium jurisdictionis laicalis in personas ecclesiasticas, quod ipso initio excusabilis esse potest ob credulitatem, quod esset laicus, & subditus, intrat vero ex perseverantia errore detecto, sive ea, quæ circa fraudes administratorum in computis, seu rationibus habentur *sub tit. de Regal. disc.* 116. ut non ipse actus initiatus, sed perseverantia pœnarum incursum causet, an etiam in emphyteuta, vel feudatario, seu fideicommissario non retractante alienationem, cum similibus.

Atque si extra controversiam est, ut per Ecclesiæ Re- 4
ctorem, seu administratorem, id fieri possit, etiam invito, ac reluctante altero contrahente, quo casu (inspecta saltem veritate juris naturæ, vel gentium) quædam turpitudo adesse videtur super fidei violatione, ubi præsertim in altero contrahente malitia, seu mala fides vera non accedit, sed solum ex juris subtilitate, vel præsumptione resultat, juxta distinctionem, de qua *disc. præced.* Multo magis id concorditer fieri potest, dum ita illud inconveniens cessat, atque distractus, concordem veritatis, ac bonæ fidei recognitionem potius continere videtur.

E converso autem, licet more Consulentis ad requiren- 5
tis opportunitatem in scriptura ostendibili, ad effectum parandi honestam concordiam, ut credo sequutam, reassumerem ea, quæ causæ inserviendo plene deducit Andreol. *contr.* 379. ad probandum filios, aliosque descendentes posse refutare emphyteuticam, seu livellariam concessionem eorum patri, vel alteri ascendenti factam etiam invito Domino directo, quamvis essent dicti primi concessionarii hæredes.

Ac ulterius reassumerem ea, quæ habentur deducta *sub* 6
tit. de feudis disc. 71. super puncto facultatis competentis feudatario refutandi feudum Domino quamvis invito, replendo juxta modernum usum (ut ignaro vulgo satisfacerem) chartas doctrinis, ac auctoritatibus *eod. disc.* 71. super hoc articulo deductis.

Eodem tamen contextu, juxta meam consuetudinem, 7
ingenue monui requirentem, quod ubi contractus esset validus, ipseque hæreditariam qualitatem haberet patris, malam causam foveret, cum dictus recessus fieri non potuerit, ex iis quæ habentur deducta *sub tit. de emphyteusi, disc.* 38. ubi de auctoritate Fulginei, & aliorum bene firmantium, quod in ista quoque materia intrat regula text. *in l. cum a matre, Cod. de rei. vindic.* quicquid Andreol. *loco citato* teneat, cum doctrina videatur, vel indigesta, vel venalis, ideoque nulla fide digna, quamvis in eo casu Judex, juxta currentem stylum, aliud non ratiocinando, tanquam super doctrina punctuali cum solita cæca fide, cum ea ambulaverit, cum etenim iste sit contractus correspectivus, atque data ejus validitate, utriusque partis obligatorius, nulla subesse videtur ratio, cur illa claudicatio, quæ in casu nullitatis actus ex speciali Ecclesiæ favore inducta est, ita debeat contra eam retorqueri, atque alteri parti competere, dum volentibus comprehensis in investitura continuare, ipsa id denegare non posset, potissime quia, ut advertitur *dicto discurs.* 38. dictus Auctor nulli innititur probabili fundamento, dum solum procedit cum auctoritate Cornei *cons.* 301. *n.* 2. *lib.* 1. ubi de diversis terminis, cum majori etenim probabilitatis apparentia id probare potuisset cum auctoritate Feudistarum, de quibus *dict. disc.* 71. *de feudis* super facultate refutandi.

Et quamvis iste casus ab eo diversificaret, cum ibi quæstio

esset cum Ecclesia reluctante, in præsenti vero Ecclesia,
8 seu ejus Rectore volente, adhuc tamen de juribus hujus partis dubitabam, quoniam, ut advertitur *dict. disc.* 1. sub alienatione prohibita per *Extravag. Ambitiosæ, de reb. Ecclesf. non alienan.* ac etiam per antiquiores canones, non solum venit alienatio vera, & propria, per quam bonorum, vel jurium inalienabilium dominium ab Ecclesia abdicatur, & in alterum transfertur, sed etiam alienatio impropria, per quam voluntarie remittatur, vel diminuatur census, vel alia præstatio, ut in specie de diminutione, seu sbassatione censuum consignativorum, Ricc. *decis.* 376. *part.* 4. Seraph. *decis.* 1228. cum concord. Barbos. *de Episc. allegat.* 95. *numero* 45. *& seqq.* de Marin. *resolut.* 6.
9 *num.* 10. *lib.* 1. Et conferuni quæ habentur *sub tit. de donationibus* circa insinuationem, aliasque solemnitates requisitas in donatione, ut etiam requirantur in retrodonatione, si prima est valida, & perfecta, quoniam in effectu est nova donatio, & habetur etiam pluries *infra hoc titul.* ut in distractu eadem desideranda veniant, quæ in contractu desiderantur.

10 Quatenus ergo pertinet ad dictum punctum, a quo, ut supra, pendebat resolutio quæstionis, an scilicet dicta retractata concessio valida, vel invalida esset. De stricta juris censura pro invaliditate respondendum dixi, quoniam licet in facto verificari viderentur requisita, de quibus *supra dict. disc.* 1. ut illa dicerentur bona locari solita, atque de consequenti fieri potuerit concessio absque solemnitate beneplaciti Apostolici, ea deductis *eodem discurs.* 1. Attamen, ut ibidem habetur, ut id procedat, requiritur præ cæteris, ut non altereiur solitum. Quod in præsenti dupliciter sequutum erat, tam circa modum canonis, seu præstationis, dum antiquæ concessiones continebant facultatem emphyteutæ, seu conductoris præstandi, vel frumentum, vel quandam aliam inferiorem frugum speciem, quæ ibi Mistura dicitur, quam etiam circa protractionem concessionis ad plures generationes.

11 Ideoque licet apud antiquiores magna fuerit quæstio, an illo casu alienatio in totum corrueret, vel potius, corruente parte alterativa, actus remaneret validus, adeo ut Clarus in §. *emphyteusis quæst.* 6. brocardicam, satisque dubiam quæstionem dixerit, quod etiam dixit Rota *decis.* 241. *num.* 18. *& seqq. decis.* 261. *num.* 24. *& seqq. & decis.* 284. *num.* 17. *& seqq. par.* 4. *recent. tom.* 2. Attamen, ut *eodem disc.* 1. advertitur, hodie in Rota, & Curia, (quæ in hac materia, utpote Ecclesiastica, omnium aliorum Tribunalium norma esse debet) passim recepta est diversa opinio, ut utile per inutile vitietur, ideoque actus in totum corruat, ut *dec.* 202. *n.* 6. *par.* 7. *rec. dec.* 165. *p.* 10. coram aliis collectis per Fulgin. *de emphyteusi, tit. de contract. emphyteut. q.* 8. *n.* 2. *cum seq. & n.* 11. *cum seqq.* & Adden. ad *dec.* 12. *n.* 29. *par.* 3. *rec.*

12 Difficultas tamen mea erat in eo facti præsupposito, quod dicta confessio, tam ob aliquod canonis, vel responsionis augmentum, quam ob temporum qualitatem, Ecclesiæ proficua esset, sibique expediret illam effectum sortiri, adeout præjudicium resultans ab alteratione temporis, seu dictæ facultatis dandi speciem pro specie, bene compensata maneret ab aliis utilitatibus, ut eventus docuit, dum successor adeo firmiter insistebat super illius observantia, & consequenter quod intraret conclusio insinuata *eod. disc.* 1. ut ea quæ habentur de prohibita alteratione soliti procedant, ne alteratio sit Ecclesiæ præjudicialis, non autem utilis.

13 Magisque dubitandi rationem augebat ea circumstantia, quod retractato primo actu, incontinenti ad novam concessionem deventum esset ad limites quidem antiquarum, sed cum minori præstatione, unde propterea (stante potissimum qualitate Rectoris) aliqua non levis urgebat suspicio collusionis in Ecclesiæ præjudicium, ideoque requirenti, ut dictum est, consului, ut eo meliori quo posset modo, se concordare curaret, ut credo sequutum, atque hinc, ut alibi etiam advertitur, in dies edocemur, quantum in judicando Consulentibus deferendum sit.

ROMANA CANONUM

PRO CAPITULO S. MARIÆ MAJORIS

CUM ZONGHIS.

Casus disputatus coram Vicario ejusdem Basilicæ, & resolutus pro Capitulo, credo postea concordatus.

De indirecta, seu impropria alienatione per diminutionem, seu sbassamentum canonis, vel census reservativi, & an, & quando annullata alienatione, debeantur fructus medii temporis, de quibus Ecclesia reintegrari debeat?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Destructo fundo emphyteutico, an emphyteuta teneatur ad canones.*
3 *Diminutio canonis, vel census est alienatio prohibita.*
4 *Et quando fieri possit.*
5 *An fieri possit reductio census consignativi?*
6 *Quod expediat quandoque facere dictam reductionem.*
7 *An & quando veniant fructus restituendi ob male factam alienationem?*
8 *De rationibus differentiæ, ob quas in censu non veniat dicta restitutio.*
9 *De distinctione inter fructus qui petantur principaliter, vel accessorie.*
10 *De rationibus dubitandi contra obligationem restituendi fructus.*

DISC. VI.

FActa per Capitulum Basilicæ S. Mariæ Majoris em- 1
phyteutica concessione sitas pro domibus construendis sub convento annuo canone, vel censu, cum tractu temporis per publicos Ædiles mandatum esset in dicto situ, & adjacentibus locis aperiri novam viam publicam pro majori etiam commoditate construentium novas domos, unde propterea hæc pars inutilis, ac infructifera remanebat, hinc possessores ab eodem Capitulo obtinuerunt (absque tamen beneplacito Apostolico, vel alia solemnitate) canonis, vel census notabilem diminutionem, seu sbassamentum; agnita vero per successores Canonicos dicti actus invaliditate, judicium contra emphyteutas motum fuit pro solutione integræ præstationis ab initio conventæ tam pro tempore præsenti, & futuro, quam etiam pro toto decursu, super quo major fuit quæstio, atque cum ad favorem Capituli judicatum esset, pendente causa coram Judice appellationis, credo quod honesta concordia super decursis tamen, non autem pro tempore futuro, controversiæ finem dederit.

In his autem disputationibus, tres fuerunt puncti, primo scilicet super dictæ reductionis, seu diminutionis validitate, vel invaliditate, secundo super solutione summæ diminutæ pro toto tempore decurso ante motam litem, & tertio, an tam pro tempore decurso, quam pro futuro prætendi possent canones, vel census pro rata illius situs, vel soli, quod jam destructum erat, atque inutile effectum, dum ad formam viæ publicæ redactum erat.

De hoc ultimo habetur aliquid insinuatum in sua ma- 2
teria *sub tit. de emphyteusi disc.* 54. atque decisio pendet a distinctione, quod aut destructio provenit ex facto voluntario ipsius emphyteutæ, seu livellarii, & indubitatum est, canones, vel census deberi, quamvis ex re non existente, loco damnorum, & interesse, dum etiam in censu consignativo, quod est magis, si debitor voluntarie, seu culpose fundum censitum destruit, vel deteriorat, eadem obligatio intrat, ut in sua materia *sub titul. de censibus*, aut vero provenit casu fortuito, ut in præsenti provenisse dicebatur, dum viæ publicæ apertura per publicos Ædiles de Pontificio etiam oraculo sequuta erat, & tunc intrat distinctio, an pars, quæ remanet, integri canonis, vel præstationis capax existat necne, & quæ capacitas in præsenti supponebatur.

Super primo item puncto, modica fuit disputatio, cum 3
planum esset, ut diminutio canonis, vel census reservativi dicenda sit species prohibitæ alienationis, cum ita sit ipsa bona Ecclesiastica alienare, atque Ecclesiæ patrimonium formiter diminuere, ut in specie advertitur *supra disc.* 1. *&* 5. *juxta decis.* 1228. Seraph. ut in specie de hac diminutione

tione, seu sballatione census reservativi, Ricc. dec. 134. p. 1. alias dec. 374. p. 4. de Marin. resol. 6. lib. 1. n. 10. & communites, cum in censu reservativo, vel in pensione locationis perpetuæ casus sit indubitatus, nullamque habeat dubitandi retionem quoties fieret per viam meræ voluntariæ remissionis, seu sballationis, secus autem per
4 viam recognitionis veritatis, ac bonæ fidei, pacifice, ac benevole concedendo id, quod de justitia negari non posset, atque denegando Judee decerneret, quia nempe ee temporum conditione, vel aliis accidentibus res emphyteutica, vel censita notabiliter diminuta, sive incapax oneris effecta esset, juxta casus, de quibus sub dict. tit. de emphyteusi, dicto disc. 54.
5 Solamque alias in facti contingentia pluries dubitetum vidi, & consultus fui, an eadem reductio, seu sballatio absque beneplacito Apostolico fieri possit in censibus consignativis, quia nempe imposita censu ad majorem retionem, & postmodum ad minorem reducatur, atque illo casu, quando non ageretur de censu antiquo imposito ante Bullam S. Pii V. qui propteres irredimibilis esset, juxta decisionem 394. post Cenc. de cens. & per eundem Cenc. q. 59. n. 18. (quo casu reservativi speciem habere videtur) sed esset ad libitum debitoris redimibilis, tunc pro meo judicio dixi indubitatum videri id licite fieri posse, nullamque probabilem dubitandi satiquem desuper cadere, cum id contineat quendam circuitum, seu plurium actuum licitorum occultationem, quia sc. fingetur debitorem extinxisse (ut poterat) priorem censum, absque eo quod Ecclesiæ creditrix id negare posset, cum esset actus necessarius, quodque incontinenti ad novam impositionem deventum esset.
6 Magis vero Ecclesiæ creditrici expedit procedere per hanc viam simplicis reductionis (quoties tamen citra fraudem, & collusionem bona fide id sequetur, quia nempe temporum conditio, & usus communis diligentiam patrumfamilias ite esigat) quoniam continuante eodem antiquo censu, evitatur illa quæstio, de qua pluries sub tit. de cred. an sc. novum creditum creatum pro extinctione antiqui cum cessione jurium, vel pactu de subintrando, eandem habeat anterioritatem pro fructibus, utpote a novo, non autem ab antiquo contractu productis, ut ibi.
7 Major igitur, ac pene tota disputatio fuit super restitutione satæ remissæ, seu diminutæ pro tempore decurso, super quo puncto Scribentes pro debitoribus non negabant conclusionem insinuatam sup. disc. 1. ac etiam disc. 4. ut in alienationibus veris bonorum stabilium per veritatem veniant etiam fructus, cum ista propositio apud antiquiores controversa hodie videatur plana, dicebant tamen secus esse in hujusmodi impropriis alienationibus, quod cum actua implicitum habeat statum validitatis, donec Ecclesia pœniteret, atque invalidum contractum declareret, quia potest nolle pœnitere ex privilegio claudicationis sibi competente, idcirco fructus intermedii non restituuntur, juxta firmata per Rotam dec. 29. post Cenc. de cens. & apud Millin. dec. 235. Gonzal. de regul. 8. Cenc. de cens. & alii, de quibus d. disc. 1.
8 Quicquid autem sit de hujus assumpti veritate juxta insinuata cod. disc. 1. Dicebam etiam in sensu veritatis, ut eo admisso, non exinde inferri posset ad casum controversiæ, procedis enim in terminis diversis census consignativi, in quo duplex intret ratio differentiæ. Primo sc. quod interim Ecclesia habet in manibus sortem, quæ tamen ratio tota non est, cum intraret etiam in casu veræ alienationis bonorum stabilium, quorum pretium interim in manibus haberet, & non tamen suffragatur, nisi eadem Ecclesia utilitatem fructibus æquivalentem reportesset, unde propterea intraret actio, vel exceptio de utili in rem verso, quia nempe pretium erogatum fuisset in extinctionem debiti fructiferi, vel in acquisitionem censuum, aliorumque effectuum fructiferorum.

Magis tamen congrua videtur altera ratio, quod cum in censu consignativo Ecclesia debitrix, vel ejus administrator faciat actum positivum solvendi fructus singulis annis, vel temporibus, ite positive declarare dicitur pro eo sempore habere voluisse contractum pro valido, unde propterea creditor in bona fide versari potuit, atque fructus percipere, & consumere, secus autem ubi accedit solum factum negativum minoris perceptionis, cum per istud dictæ voluntatis positiva declaratio ita resultare non diceretur.

Ad quod ponderabam etiam distinctionem, de qua plene, cæteris relatis, ap. Merlin. dec. 663. repet. dec. 3. p. 7. inter illos fructus, qui veniant accessorie, & consecutive ad ipsam rem, ac illos, qui principaliter, & de 9 per se debeantur, ac petantur.

Reflectendo autem ad veritatem, tam in isto casu; quam generaliter in quocumque alio, etiam veræ, & propriæ alienationis, intellectus non de facili acquievit dictæ rigorosæ conclusioni super fructuum restitutione, quoties non detur vera, & culposa mala fides inexcusabilis, tum quia dicitur hæc quædam mala fides per legem subintellecta resultans e probabili ignorantia juris, cujus no- 10 titia, neque in ipsis Jurisperitis extra magnas Civitates bene dari solet, tum etiam quia interesse fructuum non percutis jus Ecclesiæ, sed potius ipsius Prælati, vel Rectoris, qui alias eos percepturus fuisset, unde propterea, durante jure Prælati alienantis, hic per exceptionem doli, vel refectionem demuorum, & interesse repellendus videtur, & quoad successores, intrare videtur eadem ratio, quod sc. non declatando contractum invalidum, sive non exercendo pœnitendi faculterem, ite implicite declarerent pro eo tempore habere velle contractum pro valido, & sic possessor ee ista credulitate versari potueris in eadem bone fide, quæ in hac facti specie resultare quoque videbatur ex justo motivo credendi, ut diminutio canonis fieri potuerit de justitia, & pro recognitione veritatis, & bonæ fidei, dum pars rei emphyteuticæ, ut supra, destructa, seu inutilis effecta erat, ideoque insinuatis de more difficultatibus, consului honestam concordiam.

ROMANA CENSUS

PRO CONFRATERNITATE SPIRITUS SANCTI NEAPOLITANORUM,

CUM CONFRATERNITATE B. MARIÆ DE HORTO.

Casus decisus per Rotam pro Confraternitate.

De impositione censuum cadente sub prohibite alienatione, & quando Confraternicates leicorum dicantur ad hunc effectum ecclesiasticæ, ut earum bona sub hac prohibitione cadant?

Et an valide imponi possit census ad effectum construendi de novo domum super ipsamet domo construenda?

S U M M A R I U M.

1 *De facti serie remissive.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Impositio census est alienatio prohibita.*
4 *De differentia inter locum pium, & ecclesiasticum.*
5 *Potest fieri impositio census super bonis quærendis.*
6 *Decisiones Rotæ sunt præsupponendæ.*
7 *De probatione, quod locus sit ecclesiasticus.*
8 *Ad hunc effectum attenditur tempus supplicationis super erectione, non autem litterarum.*
9 *An census imponatur super nova fabrica construenda in antiquo solo Ecclesiæ?*
10 *Eodem domus post esse plurium Dominorum per diversa solaria.*
11 *Quando intret distinctio inter fabricam novam, & antiquam.*
12 *An super domo construenda imponatur census?*
13 *Ecclesia debet restituere id quod versum est in ejus utilitatem.*

D I S C. VII.

PRæsupposita facti serie, de qua in hac eadem causa 1 sub tit. de cens. disc. 7. occasione agendi, an census imponi possit super domo, seu re construenda, quatenus pertinet ad hanc materiam alienationis bonorum Ecclesiæ, & an ista pia laicorum Confraternitas, ejusque bona caderent sub dispositione Extrav. Ambitiosæ per Rotam coram Bichio sub die 15. Aprilis 1652. pro comprehensione, & consequenter pro nullitate census responsum fuit, atque in hoc statu causa pendet absque ulteriori progressu.

In hac autem disputatione, cum juxta quotidianam pra- 2 xim, totum penderet a justitia, non negabant Scribentes pro creditore conclusionem hodie extra controversiam re-

ceptam, ut supra *disc.* 1. *generali* insinuatum, ut impositio census tanquam redolens quandam servitutem fundi censiti veniat sub prohibita alienatione, sed conclusione admissa, triplici nitebantur fundamento, primo sc. quod
3 agerent de Confraternitate laicali, quæ ob opera pietatis pia dici merebatur, non autem ecclesiastica, & consequenter, quod ejus bona non caderent sub dispositiona *Extrav. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* ut tam ad hunc effectum, quam ad alterum laicalis jurisdictionis,
4 seu competentiæ Fori, cæteris plane relatis, ac distinguendo inter locum ecclesiasticum, vel locum pium, habetur apud Rotam *dec.* 313. *p.* 10. *n.* 9. & *dec.* 248. *nu.* 19. *p.* 15. *rec.* cum aliis, de quibus supra *eod. disc.* 1.

Secundo, quod nihil de Ecclesiæ bonis alienatum erat, minusque in aliquo ejus patrimonium diminutum, dum census impositio facta erat ad effectum construendi novam domum, quæ solum censui affecta erat, ideoque dicebant intrare ea, quæ habentur apud Rojas *decis.* 161. 205. & 261. cum aliis, de quibus *eod. disc.* 1. ut prohibitio percutiat bona quæsita, & Ecclesiæ incorporata, non autem quærenda, & occasione acquisitionis, cum tunc omnis justitiæ, ac æquitatis ratio suadeat, ut Ecclesia bona acquisita cum sua causa, ac onere insito, habere debeat, ne alias resultaret illa locupletatio de alieno, quæ si in quolibet privato damnata est, multo magis in Ecclesia, quæ æquitatis, & justitiæ cultrix est, aliorumque exemplar.

5 Et tertio, quia constabat de versione in causam expressam, si non in toto, saltem in notabili parte, quod scil. pecunia ad hunc effectum data, erogata esset in mercedes fabrorum, ac in emptionem cæmentorum.

His tamen non obstantibus, Scribens pro Confraternitate, cum sensu etiam veritatis, dicebam de dicti census invaliditate respondendum esse, ideoque resolutio probabilis visa est, præsupposita siquidem dicta conclusione, quam etiam Scribentes in contrarium admittebant, ut posita ecclesiastica qualitate, non dubitetur impositionem census esse speciem prohibitæ alienationis, quodque propterea tota disputatio consisteret in objectis.

6 Quatenus pertinet ad primum, an ista Confraternitas esset ecclesiastica, vel pia tantum, admittendo supradictam distinctionem inter locum pium, & locum ecclesiasticum, dicebam clarum esse, ut versaremur in secunda parte loci ecclesiastici, absque necessitate assumendi desuper ex integro disputationem, dum id jam in individuo firmatum fuerat per Rot. in Romana Spolii 4. Julii 1627. & 16. Januarii 1632. cor. Coccino, stante Rotæ inconcusso, ac notorio stylo præsupponendi, & non revocandi, vel circumscribendi incidenter decisiones super aliquo puncto jam editas.

7 Et nihilominus absque necessitate exquirendi ecclesiasticam qualitatem ex signis, quæ pariter in ipsa Confraternitate verificabantur, habendi scil. Ecclesiam, & Oratorium cum campanis, induendi saccum, & interveniendi in publicis processionibus, sub omnimoda visitatione, & correctione Ordinarii, cessabat omnis difficultas ob expressam formalem erectionem probatam per litteras Apostolicas Sixti V. non quidem pro simplici approbationa pii Instituti, seu concessione alicujus facultatis circa divina, & spiritualia, sed cum formali erectione in Ecclesiasticam Confraternitatem, unde propterea punctus remanebat ex solo facto omnino planus.

8 Solumque circa istam circumstantiam, disputatio fuit in quadam alia causa super consimili censu antiquiori cum quodam Corsino in Tribunali A. C. eo quia impositio per aliquos dies præcedebat dictam Apostolicam erectionem, unde propterea prætendebatur censum sustineri, quamvis beneplacitum Apostolicum non adesset, ex dicta ratione, quod tunc locus dici non posset ecclesiasticus, sed remaneret simpliciter pius, veram difficultas pariter ex facto sublata fuit, quoniam erectio antecedenter facta fuerat per Gregorium XIII. mediante supplicatione jam signata, & datata, unde propterea ex tunc gratia perfecta fuit, litteræ autem, ob superventam mortem Pontificis, ad probationem, ac executionem potius, quam ad substantiam gratiæ necessariæ, ut Regulis Cancellariæ satisfieret, expeditæ fuerunt per successorem in ea forma, quæ dicitur, *rationi congruit*, unde propterea gratiæ affectus retrotrahitur ad suum initium, ut pluries in suis materiis *sub tit. de Beneficiis*, & sub altero *de Pensionibus*.

Quo vero ad alterum objectum impositionis census super bonis acquirendis occasione illorum acquisitionis, admittebam pariter conclusionis veritatem in abstracto, negabam tamen ejus applicationem in concreto, quoniam cum census, etiam attenta juris communis, ac antiquarum Constitutionum Apostolicarum dispositione, de clientia juxta probabiliorem opinionem, quamvis contradictoribus non carentem, hodie vero attenta Constitutione S. Pii V. indubitatam, exigat pro fundo rem stabilem fructiferam, nullatenus dici poterat illum impositum esse super 9
ea eminentiori fabrica nova, quæ jam de novo construebatur cum illa absque solo, & antiquis fundamentis, ac parte inferiori dici non posset res stabilis stans de per se, sed tanquam species alluvionis constituebat unum, & idem prædium ita auctum, ideoque census impositus remanebat super bonis antiquis jam quæsitis, & Ecclesiæ incorporatis.

Et quamvis considerarem deduci posse ea, quæ haben- 10
tur præsertim in S. Severini *sub tit. de servitutibus disc.* 20. (licet Scribentes in contrarium id non motivarent) quod unius, ejusdemque domus plures diversi Domini dari possunt per solaria, sive appartamenta, quia unus scil. sit Dominus appartamenti inferioris, alter vero superioris, & successive nil prohibere videretur, ut quilibet in sua parte, ad limites capacitatis, censum imponere posset, cum ita dicatur res stabilis fructifera, absque necessitate, ut impositor sit etiam Dominus soli, dum receptum habemus, ut etiam super censibus, vel locis Montium, quæ sunt stabilia ficta, & improprie, imponi possunt, ut in sua materia *sub tit. de censib.* Attamen hæc distinctio adaptabilis non erat ad casum, dum unus, & idem erat totius prædii Dominus, & quod magis, impositio limitate facta non erat super sola parte superiori construenda, sed simpliciter super toto palatio.

Dictam vero distinctionem inter fabricam novam, & 11
antiquam, etiam in casu, quo unus, & idem sit ejusdem ædificii Dominus, & possessor, recte cadere dicebam ad effectum potioritatis, juxta terminos textus *in l. interdum, ff. qui potior. in pign. habeantur*, ut scilicet super fabrica de novo constructa jus non habeant creditores anteriores possessoris in concursu creditorum posteriorum, qui ad eandem fabricam construendam pecuniam mutuarunt, sive quod creditores venditoris, ac prioris Domini, hypothecam non habeant super nova fabrica constructa per emptorem, quamvis ista adæquaret valorem fabricæ antiquæ per ipsummet emptorem, in statu tamen bonæ fidei, demolitam, itaut subrogatio non intret, juxta ea, quæ habentur *in Romana pro Monte Pietatis, sub tit. de credito disc.* 24.

Incidenter etiam motivatum fuit de invaliditate impo- 12
sitionis census, etiam ubi limitate, ac taxative illa facta fuisset super sola fabrica de novo construenda, quasi quod esset contra formam dictæ Bullæ Pianæ exigentis pro fundo rem stabilem fructiferam, cum de tempore impositionis illa non esset in rerum natura, ut in hujus causæ decisione quoque motivatus, & habetur *sub d. tit. de censib. disc.* 7. in hac eadem causa, revera tamen motivum non erat considerabile, quoniam impositio censeretur facta ex nunc pro tunc, quando domus, vel ejus pars construenda, ad illum statum perfectionis redacta esset, quod speciem fundi censiti constitueret, ac propterea difficultas percutit solum statum intermedium, ut donec dicta perfectio sequatur, non possit creditor prætendere fructus census, quamvis hic punctus esset extra peculiarem materiam alienationis bonorum Ecclesiæ.

Demum quoad tertium motivum versionis, illud consistebat in puro facto, pro ea tamen rata, pro qua versio probaretur, admittebam, ut ex æquitativa actione de in rem verso, reficiendum esset id, quod versum erat, ne detur in Ecclesia locupletatio de alieno, sed punctus erat, ut non subsisteret tanquam census, sed remaneret simplex creditum pecuniarium infructiferum, remanente quæstione, an fructus soluti restituendi, vel imputandi essent, juxta ea, quæ super ista quæstiona habemus *disc. seq.*

ROMANA CENSUS PRO GALERATIS, ET CONSORTIBUS CUM COLLEGIO PHARMACOPOLARUM ET ALIIS.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Galeratis, & Consortibus.

De eadem materia census impositi per Confraternitatem, seu Collegium, vel aliam Universitatem piam, vel Ecclesiasticam. Et quando de una, vel altera specie dicatur, & quatenus impositio sit invalida cum ipso loco pio, vel Ecclesiastico, an sustineatur cum personis particularibus æque principaliter obligatis?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quando dicatur locus pius, vel Ecclesiasticus.*
3 *Ubi praxis docet subjectionem Fori laicalis, non defertur signis.*
4 *Qualitas laicorum facit præsumere locum pium, non autem Ecclesiasticum.*
5 *De universitatibus, vel collegiis artificum, & professorum.*
6 *Quod habere Ecclesiam non probet universitatem Ecclesiasticam.*
7 *De ratione ob quam impositio census est alienatio prohibita.*
8 *Quando hypotheca sit prohibita.*
9 *Obligatio particularium in contractu cum Ecclesia sustinetur, quamvis respectu ipsius Ecclesiæ non sustineatur.*
10 *De obligatione civium particularium pro Civitate, seu Communitate.*
11 *Quando creditori non præjudicet nullitas obligationis civis, qui est contrahere prohibitus remissive.*
12 *De resolutione ejusque ratione ob quam particulares fuerunt condemnati, non autem universitas pia, vel Ecclesiastica.*

DISC. VIII.

1 IMposuit Janus censum scutorum 1000. ad favorem Patritii, cum fidejussione Martini, & Galerati, postmodum vero Collegium Pharmacopolarum declaravit, censum in ejus causam impositum esse pro ejus aliquibus indigentiis, ideoque promisit relevare indemnes dictum principalem debitorem, & fidejussores, pro quorum etiam indemnitate, tanquam principales, principaliter, & insolidum se obligarunt plures ejusdem Collegii tunc temporis administratores, ac Officiales, cumque impositor, & fidejussores coacti fuisset solvere dictum censum, ac propterea egissent, tam contra Collegium, quam contra obligatos pro relevatione coram A. C. iste, salva provisione facienda respectu Collegii, relaxavit mandatum contra particulares obligatos, illudque fuit canonizatum per Signaturam Justitiæ, unde propterea credo, quod actores reintegrati fuerint, vel quod concordia litem terminaverit, dum amplius de illa actum non audivi.

In his autem disputationibus, Collegii, & correorum exceptio consistebat in prætensa invaliditate impositionis hujus census facta per locum Ecclesiasticum, absque beneplacito Apostolico contra formam *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Verum Scribens pro actoribus (etiam in sensu veritatis agnitæ quoque per Judicem) dicebam hanc exceptionem non subsistere ex duplici fundamento, primo scilicet, quod Collegium vere non esset Ecclesiasticum, ideoque sub dispositione *dictæ Extravag.* non caderet, & secundo quod in omnem eventum subsisteret obligatio particularium, ac etiam illa ejusdem Collegii tanquam continens hypothecam generalem pro debito in ejus causam contracto, & verso.

Quatenus pertinet ad primum, Scribentes pro Collegio, reassumendo ea, quæ in hac materia habentur deducta per
2 Gabriel. *de pia causa, conclus. 1. & 2.* Barbos. *de Episcopo alleg. 75.* & per Rotam in Romana census 15. Aprilis 1652. coram Bichio, tunc jam edita in causa, de qua *disc. proxime præced.*. Dicebant, quod licet de formali erectione non doceretur, cum esset Collegium antiquum longe ante Urbis excidium, in quo multæ scripturæ perierunt, attamen signa convincebant esse locum Ecclesiasticum, utpote existens in Ecclesia publica S. Laurentii in Foro Boario erecta in antiquo Templo dicato Faustinæ, ubi etiam adest Hospitale, atque divina recitantur per Collegiales festivis diebus, aliaque spiritualia, & pia opera exercentur.

His tamen non obstantibus, omnino verius esse dicebam istum esse locum, sive universitatem laicalem, quamvis piam, non autem Ecclesiasticam, ex ea clara probatione, ob quam juxta vulgatam regulam text. *in l. ille aut ille, ff. de legat. tertio*, locus non erat signis, & argumentis, quod scilicet subjaceret jurisdictioni, correctioni, & superintendentiæ Senatoris Urbis, qui est Magistratus mere sæcularis omnino incompetens ubi corpus esset Ecclesiasticum, quamvis singuli tanquam laici in eorum privatis causis laicali Foro subjacerent, juxta distinctionem, de qua in sua in materia *sub tit. de jurisdict. & Foro competenti.* 3

Fortius vero, quia deficiente formali erectione, cum personæ hanc universitatem constituentes essent sæculares præsumptio est pro laicalitate, non obstante quod plura pia, & spiritualia opera exerceantur, quoniam id facit, ut locus, vel universitas sit pia, non autem Ecclesiastica ad hunc effectum, ut advertitur supra *disc. 1.* & in aliis pluries, & in ibi allegatis *decis. 313. part. 10. & decis. 248. p. 11. recent.* ubi concordantes. 4

Ponderando potissime, quod non ageretur de Confraternitate plurium personarum diversorum ordinum, vel generum, quæ primario ex motivo pietatis, ac divini cultus illam universitatem efformarent pro divinis operibus exercendis, ut sunt Confraternitates, vel Hospitalia &c. Sed ageretur de Collegio professorum unius artis, vel exercitii, unde propterea universitas principaliter ordinata videtur, pro tractandis ipsius artis, vel ministerii negotiis, ac modo se regendi, juxta alias artificum Universitates, vel Adunantias, de quibus mentionem faciunt Roman. *cons. 422.* Franch. *decis. 175.* & alii deducti *in Romana taxæ, sub tit. de Regalibus disc. 98.* Ac adinstar Collegiorum, quæ constituere solent etiam Professores juxta *decis. 832. & 882.* Merlin. cum similibus. 5

Et quamvis hujusmodi Universitates artium, vel professionum, habere soleant Ecclesiam, vel Cappellam, attamen ex communi usu Urbis, aliarumque magnarum Civitatum adinstar, id principaliter sequitur pro destinatione loci publici, in quo Professores congregari valeant, atque regimen, & negotia artis, vel professionis tractent, accessorie vero, & consecutive, ob pia, & spiritualia opera etiam exercenda, adeout (præsertim in Urbe) nulla detur ars, nullumque exercitium quod suam non constituat universitatem, cum aliqua Ecclesia, vel Cappella, ideoque combinando hujusmodi considerationem cum observantia subjectionis Senatori Urbis, qui est Magistratus mere laicalis, ita planum esse dicebam, hanc esse universitatem piam quidem, ideoque ad præscriptum Sacr. Concil. Tridentin. subjectam visitationi Ordinarii, qui jus habeat etiam interveniendi in redditione rationum, juxta ea, quæ habentur pluries *sub titulo de jurisdiction.* non autem Ecclesiasticam. 6

Et nihilominus, ubi etiam esset Ecclesiastica, cum ipsa directe super ejus bonis censum non imposuisset, hinc proinde dici non poterat, quod versaremur in casu propriæ, vel impropriæ alienationis bonorum Ecclesiæ, cum eatenus census impositio cadat sub prohibita alienatione, quatenus pernecesse facienda sit super bonis stabilibus fructiferis, quæ ita improprie per hujusmodi speciem servitutis alienari dicuntur, ut supra *dis. urs. 1. & præced.* In præsenti autem fundus censitus erat dicti Jani, qui personam principalis impositoris gesserat, Collegii autem obligatio erat solum pro recognitione veritatis, ac indemnitate dicti impositoris, & fidejussorum, unde propterea resolvitur in simplicem hypothecam, quæ ubi non exerceatur pro distractione bonorum stabilium, sed vel super fructibus, vel super bonis mobilibus, sub prohibitione non cadentibus, non est prohibita alienatio, juxta distinctionem, de qua, cæteris relatis, Roza apud Rojas *decis. 461. repert.* post Merlin. *de pignor. decis. 95.* passim recepta, & canonizata, utpote in materia magistrali, dum ita conciliantur, seu declarantur præcedentes *decis. 161. & 205.* coram eodem Rojas, ac aliæ auctoritates, quæ invicem pugnare videntur, ideoque in omnem eventum, dicta obligatio cum hoc temperamento exercibilis erat. 7 8

Quo vero ad alterum fundamentum obligationis particularium, advertebam, ut quo ubi magis dicta difficultas caderet super validitate obligationis ipsius Collegii, eo magis planum remaneret, ut dicti impositorem, & fidejussores noluis-

noluissent sequi fidem Collegii, sed principaliter illam obli-
gatorum, sine quorum relevatione, se non obligassent,
adinstar eorum quæ habemus de obligatione Civium parti-
cularium se obligantium pro debitis contractis per Civita-
9 tes, seu Communitates prohibitas se obligare, vel debita
contrahere sine certis solemnitatibus, ut tanquam absolu-
tum supponitur apud Capoblanc. de Baron. *par.* 2. *cap.* 13. &
de Marin. *resol.* 77. *par.* 1. & *resol.* 59. *par.* 2. ex quibus patet,
difficultatem solum in Regno Neapolitano cadere ob dispo-
sitionem Regiæ pragmaticæ annullantis etiam obligationes
privatorum, unde propterea quando contingit causas tra-
ctari in Foro Ecclesiastico, sive in Curia Romana, puta
contra Ecclesiasticos obligatorum hæredes, vel bonorum
possessores, passim hujusmodi obligationibus executio da-
tur, neglecta dictæ pragmaticæ dispositione, ratione jura-
menti, cujus leges laicales vim directe tollere non pos-
sunt, ut pluries firmavit Rota, ut coram Buratt. *decis.*
44. *n.* 4. Add. ad eundem *decis.* 422. *n.* 16. ac plene *decis.* 179.
num. 21. *cum seqq. par.* 9. *recent.* & habetur particulariter actum
infra disc. 26. ac etiam *sub tit. de credito*, ubi pluries, de
recepta distinctione, quod tunc nullitas obligationis unius
influit in alios non prohibitos, quando istorum obligatio
ast mere fidejussoria, secus autem ubi sit æque principa-
lis, quinimmo magis principalis.

10 Nulla atenim ratio suadere videtur, cur privatorum obli-
gatio subsistere non debeat, præsertim cum quæstio non sit
cum ipso creditore, in quo fraudis, vel collusionis ratio cade-
re valeat, juxta distinctionem text. *in l. si pecuniæ*, *Cod. ad
Velleyanum*, de qua infra, & *sub tit. de credito*, sed cum fi-
dejussoribus contendentibus tantum de relevatione a damno,
quod ita pro benevolo gratuito officio impenso, contra
omnem justitiæ, & æquitatis rationem paterentur.

11 Eatenus autem oculatus Judex relaxavit mandatum con-
tra particulares obligatos, non autem contra ipsum Colle-
gium, ejusque bona, quia a parte administratorum præ-
tendebatur quod non bene constaret de versione in causam
12 expressam, quodque istud debitum, in toto, vel in parte
participaret de natura censuum, de quibus *disc. praced.* Cum-
que iidem obligati tunc essent administratores, ad quo-
rum manus pecunia obvenerat, hinc proinde juste consi-
deratum fuit, ut incumbere non deberet fidejussoribus de
dicta versiona inquirere, sed quod relevandi essent a di-
ctis obligatis, qui agendo contra Collegium pro relevatio-
ne, repelli poterant cum dicta exceptione, quæ dictis fi-
dejussoribus obstare non debeat, atque tunc de puncto ver-
sionis agere congruum esset.

MACERATEN. CENSUS
PRO CONVENTU S. FRANCISCI OPPIDI S. VICTORIÆ
CUM MONASTERIO MONIALIUM S. LAURENTII.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Monasterio.

De privilegiis, & facultatibus aliquarum Religio-
num alienandi, non obstante prohibitione cano-
num, & *Extravag. Ambitiosæ*, sine beneplacito
Apostolico, & quando etiam sine beneplacito
dici valeat bene facta impositio census super bo-
nis quæsitis de novo, & in eorum causam.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Impositio census est alienatio prohibita.*
3 *Constitutio Urban. VIII. non procedit in alienatione fa-
cta in Ecclesiam de versione.*
4 *Quod creditor non teneatur esse sollicitus, & n. 9.*
5 *De indultis concessis Minoribus Sancti Francisci facien-
di alienationes, & de dictorum Minorum capacitate,
vel incapacitate.*
6 *De moderatione dictorum indultorum.*
7 *An intret beneplacitum præsumptum, si constet de alia
licentia?*
8 *Neque intrat dicta præsumptio ubi verum beneplacitum
dari non solet.*
9 *De eadem conclusione, de qua n. 4.*
10 *Quomodo sit consulendum necessitati, ut non proceda-
tur ad alienationem.*
11 *Quomodo dari soleat licentia imponendi census cum obli-
gatione extinguendi.*
12 *De rationibus, ob quas alienatio debeat sustineri.*
13 *An alienentur bona obventa ex aliqua hæreditate pro
ejusdem hæreditatis debitis?*
14 *Quomodo in hac materia sit procedendum.*

D I S C. IX.

Obventis ex hæreditate, vel legato in Conventum Mi- 1
norum Conventualium Oppidi S. Victoriæ quibus-
dam bonis, cum onere erectionis cujusdam operis in eo-
rum Ecclesia, pro qua erectione necessaria erat Apostolica
auctoritas, Religiosi non habentes promptam pecuniam
desuper necessariam pro expeditionibus litterarum, cum
licentia Ministri Provincialis imposuerunt censum super
eisdem bonis, ut supra obventis, licet pro majori quanti-
tate quam dicta impensa exigeret ad favorem Monasterii
Monialium, cumque per longissimum tempus annorum
30. & ultra, fructus pacifice soluti essent, prætendere cœ-
pit dictus Conventus ulterius ad eos non teneri ob invali-
ditatem impositionis, tam ex defectu beneplaciti Aposto-
lici, quam ex defectu causæ, dum dicta impensa erat longe
minor, atque commode cum fructibus, cum aliqua mora
fieri poterat, absque necessitate faciendi dictam aliena-
tionem, quare introducta causa coram A. C. contra Con-
ventum judicatum fuit, relaxando contra eum mandatum
pro fructibus decursis, habitoque recursu ad Signaturam
Justitiæ, rescriptum fuit de appellatione etiam suspensiva,
sed reproposita causa, credo quod, recedendo a solutis,
rescriptum sit cum clausula *sine præjudicio*, unde Conven-
tus, vel acquievit, vel se concordavit, dum amplius de
causa actum non audivi.

In disputationibus autem in utroque Tribunali habitis
præsupposita necessitate copulativi concursus solemnitatis &
causæ, ut requiritur in alienationibus bonorum Ecclesiæ ad
formam *Extravag. Ambitiosæ*, quam amplius non dubitatur
locum habere etiam in impositionibus censuum, quamvis
ad favorem alterius Ecclesiæ, cum certum sit in hac mate- 2
ria non intrare conquassationem privilegiorum, ut adver-
titur *supra disc.* 1. & alibi, & atque ex hodie magis commu-
ni, & recepta sententia habetur infra in contractibus ini-
tis inter minores, vel mulieres, seu æque privilegiatos.

Dicebant Scribentes pro creditore, (& Judex admittebat)
solemnitatem dupliciter concurrere, primo scilicet ob li-
centiam concessam a Ministro Provinciali, quæ dicebatur
in proposito sufficiens ex indultis Apostolicis huic Mino-
rum Religioni concessis per Leonem X. & Greg. XIII. Et
secundo ut concurreret beneplacitum præsumptum, quod re-
sultat a lapsu temporis longissimi juncti cum observantia,
quorum a utroque accedebat, non obstante moderna Consti-
tutione 157. Urbani VIII. dum receptum est ut cum Eccle- 3
sia, vel loco Ecclesiastico non procedat, ut *eodem disc.* 1.

Et quoad defectum causæ, dicebant eandem præsum-
ptionem resultantem a longissimi temporis observantia, in
idem quoque suffragari, quod scilicet non solum præsu-
matur solemnitas, sed etiam utilitas, juxta auctorita-
tes *eodem disc.* 1. deductas, quas ac alias pro moderno sty-
lo plene cumulabant, & ulterius quod cum ageretur de cen-
su imposito pro causa voluntaria, non teneretur creditor esse
sollicitus de versione, juxta firmata in terminis specialibus 4
census impositi per Monasterium apud Merlin. *decis.* 219.
repetit. decis. 463. post Cenc. *de cens.* istudque fuit præcipuum
fundamentum.

E converso, Ego scribens pro Conventu debitore, absque
necessitate immorandi in regula, quæ nullitati assistit, dum
illa per alteram partem admittebatur, dicebam præfatas li-
mitationes non suffragari ex defectu applicationis ad casum,
tum quia dicta Indulta Apostolica percutiunt Religionem
Minorum Observantium, qui sunt incapaces retinendi bo-
na stabilia in redditu, non autem in acquisitione, ad ef-
fectum vendendi juxta plene firmata apud Merlin. *decis.* 456.
repetit. dec. 365. *par.* 5. *rec.* & pluries in sua materia *sub tit.
de Regularibus*, ideoque præfata Indulta disponunt id, quod
de jure, potiusque prodierunt ad tollendas difficultates resul-
tantes a *cap. exiit*, *de verb. signif. in sexto*; & a *Clement. exi-
vi eod. tit.* super dicta habilitate acquirendi, & vendendi,
quam ut concederetur indultum speciale derogatorium *Ex- 5
travag. Ambitiosæ*, ideoque istud erat clarum æquivocum,
ut dicta Indulta continerent circa hoc privilegium dictæ *Ex-
travag.* correctivum, & consequenter manifesta erat fal-
lacia in applicatione, dum agebatur de Minoribus Conven-
tualibus, qui ex relaxatione regulæ ex indultis Apostolicis re-
sultante,

faltante, sunt extra controversiam capaces retentionis bonorum stabilium, ac redditunm.

6 Et nihilominus, ut *eadem disc.* 1. advertitur, hujusmodi privilegia, quæ, val directe, vel per communicationem plures Religiones capaces præsupponunt habere, moderata fuerunt per Decreta generalia edita de anno 1624. de quibus frequenter testantur moderni Morales, & Collectores.

7 Quovero ad beneplacitum Apostolicum præsumptum,
quod rasultat a longissimi temporis observantia (ultra in-
spectionem, an hæc præsumptio cesset ex contraria proba-
tione, quod impositio facta sit in vim alterius licentiæ,
quod tamen causat probationem præsumptivam, non au-
tem concludentem ob compatibilem concursum utriosque
solemnitatis recte cumulabilis, donec de negativa constet)
dicebam omnem difficultatem cessare ex alia conclusione
eod. disc. 1. deducta, quod hæc præsumptio non intrat, ubi
8 constat de ineptia, vel insufficientia causæ, sine qua Pon-
tifex, vel Sacra Congregatio hujusmodi licentias non con-
cedit, & consequenter non potest fictio supplere illam ve-
ritatem, quæ verificari non potest, ex ibi deductis.

9 Ad conclusionem autem, quod creditor non tenetur esse
sollicitus de versione, respondebam cum eisdem distinctio-
nibus in hac materia traditis *eod. disc.* 5. ut scilicet id pro-
cedat quando verificatur dictus copulativus concursus, tam
solemnitatis, quam causæ, quæ sit vera, & sufficiens, so-
lumque difficultas cadat circa versionem; in præsenti au-
tem difficultas non erat super versione alicujus partis pe-
cuniæ in causam expressam, sed erat super falsitate, dum
pro expeditione litterarum tanta summa necessaria non
erat, ac etiam super ineptia pro ipsamet summa necessa-
ria, quoniam (ut supra insinuatur) cum non esset valde
notabilis, bene consuli potuisset, vel expectando cumu-
lum ex fructibus ipsorum bonorum, obtinendo interim ali-
10 quam prorogationem temporis de facili a S. Congregatio-
ne concedendam pro erectione injuncti operis, vel accipien-
do mutuam pecuniam, etiam sub aliquo interesse, satis-
faciendam mediante assignatione fructuum aliquorum an-
norum mutuatori facienda, suspensis interim piis operi-
bus, quæ ex ipsis fructibus adimplenda erant, unde pro-
pterea Papa, vel S. Congregatio, ex illa causa verisimili-
ter hanc facultatem non concessisset, dum etiam quando
oportet imponere census, quia non possit alio modo oc-
11 curri, adhuc injungi solet Rectoribus, vel administrato-
ribus Ecclesiæ, seu loci Ecclesiastici, etiam sub commina-
tione pœnarum, onus extinguendi infra certum terminum
cum fructibus, ex deductis *infra disc.* 12.

Quamvis autem de stricta, & rigorosa juris censura
crederem (etiam in sensu veritatis) hanc impositionem
invalidam esse, cum dictæ responsiones, quæ ex hac parte
deducebantur, in puncto juris essent solidiores, adhuc ta-
men reflectendo ad eandem veritatem, Me torquebat quæ-
dam non scripta naturalis æquitas, ob quam resolutio po-
tius probabilis visa est, quoniam census impositus non erat
super antiquis bonis ipsius Conventus, qui proinde sui pa-
12 trimonii diminutionem ita pateretur, sed super ipsismet
bonis de novo obventis, & in eorum causam, unde pro-
pterea non erat alienare, vel minuere bona quæsita, &
incorporata, sed facere expensas necessarias pro acquisitio-
ne, sive ita minus quærere, & consequenter quod recte
intraret limitatio, de qua *eod. disc.* 5. ubi agitur de bonis
quærendis, & occasione acquisitionis, licet enim pruden-
tius fuisset providere cum fructibus, ut supra, non tamen
ex eo quod omissa via magis prudenti, eligatur ea quæ
minus prudens est, resultat, ut controventum dicatur *Extra-
vag.* dispositioni, ubi bona sub illius dispositione adhuc
non cadunt, quia Ecclesiæ incorporata non sunt.

13 Et quamvis eodem juris rigore retento, aliqui credide-
rint, ut alienationis prohibitio procedat etiam in ipsismet
bonis hæreditariis, postquam quæsita, & incorporata sunt,
quamvis alienatio fieret pro extinguendis debitis ejusdem
hæreditatis, attamen intellectus nunquam huic assumpto
acquiescere potuit, nisi quando concurreret mala fides,
& culpa positiva, affectando alienationem pro causa, cui
commode cum fructibus occurri potest, juxta ea, quæ in
similibus terminis bonorum fideicommissariorum habentur
sub tit. de fideic. disc. 260. *& sub tit. de dote ad mate-
riam Auth. res quæ, disc.* 145. dum eo ipso, quod agitur
de debitis, vel oneribus, quæ ipsis bonis insunt, ita dici-
tur fieri acquisitio cum sua causa, non autem pura, &
libera, potissime ubi omnis suspicio fraudis, ac malæ fi-
dei abest ab eo, in quem alienatio facta est, cui impu-
tari non valeat, cur diligentior non fuerit, ut dici potest
de privata, in quibus fraudis, & collusionis cum Præla-
to, seu Administratore cadere valeat suspicio, quæ in hac
facti specie omnino exulabat, dum agebatur de Monaste-
rio Monialium ita erogante pecuniam, de necessitate ero-
gandam, & quam alias cum privatis investiisset, & po-
tissime in parvo loco, ubi hujusmodi juris subtilitates
ignotæ sunt, & consequenter pro meo judicio, ista mate- 14
ria discrete pro facti qualitate, & circumstantiis regulan-
da videtur, non autem indefinite juris regulas, cum lit-
terali rigore cuicumque casui applicare, juxta leguleici
vulgi morem.

LAUDEN. CENSUS,
PRO MONASTERIO CONGREGATIONIS OLIVETANÆ VILLÆ NOVÆ CUM MARCHIONE JULIO LUCINO.

Casus decisus per Rotam pro Marchione, postea, ut credo, concordatus.

An valeat impositio census pro extinctione alterius census antiqui in diversa moneta ab ea, in qua antiquus debebatur, & de qua licentia Apostolica loquitur, adeout beneplacitum dicatur male exequutum, & an absque beneplacito imponi possit novus census pro extinctione antiqui valide impositi cum beneplacito, vel e converso, an valeat secunda impositio, quamvis cum beneplacito, facta pro extinctione alterius census, quem detegatur esse invalidum?

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *Resolutio causa.*
3 *Quando augmentum moneta cedat commodo, vel incommoda creditoris, vel debitoris.*
4 *Idem est non adesse beneplacitum, & adesse, & non servari ejus formam in specie, quod loquatur de una specie moneta, & contractus fiat in altera.*
5 *In materia alienationis bonorum Ecclesia utile per inutile vitiatur.*
6 *Sed modicus excessus non attenditur.*
7 *Quod nil referat formam alterari circa species moneta, ubi effectus est idem, & quid in hac materia attendatur.*
8 *Quod non detur lasio in actu, qui potest se habere ad commodum, & damnum, circa alterationem valoris moneta.*
9 *Quomodo regulari debeat incertus valor de futuro.*
10 *Qualitas contrahentium satis in hoc attendenda est.*
11 *Nimium refert, an venditor sit conscius pretii, & emptor ignarus?*
12 *An sine solemnitate imponi possit unus census pro extinguendo antiquo imposito cum solemnitate & e contra?*

DISC. X.

CUm Monasterium Olivetanæ Congregationis Villæ 1
Novæ, ad effectum solvendi pretium aliquorum bonorum emptorum, indigeret libris 60. mil. pro ipsis de anno 1607. censum imposuit ad rationem sex pro centenario, specificando sortem in ducatonis 10619. sub conventione, ut ducatonus semper, & omni tempore, etiam in casu redemptionis esse deberet librarum quinque, & solidorum 13. De anno vero 1619. idem Monasterium licentiam Apostolicam obtinuit, pro ejus majori utilitate, creandi novum censum in summa scut. 50. mil. monetæ, ad rationem quinque pro centenario, pro extinguendo dicto alio censu graviori, cujus licentiæ vigore censum imposuit ad favorem Lucini in ducatonis, qui Mediolani dicuntur de cuneo boni argenti, ut cudantur in Zecca Mediolani sub pacto ut creditor, tam pro fructibus, quam pro restitutione sortis in casu redemptionis ad aliam speciem monetæ recipiendam cogi non posset. Cum autem tractu temporis, ob excrescentiam valoris auri, & argenti dictus ducatonus, qui de tempore impositionis valebat libris 5. & solidis 13. factus esset valoris librarum 8. circiter, quod causabat Monasterio grave damnum, hinc prætendi cœpit nullitas dicti contractus, quodque propterea tam in fructu, quam in sorte Monasterium teneri solum deberet ad eam rationem, quam importaret debitum extinctum lib. 60. mil. Quare introducta causa in Rota coram Taja, datoque dubio, an constaret de validitate census etiam

2 iam ad effectum manutentionis in quasi possessione exigendi fructus in ducatonis, vel eorum valore de tempore currenti, sub die 23. Junii 1666. affirmativa prodiit resolutio favore creditoris, atque concessa nova audientia, vel persistitum fuit in decisis, vel præparata disputatione, concordia dedit finem controversiæ, dum de illa amplius actum non audivi.

3 In disputationibus desuper habitis, posita validitate impositionis census, non negabamus Ego, & cæteri pro Monasterio debitore Scribentes, quod resultaret dictus effectus creditori proficuus, quoniam cum non ageretur de moneta imaginaria, sed vera, & existente in rerum natura (quicquid antiquiores in hoc certaverint) hodie passim recepta est theorica Bartoli *in l. Paulus*, *ff. de solut.* ut ipsa præstanda sit, ubi difficultas adsit in præstatione ipsius speciei, dari debeat æquivalens in alia moneta currenti, non curato intermedio incremento, vel decremento, ut cæteris relatis apud Penam *dec.* 5. Gregor. & add. *decis.* 42. Lattea *dec.* 21. cum aliis cumulatis per adden. *ad dec.* 67. *n.* 29. *& seq. & n.* 71. *p.* 9. *rec.* & habetur actum *sub tit. de regal. ad materiam monetarum*, *disc.* 126. *& seq.* & *sub tit. de pens. disc.* 34. *& seqq.* ac sub altero *de credito disc.* 139. & alibi, & in specie pro Monasterio Urbis ejusdem Olivetanæ Congregationis Ego sustinui in Romana, de qua habetur etiam mentio *d. tit. de credito disc.* 139. in censu imposito in scutis auri larghis, qui hodie in commercio non sunt, nimiumque rari apud antiquiores reperiuntur, ut extinctio census fieri debeat in moneta currenti, juxta tamen eorum valorem importantis Julios 16. cum dimidio circiter, cum tamen de tempore impositionis valerent Julios 12.

Quare defensio causæ consistebat in sustinendo invaliditatem contractus, qua posita, de consequenti resultabat, ut Monasterium teneri non deberet, nisi ad id quod in ejus utilitatem versum erat circa extinctionem antiqui census, qui supponebatur debitas in libris 60. m. invariabilibus, dum illa est moneta imaginaria, quæ juxta eandem receptam theoricam invariabilis est, nullamque recipit alterationem, ut apud proxime allegatos.

Pro invaliditate autem prædicta probanda (ultra motivum nudi facti super excessu mandati dati Procuratori, qui Monasterii nomine censum imposuerat) Tria Ego, & cæteri pro Monasterio Scribentes deducebamus fundamenta, ad ostendendum male servatam esse formam licentiæ Apostolicæ, ac etiam defectum causæ, primo scilicet, quod cum licentia loquatur de scut. 10. mil. monetæ intelligendis juxta usum Urbis, ut quilibet scutus invariabiliter constituatur ex decem Juliis, vel Paulis, ut in specie *d. tit. de regal. disc.* 126. impositio census facta erat in dictis ducatonis cunei Mediolani, ideoque ob non servatam formam, dice- 4 bamus actum corruere, ex conclusione in hac materia receptissima, de qua supra *disc.* 1. & alibi, quod idem est, nullum adesse beneplacitum, vel adesse, sed male executum, ejusque formam servatam non esse, secundo ob excessum, dum licentia cantabat de summa scutorum 10. mil. & census constitutus erat pro summa majori 10619., ac propterea deducebamus alteram pariter hodie receptam conclusionem (quicquid antiquitus dubitatum fuerit) ut in hac materia utile per inutile vitietur, atque excessus totum actum corrumpat, ut *eod. disc.* 1. *& alibi*, & tertio ob de- 5 fectum causæ, quam pariter absolutam est non suppleri per beneplacitum Apostolicum, quamvis ejus forma in omnibus adimpleta sit, quoniam cum antiquus census esset, ut supra, in moneta invariabili, unde propterea Ecclesia reddebatur tuta, ne damnum ex futuro augmento pateretur, se subjecit dicto periculo, cujus casus contigit cum damno valde notabili.

Reflectendo autem ad veritatem, primum, & secundum motivum, quamvis more Advocati scribentis in causa per me cum dictis conclusionibus, earumque auctoritatibus, & decisionibus in suis casibus veris nimium exornarentur, levia videbantur, ideoque merito neglecta; quatenus enim pertinet ad secundum, excessus tollebatur ex facto, cum fere idem importarent scuta 10. mil. monetæ Romanæ, ac 10619. ducatoni monetæ Mediolani, attento valore illius temporis, & si qui aderat excessus, erat modicus, qui non est considerabilis, ut bene in hac parte in hujus causæ deci- 6 sione firmatur, potissime quia spectato potius fine, seu effectu licentiæ, quam formula verborum, nova impositio facienda erat pro extinctione census antiqui, quæ sequi non poterat, nisi cum integra restitutione sortis librarum 60. mil. cui dicta summa ducatonorum 10619. respondebat.

Et quoad primum motivum creandi censum in diversa moneta quam specificata in licentia, vere nil id referebat, quoniam licet scutus monetæ habeat semper uniformem, ac 7 inalterabilem statum, ut constituatur ex decem nummis argenteis, qui *Julii*, seu *Pauli* nuncupantur, seu ex 20. nummis pariter argenteis, qui nuncupantur *grossi*, ad differentiam scutorum auri, qui in dies, in hoc præsertim sæculo, alterationem, variumque pretium receperunt, & recipiunt. Attamen spectato effectu, cum dictus ducatonus Mediolani consistat etiam in argento, nulla dignoscitur differentia, dum alteratio est comparativa ad monetam imaginariam librarum, & quæ alteratio pariformiter in scutis argenteis monetæ Romanæ initat, dum augmentum provenit a valore intrinseco ipsius argenti, & sic ille scutus monetæ Romanæ, qui tunc æquivalebat quinque libris circiter monetæ imaginariæ, nunc eodem modo importat libras 8. circiter, ideoque erat differentia mere verbalis, in nulla consideratione habenda, dum ut *d. disc.* 5. & alibi advertitur in hac materia, non attenditur alia subreptio, nisi ea, quæ respicit effectum utilitatis.

Solidum autem videbatur tertium fundamentum, cui de- 8 cisio non omnino adæquate satisfacit, dum absque ulteriori ratiocinio, vel examine materiæ, juxta currentem damnabilem pragmaticum stylum, processum fuit cum alias firmatis per Rotam in Bonon. census 11. Martii 1637. & 13. Decembris 1639. coram Panzirolo, in quibus agendo de consimili censu imposito per minorem in scutis 5000. auri pro extinguendo alio censu, vel debito in libris 25. mil. unde tractu temporis dicta sors importabat summam librarum longe majorem cum notabili damno minoris, deciditur id attendendum non esse, ex generali regula text. *in l. de fideicommisso*, *C. de transact.* ut læsivus non dicatur ille actus, qui potest se habere ad damnum, & commodum, si eventus damnum produxit, dum commodum etiam producere poterat, ideoque ad metiendam utilitatem, seu læsionem respective, attendi debeat tempus contractus.

Conclusio est vera, in his etiam terminis alienationis bo- 9 norum Ecclesiæ recepta ex deductis supra *eod. disc.* 1. Fallacia vero pro meo judicio consistere videbatur in applicatione ad factum, quoniam juxta communiter notata *in cap. in Civitate*, *de usuris* cum concordantibus, quando agitur de regulando futuro variabili valore, qui pro casuum contingentiis major, vel minor affici potest, attendenda est verisimilitudo metienda ex retroacti temporis experientia, ac peritorum judicio, quibus attentis, certum est quod idealis remanet dictarum decisionum consideratio, ut quemadmodum aurum excrescentiam habuit, ita decrescentiam cum utilitate debitoris recipere poterat, dum experientia continuata per medium fere sæculum & ultra de tempore hujus contractus docuerat, quod aurum, & de consequenti argentum semper excrescentiam in dies habuerat, nunquam vero decrescentiam verisimiliter non sperandam, & sic tam attenta retroacta experientia, quam etiam verisimilitudine, nunquam dici poterat quod adesset æqualis incerta eventualitas, in qua par esset utriusque contrahentis conditio, & de consequenti in ipso initio immutatio debiti de una specie in alteram præseferebat Ecclesiæ damnum verisimiliter certum absque verisimili spe lucri.

Magnumque argumentum hujus speratæ utilitatis ex par- 10 te creditoris, & non cogitati damni ex parte debitoris, resultare observabam ex enixo pacto per creditorem affectato, ut in ipsis ducatonis argenteis Zecchæ, justi & boni argenti restitutio sortis, ac solutio fructuum fieri deberet, reflectendo ad qualitatem ipsius creditoris, qui erat peritissimus negotiator, atque ex diuturno exercitio campsoriæ negotiationis recte sciens dictam verisimilem futuram excrescentiam; e converso autem debitoris personam gerebant Religiosi, hæc nullatenus callentes, ut in specie advertitur *in Imolen. sub dicto tit. de pension. disc.* 34. in proposito diuturnæ exactionis pensionis constitutæ in scutis auri, quam Inquisitor fecerat in longe minori summa librarum continuando in statu, seu valore primævo de tempore ipsius reservationis, atque in individuo illorum Religiosorum, ponderabam casum supra insinuatum census impositi ad favorem Monasterii Urbis in antiquis scutis auri larghis tunc valentibus Juliis 12. quod quamvis eorum valor adeo notabiliter adauctus esset ad Julios circiter 16. cum dimidio, adhuc tamen Religiosi in sancta, & religiosa simplicitate continuarunt exactionem fructuum usque ad præsens ad dictam antiquam rationem Juliorum 12. atque in futurum continuassent, nisi debitor voluisset facere extinctionem, super cujus modo consulti Sapientes Monasterii errorem declararunt, ut *d. disc.* 139. *de credito*.

Ideo-

Ideoque recte intrare dicebam ea, quæ firmant communiter Civilistæ ad materiam text. *in l. 2. Cod. de rescind. vendit. & Canonistæ ad materiam text. in cap. 2. & 3. de emptione, & venditione*, & ad dictam materiam text. *in c. in Civitate, & cap. fin. de usuris*, ut pro futura verisimilitudine regulanda, seu etiam regulanda læsione in pretio de præsenti, nimium deferendum sit utriusque contrahentis qualitati, & an venditor sit bene conscius justi pretii, cujus e converso sit ignarus emptor, vel a contra, & ita videbatur casus, unde propterea non de facili intellectus resolutioni acquiescebat ob dictam verisimiliter læsivam, & præjudicialem conversionem alienationis ab una specie non periculose, in alteram satis periculosam.

In hoc autem proposito imponendi novos census sub minoribus fructibus, ad effectum extinguendi census antiquos graviores, satis frequenter dubitatum vidi, & consultus fui an id fieri posset per Ecclesias, & Monasteria, aliaque loca
11 Ecclesiastica, sine alia licentia, vel beneplacito Apostolico, & quoniam apertus fui desuper pro ingeniorum diversitate varia fuisse judicia, hinc proinde dum res erant in fieri, ad omnem difficultatem tollendam, & ne altas illi qui eorum pecunias dabant, eas subjicerent periculo, quod in dies experimur ex dicta ingeniorum varietate, consulere consuevi, ut ad superabundantem cautelam, beneplacitum Apostolicum, vel respective in Regularibus licentia S. Congregationis desuper obtineretur; pro meo tamen judicio, indubitatum credebam id non requiri, quoties tamen primus census extinguendus, legitime cum beneplacito Apostolico bene executo impositus esset, ex recepta conclusione, de qua *d. disc.* 1. & alibi, ut res semel effecta alienabilis, durante eadem causa, perseveret talis, & consequenter bona solita concedi per unicam solamnem concessionem denuo absque alia solemnitate, dummodo accedat utilitas concedi possunt.

Ubi vero primus census extinguendus impositus non esset cum Apostolica licentia, aliisque servatis de jure servandis, tunc secus, ideoque monere consuevi, ut hoc principaliter inquireretur, quamvis enim in terminis censuum imponendorum per Communitates, vel per possessores majoratuum, & fideicommissorum cum similibus, aliqui modarni Scribentes credant, ut creditori sufficiat adesse licentiam Regiam, seu alterius Magistratus ad id potestatem
12 habentis, non curam, an census antiquus, qui extinguitur, tali licentia sit munitus necne, ut cæteris relatis firmant Mollo. *de primogen. lib. 1. cap.* 10. *n.* 25. Novegrol. *allegat.* 2. Capoblanc. de Baron. *pragm.* 1. *n.* 298. *& seqq.* Negant autem Rovit. *cons.* 64. *lib.* 1. de Marin. *resol.* 77. *n. 9. lib.* 1. & pro utraque parte disputat Salgad. *in Labyr. par.* 2. *cap.* 17. *n.* 46. *& sequent.* Attamen quicquid sit de unius, vel alterius opinionis veritate, observabam id non recte applicari in nostris terminis, in quibus intrat dispositio *Extravag. Ambitiosæ*, ob copulativum concursum precise necessarium solemnitatis, & causæ consistentis in necessitate, vel evidenti utilitate, quam solemnitas non supplet, & consequenter non sufficit, ut accedat beneplacitum Apostolicum, dum non adest necessitas, neque utilitas, si Ecclesia in vim primæ impositionis invalidæ cogi non poterat, neque obligata erat, nisi quatenus in ejus utilitatem, versum esset, non sic est in dictis aliis casibus, in quibus cum contrahendo obstaculum proveniat e prohibitione legis, sufficit licentiæ, seu facultas Principis, qui dictum obstaculum tollat, dum non desideratur precise dictum aliud requisitum evidentis utilitatis, ideoque diversi sunt termini.

ROMANA CENSUS
PRO HÆREDIBUS HIERONYMI ALBERTINI
CUM RECTORE ECCLESIÆ PAROCHIALIS S. BLASII DE FOVEA.

Casus varie decisus per Rotam.

An debitum contractum per Ecclesiæ Rectorem, seu Prælatum cum licentia Apostolica præscribente assignationem creditori faciendam fructuum aliquorum bonorum, ex quibus debeat satisfieri, importet implicitam impositionem census, quæ afficiat ipsam Ecclesiam, atque bona? Et quid ubi certus terminus Ecclesiæ Rectori, vel administratori in licentia præscriptus est ad censum, vel aliud debitum extinguendum, an creditor teneatur de hoc esse sollicitus, adeout non implementum sibi præjudicet, & incidenter, an Prælatus, vel Rector acquirat jura contra Ecclesiam?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Licentia Apostolica regulat, ac animat alienationem alias prohibitam.*
4 *Ideoque contractus gestus contra formam licentiæ est invalidus.*
5 *Non est immorandum in formalitate verborum, sed in substantia veritatis.*
6 *Fructus certi pro credito pecuniario sine requisitis non dantur citra usuram.*
7 *In materia usuraria potestas Papæ quantum se extendat.*
8 *In Papa non datur ignorantia eorum, quæ sunt juris ob assistentiam Officialium.*
9 *An Clericis permittatur contractus cambii active, & passive?*
10 *In cambio non datur lucrum certum, neque intrant termini fructuum.*
11 *De circumstantiis, ex quibus Rector voluerit contrahere nomine proprio.*
12 *Prædia urbana non sunt naturaliter, sed accidentaliter fructifera.*
13 *Adhuc tamen dicuntur bona fructifera ad effectum impositionis census.*
14 *Quod juxta sensum decisionis non esset necessaria licentia Apostolica.*
15 *Ecclesia tenetur actione de in rem verso ne locupletetur de alieno.*
16 *Creditor non tenetur esse solicitus de extinctione facienda intra terminum.*
17 *Quod obligatio extinguendi infra certum tempus sit pro stylo, sed non soleat practicari.*
18 *Quod sit excusandus contrahens super interpretatione licentiæ Apostolicæ, dum etiam Tribunalia se deceperunt.*
19 *Tutor non acquirit cessiones contra pupillum, vel Prælatus contra Ecclesiam, & quando secus.*
20 *Quod Titularis possit acquirere commoditatem pensionis super proprio beneficio.*
21 *Debitor solvens debitum proprium non reportat cessionem.*
22 *De materia obligationis causativa adjecta pro extinctione debiti.*
23 *De eodem, de quo n. 17. ut obligatio extinguendi non sit in usu.*

D I S C. XI.

Facto casu devolutionis Domus emphyteuticæ, cum necessaria esset ejus refectio, quam Jacobus Rector 1
narravit de proprio facere non posse ob graves expensas factas in lite pro recuperatione, hinc obtinuit licentiam Apostolicam accipiendi scuta 879. sub annuo fructu, seu usuris quinque pro centenario, cum assignatione pensionum ejusdem domus, ita tamen, ut a d. Jacobo intra duodecim annos Ecclesia reintegrari deberet, cujus licentiæ vigore pro dicta summa impositus fuit census ad favorem Petri, eumque per obitum Jacobi, de dicta Ecclesia provisus fuisset Augustinus, iste pro se, proprioque nomine, suisque hæredibus, & successoribus, dictum censum a Petro acquisivit, eoque defuncto, hæredes contra successorem in Tribunali Vicarii mandatum executivum obtinuerunt pro fructibus, commissa vero per Signaturam causa appellationis in Rota coram Cerro, cum clausula, si quid exequendum, sub die 8. Maji 1663. pro exequutione res- 2
ponsum fuit, sed concessa nova audientia, & reproposita causa coram Bevilaqua subrogato sub die 28. Novembris 1670. recessum est a decisis, atque in hoc statu causa pendet.

Punctus disputationis, ac variationis respective, consistebat in natura, seu qualitate hujus contractus, seu verius in interpretatione dictæ licentiæ Apostolicæ, quam 3
scilicet facultatem contrahendi concederet, dum ex pluries insinuatis, stante prohibitione faciendi actus cadentes sub *Extravag. Ambitiosæ* sine Apostolica licentia, ista sine dubio animat, & informat actum, qui ad ejus limites intelligendus est.

In

In grima siquidem resolutione, processum fuit cum eo-
dem sensu Judicis primæ instantiæ, ac juxta petitionem
actorum, quod iste contractus contineret impositionem
census, in posteriori vero, quod contineret facultatem ac-
cipiendi mutuum limitatum ad certum tempus, absque
4 facultate obligandi bonorum proprietatem pertinere cen-
sui supponendam, ad præscriptum Constitutionis S. Pii V.
sed cum sola facultate obligandi ad tempus pensiones di-
ctæ domus restaurandæ, atque propterea intraret conclu-
sio, de qua late apud Cyriac. *contr.* 119. & passim, super
invaliditate contractus gesti per prohibitum, contra, vel
præter formam licentiæ, seu facultatis attributa.

Mihi scribenti pro actoribus (reflectendo etiam ad so-
lam veritatem) probabilior videbatur prima resolutio, pro-
cedendo cum regula desumpta ex text. *in l. finali*, *Cod.
de usur. in leg. cum aliter*, §. 1. *ff. de legat.* 3. de qua
pluries *hoc eod. tit.* & sub altero *de credito*, frequentius
vero sub *illo de fideicommiss.* ac in omni alia materia, ut
5 scilicet lex non dicatur imposita verbis, sed rebus, neque
immorandum sit in nuda formalitate verborum, sed in sub-
stantia veritatis; quamvis enim licentia in verbis non ex-
plicet contractum censualem, quia forte supplex libellus in
secunda decisione consideratus, male desuper conceptus fue-
rit, ex cujus tenore formari solent litteræ in forma bre-
vis. Attamen attenta substantia veritatis, de alio contra-
ctu intelligi non potuit, nisi detur inconveniens, quod
Papa expresse canonizasset usuram ad certam summam ab
initio conventam pro mutuo, vel alio credito quantitatis
ad certum tempus repetibili, absque justificatione specifi-
6 ca lucri cessantis, vel damni emergentis, quod juxta opi-
nionem, quam uti veriorem tenet Rota, & Curia, re-
dolet usuram, ex iis, quæ habentur pluries in sua materia
sub titulo de usur.

Posita enim usura, cum istius prohibitio manat a jure
7 divino, certus est defectus potestatis Papæ illam expresse
canonizandi, cum solum ejus potestas versetur circa inter-
pretationem, scilicet quando contractus redoleat necne usu-
ram ex pariter deductis pluries in dicta sua materia *sub
titul. de usur.* & de consequenti resultant duo vulgaria quo-
tidiana axiomata, primo, quod voluntas regulatur a pote-
state, & secundo, ut qui vult consequens, censeatur per-
necesse velle necessarium antecedens, cum in Papa ob assi-
8 stentiam ejus peritissimorum Officialium non detur hujus-
modi fatuitas, seu ignorantia eorum, quæ juris sunt, ut
pluries advertitur *sub tit. de beneficiis*, *& alibi*.

Et quamvis in secunda decisione, ut responderetur huic
fundamento, dicatur quod Papa potuerit cogitare, quod
Rector obligaturus fructus ad certum tempus, facere po-
tuerit contractum cambii, sive imponere censum super bo-
nis propriis, assignando creditori pensiones domus pro ex-
tinctione census, atque solvendo interim fructus ex fru-
ctibus aliorum bonorum Ecclesiæ. Attamen hujusmodi re-
sponsiones meram divinationem inverisimilem in omnibus
continebant, primo scilicet, quod Papa cogitare voluerit
ad contractum cambii, tum quia istum contractum etiam
passivum prohibitum esse Clericis dixit eadem Rota coram
9 eodem Bevilaqua, licet postea agnoverit hujusmodi erro-
neam traditionem, eamque retractaverit, ut advertitur in
hujus causæ decisione, & habetur *sub tit. de Cambiis
disc.* 18. Tum etiam quia ut habetur *eodem tit. de Cam-
biis*, *disc.* 1. *cum plur. seqq.* in isto contractu non intrant
termini fructuum, vel accessionum in certa uniformi quan-
10 titate, cum cambio reali repugnet dari certum lucrum et-
iam in obolo, sed totum pendere debeat ab eventualita-
te, quæ causare potest diminutionem, etiam in sorte prin-
cipali cum damno creditoris, ideoque impossibile est, quod
Papa de isto contractu intellexerit.

Prout major improbabilitas esse videbatur, quod intelle-
xerit de censu imponendo per ipsum Rectorem in ejus bo-
nis propriis, extinguendo singulis annis cum pensionibus
domus, ob magnum cumulum fictionum, & impropriatio-
num: primo scilicet, quia non constat, an Rector habe-
11 ret bona stabilia fructifera, secundo, quia ubi etiam ha-
beres, non constat an id in animo haberet, dum contrahe-
re professus est tanquam Rector non autem nomine proprio,
tertio, ut id esset nimium improbabile, ac species fatuita-
tis in ipso Rectore faciendi formalem alienationem suorum
bonorum, mediante impositione census pro debito Ecclesiæ
sub spe reintegrandi cum fructibus multorum annorum, dum
incertus vivebat, an etiam per menses, vel hebdomadas in
ea Rectoria continuaturus esset, quarto quia in eadem li-
centia Apostolica asseritur, quod ipse Rector ob expensas
passas in recuperatione cum diuturna lite, non habebat mo-
dum faciendi hanc refectionem cum suis, vel Ecclesiæ bo-
nis, ergo declaravit animum non commiscendi personam pro-
priam: quinto ex parte creditoris, qui repertus non fuis-
set daturus pecunias ad censum sub lege extinguendi singu-
lis annis sortem ita minutatim cum pensionibus, quas de-
cisio supponit importare annua scuta 80. potissime dum fru-
ctus, qui percipitur ex prædiis urbanis, dicitur accidenta- 12
lis, & quatenus illa locentur, unde propterea prædia urba-
na non dicuntur de sui natura fructifera, sed per accidens,
quatenus locatio sequatur, ex deductis *dec.* 21. *n. fin. p.* 10.
rec. repetit. post Merlin. *de pignor. dec.* 143. Otthob. *dec.*
193. *n.* 8. *&* 9. *sæpius*, quamvis enim ratione potentiæ,
ac frequentioris contingentiæ reputentur talia ad effectum 13
satisfaciendi Constitutionibus Apostolicis, præsertim *Piana*,
ut super eis census imponi possint, attamen longa differen-
tia est inter unum, ac alterum effectum.

Et demum quia si id in animo Rectoris fuisset, non opor-
tebat obtinere licentiam Apostolicam, neque desuper facere
notabilem impensam pro obtinendis litteris in forma Bre- 14
vis, ac etiam pro obtinenda licentiæ executione a Cardina-
li Vicario, dum pro illa specie contractus ea necessaria non
erat imponendo censum super ejus bonis privatis: quamvis
enim in decisione ponderetur, quod ea necessaria erat ad
effectum obligandi successorem, ut negare non posset con-
tinuationem dictæ assignationis pensionis, attamen id pari-
ter non subsistit, quoniam cum pecunia vere erogata esset
in utilitatem Ecclesiæ pro restauratione, ac melioratione
domus, ita remanebat de jure actio æquitativa de in rem
verso, seu de utili negotiorum gestorum, de qua *sub titul.
de credito disc.* 72. & quæ de jure contra Ecclesiam quo- 15
que est exercibilis saltem in fructibus, ne detur locupleta-
tio de alieno contra justitiam, & æquitatem, quarum
utramque Ecclesia magis profiteri debet, ut supra *disc.* 1.
& in aliis, & consequenter ita magnus resultabat fictio-
num, ac inverisimilitudinum cumulus.

Cumque in prima decisione firmetur vera, & recepta
conclusio, de qua pluries *hoc eodem tit.* quod creditor non
teneatur esse sollicitus, ut Ecclesiæ Rector, vel administra-
tor, censum, vel aliud debitum extinguat infra terminum 16
de stylo præscribi solitum in licentia, seu beneplacito Apo-
stolico, ut docet quotidiana praxis Datariæ, & Secreta-
riæ Brevium, ac etiam S. Congregationis, juxta formu-
lam relatam a Pyr. Corrad. *in praxi dispens. lib.* 9. *cap.* 9.
Respondetur in secunda decisione, quod creditor id ne-
gligendo, fuisset quoque in culpa, cum ipsa licentia Apo-
stolica inserta esset in instrumento impositionis census,
ideoque ignorantiam allegare non posset.

Verum hæc responsio aliis debilior, minusque fundata
videbatur, quoniam cum ex præmissis, atque ex assertio-
ne ipsius Rectoris, qui licentiam obtinuerat, creditor ju-
ste opinatus fuerit, quod ageretur de contractu censuali, 17
exinde resultabat, quod ad præscriptum Pianæ Constitu-
tionis, contractus ex ejus parte deberet esse perpetuus,
cum omnimoda irrepetibilitate sortis, cujus restitutio so-
lum posita est in facultate debitoris, cui, non autem ipsi
creditori, certus terminus ad extinguendum, potius pro
stylo, quam pro præcisa necessitate adjectus est, ut quo-
tidiana praxis docet.

Atque prorsus improbabile esse dicebam, ut creditori
viro idiotæ, ac legum ignaro, imputanda esset mala in-
telligentia licentiæ Apostolicæ, adeo ut dici posset, quod
contra ejus formam contrahendo, esset in culpa, dum ul-
tra assertionem Rectoris, cui tanquam Sacerdoti, & Pa- 18
rocho, qui dictam licentiam obtinuerat, credendum erat,
ac ultra probabilem, immo veriorem ejusdem licentiæ intel-
lectum ob præfinitionem fructuum in certa summa unifor-
mi, ut supra, sufficere, ac abundare dicebam, ut prius
Judex primæ instantiæ, doctus, & qualificatus Prælatus,
deindeque eadem Rota in prima resolutione, hanc inter-
pretationem dictæ licentiæ attribuerint; prorsus enim ab-
sonum est dicere, ut idiotæ negotiatori legum ignaro
imputandum sit, cur habuerit illam credulitatem, quam
duo Tribunalia habuerunt, accedente etiam verisimili vo-
luntate Papæ, quod juxta communem frequentem pra-
xim, hanc licentiam pro explicita impositione census non
fuisset denegaturus, & e converso magna inverisimilitudi-
ne faciendi contractum, juxta modum in secunda decisio-
ne præsuppositum, cum nulla ejus praxis detur.

Demum in hac secunda decisione parum probabiliter ad-
mitteret motivum Scribentium pro Rectore, quod scilicet
Augustinus Auctor actorum tanquam Rector Ecclesiæ
non

non potuisset contra ipsam acquirere cessionem jurium, ut ducto argumento ab iis, quæ habemus de tutore non acquirente cessionem jurium contra pupillum, in Prælato tutoris jure regulando, advertitur apud Oleam *de Cess. jur. tit. 2. q. 6. n. 15.*

19 Siquidem admittendo conclusionem, dicebam fallaciam claram esse in applicatione, quoniam ut advertitur super illa conclusione in sua materia *infra sub tit. de tut. & administr. hoc eodem lib. disc.* 12. & admittunt Olea, *& omnes per eum relati d. q. 6. nu. 3. & seqq.* illa procedit quando militet ratio cui innixa est, ubi scilicet adiotlar eorum, quæ habentur ad materiam text. *in l. per diversas, & l. ab Anastasio*, jura turbida, & litigiosa pro modico, seu inferiori pretio obtineri possunt, sive etiam ubi ea sint clara, & liquida, temporum autem, vel personarum conditio opportunam præbeat occasionem illa acquirendi pro minori pretio, quoniam tunc illud utile negotium, quod fieri potest ad commodum pupilli, vel Ecclesiæ, fieri non debet per tutorem, vel Prælatum ad commodum proprium, ita supplantando eum, qui sub ejus administratione vivit, ac etiam ne detur occasio tutoribus, vel Administratoribus, ita revolvendo chartas veteres, usurpare bona administrata, deindeque se consuvere cum hujusmodi cessionibus, in quibus proprie DD. ponderant studiosam affectationem, secus autem ubi publice, & palam, ac bona fide, pro eodem pretio absque eo quod pupilli, vel Ecclesiæ conditio in aliquo deterior efficiatur, illa cessio, quæ cuicumque tertio fieri potest ipsi tutori, vel Prælato fiat, ut advertitur *d. disc. 12. de tutor. & administr.* Et

20 conferunt etiam quæ habentur *sub tit. de pension. disc.* 68. de cessione commoditatis pensionis, quam ipsemet Titularis super beneficio a se possesso acquirere potest.

Dicebant etiam Scribentes pro Ecclesia, seu Rectore successore, (atque secunda decisio admittit) quod idem Augustinus successor in Parochia tenebatur hoc debitum extinguere, quodque propterea non debebat, nec poterat reportare cessionem translativam, quæ non datur in debitore dissolvente proprium debitum, ex iis, quæ cæteris

21 relatis habentur apud Gregorium *dec.* 75. *n.* 7. Cavalier. *dec.* 568. *n.* 2. Dunozett. sen. *dec.* 187. *num.* 3. Camill. de Med. *cons.* 110. *n.* 4.

Conclusio enim est vera in casu suo, ut pluries advertitur in sua sede *sub tit. de credito, & alibi*, sed pro meo judicio erat fallacia in applicatione, quoniam in licentia Apostolica, postquam disponitur, ut liceat dictam summam ab aliis accipere sub fructu quinque pro centenario, & & cum assignatione pensionum, ex tenore litterarum Apostolicarum congruentius referibili ad ipsos fructus, indefinite adjicitur id, quod ex stylo ut supra, sub diversis

22 verborum formulis in hujusmodi licentiis adjici solet (sunt verba præcisa) *Ita tamen ut dictus Jacobus intra duodecim annos dictam Ecclesiam in suis juribus quoad hoc reintegrasse omnino debeat.*

Ex his enim verbis patet, quod onus est personale, cum per verba mere personalia illi Rectori injunctum sit, & licet verius videatur, ut dicta obligatio sit potius causativa, quam fixa, & personalis, juxta eam speciem causativæ obligationis, de qua habetur *sub tit. de Regal. disc.* 8. *&* 9. adeout dictus Jacobus demonstrative potius stare dicatur, atque in eo demonstretur Rector, juxta eam ponderationem, de qua *sub tit. de fideicommiss. disc.* 57. Attamen d. Augustinus justam habuit causam credendi se non esse ad id obligatum.

23 Ac alteris, ista obligatio, utpote adjici solita de stylo, non videtur esse in usu, cum contra Prælatos, vel alios Administratores, nunquam in Foro id practicatum dignoscatur, potissime ubi agitur de beneficiis curatis, in quibus, ut ex traditione Covarr. & aliorum advertitur *sub tit. de benef. disc.* 81. *&* 100. *& in aliis*, Rector onerosam potius, quam lucrativam causam fovere dicitur, atque in hoc differunt beneficia curata a simplicibus, nisi ageretur de adeo magna excrescentia supra congruam a Concil. Trid. taxatam, ut in excessu dici valeat merum lucrum, & nihilominus neque praxis id docet, ac etiam ob reduplicationem personarum, quod alia est persona propria, & alia Rectoris Ecclesiæ, cujus debitum non est proprium.

ROMANA LOCORUM MONTIUM
PRO HÆREDIBUS HIERONYMI BOCCHINDENTIS
CUM SORORE MARIA VICTORIA DE MAXIMIS.

Casus disputatus in Camera, & sopitus ut infra.

De alienatione locorum Montium, an veniat sub prohibitione *Extravagan. Ambitiosæ*, & quando data invalida alienatione, veniant fructus medio tempore percepti inter alienationem, & petitam revocationem, & quid de alienatione usufructus, seu fructuum assignatorum Religioso ad vitam?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutione.*
2 *Loca Montium reputantur stabilia.*
3 *Bona delata Religioso acquiruntur directe, & immediate Monasteria.*
4 *De libertate locorum Montium circa eorum contrectationem, & de ratione.*
5 *Quando ista libertas non procedat.*
6 *De eodem quando non procedat.*
7 *De ratione libertatis, de qua n. 4.*
8 *De Constitutione Urbani VIII. super dicta libertate.*
9 *Et de alia ratione dictæ libertatis alienationis locorum Montium.*
10 *Quando loca Montium cadant sub* Extravagant. Ambitiosæ.
11 *Habitualiter omnia bona, & jura delata Religioso acquiruntur Monasteria.*
12 *Sed vitalitia assignationes de facto sunt ad dispositionem ipsius Religiosi.*
13 *Fructus, vel commoditas non cadunt sub d.* Extravagan. Ambitiosæ.
14 *Pensio Ecclesiastica non est in commercio, sed bene ejus commoditas.*
15 *Quod jus, vel interesse Monasterium habeat in vitalitiis assignationibus Religiosi.*
16 *Quando ista assignationes prohibita sint alienari necne.*
17 *De articulo an, & quando emptor bonorum Ecclesiæ male alienatorum teneatur ad fructus?*
18 *A fructibus perceptis, & consumptis excusat bona fides, vel media.*
19 *Limitatur conclusio, de qua nu. præc.*
20 *Declaratur limitatio.*
21 *De dilemmate super contentis n. 18. & seq.*
22 *Ecclesia, quæ retractat alienationem, debet restituere quod accepit.*
23 *Ubi fructus restituuntur, debetur emptori pretii interesse.*
24 *De interesse debito creditori, qui restituit, vel imputat fructus pignoris.*
25 *Quod id non procedat in Curia.*
26 *Quando etiam juxta opiniones Curia Ecclesia teneatur ex fructibus defalcare interesse pretii, quod habuit.*
27 *Quod non sit commendabilis nimius zelus, ac vigor favore Ecclesiæ.*

D I S C. XII.

Loca Montium Sor. Mariæ Victoriæ (ultra dotem) 1 assignata, ut ex fructibus, juxta toleratam ab Ecclesia consuetudinem, aliquid pro extraordinaria subventione haberet, ex iis, quæ pluries deducuntur *sub tit. de dote*, ubi quod reputantur pars dotis, eadem Monialis cum præsentia, & consensu Abbatissæ ejus vita, seu jure durante, accepto congruo pretio, cessit Hieronymo, quo defuncto, pœnitens, ad illa reintegrari obtinuit a Thesaurario contra emptoris hæredes, condemnatos etiam ad restitutionem fructuum ab initio, introductaque causa per appellationem in Camera, & dato dubio, an sententia Thesaurarii esset confirmanda, vel infirmanda, pro confirmatione in ipsis locis Montium resolutio prodiit, super condemnatione autem fructuum pluries suspensa fuit resolutio, quæ pendet.

Quare duæ fuerunt inspectiones: Una circa reintegrationem ad ipsa loca Montium. Et altera circa restitutionem fructuum, ubi ipsorum locorum alienatio invalida esset; quatenus autem pertinet ad primam, dicebant Scribentes pro Moniali, seu Monasterio, (quibus tam Thesaurarius in prima instantia, quam Camera adhæserunt) quod

loca

loca Montium jure stabilium censentur, adeout sub immobilium dispositione veniant, & circumscribantur loco, atque super eis tanquam bonis stabilibus fructiferis imponi valeans census ad formam Pianæ Constitutionis, necnon
2 non sub alienandi prohibitione veniant, Gabr. *cons.* 141. *n.* 23. *lib.* 2. Thes. jun. *l.* 2. *qu. for.* 5. *n.* 16. Rovit. *pragm.* 1. *de jur. & exact. fisc. n.* 66. *&* 80. Cenc. *de cens. qu.* 29. *n.* 13. Rot. apud Burat. *dec.* 474. *dec.* 177. *n.* 38. *p.* 5. *rec. & sæpius*, ac habetur etiam in sua materia *sub tit. de Regal.* Et consequenter exinde de plane resultare dicebant nullitatem dictæ alienationis non servata forma *Extravagant. Ambitiosæ de rebus Eccles. non alienan.* cum juxta opinionem Canonistarum in Romana Curia extra controversiam receptam bona, & jura ex persona Religiosi pro-
3 fessi delata directe, ac immediate acquirantur Monasterio ex persona, & jure proprio, etiam independenter a persona Religiosi, ut *dec.* 333. *n.* 2. *p.* 2. *rec.* Cavaler. *dec.* 346. *n.* 1. Burat. & add. *dec.* 394. *dec.* 639. *n.* 14. *& dec.* 756. *n.* 6. & habetur *sub tit. de Regularibus*, ac etiam sub altero *de successionibus*, & sub altero *de renunciationibus*, & præsertim in hoc ultimo habentur declarationes.

Non negabam Ego scribens pro hæredibus amptoris veritatem præmissorum in abstracto, quatenus de privata alienatione locorum Montium in proprietate ageretur, dicebam tamen cessare applicationem ea communi recepto usu in hujusmodi locis Montium, seu juribus cum Principe, vel Republica, in quibus ex quadam speciali ratione inducta est, & conservari videtur omnimoda libertas commercii, ac securitas emptoris, qui eo ipso, quod Officia-
4 lis, ad quem pertinet, ressignationem admitit, omnino tutus remanet a quibuscumque vinculis, & oneribus, quæ in libris publicis, vel ipsismet litteris patentibus descripta non sint, ex ea ratione, quod emptor acquirere dicitur immediate a Principe, vel Republica, quæ in auctorem agnoscit; prior autem possessor tollere dicitur se de medio, extinguendo suum jus per quandam speciem refutationis in manu Principis, vel ejus Officialis, cui sufficit consensus ejus, quem descriptum habet creditorem in suis libris publicis, ut in dicta sua materia *sub tit. de Regal.* pluries, unde propterea usus inolevit, quod in hujusmodi resignationibus, non adhibentur solemnitates statutariæ, quæ in alienationibus, aliisque contractibus minorum, & mulierum requiruntur, neque inquiritur, an possessores qui resignationes faciunt, sint sæculares, vel Religiosi, ut generaliter, & inconcusse servari videtur, tam in locis Montium Urbis, quam per totam Italiam, ac etiam in juribus Hispaniarum, ac in omnibus fere Principatibus Europæ.

5 Istud fundamentum neglectum fuit, potissime ob discretivam contentam in erectionibus aliquorum Montium, quod id expresse conceditur in privilegium, ut quicumque possessores, in quorum faciem descripta sunt, quamvis Religiosi professi, absqua alia solemnitate, liberè possint resignare, unde propterea dicebatur, quod in illa specie, in qua istud privilegium attributum non legitur, firma remaneat juris dispositio, ex ratione discretivæ ad regulam text. *in l. unica*, §. *Sin autem*, *C. de caducis tollen.* de qua præsertim frequenter in materia fideicommissaria, quod dum ubi voluit dixit, ergo noluit ubi non dixit.

6 Item quia ista forma servata non esset, dum processum non erat per viam formalis resignationis acceptatæ per Secretarium, seu Officialem ad id deputatum, qui ex integro resignatarium descripsisset creditorem in publicis libris, sed per viam privatæ venditionis, vel cessionis per instrumentum coram Notario, & testibus.

Istud secundum fundamentum (reflectendo ad veritatem) Mihi solidum videbatur, quando ageretur de venditione ipsorum locorum Montium pleno jure, adeout actus tenderet in perpetuum, ac directum Monasterii præjudicium, atque non subsisteret motivum, de quo infra, ut alienatio restringeretur solum ad fructus, seu commoditatem, & consequenter ubi ita res se haberet, justam credidissem resolutionem quando ageretur de juribus Monasterio actu, & habitu quæsitis, secus autem ubi processum esset per viam resignationis coram Officiali ad id deputato, ex insinuata ratione, quod in his bonis, ac ju-
7 ribus differentibus, Princeps non agnoscit alium creditorem, nisi eum, quem in libris descriptum habet, cujus consensu contentus est.

Ideo enim hujusmodi alienationes solemnitatibus non subjacent, eo quia actus, qui geritur a resignante, non importat formalem translationem dominii de uno in alterum ex solo privato facto venditoris, unde propterea emptori imputari valeat, cur non bene inquisierit conditionem, ac potestatem venditoris, sed principaliter sequitur publicam fidem Principis, cum quo potius contrahere dicitur, ideoque dicta privilegia, quæ in quorundam Montium erectio-
nibus adjici solent, continere potius videntur expressionem 8
ejus, quod de jure inest, ad omnes quæstiones, ac difficultates removendas, adinstar Constitutionis 154. Urbani VIII. super eorundem locorum Montium libertate editæ, ut facta dicatur gratia majoris declarationis ejus, quod etiam ante illius editionem, ita ratione subjectæ materiæ de jure dispositum erat, ut pluries advertitur sub tit. *de Reg. ad hanc materiam locorum Montium*, præsertim *disc.* 27. *& seqq.*

Hinc proinde, ubi processum fuisset per viam liberæ resignationis admissæ per Secretarium, absolutam esse credebam actus validitatem, non curato an persona possessoris esset prohibita necne, quoniam, ut in dicta sua materia pluries advertitur, quando fiunt amptiones locorum Montium,
inquirere non solet emptor qualitates personarum, quæ 9
vendant, seu resignent, sed diriguntur ordines Monti Pietatis, vel alteri bancho, ut solvat tantam pecuniæ quantitatem ei, quem per fidem Secretarii constaret libere resignasset tot loca Montium, ita sequendo potius publicam fidem Officialis, quam privatam incerti, ac ignoti possessoris.

Quamvis autem in hac facti specie emptor, ut supra, non fidem publicam, sed potius privatam possessoris secutus esset in forma contractus privati, adeout quando ageretur de alienatione ipsorum locorum Montium in proprietate, ac pleno jure, seu alias Monasterio actu, & habitu quæsi-
torum, & cum ejus patrimonio incorporatorum, Ego admit- 10
terem dictas conclusiones, quodque etiam loca Montium tanquam species stabilium, vel æquipollentium, caderent sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, adinstar eorum quæ habemus in alienatione censuum supra *disc.* 1. & in plerisque aliis, adhuc tamen in hac facti specie, ex ejus particularibus circumstantiis, nimium rigorem adhibitum esse credidi, quoniam licet de stricta juris censura ob incapacitatem Religiosi professi habentis dominium, & possessionem in particulari, (cum id repugnet voto paupertatis
per eum solemniter emissæ) omnia bona, & jura, quæ 11
ipsi professo delata, seu assignata sint, habitualiter esse dicantur penes Monasterium, etiam ubi dantis præceptum, seu lex expressa accederet, ut Monasterium nullatenus bona, vel jura acquireretur, ut advertitur supra *sub tit. de donat.* & habetur etiam *sub tit. de testam. & de legatis*, attamen naturaliter, & de facto, ex communi consuetudine per Ecclesiam tolerata, ubi agitur de assignatione, vel
acquisitione ad solum usumfructum, vel fruitionem vitali- 12
tiam, sunt ad liberam ipsius Religiosi dispositionem, uti advertitur, præsertim *d. tit. de Regal. discurs.* 34. ac etiam supra *sub dict. tit. de donat.*

Et consequenter illa dicitur alienatio potius fructuum, seu commoditatis, quæ non tangit ipsius proprietatis substantiam, & quæ species alienationis *sub dicta Extravag.* dispositione non cadit, ut advertitur supra *disc.* 1. Et in terminis specialibus validæ alienationis, vel cessionis fru-
ctuum ad vitam factæ per Religiosum, ita se privantem 13
illa majori subventione, quam habebat, firmant Sanchez *ad præc. decal. to.* 1. *lib.* 7. *cap.* 22. *n.* 16. Barbos. *ad Concil. sess.* 25. *c.* 2. *de Regular. n.* 14. ac firmavit etiam Rota in Romana Salviani 31. Januarii 1646. coram Verospio, & conferunt quæ habentur *sub tit. de feud. disc.* 61. *&* 62.
& alibi super alienatione commoditatis non cadente sub pro- 14
hibitione, & in fortioribus terminis *sub tit. de pens.* præsertim *disc.* 68. *& seqq.* ut quamvis pensiones Ecclesiasticæ jure spiritualium rerum in hoc habeantur, ideoque in commercio mediante pretio non sint absque Apostolico beneplacito, etiam ad effectum eas extinguendi, attamen earum commoditas in commercio est pretio mediante, ut quotidiana recepta praxis docet, & sic quod spectata potius substantia veritatis, quam formalitate verborum, hujusmodi alienatio id importet.

Et licet etiam in hujusmodi vitalitiis assignationibus, quæ 15
de facto sunt ad ipsius Religiosi dispositionem, adesse dicatur formale interesse Monasterii, cujus interest, ne Religiosus præsertim Monialis, tali subsidio privetur pro extraordinariis indigentiis, quibus alias oporteret quod ipsum Monasterium provideret, adeout intrare videantur ea, quæ super interesse secundario uxoris, ac filiorum in donationibus contemplatione certi matrimonii habentur pluries *eod. tit. de donat. disc.* 1. *& seqq.* Ac etiam circa interesse parentum, vel conjunctorum Monialium habetur *d. tit. de Regal. disc.* 34.

Atta-

Attamen id non percutit materiam *Extravag. Ambitiosa*,
sed terminos diversos indifferentes, in quibus procedendum
videtur cum eisdem regulis, & propositionibus, cum quibus
proceditur in dicta materia donationis contemplatione matri-
monii, ut scilicet actus sincere, ac bona fide sequatur, vel
potius in fraudem tertii interessati, & per viam remissionis,
16 quod etiam in hac facti specie recte procedit, nedum ex dicta
ratione, sed etiam ex altera, ne præsertim Moniales circum-
ventionibus subjectæ, ita hujusmodi subsidiis sub motivo be-
nevolentiæ spolientur, ut sæpius practicatum vidi, atque
ita intelligenda videtur Rotæ decisio in Viterbien. Salviani
20. Junii 1659. coram Cerro, quæ loquitur in specie de re-
nunciatione hujus redditus vitalitii, sed quando cum scien-
tia, & consensu Superiorum, & ex justa causa, id sequa-
tur, non videtur, quod intrent isti termini alienationis bo-
norum Ecclesiæ, quoniam in effectu non est alienare bona,
& jura Monasterii, sed solum fructus, seu commoditatem
ipsius particularis Religiosi ad vitam.

Quo vero ad alterum punctum restitutionis fructuum,
dicebam (etiam in sensu veritatis) distinctionem esse, quam
17 post antiquiores Canonistas bene reassumit Felin. *in cap. de*
quarta, *n. 25. & seqq. de præscr.* cum quo procedit Rota,
quod aut agitur de alienatione formali sine dubio prohibita,
adeout ignorantia juris in emptore sit improbabilis tanquam
in re clara, certumque sit in alienatione adesse certam juris
resistentiam, & tunc resultet in possessore mala fides præ-
sumpta, quæ causat restitutionem fructuum ab initio, aut
vero accedit justa ignorantia facti, vel etiam juris dubii,
quæ ignorantiæ facti assimilatur, & tunc secus dicendum
sit, cum cessare dicatur ea mala fides, quæ impedit, ne
possessor fructus percipere, & tanquam suos consumere va-
leat, ut ita distinguendo habetur, præsertim per Rot. *dec.*
444. par. 4. rec. tom. 2. ubi addentes plures cumulant con-
cordantes, & habetur etiam supra *disc.* 1. dum ad effectum,
ut possessor excusetur a fructibus perceptis, & consumptis,
18 sufficit, ut absit mala fides positiva, quamvis non adsit bo-
na positiva, cum etiam ea media, quæ datur inter bonam,
& malam (qualis est illa dubitantis) ad hunc effectum
sufficiat, ut apud Cavaler. *dec. 408. in fin. & 645. n. 1.*
Gregor. & Adden. *dec. 74.* Butrit. & Add. *dec. 184. 227.*
714. Merlin. *dec. 663. repetit. dec. 3. par. 7. rec. n. 4. & 5.*
& sæpius, atque ex præmissis indubitatum videbatur, ut
saltem emptor dici non posset in mala fide vera, ut adver-
titur etiam in Neritonen. *disc. 4.*

Non negabant Scribentes conclusionem, sed replicabant,
eam procedere in illis fructibus, qui petantur accessorie ad
19 rem principalem ex ratione malæ fidei, juxta illam fructuum
condemnationem, quæ sequi solet pro communi stylo a die
motæ litis, ut in sua materia *sub tit. de judiciis*, secus au-
tem ubi agatur de illis fructibus, qui non petantur accesso-
rie, & consecutive ad rem eorum productivam, sed princi-
paliter, ac independenter, & de per se, juxta distinctio-
nem, de qua præsertim plene Rota apud Merlin. *d. dec. 663.*
repet. dec. 3. par. 7. rec. n. 6. cum seq. pluries in aliis cano-
nizata, (cum in hac materia reputetur magistralis,) istaque
distinctio magnam apud Judices inferebat difficultatem.

Conclusio in suo casu est vera, sed omnino extranea erat a
casu præsentis controversiæ, ideoque manifesta fallacia con-
sistere videbatur in applicatione; illa siquidem procedit in
illis fructibus, qui tanquam per speciem annuæ præstatio-
20 nis debentur, adeout speciem sortis principalis redoleant,
ac debiti independentis, ut (ex. gr.) sunt annui census,
juxta *dec. 254.* Franchis, & habetur sæpius in sua materia
sub tit. de censibus, quoniam si creditor petat fructus decur-
sos plurium annorum principaliter, & de per se, non potest
debitor, vel possessor excusari a solutione ex prætextu bonæ,
vel non malæ fidei, ita pariter in decimis, quæ singulis an-
nis debentur, & in quarum terminis aliquæ decisiones lo-
quuntur, aut in annua pensione Ecclesiastica, de qua lo-
quitur *d. dec.* Merlin. Hoc autem nil commune habebat
cum casu, dum iste emptor locorum montium ad nihil er-
ga actricem obligatus erat, neque ad aliquam præstationem
tenebatur, sed fructus percepit tanquam ex bonis, quæ
credebat esse sua ex dicto emptionis titulo, quo resoluto,
alia non intrat actio petendi fructus, nisi accessorie, &
consecutive ad ipsa bona ratione malæ fidei.

Hinc proinde dicebam intrare dilemma inevitabile, quod
aut sub isto contractu deducta erant ipsa loca montium
21 in substantia, seu ipsum jus ususfructus, (quod pondera-
tum tanquam jus, inalienabile est, atque sub *Extravag.*
dispositione cadit juxta distinctionem, de qua *d. tit. de feud.*
disc. 61. & sæpius,) & tunc sine dubio fructus veniunt
tanquam accessorie, & consecutive ad ipsam rem eorum
productivam, & consequenter intrat dicta conclusio super
fructuum exemfatione ratione non malæ fidei, non autem
limitatio, aut in contractum deducti fuerunt ipsi fructus
principaliter, ac de per se independenter a sorte princi-
pali, ac substantia illorum productiva, & tunc non intrat
dispositio *Extravag. Ambitiosæ*, quæ non capit alienatio-
nem fructuum, vel commoditatis, ut supra.

Quia vero justum, & æquum est, (ut pluries in præ- 22
cedentibus insinuatur, ac plene deducitur per Add. *ad*
dec. 414. par. 4. rec. tom. 2.) ut Ecclesia, quæ alienatio-
nem revocat, restituat id, quod pro alienatione accepit,
atque in ejus utilitatem versum est, ne alias locupletetur
cum aliena jactura, contra illius justitiæ, & æquitatis ra-
tionem, quam ipsa Ecclesia præ cæteris profitetur, hinc
proinde dicebam, quod actrix, vel Monasterium restituen-
te tenebatur pretium acceptum, quod per Scribentes non
controvertebatur, dum ex facti circumstantiis constabat ve-
re acceptum, ac versum esse, ad restitutionem tamen vi-
tandam insistebatur in restitutione fructuum, ut mediante
illorum imputatione, dicta solutio sequeretur.

Ponderabam item, an posita obligatione emptoris resti- 23
tuendi fructus ab initio, & e converso obligatione Ec-
clesiæ restituendi pretium, pro isto deberentur interusuria,
tanquam species fructuum recompensativorum, juxta ea,
quæ habentur *sub tit. de feud. disc. 31.* ut scilicet, quam-
vis revocata alienatione feudi, veniant fructus ab initio,
attamen emptori debeantur interusuria pretii, quod inte-
rim venditor habuit in manibus, ac etiam habetur apud
Fontanell. *dec. 209. & seqq.* de imputatione facienda fru-
ctuum perceptorum ex pignore pro credito pecuniario,
pro quo tamen debita essent creditori interusuria cum di-
ctis fructibus compensanda, quatenus tamen fructus non 24
essent majores, secus autem si minores, & apud Mastrill.
dec. 106. ubi de casu, de quo *sub tit. de usur. disc. 4.*
cum similibus.

Verum difficultatem Mihi præbebat Romanæ Curiæ
opinio, non admittendi illud interesse pro credito pecu-
niario, quod passim datur in Regno Neapolitano, & in
altero Siciliæ, ac etiam in Cathalonia, de quibus locis
allegati loquuntur, ac alibi, nisi probetur in specie re-
quisita lucri cessantis, vel damni emergentis, ut in sua
materia *sub tit. de usur. & interesse*.

Adhuc tamen considerabam inspiciendum esse, an Ec- 25
clesia ex pretio interim in manibus retento, utilitatem in
fructu quoque perceperit, quia nempe pecuniam in cen-
sus, vel alios effectus fructiferos erogaverit, sive census
passivos extinxerit, & tunc planum esse dicebam, ut ejus-
dem rei duplicatum fructum prætendere non posset, cum
esset formalis locupletatio de alieno, aut vero ista circum-
stantia non concurrebat, adeout pecunia interim infructi- 26
fera in ejus manibus fuerit, puta quia erogata in bona mo-
bilia, vel alios usus currentes, & tunc dubitandi major
ratio intrat; adhuc tamen favore emptoris intrare videtur
eadem ratio, vel æquitas derivata ex tex. *in l. curabit*,
C. de action. empti, quam receptum est procedere quoque
favore emptoris in pretio, quod venditori solvit, ut *d. tit.*
de usur. advertitur, dum ita probata dicuntur interesse
requisita, quod scilicet emptor ejus pecuniam in emptio-
nem rei fructiferæ investitam esse debere in animo habuit,
quodque occasionem quæsivit, similemque absque dubio
promptam invenisset, juxta communem notorium usum;
quo enim magis agitur cum Ecclesia, eo magis æquitati
locus dari debet, ac benignius procedi, quamvis indiscre-
tus zelus administrantium bona Ecclesiarum contrarium 27
frequentius doceat, quasi quod ratio pietatis prævalere de-
beat justitiæ, ac naturali æquitati, quod Mihi perpetuo
absurdum, parumque commendabile visum est. Invigilari
etenim debet, ne Ecclesia sit in damno, & non supplan-
tetur, non autem, ut lucrum facere debeat, sive practi-
care illum rigorem, qui naturali æquitati, ac humano
communi usui adversari videtur, adeout apud Populum
scandalum ita sequi videatur.

PANORMITANA FEUDI PRO ARCHIEPISCOPO CUM RIGGIIS.

Consilium pro veritate,

De concessione feudali facta per Ecclesiam, ubi constet de mala exequutione beneplaciti Apostolici, ac de læsione. Et quando per lapsum longissimi temporis, uterque defectus tollatur, & quando exequutio dicatur male facta, & de modo regulandi læsionem.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Prohibitio alienationis bonorum Ecclesiæ est antiqua, etiam a temporibus Apostolorum.*
3 *De duplici requisito beneplaciti Apostolici, & justæ causæ copulative requisito.*
4 *Paria sunt non adesse beneplacitum, vel esse male exequutum.*
5 *Clausula*, vocatis vocandis, *facit exequutorem mixtum, & de citatione Promotoris Fiscalis,*
6 *An Capitulum sit legitimus oppositor, & debeat citari?*
7 *Post exequutionem, jurisdictio exequutoris expirat ,*
8 *Si novæ litteræ expediuntur, nova exequutio requiritur.*
9 *Tempus calamitosum, & accidentale non est attendendum ad regulandam utilitatem.*
10 *De beneplacito præsumpto ex lapsu temporis.*
11 *Instantia de jure canonico nunquam perit.*
12 *Sed per longam desertionem lis remanet derelicta.*
13 *De effectu, seu operatione centenaria.*
14 *In iis, quæ habent tractum successivum, læsio superveniens attenditur.*
15 *An detur conductori remissio pensionis ob subsequutam diminutionem bonorum?*
16 *Et quid e converso in casu augmenti, an debeat augeri responsio,*

DISC. XIII.

1 USque ab anno 1472, Archiepiscopus Panormitanus ,
conceſsit illis de Riggiu fundum nuncupatum *Bruca-*
to, obtentu desuper beneplacito Apostolico , de anno au-
tem 1500. ac etiam antea, Archiepiscopus successor, agno-
scens dictæ concessionis læsionem , nullitatem declaravit ,
ac litem instituit, ejus tamen prosequutione neglecta per
longissimum spatium annorum circiter 150, Cumque ad
dictum Archiepiscopatum promotus esset ille meus ami-
cus, de quo habetur mentio *sub tit. de præeminent. disc.*28.
hic in animo habuit hujusmodi adeo oblitam causam su-
scitare, dictumque feudum recuperare, quod supponebatur
esse annui redditus scut. 8. mil. cum concessio facta esset
solum pro annua præstatione centum salmarum frumenti,
& 70. unciarum in pecunia , hinc proinde transmissa fa-
cti notula, consilium pro directione petiit, super quo tres
constituebam inspectiones, primo scilicet super validitate,
vel invaliditate dictæ concessionis de per se consideratæ ,
præscindendo a lapsu temporis , secundo , an dictus adeo
diuturni temporis lapsus in proposito obstaret , & tertio ,
quatenus obstaculum præberet , adeout ipsa concessio dire-
cte impugnari non posset, quale aliud remedium esset in-
tentabile .

Quoad primum, cum eo magis prolixo stylo inanium al-
legationum pleno, qui in responsis transmittendis ad partes,
(damnabiliter tamen ut vulgo satisfieret) adhiberi solet,
2 constituebam regulam super prohibitione alienationis bono-
rum Ecclesiæ, quam esse antiquissimam, etiam a tempo-
ribus Apostolorum, cæteris relatis, erudite probat magister
meus Arias de Mesa *lib.* 3. *var. cap.* 23. quodque justa
insinuata supra *disc.* 1. *in principio*, hodie per dispositio-
nem *Extravag. Ambitiosæ*, *de reb. Eccl. non alien.* præci-
3 se necessarius est copulativus concursus duorum requisitorum,
primo scilicet beneplaciti Apostolici, sine quo aliæ solemni-
tates per antiquiores canones præscriptæ non sufficiunt ,
(quamvis dicto beneplacito accedente ex magis communi ,
& recepta sententia, illæ necessariæ non sint , cum illud
eas suppleat) & secundo justæ causæ consistentis in ne-
cessitate, quæ debet esse vehemens, & præcisa, cui aliter
consuli non valeat, sive in utilitate, quæ debet esse certa,
& evidens, ut post Canonistas *in cap.* 1. *& cap. nulli*,
de reb. Eccles. non alien. & in Clement. 1. *eodem tit.* in termi-
nis consimilis concessionis feudi in eadem Insula factæ per Ec-
clesiam Messanen. plene apud Merlin. *dec.* 702. *repetit. decis.*
95. *p.* 7. *rec. & ad satietatem*, *dec.* 275. *&* 336. *p.* 10. adeout
sit principium, quod hodie nullam admittat in Foro quæ-
stionem, sed præsupponi valeat, ideoque tyronicum videtur
desuper auctoritates deducere, vel desiderare.

Primum requisitum solemnitatis deficere videbatur, quo- 4
niam licet adesset beneplacitum Apostolicum concessum per
Sixtum IV. attamen manifesta erat nullitas illius execu-
tionis, quod operatur idem, ac si nullatenus adesset, cum
in hac materia paria sint, nullum, & nihil, ideoque idem
sit nullum adesse beneplacitum, vel illud adesse, sed ma-
le executum , ut in proxime allegatis , præsertim *dicta*
dec. 702. Merlini *n.* 43. *& dicta dec.* 275. *&* 336. *p.* 10.
rec. & supra disc. 1.

Ultra vero nullitates, quæ in dicta notula contineban- 5
tur, deductas ex illarum partium praxi , & stylis (super
quibus, ut decet, earundem partium Sapientibus, ac peri-
tis Me referebam) illam observabam substantialem , quod
litteræ Apostolicæ continerent clausulam, *vocatis vocandis*,
per quam executor redditur mixtus, ideoque assumere de-
bet partes Judicis, atque servatis servandis processum com-
pilare, ac judicialiter procedere citata in examine testium
super evidenti utilitate, aliisque actibus, Promotore fisca-
li Curiæ Episcopalis, quoties agitur de alienatione bono-
rum ipsius Ecclesiæ Cathedralis , vel mensæ Episcopalis,
ut præsertim *dec.* 624. *n.* 4. *&* 7. *p.* 1. *rec. d. dec.* 175. *n.* 23.
par. 10, apud Merlin. *dec.* 710. *n.* 2. *cum seqq. & num.* 7.
Multo magis, quia Capitulum se opposuit , atque executo-
res recusavit suspectos.

Quicquid enim sit de puncto, an consensus Capituli ad- 6
hiberi debeat necne , de quo habetur actum *d. disc.* 1. ubi
de distinctione inter bona, & jura ipsius Ecclesiæ Cathe-
dralis in universum, & bona mensæ Episcopalis, attamen
ob eandem rationem concursus Capituli cum Episcopo ad
ipsam Ecclesiam efformandam, negari non potest, quin di-
ci valeat , ut habeat legitimam personam se opponendi ,
dum videmus , quod Concilium Tridentinum vacante ,
vel impedita Sede Episcopali , non solum Capitulo com-
mittit administrationem Ecclesiæ, & Diœcesis in jurisdi-
ctionalibus, aliisque regimen spirituale concernentibus, sed
etiam committit œconomicam administrationem bonorum,
& jurium mensæ Episcopalis, ideoque aliud est, an ejus
consensus præcise pro solemnitate, vel pro integranda per-
sona alienantis sit necessarius, aliud vero , ut seclusa etiam
hac necessitate, gerere valeat dictam legitimam personam
oppositoris, quodque propterea executores , dicta recusa-
tione neglecta, ac etiam neglecto Promotore Fiscali, nul-
liter processerint.

Et quamvis concessionarii , agnita nullitate gestorum , 7
curassent eam supplere cum aliis litteris Apostolicis anno se-
quenti, ab eodem Sixto IV. obtentis , adhuc tamen illæ
non relevabant , tum quia prodierant cum præsupposito , quod
res esset integra, neque adhuc processum ad executionem,
ob quam jurisdictio jam expiraverat, ut in specie adverti-
tur *dec.* 631. *n.* 8. *par.* 2. *rec.* & apud Duran. *dec.* 225.
n. 6. Tum etiam, quia ubi jurisdictio adhuc non expiras-
set, oportuisset procedere ad novam executionem cum novo
processu , novisque legitimis actis, ut advertitur apud Mer- 8
lin. *dict. dec.* 110. *n.* 14. *&* 15. cum aliis apud Altograd.
cons. 26. *n.* 15. *& seqq. lib.* 1.

Quo vero ad causam utilitatis (ultra quod per testes , 9
ut supra nulliter examinatos non justificabatur) illa exclu-
debatur , tum quia supponebatur doceri in facto, quod an-
nis præcedentibus feudum longe plus fructasset , tum etiam,
quia supponebatur concessionem factam esse de tempore ca-
lamitoso, & accidentali , quod attendendum non est , sed
haberi debet ratio temporis præcedentis non calamitosi , ac
etiam futuræ verisimiliter separatæ reversionis ad statum
pristinum , ut apud Seraph. *dec.* 1073. *n.* 4. *&* 5. Mantic.
dec. 101. *n.* 4. Merlin. *d. dec.* 710. *n.* 10. & conformat quæ
habentur , *dec.* 222. *par.* 11. *rec. n.* 5. *& sub tit. de præemi-*
nent. disc. 11. ut in hac materia non debeat attendi tem-
pus calamitosum.

Quo vero ad secundam inspectionem , super effectibus
præjudicialibus resultantibus a lapsu temporis , intrare non
poterat præsumptio , quæ (seclusa Constitutione Urbani 10
VIII.) resultat a lapsu longissimi temporis juncti cum ob-
servantia, dum absque necessitate recurrendi ad limitatio-
nes insinuatas *supr. disc.* 1. recte quoque ad casum ap-
plicabiles, difficultas de plano cessabat ex facto, ob litem
motam

motam ante an. 1500. & sic infra 30. annos, & consequenter deficiebat essentiale requisitum pacificæ observantiæ, stante dicta lite, quæ de jure canonico perpetua est, atque non intrat illa peremptio instantiæ, quæ intrat de jure civili, ut ultra generalia, de quibus in sua materia *sub tit. de judiciis*, ac etiam *sub tit. de benef.* ad materiam
11 beneficii litigiosi, in his specialibus terminis consimilis concessionis feudi Ecclesiæ Messanensis habemr apud Merlin. *d. dec.702. & 710. & dec. 16. 57. & 94. par.7. rec.*

Et licet attenta etiam hac dispositione juris Canonici,
12 datur quoque desertio litis, eo quia habetur pro derelicta, attamen nimium difficile, ac rarum est hanc desertionis speciem practicari, ob duplex requisitum copulative desideratum, mali scilicet juris ejus, qui litem intentavit, ac deseruit, & animi deserendi, ut in specie advertitur *d. dec. 702.* Merlin. *n.36.& seq.* & habetur pluries *sub tit. de benef.* ad materiam Regulæ de triennali, sive alterius beneficii litigiosi.

13 Major autem difficultas, quæ in illa causa, pro meo judicio urgebat, consistebat in lapsu temporis annorum 150. & ultra post motam litem, ea iis, quæ circa possibilitatem allegandi alium titulum meliorem dictorum defectuum suppletivum, habentur *sup. disc.2.* quæ in præsenti responso discurrendo deducebam, ideoque pro hoc objecto evitando, respondi, desiderandas esse majores diligentias, ad effectum probandi, quod possessores pro tempore, in vim dictæ concessionis limitate possidere professi fuerint, & an alia adessent adminicula exclusiva dictæ præsumptionis, vel possibilitatis alterius tituli melioris.

Admonendo potissime, quod diligens fieret catalogus Archiepiscoporum, ac respective temporum Sedis vacantis, vel impeditæ, adeout subductis temporibus prædictis, non adesset centenaria bene completa, ideoque maturum judicium desuper efformare non potui, neque determinatum consilium præbere, donec dictæ meliores notitiæ haberentur, quæ ob superventam immaturam dicti zelantis Archiepiscopi mortem, defuerunt.

14 Quatenus vero crederetur, quod dicta centenaria aliquod obstaculum præbere posset, adeout directe impugnatio alienationis experibilis non esset, tunc insinuabam (circa tertiam inspectionem) non improbabiliter assumi posse punctum, de quo apud Altograd. *d. cons. 26. lib. 1. n.45. & seqq.* Natta *cons.* 548. canonizatum per Rotam in Hispalen. decimarum 15. Junii 1659. coram Cerro, cum aliis deductis in eadem Hispalen. *sub tit. de decim. & disc. seq.* quod scilicet conclusio, quam generaliter in omni materia, & specialiter in ista receptam habemus, ut ad metiendam læsionem, vel respective utilitatem, attendi debeat tempus contractus, non quid inde accidentaliter sequutum sit, procedat in iis, quæ momento temporis perficiuntur, non autem ubi habent tractum successivum, ut tunc, si rerum eventus magnam causet læsionem, vel injustitiam, contractus ad justitiam, & æqualitatem reduci debeat.

15 Ac etiam motivabam, ut conclusio, quam habemus favore emphyteutæ, vel conductoris super remissione, vel reductione pensionis, quando tractu temporis res concessa notabiliter diminuta est, ubi annua præstatio non est modica in solam cognitionem dominii, sed magna, & correspectiva fructibus; ad terminos text. *in c. potuit, & c. propter sterilitatem, extra locati, cum concord.* quæ super utraque opinione habentur *sub tit. de emphyt. disc.54.* recipienda quoque veniant favore locatoris, seu concedentis ex argumento correlativorum, ut quando res concessa notabiliter tractu temporis augetur, canon, seu pensio augeri quoque debeat, juxta sensum Avendani *de cens. c.46. n.4. cum seqq.* cum aliis apud Duran. *de cens. in princ. q. 11. n. 12. & d. tit. de emphyteusi.*

16 Quamvis enim utrumque motivum suas patiatur difficultates, ut de primo habetur *disc. prox. seq.* & de altero magis communis sit in contrarium, ut ex rei augmento non intret actio petendi augmentum canonis, vel pensionis, ea iis, quæ colligit Fulgin. *de emphyt. tit. de solut. canon. q.13. num.12. & seqq.* & habetur in dicta sua materia *sub tit. de emphyt.* attamen videbatur, quod essent motiva considerabilia, omnia simul conjungendo cum præmissis aliis, quæ defectum solemnitatis, & causæ concernebant ad elidendum illud unicum objectum, quod producit centenaria possessio circa præsumptionem; seu possibilitatem tituli melioris, reservando tamen, ut dictum est, maturius judicium, post habitas meliores, magisque distinctas notitias, ut supra desideratas.

PORTUEN. TENUTARUM PRO DUCE BRACCHIANI CUM COLLEGIO GERMANICO.

Causa pendet in Rota.

De læsione, seu cessante utilitate Eccles. in concessione emphyteutica, quomodo regulanda sit, & quale tempus attendendum, & an successivum augmentum, quod tractu temporis notabiliter contingat, producat læsionem?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Beneplacitum Apostolicum non supplet causam.*
3 *Alia surreptio in beneplacito non attenditur, nisi quæ respicit utilitatem.*
4 *Ex longissima observantia resultat præsumptio utilitatis.*
5 *De alia præsumptione utilitatis.*
6 *Et de alia præsumptione resultante ab augmento canonis.*
7 *Fructus melioramentorum spectant ad meliorantem.*
8 *Ecclesia non potest prætendere, nisi quantum apud se bona valerent, & fructarent.*
9 *De excreto rerum valore, & de rationibus excrescentiæ.*
10 *Ad regulandam læsionem attendi debet tempus contractus.*
11 *Limitatur in iis, quæ habent tractum successivum.*
12 *Declaratur hæc limitatio.*
13 *De alia declaratione ejusdem limitationis.*
14 *De materia* cap. suggestum de decimis.
15 *De remediis possessoriis competentibus Ecclesiæ ad bona alienata.*
16 *Reintegrationis remedium præscribitur per 30. annos.*
17 *Et in Ecclesia per annos 40.*

DISC. XIV.

Commendatarius Monasterii S. Sabbæ, de anno 1521. 1
concessit controversas tenutas ad tertiam generationem Felici de Ruvere Ursinæ, cumque ad aliquod tempus inter eundem, vel successorem Commendatarium, & Paulum Jordanum Ursinum Felicis nepotem, lis exorta esset super devolutione, de anno 1551. per viam transactionis nova concessio facta fuit, cum notabili canonis augmento eidem Paulo Jordano pro se, suisque filiis, & descendentibus, dictaque investitura in forma specifica confirmata fuit per Julium III. Eaque pacificum effectum sortiente usque ad annum 1665. de hoc tempore Collegium Germanicum (cui medio tempore dictum Monasterium per Gregorium XIII. unitum fuit) prætendens dictæ concessionis invaliditatem ex utroque defectu beneplaciti Apostolici, & evidentis utilitatis, stante dictarum tenutarum magno fructu in quadruplo, & ultra pensionem, seu canonem excedente, introduxit causam in Rota coram Cerro, atque subscriptum fuit dubium, an Collegio actori dandum esset mandatum de reintegrando? Eoquo proposito, nulla capta fuit resolutio ob aliqua accidentia, neque causa ulteriorem progressum hucusque habuit, cumque communicata non essent jura actoris, scribens Ego pro Duce reo convento, maturum judicium desuper efformare non potui. Quantum vero subauditum fuit, duo erant actoris fundamenta, primo circa prætensam subreptionem dicti Apostolici beneplaciti, & secundo super læsione, seu cessante utilitate, ob magnum redditum controversorum bonorum.

Super primo nihil deduci potuit, cum ignota essent 2
fundamenta, ex quibus subreptio deduceretur, dicebam tamen, illud primum motivum dependere a secundo; aut enim prætensa læsio aderat, aut non, si aderat, immorari non oportebat super subreptione, vel invaliditate beneplaciti, cum, eo etiam valido concurrente, nil relevet, ex vera, & recepta conclusione, de qua apud Gregor. & Add. *dec.113. n.8.* Cavaler. *dec. 288. n.6. dec. 367. num. 15. p.5. recent. cum aliis supra disc. 1. & alibi*, ut beneplacitum non suppleat causam; aut causa utilitatis concurrebat, & negligenda veniebant alia, ex quibus ob aliquam narrativæ
alterationem subreptio prætendi posset, ea altera conclu- 3
sione pariter in hac materia recepta, quod alia subreptio non attenditur, nisi ea, quæ utilitatem respiciat, ad quam tantum intentio Papæ directa est, ut apud Seraph. *dec. 443. num. 2.* Mantica *dec. 101. num. 5.* Rota *dec. 319. num. 4. & seqq. part. 4. recent. tom. 2. cum aliis eod. disc. 1. & alibi.*

4 Quo vero ad motivum causæ, illius præsumptionem ex pluribus resultare dicebam, primo scilicet ex observantia antiquissima annorum 100. & ultrà, si enim sola observantia longissimi temporis inducit utilitatis præsumptionem, ut advertitur apud Mantica *dict. decis.* 101. *num.* 3. Millin. *dec.* 119. *nu.*4. plene *dec.* 784. *nu.* 1. *&* 2. *par.* 2. *recent.* & admittitur apud Merlin. *decis.* 702. *repetit. decis.*94. *par.* 7. *recent. num.*10. ubi quod ex longissima observantia possessor relevatur ab onere probandi utilitatem, atque Ecclesiæ actrici incumbit onus probandi contrarium, multo magis, ubi accedit etiam centenaria præservata per Constitutionem Urbani VIII. tollentem vim temporis longissimi, ut supra *disc.* 1. *&* 2.

5 Et huic præsumptioni, duas alias accedere observabam, unam scilicet pro 'men judicio satis efficacem, quod inter concedentem, vel Pontificem confirmantem, & concessionarium, nulla aderat conjunctio sanguinis, nullaque urgebat causa, quæ collusionem suadere posset, unde intraret ea suspicio, quæ ex conjunctione sanguinis resultat, ex plene deductis *in d. dec.*702. Merlini *alias dec.* 94. *part.* 7. *rec.* Et e converso Cardinalis Commendatarius concedens (sive ex sanguine, sive ex adoptione) erat nepos, vel tanquam talis tractabatur, Pontificis concessionem plenarie approbantis, quod verisimile non est factum esse, nisi justa causa utilitatis accederet.

6 Et altera erat præsumptio resultans a notabili augmento canonis ultra dimidium, quoniam cum antiquus esset scutorum 600. & minus, actus fuit ad 1200. ut de præsumptione ab hoc augmento resultante habetur *decis.*221. *num.*5. *par.*4. *divers. &* *decis.* 577. *num.*3. *par.* 1. *recent. & in aliis.*

7 Neque contraria probatio resultare videbatur ex longe majori fructu qui de præsenti percipitur, tum quia in facto supponebatur, quod tenuta, quæ præsuppositum magnum fructum producebat, conflata non esset ex solis bonis concessis, sed ex plerisque aliis propriis ipsius concessionarii, tum etiam, quia supponebatur istum majorem fructum causatum esse a melioramentis ac reductione bonorum tunc pro notabili parte incultorum ad culturam, ideoque fructus, qui ex melioramentis percipitur, ipsius meliorantis est, ex deductis supra in Neriton. *disc.*4. atque ad metiendam utilitatem, & respective læsionem, attendendum est solum id, quod ipsa Ecclesia concedens perci-
8 pere solita erat, & quid in futurum verisimiliter percepitura fuisset, non autem quid concessionarius ex ejus industria, & diligentia percipiat, ut in specie advertitur *dec.*577. *n.*4. *par.* 1. *rec. ubi concordantes.*

9 Et nihilominus, ubi etiam hæc cessarent, dicebam notorium esse, a modernis temporibus hujus sæculi citra, & paulo ante, circa præcedentis sæculi expirationem, resultasse satis notabilem alterationem valoris, ac redditus bonorum stabilium, ubique ob generalem rationem excrescentiæ valoris auri, potissimum vero, ac magis, quam alibi, in Statu Ecclesiastico, & præcipue in locis adjacentibus Urbi, ob divitiarum excrescentiam in dies resultantem ab illis fortunæ saltibus, qui sub hoc cœlo cernuntur, ac etiam a Bulla S. Pii V. de *non infeudandis*, unde propterea, scribendo in illa causa, plura deducebam exempla diligenter conquisita occasione disputationum habitarum in Tyburtina Castri S. Angeli, de qua habetur actum *sub tit. de usur. disc.*8. *& sub tit. de dote disc.* 126. circa notabilem alterationem valoris bonorum a tempore hujus concessionis ad præsens, atque negligendo exempla percutientia tempus magis remotum, deducebam ea, quæ feriebant ipsummet tempus præcisum, vel satis proximum, & præsertim illud de eodem anno 1551. super concessione Oppidorum Civitæ novæ, & Montis Causarii hodie tam notabilis valoris, facta pro ea modica summa, quæ recensetur *sub tit. de feudis disc.* 4. ubi de illa concessione agitur, atque quamplura Oppida, & Castra intra districtum Urbis circa dictum tempus, inter annum scilicet 1540. & 1560. vendita, seu concessa fuerunt pro pretio, quod hodie vix quintam, vel sextam partem pretii currentis constituit, atque antiquitus casalia vix ad rationem scutorum 25. vel 30. pro quolibet rubro vendebantur, modernis autem temporibus pro scutis 150. & ultra.

10 Et consequenter dicebam intrare veram, ac receptam conclusionem, in præcedentibus pluries insinuatam, ut pro metienda, seu regulanda læsione, attendi debeat tempus contractus, non curato quid successivus eventus, casualiter produxerit, dum sicuti unum, ita alterum oppositum effectum idem eventus producere potuisset, ut cæteris relatis habetur *dec.*18. *n.*4. *p.* 2. *divers. d. dec.*577. *n.*4. *par.* 1. *rec. dec.* 319. *n.*10. *& seqq. p.*4. *tom.*2. apud Duran. *dec.* 397. *num.*13. *cum seqq. cum aliis supra disc.* 1. *& alibi pluries.*

11 Supponebatur, quod Scribentes pro actore fundamentum constituerent in dictæ conclusionis limitatione insinuata supra *disc. præced.* ut conclusio procedat in illis actibus, qui temporis momento perficiuntur, secus autem in habentibus tractum successivum, ut tunc si contractus reducatur ad magnam injustitiam, & læsionem, intrare debeat Judicis officium pro reductione ad justitiam, & æqualitatem, juxta doctrinam Bartoli *in l. inter stipulantem*, §. *sacram*, n. 7. *ff. de verbor. obligat. cum concord.* apud Nattam *cons.* 548. Capyc. Latr. *dec.* 18. Altograd. *cons.* 26. *num.* 46. *lib.* 1. Rota apud Martin. Andr. *decis.*48. *num.* 13. *&* 14. *& dec.*70. *nu.*3. *&* 4. & in Calaguritana decimarum 9. Februarii 1659. coram Cerro, & 16. Aprilis 1660. coram Taja, & in aliis, atque in idem conferre observabant ea, quæ habentur ad materiam text. *in cap. suggestum de decimis, cum ibi notatis.*

12 Verum, ubi istud motivum deductum esset, credebam etiam in sensu veritatis, negligendum fore, ac nullatenus obstare debere, tum quia, ut patet ex deductis apud Capyc. Latr. *d. dec.* 18. ad effectum, ut id procedat, concurrere debet satis magna, & excedens læsio, quæ iniquitatem redoleat, quod in præsenti non justificabatur ex dicta duplici circumstantia, mixturæ scilicet aliorum bonorum, ac melioramentorum.

13 Tum etiam, quia (ut super ista conclusione habetur particulariter actum in d. Calaguritana *sub tit. decimis*) id procedit in illis actibus habentibus tractum successivum, qui concernant onus, & gravamen singulis annis supportandum, cum ita quolibet anno nova læsio, tanquam per speciem novi, seu renovati contractus resultare dicatur, juxta casum, de quo apud Natt. & alios, secus autem ubi ille, qui læsionem allegat, non sentit damnum, vel gravamen positivum, sed solum negativum ex cessante majori lucro singulorum annorum, quoniam non est pati læsionem cum damno positivo, quoniam alias in omni contractu, etiam illo emptionis, & venditionis, qui absque alio tractu successivo in ipso momento perficitur, eadem ratio cadere posset, quia ex pretio a venditore recepto in alia bona tunc investito, ita singulis annis longe minor fructus percipiatur, & sic pariter dici potest damnum, seu minus lucrum habens tractum successivum, quod dicendum non est.

14 Extraneos vero dicebam esse terminos text. *in cap. suggestum, de decimis*, quoniam, ut advertitur *in eadem Calaguritana, & in Hispalen. eodem tit. de decimis*, ratio dicti textus non fundatur in eo intrinseco, vel accidentali augmento, vel respective decremento, quod provenit ab eventu, qui sicut est uni parti præjudicialis, ita potuit esse proficuus, sed a ratione cessantis causæ concedendi privilegium, ob notabiliter alteratum rerum statum ex supervenientia aliorum bonorum, sive excrescentia personarum cum similibus, ut in dicta sua materia advertitur.

15 Concernebant hæc merita negotii principalis, quo vero ad ordinem judicii reintegrationis per actorem intentati, illud prorsus ineptum erat, quoniam licet ob decretum irritans contentum *in Extravag. Ambitiosæ*, quod inficit etiam possessionem, receptum sit, Ecclesiæ competere ad bona male alienata etiam interdicta possessoria recuperandæ, vel retinendæ ratione civilis possessionis, quam retinere dicitur, quamvis naturalem de facto amiserit ex plene deductis *in d. dec.*702. Merlini, alias 94. *par.* 7. *rec.* cum aliis de quibus *sup. disc.* 1. Attamen, ut ibidem advertitur, id recte procedit quando nullitas sit clare, adeout certum sit intrare dictum decretum irritans, quod dictam operationem producit, secus autem ubi id est probabiliter dubium, cum tunc in judicio petitorii de retractatione, seu invaliditate alienationis agendum sit.

16 Multò vero magis, ubi accedat longissimum temporis intervallum, quod metam an. 30. excedat, quamvis etenim apud antiquiores sub magna quæstione fuerit, an hoc reintegrandæ judicium sit præscriptibile necne, attamen postquam de speciali ordine Pontificis, Rota formiter articulum disputavit, atque de affirmativa tanquam veriorem firmavit, ut per longissimum tempus 30. annor. præscribatur apud Seraph. *dec.* 1360. quæ reputatur in materia magistralis, videtur hodie conclusio recepta, & quam etiam in puncto juris esse veriorem ex professo late probat Menoch. *cons.* 1050. & sequuntur alii apud Capyc. Latr. *consult.*88. *nu.* 11. *& seq.* Atque ad summum favore Ecclesiæ prætendi potest, ut dictus terminus protrahendus esset ad tempus quadragenarium, quo concurrente, etiam

contra

contra Ecclesiam dicta præscriptio intrat, ut *dec. 97. p. 1. rec. & dec. 535. n. 9. & seq. p. 4. to. 3.* & admittitur ap.
17 Merl. *d. dec. 702.* alias *dec. 94. p. 7. rec. n. 14. cum seq.* ubi pro evitando objecto insistitur super detractione temporis vitæ Prælati alienantis, ut mediante hac subductione non remaneat dictum tempus centenarium.

ROMANA DEVOLUTIONIS DOMUS PRO MONASTERIO TRIUM FONTIUM CUM MARIA ROCCHETTA.

Casus decisus per Rotam pro Maria, postea concordatus.

De beneplacito præsumpto ob longissimi temporis observantiam, an, & quando intret, ubi observantia sit æquivoca, & ad aliam concessionem referri potest? Et aliqua de cessante causa utilitatis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *An in generationibus comprehendatur persona generantis?*
4 *De Constitutione* Urb. VIII. *circa beneplacitum præsumptum.*
5 *Præsumptio resultans a lapsu temporis tollitur contraria probatione.*
6 *Læsio Ecclesiæ dicitur adesse ubi non adest utilitas.*
7 *Expensæ litium faciendæ sunt ex fructibus, & non ex distractione sortis.*
8 *Causa vaga non sufficit.*
9 *Solum tempus non sufficit sine observantia.*
10 *Possessio est referenda ad titulum validum, & licitum.*
11 *De virtute, & operatione centenaria, & quando non sit operativa ubi constat de titulo infecto.*

D I S C. XV.

1 DE anno 1509. Commendatarius Abbatiæ Trium Fontium, concessit Polisenæ ad tertiam generationem controversam domum sub canone scutorum 16. de carolenis, & sub obligatione erogandi in ejus restaurationem ducatos 100. auri de Camere, cumque postea idem Commendatarius domum prædictam univisset mensæ Monachorum, isti de anno 1531. de consensu dictæ Polisenæ ejus jura cedentis, mediante restitutione ducatorum 200. auri pro melioramentis, eam concesserunt Antonio Pontiano, sub annuo canone scutor. 12. auri, & obligatione erogandi in melioramenta alios scutos 500. auri, deinde-
2 que ad aliquos menses sub narrativa indigentiæ pecuniarum pro expensis litium, aliisque indigentiis, stante solutione ducatorum 100. de carolenis, concessionem prædictam pro eodem canone perpetuam fecerunt, ac hæreditariam ad quoscumque transmissibilem, cumque post centum annos, & ultra, obiisset ab intestato Alexander de Marchis dicti Antonii ex filia pronepos absque legitimo successore, Maria uxor, tanquam legitima hæres, & ex jure dotium, dictæ domus adepta est possessionem, a Monasterio ex capite devolutionis jam præventam, unde orta lite, & commissa causa in Rota coram Priolo, sub *die 27. Novembris* 1662. ex fundamento, quod ageretur de concessione hæreditaria ad quoscumque transmissibili, ad favorem Mariæ prodiit resolutio, adversus quam concessa nova audientia, ista pendente, honesta concordia controversiæ finem dedit.

3 Causæ punctus consistebat in validitate, vel invaliditate secundæ concessionis perpetuæ, si enim valida erat, Ego scribens pro Monasterio, admittebam resolutionis probabilitatem, secus autem e converso, dum corruente secunda, remanebat prima concessio ad tertiam generationem per obitum dicti Alexandri, quamvis tenenda esset benignior opinio, ut persona acquirentis in generationibus non computetur, cujus tamen contrarium est magis receptum, præsertim in Rota, & Curia, quatenus facti circumstantiæ aliter non suadeant, ut pluries in sua materia *sub titul. de emphyteusi*, præsertim *discurs. 15. cum seq.*

Validam autem Rota credidit ex fundamento centenariæ possessionis, ea qua, non obstante moderna Constitutione *Urbani VIII.* quæ juxta intellectum illi per Rotam attributum, sustulit illam præsumptionem, quæ inspecta juris communis dispositione resultabat a solo lapsu 30. annorum, idem effectus resultat super præsumptione tam solemnitatis, quam causæ, ex deductis *supra disc. 1. & 2. & frequenter.* 4

Admittebam Ego veritatem conclusionis, negabam tamen applicationem, quoniam ista dicitur simplex præsumptio, quæ tollitur per contrariam probationem nedum expressam, sed etiam adminicularivam ex fortioribus præsumptionibus deductam, potissime vero ubi ex ipsius concessionis inspectione patet de ineptia causæ præseferente læsionem, sive excludente utilitatem, quoniam si beneplacitum etiam verum, & expressum non supplet causam, multo minus supplere potest fictum, & præsumptum, ut advertitur *dec. 340. n. 28. dec. 81. n. 10. & 11. par. 11. rec.* cum aliis supra deductis *disc. 1.* 5

Claram autem dicebam esse læsionem, quæ in hac materia regulanda non est a qualitate enormitatis juxta terminos *tex. in l. 2. C. de rescind. vendit.* sed semper adesse dicitur, quoties evidens utilitas abest, Abb. *in c. nulli, de reb. Eccles. non alien. n. 5.* Seraph. *dec. 508. n. 12.* Rota *dec. 65. n. 17. p. 2. divers. dec. 245. n. 25. dec. 261. n. 14. & dec. 284. nu. 1. p. 4. rec.* cum aliis plene deductis, *dec. 275. & 336. p. 10.* 6

Cum igitur per primam concessionem ad tertiam generationem, jus Ecclesiæ quæsitum esset post finem trium generationum, quæ poterunt non incipere, vel ad breve tempus terminare, habendi domum itaælioratam cum impensa ducatorum 300. auri, cum qua summa, juxta illorum temporum conditionem magna melioratio fieri poterat, ut eventus docuit, dum domus solita erat locari pro scut. 100. & ultra, utique manifesta ineptia causæ fuit pro sola recompensa ducatorum 100. de carolenis, tunc importantium ducatos 60. circiter auri, dictum jus remittere, atque pro eodem canone domum in perpetuum alienare, ita inutile reddendo dominium directum.

Ex fortius ob aliam ineptiam circa erogationem dictæ summæ acceptæ pro expensis litium, & aliis occurrentiis in genere, tum quia hujusmodi expensæ faciendæ sunt ex fructibus, neque pro eis liceat alienare bona in sorte principali ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur apud Molin. *de primog. lib. 1. c. 27. n. 9.* Rosenthal. *de feudis, c. 10. concl. 43. num. 75.* Giurb. *dec. 108. num. 10. & 24.* Salgad. in Labyrint *par. 3. cap. 9. num. 19.* cum aliis *in Theatina renovationis sub tit. de emphyteusi disc. 12.* Tum etiam quia, ut, cæteris relatis, habetur apud Merlin. *dec.* 8 714. & pluries infra, *hoc eodem tit.* in proposito contractuum, & obligationum mulierum, & minorum, ista causa vaga, & generalis pro indigentiis domus, sive pro expensis litis, ad speciem non deducta, insufficiens reputatur, multo magis ad sustinendam bonorum Ecclesiæ alienationem, dum requirit, vel necessitatem præcisam, vel utilitatem evidentem. 7

Item circa dictam præsumptionem resultantem a longissimo tempore, juxta ea, quæ in materia hujus præsumptionis habentur *supra disc. 1.* non sufficit solum tempus, nisi etiam accedat observantia, quæ non sufficit æquivoca, sed debet esse univoca, ad aliam possidendi causam non referibilis, nisi ad eam, super qua solemnitatis, & causæ præsumptio allegatur. Id autem in præsenti cessabat, quoniam cum casus dedisset, ut domus distracta non esset, neque ad extraneos hæredes unquam transmissa, sed ita continuasset in primi acquirentis descendentibus comprehensis in tribus generationibus, ad quas prima concessio restricta erat, ita observantia remanebat æquivoca, quod sc. ex prima valida, non autem ex altera invalida concessione possessam fuerit, ex juris propositione, quod 10 ubi constat de duobus possidendi titulis, vel causis, quarum una sit valida, & licita, & altera illicita, ad validam, & licitam potius referenda est possessio, ut in his terminis emphyteuticis, cæteris relatis, habetur *dec. 176. n. 45. & seq. p. 5. rec. & dec. 165. n. 16. 17. p. 10. & frequenter*, cum sit propositio vera, quoties diversæ probationes, vel adminicula non concurrant, quod ex alio titulo, seu causa possessum sit. 9

Quando ageretur de illa præsumptione, quæ ad limites juris communis ex longissimi temporis decursu, infra tamen centenarium, vel immemorabile, resultat tunc motivum fuisse reale, ac solidum, unde propterea de justitia recessus a resolutis omnino sequi debuisset. Difficultatem autem Mihi inferebat centenaria, cujus virtus, & operatio est concedendi facultatem allegandi quemcumque alium titulum de 11

mundo meliorem absque necessitate illum justificandi ex iis, quæ habentur supra *disc.* 2. Stant enim bene simul, ut ibi advertitur, ut obtinens rem ea titulo invalido, alium titulum meliorem deinde ibi cumulet, quoties ad illum, de quo apparet, tanquam unicum, ac meliorem præcise non se restrinxeris possessor cum illius pura productione ad tituli justificationem principaliter facta ex insinuatis *eod. disc.* 2. & sub *tit. de regalib. disc.* 47. ac alibi. Atque istud motivum Me impulit ad consulendam concordiam, cum illud non levem inferret difficultatem, quamvis ita in decisione, vel per Scribentes in contrarium non sit deducta, dum dicta secunda concessio, quæ ut supra ea hac parte ita infecta dicebatur aa sui facie, quod vitium redoleret, atque præsumptionem solemnitatis, & causæ excluderet; facta non erat ea parte dictæ mulieris, sed potius ex parte Monasterii, unde propterea dici non poterat adesse restrictionem ad hunc titulum tanquam meliorem alterius possibilis exclusivum; ubi etenim hæc restrictio concurreret, parvifaciendas esse credebam generalitates, cum quibus in prima decisione processum est.

ROMANA DOMUS PRO ECCLESIA S. THOMÆ LIBRARIORUM, CUM MONASTERIO SUBLACENSI.

Causa pendet in Rota.

De eadem materia beneplaciti præsumpti ex lapsu temporis an illi obstet Constitutio Urbani VIII.? Et quid ubi agatur de concessione facta laico, cui Constitutio obstat, accedat autem longissima possessio Ecclesiæ laico succedentis, cui eadem Constitutio non obstet, an intret præsumptio ad limites juris communis?

Et an dicta Constitutione non obstante, præsumptio solemnitatis, & causæ admittanda sit, ubi non resultat a sola longissima observantia, sed ab aliis adminiculis, & præsumptionibus?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod in Curia de facili detur restitutio adversus rem judicatam.*
3 *Desertio appellationis ob non prosequutionem indiget sententia declaratoria cum præfixione termini.*
4 *Et si in termino exhibentur acta, disputatur de justitia, vel injustitia.*
5 *De materia melioramentorum remissive.*
6 *De Constitutione* Urbani VIII. *tollente beneplacitum præsumptum.*
7 *Non procedit contra Ecclesiam.*
8 *Quid ubi contractus factus est cum privato, cui Ecclesia succedat.*
9 *De materia jurispatronatus, ut attendatur origo.*
10 *De purgatione malæ præsumptionis ob longam possessionem persona non suspecta.*
11 *Quod dicta Constitutio Urbani sit exorbitans in certis casibus.*
12 *Observantia ad inducendam præsumptionem solemnitatis debet esse univoca, & continua.*
13 *Quando dicatur univoca, & referibilis ad titulum, de quo agitur.*
14 *Ut etiam observantia non distincta, sed per aliquas vices debeat attendi pro moderatione dictæ rigorosæ Constitutionis.*
15 *De differentia inter observantiam a parte postea pro tempore decurso, & illam a parte antea pro tempore futuro.*

DISC. XVI.

1 Usque ab anno 1544. Monasterium Sublacense controversam domum concessit Petro ad ejus vitam, ac alterius ab eo nominandi pro annua responsione scut. 25. auri taxatorum in Juliis decem pro quolibet scuto, postmodum vero de anno 1560. nova facta fuit concessio eidem Petro in perpetuum pro annuo canone scut. 30. monetæ; cumque pluries dicta domus notabiliter meliorata, in extraneos alienata fuisset, sive census super ea impositi essent, Monasterium consensum præbuit, laudemia recipiendo, eaque ab ultimo possessore jure legati obventa de anno 1614. ad Ecclesiam S. Thomæ Librariorum, ista cum beneplacito Apostolico eam locavit, seu vendidit ad vitam Fantino Rentio, qui pariter cum eodem beneplacito, pro tempore ejus vitæ, soluta quadam summa unica vice, liberationem reportavit a solutione canonis. Defuncto Fantino de anno 1645. Ecclesia domum rehabuit, atque canonum reassumpsit solutionem usque ad annum 1649. in quo Monasterium prætendens dictæ secundæ concessionis invaliditatem, a Vicario, seu ejus Locumtenente ad dictam domum reintegrari obtinuit, possessione etiam adepta, commissa vero causa appellationis in Rota coram Bevilaqua, eaqua post diuturnum silentium ex parte dictæ Ecclesiæ reassumpta, cum ex parte Monasterii prætenderetur appellationem esse desertam, ac obstare rem judicatam ob lapsum fatalium, hinc proinde datum fuit solitum dubium, an constaret de re judicata, vel potius de causis restitutionis in integrum, ejusque disputatio pendet.

In hujus autem disputationis præparatione, scribens Ego pro Ecclesia, duos dicebam esse punctos, unum ordinis, an sc. dicta appellationis desertio adesset necne, & alterum justitiæ; ut enim pluries alibi advertitur, materia rei judicatæ, vel trium conformium, in Curia Romana quodammodo cæremonialis esse videtur, ex propositione siquidem, quod sententia injusta nunquam transit in judicatum resultat, quod post fere sæculi lapsum, ex capite originariæ, ac etiam dubiæ injustitiæ de restitutione in integrum responderi solet, ut præsertim de simili responsione adversus rem judicatam coram Seraphino usque ab anno 1599. cum subsequuta pacifica observantia, patet ex decisionibus editis *in Nolana parochialis* 2. *Decemb.* 1669. & 27. *Junii* 1670. *cor. Vice Comite*, & de qua causa habetur *sub tit. de benef. in hoc tit.* ac etiam habetur pluries in sua materia *sub tit. de judiciis.* 2

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum ordinis, (nisi aliæ accederent ignotæ facti circumstantiæ) planum esse dicebam, ut res judicata non adesset, quoniam ubi agitur de hujusmodi desertione appellationis jam legitime interpositæ, sed intra fatalia non prosecutæ, requiritur sententia declaratoria ea nimium probabili, & convincenti ratione, quod legitima adesse potuerunt impedimenta excusantia, de quibus appellans monitus docere potest, & quatenus doceat, declaratione indigent, an sint legitima necne, ut apud Rot. *dec.* 10. *ut lite pendente in novis* ap. Seraph. *dec.* 564. *n.* 9. apud Cavaler. *dec.* 317. *nu.* 2. & *dec.* 333. *n.* 5. & 6. *dec.* 226. *n.* 10. *p.* 10. *rec.* & *frequenter*, & firmat etiam Rovit. *super pragm.* 1. *de appell. n.* 10. ubi testatur etiam de praxi. 3

Hinc proinde in Curia stylus inolavit, quandu de hujusmodi desertione agitur, ut prinsquam ad dictam sententiam procedatur, termini præfinitio præcedat, quo pendente, si acta exhibeantur, videndum est de justitia, vel injustitia, atque desertio non constat, ut *dec.* 339. *nu.* 8. *p.* 4. *rec. to.* 2. & *dec.* 82. *n.* 10. *p.* 10. & *sæpius*, idque in præsenti sequutum erat. 4

Quo vero ad materiam, ultra inspectionem melioramentorum, quæ facti potius, quam juris erat, & de qua materia agitur *sub tit. de detract.* ac etiam sub altero *de judiciis*, an scilicet, & quando melioranti competat retentio, adeout melioramentorum exceptio retardat executionem, vel potius cautioni per actorem præstandæ locus esse debeat. 5

Quatenus pertinet ad ipsum punctum principalem, decisio pendebat ab eadem inspectione, de qua *discurs. præced.* an scilicet prima concessio ad duas vitas anni 1544. vel secunda perpetua etiam pro extraneis, & successoribus anni 1560. attendi deberet, quod pendebat a validitate, vel invaliditate illius secundæ, quæ invalida prætendebatur ex defectu beneplaciti Apostolici expresse non probati, & præsumptiva non justificabilis, quamvis diuturnum intervallum annorum circiter 90. accederet ob Constitutionem 157. Urbani VIII. dirimentem illam præsumptionem, quæ de jure a longissimi temporis observantia resultabat, solamque centenariam præservantem. 6

Super hoc autem puncto, ultra ea quæ habentur pluries in præcedentibus circa dictæ Constitutionis interpretationem super contractibus cum mere privatis personis initis, in quibus non urgeat ea potentiæ ratio, cui dicta Constitutio principaliter innixa est; ubi etiam illa simpliciter, ac indefinita admittenda esset, adhuc tamen dicebam suffragari receptam limitationem, in præcedentibus pariter 7

sæpius

sæpius insinuatam ubi agatur cum Ecclesia, in qua dicta
mala præsumptio non intrat.

8 Verum super hoc motivo considerabam, difficultatem
cadere posse, in præcedentibus quoque insinuatam, ut id
procedere videatur, quando agitur de alienatione directe,
ac immediate facta in alteram Ecclesiam, quoniam licet
non intret ratio conquassationis privilegiorum, atque ad-
huc locum habeat dispositio *Extravag. Ambitiosæ*, attamen
cessat mala præsumptio, quæ in privatis ex dicta Constitu-
tione derivat, secus autem ubi alienatio facta est in pri-
vatum, a quo Ecclesia, ex titulo universali, vel particu-
lari postmodum causam habeat, quoniam tunc, juxta ea
quæ habentur *sub tit. de jurepatr.* in similibus, ac proxi-
mis terminis malæ præsumptionis usurpationis, quæ in po-
tentibus a Concilio Trid. derivat, spectatur origo, non au-
tem persona actualis possessoris; si enim primus erat potens,
a quo privatus causam habebat, jurispatronatus regulatur cum
9 terminis potentium, & a converso nil refert, an actualis
possessor sit potens, ubi causam habuit a privato, ex plu-
ries deductis in sua materia, præsertim *disc.* 6. & 58.

Adhuc tamen credebam in hac facti specie, recte appli-
cabilem esse limitationem deductam *d. disc. 6. de jurepatro-
natus*, in illis terminis canonizatam per Rotam, *dec.* 401.
10 *n.* 7. *cum seq. p.* 5. *rec.* ut secus dicendum sit, quando talis
est privatæ personæ diuturna possessio, quod dicta macula
malæ præsumptionis bene purgari potuerit; quicquid enim
sit de hac limitatione in illis terminis, dicebam eam recte
istis adaptari, cum cessent rationes dubitandi ibidem pon-
deratæ, ac etiam, quia nimium exorbitantiarum cumulus
adesse videtur, super dictæ Constitutionis interpretatione
in alienationibus factis cum privatis, in quibus cum tem-
11 pore quo eadem Constitutio prodiit, jam completa erat,
ac inducta præsumptio resultans a longissimi temporis obser-
vantia, & quo casu duplex propositio intrare videtur, una
quod lex de sui natura esset futura, non autem præterita,
& altera, quod superveniens mala fides post legitime comple-
tam præscriptionem, istam non interrumpit, ut apud Mant.
dec. 296. *n.* 5. Burat. *dec.* 739. *n.* 3. & 6. & passim, idemque ubi
in privatis id recipiendum non esset, sed rigorose insisten-
dum in sola centenaria, (quod tamen asperum videtur,)
credebam hujusmodi asperitati aliam addendam non esse,
sed eam cum aliqua benignitate compensandam, ita dictam
limitationem admittendo, utpote non patientem illas diffi-
cultates, quæ in dictis aliis terminis jurispatronatus cadunt.

Admissa vero dicta limitatione, atque juris communis
terminis retentis adhuc duplex urgere videbatur difficultas
12 circa dictam præsumptionem, primo scilicet, quod ut ad-
vertitur *disc. præc. & disc.* 1. observantia debet esse univoca,
non autem æquivoca ad alium titulum referibilis, ut in præ-
senti dici posse videbatur, ut scilicet continuata receptio
canonis antiquiori tempore facta fuerit in causam primæ
concessionis ad duas vitas, donec illæ duraverint, & secun-
do quod solus lapsus temporis non sufficit nisi accedat e-
tiam observantia continua in singulis annis, ideoque non
sufficit, quod una, vel aliquibus vicibus aliquæ solutiones
unitim factæ sint pro pluribus annis, ut in specie adverti-
tur *dec.* 188. *n.* 15. & *seq.* & *dec.* 294. *in fin. p.* 6. *rec.* & *sup. disc.* 1.

Neutram tamen difficultatem obstare credebam, non
quidem primam, tum quia post dictas vitas primæ conces-
sionis finitas, adhuc aderat tempus diuturnum quadragena-
13 riam excedens, tum etiam ob diversam summam, quo-
niam licet primus canon esset in scutis auri, non tamen in-
trabant ea, quæ de augmento favore creditoris cedente ha-
bemus, stante taxa præcisa conventionali ita inalterabili, ac
etiam quia attenta alteratione pro varietate temporum variæ
erant summæ, ideoque verificari non poterat illa uniformi-
tas inalterabilis summæ contentæ in secunda concessione, ad
cujus limites observantia sequuta erat, cum ad hunc effe-
ctum etiam conjecturæ sufficiant, ut advertitur responden-
do in specie huic objecto *dec.* 268. *n.* 16. & *seqq. par.* 12. *rec.*

Majorem autem difficultatem inferebat altera dubitandi
ratio, quod penes Ecclesiam non adesset observantia con-
tinuata, dum ejusdem domus conductor ad vitam, suo ju-
re durante, cum unica solutione, ut supra hoc onus rede-
14 merat. Verum ex eadem consideratione non cumulandi tot
exorbitantias, probabile videbatur, ut dicta restrictio ad-
mittenda non esset, cum ea vere, & proprie percutiat ca-
sum, in quo unica solutio pro pluribus annatis sequeretur a
parte postea, post eas jam decursas quasi quod admitti non
debeat retrotractio, ac etiam quia ita adesse potest aliqua
affectatio pro hoc fine assequendo, secus autem ubi agatur
de unica solutione anticipata pro pluribus annis subsequen-
tibus, quoniam tunc in singulis annis qui subsequuntur,
Dominus retinendo in manibus acceptam pecuniam, ita in
contractu perseverare dicitur, atque per actum occultum
sibi ipsi solvere currentem præstationem, ideoque magna dif-
ferentia videtur inter casum, in quo unica solutio fiat a par-
te postea pro annis jam decursis, & alterum in quo fiat an-
ticipate a parte antea pro annis in futurum decurrendis.

Cumque in hac facti specie, per causæ Patronum, ple-
ræque aliæ deducerentur circumstantiæ probantes, vel ad-
miniculantes, quod vere beneplacitum Apostolicum inter- 15
cesserit, vel directe a Papa, vel a Cardinali Pœnitentia-
rio, qui id tunc in facultatibus habebat, (cum tunc mo-
deratio ejus facultatum facta per *Pium IV.* sequuta non
esset) hinc proinde advertebam, quod ubi etiam dicta Ur-
bana constitutio in dicto rigoroso sensu attendi deberet,
ut complecteretur etiam hujusmodi privatas alienationes,
non attento, quod de tempore ejus editionis, præsumptio
ad limites juris communis jam perfecta, & completa es-
set, attamen id recipiendum veniret, quando possessoris
fundamentum consisteret in sola præsumptione, quæ ea di-
spositione juris a longissima observantia resultat absque alio
extrinseco facti adminiculo, secus autem ubi possessor, al-
legando hoc beneplacitum, illud probare vellet cum ea præ-
sumptiva, seu adminiculativa specie probationis, quæ de
jure in antiquis admittitur, deducendo diuturni temporis
observantiam, tanquam unum ex adminiculis, cum aliis
conjungendum, juxta adminiculativæ probationis naturam,
seu regulam, cum tunc videatur casus a Constitutione
omissus, idque nil prohibere videatur: adhuc tamen oc-
casio non dedit id formaliter disputare.

SAVONEN. CAPPELLÆ PRO PP. CONVENTUALIBUS CUM EPISCOPO.

Casus disputatus coram Prælato Judice commissario sub incerto exitu, credo pro PP.

De transactione, an & quando cadat sub disposi-
tione *Extravag. Ambitiosæ*, itaut dicatur prohibi-
ta alienatio necne.

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *Quod transactio dicatur alienatio prohibita, & ca-
dat sub dispositione* Extravag. Ambitiosæ.
3 *Declarantur DD. exigentes simplices solemnitates, non
descendendo ad speciem beneplaciti Apostolici.*
4 *Aliæ solemnitates non sufficiunt hodie sine dicto bene-
placito.*
5 *Recensentur plures limitationes conclusionis, de qua
n. 2. super licita transactione sine beneplacito.*
6 *Ubi quæritur de invaliditate transactionis, non atten-
ditur an transigens haberet bonum, vel malum jus,
ubi defectus est in solemnitate.*
7 *Solemnitas, & causa copulative desiderantur, & una
sine altera non sufficit.*

DISC. XVII.

ORtis controversiis inter Episcopum, & Conventum 1
Minorum Conventualium super retentione cujusdam
miraculosæ Imaginis, ejusque Cappellæ, ac oblationum
administratione, & pertinentia, deventum est de ann. 1631.
ad quandam transactionem, cujus dicti Religiosi pœniten-
tes, judicium instituerunt pro annullatione in partibus,
& introducta de anno 1653. causa in Curia coram Præ-
lato Judice commissario a sententia in prima instantia la-
ta favore Conventus per Archiepiscopum Januensem Apo-
stolicum delegatum; (altra concernentia ordinem Judicii,
ac validitatem dictæ sententiæ, quæ nulla prætendeba-
tur,) quatenus pertinet ad justitiam, & merita negotii
principalis, punctus erat, an dicta transactio inita inter
Ecclesiasticos, & super juribus ecclesiasticis, caderet nec-
ne sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles.
non alien.* itaut ad ejus validitatem copulativus concursus
beneplaciti Apostolici, & causæ necessariæ esset, eo mo-
do, quo in vera, & propria alienatione bonorum Eccle-
siæ requiritur.

In hoc autem, Scribens pro Conventu super transactionis invaliditate (cum sensu etiam veritatis) certam dicebam esse regulam affirmativam, etiam inter Ecclesias eodem
2 modo quo cum privato, ac etiamsi non agatur de bonis corporalibus, sed de juribus ecclesiasticis, & incorporalibus, cum transactio species prohibitæ alienationis quoque dicatur, ut ex Frider. de Sen. *cons.* 94. *per tot.* & aliis relatis Redoan. *de reb. Eccl. non alien. q.* 2. *c.* 1. *per tot.* Barbos. *de Episcop. alleg* 95. *n.*63. Atque hanc perpetuo tenuit Rota, ut apud Caputaq. *dec.*116. *p.*1. *& dec.*318. *p.*3. Coccin. *dec.* 301. *n.*1. *& dec.*362. *n.*3. Duran. *dec.*459. *n.*2. Rot. *dec.* 755. *n.*2. *par.*2. *rec. dec.*561. *n.*1. *par.*5. *dec.*241. *n.*10. *par.*4. *tom.*2. *dec.*518. *n.*6. apud Posthium *de manut. dec.*24. *n.* 17. *& seqq. part.* 10. *rec.* Otthob. *dec.*159. *&* 220. & frequenter.

3 Et licet aliqui ex allegatis, præsertim Frider. de Sen. Dur. & Caputaquen. non loquantur explicite de beneplacito Apostolico, sed de solemnitatibus in genere, dicentes, quod transactio requirit easdem solemnitates, quas re-
4 quirit alienatio, attamen hodie idem est dicere solemnitates, ac beneplacitum Apostolicum, quoniam post dictam *Extrav. Ambitiosæ*, solemnitates de jure communi non sufficiunt, etiamsi omnes interveniant, nisi interveniat dictum beneplacitum, ut reprobato Beroo cum aliis habetur supra *dict. disc.* 1. & sæpius dixit Rota, præsertim *dec.* 277. *n.* 4. *& seqq. par.* 4. *rec. tom.* 3.

5 Quamvis autem dicta regula pluries patiatur limitationes, nulla tamen ad rem faciebat. Limitationes etenim sunt, primo generalis in omnibus illis casibus, in quibus est etiam permissa pura alienatio, & in ista non versabamur indubitanter, secundo in concordia inita inter ecclesiasticos super præcedentiis, ac modo procedendi in processionibus, Seraph. *dec.* 36. Rota coram Dunoz. sen. *dec.* 168. & de hac nihil ad rem, tertio si fiat inter duas Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas super decimis & funeralibus, vel juribus parochialibus, per tex. *in cap.* 1. *& fin. de pact. in sexto*, Rot. *dec.*270. *p.*4. *rec. dec.*402. *n.*1. *& seqq. p.* 5. *dec.*161. *n.* 2. *& dec.*218. *n.*3. *p.*7. & ista neque ad casum faciebat, adhuc tamen isto casu requiritur confirmatio Episcopi causa cognita, ut *in d. dec.*270. *p.*4. *& d. disc.*1. Quarto demum ubi bona, vel jura, super quibus fit transactio, remanent penes ipsam Ecclesiam transigentem, dummodo alteri contrahenti non refundat rem alienari prohibitam, ea deduxit per Add. ad Buratt. *dec.*690. *litt. D.* apud Rojas *dec.*364. *n.* 11. *&* 12. cum aliis *d. disc.* 1. & hæc pariter non erat applicabilis, neque in hac versabamur, immo in oppositu, dum fratres possidentes cappellam, illius possessione se privarunt.

Scribentes in contrarium, agnoscentes, quod ex præmissis transactio ex defectu beneplaciti Apostolici non esset sustentabilis, ut effugerent difficultatem, conabantur assumere inspectionem super bono jure Episcopi, verum respondebam id esse extra punctum quæstionis restrictæ ad validitatem, vel invaliditatem transactionis ideoque deducebam idem
6 dilemma, de quo etiam *disc. seq.* Aut scilicet Episcopus volebat uti transactione, atque in ea fundamentum constituere, aut non, si non volebat, sed intendebat regredi ad priora jura, quæ præambula transactionis hota sibi competebant, & id negari non poterat, sed transactio ponenda erat ad partes, perinde ac si non esset in rerum natura, si autem volebat uti transactione, atque ex ea aliquod jus deducere, pernecesse docere debebat de illius validitate, quæ vere non aderat, quoniam (quicquid in hac materia transactionis exteri se involverint) in Curia extra controversiam est hodie, ut exceptis casibus supra recensitis, transactio super bonis, vel juribus Ecclesiæ, veniat sub genere prohibitæ alienationis, atque cadat sub dispositione *Extrav. Ambitiosæ*, juxta allegatas auctoritates *supra disc.* 1. ac in aliis.

7 Hoc autem posito, nil refert, an ille collitigans qui transactioni innititur, bonum jus foveret, adeout transactio dici valeat Ecclesiæ impugnanti potius utilis, quoniam ad validitatem copulative requiruntur solemnitas, & causa, neque una sine altera sufficit, ut sæpius in præcedentibus, ideoque sicut ubi adest solemnitas, & non adest causa, illa nihil prodest, ita e converso, ubi adest causa, sed non adest solemnitas, quoniam ex duobus copulative desideratis, sufficit quod unum deficiat ad actus invaliditatem, & consequenter prætensum bonum jus (quod tamen discussum non fuit) pertinebat solum causam quæ etiam in casu adhibitæ solemnitatis necessaria erat, atque ita credo judicatum pro confirmatione primæ sententiæ, sed est incertum pro consueto stylo Advocatorum, quia causarum curam non habent.

BISINIANEN. TERRATICI
PRO CLERO CASTRI SANCTÆ SOPHIÆ
CUM EPISCOPO.

Casus disputatus coram A C.

De eadem materia transactionis initæ inter personas ecclesiasticas, & inter Episcopum, & subditos super jure incorporali, quod importat servitutem an cadat sub *Extravag. Ambitiosæ*? Et aliqua de possessorio in hac materia.

S U M M A R I U M.

1. *Facti series.*
2. *Quando beneplacitum Apostolicum reservatum præcise debeat intervenire, distinguitur.*
3. *Transactio etiam super juribus incorporalibus, & cum ecclesiasticis est prohibita.*
4. *Nil refert adesse causam, si non adest solemnitas.*
5. *De dilemmate circa usum transactionis.*
6. *Obligatio ecclesiasticorum non colendi extra territorium importat formalem servitutem.*
7. *De ratione ob quam colentes extra territorium tenentur solvere responsionem Domino territorii colendi.*
8. *Impositio servitutis est alienatio prohibita.*
9. Extravag. Ambitiosæ *inficit etiam in possessorio.*
10. *Limitatur ubi sit dubium an dicta* Extrav. *dispositio intret necne.*
11. *Quod laici exigant decimas ob possibilitatem, quod sint temporales.*
12. *Quando Dominus laicus exigat decimas, & responsiones etiam ab ecclesiasticis.*
13. *Declaratur quando sola possibilitas tituli legitimi sufficiat in possessorio.*

D I S C. XVIII.

Cum occupata per Turcas Albania, aliqui ex illis Populis, derelictis patriis sedibus, per mare Adriaticum, vel Jonium, ad Regnum Neapolitanum appulissent, 1
atque in quamplurium Civitatum, vel Oppidorum territoriis, ob eorum amplitudinem capacibus, Castra tanquam per quandam coloniæ speciem construxissent, idque præsertim contigerit in territorio Civitatis Bisinian. in tenuta nuncupata S. Sophiæ, qui ex concessione Regum, vel Principum Bisiniani spectat ad Episcopum ejusdem Civitatis jure temporali tanquam Baronem, atque, sive de jure, sive de facto, usus inoleverit, ut hujusmodi Albanenses dicti loci incolæ, ubi dictæ tenutæ, seu territorii fines egrediendo, aliena territoria colerent, teneantur adhuc solvere quandam pensionem, seu terraticum, vulgo nuncupatum extra territorium, hinc Episcopus, eandem prætensionem habere cœpit contra Ecclesiasticos, qui extra dictum territorium alias terras colerent, exortisque proinde controversiis, eisque delatis ad Sac. Congregationem Immunitatis, non expectata decisione, de anno 1642. sub reservatione beneplaciti Apostolici, deventum est ad transactionem, cui tractu temporis nolentibus acquiescere novis Clericis, & Presbyteris, qui in ea non intervenerant, denuo lis instaurata fuit (forsan ex ejusdem Sacr. Congregationis scripto) coram A. C.

Ex parte autem Episcopi, suspenso petitorio, principaliter instabatur in possessorio retinendæ, quod manutentionis dicimus, ob probatam exactionem a pluribus Ecclesiasticis, fundamentum quoque constituendo in dicta transactione ad possessionem colorandam, atque opponente Clero reo convento de dictæ transactionis invaliditate ex defectu beneplaciti Apostolici, replicabatur ex parte Episcopi cum distinctione in jure vera, & recepta, quod ubi per clausulam, *& non aliter &c.* vel æquipollentem, non constat de expressa, & præcisa intentione partium illud desiderandi pro conditione, reservatio intelligitur, quatenus de jure requiratur, Clarius vero ubi clausula, *quatenus de jure*, adjiciatur, ut ita distinguendo cæteris relatis habetur apud Greg. & Add. *dec.*192. Buratt. & Adden. *decis.* 374. & habetur *sub. tit. de feud. disc.*7. 10. *&* 37. & frequenter alibi, cum sit distinctio hodie receptissima non admittens controversiam, & consequenter dicebant pro eo Scribentes, quod cum Episcopus esset in hac antiqua possessione probata per atte- 2

statio-

stationes, ac etiam per librum Mensæ Episcopalis, qui platea vulgo dicitur, dicta transactio utpote continens potius recognitionem veritatis, & bonæ fidei, quam alienationem, vel novi juris concessionem, alia solemnitate non indigebat.

3 Quatenus igitur pertinet ad hunc punctum validitatis,
vel invaliditatis transactionis, scribens Ego pro Clero, deducebam easdem auctoritates, quæ habentur *disc. proxime praced.* ad probandum, quod quicquid Scribentes variaverint, in Rota, & Curia omnino receptum est pro regula, (limitanda solum in casibus ibi recensitis) ut transactio, sive fiat super bonis, & rebus corporalibus, sive super juribus incorporalibus, & quamvis inter Ecclesiasticos, dicatur species prohibitæ alienationis, atque cadat sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, & propterea, cum ad ipsius Constitutionis limites hodie receptissimum, ac planum sit copulative requiri solemnitatem, & causam, nil refert prætensum
4 bonum jus, quod transactionem utilem, ac alteri parti proficuam reddat, cum exinde resultet solum causa, quæ sola non sufficit, nisi accedat quoque solemnitas, & e converso, ideoque intrat dilemma, de quo eodem *disc. prac.* & quod in præsenti quoque faciebam, quod, aut in transactione fundamentum constituitur, & ex ea aliquod jus, vel
5 actio deduci prætenditur, aut non, si non, adeout ex solis antiquis juribus præambula transactionis bona competentibus veniatur, & de illa non est agendum, perinde ac si non esset in rerum natura, si vero in ea fundamentum aliquod constituitur, atque ex ea aliquod jus deduci prætenditur, & tunc de validitate docere oportet.

6 Absolutum vero esse dicebam, ut illa transactio caderet sub *dict. Extravag.* dispositione, dum per eam, sub sola recompensa cujusdam facultatis pascendi, inducebatur formalis servitus in Clero, & Ecclesiasticis erga Episcopum, consideratum tanquam Baronem, ac Dominum temporalem, ut tanquam coloni glebæ adscripti, eandem glebam deserere non possent, atque deserendo, tenerentur solvere eandem responsionem, ac si colerent, tanquam per speciem illorum damnorum, & interesse, de quibus plures *sub tit. de*
7 *usuris, & interesse*, & sub altero *de cambiis*, debendorum per eum, qui aliquid faciendum in se suscipit, vel promittit, ut non adimplendo, potius ex non facto, quam ex non dato, & tanquam ad interesse mandati suscepti, & non impleti, teneatur ad totum id, quod interest implementum sequutum es-
8 se, ideoque est inductio formalis servitutis colonicæ, seu adscriptitiæ impedientis naturalem libertatem, quam non dubitatus esse formalem prohibitam alienationem venientem sub *d. Extravag.* dispositione, quoties non alicui personæ in particulari, sed toti corpori Ecclesiastico Cleri in perpetuum adjicitur, dum ex insinuatis supra *disc. proxime praced.* ac etiam *disc.* 1. & alibi, non minus in alienatione bonorum corporalium, quam in illa jurium incorporalium, ac in impositione servitutum, alienandi prohibitio procedat, ideoque hic punctus invaliditatis transactionis omnino planus videbatur, quamvis cum Episcopo tanquam Episcopo, & super juribus Ecclesiasticis transactum esset, ut *disc. praced.* ubi de auctoritatibus, multo magis ubi cum eodem tanquam Domino temporali.

9 Quatenus vero pertinet ad possessorium, cum Ego ex parte Cleri rei conventi deducerem veram, ac receptam conclusionem, de qua *d. disc.* 1. cum ibi allegatis, & alibi, quod ob decretum irritans in dicta *Extravag.* contentum, inficiatur etiam possessio, quæ propterea non amitti, vel respective non transferri dicitur, ex ibi allegatis. Scribentes pro Episcopo, non negantes regulam, deducebant limitationem pariter receptam, eodemque *disc.* 1. & alibi insinuatam, ut id procedat quando certum est, quod versemur in
10 casu prohibitæ alienationis, ac propterea extra controversiam intret dictum decretum irritans, quod hujusmodi operationem faciat, secus autem ubi id dubium sit, quoniam pendente discussione, an decretum prædictum intret necne, interim possessor sua possessione privandus non est.

Illum vero dicebant esse casum, quod scilicet cum hujusmodi novus Populus per Episcopum, vel ejus auctorem in hoc territorio receptus esset, ita sub hac lege recipi potuit, colendi prædia, & terras Episcopi, easque non deserendi, quodque in casu desertionis, ad dictam præstationem tanquam damna, & interesse ut supra teneretur, istaque possibilitas in petitorio justificabilis sufficeret.

11 Adquod probandum deducebant ea, quæ, cæteris relatis, habentur firmata per Rotam apud Gregor. *decis.* 404. & in Taurinen. decimarum 23. Junii 1664. coram Bourlemont, ut quamvis laicus sit incapax exigendi decimas spiritua-

tuales.

les, ideoq; ob vehementem juris resistentiam, sola possessio sine justificatione tituli non suffragetur, nisi ea sit immemorabilis, cujus vigore Apostolicum privilegium, vel quicumque alius melior titulus allegari potest, adhuc tamen, si de possessione (præsertim temporis considerabilis) doceat, manutenendus est, ob possibilitatem, quod non essent decimæ spirituales, sed temporales tanquam species pensionis, seu responsionis in recognitionem dominii, sic a pari.

Admittebam Ego hanc theoricam in suis casibus veram, ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de decimis in eadem Taurinen.* Me scribente edita; ac etiam *in Cassanen. decima, eod. tit.* sive etiam *sub tit. miscellaneo de Clericis, eorumque immunitate*, ubi scilicet agatur de solutione oneris realis, quod referri valeat ad dictam causam pensionis, vel responsionis ratione culturæ territorii, cujus ipse Baro esset 12
Dominus in universum, justa eam dominii speciem, de qua habetur plories *sub tit. de Regal.* præsertim *discurs.* 50. & 146. & *sub tit. de servitut. disc.* 35. & 36. & alibi, cum tunc non sit exigere munus laicale ab Ecclesiasticis, sed sit exigere quandam portionem dominicalem ex cultura territorii, cujus Baro habeat directum dominium universale, particulares vero habeant dominium subalternum tanquam per speciem coloniæ, ex deductis locis citatis, & consequenter hæc sola possibilitas sufficere debeat, ut possessor interim in sua possessione sit manutenendus, cum dictus possidendi titulus nullam habeat juris resistentiam, sed potius assistentiam, neque agatur de exactione onerum laicalium ab Ecclesiasticis, sed quod isti volentes colere terras, quæ sunt de alieno dominio, solvant Domino pensionem, vel Dominicalem portionem, in qua Ecclesiastica immunitas nil commune habet.

Negabam tamen, etiam in sensu veritatis, applicationem ad hanc facti speciem, dum non agebatur de aliqua præstatione reali, seu occasionali ob culturam proprii territorii, referibili ad dictum titulum pensionis, seu portionis dominicalis, sed de onere mere personali, & tanquam fructus dictæ servitutis, seu prohibitionis non colendi aliena territoria, unde dicta possibilitas non intrabat.

Et quamvis replicaretur quod adesset possibilitas dictæ conventionis ab initio habitæ in actu recipiendi cum beneplacito etiam Apostolico, attamen ista sola vaga, & generalis possibilitas, quæ saltem non munita sit extrin- 13
secis efficacibus adminiculis, quoties ipse actus de per se ex sui facie resistentiam habet, ad id sufficiens reputanda non est, quoniam ubicumque Dominus, vel Magistratus sæcularis onera laicalia, personalia, vel mixta a Clericis, & Ecclesiasticis per aliquod tempus de facto exigeret, ita sub hac vaga, & generica possibilitate Apostolici indulti, manutentionem prætendere posset, cujus tamen contrarium, passim, ac extra controversiam receptum est, dum per Bullam Cœnæ, quæ singulis annis publicatur, quæcumque possessio inficitur, neque ea possessio, quæ vehementem habet juris resistentiam, absque justificatione, vel saltem vehementi fumo tituli legitimi est manutenibilis, ex collectis apud Posth. *in hoc tract. de manuten. observ.* 44. *num.* 14. *& seq. ubi concordanter.*

VALENTINA CONCORDIÆ PRO PROVINCIA S. JOANNIS BAPTISTÆ, CUM PROVINCIA B. PETRI DE ALCANTARA MINORUM DISCALCEATORUM.

Casus, disputatus in S. Congregatione Episcoporum, & Regularium, incertus est exitus.

De eadem materia transactionis, vel concordiæ cadentis necne sub *Extravagan. Ambitiosæ*, ubi fiat super divisione Conventuum inter Provincias ejusdem Religionis incapacis possidendi bona etiam in communi, an dicta incapacitas operetur exemptionem a dictæ *Extravagan.* dispositione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod transactio sit alienatio prohibita.*
3 *Prohibitio alienationis non procedit in bonis Religionis incapacis retinendi.*
4 *Declaratur quando id procedat.*
5 *Et de alia declaratione.*

6 Quod

6 *Quod domus Religionum incapacium sint de dominio Ecclesiæ universalis.*
7 *Dispositio* Extrav. Ambitiosæ *non procedit in quærendis.*
8 *Quod non acquirere non sit alienare.*
9 *Quod Sacra Congregatio procedat cum regulis prudentialibus.*
10 *An inter matricem, & filialem detur inæqualitas divisionis.*

D I S C. XIX.

1 CUm ob itineris longitudinem, & incommoditatem, nimium difficile, ac incommodum redderetur, ut Minister Provincialis Provinciæ Sancti Joannis Baptistæ Minorum discalceatorum Hispaniæ, integram Provinciam singulis annis peragrare, ac visitare posset, ob institutum id agendi pedester, hinc Alexander. VII. ad preces Regis Catholici, ac ejusdem Provinciæ, de anno 1659. illam divisit in duas, assignando Provinciæ antiquæ, ac Matrici S. Joannis Baptistæ 27. Conventus existentes in Regno Valentiæ, ac etiam in altero Murciæ, alteri autem Provinciæ novæ, seu filiali sub Invocatione B. Petri de Alcantara novem alios Conventus existentes in Regno Granatæ, ac partim in dicto Murciæ, cumque super executione litterarum Apostolicarum controversiæ exortæ essent, quia plerique Religiosi dictam divisionem impugnantes, ad eundem Pontificem recursum petierant, hinc proinde, ut dicta divisio effectum sortiretur, deventum est ad concordiam, per quam nova Provincia filialis dimisit antiquæ unum ex novem Conventibus sibi assignatis, illum scilicet ejusdem Civitatis Murciæ, verum eadem nova Provincia hujusmodi concordiam impugnante, ac se opponente, ne per Apostolicam Sedem approbaretur, introducta fuit causa ex rescripto Papæ in Congregatione Episcoporum, & Regularium, ad effectum consulendi, (juxta stylum) an ea esset confirmanda necne, vel potius, quod ea improbata, servari deberet divisio ad litterarum Apostolicarum præscriptum.

In hac autem disputatione habita in Sac. Congregatione, cum per oppositores fundamentum constitueretur in recepta conclusione, de qua supra *disc. praeced.* & sæpius, ut transactio dicatur species prohibitæ alienationis,
2 ideoque cadat sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, quemvis inter Ecclesiam, vel Ecclesiasticos agatur, & de juribus incorporalibus.

Scribens Ego pro concordiæ validitate, eaque sustinenda non negabam dictam conclusionem utpote hodie receptissimam, & indubitatam, quoties non intret casus limitatus, sed constituebam fundamentum in limitatione cadente non solum in transactione, sed in quacumque
3 etiam vera, & propria alienatione ipsorum bonorum, ubi scilicet agatur de incapacibus retinendi bona, vel jura alias inalienabilia, ex deductis per Querant. *in summa Bullar. verbo alienatio bonorum Ecclesiæ*, *n.* 41. Barbos. *de Episcopo allegat.* 95. *n.* 59. Duard. *de cens.* §. 1. *q.* 22. *n.* 53. cum aliis supra *disc.* 1.

4 Quamvis autem ista conclusio in casu suo vera sit, eamque Advocati more in hac disputatione nimium exaggerare, ac exornare curarem, attamen reflectendo ad veritatem, agnoscebam fallaciam claram esse in applicatione, recte siquidem procedit in alienatione bonorum, vel jurium fructiferorum, quorum retentio mendicitati per Minores professatæ adversatur, unde propterea alienatio, nedum licita, sed connaturalis, ac necessaria est, retentio autem illicita, Istaque est ratio, cui conclusio innititur, cum tam Minores observantes, quam Domus professæ Societatis Jesu, ac similes non profitentes eam strictiorem observantiam, quam profitentur Capuccini, vel illi Observantes, quos Reformatos dicimus, sint quidem incapaces ad retinendum in reddita, ex quo certi de victu reddantur, non autem incapaces ad acquirendum, ut vendant, ac pretium in alimenta, aliaque necessaria convertant, ut in sua materia *sub tit. de Regularib.* ac etiam *sub tit. de legatis*.

5 Id autem non congruit, ubi agatur de dismembratione alicujus Conventus, sive de ejus alienatione, quoniam ista non sunt de illis bonis, vel juribus, quæ ad solum effectum vendendi, non autem retinendi, acquiri possunt, sed sunt bona, vel jura de sui natura perpetua, & inalienabilia, & consequenter absque dubio cadunt sub necessitate beneplaciti Apostolici.

Quinimmo fortius, ista bona Ecclesiarum, vel Religionum incapacium, & quorum alienatio non cadit sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, exigunt voluntatem Papæ, siquidem ut advertitur in dicta sua materia *sub tit. de Regularibus* ex dispositione textus *in cap. exiit, de verborum signif. in sexto, & Clemen. exivi, de Paradiso, eod. tit.* ob omnimodam hujus Religionis incapacitatem habendi dominium, vel possessionem, ipsæ Ecclesiæ, & Domus, seu Conventus perpetuæ 6
conservationis sunt in dominio Ecclesiæ universalis, ac Papæ, igitur multo magis isto casu necessarium est beneplacitum Apostolicum, non tanquam solemnitas, vel habilitativa facultas Ecclesiæ Dominæ, ut ejus bona, vel jura alienare valeat per quandam remotionem obstaculi a sacrorum Canonum, dictæque *Extrav.* dispositione resultantis, sed tanquam pars naturalis, ac substantialis contractus, in quo Papa tanquam Dominus, alienantis, seu contrahentis personam gerere dicitur, ideoque, ut dictum est, conclusio est vera, sed male applicata ad casum, ut adeo frequenter in hac facultate contingit, ubi præsertim cum Consulentium auctoritate procedatur.

Solidum autem, ac probabile videbatur alterum fundamentum constitutum in alia recepta limitatione, de qua *disc. proximè sequen. & disc.* 1. cum ibi deductis, ut dispositio *dict. Extrav.* non procedat, ubi agitur de quærendis, 7
& adhuc Ecclesiæ non incorporatis, quoniam non quærere, non est alienare, neque proprium patrimonium diminuere, quamvis etiam non acquisitio sequatur per viam translativæ cessionis, vel renunciationis, quæ per necessarium antecedens, ex legis fictione supponit agnitionem, vel acquisitionem, quoniam hæc tanquam instantanea, in proposito non attenditur, juxta receptam *dec.* 507. Putei *lib.* 2. cum aliis *disc. seq. ac disc.* 1.

Et hic erat casus, quoniam cum adhuc nova Provincia in esse producta non esset, neque corpus distinctum constitueret, sed res esset in fieri, super unius corporis efformatione, 8
hinc proinde dimittere unum ex Conventibus assignatis, seu destinatis, non fuit alienare id quod habebatur, sed minus quærere, immo utiliter agere, ut plus acquireretur tanquam per medium proficuum, quo mediante resultaret efformatio dicti novi corporis, & acquisitio octo aliorum Conventuum pertinentium ad antiquam Provinciam, quæ ita potius alienationem, ac dismembrationem patiebatur tam pro Conventibus jam erectis, & actualiter possessis, quam pro jure habituali novos fundandi, & erigendi intra fines novæ Provinciæ assignatos, & consequenter termini alienationis, sive *Extrav. Ambitiosæ*, extranei remanebant a casu, quamvis Scribentes super transactionis impugnatione pene volumina desuper conficerent quasi per speciem transactionis hujus materiæ alienationis bonorum Ecclesiæ juxta frequentiorem superfluum stylum, qui hodie adeo irrepsit.

Quæstionis enim via reducebatur potius ad regulas prudentiales, quæ potissimum in hac Congregatione Episco- 9
porum, & Regularium digne, ac rationabiliter attendi solent, an scilicet congruum esset illum Conventum dimittere antiquæ Provinciæ, contra assignationem, seu destinationem jam factam necne.

Si etenim potest Ecclesia non acquirere per renunciationem abstentivam, per quam tollendo se de medio, locum aperiat alteri, ut acquirat, quinimmo, ut supra, etiam per instantaneam acquisitionem, ac dimissionem in alterum, ejus jure transferre, multo magis, & absque principio dubitandi, ubi non acquisitio, seu abstentio non causet translationem, vel novam acquisitionem in altero, sed continuationem in priori Domino, ut minus amittat, minoremque scissuram, seu dismembrationem patiatur.

Insistebant quoque nimium Scribentes pro nova Provincia super magna inæqualitate divisionis alias resultante, ut ex 36. Conventibus una haberet 28. & altera 8. tantum, replendo inaniter chartas cum iis, quæ super divisionis æqua- 10
litate deducta habentur *Novarien. divisionis parochialium* sub *tit. de parochis*, *disc.* 33. & in primis *decisionibus* in ea causa editis, ibique recensitis, verum hoc pariter continebat æquivocum clarum, ac improbum laborem extra propositum, quoniam id procederet, quando fuissent ab initio duæ diversæ Provinciæ, quodam sociativo, seu communionis comquali jure simul unitæ, ad quarum divisionem deinde deveniretur, secus autem ubi ab una ex justa causa fiat dismembratio, ut nova filialis erigetur juxta distinctionem, de qua *d. disc.* 33. *de parochis*, ac juxta ea, quæ ad materiam *Extravag. Salvator* habentur *in Burgen. erectionis*, sub *tit. de praem. disc.* 6. in proposito erectionis novæ Cathedralis, ac Diœcesis mediante dismembratione alterius Diœcesis ob ejus amplitudinem, prorsus enim ineptum esset dicere, ut Ecclesia noviter erecta, æqualitatem cum antiqua, & Matrice

trite prætendere deberet, unde in dies edocemur, quam insipidus, ac damnabilis sit modernorum Juristarum abusus, chartas inaniter teplendi cum conclusionibus, & auctoritatibus omnino extraneis a puncto quæstionis, illum non tangendo, & tamen frequenter leguleicum vulgus ad id principaliter respicere solet, non curando reflectere, an ea, quæ dicuntur, faciant ad casum necne, quo nil absurdius, nihilque ineptius.

THEATINA HÆREDITATIS
INTER MONASTERIUM MONIALIUM SANCTÆ CLARÆ
ET PP. SCHOLARUM PIARUM.

Responsum pro veritate ad petitionem Archiepiscopi.

De materia renunciationis juris quærendi, seu repudiationis hæreditatis, vel alterius juris delati, an fieri possit per Prælatum, & quomodo, & an intret prohibitio *Extravagan. Ambitiosæ?* &c.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Prælatus potest repudiare hæreditatem delatam.*
3 *Abbas, vel Prior sine Conventu, seu Capitulo non præjudicat Monasterio.*
4 *Potest etiam Prælatus repudiare hæreditatem nulliter aditam.*
5 *Monasterium succedit directe, & immediate in successione delata Monacho, & de contraria opinione Legistarum.*

D I S C. XX.

1 SUper libera hæreditate Francisci Antonii, & fideicommissaria Alexandri patris, qui substituerat Domum, seu Conventum Scholarum piarum, plures exortæ fuerunt controversiæ inter dictum Conventum, & Monasterium Sanct. Claræ Civitatis Theatin. ex persona Eleonoræ sororis, ac filiæ respective, ibi professæ, tam super renunciatione per eam facta ante professionem, quam super fœminarum comprehensione sub fideicommisso, stante quod fœminæ positæ erant in conditione, quatenus carnaliter nuberent, ac etiam super quadam repudiatione facta per dictam Eleonoram alias Mariam Antoniam utrique hæreditati, hinc circa professionis initia desuper pro veritate consultus fui ex parte Archiepiscopi, ut citra læsionem Monasterii tractatam concordiam concludere posset, incertum tamen est, quid inde sequutum sit; cumque tam ex parte dicti Conventus, quam aliquorum conjunctorum de dictis hæreditatibus quoque contendentium, magnum fundamentum constitui videretur in dicta repudiatione facta per Monialem cum præsentia, & consensu Abbatissæ, ideoque major instantia esset super hoc puncto, in quo potissimum insistebatur, respondi laudando concordiam, ob difficultates ex aliis punctis resultantes, quatenus vero ad istam pertinet, dixi eam omnino contemptibilem videri, atque in nulla ratione habendam esse.

2 Quamvis enim magis communis, & recepta sit opinio, ut Ecclesiæ Prælatus, vel administrator absque solemnitatibus per sacros Canones, vel *Extravag. Ambitiosæ* requisitis in alienatione bonorum Ecclesiæ, possit repudiare hæreditatem delatam adhuc non aditam, quoniam non est alienare, sed non acquirere, juxta *cons.* 9. Friderici. de Senis, Roman. *cons.*184. ubi in puncto de renunciatione fa-
4 cta per Abbatissam, Lap. *alleg.* 25. cum aliis relatis per Gratian. *discept.*568. *n.*51. *& seq. & pluries* Rota *in decisionibus* relatis per Adden. ad Buratt. *dec.*773. *dec.*313.*p.*12.*rec. n.* 4. *& supra disc.* 1. inter limitationes datas ad dispositionem dictæ *Extravag. Ambitiosæ.*

3 Attamen ultra plures declarationes, quas ista conclusio patitur, ita intelligenda venit cum terminis habilibus, ut scilicet actus sequatur eo modo, quo quilibet alter contractus indifferens, ac licitus sequi debet, non per solum Abbatem, vel Prælatum sine consensu Conventus, seu Capituli, cum in gravibus, ac præjudicialibus, solus Abbas absque Conventu, vel Capitulo nihil facere valeat, Calder. *cons.* 5. *n.* 1. *de confess.* Seraph. *dec.* 1278. *n.*3. *dec.* 480. *n.*4. *p.* 1. *rec. d.*203. *n.* 10. *p.*7. cum concordantibus collectis per Adden. *ad dec.* 14. *p.* 3. *rec. n.*38. & in sua materia *sub tit. de Regularib.* ac etiam *sub tit. de credito*, occasione agendi, an & quando mutuum factum Abbati, vel Priori obliget Monasterium, atque cum hoc præsupposito procedunt Lap. *d. alleg.* 25. & Rom. *d. cons.* 184. & alii, ut scilicet repudiatio hæreditatis, vel alterius juris delati facta sit, non per solam Abbatissam, sed etiam capitulariter per totum Monasterium, & cum hoc præsupposito procedunt in dicta *dec.* 313. *p.* 12. *rec.* in qua, Me scribente, edita, fortius firmatur, ut non solum liceat 4
repudiare hæreditatem delatam, nunquam aditam, sed etiam eam, quæ agnita fuisset, sed nulliter, sive sub diverso præsupposito, quod deinde erroneum, seu minus verum detectum sit, puta quia esset hæreditas ab intestato, quæ ita sine legatorum oneribus locuples remaneret, postmodum vero detectum esset testamentum, quamvis in eo institutus esset idem intestatus successor, ita per legata, & substitutiones oneratus. Sive quod ex eodem non erroneo titulo testati, vel intestati, inconsulto, ac sine debitis solemnitatibus, & requisitis facta esset aditio hæreditatis, quam detectam debitis, ac litibus oneratam, vel intricatam, Monasterio non expediret habere, sed potius alteri cedere, qualis erat casus *in d. dec.* 313. *p.* 12. cum paria sint nullum, & nihil, quodque, vel nullatenus, vel male aditio facta sit, cum ad effectum, ut intret alienandi prohibitio, requiratur perfecta, & valida acquisitio, & incorporatio bonorum.

Omnino autem contemnendam esse dixi repudiationem 5
factam ab ipsa Moniali, quoniam juxta opinionem Canonistarum in Curia Romana passim receptam, adeout hodie non admittat amplius controversiam, Monasterium in bonis, ac juribus monacho delatis, directe, ac immediate succedit jure suo independenter a persona ipsius Monaci, seu Religiosi, cujus contrarium volunt Legistæ, ex plene deductis pro utraque sententia per Rovit. *dec.*44. a Ponte *cons.* 39. *&* 40. Cavaler. *dec.* 346. *n.* 1. Buratt. & adden. *dec.* 394. & Rota frequenter, ut pluries in sua materia *sub tit. de success.* & sub altero *de renunc.* ac etiam insinuatur *sub d. tit. de Regal.* ideoque infectio actus in hac facti specie non proveniebat a dispositione *Extravag. Ambit.* ex eo quod ageretur de prohibita alienatione, sed a defectu potestatis personæ, quamvis de simplici contractu indifferenti ageretur, qui sub dictæ *Extrav.* dispositione, vel prohibitione non caderet.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI
PRO JOSEPHO DE NIGRIS
CUM MONASTERIO S. PROCULI.

Casus disputatus in Rota sub incerto exitu.

An compromissum factum per Ecclesiam cadat sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, ac importare dicatur prohibitam alienationem, adeout requirantur solemnitas, & causa necne?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Ubi alienatio est nulla, competit Ecclesiæ etiam interdictum possessorium retinendæ.*
3 *Compromissum est species prohibitæ alienationis, & cadit sub* Extravaganti Ambitiosæ, *in bonis Ecclesiæ.*
4 *Quid in feudis remissive.*
5 *Procedit ubi fiat super bonis, vel juribus alienari prohibitis.*
6 *Item in compromisso voluntario, secus autem necessario.*
7 *Vel in alio facto ex voluntate, seu precepto testatoris.*
8 *De eodem, & an debeat esse preceptum positivum, vel sufficiat simplex voluntas?*

D I S C. XXI.

AUgustinus de Nigris possessor bonorum stabilium, quæ 1
sciebat restitutioni obnoxia in vim fideicommissi ad favorem Josephi fratris, hæredem instituit Monasterium S. Proculi, injungendo, ut ad restitutionem procedi non deberet, nisi prævia sententia Judicis competentis, vel laudo alicujus Arbitri liquidarentur, ac satisfierent aliquæ detractiones, quas sibi competere prætendebat, unde sequuta ejus morte, initum fuit compromissum, editoque laudo, in ejus executionem bona dicto Josepho restituta fuerunt; postmodum vero prætendens Monasterium se esse gravatum, obtinuit in partibus in prima instantia manuteneri in possessione dictorum bonorum, dictaque manutentione revocata per Judicem appellationis in eadem Civitate, devoluta

cau-

causa ad A. C. hic adhærendo Judici primæ instantiæ, manutentionem Monasterio concessit, unde commissa fuit per Signaturam causa in Rota coram Verospio, cum facultate manutenendi quem de jure, ad cujus rescripti normam dato dubio, an, & cui dandum esset mandatum de manutenendo, eoque disputato *sub die 23. Jun.* 1656. incertum est, quid resolutum fuerit, credo tamen, quod mandatum esset videri de bono jure, ut frequent moderna praxis docet, quodque postmodum concordia causæ finem dederit, cum amplius de illa actum non audierim, nisi Defensores mutaverit, ut sæpe contingit.

2 In disputationibus autem habitis primo in Signatura, & deinde in Rota, inter plura fundamenta, quæ ea parte dicti Monasterii deducebantur ad probandam dimissionis bonorum nullitatem, qua posita, de consequenti resultabat, ut ratione civilis possessionis, ita non amissæ, exercibile esset hodie magis practicatum interdictum retinendæ, juxta ea, quæ habentur *disc.* 1. *& alibi*.

3 Erat illud nullitatis dicti compromissi ob defectum beneplaciti Apostolici, dum ex magis communi, & recepto sensu DD. illud reputatur inter prohibitas alienationes cedentes sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, eodem modo, quo transactio, cujus speciem ipsum compromissum, vel acceptatio laudi habere dicitur, Zabarel. *cons.* 95. *num.* 6. Rom. *cons.* 175. *num.* 3. cum concordantibus per Blanch. *de compromiss. p.* 1. *q.* 2. *n.* 8. *&* 9. *& cap.* 36. *n.* 2. & per tot. Bellet. *disquisit. clerical. p.* 1. *de Clerico debitore*, §. 6. *n.* 1. Rot. *in Papien. manutentionis* 13. *Martii* 1654. coram Peuringero *dec.* 480. *num.* 4. *p.* 1. *rec. & sæpius*, & habetur deductum *sub tit. de jurisdictione in Asloricen. disc.* 7. ac in decisionibus in ea causa editis coram Cerro, & aliis ibidem enunciatis.

4 Non negabam Ego Scribens pro Josepho veritatem dictæ conclusionis, de qua in aliis terminis alienationis bonorum feudalium, ex rationis identitate habetur actum *sub tit. de feud. disc.* 49. Dicebam tamen, in hac facti specie duplicem cadere limitationem, primo scilicet, quod cum hæc sit alienatio ficta, vel indirecta, majorem prohibitionem habere non potest, quam vera, & directa meræ, & voluntariæ venditionis, ideoque intelligenda est de
5 compromisso inito super bonis stabilibus, seu alias alienari prohibitis, non autem super iis, in quibus dicta prohibitio non cadat, ut patet ex eisdem supra allegatis, & passim, cum alias nulla cadat ratio dubitandi.

6 Et hic erat casus, quoniam non dubitabatur, an bona spectarent ad fideicommissum, ideoque restituenda essent, neque Monasterium dicto jure hæreditario aliquod jus dominii habebat, sed solum habebat jus detractionum potius accidentalium ratione æris alieni soluti, ac melioramentorum, quam legalium importantium quotam in dominio, ideoque hujusmodi detractionum jus importabat purum creditum pecuniarium, non cadens sub dictæ *Extrav.* dispositione juxta ea, quæ habentur supra *disc.* 1. ubi de pluribus distinctionibus, quando pecunia, seu nomina debitorum sub hac prohibitione cadant.

7 Et secundo, ut id procederet in compromisso mere voluntario, non autem in necessario, quod ex Statuto Ecclesiæ obligatorio, vel ex judicio testatoris facere oporteat, ut est sensus omnium supra deductorum super regula, & non negabant Scribentes in contrarium, replicantes solum id intelligendum esse ubi accederet præceptum positivum, secus autem ubi deduceretur per argumentum, ut in præsenti, quod testatur non præceperat, ut compromissum fieri deberet, sed solum præsupposuerat, disponendo quod bona restitui non deberent, nisi prius per Judicia, vel Arbitri sententiam dictæ detractiones fierent.

8 Verum in sensu etiam veritatis, credebam hanc responsionem non subsistere, quoniam cum verum sit ex supra deductis *disc.* 1. ipsammet expressam, ac directam alienationem licitam reddi posse ex voluntate ejus, a quo in Ecclesiam bona obveniunt, ex deductis supra *d. disc.* 1. ex ea clara ratione, quod ita agitur de bonis cum tali lege quæsitis, adeout dicatur qualitas ipsis bonis impressa, priusquam Ecclesiæ acquirerentur, & consequenter non requiritur ea præcisa necessitas, quæ resultet a præcepto coactivo, sed sufficit, ut constet de voluntate, quæ ita clara remanebat, quamvis opus non esset ex professo hujusmodi limitationem disputare, dum ex alia, ut supra, magis de plano difficultas cessabat, ideoque Scribentes pro dicto Monasterio magis insistebant in quibusdam aliis dicti laudi nullitatibus in facto potius consistentibus, super quo partes erant causæ Patroni de illis agere, dum Advocati in Curia, ex nimium commendabili stylo tanquam J. C. de jure tantum respondentes, in his non se ingerunt.

ROMANA CAPPELLÆ PRO JOSEPHO COSTA CUM PROCURATORE FISCALI VISITATIONIS, ET ALIIS OPPOSITORIBUS.

Casus disputatus in Sac. Congregatione Visitationis Apostolicæ, & resolutus pro Josepho.

An concessio, quæ fiat in Ecclesia alicui privato pro constructione Cappellæ, vel sepulturæ importet necne prohibitam alienationem cadentem sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De duplici persona, quæ concurrit in Papa tanquam Papa, & tanquam Episcopo Urbis.*
3 *Quod de consuetudine Capitulum administret sine licentia Episcopi Ecclesiam.*
4 *Ad effectum Cappellæ, vel sepulturæ in Ecclesia, sufficit sola patientia Episcopi, vel Prælati, & de ratione.*
5 *Concessio situs pro sepultura, vel Cappella an fieri possit pro recompensa temporali, & an importet alienationem.*
6 *Quale jus, vel dominium acquiratur construenti Cappellam, vel sepulturam.*
7 *De alio casu, & quod concessio Cappellæ non importet alienationem prohibitam.*

D I S C. XXII.

Juxta seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de jurepatronatus disc.* 53. occasione agendi de jurepatronatus 1
competentia, cum Capitulum Basilicæ Lateranensis quendam situm concessisset Cardinali Sanctorio (S. Severinæ nuncupato) occasione visitationis Apostolicæ ejusdem Basilicæ, excitata fuit difficultas ex parte Promotoris fiscalis de invaliditate dictæ concessionis, tum ob defectum beneplaciti Apostolici in ratione solemnitatis requisitæ in alienationibus bonorum Ecclesiæ ad præscriptum *Extravag. Ambitiosæ*, tum etiam ex altero defectu resultante a ratione deficientis consensus ejusdem Papæ, ad quem tanquam Urbis Episcopum, contradistinctum a persona Papæ, spectabat hujusmodi concessionem facere in d. Ecclesia tanquam ejus Cathedrali, juxta eam personarum distinctionem in Papa militantem, de qua habetur præsertim *sub tit. de præem. disc.* 1. *& sub tit. de Regalibus*, occa- 2
sione agendi de puncto firmato per Rotam *in Romana hæreditatis* 28. *Aprilis* 1659. cor. Meltio impress. *post collectaneas Bendeni dec.* 62. ut consensus a Papa per organum Vicesgerentis præstitus super erectione novi Monasterii in Urbe, vel districtu, non importet derogationem Constitutionibus, ab eodem tanquam Papa concedendam.

Quatenus pertinet ad hoc secundum objectum, non ne- 3
gabam Ego scribens pro Josepho veritatem assumpti in puncto juris, quatenus non assisteret diversa consuetudo, ut ad solius Capituli administrationem ex Papæ explicita, vel implicitis concessionibus hujusmodi concessiones fierent, ac ulterius dirimebatur quæstio ex facto ob quandam Apostolicam concessionem, vel approbationem, quæ etiam præsumpta allegari poterat ob lapsum longissimi temporis cum observantia junctum, ideoque objectum remanebat nimia facilis solutionis.

Et tamen ad effectum acquirendi jus sepulturæ, vel 4
Cappellæ in Ecclesia, sufficit sola Episcopi patientia deducta ex eo, quod Cappellæ, & sepulturæ existunt in loco patenti, unde Episcopus ignorantiam allegare non potest, ac propterea non dissensus æquipollet consensui certam formam non habenti, ideoque opus non est, ut de illo expresse constet, ut bene advertitur per Rotam *dec.* 222. *n.* 6. *par.* 1. *divers.* Genuen. *in praxi Archiep. cap.* 41. *n.* 17. talisque est praxis communis.

Quo vero ad aliud objectum, dicebam (etiam in sensu 5
veritatis) non cadere terminos prohibitæ alienationis bonorum Ecclesiæ, cum difficultas in hujusmodi concessionibus situs pro Cappella construenda, vel sepultura, percutiat solum materiam simoniæ, receptaque distinctio sit, an id, quod solvitur, sit pro jure spirituali, vel potius pro cæmentis aliisque materialitatibus, juxta ea, quæ habentur apud Genuen. *in praxi, dict. cap.* 41. *num.* 26. Barbos.

in

in collect. ad c. abolendæ, de sepult. & de jur. Eccles. lib. 2. c. 10. de sepult. n. 16. & seqq. Lotter. *de benef. lib. 2. q. 4. n. 10. & seqq.* Rot. *dict. decis. 222. p. 1. diversf.* Add. ad Gregor. *decis. 145. n. fin.*

6 Ratio est clara, quoniam construentes Cappellas, & sepulturas in Ecclesia non dicuntur habere verum dominium quod abdicetur ab ipsa Ecclesia concedente, ac transferatur in eum, cui fit concessio, unde propterea dicatur sequi actus formalis alienationis, cum istud dicatur quoddam dominium usuale, sonans in speciem cujusdam jurispatronatus honorifici, ac laudabilis usus privativi sepulturæ, dominio remanente penes ipsam Ecclesiam, ut apud Genuen. & Lotter. *ubi supra, & in dict. dec. 222. p. 1. divers.* talisque est communis recepta praxis, atque ita pro possessore Cappellæ judicatum fuit.

7 Ideoque in facti contingentia, cum in quadam conspicua Ecclesia Regulari adesset Cappella jam ornari cœpta, remanens in statu imperfecto, ob subsequutam mortem, ac deficientiam bonorum ejus, qui construere incœperat, alter vero petiisset illius concessionem ad effectum eam perficiendi, exorta fuit difficultas apud ipsos Regulares moralis Theologiæ particulares Professores, an ista concessio redoleret prohibitam alienationem, stante quod non ageretur solum de concessione situs, sed etiam plurium ornamentorum, & cæmentorum notabilis valoris, quæ in opere quamvis imperfecto aderant, quasi quod istorum respectu obstaret prohibitio alienationis, quare desuper consultus per eosdem Religiosos censui difficultatem non intrare, ex eadem insinuata ratione, quod tam Cappellæ, quam cæmentorum, & ornamentorum dominium verum, ac proprium non abdicatur ab ipsa Ecclesia, neque transferebatur in eum, cui fiebat concessio, sed solum id importabat dominium improprium usuale per quandam speciem jurispatronatus honorifici, expediebat autem concessionem facere pro ejusdem Ecclesiæ ornatu, ac meliori cultu, ut ita opus imperfectum ad perfectionem, ac meliorem cultum reduceretur, ideoque non agebatur de alienando, & perdendo, sed potius de acquirendo, ita alliciendo privatos ad erogandum eorum bona in Cappellarum constructiona, ornatu, ac etiam dotatione pro celebratione missarum, aliorumque divinorum, quod in ipsorum Religiosorum utilitatem, ac divini cultus augmentum redundat.

BONONIEN. CENSUUM PRO COMMUNITATE OPPIDI, SEU CASTRI S. AGATHÆ CUM COMITIBUS DE CAPRARIA.

Casus varie decisus per Rotam.

De alienatione bonorum Civitatis, sive Communitatis, quas exigat solemnitates, vel requisita, ut valida dicatur, & in specie de validitate impositionis census, & de causa, quæ cum solemnitatibus requiritur.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De distinctione dominiorum in Communitate.*
4 *Eorundem bonorum dominium diversis respectibus potest esse penes plures.*
5 *Potest esse feudum unius, & fructus penes alios.*
6 *De probatione dominii in antiquis.*
7 *Dominus proprietatis absque fructibus, an possit imponere censum?*
8 *De requisitis, & solemnitatibus in alienationibus bonorum Communitatis.*
9 *Impositio census dicitur alienatio prohibita.*
10 *Quod in alienatione bonorum Communitatis requiratur consensus totius Populi in Consilio generali.*
11 *Contrarium, ut sufficiat ille Consilii ordinarii.*
12 *De ratione, ob quam non convocatur totus Populus, sed sufficit Consilium.*
13 *Ad constituendum corpus universale debent intervenire saltim duæ partes ex tribus.*
14 *De eadem conclusione, ejusque declaratione.*
15 *Quod absentes debeant convocari, & de ratione.*
16 *Quod in actibus voluntariis omnes consentire debeant.*
17 *De ratione conclusionis; de qua num. 11. & 12.*
18 *Defectus Consilii percutit substantiam non solemnitatem tantum.*
19 *Communitas habetur jure pupilli, & de ratione.*
20 *Quando id cesset.*
21 *Quod majores solemnitates requirantur in alienationibus per Communitates.*
22 *De majori moderna solemnitate assensus Principis.*
23 *Nil refert adhiberi solemnitates, nisi etiam concurrat justa causa, & de ratione.*
24 *Ex quibus constet de læsione.*
25 *Quod ad metiendam justam causam attendatur tempus contractus, non quid postea sequutum sit.*
26 *Quomodo Consulentium auctoritati sit deferendum.*
27 *De differentia inter casum, in quo prohibitus alienat, vel acquirit habita fide de pretio.*
28 *Quod magis expediat vendere bona, quam contrahere debitum fructiferum.*

DISC. XXIII.

Cum Communitas Oppidi, seu Castri Sanctæ Aga- 1
thæ (juxta fere communem usum) per duplicem regeretur Magistratum, unum scilicet in minori numero, actualem administrationem rerum currentium habentem, cum mutatione personarum intra breve tempus, & alterum majorem, sub Consilii nomine explicari solitum constitutum ex 24. Consiliariis, universum Populum in gravioribus negotiis repræsentantem, juxta eam hujusmodi Consiliorum, vel Magistratuum distinctionem, de qua habetur *sub tit. de præeminentiis disc. 30. & 31.* Novem, vel decem ex hujusmodi Consiliariis (prævia licentia Regiminis, seu cujusdam Magistratus Civitatis Bononiæ) præfatæ Communitatis nomine, ad effectum emendi duo prædia, aliis ipsius Communitatis bonis cohærentia, plures census imposuerunt in sorte librarum 56500. Cumque emptionem prædictam damnosam, ac præjudicialem praxis docuisset, hinc eadem Communitas, dictos census tanquam male impositos impugnare cœpit, ac fructuum solutionem denegare, quare Comites de Capraria, qui jure cesso, eos possidebant, post distractionem eorundem prædiorum pro longe minori pretio, pro residuo sortis, & fructuum, super ejusdem Communitatis antiquis bonis, tanquam fundis censitis, associationis judicium coram A. C. instituerunt, cum subsequuto effectu, introductaque causa in Rota coram Albergato *sub die 7. Junii 1660.* census prædictos sustineri,
ad effectum comprobandi dictam associationem jam obten- 2
tam, responsum fuit, sed reproposita causa coram eodem *sub die 11. Maji 1663.* recedendo a decisis, invaliditas firmata fuit, idemque in alia disputatione confirmatum *sub die 6. Junii 1664.* ad quarum decisionum normam emanata sententia super invaliditate, & commissa causa appellationis in eadem Rota coram Otalora, creditores (suspenso petitorio) assumpserunt judicium possessorii super manutentione, cumque proposito dubio, rescriptum esset, juxta frequentem stylum, ut videretur de bono jure *sub die 2. Aprilis 1666.* pro dictis creditoribus, ac censuum validitate, redeundo ad primam, ac recedendo a secunda, & tertia resolutionibus prædictis, responsum fuit, concessaque adversus hanc resolutionem audientia, & reproposita causa coram Calaraju subrogato *sub die 12. Junii 1671.* responsum fuit pro confirmatione ultimæ decisionis, juxta modum exprimendum, qui ut supponitur est, ut census non afficiant infrascriptos participantes in fructu, seu fruitione eis debita, sed Communitatem.

In his autem disputationibus, duo erant puncti, unus facti, an dicta bona, super quibus census impositi fuerant, spectarent pleno jure ad Communitatem, adeout (præsuppositis solemnitatibus) adesset potestas aggravandi, vel potius essent in dominio Communitatis, sed in usufructu, seu fruitione spectarent præcipuo jure ad quasdam antiquas familias in numero 170. circiter, quibus in facto supponebatur hæc bona inculta elargita fuisse per Comitissam Mathildam, atque eas proprio labore, ac sumptu ad culturam hodiernumque statum redacta esse, & secundo, quatenus essent totius Communitatis, ac Populi constituti ex familiis 400. circiter, an verificarentur requisita, quæ de jure necessaria sunt in alienatione bonorum ad Civitatem, seu Communitatem pertinentium, juxta terminos text. *in l. fin. C. de vendend. rebus Civit. lib. 11.*

Prima inspectio, facti potius quam juris erat, an scilicet dicta particularis pertinentia aliquarum familiarum, privative ad reliquas, totamque Communitatem probaretur necne, super quo dicta quarta decisio coram Otalora,

ni-

nimium se diffundit, expendendo dicta testium, ac aliqua documenta hinc inde deducta, & an hæc assent in forma probanti necne.

Cumque ad effectum excludendi dominium privatum familiarum, atque firmandi illud spectare ad totam Communitatem, magnum fundamentum consumeretur in aliquibus enunciativis, aliisque actibus denotantibus pertinentiam ad Communitatem in genere, hinc scribens Ego pro censuum invaliditate, ad favorem dictarum familiarum, ac etiam totius Communitatis, ad probandum, quod dictæ enunciativæ compatibiles erant cum probationibus dictæ privatæ pertinentiæ, advertebam ad distinctionem alibi pluries enunciatam circa Universitatum, seu Communitatum bona, præsertim *sub tit. de servitutib. ad materiam juris pascendi disc. 35. & alibi pluries.*

3 Triplex etenim dominium in Communitatibus considerarur, unum est illud, quod dicitur protectionis, seu auctoritatis, sine aliquo effectu exemplificari solitum in iis, quæ vere sunt nullius, vel quoad usum sunt omnium, absque distinctione personarum, ut sunt plateæ, & viæ publicæ, theatra, & similia, alterum vero dicitur dominium magis restrictum, in solo tamen nomine, vel honore, sed pariter sine utilitate, quæ est omnium civium, & incolarum in universum, ut sunt montes, & forestæ, aliaque territoria campestria, quæ alias communalia dici solent, publico pascendi, aquandi, & lignandi usu destinata, & tertium dicitur dominium privatum, ac plenum, tam in proprietate, quam in fructu, qui privative ad singulos cives, & incolas pertinet ad bursam, seu arcam ipsius Communitatis, pro ejus indigentiis, & usibus.

Quamvis enim, id etiam tendat in utilitatem singulorum civium, & incolarum, qui alias si Communitas illa bona non haberet, tenerentur cum collectis supplere pro illis publicis usibus, & oneribus, quibus consulitur cum talibus bonis, ut *dicto tit. de servit.* ad materiam juris pascendi pluries advertitur, ac etiam *sub tit. de Regalib.* ad materiam vectigalium, & collectarum, attamen dicuntur bona propria, & particularia Communitatis contradistincta ab aliis bonis, quæ sunt omnibus communia, itaut Communitas in eis jure privati censeatur, Aretin. *in §. universitatis, instit. de rerum divis.* & cæteri bene apud Menoch. 943. *n. 60. & 61.* Capoblanc. *de Baron. prag. 11. n. 15. & 19. & cum aliis, dicto disc. 35. & pluries d. tit. de servitutibus.*

Qua distinctione sic posita, dicebam recte simul stare posse, ut hujusmodi bonorum habituale dominium sit penes ipsam Communitatem in universum, eorum vero utilitas, sive commoditas, & fruitio, vel jure dictæ antiquæ concessionis, vel ratione reductionis proprio labore, & sumptu ad culturam, spectarent ad dictas particulares familias, absque participatione aliarum, quæ successivis temporibus domicilium in eodem loco contraxerint, quodque propte-
4 rea bene poterint, absque aliqua contradictione enunciari bona Communitatis ratione protectionis, ac etiam dominii habitualis, quoniam non implicat, ut eorundem bonorum dominium pro respectuum diversitate sit penes plures eodem tempore, dum aliud sunt ipsa bona in genere, aliud vero sunt eorundem bonorum fructus, redditus, & emolumenta, quæ bene contradistinguuntur, juxta ea,
5 quæ, cæteris relatis, desuper deducta habentur in Tyburtina Castrorum *sub tit. de feudis disc. 62.* ubi quod possunt simul stare, ut Castrum sit in dominio unius, atque in alterius dominio sint ejusdem Castri fructus, redditus, ac emolumenta, ex ibi deductis, & habetur *sub tit. de donationib. & sub tit. de testam.* ac altero *de regular.* in eo habituali dominio, quod est penes Monasterium, vel Religionem illorum bonorum, qui relinquuntur, vel donantur Religioso sub expressa lege, ut Monasterio non acquirantur, cum similibus.

6 Hinc proinde punctus erat super dictæ particularis pertinentiæ, seu fruitionis sufficienti probatione, super qua, quoad ea, quæ juris sunt certa, & determinata regula generalis tradi non potest, cum hæc probationum materia dicatur Judici arbitraria, ex facti circumstantiis regulanda, juxta celebrem tex. *in l. 3. ff. de probat. cum concordan.* Omnes etenim hinc inde Scribentes deducebantur easdem juris regulas, seu propositiones generales super dominii probatione, ut præsertim in antiquis adminiculativa, & imperfecta sufficeret, quodque procedendum sit cum regula, ut *singula, quæ non prosunt, unita juvant*, ut advertitur apud Cavaler. *decis. 93. & 201. & frequenter*, sed quoniam colluctabantur probationes, & adminicula hincinde, idcirco in Judicis arbitrio repositum est ponderare quænam prævaleant, atque ad hunc effectum Ego dicebam, satis reflectendum esse ad prædictam conciliativam distinctionem, ut ita tolleretur difficultas, quæ adversus hujus partis probationes resultabat ob ea, quæ ponderabantur in contrarium.

Isto autem conciliativo intellectu ita posito, advertebam opus non esse assumere alteram quæstionem super validitate, vel invaliditate alienationis census ratione solemnitatum, quæ in Communitatum bonis distrahendis requiruntur, quoniam ubi etiam omnes solemnitates adhibitæ fuissent, quinimmo & de versione in utilitatem bene constaret, adhuc tamen nil referre videbatur ad effectum quæstionis, ne scilicet in præjudicium dictarum familiarum in contractu non intervenientium, suumque non præbentium consensum, dicta bona subjugari potuerint, adeout ad ea eorumque fructus actio competeret, vel quod imponeretur census, cujus contractus pro necessario requisito exigit, ut imponatur super fundo capaci, & fructifero, cujus plena dispositio pertineat ad impositorem, vel quod id sequatur de consensu ejus, ad quem pertinet, sola vero proprietas
non sufficiat, ut quicquid parum fundare dicat Cenc. *de cens.* 7
q. 14. n. 15. cum quo pertransit Durad. *eod. tract.* quandam Cencii transcriptionem continente, cæteris relatis plene, ac fundate probat Leotard. *de usuris q. 53. n. 4. cum seqq.* quem loco omnium in proposito allegare sufficit.

Verum ubi posito dominio bonorum penes totam Communitatem, de alio puncto, seu inspectione agendum esset, super solemnitatibus, aliisque requisitis necessariis, adhuc probabilius videbatur, ea non adesse, quæ plene recensen-
tar apud Cenc. *de cens. q. 23. n. 11. cum seq.* & per Rot. 8
dec. 292. n. 1. cum seq. & dec. 447. n. 1. cum seqq. p. 5. rec. & per Cohell. *ad Bullam Boni Regiminis, cap. 32. n. 8. cum seqq.* ubi multa requisita enumerat.

Nullaque dubitatio hodie amplius cadit, quæ apud an- 9
tiquiores vigebat, ut impositio census dicatur vera, & formalis alienatio cadens sub legibus, & dispositionibus bonorum stabilium alienationem prohibentibus, ex iis, quæ in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ habentur pluries in præcedentibus, præsertim *disc. 1. & seqq.* Et in proposito Statuti Urbis 113. præscribentis certas solemnitates in alienationibus bonorum stabilium faciendis per minores, habetur infra *disc. 28.* & advertitur *in secunda & tertia dec. coram Albergato*, & non negatur, sed admittitur in prima, & quarta contraria, prout non negabant Scribentes in contrarium, cum vere sit propositio, de qua amplius non dubitatur.

Inter solemnitates autem, præcipua est illa convocatio- 10
nis totius Populi in Consilio generali, quam esse necessariam, cum consensu singulorum, plena, cæteris relatis, advertunt Menoch. *cons. 80. nu. 22. & seqq. & cons. 726. n. 9.* Surd. *cons. 65. n. 17. & cons. 290. n. 12.* & aliis apud Rotam *d. dec. 447. p. 5. rec. n. 16. & 17. dec. 87. n. 7. p. 8.* & in secunda hujus causæ decisione 11. Maji 1663.

Reflectendo autem ad veritatem, istud fundamentum, 11
quamvis Advocati more deductum, & inculcatum, non placebat, illud enim recte procedit in illis Civitatibus, & locis, in quibus juxta usum antiquum, aliud non adesset corpus totius Populi repræsentativum, sed solum adesset ordinarius Magistratus, qui singulis annis, vel temporibus pro locorum consuetudine eligitur pro currenti administratione redditum, & negotiorum Communitatis, cum huic demandata non censeatur facultas alienandi bona in proprietate, sive alia explicandi negotia graviora, perpetuum præjudicium concernentia, ideoque merito desideratur consensus totius Populi ipsam Communitatem constituentis, cum aliud non adsit corpus universale, quod eundem Populum repræsentet.

Secus autem ubi (prudenter quidem, & commendabili- 12
ter) ad tollenda inconvenientia, & confusiones, quæ resultant ex convocatione totius Populi, ubi præsertim rustici cum civilibus commixti sunt, cum nimium inconveniens sit, ac speciem stultitiæ redoleat, ut ejusdem operationis esse debeat votum viri nobilis peritissimi, & illud custodis boum, vel porcorum, ac etiam quia est tractare negotia more tumultuario, ideoque prudenter per consuetudinem introductum est consilium, quod ad differentiam particularis Magistratus, dicitur generale, solum habitualem, non autem actualem habens administrationem, totius Populi repræsentativum, juxta distinctionem, de qua *d. disc. 30. & 31. de præeminentiis*, cum tunc ea quæ in jure disposita sunt de universo Populo, huic consilio congruant, juxta commu-

nem,

nem, ac receptam praxim nisi ex particulari jure scripto, vel non scripto, in aliquibus actibus, non obstante hujus consilii existentia, totus Populus vere convocari debeat, ejusque consensus exquiri.

Substantielis autem, ac pro meo Judicio insanabilis videbatur ille defectus, quod non intervenisset totum consilium, quod Populum repræsentat, vel saltem ejus major pars, quoniam cum illud constitutum esset ex 24. novem tantum, vel decem interfuerunt, cum tamen ad 13 effectum constituendi corpus, saltem duæ ex tribus partibus capitularium, seu vocalium intervenire debeant, ad text. *in l. 3. ff. quod cujusque Universitatis nomine*, *cum concordan.* apud Lap. *alleg.* 68. *n.* 2. Menoch. *cons.* 726. *nu.* 1. *cum sequen.* Gretian. *discept.* 933. *nu.* 1. *cum aliis in d. secunda decisione* 11. *Maji* 1663. coram Albergato.

Pro hujusmodi objecto evitando, Scribentes pro creditoribus, ac etiam *quarta decis.* coram Otalora, in eo insistebant, quod sufficeret adesse consensum majoris partis eo-14 rum, qui præsentes in loco reperiuntur, quodque in illis verificetur dicta conclusio, ut sufficiet interventus duarum ex tribus partibus; verum, in sensu etiam veritatis, credebam hanc responsionem, suffrageri, ac procedere posse, ubi ageretur de actibus necessariis instantanee explicandis, qui moram, seu dilationem non de facili admittunt, & in quibus practicabile non sit, vel non expediet, absentes, vel impeditos legitime convocare, & expectare.

Secus autem in actibus mere voluntariis, quos nil refert, citius, vel tardius explicari, tunc etenim omnes, ad quos pertinet corpus constituere, ac votum proferre, legitime convocandi sunt cum competenti termino, ac expectandi, adeout non comparentes, seu non intervenientes, ratione contumaciæ, censeantur pro ea vice suo juri cessis-15 se, atque extraneos a jure votandi se efficere voluisse, ad text. *in c. cum nobis*, *& cap. quod sicut*, *de elect.* ubi communiter Scribentes, cum concord. per Adden. ad Buratt. *dec.* 809. *nu.* 11. *&* 12. & habetur deductum *sub tit. de Canonicis*, *& Capitulo*, præsertim *discurs.* 27. ubi de requisitis, ac materia electionis, eorumque actuum capitularium, seu communitativorum, ac etiam *sub tit. de jurepatronatus*, *discurs.* 61. occasione agendi de illis præsentationibus, quæ per familias, vel alios jure universali, & collegiativo, non au-16 tem singulari faciendæ sunt, secus autem in actibus mere voluntariis, in quibus adeo rigorose procedimr, ut omnium consensus ac interventus in plurium sensum requiratur, ad tex. *in c. fin. de major. & obed.* ubi Innoc. Abb. Butr. & alii, de quibus apud Rot. *dec.* 755. *in fin. par.* 2. *recent.* *& dec.* 270. *n.* 2. *part.* 4. Quicquid enim sit ad effectum, an unius contradictio sufficiat, vel major pars concludat, de quo apud Franch. *dec.* 2. ubi Adden. Certum tamen videtur, ut saltem convocari debeant.

17 Atque ubi desuper auctoritates non haberemus, id ad evidentiam convinceret ipsa ratio naturalis; ideo etenim universus Populus ejus consensum, seu facultatem transfundit in istud consilium constitutum ex congruo n. 24. Civium qualificatorum, ut ob talem numerum, non de facili cadere posset illa collusio, seu mala administratio, quæ ob aliquod privatum interesse cadere solet in aliquibus administratoribus, ubi sunt in parvo numero, & ob quam rationem, ordinario, & currenti Magistratui interdictum est, graviore negotia explicare, sine consensu totius Populi, vel majoris consilii, ipsum Populum repræsentantis.

Hæc autem ratio ita cessaret, quoniam illi male intentionati Consiliarii, qui invicem colludendo, ob privatum interesse, Populum, & Communitatem supplantare vellent, sumpta occasione absentiæ, vel impedimenti majoris partis Consiliariorum, ita sub nomine totius Populi, actus præjudiciales gererent, atque actum concluderet ille minor numerus, cui Populus ejus vices committere noluit, dum ad majorem numerum respexit, quando suas partes demandavit, ideoque ita concurrere dicebam, non solum ac-18 cidentalem defectum solemnitatem, quas lex positiva induxit, sed naturalem, ac substantialem defectum personæ contrahentis, quam iste minor numerus non constituit.

Magis vero obstare dicebam defectum causæ, quoniam Communitates, jure pupillorum, ac aliorum sub aliena necessaria, seu legali administratione viventium censentur, 19 ad text. in *l. Rempublicam*, *C. de jur. Reip.* ibi, *Rempublicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est*, & cæteris relatis, habetur apud Crivell. *dec.* 44. *nu.* 4. Rovit. *pragm.* 1. *de minoribus*, *n.* 17. Oddo *de restitut. in integrum*, *q.* 3. *art.* 10. *n.* 66. *& seqq. & communiter*.

Difficultas enim in hac materia cadit in illis universitatibus, seu corporibus intellectualibus, quæ ex modicis per- 20 sonis constituuntur, atque per omnes quodem jure privato administrantur, ex deductis hincinde per Odd. *ubi supr. n.* 71. *cum sequen.* Secus autem ubi impossibile est, ut per omnes administratio fiat, sed oportet, ut vivatur sub aliena legali, ac necessaria administratione, tunc etenim, omnia quæ in tutoribus, vel curatoribus pupillorum, aut minorum habentur circa causam, vel solemnitatem in alienationibus eorum bonorum, in his terminis intrare videntur.

Immo fortius, quoniam videmus, quod lex in bonis Civitatis distrahendis, majores videtur desiderare solemnitates 21 recensitas per supre allegatos, præsertim apud Rot. *decision.* 447. *p.* 5. *rec.* & per Cohell. *ad Bull. boni Regiminis*, ubi longe majores solemnitates, ac majora requisita cumulantur, quam desiderentur in bonis pupilli, vel minoris, & forsan etiam Ecclesiæ, inspecta dispositione antiquorum canonum, antequam prodiret Constitutio Pauli II. *in Extrav. Ambitiosæ* super necessitatu beneplaciti Papæ.

Et tamen adinstar, a moderno tempore, in omnibus fere Principatibus, cognito, quod Communitates, fraudibus, ac supplantationibus administratorum, magis subjacere videntur, quam pupilli, & minores a tutoribus, 22 dum facti majores possunt per seipsos revidere an actus bene, vel male gestus sit, ac etiam Ecclesia habet successorem, qui diligenter recognoscere, ac revidere solet, quæ prædecessor gessit, quod ex frequentiori experimento non contingit in Communitatibus, dum Nobilium, vel Civilium, præsertim vero eorum qui litteras profitentur, principale institutum esse videtur, meliorque industrie, seu peculium, vivendi ex bonis Communitatis, & ex sanguine pauperum. Hinc prius in Regno Neapolitano per pragmaticam infra recensendam *discurs.* 25. deindeque in Statu Ecclesiastico per Apostolicam Constitutionem quæ vulgo *Bulla boni Regiminis* dicitur, commentatam per Cohell. adinstar *Extravagan. Ambitiosæ*, alia solemnitas licentiæ, seu beneplaciti Principis inducta est, vel illius majoris Magistratus, quem Princips deputavit.

Ubi autem solemnitates, a lege communi, vel municipali desiderantur ad certum finem, seu effectum occurrendi fraudibus, quibus actus subjeceet, ex imbecillitate, vel omnimoda deficientie intellectus ejus, de cujus præjudi- 23 cio agitur, tunc non curatur de earundem solemnitatum formalitate, seu materieli implemento tantum, sed attenditur principaliter implementum formale, super justa scilicet causa, ob cujus examen, lex tot adhibet solemnitates, quibus mediantibus, in contrahente, vel alienante, naturæ defectus valeat suppleri, unde propterea ex deductis supra, *disc.* 1. & in aliis, pluries in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ, solemnitates, etiam illa beneplaciti Apostolici, non supplent causam, qua deficiente, habentur ac si adhibitæ non essent, & habetur pluries infra, præsertim *in Romana domus*, *disc.* 27. super solemnitatibus adhibendis in contractibus minorum, vel mulierum, quod scilicet nihil refert eas de facto adimpleri, si cessat causa, vel non adimpletur finis, ob quem desideratæ sunt, ne alias lex verbis, & non rebus imposita dicatur, ac mere cæremonialis, & fatue remaneat.

In hac autem facti specie, nulla suberat necessitas faciendi hanc emptionem prædiorum, nullaque considerari poterat utilitas, sed permecesse inerat ab initio evidens læsio, quam subsequutus effectus comprobavit, dum ad instantiem eorundem creditorum, eadem prædia sub hasta vendita fuerunt pro longe minori pretio, & forte infra dimidiam, & quod magis, per ipsosmet empta, unde propterea sequebatur, quod ipsi habebant rem, ac petebant pretium, Communitas vero, carendo re, cogebatur solvere pretium, ideoque evidentior læsio non videbatur excogitabilis.

Et quamvis *quarta decisio* 2. *Aprilis* 1666. *circa finem*, §. *antepenult. & sequen.* coram Ottalora, ponderet utilitatem resultantem ex adjacentia hujusmodi prædiorum aliis bonis ipsius Communitatis, cujus intererat ea non emi e po- 24 tentioribus, e quibus, seu ab eorum animalibus propria bona damnificari potuissent, deducendo dicterium, quod non expedit habere malum vicinum, de quo pluries *sub tit. de servit. ad materiam retractus*, attamen dicebam istam esse piam meditationem, non autem justam, ac probabilem causam necessitatis, vel utilitatis, dum ut præservarentur bona propria, initus fuit contractus acquisitionis, per quem, tam bona acquisita, quam propria amittebantur, dando exemplum in eo, qui ut evitaret prospectum vicinis ad propriam domum, gereret talem actum, per quem domus propria

prie.

gria in totum amittatur, & non obtineatur altera, quæ servitutem inferebat, cum similibus.

25 Magnum quoque fundamentum Scribentes pro creditoribus constituebant in conclusione, de qua supra *d. disc. 1. & alibi*, ut etiam in terminis alienationis bonorum Ecclesiæ attendatur tempus celebrati contractus, & si tunc causa sufficiens aderat, non attenditur damnum, quod deinde ex malo casuali eventu contigit, atque motivum amplectuntur, tam prima decisio coram Albergato, quam quarta coram Otalora in fine, magnificando specialem auctoritatem Purpurat. *cons.* 39. ubi in terminis constitutionis census factæ per Communitatem.

26 Verum illud Mihi nimium leve videbatur, tum quia ex adeo frequenter alibi insinuatis, pro meo Judicio prorsus erroneum, ac fabulosum est in judicando, fundamentum constituere in auctoritatibus Consulentium, quoties non constet, quod essent responsa decisiva ad veritatem, cum in effectu sint eædem informationes Advocatorum pro Partibus, ubi imprimerentur, tum etiam quia, ut aliqua doctrina punctualis attendi debeat, facienda est casuum, & circumstantiarum combinatio, ad effectum videndi, an casus sit præcise idem pro congrua applicatione, quam aliquæ diversæ circumstantiæ tollere, seu alterare possunt, ut quotidiana praxis docet.

27 Et demum, quod longa differentia est inter casum, in quo alienare prohibitus, ex causa utilitatis, bona quæ possidet, distrahat, & casum, in quo idem prohibitus, bona de novo acquirat absque pecunia, quam alias otiosam, & investimento destinatam retineret, sed habita fide de pretio pro quo usuris se exponat, aliaque ejus bona libera obliget; primo enim casu recte conscius est, ex retroacta experientia, quid bona possessa fructent, & quæ utilitas ex ais retrahatur, ideoque incontinenti, atque in ipso actu alienandi, recte dignosci potest, an expediat necne alienationem facere, tunc utilius pretium erogando, quamvis deinde accidentalis inopinatus casus contrarium effectum producat, eoque etiam sequuto, damnum non habebit tractum successivum corrosionis aliorum bonorum, sed solum importabit illam jacturam, seu diminutionem certæ rei; non sic est in casu converso ex pluribus, primo quia emptor certus non est de rei acquirendæ statu, secundo quia ille fructus, seu utilitas, quæ per privatum possessorem rei suæ incumbentem ex prædiis præsertim rusticis percipitur, neque dimidiata obtinetur per hujusmodi Communitates, quæ per seipsas bona propria administrare non possunt; si enim etiam inter privatos in parvo numero, bona pro communi possidentes, ac per seipsos administrantes, vel administrare valentes, vulgare axioma habemus, ut id, quod commune est, negligi soleat, quanto magis in hujusmodi bonis communitativis; & tertio demum fortius, quia ubi bona cum pecunia propria acquiruntur, quamvis male, & cum aliqua læsione investimentum fiat, attamen (ut dictum est) damnum non habet tractum successivum, sed erit solum habere illum minorem fructum, seu minorem utilitatem; non sic est in casu converso, in quo semper, imprudentiæ, immo stultitiæ species reputatur emere bona stabilia, præsertim rustica, habita fide de pretio, pro quo usuras pati oporteat, sive pro eo sol-
28 vendo, debitam usurarium, seu fructiferum contrahere, tum quia semper majores esse solent fructus censuum, aliorumque jurium fructiferorum, quam sint bonorum stabilium, tum etiam, quia in annis accidentalibus, in quibus, ob bellum divinum, vel humanum, sive ex vitio aeris, vel terræ, sterilitatem pati contingat, adhuc fructus debiti currunt, ac etiam quia fructus, qui ex ipsis bonis percipiuntur, de facili in currentes usus consummuntur, fructuum vero passivorum fit cumulus, qui universam substantiam corrodere potest, ut advertitur præsertim *sub tit. de dot. disc.* 145. super eo puncto, an magis expediat pro dotibus extrahendis ipsa bona fideicommissaria alienare, vel census super eis imponere, visum autem fuit in dicta ultima resolutione coram Calataiu, quod dicta moderatio sufficeret, dum soli participantes pro eorum jure instabant, quasi quod ita eis consultum remaneret, ideoque non subesset necessitas in reliquis recedendi ab ultimo decisis, verum neque id placuit, cum ex præmissis verius videretur, contractum nullatenus esse sustentabilem.

ANNOT. AD DISC. XXIII. ad XXVI.

De hac eadem materia super alienatione, vel obligatione bonorum Universitatum habetur *hoc eodem titul. disc.* 59.

Decisiones proditæ in causa Bononien. de qua *supra disc.* 22. & in eodem discursu enunciatæ, sunt aliquæ impressæ *p. 14. rec. dec. 62, 193. & 47.*

SPOLETANA CONCORDIÆ PRO COMMUNITATE OPPIDI MASSÆ, CUM COMMUNITATE CIVITATIS SPOLETI.

Casus disputatus in Congregatione Confinium sub incerto exitu.

De eadem materia contractuum, & alienationum, quæ fiant per Communitates, & præsertim de transactione, ubi deficiat justa causa necessitatis, vel utilitatis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De requisitis in alienationibus bonorum Communitatum remissive.*
3 *Quod lex de hac alienatione loquens non procedat in transactione, contrarium n. 7.*
4 *Solemnitates non requiruntur inter æque privilegiatos, & num. 10.*
5 *Quod læsio non detur in transactione, & de ratione, & num. 13.*
6 *Communitates æquiparantur minoribus, & pupillis.*
7 *Contrarium ejus, de quo n. 3. & quod transactio sit vera alienatio.*
8 *Quando læsio tractu temporis superveniens attendatur.*
9 *De eodem, & quando id procedat necne.*
10 *Contrarium ejus, de quo n. 4. & quod inter privilegiatos etiam solemnitas, & causa requirantur.*
11 *De eodem, & de ratione.*
12 *Quid operetur ut alter contrahens sit etiam privilegiatus.*
13 *Contrarium ejus, de quo n. 5. ut detur etiam læsio in transactione.*
14 *In quo transactio differat ab emptione, & venditione circa læsionem.*
15 *De transactione, quid requirat, ut sustineatur, & distinguuntur casus, vel effectus.*
16 *De eodem, & de essentiali requisito, ut transactio non dicatur leonina.*
17 *Assensus, vel decretum Superioris non supplet causam.*

DISC. XXIV.

Controversiis vigentibus inter Communitates Spoleti, 1 & Massæ, super confinibus, ac pertinentia aliquorum montium, seu forestarum, jureque pascendi, (ut frequenter inter adjacentia loca habitata contingit) atque aliquibus sententiis hincinde proditis, ultima vero favorabili communitati Massæ, deventum est ad concordiam, per quam, inter cætera conventum fuit, ut illa Communitas pro libero pascuorum usu in locis controversis, quandam annuam præstationem pecuniariam alteri Communitati, ac etiam quoddam homagium, seu aliam annuam præstationem certæ quantitatis ceræ solvere deberet. Cumque compertum esset, hujusmodi concordiam, huic Communitati dictum onus assumenti, nimium præjudicialem, ac læsivam esse, dum in facto supponebatur, quod ubi etiam in lite succubuisset, atque bona controversa pleno jure ad alteram Communitatem collitigantem spectassent, adhuc eorum fructus tanti non importarent, quodque si illa Communitas eundem usum in alienis bonis emere, vel conducere vellet, pro minori pretio, seu pensione obtinere posset, hinc proinde ipsa recusante stare concordiæ, dictasque præstationes solvere, per aliam communitatem Spoleti ad observantiam conventa fuit in Congregatione confinium, in qua lis pendebat, & cum cujus, seu ejus Præfecti auctoritate eadem concordia inita fuerat, habitisque binis disputationibus, incertum est, quid inde sequutum sit, dum amplius de causa actum non audivi.

In his autem disputationibus, Ego, & cæteri pro ista 2 Communitate concordiam impugnante Scribentes, & e converso Scribentes pro altera Communitate, petente ejus observantiam, deducebamus easdem conclusiones, & au-

cto-

thoritates, quæ habentur *disc. proxime praeced.* tam circa solemnitates requisitas in alienationibus bonorum Civitatum, seu Communitatum, quam circa causam, ideoque superfluitatis vitium esset repetere.

3 Tria vero specialia deducebant Scribentes pro Communitate actrice, de concordiæ observantia & validitate contendente, primo scilicet quod textus *in l. finali, C. de vend. reb. Civit. lib.* 11. loquitur de venditione, & sic de alienatione vera ipsorum bonorum, ideoque adaptabilis non esset transactioni, quæ impropria & remota est alienatio, potissime vero ubi ille, qui alienare prohibitus est, non dimittit
4 bona controversa, sed retinet, secundo, quod ageretur cum alia Communitate æque privilegiata, unde propterea intraret regula conquassationis privilegiorum, plures cumulando auctoritates, ac decisiones, quæ habentur circa solemnitates statutarias adhibendas in contractibus mulierum & minorum, ut non requirantur in iis, qui cum altera muliere, vel minore, & sic æque privilegiato fiant, ex deductis per Luderch. *cons.* 66. *n.* 1. & 2. Rot. *decis.* 57. post Pic. *ad statut.* add. ad Greg. *dec.* 164. & add. ad Buratt. *dec.* 480.

5 Et tertio, quod ubi agitur de emptione, & venditione, vel permutatione, aut simili vera alienatione, de facili convincibilis est læsio mediante valoris probatione, quæ ex judicio peritorum, sive ex quantitate fructuum, aut per alias species fieri potest, non autem practicabilis est in transactione, quæ fiat super bonis, ac juribus existentibus sub lite, cujus eventus est semper incertus, atque speciem casus fortuiti habere videtur, ex cumulatis per Castill. & alios deductos supra *sub tit. de emptione & venditione in Romana transactionis, disc.* 27. Magnum quoque fundamentum constituendo in eo, quod concordia non prodiisset ex privata auctoritate, & conventione, sed cum auctoritate, & approbatione ipsius Congregationis, in qua causa pendebat, vel ejus Præfecti.

His tamen non obstantibus, (quatenus in facto subsisterent ea, quæ ut supra ex hac parte supponebantur) etiam cum sensu veritatis, credebam pro dictæ transactionis nullitate respondendum esse, non solum ex defectu plurium solemnitatum, super quarum defectu vel implemento, utpote in quæstione facti, contentio erat inter causæ Patronos, sed principaliter ex defectu causæ, dum actus redolebat læsionem evidentem, quatenus subsisteret illud facti præsuppositum, quod huic communitati, ejusque civibus, & incolis habentibus modum sumendi pascua cum eorum animalibus in aliis locis proprii territorii non con-
6 troversi, sive ad limites pacellitatis habentibus occasionem conducendi in alienis territoriis pro longe minori pretio, magis expediens fuisset causam amittere, quam hujusmodi contractum facere, & consequenter, posita læsione intrabant eadem, quæ circa defectum causæ habentur supra *disc. praeceden.* de Communitatibus assimilandis pupillis, & minoribus, quæ omnia in hac etiam disputatione deducebantur.

7 Quo vero ad objecta, quatenus pertinet ad primum, ut transactio non veniat sub prohibita alienatione, dicebam idem, quod habetur supra *disc.* 1. & in aliis pluries, istam scilicet quæstionem alias apud nostros majores nimium disputatam, hodie antiquatam esse, quoniam extra controversiam est diversa opinio, ut dicatur alienatio prohibita potissime ubi, quamvis bona controversa remaneant penes alienare prohibitum, hinc remaneat adstrictus perpetuo onere, ac perpetua servitute juxta casum de quo supra *in Bisinianen. disc.* 18. cum *alii disc.* 1.

8 Quinimmo cum ageretur de onere habente tractum successivum, & perpetuum singulis annis supportandum, congrua intrare dicebam conclusionem, de cujus applicatione, ut habetur in præcedentibus, dubitatum est, ut scilicet non sufficiat, quod justa causa adsit, seu læsio absit de tempore contractus, ut regulariter sufficit, si tractu temporis efficiatur notabiliter læsivus juxta *theor. Bart. in l. inter stipul.* §. *sacra, ff. de verb. obl.* cum concordantibus apud Natt. *cons.* 548. *n.* 36. Rota apud Martin. Andr. *dec.* 48. *n.* 14. *in Calaguritana decimarum S. Asceneii* 7. *Febr.* 1659. coram Cerro, & in aliis, cum sit conclusio vera, ubi sit vere, ac de facto onus singulis annis reiterabile, quo casu in *dicta Calaguritana*, de qua in sua materia *sub tit. de decimis*, Ego impu-
9 gnando istam conclusionem, seu ejus applicationem, eam admittebam, cum difficultas cadat, quando agitur de conventione super exemptione, seu liberatione ab onere, quæ ita momento temporis plenarium effectum sortiri dicitur, per extinctionem, seu annihilationem causæ productivæ oneris, vel ejus partis majoris, ex ibi deductis.

Antiquatam etiam esse dicebam alteram quæstionem apud seniores pariter controversam, an in hac materia prohibitæ alienationis, vel alterius contractus absque solemnitate, vel causa, sive utraque simul, intret necne re- 10
gula conquassationis privilegiorum inter æque privilegiatos, cum hodie, præsertim in Rota, & Curia, tanquam omnino verior passim recepta sit contraria opinio, ut de prohibita alienatione bonorum Ecclesiæ ad præscriptum *Extravag. Ambitiosæ*, quod procedat, quamvis cum altera Ecclesia id sequatur, habetur supra *disc.* 1. & in aliis pluries, & de prohibitis contractibus mulierum, & minorum absque solemnitate, & causa, ut procedant etiam si cum altera muliere, vel cum altero minore fiant, habetur pluries intra *hoc eod. tit.*

Idque non solum ex ratione, frequentius in decisionibus, quæ desuper habentur, assignari solita, quod dicta re- 11
gula conquassationis privilegiorum non procedit, ubi unus tractat de damno, alter de lucro, sive utroque contendente de damno, atque illud excipientis de invaliditate actus sit majus, ex relatis per adden. ad Greg. & Buratt. *ubi supr. dec.* 129. *p.* 10. & *dec.* 98. *part.* 11. *rec.* & *frequenter*, vel altera, quod non procedat, ubi unus est privilegiatus in genere, alter vero in specie.

Sed magis proxime pro meo judicio, quia istud non est privilegium, sed potius quædam suppletio, seu additio juri communi, quam jura municipalia fecerunt, ob experientiam fraudum, & machinationum resultantium ab imbecillitate judicii minorum, & mulierum, aliorumque illud aliqualiter imperfectum habentium, & sic ratione defectus naturalis ex parte facientis, quo casu nihil refert, cum quo fiat, juxta ea, quæ ex veriori magisque recepta sententia habentur *sub tit. de testamentis* in proposito testamenti, vel alterius dispositionis factæ per eum, qui sanæ mentis non sit, favore Ecclesiæ, vel piæ causæ privilegiatæ, a qua omnis fraudis, vel machinationis suspicio abest, quoniam vitium est in persona facientis indefinite, non autem in ea, cum qua fiat.

Qualitas autem personæ æque privilegiatæ considerabi- 12
lis videtur ad tollendam eam majorem calliditatis, & circumventionis suspicionem, quæ alias cadat in contractibus, qui per viros sagaces, & prudentes ineuntur cum mulieribus, vel minoribus, aliisque non ita perfecti judicii, ut præsertim advertitur infra *disc.* 32. & 33. & habemus in alienationibus inter Ecclesias, quod quamvis subjaceant etiam dispositioni *Extrav. Ambitiosæ*, non tamen subjacent modernæ Constitutioni *Urbani VIII.* tollenti beneplacitum præsumptum, ob cessantem illam suspicionem, cui eadem Constitutio innixa est, cum similibus.

Tertium pariter objectum non videbatur considerabile, quoniam quisquid DD. pariter variaverint, in Curia ex- 13
tra controversiam hodie receptum est, læsionem in transactione quoque intrare ad terminos textus *in l.* 2. *C. de rescind. vendit.* & *c.* 2. & 3. *de empt.* & *vendit.* ex iis, quæ habentur supra *sub tit. de empt.* & *vend. in Romana transactionis d. disc.* 27. & alibi pluries.

Ideoque differentia inter transactionem, ac emptionem, & venditionem, sive alterum alienationis actum, dignosci videtur circa majorem difficultatem bene probandi læ- 14
sionem, cum hæc regulanda non veniat ab intrinseco, & naturali valore bonorum, vel jurium, sub lite existentium, super quibus transactum sit, sed a verisimili æstimatione futuri dubii eventus litis, quæ æstimatio non de facili fieri potest, sed quando id verificabile sit, læsio de plano intrat, potissime ubi agitur cum hujusmodi personis privilegiatis alienare, seu contrahere prohibitis absque justa causa necessitatis, vel utilitatis, cum tunc non oporteat concludere in læsione qualitatem enormis, vel enormissimæ, cum ea semper adesse dicatur, quoties cessat utilitas, ut pluries occasione alienationis bonorum Ecclesiæ in præcedentibus advertitur, ac etiam in subsequentibus, occasione contractuum minorum, & mulierum.

Et quamvis Scribentes in contrarium, nimium insisterent super ea generali conclusione, quam frequenter in Foro habemus, quod ad sustinendam transactionem sufficit qualis qualis dubietas, etiam ea, quæ ab unius Doctoris opinione resul- 15
tet, quodque utile negotium geri dicitur recedere a lite, ejusque sumptus, & incommoda evitare, super quo magnus fiebat decisionum, & auctoritatum cumulus, attamen juxta ea, quæ in hac transactionis materia advertuntur pluries *sub tit. de fideic.* præsertim *disc.* 173. & *seqq.* ac etiam *sub tit. de emphyt. disc.* 52. & *sub tit. de feud. disc.* 49. & *alibi*, occasione agendi de puncto, an & quando transactio inita per eum, qui vo-

voluntarie alienare prohibitus est, afficiat successorem independenter, ac jure proprio venientem clarum æquivocum est, hanc generalem propositionem istis terminis applicare; procedit enim in actibus indifferentibus, inter alienare, vel contrahere non prohibitos, sed liberam habentes suorum bonorum dispositionem ad effectum evitandi nullitatem resultantem ex dispositione text. *in l. 1. ff. de transact. cum concord.* ne detur transactio in re clara, & sine lite, ut ita litis timor, ac talis qualis probabilis dubietas sufficiat ad tollendum hunc defectum generalem, non autem ad istos, vel similes effectus speciales cum personis prohibitis.

16 Et nihilominus, ubi etiam inter non prohibites ageretur, adhuc absolutum juris principium est transactionem eatenus sustineri, quatenus per illam dubius litis eventus cum quodam honesto temperamento terminetur utrique proficuo, si non æqualiter, saltem in parte proportionata, majori, vel inferiori colligantium juri, adeout aliquid respective hinc inde detur, vel remittatur, secus autem ubi unus transigentium obtineat totum id, quod ex rigoroso sperato litis eventu obtinere posset, cum tunc dicatur transactio leonina, nisi ejus jus adeo clarum sit, quod remissio expensarum, seu interusuriorum, ac fructuum medii temporis, ipseque recessus a lite, dici valeat congrua recompensa juris alterius collitigantis, ac propterea stante dicto præsupposito, quod huic parti magis expediens fuisset omnimoda succumbentia, ita cessabat omnis ratio dubitandi, quamvis non de Communitate privilegiata, sed de quolibet privato ageretur, ideoque causæ punctus restringi videbatur ad solum factum, quod per alteram partem acriter impugnabatur, an scilicet subsisteret necne dictum præsuppositum evidentis præjudicii.

17 Demum in nulla consideratione habendam esse dicebam d. circumstantiam, in qua adeo magnum fundamentum constituebatur, quod hæc transactio auctorizata esset a Præfecto Congregationis, in qua lis pendebat, quoniam ista est quidem circumstantia satis considerabilis ad arguendam bonam fidem, juxta ea, quæ in proposito transactionis super bonis fideicommissi cum auctoritate, vel mediatione Judicis, vel alterius qualificatæ personæ habentur in Romana successionis de Comitibus 26. Junii 1647. & 26. Junii 1648. coram Ghislerio, quæ reputantur in materia magistrales, sæpius in aliis canonizatæ *impres. dec. 44. & 48.* post Consil. ad Peregr. & quarum prima est etiam *repos. it. dec. 228. p. 10. rec.* & habetur *in Romana donationis de Silla, sub tit. de fideic. disc. 140.* Sed ubi constet de læsione, seu defectu justæ causæ, id nihil operatur, ut advertitur supra *disc. 1.* & in aliis super conclusione, ut beneplacitum Apostolicum non suppleat defectum causæ, ac etiam *disc. præc. & plures in seq.* ut decretum Judicis aliæque solemnitates in nulla consideratione habeantur, ubi causa deficit.

URITANA
SEU NEAPOLITANA CENSUUM
PRO CARDINALI FARNESIO
ET MARIO ALBERICIO,
CUM COMMUNITATE OPPIDI
MISANIÆ.

Responsum in causa vertente in Regia Camera Neapolis.

De eadem materia validitatis, vel invaliditatis impositionis censuum, vel alterius alienationis factæ per Communitates in Regno Neapolitano, & quid ubi specialiter provisum sit ultra juris communia dispositionem: Et in specie, an alienatio cum Regio assensu, aliisque solemnitatibus sustineatur si facta sit in causam extinguendi debitum, vel censum, absque dictis solemnitatibus contractum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Distinguuntur puncti, seu inspectiones.*
3 *Lex respicit futura non præterita.*
4 *An licentia Principis requiratur de jure in alienatione bonorum Communitatis.*
5 *Quando lex sit declarativa juris dubii.*
6 *Quod tunc trahatur ad præterita.*
7 *De beneplaciti, vel alterius solemnitatis præsumptione ex lapsu temporis.*
8 *Quale tempus requiratur, distinguitur.*
9 *De determinatione Regiæ junctæ circa tempus 20. annorum.*
10 *Quid contineat dicta determinatio.*
11 *Novus census ad minorem fructum potest imponi sine solemnitate pro extinguendis antiquis solemniter impositis.*
12 *Quid ubi antiquus est sine solemnitate, quæ adsit in novo, ut iste valeat.*
13 *Consulentibus quando non sit deferendum.*
14 *Contrarium magis placet, ut non valeat in Communitate, secus ubi agitur de fideicommissis, & majoratibus.*
15 *De ratione differentiæ.*
16 *De eadem differentia inter unum casum, & alterum.*
17 *Quando primus actus est invalidus, deficit justa causa.*
18 *De utero bonatenentiæ.*
19 *An debeatur ab Ecclesiasticis?*
20 *An, & quando intret compensatio, vel imputatio ipso jure?*

DISC. XXV.

PRo aliquibus antiquis censibus extinguendis, aliisque 1 indigentiis, Communitas Oppidi Misaniæ plures imposuit census ad favorem N. Albericii ejusdem Oppidi Baronis, cumque eo defuncto, primogenitus hæres universalis census extinxisset, vel cessisset, unde solum remanebant debendi in summa duc. 54. m. circiter, illique ab eo cessi fuerunt Mario fratri secundogenito pro legitima, aliisque juribus, ac etiam Cardinali Farnesio avunculo, petentibus istis decursorum, & currentium fructuum solutionem, Communitas prædicta de eorundem censuum invaliditate opposuit, unde propterea introducta causa in Regia Camera Summariæ Neapolis, ex eorundem Cardinalis, & Marii creditorum parte, super facti notula a dicta Civitate transmissa, continente dictæ Communitatis exceptiones, seu prætensiones, consultus fui, tam ad effectum audiendi meum sensum in bono jure, quam ad effectum scribendi in causa, quæ plures habebat inspectiones facti, præsertim circa versionem pecuniæ in causas expressas, ac alia, quæ absque inspectione juris, cum ipso facto tollebantur.

Juris autem tres erant inspectiones, primo scilicet defe- 2 ctus Regii assensus requisiti in eo Regno in impositionibus censuum, aliisque contractibus, quæ fiant per Communitates *per pragmat. 11. & 12. sub tit. de administratione Universitatum, & per pragmat. 8. sub tit. de Commiss.* an scilicet iste requisitus esset, & quatenus requireretur, an suffragaretur præsumptio: Secundo circa aliquas partitas, in quibus aderat dictus assensus Regius expressus, in causam tamen extinguendi census antiquiores dicto assensu non vallatos: Et tertio, an creditum quod ipsa Communitas habere prætendebat, tam cum primo creditore, quam cum dicto primogenito ejus filio, & hærede universali, tanquam respective ejusdem Oppidi Barone, ipsisque cessionariis veniret singulis annis imputandum in eorundem censuum sortem, quæ ita, vel in totum, vel pro notabili parte extenuata prætendebatur.

Quatenus pertinat ad primam inspectionem, cum dictæ 3 *pragmat. 11. & 12. de administ. Universit.* prodierint de anno 1605. & 1606. advertebam distinguendas esse partitas; quoad census etenim creatos ante dictas pragmaticas, istæ non obstabant ex regula, quam habemus in novis legibus, ut de earum natura respiciant futura, & non trahantur ad præterita *l. leges, C. de legib. l. ult. de Constit. cum concord.* collectis per Farin. *in fragment. verbo lex, n. 36.* Rovit. *pragmat. 2. de cens.* Mant. *dec. 259. n. 4. & passim.*

Istud motivum, solum, ac de per se non videbatur om- 4 nino tutum, quoniam ex iis, quæ habentur deducta apud Rovit. *cons. 64. n. 1. l. 1.* cum quo pertransit de Marin. *ref. 77. nu. 10. l. 1.* ista solemnitas licentiæ Principis, vel Supremi Magistratus per dictas pragmaticas requisita, videtur (juxta unam opinionem) requisita etiam de jure communi, quasi quod sit una ex solemnitatibus, quas ad materiam text. *in l. fin. C. de vend. reb. Civitatis l. 11.* recensent Cohell. & Rota *in locis* de quibus *disc. præced.*

Quicquid enim sit de hac opinione, quando principaliter ageretur de annullando contractum ex ista causa (quo casu probabilius esset annullationi locum non esse, quoties id prius non esset in usu, dum allegati a Roviro loquuntur de decreto Judicis, non autem de assensu Regis, ut plene in ultima decisione edita in casu, de quo *disc. præced.*) Difficultas considerabilis consistere videbatur in eo, quod dum

id est

id est de jure communi saltem dubium, ita dictæ prag- maticæ dicendæ non sunt omnino inductivæ novi juris,
5 sed potius renovativæ juris communis, vel ejus declarativæ ad tollendam quæstionem ex opinionum varietate resultantem; hoc autem posito, sequitur, ut lex nova, tem-
6 pore edita pro declaratione legis antiquæ habeat oculos retro, atque trahatur etiam ad præterita, ex eisdem mox allegatis, idem Rovit. *in præfat. ad pragmat. n. 8.* Merlin. *dec. 231. n. 7. & frequenter.*
7 Adhuc tamen omnium suffragari observabam, ut dictæ pragmaticæ postea supervenerint, quoniam, cum de tempore impositionis non adesset positiva resistentia legis ita expresse disponentis, sed solum id prætenderetur ex dispositione juris, quæ, vel non aderat, vel erat dubia, hinc facilius locus est præsumptioni dictæ licentiæ, seu beneplaciti, etiam per solam observantiam decennalem, absque necessitate verificandi observantiam tricennalem continuam veram, & univocam, cum rigorosis requisitis desideratis ubi adsit juris resistentia positiva; juxta distinctionem, de qua in hac materia præsumendi extrinsecas solemnitates, cæteris relatis, habetur apud Gabr. *de præsumpt. conclus. 1. cum aliis supra disc. 1. & sub titul. de dote disc. 143.* ubi latius de materia.
8 Ideoque magnam differentiam vigere advertebam inter illos casus, in quibus dictarum pragmaticarum positivum obstaculum adesset, & conversum, ob dictam rationem exigendi majus, vel minus tempus, ac etiam quia post pragmaticas magis convincibilis est negativa ex revolutione registri, potissime vero ab anno 1615. ex quo tempore supponitur invaluisse usum registrandi has licentias.
9 Verum, media quædam via circa dictam præsumptionem de anno 1613. electa fuit, per quandam particularem Congregationem desuper deputatam, (quæ ibi juxta Hispanicum loquendi usum, junta dicitur) ut sc. spatium annorum viginti sufficeret, quod in præsenti adesse videbatur, licet enim Scribentes pro Communitate dicerent, ut de observantia dicti temporis doceri deberet de tempore, quo dicta resolutio prodiit, quasi quod ista esset lex præcisa, certam inducens formam, attamen id videbatur
10 æquivocum, quoniam dicta determinatio potius continere videbatur quandam declarationem legalis dubiæ dispositionis, seu decisionem quæstionis, quæ inter DD. vigat super tempore, aliis volentibus sufficere longum annorum decem, aliis vero esse debere annorum 20. & aliis exigentibus tempus longissimum 30. annorum; ideoque dicta media via, seu conciliativa opinio electa est, cum tamen etiam tricennale, ac majus tempus concurreret; neque ista sola præsumptio adesset, sed aliæ concurrerent resultantes ab approbatione facta per Regentem Tappiam in statu generali Communitatum de anno 1626. & ab alia approbatione facta per Collaterale Consilium de anno 1652. aliaque aderant adminicula, ideoque beneplacitum præsumptum recte intrabat.
11 Quo vero ad census impositos post dictas pragmaticas, ad effectum extinguendi alios census antiquos in vim cessionis juris luendi in eo Regno satis practicati, de quo ap. Capyc. Latr. & Adden *dec. 16.* & plures *sub tit. de cred.* Pro censibus Regio assensu vallatis, nulla cadebat difficultas, quoniam, ubi primum debitum est validum, adeo ut secunda impositio non addat gravamen, sed potius minuat, tunc novus assensus non requiritur, ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur ap. Rodriquez, *de annuis reddit. q. 14. n. 31.* Cenc. *de cens. q. 15. n. 34. & seq.* plene Salgad. *in labyrint. p. 3. c. 4. per totum*, & advertitur *supra disc. 1.*
12 Ideoque difficultas erat in illis antiquis censibus, qui dicto assensu carebant, quamvis novi ad hunc effectum impositi dicto assensu vallati essent, atque istorum respectu, scribendo pro creditoribus dicebam eos esse validos, cum creditor non teneatur indagare de validitate, vel invaliditate debiti extinguendi, ut plene probant Molin. *de primogen. lib. 1. cap. 10. num. 25.* Noguerol, *alleg. 2.* Capobianc. *de Baron. pragm. 1. n. 298. & sequ.* plene Salgad. (qui disputat quæstionem ad partes) *in labyrinth. par. 2. cap. 17. n. 46. & seq.*
13 Quamvis autem Ego scribens ad causam, insisterem, quod dicta opinio tenenda esset neglectis Rovit. *d. cons. 64. lib. 1.* & de Marin. *resol. 77. n. 9. lib. 1.* contrarium sentientibus, tum ob majorem auctoritatum calculum, tum etiam, quia contraria opinio aliam non habet auctoritatem nisi eam Rovitti consulentis ad causam, quæ spectata est, sive in nulla ratione habenda, dum in eo casu contrarium fuit decisum, unde propterea intrat ponderatio, de qua ap. Franc. *dec. 260. n. 5. & 6.* quod quando allegantur consilia, perquiri debent decisiones super eis proditæ, utrasque attendi, inculcando dictam rationem, quod secundo creditori sufficiat sequi publicam fidem Principis, ita prohibitum habilitantis ad hunc effectum specialem extinguendi certum debitum, dum ita creditor, opinari juste potuit, quod occasione concedendi licentiam investigata fuerit dicti debiti extinguendi validitas.

Reflectendo tamen ad veritatem, motivum videbatur 14
periculosum, atque apud Me adhuc vigebat difficultas (quam tamen deinde præsuppositum fuit removeri ex facto, vel quia primi census impositi essent ante pragmaticarum editionem, vel quia inventus quoque esset assensus); opinio siquidem, quam tuentur Minima, cum cujus opinione processum fuisse, non laudando, testatur Rovit. *d. cons. 64. in fin.* ac etiam Noguerol. & alii, probabilis est, ac recipienda videtur, in iis casibus, in quibus prohibitio alienandi proveniat a solo impedimento accidentali, quod per legem, vel per hominem, sive utrumque simul adjectum est bonis, ut contingit in bonis pertinentibus ad fideicommissa, seu majoratus, & primogenituras, de quibus ipsi loquuntur.

Isto enim casu, persona alienantis non est inhabilitata ratione imperfecti judicii, sive quod ipsa tanquam intellectualis nullam habeat contrahendi habilitatem, adeout pernecesse pendeat ab administratoribus, ut est in alienationibus bonorum Ecclesiæ, vel Communitatis, cum similibus sub aliena administratione necessarie viventibus, tanquam per speciem pupillorum, vel amentium, & consequenter magna viget ratio differentiæ; primo enim casu, ut pluries advertitur *sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum*, præsertim *disc. 74. & disc. 89.* cum possessor fideicommissi interim sit verus, ac perfectus Domi- 15
nus, nullamque habeat aliam prohibitionem disponendi, vel alienandi, nisi eam quam, ab Augusto citra, lex positiva induxit, hinc proinde Princeps, concedendo licentiam, seu facultatem, aliud gerere non dicitur, nisi removere obstaculum prædictum, ac propterea ille, qui alienationem facit, eam facere dicitur, jure suo, tanquam per remotionem impedimenti, absque necessitate concursus copulativi justæ causæ.

Non sic est in ea licentia, quæ tribuitur alienanti bo- 16
na Ecclesiarum, vel Communitatum, aliarumque hujusmodi intellectualium personarum, quæ de necessitate sub aliena administratione vivant, & pro quibus, utpote non habentibus velle, vel nolle, pernecesse actus ab administratore explicandus est; quoniam tunc, ut in proposito alienationis bonorum Ecclesiæ advertitur *supr. disc. 1.* & in plerisque aliis, & in his terminis Communitatum habetur *duob. disc. proxime præc.* duo requisita copulative desiderantur, atque concurrere debent, aliud sc. solemnitatis, & alterum justæ causæ, consistentis in necessitate, vel utilitate, neque assensus dictæ causæ defectum supplet.

Causa vero adesse non dicitur, ubi debitum extinguen- 17
dum invalidum esset, dum ita nulla subesse dicitur necessitas pro debito, ad cujus solutionem Communitas cogi non poterat, minusque utilitas ea eadem ratione, & consequenter pro meo judicio, erroneum videtur, parificare dictos terminos facultatis quæ conceditur possessoribus fideicommissorum, & majoratuum, cum illis terminis Ecclesiarum, vel Communitatum, seu pupillorum, ac similium, cum longe diversa sit ratio.

Demum quoad ultimum punctum imputationis in sortem 18
ejus, quod prætendebatur singulis annis debitum ratione contributionis forensium, quæ ibi valgo bonatenenzia dicitur, difficultas removeri videbatur ex facto, stante pacto expresso franchitiæ in ipsa impositione, quod pactum improbum non est, quoties facta oneris computatione, fructus non excedant taxam permissam, cum ita pactum dicatur pars pretii, ut advertitur *sub tit. de censib.* & sub altero *de regal.* in hoc 1
proposito contributionum, seu collectarum, dum pro tempore, quo census fuerunt possessi per dictum Baronem, cujus favore impositi fuerunt, vel per ejus successorem, licitum erat exigere fructus ad majorem rationem, etiam respectu Communitatum, seu Universitatum, cum adhuc facta non esset illa reductio, quæ postea sequuta fuit, atque id, quod exactum erat (facta deductione dicti oneris) non excedebat summam licitam, postquam vero iidem census effecti fuerunt dictorum cessionariorum, dicebam cessasse unus, cum isti essent Clerici ad illud non obligati, cum non esset onus vere reale, fixum, & immutabile, sed potius mixtum, ex iis, quæ habentur *sub tit. de regal. disc. 50. & seqq.* Quamvis in

19 his specialibus terminis oneris solvendi per forenses ex sola ratione bonorum, aliqua subesse possit difficultas, ut ad eandem materiam vectigalium, seu collectarum habetur *in Pennen. seu Adrien. sub eod. tit. de Regal. in hoc tit.*

20 Et nihilominus advertebam, quod imputatio ipso jure, præsertim ad impediendum cursum fructuum, vel usurarum, intrat in credito repetibili, sive ubi intraret infectio usuraria, ob quam id, quod sub nomine fructuum

21 solvitur, in sortem ipso jure cedit, ut *sub tit. de usur.* & sub altero de cambiis, ac etiam sub illo *de credito*, non autem ubi agitur de censibus, quorum sors est irrepetibilis ex parte creditoris, solumque in debitoris facultate est eam solvere, ideoque debitore non declarante, non intrat compensatio, ut in sua materia *sub d. tit. de censib.* Et quando etiam adesset, non teneretur creditor sortis restitutionem adeo diminutam recipere, bene verum, quod declaratione accedente, creditum quod debitori censuario superveniat, ita dici posset effici fructiferum ratione damni emergentis, quod sonaret in idem.

TARENTINA CENSUS PRO CATHERINA FISCHETTI, CUM N.

Casus disputatus coram A. C. & in Rota, & resolutus pro Catherina.

De eadem materia invalidæ impositionis censuum factæ per Universitates Regni Neapolitani sine Regio assensu, & quid ubi illa facta non sit directe cum ipsa Universitate, sed cum aliquibus particularibus, an istorum respectu contractus sit validus, ipsique obligati remaneant necne, & an juramentum tollat obstaculum Pragmaticarum?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Impositiones censuum per Communitates sine assensu Regio sunt invalida etiam respectu particularium.*
4 *Motiva facti sunt meliora.*
5 *Ubi actor bene fundavit suam actionem, reus tenetur probare plene exceptionem.*
6 *Declaratur conclusio, de qua n. 3. quando procedat.*
7 *Quod ista quæstio, de qua nu. 3. & 6. sit facti, & quomodo decidenda.*
8 *Collusio in hac materia est difficilis probationis, & quomodo probanda sit.*
9 *Actus jurati non subjacent Statutis laicalibus, & Regiis pragmaticis.*
10 *Quare in Curia particulares obligati pro Communitate conveniantur.*
11 *Quod non placeat conclusio, de qua num. 9. circa vim juramenti.*
12 *De limitatione quod juramentum indirecte tollatur etiam a Statuto laicali.*
13 *Declaratur ista limitatio.*
14 *Juramentum non suffragatur in actibus simulatis.*
15 *Neque illud operatur, ubi adversatur favori publico principaliter.*
16 *Quare in debitis Communitatum principaliter consideretur favor publicus.*
17 *De ratione ob quam rigorose procedendum est in hac materia.*
18 *De ratione claudicationis, ob quam juramentum non debet operari.*
19 *De abusu non attendendi fundata ratiocinia.*

D I S C. XXVI.

1 Leonardus, Petrus, & Angelus vendiderant Antonio, pro sorte duc. mille, censum duc. 100. quem Antonius deinde in dotem dedit Catherinæ filiæ, a qua (mortuo viro) pro fructibus cor. A. C. petita, & obtenta fuit associatio ad fundos censitos contra eorum possessores, & commissa per Signaturam Justitiæ causa appellationis in Rota cor. Taja, cum clausula translativa, si quid exequendum, sub die 15. Junii 1667. in contumaciam alterius partis, ad ipsius Catherinæ solum informantis favorem, pro executione prodiit resolutio, confirmata 5. Decembris sequentis, incertumque est, an causa ulteriorem habuerit progressum, dum de illa actum non audivi.

Major autem disputatio per Me habita fuit in prima 2
instantia cor. A. C. dum in prima disputatione Rotali cum procederetur una tantum parte informante, per agentes ex parte Catherinæ datæ fuerunt eædem informationes, atque pene in omnibus, cum eisdem, (quatenus pertinet ad hunc punctum invaliditatis contractus, ex eo
quod impositio facta esset in causam cujusdam Communitatis) processum quoque fuit in secunda disputatione, 3
in qua major difficultas erat circa formam præscriptam a Bulla S. Pii V. an bene servata esset necne.

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum, quod scilicet ageretur de debito Communitatis, ideoque invalido, ac in judicio non experibili, ubi munitum non sit Regio assensu, juxta illius Regni pragmatic. 11. & 12. *de Administr. univers. & prag.* 8. *de Commissar.* Dicebant Scribentes pro reis conventis, quod licet hujus census impositio directe facta non esset cum ipsa Communitate, ejusque administratoribus, sed cum tribus particularibus, attamen idem erat effectus, stante dispositione Regiæ *prag.* 12. *de administr. univers.* per quam disponitur, ut ita invalidæ sint alienationes, aliæque obligationes, quæ fiant directe per ipsas Communitates, sicuti sunt factæ per particulares, cum ita id fieret in fraudem, & de cujus pragmaticæ dispositione agitur apud Marin. *res.* 77. *lib.* 1. & *res.* 59. *l.* 2. Capobi. *de Baron. to.* 2. *q.* 83. *nu.* 17. apud quos referuntur Thor. Novar. *& alii de eodem agentes.*

His tamen non obstantibus, dicebam Ego scribens pro 4
actrice, ex triplici fundamento, hanc exceptionem nullam habere subsistentiam, primo ex facto (ex quo semper omnium meliora, & solidiora motiva resultant), quod scilicet hoc præsuppositum contracti debiti in causam Communitatis, utpote extrinsecum ab instrumento, in quo de hoc nulla mentio habebatur, non justificaretur sufficienter, quamvis enim aliquis fumus daretur, attamen cum actor haberet clare, ac bene fundatam ejus intentionem in instrumento publico faciente probationem 5
probatam, exinde resultat, quod reus, qui ad actionem elidendam extrinsecam exceptionem deducit, actoris partes in tali exceptione assumere dicitur circa onus perfectæ, & concludentis probationis, qua non sequuta, remanet exceptio turbida, & altioris indaginis, non apta retardare executionem, vel summarium judicium, quod in vim bene fundatæ actionis competit actori, juxta satis vulgaria, & quotidiana recepta axiomata sæpius insinuata, & de quibus particulariter *sub tital. de judiciis.*

Secundo, quod non sufficeret probare pecuniam eroga- 6
tam esse in usus Communitatis, nisi probaretur etiam id sequutum esse, ex præordinata conventione cum creditore, qui vere in animo habuerit contrahendi cum Communitate, atque ad fraudandam legem, adhibere voluerit hujusmodi cautelam contrahendi cum particularibus, quorum obligationem ipse recte sciret esse simulatam, ac in effectu fidejussoriam.

Secus autem non probata hujusmodi præordinatione, ac mala fide, adeout creditor, seu alter contrahens, vere, ac principaliter, in animo habuerit contrahendi cum aliquibus particularibus, cum tunc nil referat, quod illi pecunias ab eo acceptas Communitati dederint, seu in ejus usus erogaverint, juxta terminos textus *in l. si pecunia fœnebris, Cod. ad Vellejan.* ut plures casus distinguendo habetur apud allegatos, præsertim apud Marin. *dict. resol.* 59. *lib.* 2. ubi reassumit præcedenter deducta *resol.* 77. *lib.* 1. & de cujus textus *in leg. si fœnebris* materia agitur etiam forte *sub titulo de alienationibus, & contractibus*, an scil. requiratur dicta præordinatio, adeout actus dici valeat ita in fraudem gestus, vel sufficiat sola scientia.

Et consequenter ista remanet quæstio potius facti, quam 7
juris, juxta hujusmodi quæstionum generalem naturam, certam uniformem regulam non recipiens, sed pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, bonam, vel respective malam fidem redolentibus, decidenda. Et quoniam mala fides in dubio præsumenda non est, idcirco donec illa probetur, creditor fundatam habere dicitur intentionem, ut in hac facti specie sequebatur, ideoque, nisi aliæ darentur probationes, justæ, ac probabiles dictæ resolutiones videbantur etiam in sensu veritatis.

Est bene verum, quod cum ista sit species collusionis, de 8
sui natura difficilis probationis, idcirco omnino exacta, & concludens probatio non videtur desideranda, sed sufficit adminiculativa, pro Judicis prudenti arbitrio, unde pro-

pre-

pterea sæpius in hac materia consultus respondere consuevi, nimium deferendum esse argumento a posteriori, seu observantiæ, an scilicet creditor fructus census directe exegerit a Communitate, vel ab ipsis obligatis, ex adeo frequenti quotidiano axiomate, quod observantia est optima interpres omnium dispositionum, tam morientium quam viventium, quoties tamen illa sit ipsiusmet creditoris, seu principalis contrahentis, de cujus voluntatis interpretatione agatur, secus autem ubi ipso exigente fructus ab obligatis, absque eo quod se ingereret cum Communitate, observantia prædicta sequeretur cum hærede, vel alio successore solutionem recipiente ab eo, qui illam offerret, tum quia solutio etiam a tertio fieri potest, tum etiam quia ita de facili ignarus supplantari possat cum ista cautela per obligatos affectata.

Tertio demum, quod ubi etiam dicta probatio voluntatis contrahendi cum Communitate accederet, adeout extra controversiam versaremur in casu pragmaticæ, adhuc ta-
9 men ratione juramenti in instrumento contenti, ejusdem pragmaticæ dispositio attendenda non erat ex pariter frequenti, & quotidiana recepta conclusione, de qua pluries *sub tit. de credito*, & plene *sub tit. de dote*, *disc.* 143. & in hujus causæ decisionibus, præsertim prima, ubi allegantur *decis.* 20. & 44. Buratt. (in quibus agitur de alia hujus Regni pragmatica) quod scilicet actus jurati non subjacent legibus laicalibus ex defectu potestatis in Principe laico tollendi vim juramenti, quod juxta dispositionem textus *in cap. cum contingat, de jurejur. & cap. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.* servandum est, quoties absque æternæ salutis iuretitu servari potest.

Et ex quo motivo resultat, quod in Curia, cives & in-
10 colæ præsertim Provinciarum Aprutii, magnum & continuum commercium cum hac Regione magis, quam cum reliquis Regni Provinciis habentes, coguntur, vel ex propriis, vel ex eorum auctorum obligationibus, solvere hujusmodi debita, absque spe relevationis, dum Judices, ac Tribunalia Regni ais aures non præbent.

Reflectendo autem ad veritatem, solida quidem videbantur duo priora fundamenta (quatenus melior probatio
11 dictæ præordinationis non sequeretur), istud vero ultimum, solum, & de per se consideratum, præsupposito quod eo secluso, intraret dictæ pragmaticæ dispositio, nunquam placuit, ex triplici motivo, seu ratione.

Primo quia licet vera sit dicta propositio, ut actus jurati laicalibus Statutis non subjaceant, quinimmo neque Papalibus, non ex eo defectu potestatis, qui in laicalibus viget, sed ex illo voluntatis in dubio non præsumendæ ex deductis, præsertim *dicto disc.* 143. *de dote*.

Attamen recepta est limitatio ibidem pariter deducta,
12 ubi indirecta juramenti enervatio ab eadem lege resultaret, disponendo super facto, quo posito illud (attento etiam jure canonico) corruit, ac operativum non est, quia nempe adimat fidem scripturæ, sive inducat fictam probationem doli, seu vis, & metus.

Receptum pariter est, ut *eod. disc.* 143. *de dote*, & alibi pluties habetur, hanc limitationem præsumptivæ probatio-
13 nis hujusmodi operationem facere, quoties per contrariam probationem etiam adminiculativam, & ex fortioribus præsumptionibus resultantem, non constaret de contraria veritate, cui perpetuo cedit fictio, seu præsumptio.

Dicta vero præsumptio fraudis, per quam indirecte juramenti virtus, ut supra, tollitur, non exigit pernecesse formalitatem verborum, quodque Statutum ita expresse disponat, quoniam si ex facti qualitate constat, statuentes hoc in animo habuisse, atque ex motivo obviandi fraudibus ire statuisse, probabilius videtur idem dicendum fore, ex verissimo principio, pro meo judicio præ oculis in omnibus habendo, ut non cortex & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, & consequenter, ubi ex facti qualitate constat, ita ex præordinatione ad fraudandam legem, initum fuisse cum particularibus istum contractum, quem vere creditor in animo habuit faciendi cum Communitate, tunc juramentum dictam operationem facere non debet.

Cum enim juramentum sit vinculum Religionis, esse non debet fomentum mendacii, & simulationis, ut advertitur
14 præsertim *sub tit. de dote disc.* 159. & in aliis pluries ibidem ad materiam confessionis dotis, quæ prohibitæ inter conjuges donationi referenda veniat, nam licet ex hodie receptissima opinione juramentum tollat prohibitionem a jure civili manantem in donationibus inter conjuges, attamen id intelligendum venit, ubi agitur de expressa donatione, quæ sincere sub eo titulo fiat, secus autem de illa, quæ fraudulenter sub alio simulato titulo, vel contractu sequatur.

Secundo, quia juramentum neque operativum est, ubi adversetur favori principaliter publico, quamvis exinde 15
favor privatus accessorie, seu consecutive resultet juxta ea, quæ desuper habentur *eodem disc.* 143. *de dote*, & *sub tit. de servit. ad materiam retractus*, *discurs.* 80. ac alibi pluries.

Et hic videtur casus, quoniam ita per hujusmodi leges principaliter favori publico consuli dicitur, dum ipsi particulares, qui se obligant pro Communitate, a frequentius contingentibus, utpote loci potentiores, de proprio damnifi- 16
cati non remanent, sed damnum redundat infimo Populo, ac pupillis, & viduis, aliisque miserabilibus, qui pro hujusmodi debitis solvendis, collectis, ac oneribus gravantur, ipsis vero se obligantibus, id ad lucrum, & industriam potius deservire solet, & consequenter quod dicta limitatio recte adaptabilis esset, cum publico bono expedire videatur ita rigorose procedi, ne de facili inveniantur pe- 17
cuniam credentes Communitatibus, adinstar illius rigoris, qui per legem civilem ex *Senat. conf. Macedon.* introductus est adversus credentes filiisfamilias, & per jus canonicum adversus credentes Abbatibus, vel Procuratoribus, & Ministris Ecclesiarum, & Monasteriorum, cum similibus.

Et tertio demum, ex illo motivo claudicationis, seu 18
inæqualitatis ecclesiastico ordini præjudicialis, quod consideratur *in dicto disc.* 143. *de dote* in proposito pragmaticæ dotium moderatoriæ, ac etiam per Rotam *decis.* 348. *part. 9. recent. repetit. decis.* 180. post Zach. *de oblig. camer.* edita in casu, de quo *sub titul. de credito*, quod scilicet ita status clericalis, seu ecclesiasticus, de sui natura, favore, ac privilegio dignus, odium ac præjudicium causaret, illumque habentes deterioris faceret conditionis, quam sint sæculares, quoniam isti, sive sint principales obligati, sive eorum hæredes, vel bonorum possessores, tuti remanent a molestiis, quas eorum competentes Judices sæculares, pragmaticæ observantiæ inhærentes, absque dubio non inferunt, eas vero recipiunt Ecclesiastici pulsabiles in ecclesiastico Foro, a quo causæ ad Curiam trahuntur, sive illi, qui Curiam sequerentur, aut alias in Urbe, & Statu ecclesiastico commercium habent, quo nil absurdius, ideoque præsupposita in creditore, seu alias contrahente dicta mala fide, quodque secluso juramento, dictæ legis dispositio intraret, istud juramenti motivum Mi- 19
hi nunquam placuit, quamvis juxta insipidum currentem pragmaticum abusum, hæc reputari soleant ratiocinia ex acumine ingenii provenientia, ex quia non adsint pariter insipidi Collectores id asserentes, quasi quod, ubi isti sine aliquo discursu, vel ratiocinio id dicerent, esset casus legis, quo nil ineptius.

ROMANA DOMUS DE FILONARDIS PRO MONTE PIETATIS CUM MARIO FILONARDO ET ALIIS.

Casus disputatus coram diversis Judicibus, ac varie resolutus.

De alienatione bonorum filiifamilias, quamvis minoris, vel pupilli, facta per patrem tanquam legitimum administratorem, an, & quando valida, vel respective invalida sit.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De alia controversia in eodem casu remissive.*
3 *Patri non quæritur usufructus in iis, in quibus ipse succedit cum filio.*
4 *De eadem conclusione, & quando non procedat.*
5 *Non de facili in Curia recedunt Judices a firmatis in decisionibus Rotæ.*
6 *Non sunt cumulandæ specialitates.*
7 *Quomodo Judex debeat reflectere ad doctrinas.*
8 *An prohibito usufructu dicatur prohibita administratio?*
9 *De ratione, cui innitantur tenentes opinionem, ut censeatur etiam prohibita administratio.*
10 *Tutor bene agit gerendo negotia pupilli sicuti sua.*
11 *Pater habet majorem auctoritatem quam tutor, & alienat sine solemnitatibus.*
12 *Est item administrator, quamvis non habeat usumfructum, si filius est pupillus.*
13 *Ubi administratio competat patri jure tutoris.*

14 *De eodem.*
15 *De justa causa alienandi.*
16 *De exitu causæ.*

D I S C. XXVII.

1 Ennius de Filonardis Dominus controversæ domus pro medietate, istam donavit Jacobo, & Petro-Francisco ea fratre nepotibus Dominis, & possessoribus alterius medietatis, ac etiam Mario dicti Jacobi filio; eisdemque patri, & filio ejus portionem utroque titulo competentem donavit etiam dictus Petrus-Franciscus, quare Jacobus, tam ex jure proprio, quam uti pater, ac legitimus administrator Marii filii, domum prædictam vendidit Monti pietatis, cujus administratores, ex prudenti motivo, a Papa etiam approbato, partem solo æquarunt, ad effectum reducendi ipsius Montis domum magis tutam, ad formam insulæ, a viis publicis undique circumdatam, reliquam vero partem remanentem, ne inutilis esset, cum nova fabrica, ad formam domus habitabilis reduxerunt; quibus sequutis, tam creditores Jacobi, & Petri-Francisci in judicio Salviani, quam dictus Marius in judicio rei vendicationis, pro ratis ad eum jure dominii, ut supra spectantibus, litem instruxerunt coram ejusdem Montis Judice particulari.

De judicio autem moto per creditores, in quo punctus 2 erat, an isti jus haberent ad novam fabricam, ac melioramenta, habetur actum in sua materia *sub tit. de cred. disc. 24.*

Quatenus vero pertinet ad istud rei vindicationis, quod jure dominii instituit Marius venditoris filius, punctus erat an dicta venditio valide per patrem, etiam nomine filii, absque Iudicis decreto, aliisque solemnitatibus in jure præscriptis in alienationibus bonorum minorum, præsertim non consentientium, fieri potuerit necne.

In hoc autem Scribentes pro actore dicebant, clarum esse defectum potestatis in Jacobo patre vendendi bona stabilia filii in infantili, vel minori ætate tunc existentis, quoniam non agebatur de bonis adventitiis filii, in quibus pater haberet usumfructum, cujus ratione dicitur legitimus administrator, dum ista domus obveniebat ex dicta donatione contemporanee facta utrique, quo casu patri non acquiritur 3 ususfructus, per dispositionem text. *in auth. item hæreditas, Cod. de bonis, quæ liberis*, quamvis enim textus hic loquatur de iis bonis, in quibus pater, ac filius æqualiter ab intestato succedunt, atque disputent DD. an extendatur ad bona, quæ ex dispositione extranei ad utrumque obveniunt, attamen dicebant, magis veram esse opinionem firmantem extensionem, seu parificationem, nepote firmatam per Rotam, præsertim *in Romana legati 1. Julii 1665. cor. Verospio*, ex deductis *sub tit. de servit.* ad materiam hujus ususfructus legalis patri competentis *disc. 62. ubi concordantes.*

Scribens Ego pro Monte reo convento, etiam cum sensu veritatis per Judices quoque agnitæ, ut infra, dicebam alienationem esse validam, adeout sine dubio, actori jus vindicandi ipsam domum non competeret, solaque disputatio caderet super modo assequendi pretium, quod extabat, ut infra.

In primis enim negabam assumptum, quod patri ususfructus non acquireretur, cum probabilius, pro meo sensu, 4 in puncto juris videretur contrarium, juxta ea quæ, plures casus distinguendo, habentur deducta *eod. disc. 62. de servitutibus*, ubi habentur auctoritates, quas in præsenti quoque deducebam, & quamvis agnoscerem, in Curia nimium difficile, ac pene impossibile esse Judicibus, 5 præsertim anticis, ac inferioribus, suadere, ut discedant ab ea opinione, cui assistat aliqua moderniot *Rotæ dec.* licet cum auctoritatibus, & efficacissimis rationibus convincenter ostenderetur contrarium esse verius, attamen dicebam ad id reflectendum esse, non ad effectum decidendi quæstionem, cum super hoc principalis disputatio non esset, neque iste esset causæ punctus, sed ad effectum dignoscendi eam esse quæstionem ambiguam, & disputa6 bilem, ac propterea, quod constitui non posset certum assumptum, ex quo deinde aliud assumptum, sive consequentia deduci posset, quoniam esset species cumulandi fictiones, vel specialitates, atque ex uno principio dubio, consequentiam etiam dubiam trahere contra juris principia; in hoc enim consistere debet judicium, seu reflexio 7 Judicis, inspiciendi finem, seu effectum ad quem conclusiones, vel auctoritates deducantur.

Siquidem, etiam in ista bonis, in quibus certum sit, quod pater non habeat usumfructum, adhuc neque absolutum, 8 sed etiam disputabile est de jure, an interdicta sit administratio, quoties prohibitio non proveniat ab homine in odium patris, sive ex culpa, vel diffidentia, quæ de eo habeatur, sed ex sola dispositione legis, probabiliorque videtur contraria, ut, cæteris relatis, habetur apud a Pont. *consf. 19. n. 30.* Castill. *de usufr. c. 3. n. 59. & sequen.* Rota *dec. 103. in fine, par. 6. rec.* cum aliis in dicta sua materia *sub tit. de servit.*

Et quamvis non desint tenentes contrarium, &, quicquid sit de una, vel altera opinione, ubi certum esset primum præsuppositum incompetentiæ ususfructus, ex quo de consequenti resultet hæc alia incompetentia administrationis, de cujus interdictione principaliter ageretur, attamen satis improprium erat, in utroque articulo adeo dubio & disputabili constituere certa præsupposita, ex quibus resultaret alterum deficientis potestatis annullantis actum jam initum cum bona fide, ac justa credulitate, quæ ob diversam opinionem, ut supra haberi potuit, & sic magnus erat cumulus specialitatum, seu illationum, ac deductionum dubii ex dubio.

Præterea dicebam quod omnis difficultas desuper cessabat 9 ex eo, quod in hac ultima quæstione, an scilicet præsupposito pro certo dicto assumpto incompetentiæ ususfructus, de consequenti resultaret incompetentia administrationis, quoties dicta ususfructus incompetentia non provenit ab expresso judicio hominis, sed a sola dispositione legis *in d. auth. item hæreditas*, sive ab extensione, quam DD. ei tradiderunt, DD. tenentes diversam opinionem super consequenti incompetentia administrationis resultante ab altera incompetentia ususfructus, in ea unica ratione fundantur, quod ideo lex confidit de patre in administratione bonorum filii, atque ejus judicio in dubio defert, majoremque tribuit potestatem, quam præbeat tutori, vel curatori, adeout non subjaceat illis solemnitatibus, quibus isti subjacent, quia scilicet ipse quoque, ratione ususfructus, proprium, & commune interesse habet, ideoque, cum affectione paterna concurrit etiam interesse proprium, ut advertunt Tiraquell. *in l. si unquam, in præfat. n. 29. in fine vers. adde aliam rationem*, Covarr. *lib. 1. var. cap. 8. n. 6.* Rota apud Gregor. *decis. 334. n. 6. & 7.* & alii, atque hinc trahitur consequentia, quod cessante dicto interesse, cessare debeat dicta major fiducia.

Ista vero consideratio in hac facti specie cessabat, quo- 10 niam, ubi etiam tanquam certa admitteretur incompetentia ususfructus, adhuc vigebat dicta ratio communionis proprii interesse, quinimmo erat major illud patris, ad quem pro longe majoribus portionibus domus pertinebat, unde propterea, si in mente habemus, quod ubi gerat negotia pupilli eodem modo quo gerit propria, quia nempe negotium commune sit, pro ejus judicio est præsumptio, donec ista per contrariam probationem, vel fortiorem præsumptionem excludatur, ut apud Buratt. *decis. 239. n. 5. vers. sicut etiam dicitur.*

Multo magis idem dicendum est in patre, cui lex absque 11 dubio majorem dedit potestatem, dum accedente justa causa, potest sine decreto Judicis, aliisque solemnitatibus alienare bona filii quamvis pupilli, vel minoris, Azzo *in summa, Cod. de bonis quæ liberis, n. 11.* Simoncell. *de decreto, lib. 3. tit. 8. n. 9.* Rota apud Buratt. *decis. 657. n. 6. & in Romana divisionis 15. Junii 1640. coram Bichio, & decis. 238. n. 10. & 11. part. 8. recent.* & admittitur *in decis. 413. & seqq. part. 9.* ubi late de invalida alienatione facta per patrem ex defectu justæ causæ.

Omnisque difficultas in hac facti specie cessabat, quo- 12 niam, etiam in sensu tenentium dictam opinionem, ut ex incompetentia ususfructus, resultet etiam incompetentia administrationis, id procedit, ubi filius sit major, qui possit per seipsum ejus bona administrare; secus autem durante ejus pupillari, seu alias imperfecta ætate, cum tunc verius, magisque receptum sit, ut quoties prohibitio non provenit ab homine, ex odio, vel culpa, sed solum a subtilitate juris, pater adhuc dicatur legitimus administrator, ex iis quæ, antiquioribus relatis, habentur apud Gratian. *discept. 365. n. 43. & sequen.* Castill. *de usufr. d. cap. 3. n. 59. & sequen.* plene Giurb. *obser. 86. n. 7.* Salgad. *in labyrint. part. 1. cap. 27. n. 34. & sequen.* Rota *d. decis. 103. n. 16. par. 6. recent.* & hic erat casus.

Replicabant Scribentes pro actore, non negando dictam 13 limitationem, quod cum isto casu, præsupposita incompetentia administrationis jure patriæ potestatis, ea competere diceretur potius jure tutoris, vel curatoris, necessariæ essent eædem solemnitates, quæ in tutore, vel curatore desiderantur, ut apud Paschal. *de patr. potest. par. 1. cap. 2. n. 6. & n. 83. cum sequen.* Castill. *de usufructu, dicto cap. 3. n. 72. apud quos cæteri.*

Ve-

Verum id continere videbatur æquivocum, ista etenim propositio, recte procedit, ubi ageretur de filio amancipa-
14 to, seu alias a paterna potestate a rempio, adeout non intret illud jus, quod rationu patriæ potestatis, attento jure antiquo, patri competebat, ut quicquid filius acquireret, totum esset suum, attento vero jure moderno Codicis, per quod peculiorum introductio facta ast, in recompensam dictæ majoris pertinentiæ, ista prærogariva concessa est, & consequenter intrat solum terminus tutelæ, vel curæ, quæ secum trahit dictam necessitatem, atque cum hoc præsupposito procedunt antiquiores plene deducti per Tiraquall. *in d. l. si unquam, in præf. n. 30. cum seq.* ac petrasentnt moderniores, ut apud Pasch. & Castill. *ubi supra*, sed ubi patria potestas adest, tunc qualitas minoris, vel pupillaris ætatis non facit, ut pater jure tutoris, vel curatoris vere censendus veniat, cum id contineat errorem in terminis, dum existens in aliena potestate, tutorem habere non potest, sed id facit, ut cesset illa incompetentia administrationis; quam ex incompetentia ususfructus ona opinio intrare credit in solo casu, in quo filius major possit per seipsum administrare, & non alias, quoniam dato hoc defectu administrandi per sa ipsum, pernecessu alium administratorem dare oporteat, ideoque nimis incongruum, ac irrationabila ust, ut spreto patre, extraneus deputandus veniat, quoties non urgeat dicta ratio odii, seu diffidentiæ habitæ per testatorem, & sia circumstantia minoris, vel pupillaris ætatis considarabilis est ad effectum faciendi cessare limitationem, ut propterea regula generalis, quæ patri assistit, locum habeat jure paterno, non autem tutolari.

Justa vero causa urat incontrovertibilit, quoniam cum donatio haberet onus extinguendi aliqua debita utriusque donatoris, quæ erant sub gravibus usuris, vel fructibus, ad-
15 eout justa frequentiorem contingentiam æs alienum vix adæquans medietatem pretii domus majorem produceret fructum passivum, quam importaret fructus activus ipsius rei, ideoqua expediens arat dictam alienationem facere, potissime vero ex dicta consideratione, quod longe majus erat interesse proprium ipsius patris, ac etiam, quia dici potuit alienatio potius necessaria, quam voluntaria, non solum quia supponebatur id sequutum fuisse ex chirographo Pontificio in eodem instrumento venditionis ennunciato, cujus atiam plura adminicula dabantur, cum potestate cogendi invitos ad vendendum, ad effectum reducendi domum ad formam insulæ pro majori securitate, ut supra, sed etiam quia ubi dictum chirographum cessaret, id fieri potuisset de jure juxta terminos text. *in l. si quis sepulchrum, ff. de relig. & sumpt. funer.* de cujus materia habetur in hoc proposito pluries actum *sub tit. de servit.*

Judex primæ instantiæ, habendo alienationem pro valida, immissionem actori dedit pro ejus ratis ad pretium,
16 quod axistebat investitum in loca montium cum vinculis annuxis, sed quoniam ultra vinculum avictionis, quod ast connaturale, dicta loca montium aliud habebant vinculum multiplici usque ad integrum valorem, ut ita consultum remaneret amptori, supplendo illam pretii partem, quæ arogata erat in astinctionem æris alieni ejusdem Jacobi patris, hinc Judex secundæ instantiæ, reformando primam sententiam, mandavit deleri hoc vinculum pro rata spectante ad portiones filii, quæ affici non potuerant pro debito patris, atque Mihi quamvis scribenti in contrarium id justum, ac probabile visum ast, quamvis in facto supponeretur etiam hanc difficultatem tolli ex eo, quod ipse uctor haberet in manibus quædam bona ex pretio comparata ejus virilem adæquantia.

ANNOT. AD DISC. XXVII.

AD materiam ususfructus legalis patri competentis videri poterunt deducta *sub tit. de servit. disc. 60. & seq. & in eod. tit. disc. 106. & 107.*

ROMANA CENSUS
PRO MARCHIONE MARTIO URSINO, CUM ALBERTIS, ET GILIANIS.

Casus decisus per Rotam pro Marchione.

De Statutis 113. & 151. Urbis præscribentibus certas solemnitates in contractibus, & alienationibus bonorum stabilium minorum, an procedant in impositione census? Et quæ sint istæ solemnitates.

Card. de Luca, Lib. VII.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quæ sint solemnitates Statuti 151.*
4 *Quod census non veniat appellatione bonorum stabilium, sed constituat tertiam speciem, ideoque non veniat sub Statuto, & n. 10.*
5 *Actus necessarius pro solutione debiti paterni sustinetur etiam sine solemnitatibus.*
6 *De probatione versionis.*
7 *Minor factus major observando contractum, illum ratificat.*
8 *De Statuto 113. & quod non servata ejus forma actus corruat.*
9 *An Statuta 113. & 151. procedant disjunctive, vel conjunctive?*
10 *Quod census impositio veniat sub Statuto 113. ac sub prohibitione alienationis stabilium.*
11 *Ubi minor habet curatorem generalem, sine isto non possunt deputari curatores speciales.*
12 *Citatio procuratorum facta pro uno loco, non sufficit, si contractus fiat in alio loco.*
13 *Habenti curatorem generalem non datur alius curator specialis absque necessitate.*
14 *Et absentia curatoris ad tempus non attenditur, si necessitas non urget.*
15 *In prohibitis non defertur confessioni.*
16 *Quando procedi possit ad alienationem bonorum pupilli, vel minoris.*
17 *Ubi actus est nullus, tenetur solum minor de in rem verso.*
18 *Ratificatio non inducitur sine explicita scientia facti, & juris.*
19 *An in terminis Statuti 151. requiratur causa justa utilitatis, vel necessitatis?*
20 *Ea tamen requiritur in terminis Statuti 113.*
21 *Curator specialis deputari solitus in actu contrahendi ad nil prodest.*
22 *De invalida obligatione mulieris in eodem contractu cum minore.*
23 *An existente invalida obligatione principalis, corruat illa fidejussoria, vel correi.*

D I S C. XXVIII.

SUb assertione necessitatis solvendi mutuum præceden- 1
ter contractum cum Alano de Albertis, ad effectum solvendi quoddam legatum paternum, Maherbales de Ursinis minor, sub fidejussione Portiæ Vitelliæ matris, ac ajusdem Alani de anno 1600. censum imposuit ad favorem Friderici Caballi, cujus hæredibus, seu alias causam ab eo habentibus pulsantibus Marchionem Martium filium, & hæredem coram A. C. ab isto prodiit sententia absolutoria, ob dicti census nullitatem a reo convento oppositam, intro- 2
ductaque per appellationem causa in Rota coram Bourlemont, atque dato dubio, an census esset validus, sub die 15. Maji 1662. ad favorem ajusdem Marchionis negativa prodiit resolutio, cui actores acquiaverunt.

In his autem disputationibus in utroque Tribunali habitis, præsertim in unica Rotali, tria erant fundamenta Scri- 3
bentium pro actoribus pro elidenda objecta nullitata, qua cessanta, fundata remanabat eorum intentio, stante publico instrumento faciente probationem probatam, primo quod satisfactum asset solemnitatibus, quæ in contractibus minorum præscribuntur per Statutum 151. consistentibus in decreto Judicis, & in interventu duorum proximiorum, vel in aorum defectum, curatoris ab eodem Judice deputati, non attenta alia solemnitare requisita per aliud Statutum 113. alterius curatoris, cum illud loquatur de alienationa bonorum stabilium, sub quorum nomine in Statutis a jure exorbitantibus stricte intelligendis ad limites verborum, non veniunt impositiones censuum, multas de- 4
super cumulando auctoritates collectas per Cenc. *de cens. quæst. 30. num. 1. & seq.* firmantes quod census non dicuntur bona stabilia, neque loco circumscribuntur, aut eorum nomine veniunt, sed potius sub nomine jurium, & actionum, sive tertiam speciem constituunt.

Secundo, quod ubi etiam nullæ adhibitæ fuissent solemnitates, adhuc actus sustineri deberet, ut pote necessarius ma- 5
gis, quam voluntarius, pro satisfaciendo paterno legam ex firmatis *decis. 34. num. 5.* post Cenc. *de cens. decis. 776. num. 2. & 3. par. 2. recent.* Duran. *decis. 26. decis. 39. nu. 8. & 9.* & in aliis, quæ cumulabantur, plura etiam deducendo circa ea,

quæ habemus super præsumptiva probatione versionis in
6 causam expressam ob necessitatem solvendi, ac subsequu-
tam de recenti solutionem, non constito quod solvens ha-
beret aliunde promptas pecunias, ea deductis apud Sard.
dec.55.n.7. & *seq.* Franch. *dec.97.* ubi Add.Rot.*dec.481.n.5.*
& *seq.p.5.rec.* cum aliis per Amat.*resol.3.n.59.* & pluries *sub
tit. de credito*, potissime stante decreto Judicis, pro quo
est præsumptio, ut advertitur *d.dec.481.p.5.rec.*

Et tertio demum ob ratificationem ejusdem Maherbalis
facti majoris resultantem a continuata fructuum solutione
per plurium annorum spatium, ex deduct.*dec.11.n.8.p.5.rec.*
7 *dec.81.n.3.* & *seq.p.8.* apud Otthob.*dec.126.n.10.* & *pluries.*
His tamen non obstantibus, scribens Ego pro Martio reo
convento, etiam cum sensu veritatis, dicebam pro invali-
ditate respondendum esse, unde propterea resolutio justa,
beneque fundata visa est, stante clara dispositione Statuti
113. ut in alienationibus faciendis per minores, ultra inter-
8 ventum, ac auctoritatem ordinarii curatoris, ac etiam il-
lum Judicis, intervenire quoque debeant proximiores, vel
eorum loco alter curator ad formam alterius Statuti 151:
unde cum hæc servata non essent ob interventum unius cu-
ratoris tantum, tunc ad illum actum deputati, plana rema-
nebat nullitas ob decretum irritans in utroque Statuto con-
tentum, ut *dec.14.* & *25.p.5.rec.dec.190.p.8.* & *sæpius.*

Et quamvis apud nostros majores controversum sit, an
hæc duo Statuta disjunctive attendenda veniant, adeout
servando solemnitates in uno præscriptas, non oporteat
servare alias, attamen hodie extra controversiam rece-
ptum est, ut ea attendi debeant conjunctive, eorumque
9 combinationi locum esse debeat, ubi agatur de alienatione
stabilium, de quo loquitur Statutum 113. remanente solo
Statuto 151. in aliis contractibus, qui formalem alienatio-
nem non importent, ut *dec.153.n.13.p.1.rec. dict. dec.25.n.
fin.p.5.* & in hujus causæ decisione, ac frequenter; atque
supponebatur per Scribentes in contrarium, dum recte
conscii, quod hodie sit conclusio plana, super hoc non
insistebant, sed conabantur evitare dictum Statutum 113.
ex eo quod loquens de bonis stabilibus, non caperet im-
positionem censuum, ut supra.

Verum hoc erat refugium satis debile, quoniam ut plu-
ries advertitur supra *disc.1.* & in aliis occasione aliena-
10 tionis bonorum Ecclesiæ, & *disc. proxime præcedentibus*,
occasione alienationis bonorum Communitatum, satis re-
ceptum est, censuum impositionem venire sub prohibita
alienatione stabilium, atque ultra ibi deducta, in his specia-
libus terminis firmatis *dec. 33.* apud Martin. Andr.*n.1.* & *2.
repetit. dec.668. par.1. rec. d. dec.190. in principio p.8.* apud
Merlin. *dec.540. num. 1.* & *per totum*, cum aliis in hujus
causæ decisione.

Clarius vero, quia, ubi etiam ad formam dicti Statuti 113.
ita combinati cum altero 151. duo curatores a Judice, tunc
11 ad illum actum deputati fuissent, adhuc id non suffragare-
tur, dum jam minor habebat curatores ordinarios a testa-
tore deputatos, atque a Judice confirmatos, ideoque sa-
tisfactum non remanebat Statuto, quod exigit interven-
tum curatoris ordinarii, & alterius accidentalis tunc depu-
tandi per Judicem in locum proximiorum, nil obstante
quod affectate sumpta esset occasio absentiæ unius ex dictis
curatoribus, quodque alter citatus comparere neglexerit,
tum quia difficultas removebatur ex facto, quod scilicet
non bene probaretur præsupposita absentia unius, neque
bene concepta esset citatio alterius, dum contractus initus
12 fuit in loco diverso ab eo, qui in citatione enunciabatur
quod sufficit, ut ille dici non possit contumax, ea plene
deductis per Ubert. *de cit. to.2. c.9. n. 34.* & *seq.* & *in dec.*

Tum clarius, quoniam hujusmodi forma procedendi lo-
cum habet in ea deputatione curatoris, quæ fiat in locum
13 proximiorum, nullum officium necessarium habentium su-
per minoris defensione, secus autem ubi agitur de curatore
ordinario, ac generali testamentario, vel dativo, quoniam ha-
benti curatorem generalem, alter curator non deputatur
specialis, nisi eo remoto, vel, ubi causa cognita, ratio legi-
timi impedimenti ita exigat, ad text.*in l. curatorem, C. qui dare
tut. vel curator.* & *l. cum jure habenti, C. qui petant tutores*,
cum concordantibus relatis apud Caval. *dec. 257. n. 6.* repetit.
dec.49. post Picum *ad Statuta*, *dec.314.n.8.p.7.rec.* & *in aliis.*

Et quamvis bene justificata fuisset præsupposita dictorum
curatorum absentia ad breve tempus, non exinde licitum
14 reddebatur ad hujusmodi deputationem devenire, cum age-
retur de actu voluntario, quem nulla necessitas cogebat,
magis una die, quam altera gerere, dum nullum in mora
periculum urgebat, atque alias inanes remanerent tot so-
lemnitates, ac diligentiæ per legem, in tutorum, & cu-
ratorum deputationibus, vel confirmationibus desideratæ,
si ita de facili eludi possent, quodque ignaro curatore ordi-
nario, ita minor, mediante hujusmodi speciali deputatio-
ne personæ talis qualis, & adventitiæ, (ut stylus docet)
absque aliqua inquisitione, vel causæ cognitione, aliena-
tiones, aliosque præjudiciales contractus facere posset.

Quo vero ad alterum fundamentum necessitatis pro dis-
solvendo debito legitime contracto, ex causa legati pater-
ni, ultra motiva in facto consistentia, quod scilicet de dicta
præsupposita solutione, ac versione non constaret alias
quam per confessionem in ipsamet impositione census, in 15
prohibitia absque dubio non attendendam, ex receptissi-
ma, hodieque plana propositione, quod prohibitus con-
trahere, vel alienare, est etiam prohibitus confiteri, ne
indirecte sequatur quod directe prohibitum est, atque ita
lex verbis potius, quam rebus imposita remaneat, ut ali-
bi frequenter advertitur.

Adhuc in puncto juris advertebam id non suffragari, et-
iam si dicta solutio bene probata esset, quoniam ut habe-
mus ad materiam textus *in l. lex quæ tutores, C. de admi-
nistr. tutor.* non ex eo, quod urgeat debitum a pupillo, vel
minore solvendum, ergo sequitur, quod licita sit aliena- 16
tio, præsertim bonorum stabilium, vel æquipollentium,
cum ista non permittatur, nisi in subsidium, & quando
alias consuli non potest cum pecunia, vel mobilibus, seu
fructibus, ac propterea ad hunc effectum lex induxit so-
lemnitates, præsertim interventum Judicis, & curatoris,
ut ita bene examinarentur.

Et consequenter ubi etiam de dicta versione constaret,
competeret quidem ei, qui pecuniam dedit, æquitativa
actio de in rem verso ad limites utilitatis, seu versionis, 17
ne alias daretur locupletatio minoris de alieno, cum lex
provideat, ut pupilli, ac minores non decipiantur, neque
damnificentur de proprio, non autem ut alios decipiant,
ac de alieno locupletentur, ut etiam de Ecclesia advertitur
supra *disc.1.* & *in aliis*, non tamen exinde inferri poterat
ad validitatem alienationis.

Demum quoad ultimum motivum ratificationis deductæ
ex subsequuta observantia per solutionem fructuum, facilis
erat responsio, cum hodie nimis plana, receptaque conclu-
sio sit, ut ad hujusmodi ratificationem inducendam, ne-
cessaria sit scientia certa, & positiva nullitatis, tam facti,
quam juris, adeout minor factus major, de his recte con-
scius voluerit tanquam ex integro debitum agnoscere, se- 18
cus autem, ubi fructus solvere potuerit, ex falso præsup-
posito, quia se ad id obligatum crediderit, ex iis, quæ aliis
relatis plene habentur apud Rojas *dec.82.n.8.* & *9.* apud Cels.
decis. 159. numer. 13. apud Otthobon. *dec. 204. n. 5. dec. 80.
numer.3.* & *seq. part. 10. recent.* & in hujus causæ decisione,
ac passim.

Eoque magis istius contractus nullitas erat manifesta,
non constito de necessitate, ac versione, ut supra, quo-
niam attento solo Statuto 151. quamvis juxta opinionem, 19
cum qua hodie vivitur, ultra solemnitates, concurrere
quoque debeat causa justa, quæ sit vera, tam de jure,
quam de facto, ut nempe sit utilis, vel saltem non dam-
nosa, ea iis, quæ habentur *disc. proxime sequent.* Attamen,
ut ibidem advertitur, hoc est sub quæstione, cum Statutum
ita explicite non disponat, atque ut in aliis *disc. sequentibus*
advertitur, justa causa verificari potest, absque actuali uti-
litate, vel præcisa necessitate, ea causa scilicet congruen-
tiæ, vel naturalis impulsus.

Secus autem, ubi agitur de formalibus alienationibus
faciendis per minores, quoniam dictum alterum Statutum
113. ita innovando, seu clarius explicando juris commu- 20
nis dispositionem, expresse, ac præcise exigit utilitatem
evidentem, & consequenter eo magis præcedere debebat
inquisitio facienda per ordinarium curatorem generalem,
bene informatum de statu patrimonii, & an aliunde ex fru-
ctibus, vel mobilibus dictum debitum ea causa legati pa-
terni extingui potuerit, absque necessitate deveniendi ad di-
ctam alienationem, & de quo nullam informationem habe-
re poterat ille particularis adventitius curator pro qua-
dam cæremonia, seu formalitate deputatus, & qui reve- 21
ra ad nihil deservit, ut quotidiana praxis docet: Unde
merito, ac prudenter Tribunalia, neglectis materialibus
solemnitatibus, quamvis punctualiter, & diligentissime ad-
hibitis, principaliter ad causam respiciunt.

Actum quoque fuit de validitate obligationis Portiæ ma-
tris pro filio fidejubentis, sed nimium facile fuit hunc pun-
ctum superare, cum istius respectu deficerent etiam solemni- 22

tates

stes materiales, dum unicus curator deputatus minori, non poterat hanc aliam personam auctorizare, & ulterius, corruente contractu in filio, qui erat principalis, corruebat etiam obligatio matris, non quidem ex regula, ut corruente obligatione principali, corruat etiam accessoria fidejussoris, cum in non prohibitis ista conclusio de facto inutilis reddita videatur, ob praxim, ut fidejussores se obligent tanquam principales correos, ac principaliter, &
23 insolidum, quo casu ea non procedit, ex deductis apud Greg. & adden. *dec.* 325. 560. *&* 564. *dec.* 510. *p.* 5. *rec.* ubi Adden. plura cumulant, & pluries *sub tit. de cred.* Sed ex falsa causa, sive ex ejus deficientia, cum posita invalida obligatione minoris, qui erat principalis contrahens, ita mulieri consultum non remaneret super ejus indemnitate, seu relevatione, & consequenter obligatio remanebat sine causa, vel ista erat evidenter læsiva, & damnosa.

ANNOT. AD DISC. XXVIII. & seqq. usque ad Disc. XXXV. inclusive.

AGitur in his discursibus de materia alienationum, & contractuum minorum, & mulierum, non servatis solemnitatibus Statutariis, de qua actum quoque habetur in *hoc eod. tit. disc.* 55. 57. *cum plurib. seqq.* qui bene conferunt ad discursus jam editos. Etenim ad *disc.* 29. videri poterunt deducta *disc.* 55. *&* 61. Ad *disc.* 30. circa qualitatem doctoratus, ea quæ habentur *disc.* 63. Ad *disc.* 28. 31. & in aliis super solemnitatibus Statuti Urbis 113. & 151. videantur deducta *disc.* 65. *&* 66. Atque ad *disc.* 34. conferunt deducta *disc.* 58.

PARMEN. OBLIGATIONIS PRO MARCHIONISSIS DE SCUFFONIS, CUM BERNARDO DE CORRADIS.

Responsum extra Curiam.

An valeat contractus gestus per illum, qui ex Statuto sit major in propria patria, extra territorium, & in loco ubi sit minor, vel e contra, si in patria sit minor, & in loco contractus major? Et an minor cum juramento asserens se majorem, valide obligetur necne?

S U M M A R I U M.

1 *DE Statutis Parmæ, & Status Pallavicini circa minores.*
2 *Facti series.*
3 *De materia Statutorum, & an ligent subditos extra territorium remissive.*
4 *Ubi agitur de forma, vel solemnitate contractus, attenditur ejus locus.*
5 *Distinguuntur casus de minore contrahente extra propriam patriam, & de Statutis reducentibus minorem ætatem.*
6 *Minor, qui contrahat extra patriam in loco, in quo esset major, adhuc male contrahit.*
7 *E contra ille, qui est major in patria, valide contrahit in loco, in quo esset minor.*
8 *Idem in actis judicialibus.*
9 *De ratione conclusionum, de quibus n. 6. & seqq.*
10 *Reduplicatio personarum formalium in una materiali non intrat in iis, quæ pendent ab intellectu, vel animo.*
11 *De ratione, ob quam jura municipalia abbreviarunt minorem ætatem.*
12 *De distinctione casuum circa conclusionem, quod minori habilitato ad contrahendum competit restitutio in integrum ratione læsionis.*
13 *Procedit ubi actus valeat ratione juramenti.*
14 *De ratione, ob quam ratione læsionis minor est restituendus.*
15 *Idem de habilitatione resultante a venia ætatis.*
16 *De distinctione circa juramentum promissorium, & assertorium.*
17 *Majores cautelæ augent suspicionem circumventionis.*
18 *De alia habilitatione minoris dispensativa.*
19 *Et de alia generali, qua Statutum generaliter abbreviat ætatem.*
20 *Quando Statutum disponat juxta hunc ultimum modum.*
21 *Et de ratione, ac de origine Status Pallavicini.*
22 *An & quando minor cum juramento asserens se majorem, sibi præjudicet?*
23 *Distinguuntur plures casus.*
24 *Ubi creditor est doli particeps, assertio non suffragatur.*
25 *Quid in dubio, & ubi de nullius dolo constat.*
26 *Ubi minor est in dolo, cujus creditor non sit particeps, sed in bona fide, minori non succurritur.*
27 *De applicatione ad dictas distinctiones.*
28 *De circumstantiis arguentibus dolum in creditore.*
29 *&* 30. *Quomodo hæc materia regulanda, & decidenda sit.*

D I S C. XXIX.

DIsponente Statuto Status Pallavicini, ut minores 20. annorum, non nisi cum certis solemnitatibus contrahere possint; majores autem 20. annorum, possint libere, & absolute contrahere, ac valeant eorum contractus, & distractus, non obstante aliqua juris communis dispositione; Civitatis autem Parmæ Statuto, absque certis solemnitatibus inhabilitante minores 25. annorum, cum Bernardus de Corradis, origine, ac domicilio subditus dicti Status Pallavicini, in ætate 23. annorum constitutus, se in solidum in dicta Civitate Parmæ obligasset cum Jacobo principali conductore aliquorum bonorum pro solutione pensionis, pro cujus residuali summa libr. 51. mil. dicto Jacobo defecto, conveniebatur per Marchionissas de Scuffonis, de duobus ipse excipiebat, primo de invaliditate obligationis, ob non servatas solemnitates dicti Statuti Parmen. tanquam loci contractus, & secundo, quod ubi attendendum esset Statutum ejus patriæ habilitativum ad contrahendum, adhuc tamen, cum ageretur de obligatione fidejussoria, sibi concedenda esset restitutio in integrum, quare desuper ex parte actricum consultus 1 2

Respondi, neutram exceptionem subsistere, quatenus enim pertinet ad primam, quicquid nostri majores, pro ingeniorum varietate, sive pro causarum opportunitate, nil in jure pacificum relinquendo, variaverint, circa minores, vel alios inhabiles extra propriam patriam contrahentes in loco diverso, ubi sint forenses, an scilicet leges loci contractus, vel illæ loci personæ attendi debeant, & quando Statuta obligent forenses necne, super quo aliqua insinuantur *sub tit. de dote disc.* 143. occasione agendi de Statutis dotium moderatoriis, ac etiam de operatione Statutorum extra territorium, vel respective in territorio contra forenses, vel non subditos *sub tit. de success.* ubi occasione Statutorum excludentium fœminas propter masculos, vel cognatos propter agnatos, major, ac particularis est Statutorum sedes, omissisque aliis casibus ad rem non facientibus, & præsertim ubi agatur de solemnitatibus respicientibus formam, vel solemnitatem actus, quo casu, ut patet ex infra allegandis ex recepta distinctione Bartoli *in leg. cunctos Populos*, C. *de Summ. Trinit. &c.* locus contractus attendi debet etiam respectu forensium. 3 4

In præcisis terminis minoris, absque certa solemnitate inhabilitati ad contrahendum, & sic in casu alterius partis distinctionis Bartoli super habilitatione personæ, duo casus desuper cadere solent sub quæstione, unus est frequentior, quando ille, qui in propria patria esset minor, ac inhabilitatus, contraheret extra territorium in loco, in quo esset major, & habilis, puta, quia civis Perusinus, minor annis 25. ad quos minor ætas ad limites juris communis protrahitur, major autem annis 20. contraheret in Urbe, ubi ex Statuto 47. lib. 1. majores hac ætate in omnibus habentur pro majoribus, ac habilibus, sive quod civis Romanus minor annis 20. sed major annis 18. contraheret in Regno Neapolitano, ubi ex Constitutione Regni incipien. *Minorum jura*, & clarius per *pragmaticam primam de minoribus*, omnem quæstionem dirimentem, majores 18. annis reputantur in omnibus pro majoribus, alter vero casus est conversus, hujus controversiæ præcisus, ubi sc. in patria esset major, & habilis, atque contraheret in alio loco ubi esset minor, quia nempe Romanus major annis 20. sed minor 25. contraheret in Civitate Perusiæ, vel Neapolitanus major 18. sed minor 20. contraheret in Urbe, cum similibus. 5

In primo casu quicquid alias variatum fuerit, Rota tanquam meliorem firmavit opinionem, ut attendi debeat Statutum personæ quamvis contrahentis extra territorium, ut *dec.* 260. *n.* 6. *& dec.* 294. *num.* 3. *cum seqq. & num.* 8. *par.* 6. *rec.* eademque quæstio acrius reassumpta fuit in Romana, seu Perusina census 12. Decembris 1644. &

1644. & 23. Junii 1645. cor. Bichin, & quarum prima
ast etiam repetita *dec.* 162. *nu.* 6. post Zacch. *de obligat.*
6 in quibus, præsertim in secunda, responderet *ad dec.* 62.
81. *&* 519. *par.* 7. *rec.* quæ sunt revocatoriæ dictarum
dec. 260. *&* 294. *par.* 6. ut revocatio procedat ex præce-
pto ejusdem debitoris, qui moriens mandavit ea debita
solvi, non autem ex causa validitatis actus, cum in hac
parte recessum non sit, atque cum hac opinione tanquam
hodie recepta, proceditur *dec.* 126. *num.* 54. *& seqq. par.*
12. *& in aliis.*

7 In altero autem casu converso, ut idem dicendum sit,
antiquioribus relatis, firmatur per eandem Rot. apud Se-
raph. *decis.* 746. *numer.* 3. *&* 4. quæ reputatur in mate-
ria magistratis, ac etiam in Romana societatis officii 29.
Maji 1623. cor. Remboldo, cujus particula registrata est
inter *dec.* Billot. *dec.* 12. ubi de cive Romano majore 20.
& minore 25. annorum, contrahente in hac Civitate
Parmæ, eademque decisio refertur per Baron. *de effect.*
minor. ætat. circa contract. in prælud. num. 7. ac etiam se-
quendo dictam decisionem Seraph. firmat Fenzon. *ad d.*
Statutum 47. *Urbis num.* 12. atque occasione actorum ju-
dicialium firmavit etiam Rota antiqua apud Puteum *de-*
cis. 365. *lib.* 3. ubi de Neapolitano majore 18. annorum,
8 sed minore 20. deputante procuratorem ad lites in Ur-
be, ut actus sit validus, quod etiam in eisdem terminis
recentiori tempore firmatum fuit in Reatina Castrorum
21. Junii 1666. coram Bourlemont, non reassumendo su-
per utroque casu auctoritates idem verius firmantes, ut-
pote in dictis decisionibus deductas, quia genium, ac sty-
lus, ineptum transcriptoris, vel collectoris munus nimium
prohibens.

9 Cumque genium, ac stylus in iis, quæ per casum le-
gis, vel canonis expresse determinata non sunt, nimium
abhorreret immorari in solo dicto DD. non expendendo
ejus rationes, ac fundamenta, illaque investigando, hinc
proinde dicebam quoque, hanc opinionem utroque casu
supra a Rota receptam, probabiliorem, meliusque funda-
tam esse ex duabus solidis, & convincentibus rationibus
apud Me principaliter in omni materia attendendis, pri-
mo scilicet ratione individuitatis personæ, ejusque status,
qui non potest pro locorum diversitate esse diversus, quod-
que in uno loco reputetur perfecti judicii, & habilis ad
contrahendum, in altero autem judicii imperfecti, licet
enim passim in jure detur multiplicitas personarum for-
10 malium in eadem persona materiali pro respectuum di-
versitate, attamen id non admittitur in iis, quæ pen-
dent ab animo, vel intellectu tanquam individuo, juxta
gloss. in cap. si quis justo, §. *porro*, *de elect.* in 6. In-
noc. & Butr. *in cap. super inquisitione*, *num.* 17. *de elect.*
bene Rota *dec.* 78. *nu.* 4. *in fine par.* 2. *rec.* in Macerat.
redditionis rationis 20. Februarii 1647. cor. Meltio.

11 Et secundo, quia, ut communiter advertunt DD. Re-
gnicolæ ad materiam dictæ Constitutionis, quæ utrius-
que Siciliæ Regnis communis est, incipientis *Minorum*
jura, per quam major ætas constituitur in anno 18. &
per alios ad materia dicti Statuti Urbis in similibus, adeo
statuentes eam ætatem, quæ de jure communi est 25. an-
norum, ad minorem metam reduxerunt, quia ex loci
qualitate, ac moribus, incolæ, utpote sagaciores, in ea
ætate perfecti judicii ex frequentiori usu reputantur, ac
habiles ad contrahendum, & consequenter legaliter, ac
naturaliter implicat, dare ejusdem intellectus, vel judi-
cii diversitatem ex diversitate locorum, vel territorii,
quodque ille, qui in propria patria jam constitutus est in
statu perfecti judicii, ac reputatus habilis ad libere con-
trahendum, in adjacenti loco diversi territorii efficiatur
hebetioris, ac imperfecti judicii, cumque agatur de fir-
mando statum personæ, utique id pertinet ad illum, cui
ipsa persona subdita est, & in cujus territorio habet ori-
ginem, ac domicilium, illæque rationes utpote concluden-
tissimæ, omnem adimunt ansam dubitandi.

12 Quo vero ad alteram exceptionem restitutionis in in-
tegrum ratione læsionis, quæ actui fidejussionis connatu-
ralis esse videtur, advertebam, (quicquid aliqui pro con-
sueto Collectorum inepto stylo, casus confundendo, in-
volverint) quod ista quæstio dicenda magis est facti, &
applicationis, quam juris, cujus theorica videtur certa,
sequendo distinctionem ingeniose de more traditam per
Bald. *in Authentica si captivi*, *Cod. de Episcop. & Cle-*
ric. num. 4. quam bene reassumit Jo. Andr. de Georg.
allegat. 16. *ex num.* 6. a qua totum desumpsit Paschald.
de patr. potest. par. 2. *cap.* 1. *num.* 205. cum quo pertran-
seunt alii moderni Collectores, præsertim Baron. *de ef-*
fect. minor. ætat. circa judic. in prælud. num. 504. *&* 551.
cum seqq. & de eadem distinctione (quamvis non ita
explicata) bene habetur per Rotam apud Buratt. *decis.*
230. *numer.* 3. *&* 4. ac etiam apud Fenzon. *ad dictum*
Statut. 47. *Urbis*, *numer.* 5. *&* 6. Quod scilicet triplici-
ter ille, qui de jure communi sit minor, habilis ad
contrahendum reputari valeat, ejusque contractus susti-
neantur.

Primo sc. in aliquo casu particulari ratione accidenta- 13
lis, ac particularis circumstantiæ, puta, ratione juramen-
ti juxta terminos textus *in Authentica Sacramenta Pu-*
berum, *Cod. si advers. vendit. & cap. cum contingat, de*
jurejur. & cap. per vestras, *de donat. inter vir. & uxor.*
ex insinuatis *dict. disc.* 143. *de dote*, & in aliis hoc eo-
dem titulo super actu jurato non cadente sub Statutis,
& legibus laicalibus, quoties ratio publici boni principa-
liter, vel alter defectus naturalis a lege laicali subintel-
lectus a jurisjurandi Religione non excuset; isto enim ca-
su, concurrente læsione, præsertim notabili, receptum, 14
ac probabile est restitutionis in integrum præsidium de-
negandum non esse, ex ea probabili ratione, quod nota-
bilis læsio juncta cum minori ætate, dolum redolere vi-
detur, qui etiam in majoribus nullitatem causat, atque
juramenti vires cessare facit, tanquam ex defectu natura-
li consensus, multo magis in minoribus, qui magis do-
lo, ac seductionibus subjecti sunt, adeout quoad minores
necessaria non videatur læsio enormissima, quæ in majo-
ribus ad hunc effectum desideratur, quoniam alias nulla
differentia esset inter majores, & minores, ideoque id
regulandum videtur prudenti arbitrio, pro facti qualita-
te, & circumstantiis, ex quibus deduci possit ea doli præ-
sumptio, quam lex etiam in majoribus ratione enormis-
simæ læsionis inducit.

Idemque dicendum videtur in illa accidentali habilita- 15
tione particulari, vel generali, quæ resultet a concessio-
ne veniæ ætatis, de qua habetur *sub tit. de donationibus*,
disc. 2. quoniam ex eadem calliditate alterius contrahen-
tis, ista cautela affectari potuit, eo modo, quo advertitur
infra in materia minoris cum juramento se asserentis ma- 16
jorem, quoniam licet Scribentes, inhærendo leguleicis ri-
goribus, distinguere soleant, an unicum accedat juramen-
tum assertorium tantum, vel promissorium tantum re-
spective, sive duplex, assertorium scilicet, & promisso-
rium, attamen id intelligendum venit pro facti qualita-
te, dum ea eadem facilitate, cum qua inducitur quis ad
contrahendum, inducitur etiam ad præstandum utrumque
juramentum, quod hodie (ut pluries hoc titulo, & ali-
bi advertitur) redactum videtur ad quandam formalita-
tem de stylo Notariorum, ut desuper plura cumulant mo-
derni Collectores, Giurb. *observ.* 92. & Baron. *d. tract.*
de effect. minor. ætat. effect. 3. *a num.* 119. *ad* 243. ubi
pro elaborato quidem, sed aliqualiter indigesto collectorio
stylo, ad plura digreditur, nihil mature firmando.

Principaliter siquidem reflectendum est ad contrahendi 17
causam, seu effectum exinde resultantem, usque ad sub-
stantiam veritatis, neglectis hujusmodi formalitatibus,
& cautelis, quæ ubi magis sint majores, ac exacte, &
diligenter adhibitæ, eo magis suspicionem fraudis, & cir-
cumventionis redolent, ut pluries advertitur in aliis *hoc*
eodem titul. ac etiam sub *tit. de usuris*, *& alibi*, adeo
ut neque de decreto Judicis, aliisque solemnitatibus ratio
habeatur.

Alter casus est, ubi minoris actus reputari solet vali- 18
dus per dispensativam habilitationem, quæ a Statuto re-
sultet juxta unam opinionem per argumentum a contra-
rio sensu, quia sc. usque ad certam ætatem solemnita-
tum præcisam observantia præscribat, ultra non progre-
diendo, seu alias dispensativa habilitatio accedat, & tunc
pariter procedit idem, quod in casu præcedenti, ut non
exinde beneficium restitutionis in integrum ex capite læ-
sionis denegandum videatur.

Tertius autem est, ubi per Statuta, vel leges particu- 19
lares, ætas 25. annorum a jure communi præscripta, re-
duci solet ad minorem juxta supra exemplificatos casus
Urbis, ac Regni Neapolitani, cum similibus, adeout id,
quod jus commune statuit in excedentibus ætatem 25. an-
norum, jus municipale inducat in iis, qui excedant æta-
tem breviorem, ab eo præscriptam, & tunc omnino ve-
rius est, ex supra allegatis, quod aliud restitutionis re-
medium non intret, nisi illud ex clausula generali *si qua*
mihi, quod majoribus conceditur.

Appli-

20 Applicando autem ad rem, Mihi omnino verius videbatur, ut versaremur in hoc ultimo casu, non quidem simplicis dispensationis, vel habilitationis, sed regulæ generalis ob illa effrenata verba, *quod major 20. annorum libere, & absolute contrahere, vel distrahere valeat*, & quod magis, stante derogatione dispositioni juris communis, adeo ut statuentes in hoc disponere voluerint idem, quod in Urbe dispositum est per dictum Statutum 47.

21 Ad quod comprobandum advertebam ad hujus Status Pallavicini naturam, vel sortem recensitam *sub tit. de feud. disc.74.* qua attente, cum illud Statutum probabiliter prodierit de tempore, quo Status non subjacebat Ducatibus Parmæ, vel Placentiæ, sed habebatur directe, ac immediate e Papa, ita voluerit ejus Dominus se conformem reddere dicto Statuto Urbis, atque demandare, quod ejus subditi viverent juxta mores Civitatis dominantis.

22 In proposito autem contractuum, & obligationum Minorum *in una Romana societatis officii*, pro Francisco Gonnello disputata coram A. C. cum dictus Franciscus vere minor cum juramento se asseruisset majorem, atque ad prædictæ assertionis comprobationem exhibuisset fidem baptismatis extractam e libro parochi, quam compertum est congruere alteri ejus fratri ejusdem nominis in infantia defuncto, orta est quæstio, an dicto minori obstarent disposita per text. *in l. 1. & tot. tit. C. si minor se major dixerit*, sive per terminos text. *in l. quid enim, ff. de dolo* cum concordantibus relatis per Cyriac. *contr.* 387. Grat. *dec. March.* 234. *n.* 15. *cum seq.* Giurb. *dicta observ.* 9c. *a.* 7. Baron. *dicto effect.* 1. *a.* 123. *cum seqq.* ubi late de hac materia minoris se asserentis majorem.

23 In hoc autem puncto plures casus per DD. distinguuntur, primo scilicet, ubi appareat de dolo vero ex parte creditoris, vel alterius contrahentis, secundo ubi accedat etiam dolus, & mendacium ex parte debitoris, cujus sit etiam creditor particeps, quia nempe contrariæ veritatis conscius, tertio ubi creditor sit in bona fide, atque minoris ætatis verisimiliter ignarus, minor autem, non ex dolo, & fraude, sed ex errore talem assertionem fecerit, quarto, ubi præsupposita eadem bona fide in creditore, constet de dolo, & fraude ex parte ipsius minoris, & quinto demum, ubi de his non constet, adeout versemur in ambiguo.

24 Primi quatuor casus (posito facto) in puncto juris videntur plani, cum major involutio apud Scribentes sit, ubi accedat juramentum ex collectis apud supra allegatos, ubi enim dolus est ex sola parte creditoris, tunc indubitatum est, nullam actionem competere, idemque, ubi ex parte utriusque, ob mutuam delicti compensationem, ob quam firma remanet dispositio juris super restitutione in integrum minori competente, illaque etiam competit ubi ex errore id sequatur, ac etiam probabilius in quinto casu, quod scilicet versamur in ambiguo.

25 Quamvis enim *glos. in l.* 3. *C. si minor se majorem dixerit*, velit, ut in dubio contra minorem responderi debeat, ea tamen reprobata, contrarium tenet *Petrus de Bella pertica ibidem*, cujus opinionem uti veriorem sequitur Bartol. *in eadem l.* 3. *n.* 1. & sequuntur Salicet. *ibidem in fine*, Castren. *in l.* 1. *eod. tit.* & cæteri communiter relati per Giurb. & Baron. & alios supra allegatos, ea ac probabili, & convincenti ratione, quod delicta in dubio non præsumuntur, sed probari debent ad vulgarem regulam text. *in l. dolum, C. de dolo, cum notis concord.* cum sit axioma nimium frequens, & planum.

26 In quarto autem casu, in quo constet de dolo vero ex parte minoris ita circumvenientis ignarum, ac innocentem creditorem, qui cum juste credulitate ejus assertionem sequatur, extra controversiam est, ut ex utriusque, scripti, ac naturalis juris principiis, & rationibus, favore innocentiæ, ac dolum passi contra dolosum responderi debeat, cum lex providerit, ut minores non circumveniantur, non autem, ut alios circumveniant.

27 Hinc proinde tota pugna fuit super applicatione, in qua scilicet distinctionis parte versaremur, prætendente creditore, quod cum ipsi assistat supradicta præsumptio exclusiva doli, ac inductiva bonæ fidei, e converso autem debitor, non solum majorem se asseruerit, sed etiam assertionem comprobare curaverit cum dicta fide per ipsum procurata, & exhibita, ita versaremur in dicto quarto casu, cum falsitati dolus inesse dicatur.

Verum, ubi etiam aliæ circumstantiæ non concurrerent, de quibus infra, adeout omnino in ambiguo versaremur, adhuc tamen, etiam cum sensu veritatis, dicebam id non obstare, dum retenta eadem regula, in dubio exclusiva fraudis, ac doli, donec probetur, recte dici poterat, quod versaremur potius in tertio supra distincto casu erroris, qui ob nominis identitatem e Parocho peritiam extrahente, committi potuit, & consequenter, quod minori adhuc succursum remaneret.

Attentis autem facti circumstantiis, Mihi probabilius videbatur, quod potius versaremur in primo casu doli, & machinationis ex parte creditoris ita callide affectantis illam cautelam, quoniam ubi ea nimia est, regulariter in hac materia, vel in altera falsitatis, magnam inducit suspicionem contra illum, qui in ea se fundat, idque deducebam ex duplici circumstantia, primo scilicet ex qualitate contractus societatis officii, cum adeo gravibus usuris, & cum subjectione coactionis mediante disdictis ad restitutionem sortis, unde propterea nonnisi per imprudentes dissipationi solum cogitantes, vel per decoctos, ac perditos frequentius iniri solet, præsertim ad rigorosam quamvis licitam taxam 12. pro centenario.

28 Et secundo, quod attento tempore dictæ fidei baptismatis, contrahens esse deberet in ætate provecta, & tamen, etiam de tempore præsentis disputationis, ad plures annos post contractum sequutæ, aspectus vix præseferebat eum majorem, unde de tempore quo contractus initus fuit, impossibile erat, quod creditor opinari potuerit eum in illa ætate constitutum; & his accedebant aliæ circumstantiæ magnam circumventionis suspicionem redolentes.

29 Ideoque, ut pluries, ac pluries agendo de hoc speciali articulo minoris asserentis se majorem, sive de altero, de quo infra *dicto disc.* 37. filiifamilias asserentis se patremfamilias, dicere consuevit, ista non est quæstio juris, sed pari facti, ac propterea, neglectis tot ampliationibus, limitationibus, & declarationibus, in quibus Juristæ præsertim moderni Collectores cum consueta ineptie se involvunt, prudentis Judicis partes sunt, bene reflectendi ad facti circumstantias, potissimum vero ad qualitatem creditoris, an dici valeat verisimiliter conscius minus veræ assertionis necne, & fortius ad qualitatem contractus, ac sinceritatem actus, ex quibus, & ex qualitate debitoris, recte conjici potest, an potius ista dicenda sit affectata cautela, quæ fraudem, ac dolum in creditore, vel altero contrahente magis probet, vel confirmet.

30 Hinc proinde erroneum est desuper procedere cum doctrinis, seu regulis generalibus, quoniam stant bene simul, ut in uno casu tali assertioni deferendum sit, atque pro creditore, seu contractus validitate responderi debeat, in altero autem secus, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, eo modo quo in omnibus facti quæstionibus habemus, atque ita credo, quod pro debitoris absolutoria judicatum sit, nisi concordia litem terminaverit, cum in casu succumbentiæ, recursus debitorum ad Signaturam videatur non pati limitationem.

ROMANA PECUNIARIA

PRO PHILIPPO CAFFERIO

CUM N.

Casus disputatus coram A. C. credo resolutus pro Philippo.

An minor, qui sit Juris Doctor, admittetur ad allegandum nullitatem contractus gesti absque solemnitatibus Statuti, & quid de minore clerico?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An minori, qui sit juris Doctor, succurrendum sit?*
3 *Affirmative in iis, quæ facti sunt.*
4 *Quid in iis, quæ sunt juris.*
5 *Quomodo in Italia conferatur Doctoratus, vel in Hispania.*
6 *Ætas minor in Italia fere ubique abbreviata est.*
7 *Quod Doctoratus conferatur etiam indoctis, & de materia Doctoratus remissive.*
8 *De circumstantia, ob quam actus gestus per minorem quamvis Doctorem, non sustinetur.*
9 *De alio casu.*
10 *An Clericis suffragentur Statuta agentia de minoribus?*

DISC.

DISC. XXX.

1 CUm ex defectu formæ præscriptæ in Statuto Urbis 151. atque ex bene probata minori ætate Philippi de tempore confessatæ dotis, nulla caderet dubietas super contractus invaliditate, accederet autem circumstantia, quod dictus minor Doctoratus Lauream tunc suscepisset in utroque jure, hinc proinde Scribentes pro creditore coram A. C. ad hujusmodi nullitatem avitandam, fundamentum constituere conabantur in iis, quæ, cæteris relatis, habentur collecta pro utraque opinione apud Odd. *in tract.*
2 *de rest. in integr. q.23. art.7. num.24. & 31. cum seq. & per modernum* Baron. *de effect. minor. ætat. effectu 1. n.691. cum pluribus seq.* in quæstione, an minori, qui sit Juris Doctor succurrendum sit.

3 Verum Scribens Ego pro dicto minore (etiam cum sensu veritatis) dicebam, hujusmodi quæstionem in Foro prorsus incongruam esse, adeout, Scholasticorum, & Academicorum potius pabulum hodie remanere videatur pro ingeniis exercendis, tum quia ubi læsio pendet ex facto, tunc Doctoratus non suffragatur, quoniam quo magis sunt nimium litterati, ac studiosi, eo magis œconomicis rebus inepti, tum etiam, quia in sensu antiquiorum, ubi agatur de iis, quæ consistunt in puncto juris, quoties istud non sit omnino certum, ac planum, antiquiorum traditiones
4 procedunt in Doctoribus excellentibus, quos constat vere esse tales re, non autem nomine, ac solo privilegio, ut apud Odd. *& alios ubi supra.*

5 Fortius autem, ac extra omnem difficultatem (juxta modernos præsertim Italiæ mores) ob duplicem facti circumstantiam, primo scilicet, quod de communi usu, Doctoratus non confertur cum illo rigoroso examine, ac solemnitatibus, cum quibus conferebatur antiquis temporibus, in quibus loquuntur Cynus, & alii antiquiores, & cujus antiquitatis aliquæ reliquiæ conservantur in Hispania, in cujus Accademiis usus est pro habilitate ad exercenda munera, concedendi Licentiaturam, quæ Doctoratui Italiæ æquipollet), & secundo, quod minor ætas, quæ de jure communi est 25. annorum, hodie fere ubique in Italia abbrevia-
6 ta, redacta est ad minorem, dum in utriusque Siciliæ Regnis est in ætate annorum 18. & in Urbe est annorum 20. in qua ætate nimium rari sunt casus, quod quis vere Doctor dici valeat, atque notorium est quod Doctoratus redactus est ad
7 talem facilitatem, quod etiam non bene linguam latinam callentes, & qui neque *Digestorum*, *Codicis*, & *Decretalium* exteriores tabulas viderunt, ad illum admittuntur, & de qua materia *sub tit. de præeminentiis disc.35.*

8 Clarius vero in hac facti specie, in qua duplex debiti infectio resultabat, una scilicet ratione minoris ætatis, & altera, quod ageretur de debito pro dote confessata, dum etiam in majoribus, sola confessio, ob suspicionem fraudis prohibitæ donationis, debiti veritatem non probat, ut in sua materia *sub tit. de dote*, ideoque absolutoriam debitori concessam fuisse credo, quinimmo ponderabam, quod ubi etiam iste fuisset excellens Doctor, ita recte sciens illam confessionem non probare, potius scienter nugari voluerit.

9 Et in altera *Romana pecuniaria* disputata etiam coram A. C. cum debitor minorem ætatem allegaret adversus obligationem contractam cum Joanne Paulo Sansonio Urbis campsore, ultra motiva facti, ex quibus difficultas cessare videbatur, quod scilicet non bene probaretur minor ætas, ac ageretur de quodam extero Ultramontano, se asserente majorem, & cujus aspectus probabilem dictam assertionem reddebat, unde propterea ex his, & ex qualitate contractus, procedendo cum distinctione, de qua *disc. præced. & infra disc.37.* bona fides in creditore magis exuberare videbatur.

10 Assumpsi alterum articulum, ob qualitatem clericatus, stante opinione, in qua residet Rota, & Curia moderna, ut Statuta Urbis non complectantur Clericos, nisi ubi de voluntare comprehendendi constet, sed quia primus punctus erat magis planus, iste autem difficilior, idcirco Judex neglexit illius inspectionem assumere.

De hoc autem egi in aliis causis pluries, & præsertim *in una Maceratan. venditionis domus*, pro Compagnonis cum Guidobaldo Luchetto; cum etenim Vincentius Luchettus de Oppido Civitænovæ, in Civitate Maceratensi vendidisset Laurentio, & Josepho Antonio fratribus de Compagnonis domum, pro cujus evictione se obligavit etiam Guidobaldus filius constitutus in ætate 23. annorum, qui tractu temporis, evictione sequuta, dictam ejus obligationem impugnabat ex eo, quod servatæ non essent solemnitates requisitæ per Statuta utriusque loci, & per Constitutionem Ægidianam in contractibus minorum, hinc desuper ex parte emptorum, pro veritate consultus

Respondi hanc prætensionem parum fundatam videri, dictamque obligationem, non dato alio defectu consensus, validam esse quoniam ultra generalia, quæ habemus in materia exemptionis Ecclesiasticorum a Statutis laicalibus, de quibus *sub tit. de successoribus*, ubi est sedes materiæ, in his specialibus terminis contractuum non subjectorum Statutis laicalibus ubi initi sint per Clericos, & Ecclesiasticos firmatur per Rotam *in Romana pecuniaria 18. Junii 1655. 22. Junii 1657. & 28 Martii 1664.* coram Cerro, *quarum prima est impress. dec.52. part.12. recent.* & de quarum casu agitur *sub tit. de dote disc.22.*

Et quamvis in eo casu, Ego de prædictarum decisionum relevantia dubitaverim *d. disc.22.* ac etiam *disc.143. eod. tit. de dote*, attamen, ultra rationem dubitandi resultantem ab eo, an ibi agatur potius de Constitutione Papali, quam de Statuto laicali, duplex alia dubitandi ratio cadebat, primo scilicet, quod non constaret de animo clerici contrahentis, an voluerit necne uti beneficio Statuti, quo uti poterat in ratione favorabili, ac privilegiativa, & secundo, quod contractus initus erat cum laico, qui Statuto subjectus erat, ideoque intrabat ratio claudicationis, vel altera inhabilitationis dicti alterius contrahentis ex ibi deductis.

Utraque ratio in præsenti cessabat, quoniam emptores erant etiam Ecclesiastici, cum unus esset Clericus beneficiatus, & alter miles Hierosolymitanus, ac etiam, quia dictus Clericus, qui pro parte se obligaverat, expresse cum juramento renunciaverat cuicumque beneficio illorum Statutorum, & Constitutionis, ideoque nulla subesse videbatur ratio cur adversus juratam renunciationem venire licitum esset, licet enim a Statuto inhabilitatus ad contrahendum, dicatur quoque inhabilitatus ad renunciandum Statuto, quod publico favore potius introductum dicitur, ut alibi *hoc eodem tit.* advertitur, attamen id provenit ex potentia Statuti proprium subditum inhabilitantis, sed ubi hæc potestas cessat, atque punctus reducitur ad solam voluntatem, tunc ubi ista est clara, cessat omnis quæstio, ut Ego etiam locis citatis admitto.

Potissima autem in hac facti specie ex duplici circumstantia, primo scilicet, quia tractabatur de actu laudabili obligationis pro parte juxta celebrem, ac receptam *decis. 120. Gregor.* ut alibi advertitur, & secundo, quia de constituto in ætate 23. annorum, quæ ut supra, ex frequentiori Italiæ usu major reputatur, quamvis in ea Provincia, & aliquibus adjacentibus, in hoc vivatur cum antiqua simplicitate.

ROMANA DOMUS
PRO FRANCISCO GOTTIFREDO
CUM IGNATIO PETRONIO.

Casus decisus per Rotam pro Francisco.

Ad eandem materiam Statuti 151. Urbis super invalida alienatione facta per mulierem, præsertim ob defectum causæ, & an ista debeat esse vera de jure, & de facto, & sic utilis, vel non damnosa, vel sufficiat, quod sit vera de facto tantum?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Resolutiones causæ principalis.*
3 *De alio puncto melioramentorum, eorumque fructuum, ac de resolutionibus.*
4 *An causa requisita a Statuto 151. debeat esse vera de facto tantum?*
5 *In dubio præsumptio est pro decreto Judicis.*
6 *Quod sufficiat causam esse veram de facto.*
7 *Mulier major potest libere contrahere de jure.*
8 *De discretiva inter Statut. 151. & 113.*
9 *Quod causa debeat esse vera, etiam de jure.*
10 *Resolutiones, quæ prodierunt magis proxime novæ legi, debent attendi.*
11 *Ab his recessum fuit.*
12 *Sed postea ad eas reversum est.*
13 *Declarantur decisiones contrariæ.*
14 *Circa solemnitates Statuti 151. non datur differentia inter dotalia, & extradotalia.*

15 *Po-*

15 Prohibitio l. Juliæ de fundo dotali cessat ex juramento.
16 Quid referat agi de dotalibus potius, quam de extradotalibus.
17 Causa vaga, & generalis pro indigentiis domus non sufficit.
18 De ratione, ob quam verior est opinio, de qua n. 9. rejecta ea, de qua n. 6.
19 De differentia inter minores, & mulieres majores, & quomodo causa in una, vel altera specie consideretur.
20 Quid hæc Statuta operentur in mulieribus majoribus.
21 Refertur, sed rejicitur, seu declaratur conclusio, quod ubi Statutum non exigit causam, attendi non debeat, an causa justa concurrat necne?
22 Quomodo istæ quæstiones decidi debeant, & Statuta attendi.

D I S C. XXXI.

1 DOmum dotalem Hieronyma Podia Jo. Baptistæ Gotifredi uxor cum decreto Judicis, ac proximiorum interventu, ad formam Statuti Urbis 155. vendit Lælio Petronio sub duplici causa, dissolvendi scilicet societates officiorum, aliaque debita viri, ac etiam quia pro ejus dote cauta remanebat in aliis ejusdem viri bonis, verum paulo post, viro defuncto, & forsan aliam vivente, Hieronyma agnoscens ejus præjudicium, quodque in bonis viri cauta non remaneret, judicium instituit super dictæ alienationis invaliditate, dictæque domus vindicatione, quod vix cœptum, derelictum fuit, vel per mortem, vel ob alia ejusdem Hieronymæ impedimenta. Post diuturnum vero silentium, illud reassumpsit Franciscus filius cor. A. C. seu Prælato deputato, a quo favorabilem sententiam reportavit contra Ignatium dicti Lælii emptoris filium, ac possessorem, introductaque per appellationem causa in Rota coram Verospio, binæ ad favorem ejusdem Francisci,
2 primæ sententiæ conformes prodierunt resolutiones sub diebus 14. *Januarii & 12. Junii* 1656. quæ habentur impressæ *p. 12. rec. decis.* 109. & 193. ad quarum normam expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota coram Celso, cum clausula *consilio de duabus*, sub die 14. *Maji* 1657. pro axequatione responsum fuit, ut patet *ex decis.* 233. *inter ejus impress.* Commissaque denuo causa coram Bevilaqua, cum clausula, *ut ad legitimam*, quatuor, & ultra prodierunt decisiones, non super hoc puncto invaliditatis alienationis, cui reus conventus acquievit, sed super altero detractionis melioramentorum, & an ista satis-
3 facta, seu imputata remanerent cum fructibus saltem a die motæ litis perceptis, & de quo alio puncto (acerrime quidem disputato) habetur actum in hac eadem causa *sub tit. de detraction. disc.* 35. ubi de hac materia melioramentorum, & præsertim de articulo, an illos majores fructus, quos ipsa melioramenta produxerunt, ipse melioranti faciat suos necne, super quo dictæ decisiones coram eodem Bevilaqua pro utraque parte respective *sub diebus* 15. *Decembris* 1662. 20. *Junii* 1664. 5. *Februarii* 1666. & 14. *Decembris* 1667. prodierunt.

4 Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum principalem super alienationis invaliditate, cum materiales solemnitates decreti Judicis, ac interventus proximiorum, in contractibus mulierum a Statuto 151. desideratæ, punctualiter adhibitæ essent, hinc restringebatur disputatio ad defectum causæ, an scilicet sufficeret illam esse veram de facto tantum, absque eo quod emptor sollicitus esse teneretur de illius veritate de jure, vel potius necessaria esset dicta veritas etiam de jure, adeout causa dici valeat utilis, vel saltem non damnosa. Posita enim ista secunda opinione, planum remanebat, atque Scribentes in contrarium non negabant, quod causæ defectus aderat, dum ex hac parte justificatum jam fuerat in prima instantia, quod ob insufficientiam bonorum viri, dictæ mulieri consultum non remanebat pro ejus dote, quodque inepta remaneret causa vaga, & generalis pro debitis, ac indigentiis viri, vel domus, at jam sæpissime firmatum fuerat in aliis decisionibus, quæ in illis coram Verospio enunciantur, ac passim.

5 Quamvis enim iidem Scribentes pro reo, cum copiosis allegationibus juxta currentem stylum, potius ad ornatum, quam ad opportunitatem, deducerent planam, ac frequentem conclusionem, quam Ego scribens pro actore non negabam, ut præsumptio sit pro decreto Judicis, aliisque solemnitatibus donec probetur contrarium per allegantem nullitatem, ex natura præsumptionis transferentis onus probationis in alteram partem, attamen istud hodie remanet satis debile refugium, ubi per actorem, utilitatis defectus, seu damni effectus probetur, ut in præsenti sequutum jam fuerat, atque de facili, juxta frequentem praxim, est justificabile, ideoque causæ pondus consistebat in dicto articulo juris, an scilicet causa, quam in verbis Statutum exigit, debeat ut supra esse vera tam de facto, quam de jure, ideoque utilis, vel saltem non damnosa.

In hoc autem puncto, Scribentes pro reo, ultra alias 6
generales auctoritates, ac decisiones in aliis casibus editas, magnum, ac potissimum fundamentum constituebant in individualibus decisionibus editis contra eandem Hieronymam impugnantem consimiles alienationes, ac respective obligationes in causam etiam viri factas, & quarum decisionum prima est registrata *decis.* 56. post Pacif. de Salviano, quæ deinde in plerisque aliis tanquam in hac materia magistralis canonizata fuit, & altera est *decis.* 33. *p.* 4. *rec. tom.* 2. in qua aliæ enunciantur, ut scilicet sufficiat causam a Statuto desideratam esse veram de facto, absque necessitate contrahentis inquirendi de ejus veritate de jure, dum Statutum ad id non descendit, neque de facili hæc extensio admittenda est, dum agitur de Statuto exorbitante a jure communi, cujus dispositione attenta, exce-
ptis casibus cadentibus sub Vellejano, vel casu indotatio- 7
nis, mulier major inhabilitata non est ad contrahendum, atque de bonis suis libere disponendum ad text. *in l. velles, ff. de revocan. donat. l. 2. C. ad Vellejan.* cum concordantibus collectis per Gratian. *discept.* 756. *n.* 24. Rota *dec.* 88. *n.* 7. *p.* 6. *rec. & frequenter.*

Atque *in d. dec.* 56. post Pacific. ponderatur non impro- 8
babilis ratio discretivæ, quod scilicet in Statuto 113. expresse dicitur, ut causa debeat esse utilis, & sic dixit ubi voluit, ergo noluit ubi non dixit, ad text. *in l. unic. §. sin autem, C. de caduc. tollen.* & de quo discretivæ argumento sæpe *sub tit. de fideicommiss. & alibi.*

Contrarium tamen (& merito) decisum fuit, quoniam 9
tam inspecta auctoritate, quam ratione, id verius est, auctoritate scilicet, nam Rota antiqua hunc intellectum Statuto tradidit, ut *in Romana argentorum coram Gregorio, seu Ludovisio* inter suas *dec.* 333. & 363. ubi de concordantibus, unde propterea intrare videntur ea, quæ frequenter alibi advertuntur in proposito observantiæ interpretativæ, ut at-
tendi debeat proxima, non autem remota, & præsertim 10
satis ad rem, super attendendis antiquis decisionibus proximis Statuto, vel legi, de cujus interpretatione agatur, habetur *sub tit. de dote disc.* 22. ac etiam *discurs.* 143.

Et quamvis deinde ab hac interpretatione recessum fue- 11
rit, præsertim *in dicta decis.* 56. post Pacif. cum qua proceditur *dicta dec.* 33. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *& in aliis*, attamen etiam ex tunc doctus, ac judiciosus Advocatus Beltraminus *in addit. ad dictam decis.* 333. & 363. Gregor. adver-
tit id sibi non placere, hinc proinde, recedendo ab hac 12
secunda opinione, ad primam reversum fuit, præsertim apud Dunozett. *decis.* 792. & 805. cum quibus deinde in aliis processum est, præsertim in ista causa, & in aliis, de quibus *in disc. proxime seqq.*

Advertendo quoque, quod in dictis antiquis decisionibus 13
contra eandem Hieronymam editis, diversæ concurrebant circumstantiæ, dum in prima decisione, quæ est 56. post Pacif. non agebatur de formali alienatione, sed de simplici obligatione experibili contra bona extradotalia, quæ per mulierem possidebantur, in præsenti autem agebatur de alienatione fundi dotalis, quamvis enim ista non dicatur differentia substantialis, cum Statutum non distinguat
dotalia ab extradotalibus, atque inhabilitatio non sit ra- 14
tione bonorum, sed ratione personæ, ac præsumptæ imperfectionis, vel imbecillitatis judicii, dispositio autem *l. Juliæ* constituens differentiam inter dotalia, & extradotalia,
dum ad primam speciem prohibitionem restringit, quodam- 15
modo antiquata videatur ratione juramenti, in quibuscumque contractibus forte cum abusu adjici soliti, tanquam species clausulæ adjiciendæ de stylo, quod juramentum cessare facit *dicta l. Juliæ* prohibitionem, ut apud Cavaler. *decis.* 482. *n.* 2. & in aliis.

Adhuc tamen videtur circumstantia considerabilis in 16
ordine ad regulandum causam, seu mulieris læsionem, quod magis in una bonorum specie, quam in altera considerator, quoniam ut pluries advertitur in sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 95. & 96. jus commune, quod excepto Vellejano, fœminas majores viris exæquat, ut supra, circa disponendi, & contrahendi libertatem, negligit bona extradotalia, & tamen in dotalibus, ubi etiam obligatio, vel alienatio sequeretur pro excarcerando viro, vel alia justa causa, adhuc attendit, an remaneat indota-

ta,

ta, quod regulariter dici solet, quando saltem non remanet salva medietas dotis, (licet quandoque, ubi est exigua, id juxta unam opinionem procedat in tota ex ibi deductis) ergo circumstantia considerabilis est, agi de fundo dotali, vel respectiva de bonis extradotalibus.

Et in dicta altera *decis.* 33. *part.* 4. *tom.* 2. ponderatur causa, ut mulier se eximeret a molestiis ex propria obligatione resultantibus legitime contracta, pro excarcerando viro, seu eo liberando ab imminenti carceratione, ut advertitur in prima hujus causæ *decis.* 199. *p.* 12. *recent.* Hæc autem causa in præsenti non accedebat, dum erat vaga, & generalis pro indigentiis domus, quam pallim
17 receptum est non sufficere, ut plene apud Merlin. *decis.* 714. & *in dictis decis.* 792. & 805. Dunozetti, atqua enunciata debita societatum officit erant solius viri, absque aliqua ejus obligatione.

Et quod magis, accedebat quidam plurium contractuum circulus inter emptorem, & venditorem, ac mulierem respectiva, cum quibusdam censibus hinc inde creatis, aliæque circumstantiæ, quæ vel claram redolebant collusionem inter emptorem, & virum, in mulieris circumventionem, ac supplantationem, vel ejus, ac malæ fidei magnum fumum præbebant, quod potissimum attendendum est in decidendo istas quæstiones, magis ex facto, quam ex jure, ut *disc. seq.* cum aliis proximis advertitur.

18 Ratio item omnino probabiliorem reddit dictum primum intellectum, ad quem merito (reprobato intermedio) regressum est, quoniam Statutum in verbis exigit causæ cognitionem, quæ inaniter desideraretur, si statutentes hunc finem non habuissent, nil obstante prædicto, discretivæ argumento deducto ex Statuto 113. quoniam, aliud est, ut necessaria sit causa præcisæ necessitatis, vel evidentis utilitatis, quæ ad sensum juris communis desideratur in formali alienatione bonorum stabilium minoris, vel alteris de jure communi prohibiti, ut est Ecclesia, vel Civitas, seu Communitas &c.

19 Aliud vero agere de alienationa, vel contractu personæ de jure communi non prohibitæ, in qua lex municipalis supponat aliquam imperfectionem, vel imbecillitatem judicii, ob quam cessante justa causa, circumventionem præsumit, isto enim casu non desideretur causa præcise necessaria, vel utilis (ut leguleicum vulgus, capiendo decisiones, vel auctoritates in verbis, quandoque opinari solet) sed inspicitur, an sit probabilis, viro etiam prudenti, ac perfecti judicii congrua, quamvis damnosa sit, atque patrimonii diminutionem causet, juxta ea, quæ habentur pluries supra *sub tit. de donation.* super puncto donationis factæ per mulierem, dum alias capiendo in verbis dictam propositionem, ut causa debeat esse utilis, vel saltem non damnosa, nulla differentia esset inter minores, & mulieres majores, atque in mulieribus practicabilis non esset contractus donationis, vel fidejussionis, eo modo, quo non de facili practicabilis est in minoribus, quod non est dicendum, ideoque requiritur ea causa, quæ ut saltem reputeter justa, & probabilis, quamvis non sit utilis, ob magnam differentiam, inter minores, ac mulieres majores, ut patet ex iis, quæ pluries habentur *sub d. tit. de dote*, præsertim *disc.* 61. *cum plurib. seq.* super obligatione, vel alienatione ex causa dotis, quod in muliere, hujusmodi Statutis non obstantibus, illa reputatur licita, & valida, quamvis ex causa mere voluntaria, in minoribus autem attenditur sola necessitas, cum similibus.

20 Igitur interpretando jus municipale ad limites, ac sensum juris communis, atque capiendo hanc mulierum majorum inhabilitationem per quandam suppletionem ejus, quod jus commune neglexit, ob expertam earum imbecillitatem, ac facilem seductionem principaliter attendere finem, seu effectum, ob quem lex municipalis prodiit, certasque solemnitates præscripsit.

21 Hinc proinde, quamvis Rota pluries dixerit, præsertim *decis.* 151. *par.* 11. *rec.* & in præcedenti ibidem insinuata, & in aliis, quod ubi Statutum causam expresse non exigit, illa desideranda non veniat, sed sufficiat adimpletas esse solemnitates ab eo præscriptas, attamen ut pluries in facti contingentia advertere consuevi, manifestus videtur error, generaliter, ac in littera hujusmodi propositiones capere, sed bene juxta illum probabilem sensum, quem vere habuit Rota, idest, quod ubi Statutum nullam exigit causam, tunc adhibitis solemnitatibus materialibus, intret præsumptio, quæ regulariter, ex earum interventu resultat, neque teneatur alter contrahens causam justificare, eo modo quo tenetur, quando Statutum eam exigit, sed si ex parte mulieris, vel alterius prohibiti, de injustitia, vel ineptia causæ doceatur, utique dicendum est satisfactum non esse Statuto, ideoque exprimi, vel non exprimi causam, operativum est, circa inductionem præsumptionis, transferentis onus probationis in unum, vel alterum respective.

In hac etenim materia, omnino recipienda quoque venit propositio, de qua alibi pluries, præsertim vero, ac frequentius *sub tit. de fideic.* ut non cortex, & figura verborum sed substantia veritatis attendi debeat, perscrutando finem, seu effectum, ob quem lex Judicis, & proximiorum, seu curatoris interventum desideravit, ut scilicet per eos ita judicii imbecillitas contrahentis suppleatur, fiatque actus prudens, atque evitentur circumventiones, non autem pro simplici cæremonia, ac formalitate, dum ita esset deteriorem reddere conditionem personarum, quibus lex providere voluit, eisque majus damnum inferre, gravando ad illas expensas, quæ pro emolumentis Judicis, aliisque solemnitatibus explendis pro locorum stylis necessariæ sunt, & a converso error est procedere cum illis rigoribus, circa necessitatem, vel utilitatem requisitam in minoribus, vel similibus de jure etiam communi inhabilitatis, sed est quæstio potius facti, ex istius particularibus circumstantiis prudenti arbitrio decidenda, non autem id, quod in uno casu deciditur, quia sic ejus circumstantiæ exigant, cuicumque alteri applicare, ut etiam advertitur *disc. seq.* & *disc.* 37. *ac alibi*.

ROMANA CENSUS
PRO CLEMENTIA MUTINA DE CECCHINIS CUM BERNARDO MAURO, SEU CAPPELLA S. HILARII.

Casus decisus per Rotam pro Clementia, postea concordatus.

De eadem materia invalidæ alienationis, seu impositionis census factæ per mulierem sine justa causa, quamvis solemnitates adhibitæ essent, ad intellectum Statuti Urbis 151. Et an dicti Statuti dispositio cesset, ubi alienatio, vel obligatio fiat ad favorem Ecclesiæ, vel piæ causæ,

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *An creditores hæreditarii cogi valeant ad lavendum.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Non potest deputari curator in defectum proximiorum, istis non citatis.*
5 *Quod defectus solemnitatum sit substantialis.*
6 *Causa debet esse vera de facto, & de jure.*
7 *Causa falsa in parte, vitiat in totum.*
8 *In actibus gestis cum Ecclesia, vel causa pia non requiruntur solemnitates.*
9 *Declaratur ubi agatur de actu ex motivo pietatis, & amore Dei.*
10 *Secus ubi ex contractu correspectivo.*
11 *Quamvis in Ecclesia non vigeat suspicio circumventionis, & de ratione.*
12 *De eodem, ac de differentia inter unum casum, & alterum.*
13 *Ubi actus est fidejussorius, nil refert, quod creditor sit in bona fide, & de ratione.*
14 *Respondetur ad conclusionem, de qua n. 8.*
15 *An deferendum sit assertioni non existentiæ proximiorum?*
16 *De ratione, ob quam non est deferendum.*
17 *De absentia proximiorum, an attendenda?*
18 *Quod ista sint quæstiones facti, & quomodo decidendæ.*
19 *De actu declarato valido in parte contra conclusionem, de qua n. 7.*
20 *Quando dicta conclusio, ut defectus in parte vitiet in totum, procedat.*
21 *De eodem, de quo n. 18.*
22 *An solemnitates requirantur in adjtione hæreditatis remissive?*

DISC.

D I S C. XXXII.

1 CArdinalis Cecchinus da anno 1653. censum imposuit scutor. 6. m. in sorte ad favorem Bernardi Mauri, sive Cappellæ S. Hilarii in Basilica Lateranensi per ipsum, vel ejus auctores fundatæ, ac dotatæ, dictæque impositioni accessit tanquam principalis, principaliter, & insolidum Clementia defuncti germani fratris dicti Cardinalis uxor, adhibitis solemnitatibus statutariis, decreti scilicet Judicis, & interventus curatoris, juxta consuetam formulam, tunc ab eodem Judice deputati in defectum proximiorum, qui citati statutis loco, & tempore intervenire neglexerunt, pro causa vero narrata fuit necessitas extinguendi cum hac pecunia nonnulla debita sub gravioribus usuris, in quibus ipsa obligata erat, ac etiam utilitas, quæ sibi, & filiis, ejusdem Cardinalis nepotibus, redundabat a dictis gravioribus usuris se liberando. Cumque defuncto Cardinali, scripta hærede eadem Clementia, ejus hæreditas minus idonea detecta esset, juxta ea quæ de concursu super dicta hæreditate habito occasione agendi de articulo, an hæres beneficiatus, & emptores bonorum hæreditariorum juste cogant creditores hæreditarios
2 ad cavendum de restituendo pecuniam acceptam anterioribus, vel potioribus, habentur *sub tit. de credito disc.* 53. Hinc pro isto censu tanquam posteriori, ac de facili, in toto, vel in parte excludendo in dicto concursu, præfatus Bernardus, sive dictæ Cappellæ ministri, & cappellani, contra dictam Clementiam coram Vicario dictæ Basilicæ Lateranensis egerunt, obtentoque per ream conventam rescripto Archipresbyteri ejusdem Basilicæ, ut procederetur in causa de voto Rotæ, assumpta disputatione in hoc Tribunali coram Bevilaqua super dubio, an ejus obligatio sustineretur, *sub die* 17. *Martii* 1664. negativa ad Clementiæ
3 favorem prodiit resolutio, ad cujus normam expedita sententia, & commissa denuo causa in eodem Tribunali coram Bourlemont, sub *die* 2. *Martii* 1665. pro ejusdem sententiæ confirmatione responsum fuit, deindeque honesta concordia controversiæ finem dedit.

4 Duo autem hujusmodi resolutionum fuerunt fundamenta, unum scilicet, potius facti, quam juris, super defectu formalitatis materialium solemnitatum, quod nempe citatus esset solum mulieris germanus frater, quo non comparente, ad curatoris deputationem processum fuisset, neglecta citatione aliorum proximiorum, quos in facto justificabatur tunc in Urbe adesse, recteque intervenire potuisse, quod sine dubio nullitatem causat, ubi causa non vocandi cesset, ex deductis supra *disc.* 28. & passim, cum sit principium indubitatum, & alterum circa defectum causæ, dum justificabatur, quod in debitis cum dicta summa extinctis mulier obligata non erat nisi in quadam ratæ via quartam partem constituente, & consequenter causa remanebat falsa, vel inepta, ipsaque mulier clare damnificata, dum ejus indemnitati, ac relevationi super bonis hæreditatis principalis debitoris, utpote absorptis a creditis anterioribus, consultum non remanebat.

5 Quamvis autem dictus primus defectus circa solemnitates materiales, dicatur etiam æque substantialis, ut plene habetur deductum in decisionibus editis in causa, de qua *disc. sequent.* & sæpissime, attamen principale motivum resolutionum (ut pene semper, ac merito) fuit defectus causæ, quæ in præsenti non solum erat minus vera de jure, & sic non utilis, sed damnosa, juxta opinionem ho-
6 die receptam, ex insinuatis *disc. præced.* sed detegebatur quoque minus vera de facto, ac positive falsa in parte etiam notabili, ac supra dimidium, & ultra, unde propterea de plano intrabat conclusio pariter in hac materia quotidiana, & recepta, ut super nullitate obligationis, vel alterius actus gesti ea falsa causa non solum ubi esset falsa
7 in totum, sed etiam in parte, ob individuum voluntatis, ac juramenti ipsius contrahentis, fortius vero ob individuum decreti Judicis, & consensus proximiorum, vel curatoris respective, ut lata in eisdem decisionibus editis in causa, de qua *disc. seq. & dec.* 190. *n.* 12. *& dec.* 271. *n.* 4. *& seq. par.* 6. *rec. dec.* 171. *n.* 10. *p.* 11. *& sæpissime.*

Agnoscentes Defensores creditoris inevitabilem difficultatem, insistebant potissime in duobus fundamentis, primo in qualitate hæreditaria principalis debitoris, & secundo in qualitate creditoris, quod scilicet Bernardus, cum quo census initus fuit, proprium negotium vere non gessisset, sed potius administratorio quodam nomine illud dictæ Cappellæ pro dote cappellaniarum habentium annuum onus celebrationis missarum, quodque propterea ageretur de Ecclesia, vel causa pia, cujus favore hujusmodi Statutariæ solemnitates non requiruntur, atque obligationes, aliæque dispositiones etiam sine illis validæ sunt, ut per text. *in l.* 8
penult. & fin. Cod. ad Vellejan. cum aliis relatis per Franch. *dec.* 237. *n.* 2. Caputaq. *dec.* 194. *p.* 3. Rota apud Merlin. *dec.* 575. repetit. *dec.* 190. *n.* 28. *p.* 6. *rec.* ubi concordantes.

Neutrum tamen fundamentum subsistebat, primum etenim tollebatur ex solo facto, stante beneficio inventarii, ac oblata redditione rationum bonorum hæreditariorum, unde propterea in hoc nullæ erant partes Advocati.

Quovero ad alterum, Scribens pro Clementia (etiam 9
cum sensu veritatis) dicebam dictam propositionem esse veram in casu suo, in quo loquuntur supra allegati, fallaciam vero consistere in applicatione; procedit enim, ubi mulier, vel alter a lege positiva, communi, vel municipali, absque certa solemnitate contrahere, vel disponere prohibitus, amore Dei, & ex motivo pietatis, ac Religionis, aliquam faciat dispositionem, vel obligationem erga Ecclesiam, vel piam causam, quoniam cessante imperfectione, vel defectu naturali, intrant eædem rationes, ex quibus in materia testamentorum, aliarumque ultimarum voluntatum receptum habemus, ut quicumque defectus solemnitatum, ac juris positivi non attendatur, ad materiam textus *in c. relatum, de testamentis*, cum concordan. de quibus in sua materia *sub tit. de testamentis*, dum in dispositionibus, vel actibus, qui cum Deo geri dicuntur, solum jus naturæ, seu naturalis veritas attenditur; nullamque subjectionem pia causa patitur erga legem positivam, atque hos terminos percurrunt deducta per Franch. *d. dec.* 237. cum aliis per Pich. *ad Statut. glos.* 7. *n.* 220. *& seqq.*

Secus autem, ubi Ecclesia, vel pius locus contrahit ju- 10
re privato ex causa mere correspectiva, adeout alter contrahens nullum habeat pietatis, vel Religionis motivum, nullumque habeat respectum ad Deum, vel animam propriam, sed ad præcisos limites justitiæ commutativæ, contractum correspectivum faciat, tanquam cum quolibet alio privato contrahente, quoniam tunc verius est, solemnitates statutarias requisitas esse, cum inhabilitatio contrahentis proveniat a lege ejus Superioris, qui potest proprium subditum inhabilitare ad contrahendum sine certa solemnitate, vel forma, etiam cum non subdito, ex iis, quæ generaliter habentur *sub tit. de dote disc.* 143. ac etiam supra *sub tit. de donation.* & alibi.

Ut in specie ita distinguendo, seu dictam conclusionem favore piæ causæ declarando satis bene advertit Pichus *ad Statut. d. glos.* 7. *n.* 222. dum relatis duobus numeris præcedentibus utriusque sententiæ sequacibus, hanc dicit veriorem, ex dicta ratione, quæ vere solida est, & convincens.

Et licet qualitas Ecclesiæ, vel causæ piæ excludere vi- 11
deatur illam suspicionem, seu malam præsumptionem fraudis, & circumventionis, cui statutaria dispositio inniti videtur (& ex quo motivo, ut insinuatur supra *disc.* 28. aliqui crediderunt, ut minore contrahente cum altero minore, vel muliere cum altera muliere, seu minore, lustrares ratio conquassationis privilegiorum) attamen id non est motivum considerabile, tum quia lex municipalis principaliter innititur rationi præsumptæ imbecillitatis, seu imperfectionis Judicii mulieris, vel minoris, aut alterius, absque alieno auxilio ad contrahendum inhabilitati, unde propterea attenditur persona facientis actum, non autem altera, cum qua ille fiat, tum clarius, quia ubi versamur juxta dictam primam partem distinctionis in eo actu, qui principaliter ex motivo pietatis, vel Religionis fiat erga Ecclesiam, vel piam causam, tunc adesse non dicitur læsio, minusque circumventionis suspicio, quamvis aliquale commodum, vel interesse accessorium, vel consequutivum ex majori Ecclesiæ, vel piæ causæ ditatione redundet in Rectorem, vel Administratorem, quoniam istud videtur esse tale, quod dictam fraudis, ac circumventionis suspicionem redoleat, ut in terminis Liboniani, cum similibus advertitur *dict. tit. de testamentis disc.* 8. ac alibi.

Non sic ast, ubi agatur de contractu correspectivo, juxta 12
quo persona a Statuto inhabilitata (ut supra) ad limites justitiæ commutativæ contrahit cum Ecclesia tanquam cum privato, habendo principalem respectum ad recompensam, seu æquivalentiam, tunc enim recte cadit eadem ratio fraudis, ac circumventionis in Ecclesiæ Rectore, vel administratore, qui ad proprium commodum, utrumque ita fraudare potest, Ecclesiam scilicet, vel piam causam, quæ det integram æquivalentiam, seu recompensam, & alterum contrahentem imbecillis judicii, quia

det

der minus, ut reliquum sibi ipsi applicet, ita proprium, ac privatum, non autem Ecclesiæ negotium agendo, ut praxis quandoque docet.

13 Verum ubi etiam a Rectore, vel administratore, hanc sinistram suspicionem abesse admittatur, adhuc tamen in ista contrahendi specie, eandem rationem legis tuttare dicebam, cum non ageretur de actu, in quo mulier proprium negotium principaliter ageret, sed in ea tata, in qua ipsa obligata non erat, ideoque remanebat obligatio mere fidejussoria, cujus invaliditati assistere videbatur dispositio, vel intentio juris communis ad terminos *Senatus Consulti Vellejani*, ideoque lex municipalis a jure communi adeo exorbitare non dicitur, quoniam mulieris circumventio, vel concussio, citra fraudem, vel malitiam alterius contrahentis, esse potest ex parte viri, vel alterius, pro quo fidejubeat, ideoque stante simul, creditorem in culpa non esse, & tamen actum ex parte mulieris esse culposum, juxta ea, quæ in dicta materia *Vellejani* habemus, ubi potissime non intret dispositio, vel ratio text. *in l. si pecuniam, C. ad Vellejan.* dum potissime qualitas ejus pro quo fidejubeat eandem habere videatur rationem facilis seductionis, vel concessionis, quæ in viro militet, cui mulier contradicere non audeat, ut in præsenti recte dici posse videbatur ob reverentiam debitam viri jam defuncti germano fratri adeo qualificato, cum quo convivebat.

14 Et licet *in d. decis.* 194. Caputaquen. *p.* 3. & in aliis, de quibus apud Merlin. *d. dec.* 575. alias 190. *p.* 6. *rec. nu.* 28. id firmari videatur favore Ecclesiæ, vel piæ causæ quamvis ageretur de contractu correspectivo, attamen id admittendum non est, cum procedatur cum præsupposito privilegiorum eorundem conquassationis inter æque privilegiatos, quod juxta veriorem opinionem hodie receptam, non procedit, dum istud non est privilegium, sed potius præsumptus defectus narratalis, ob judicii imbecillitatem.

Actum quoque fuit in his disputationibus de puncto solemnitatum materialium circa dictum defectum deputationis curatoris, non faciendæ, nisi in subsidium proximiorum, quos justificabatur tunc adesse in Urbe, atque commode intervenire posse, an scilicet hujusmodi defectum sanaret ejusdem mulieris jurata assertio, quod alios proximiores non haberet, qui tunc commode intervenire possent.

15 In hoc autem, quamvis Scribentes in contrarium plene conarentur probare affirmativam, quod scilicet tali assertioni deferendum esset, cumulando plures nimium vulgares decisiones, & auctoritates per ora forensium quotidie volitare solitas; replicabam tamen, dictam propositionem esse quidem veram, ac receptam eodem modo, quo est altera super præsumptione veritatis causæ resultante a decreto Judicis, & consensu proximiorum, vel curatoris, ad effectum scilicet inducendi simplicem præsumptionem, quæ alio in contrarium non probato, attendenda est, secus autem dicta probatione accedente, cum tunc præsumptio veritati cedat.

16 Ex ea etiam clara, & convincenti ratione, ob quam receptum habemus, ut prohibitus contrahere, dicatur etiam prohibitus confiteri, seu renunciare Statuto certam solemnitatem præscribenti, quod scilicet nimium de facili fraus legi fieri posset, dum ex eadem facilitate, cum qua mulier, vel alter imperfecti, seu imbecillis judicii, inducitur ad faciendum actum principalem, induci potest ad confitendum, vel renunciandum. Ideoque (ut dictum est) assertio attenditur quidem in dubio, atque alia justificatione contraria non accedente, secus autem ubi ista concurrat.

17 Quinimmo licet alias Rota dixerit non sufficere probare existentiam proximiorum in Urbe, nisi etiam justificetur altera qualitas, quod commode in actu intervenire potuerint, adeout si doceretur de absentia per illam diem, quamvis brevi, sive de alio accidentali impedimento, id excusare deberet, attamen ut præcipue discussum fuit *in Romana census*, de qua supra *disc.* 28. occasione absentiæ ordinarii, ac generalis curatoris, hæc opinio rejecta est, & merito, cum ita idem resultaret effectus, quod scilicet cum nimia facilitate lex eludi posset, ita dictum impedimentum inquirendo, atque eo durante, actum affectando; ubi etenim agitur de actu voluntario, in quo mora periculum, vel irreparabile damnum non causet, non videtur, cur non debeat ille, qui absens est, expectari, ut etiam advertitur supra in *Bonon. censuum disc.* 23. adeoque ubi absentis, vel impediti existentia de proximo haberi potest, absentia, vel aliud impedimentum non de facili excusationem præbere debeat.

Retinendo principium, de quo *disc. præced. & sequen.* et alibi, ut ista sit quæstio potius facti, quam juris, pro facti qualitate, & circumstantiis decidenda, non quidem 18 cum verborum formalitate, vel decisionum, & doctrinarum litterali intelligentia, sed spectata rei substantia, & an actus fraudem, vel sinceritatem redoleat, respiciendo finem, seu effectum, ob quem lex prodiit.

Quamvis autem de stricta juris censura, attentoque de- 19 cisionum, ac doctrinarum rigore, ob falsitatem causæ in parte, ex individuo decreti, ac voluntatis, ut supra, iste actus in totum corruere deberet, atque Ego scribens tanquam Advocatus super hoc acriter insisterem, reflectendo tamen ad veritatem, placuerunt resolutiones super validitate actus in ea tata, pro qua, cum hac pecunia extincta fuerant debita graviora, in quibus ipsa mulier valide obligata erat, non solum ex ea ratione, quod ageretur de materia individua, in qua tantam affert utilitatem totam respectu totius, quantam pars respectu partis, ideoque non intrat ista ratio, quæ ex falsa causa in parte militat in alienatione alicujus rei stabilis, seu alias individuæ, quod alias pro minori indigentia facta non esset, juxta ea, quæ in terminis censuum, vel societatum officii habentur pluries in utraque materia, ac etiam per Rotam apud Merlin. *dec.* 69. repetit *decis.* 454. *par.* 4. *rec. tom.* 2. ut scilicet restituta, vel alias indebita parte sortis, pro alia parte debita, actum adhuc sustineatur, & duret, non constito de contraria voluntate.

Sed fortius ex ratione æquitativæ actionis de in rem verso pluries in præcedentibus insinuatæ etiam in Ecclesia, vel minori, & de qua actione ejusque requisitis in sua materia *sub titulo de credito*; leges enim provident hujusmodi personis alieno auxilio indigentibus, & circumventioni subjectis, ne circumveniantur, neque in propriis bonis damnificentur, non autem ut alios circumveniant, atque de alieno locupletentur, ut supra *disc.* 29. *& alibi*.

Tunc autem falsitas causæ, quamvis in parte, influe- 20 ret in totum, quando secundus actus novum onus, vel præjudicium causaret, non obstante versione, quia nempe pro debito simpliciter pecuniario, & infructifero, commode cum fructibus, vel mobilibus extinguibili, atque interim nullum causante usurarum, vel interusuriorum præjudicium, fieret contractus censualis, seu alias usurarius, sed ubi præcedens debitum erat æque usurarium, vel ex eadem causa census, quinimmo sub usuris gravioribus, tunc dicta æquitativa actio de in rem verso, sive etiam doli exceptio, de plano intrat, dum in nihilo persona prohibita damnificata est, sed potius utile negotium pro ea gestum, ut de reductione census ad minorem rationem habetur supra *disc.* 1. & in aliis, ideoque Mihi quamvis in hac parte succumbenti, atque contrarium sustinenti, id justum, ac probabile visum est, ut ab initio in congressibus, juxta stylum, insinuavi.

In his etenim materiis, in quibus leges certum respi- 21 ciunt finem, seu effectum (ut pluries in præcedentibus, ac sequentibus advertitur) judaico more super sola littera, vel formalitate insistendum non est, sed principaliter in substantia veritatis, bonaque, vel mala fide, ac potissimum an impleatur statuentium intentio, vel finis, unde propterea, contra hanc eandem mulierem aliud debitum cambii forte in eandem causam contrahentem, Rota ex facti qualitate, pro validitate contractus respondit *in Romana cambii* 16. *Junii* 1662. *coram Albergato*, & sic in aliis respective pro validitate, vel invaliditate respondendo.

Quid autem dicendum sit in aditione hæreditatis, quam 22 minor, vel mulier faciat, an, & quando adhiberi debeant eædem solemnitates, quæ in alienationibus, & contractibus, eademque intret infectio ex defectu solemnitatis, vel causæ, habetur actum in sua particulari materia *sub tit. de hærede, & hæreditate*.

ROMA-

ROMANA LOCORUM MONTIUM PRO JOSEPHO SARAVEZZIO CUM CURTIO GALLUCCIO, ET CONSORTIBUS.

Casus decisus per Rotam pro Curtio, & aliis.

De eadem materia Statuti Urbis 151. super invalido contractu gesto per mulierem ex defectu causæ, & quid ubi causa est quidem damnosa mulieri, sed justum habet motivum naturalis impulsus pro beneficio filii, vel alterius ergu quem naturæ impulsus urgeat. Et aliqua de materia conquassationis privilegiorum inter æque privilegiatos, & ad quid referat, quod mulier contrahat cum altera muliere, vel ubi agatur de qualificata Matrona ordinis magnatitii, & quid de contractu inito extra locum Statuti.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Statutum 151. Urbis licet loquatur de quatuor casibus, attamen procedit in omnibus contractibus.*
4 *Etiam aditio hæreditatis cadit sub dicto Statuto.*
5 *Quando dicantur male servata solemnitates.*
6 *Et de defectu causa.*
7 *Solemnitates sunt necessariæ, & sine eis causa non sufficit, & e contra non sufficiunt solemnitates sine causa.*
8 *De utroque copulativo concursu in alienationibus bonorum Ecclesiæ.*
9 *Quod principalis inspectio cadat super causa.*
10 *In beneplacito Apostolico non curatur de subreptione, ubi adest causa.*
11 *Quod prohibitio mulierum sit minor, quam minorum.*
12 *Quid solemnitates importent formalitatem.*
13 *Quando rigor attendi debeat circa citationem proximiorum.*
14 *Quod non bene insistatur in formalitate.*
15 *Sed quod principaliter insistendum sit in causa.*
16 *Non laudantur annullantes contractus ex solo defectu formæ, qua rigorose non sit bene servata.*
17 *Quomodo in ista materia sit judicandum.*
18 *Recensentur plures casus, in quibus ex justa causa contractus etiam sine solemnitatibus sustinentur.*
19 *Et e converso etiam cum solemnitatibus actus est invalidus.*
20 *Consideratur differentia inter mulieres, & Ecclesias, & Communitates.*
21 *Et de differentia inter minores, & mulieres.*
22 *De eadem distinctione in causam dotis, quando bene contrahant minor, & mulier.*
23 *Qualitas alterius contrahentis, an attendenda veniat.*
24 *De eodem, & ad quid dicta qualitas prosit.*
25 *Quod decisiones, quæ habentur, non sint contrariæ, sed diversæ.*
26 *De motivis, ex quibus in præsenti casu resolutiones non placent.*
27 *De falsitate causæ, & an subsistat?*
28 *Ut nimium attendendum sit, an mulier in vita conquesta sit?*
29 *An debitum contractum sine solemnitatibus obliget in conscientia, & præceptum de solvendis debitis, an complectatur ista debita?*
30 *Silentium arguit, quod contrahens agnovit se obligatum.*
31 *De eodem, de quo supra; ut in materia attendatur causa, & substantia veritatis.*
32 *De alio casu contractus, vel obligationis Matronæ, & magnatii ordinis.*
33 *De quæstione, quando contractus fiat extra locum Statuti.*

DISC. XXXIII.

1 INquisito Ludovico de aliquibus delictis furtum, ac falsitatem redolentibus, cum probationes adhuc essent dubiæ, ut causæ experimentum evitaretur, ex quo sicut absolutoria, ita e converso gravis condemnatio, cum personæ, ac famæ præjudicio oriri potuisset, curavit ipse admitti ad compositionem, mediante solutione scutorum bis mille, pro quibus, aliisque expensis desuper necessariis, idem, & Catharina mater, adhibitis solemnitatibus præscriptis a Statuto 151. assignataq; causa liberandi filium a molestiis illatis, & inferendis per Fiscum, pro scutis 2500. censum vendidit ad 3
favorem Mariæ, ad hunc effectum vendentis ejus loca montium dotalia depositato pretio in sacro Monte Pietatis, quo mediante effectiva solutio sequuta est, cumq; post aliquod tempus, pro dicti census fructibus executio super quibusdam lo- 2
cis montium, aliisq; bonis per dictam Catherinam possessis facta esset, Curtius ejusdem Catherinæ ex filio nepos, tanquam vocatus ad quoddam fideicommissum, cui dicta loca montium subjecta supponebantur, sententiam ab A. C. obtinuit, a qua commissa per appellationem causa in Rota cor. Albergato, prævis duabus decisionib. 26. Julii 1658. & 17. Martii 1659. dicta sententia revocata fuit, restricta hucusq; disputatione ad expirationem, vel respective durationem dictæ executionis, commissa vero denuo causa in Rot. cor. Ninot, assumptaq; principali disputatione super dicti census validitate, vel invaliditate respectu Catherinæ, sub die 1. Febr. 1664. responsum fuit censum non sustineri, dictaque resolutio confirmata cor. Bourlemont subrogato 9. Decembr. 1665. & 2. Maji 1667. ad quarum normam expedita sententia, & commissa causa in eadem Rota cor. Taja, pro confirmatione quoque responsum fuit.

In hujusmodi autem disputationibus de pluribus articulis actum fuit diversas materias concernentibus, potissimum super existentia, & pertinentia dicti fideicommissi, ac etiam super quadam donatione, ac super inspectione, an Catharina per hujusmodi impositionem census remaneret indotata necne, & aliis in facto magis, quam in jure consistentibus.

3 Quatenus vero ad hanc materiam pertinet invalida impositionis dicti census ob non servatam formam a Statuto Urbis 152. in alienationibus, & contractibus mulierum præscriptam non controvertebatur nullitas in casu deficientis solemnitatis, & justæ causæ, quamvis ageretur de censu, quoniam licet Statutum in verbis loquatur de quatuor tantum contractibus, atque apud Seniores magna lis fuerit, an de illis taxative, vel potius exemplificative Statutum disponat, ex iis, quæ plene registrata habentur pro utraq; opinione in votis, ac decisionibus impressis post Fenz. *ad idem Statut.* 151. Attamen hodie, extra omnem controversiam, receptissimum est, ut illud locum habeat in omnib. actibus, in quibus mulier, vel minor lædi potest, quales quales sint, ut de censu supra *disc. præc. & disc.* 28. immo etiam in aditione hæreditatis, vel simili actu implicitum tantum quasi contractum redolente, ac læsionis potentiam continente, ubi casus expresse exceptus non reperiatur, ut *sub tit. de hæred.*

4 Hoc tamen præsupposito sic stante, (& super quo amplius non disputatur) dictum fuit dictæ formæ defectum concurrere, tam circa solemnitates materiales, quia scilicet citatio facta mulieri, ac filiis, aliisque proximioribus, qui comparere neglexerunt, non esset bene concepta, utpote non exprimens causam contrahendi, eo modo, quo revera erat, ac etiam ex eo quod curator deputatus, non bene præstitisset juramentum, quod contractus non tenderet in damnum, ac præjudicium mulieris.

5 Itemque ex defectu causæ, vel minus veræ de facto, quia dictum fuit id fieri pro liberando filium a Fisci molestiis, quæ jam per compositionem cessaverant, eaque mediante inquisitio sublata erat, vel quod esset minus vera de jure, (ut juxta modernam opinionem, cum qua vivitur, opus est ex insinuatis *disc. præ.*) quod scilicet debeat es-
6 se utilis, vel non damnosa, cum damnum esset clarum, ex eo quod mulieri consultum non remaneret in bonis filii, qui revera principalis debitor erat, ut patet ex decisionibus desuper editis, in quibus super singulis hujusmodi conclusionibus, tam circa utrumque defectum solemnitatis, quam circa utrumque defectum causæ, auctoritates pro stylo copiose cumulantur, licet præter necessitatem, cum hodie sint propositiones planæ.

7 Quamvis autem omnes conclusiones desuper deductæ, illas singulariter, ac abstracte considerando, essent in suis respective casibus veræ, attamen tota facti serie ponderata, Mihi videbatur, quod applicatio parum congrua esset, ideoque (reflectendo etiam ad solam veritatem) intellectus in earum obsequium non de facili captivari potuit, quoniam licet solemnitates materiales, utpote litteraliter præscriptæ, ac formam continentes, necessariæ sint, adeout sola causa, quamvis justa, quoties non sit de illis, quæ desuper exceptæ, ac privilegiatæ sint, non sufficiat, & e converso solemnitates quamvis optime, ac diligentissime adhibitæ, ne-

que sufficiant, nisi concurrat justa causa, ad quam prin-
cipalis respectus habendus est, ut impleatur finis a lege de-
sideratus, & ne alias lex dicatur imposita verbis, & non
8 rebus, ideoque nudam formalitatem contineat, ut adver-
titur *disc. proxime praeced.* in his specialibus terminis mulie-
rum, & in aliis supra occasione contractuum minorum, &
Communitatum, adeout, ubi hujusmodi Statuta vigent
in personis prohibitis, seu inhabilitatis, verificari videa-
tur etiam conclusio, quam *supra disc.* 1. & in aliis fre-
quenter habemus in materia alienationis bonorum Eccle-
siæ, ut copulative solemnitas, & causa intervenire de-
beat, neque una sine altera sufficiat.
9 Attamen quoties ipsæ materiales solemnitates de facto
servantur, adeout dici non valeat, quod adsit Statuti spre-
tus positivus, tunc principalis, totaque inspectio consiste-
re magis videtur in causa, qua non concurrente, nihil ut
supra refert, solemnitates punctualissime servatas esse, ea
vero concurrente, illæ non videntur adeo exacte critican-
dæ, cum sufficiat adimpleri finem, ob quem adhibitæ,
seu desideratæ sunt tanquam per speciem formæ respi-
cientis certum effectum, cujus proinde implementum et-
iam per æquipollens de facili admittitur.
10 Ut, ultra generalia, bene ad rem facit conclusio, de
qua supra *d. disc.* 1. & in aliis in proposito alienationis bo-
norum Ecclesiæ, quod scilicet, quamvis dictus copulati-
vus concursus requiritur, beneplaciti scilicet Apostolici,
in quo substantialis, ac necessaria solemnitas consistit, &
justæ causæ necessitatis, vel evidentis utilitatis, adeout
unum sine altero non sufficiat, attamen ubi causa concur-
rit, atque de facto adest etiam dictum beneplacitum, tunc
istius rigorosa criticatio non attendatur super narrativa,
vel alio defectu, qui illud de subreptionis, vel obreptio-
nis vitio convinceret, quoniam principaliter spectatur ju-
sta causa utilitatis, qua concurrente, hujusmodi rigores,
ac formalitates negliguntur, ex ibi deductis.
11 Sic a pari, & fortius, cum in præsenti minor sit prohi-
bitio, utpote proveniens à solo jure municipali, atque
non habeat illam juris communis resistentiam, quam ha-
bet alienatio bonorum Ecclesiæ, quæ videtur naturaliter,
ac intrinsece mala, qualis non est illa, quæ fiat per mu-
lieres de jure communi ad contrahendum habilitatas.
12 Ideoque istam semper pro meo Judicio credidi unam ex
nostris leguleicis ineptiis, insistendi scilicet super formali-
tate verborum, seu circa citationes proximiorum, vel su-
per istorum Interesse, aut circa majorem, vel minorem pro-
ximitatem, sive an curator in proximiorum defectum de-
putatus, bene juraverit, vel caverit &c. Omnes etenim
istæ, (ut quotidiana praxis docet) sunt meræ formalitates, de
quibus recte dici posse videtur idem, quod advertitur præser-
tim *sub tit. de usur.* & sub altero *de cambiis*, super consimili
rigorosa formalitate circa justificationem requisitorum lucri
cessantis, vel damni emergentis, vel super realitate spac-
ciorum pro cambiis, cum similibus, quod scilicet ni-
mium exactæ diligentiæ, majorem potius malitiam redar-
guere videntur, atq; in melior est conditio callidi, ac versu-
ti fœneratoris, quam simplicis, ac integræ personæ, bona fi-
de procedentis, & non advertentis ad hujusmodi formalita-
tes, vel subtilitates, quæ vix peritis professoribus innotescunt.
13 Tunc enim, circa citationem proximiorum, vel eo-
rum existentiam, seu male conceptam citationem sub di-
verso loco, vel sub causa non bene expressa, talis rigor
principaliter attendi deberet, quando facti circumstantiæ
docerent, vel suspicionem inducerent, ut error affectatus
esset, ad effugiendum interventum proximiorum, qui
alias contractum impedivissent, juxta casum, de quo su-
pra *disc.* 28. cum similibus.
14 Sed quando ista suspicio deest, quia nempe causa sit talis,
quod verisimiliter omnibus bene adimpletis, adhuc contra-
ctus secutus esset, tunc ineptum videtur super his minu-
tiis Immorari, quasi quod essent verba sacramenti, quod
aliquorum omissio, vel alteratio, formæ implementum im-
pediret, ut in dicta usuraria, & cambiorum materia adver-
titur, ac alibi, dum notum est, quod forma concipiendi cita-
tiones, sive extendendi juramentum, similesque formali-
tates adhibendi, provenit a Notario, vel a sollicitatore,
pro ejus modo loquendi, non autem a partibus ita studiose
agentibus, nisi, quando (ut dictum est) aliæ facti circum-
stantiæ affectationem, ac studium redoleant.
15 Ac propterea hujusmodi solemnitatum defectus dicen-
dus est consequutivus, & quodammodo filius alterius ma-
joris defectus causæ, adeout rigor, qui circa dictas forma-
litates adhibetur, vel non sufficiat, vel non sit necessa-
rius, aut enim justa causa non adest, & nil refert actum
solemnissime gestum esse, aut adest, & tunc judaismi
species videtur immorari in eo formalitatis rigore, qui
ut supra, in longe majori prohibitione alienationis bo-
norum Ecclesiæ negligitur.
Et consequenter, licet Ego sæpissime, Advocati mo- 16
re scribendo, super hujusmodi contractuum invaliditate,
istos defectus solemnitatum materialium, seu formalita-
tis, exagerare quoque, atque inculcare consueverim, de-
ducendo istas ac tot alias adeo frequentes decisiones, quas
desuper habemus, attamen apud Me, quamvis obtinen-
tem, (ubi alter causæ defectus non accederet) irrisio-
ne digni habiti sunt illi Judices, qui ex hoc solo moti-
vo, pro actus invaliditate responderunt.
Quatenus vero pertinet ad aliud essentiale requisitum 17
causæ, materia hæc est de frequentioribus, quas Curia tra-
ctet, adeout longe supra centesimum hujusmodi causarum
numerum in Rota, aliisq; Tribunalibus tractaverim, modo
pro validitate, ac modo pro invaliditate respondendo, unde
propterea pene infinitus desuper habetur numerus decisio-
num, quæ invicem pugnantes videntur, attente autem (ut
decet) reflectendo ad singulorum casuum circumstantias,
agnovi, quod vera ista facti potius, quam juris quæstio sit,
certam, ac generalem non recipiens determinationem in sin-
gulis casibus ab eorum qualitate, & circumstantiis diversimo-
de sequi debentem, spectato, ut dictum est, fine, seu effectu,
ob quem lex prodiit, alterativa, vel suppletiva juris com-
munis, quod (excepto Vellejano) in reliquis nullam consti-
tuit differentiam inter viros, & mulieres majores, ideoque
erroneum est ita simpliciter statuere propositionem gene-
ralem, ut causa debeat esse utilis, vel saltem non damno-
sa, quoniam ita esset omnino inhabilitare mulieres ad do-
nandum, cum actus de sui natura sit damnosus, sive ad fide-
jubendum in casu, quo dubia sit relevatio indemnitatis, (in
quo frequentius fidejussio desiderari solet dum negligitur,
ubi certa sit idoneitas principalis) sed spectari debet ipsa
causa, an sit honesta, & prudens, ac laudabilis, habens præ-
sertim naturalem stimulum naturæ, ex quo necessarius quo-
dammodo dicatur actus, quamvis de stricto jure, volunta-
rius dicendus esset, ut apud Surdum *dec.* 164. *n.* 16. ex cujus,
& aliorum auctoritate Rota *dec.* 171. *n.* 7. *par.* 11. *rec.* admi- 18
rit validam obligationem matris pro filio ex causa acci-
piendi pecunias mutuas pro expeditione bullarum Episcopatus
ob honorificentiam, ac speratam utilitatem. Et in Romana
renunciationis cor. Otthobono inter suas *dec.* 182. & in ea-
dem cor. Cerro *dec.* 23. *p.* 11. *rec.* reputatur sufficiens causa
renunciandi ejus bonis, & juribus, ex motivo, ut erigi
possit a filio primogenitura pro decore familiæ, atque in
Anconitana pecuniaria 15. Maji 1654. & 9. Junii 1655. cor.
Zarata firmatur valida obligatio mulieris pro liberanda
patrem a carceribus, & in Romana cambii 16. Junii
1662. cor. Albergato (in qua agitur de eadem Matrona,
de qua *disc. prox. praec.*) canonizatur contractus cambii per
ipsam ex quodam probabili motivo initus, quamvis vere
non esset in causam propriam, sed in eandem, de qua
eod. disc. praeced. & quod magis, in Romana mutui 5. Maji
1659. cor. Cerro, canonizatur validum debitum contra-
ctum a prudenti Matrona, ex circumstantiis redolentibus
sinceritatem actus, quamvis esset per simplicem apocham si-
ne solemnitatibus, cum plerisque aliis similibus.
E converso autem, fere omnes, quæ sunt in contrarium,
diversas habent circumstantias, quod scilicet ageretur de de- 19
bito alieno, ad quod sine probabili causa mulier se obliga-
vit, atque vigeat illa suspicio, quam lex municipalis habet
de seductione, ac fragilitate, secus autem ubi illa suspicio,
vel præsumptio per contrariam probationem, vel poten-
tiores præsumptiones tollatur, ut optime advertitur apud
Achill. *dec.* 1. *de confess.* quæ reputatur magistralis, passim-
que recepta est, circa conclusionem, ut confessio verisi-
milis, vel adminiculata attendenda veniat, etiam in per-
sonis prohibitis, quamvis regula sit, ut prohibitus alienare
dicatur etiam prohibitus confiteri, quoniam (sunt ver-
ba præcisa decisionis Achill.) præsumptio facilitatis, &
fragilitatis, tollitur per alias præsumptiones potentiores, ut
etiam advertitur supra sub *tit. de donat.* an donatio facta per
mulierem ea probabili, vel improbabili motivo resolutet.
Ut enim in præcedentibus insinuatur, magna differentia 20
est inter alienationes, & contractus, qui fiunt de bonis Ec-
clesiarum, vel Communitatum, ac similium, sub administra-
tione de necessitate viventium, per ipsos administratores,
qui liberam disponendi facultatem non habent, sed limita-
tam ad præcisam necessitatem, vel utilitatem, & eos, qui

fiunt

sunt per Dominos potestatem disponendi habentes, quibus lex adjecit aliquod frænum, ob suspicatam imbecillitatem judicii, ex solo motivo occurrendi fraudibus, & circumventionibus, ob istarum præsumptionem, contraria probatione etiam præsumptiva, ut supra, elidibilem.

21 Atque etiam inter eos, qui sunt Domini, ac disponendi facultatem habent, magna differentia constituenda est inter minores, & mulieres majores, illi etenim, utpote sub aliena administratione quoque viventes, vel vivere debentes, regulariter de jure communi sunt inhabilitati, cessante necessitate, vel utilitate, cujus contrarium est in mulieribus majoribus, igitur isti termini pariformiter tractandi non veniunt.

22 Quod clare comprobat (ut pariter in præcedentibus insinuatur) ea differentia, quam habemus in materia dotali, sive in donationibus contemplatione certi, ac determinati matrimonii, quod in mulieribus majoribus, cessante extrinseca probatione doli, vel seductionis ad terminos juris communis, negliguntur Statuta, quæ solemnitates, & causam præscribunt, quamvis nulla impelleret necessitas, sed actus fieret ex causa mere voluntaria erga extraneum, eo quia dicitur juris præsumptione causa justa, & probabilis, quamvis vere redoleat donationem, atque damnum causet, a converso autem in minoribus illa causa non sufficit, ubi non urgeat necessitas, ut ita distinguendo habetur pluries in ista materia, *sub tit. de dote*, præsertim *disc. 16. & seq.*

23 Nimium quoque in id conferente qualitate alterius contrahentis, an scilicet sit æque privilegiatus, puta, altera mulier, vel Ecclesia &c. Non quidem ex ratione conquassationis privilegiorum inter privilegiatos, ut plerique cum nostra consueta simplicitate credunt, unde propterea adeo insistitur in distinctione, an unus tractet de lucro, & alter de damno, vel utroque contendente de damno, an unus contendat de majori, & alter de minori, quoniam, ut advertitur *disc. præced.* hujusmodi Statuta non inducunt privilegium, neque in ratione privilegiativa disponunt, ut mala plerique opinantur, sed inducunt præsumptionem imbecillis, vel imperfecti judicii, unde de consequenti resultat defectus naturalis ob præsumptionem circumventionis, vel fraudis, quoties actus sit læsivus, & damnosus,
24 quo effectu spectato, nihil refert ad cujus commodum actus tendat, bene tamen qualitas personæ, cujus commodum actus respicit, ipsaque sinceritas actus conferunt ad tollendam, vel debilitandam dictam malam præsumptionem, nisi hæc provenire possit a tertio juxta ponderationes, de quibus *disc. præced.*

25 Atque cum hac distinctione in centum pene casibus, hujusmodi contractuum, & obligationum mulierum, scribendo ad causam, quando pro validitate, & quando pro nullitate, sive respondendo pro veritate, Mihi procedi debere semper visum est, non autem judaico more insistendum esse in litterali intelligentia decisionum, & auctoritatum, quarum cumulus hinc inde fieri solet; licet enim decisiones primo aspectu contrarietatem inter se cum aliquo exterorum scandalo præseferre videantur, quasi quod modo dicatur album, & modo nigrum, attamen bene considerando singularum circumstantias, non sunt contrariæ, sed diversæ pro diversa facti qualitate.

26 Applicando autem ad rem in hac facti specie, Mihi pro validitate contractus scribenti ad favorem creditoris, (reflectendo etiam ad solam veritatem) dictæ resolutiones, vel improbabiles, vel nimium asperæ visæ sunt, ponderando omnes facti circumstantias simul junctas, cum regula, ut *singula quæ non prosunt &c.* Primo scilicet justum motivum ex naturæ impulsu proveniens occurrendi, ne filius de gravibus, ac famosis delictis imputatus, gravia præjudicia in persona, & fama incurreret, quod sine dubio justam causam redolet magis quam expedire bullas pro Episcopatu, vel ut erigeretur primogenitura, præseferre dicitur.

Secundo ob qualitatem contrahentis, quod esset altera mulier, magis forte simplex, & proba, quam debitrix, tertio potissime ob sinceritatem actus, quod scilicet creditrix pecuniam, quam debitrici dedit, retraxit ex vera, & affectiva venditione tot locorum montium dotalium, unde propterea, data invaliditate hujus contractus, resultabat inconveniens, quod hæc mulier remaneret indotata, cum dolo, & fraude alterius mulieris, quæ ita utilitatem ex hac pecunia perceperat liberandi proprium filium.

27 Et quamvis in decisionibus insistatur in falsa, seu deficiente causa narrata molestiarum Fisci, eo quia ob jam admissam compositionem, ac solutionem partis summæ compositæ sublatum esset judicium criminale, attendendo doctrinas Criminalistarum diversum casum, vel effectum percutientes, an scilicet, ubi non solvatur summa conventa in compositione, remaneat solum actio civilis pro solutione, vel potius regressus fieri valeat ad judicium criminale, attamen hic videbatur incongruus rigor, quoniam spectari debet substantia veritatis, dum quando hujusmodi compositiones cum Fisco tractantur, prius adhibentur diligentiæ pro inveniendo pecuniam ad id necessariam, sed non devenitur ad contractum, quo mediante pecunia obtineatur, nisi concludatur, ac perficiatur compositio pendens ab arbitrio, & voluntate Superiorum, potissime in Urbe, quod Officiales solent de his facere verbum cum ipso Pontifice, sine cujus oraculo actus non concluditur, ideoque rationabiliter contractus gestus fuit, postquam compositio jam erat perfecta, atque pars dictæ summæ compositæ soluta erat per tertium ita fiducialiter credentem, ad compositionem facilitandam, ut reintegrari deberet.

Magnæ quoque in hac facti specie, ac in plerisque aliis 28
similibus causis pro validitate actus, faciebam eam circumstantiam, quod de invaliditate non opponeret ipsa mulier, sed ejus hæres, vel alter tertius interessatus, ut e converso ad effectum invaliditatis nimium considerabile est, an ipsamet mulier dicat se læsam, & circumventam, quoniam cum ipsa esset veritatis bene conscia, adeout, agnoscendo se naturaliter, & in conscientia obligatam, contractui acquieverit, atque donec vixit, illum observaverit, nimium improbabile videbatur, ut hæres, vel tertius, ex solo rigore juris allegare debeat id, quod ipsa principalis nunquam allegavit, neque verisimiliter allegaret si viveret.

Apud antiquiores etenim magna quæstio fuit, an hujus- 29
modi contractus initi per minores, & mulieres, vel alios a Statuto sine certa solemnitate inhabilitatos, obligent naturaliter, & in conscientia, plerisque affirmativam tenentibus, quam, occasione agendi de præcepto dato per morientem ejus hæredibus de solvendis omnibus debitis, an comprehendat hæc debita ita male contracta, etiam Rota moderna credidit esse veram, atque adesse obligationem naturalem, ideoque præceptum de illis quoque intelligendum esse, *ut dec. 62. 81. & 119. p. 7. rec. & decis.* 190. post Zacch. *de obligation.*

Et quamvis deinde recedendo a *dict. decis.* 190. contrarium tanquam verius firmatum fuerit *dec.* 80. *p.* 10. *rec. a n. 7. ad* 14. *& dec.* 98. *n.* 14. *cum seq. par.* 11. atque cum hac posteriori opinione hodie procedatur, ut scilicet hujusmodi contractus, neque obligent in conscientia, attamen ut respondendo *ad dict. dec.* 62. 81. *&* 119. *p.* 7. fundatas in *cons.* 93. Aretin. cum quo cæteri procedunt, advertitur in *d. decis.* 80. *par.* 10. *&* 98. *part.* 11. præsertim in hac posteriori *n.* 18. dicta prima opinio recipienda est, ubi bona fides, vel recipientis utilitas adsit, seu quod aliàs ipse se agnoscat obligatum ad solvendum id, quod recipit, vel promisit, cum altera opinio sit fundata in præsumptione, quæ semper cedit veritati.

Et consequenter, si ipsa mulier donec vixit, conquesta 30
non est, sed contractum observavit, quia bene conscia veritatis agnovit se obligatam, non videtur ita de facili admittendus hæres, vel alter successor ad hujusmodi nullitatem allegandam, atque ad propriam locupletationem de bonis contrahentis, illius animam gravare in præjudicium tertii, qui bona fide absque solemnitatibus credidit defuncto, quia conscius illius probitatis, recte sperare, & credere potuit, quod ille fidem violaturus non esset.

Ideoque semper firmum remanet id, quod pluries ad 31
hanc materiam insinuatur, ut ista dicenda potius veniat quæstio facti, pro istius qualitate decidenda, quodque erroneum est cum regulis, ac doctrinis generalibus procedere, principaliter reflectendo ad finem, seu effectum a statuentibus consideratum, non autem ad solas formalitates, juxta illam regulam, quam in materia ultimarum voluntatum habemus *sub tit. de fideicommissis*, & alibi frequenter.

Hinc proinde, (quamvis non scribens in causa, sed desuper 32
consultus ex parte creditoris in eo casu, in quo prodierant decisiones in Romana pecuniaria 7. Junii 1666. & 28. Jan. 1667. coram Taja) non de facili in dictarum resolutionum obsequium intellectum captivare potui, ex eisdem considerationibus, de quibus *inf. disc.* 37. quod scilicet incongruum sit ea, quæ disposita sunt in privatis mulieribus, applicare adeo qualificatis Matronis primi ordinis magnatitii, quæ vulgo Principissæ ob hanc abusivam dignitatem Baronibus, & Domicellis subditis concedi solitam reputantur, potissime vero inspecta natura, seu qualitate actus; ubi enim ageretur de alienatione, vel obligatione, seu alio contractu in re gra-

vi, ac magni præjudicii, inito cum altero Magnate, adeo ut data proportione, intret ea ratio præsumptæ circumventionis, quæ in mulieribus privatæ fortunæ cadit, tunc recte in nobilibus Matronis, etiam magnatitii ordinis idem dicendum venit, recteque intrant conclusiones, & auctoritates, cum quibus in eisdem decisionibus proceditur, sed dicere ut promissio, quam per schedulam pro stylo Magnatum fecit Principissa super menstrua præstatione ad vitam ejus familiaris, ad effectum, ut ista provisione mediante, facilitaretur matrimonium ab eo, cum ipsius Matronæ, seu Principissæ mediatione, & auctoritate contractum, id continere videtur quendam legulaicum rigorem, cui judaismi localis vocabulum congruere videtur, naturali veritati, ac humano sensui nimis adversum.

33 Cum eadem distinctione plures, ac pluries scribendo in causa, vel pro veritate consultus, procedere consuevi in altero articulo, in quo Scribentes pariter se involvisse videntur, quando scilicet contractus celebratus sit extra territorium, vel jurisdictionem statuentis, an id in fraudem Statuti sequutum sit, quia affectate a loco consueti domicilii recessum sit ad hunc effectum, ut cito reversio sequeretur, juxta casum, de quo habetur actum *sub tit. de dote disc.* 17. & in decisionibus in ea causa editis, ac *sub tit. de donat. disc.* 35. & alibi, dum adeo certant circa tempus discessus, & recessus, *ex cons.* Aretin. 74. & 73. atque ex iis, quæ in materia deducunt Menoch. *cons.* 819. Ciriac. *controv.* 10. *n.* 82. *& seq.* & decisiones editæ *in dicto casu*, de quo etiam *sub tit. de dote disc.* 143. ubi de pluribus ad materiam.

Verum, & ista facti quæstio est ex ipsius facti qualitate, & circumstantiis decidenda, ex quibus desumi valeat an id affectate, ac in fraudem sequutum sit; stant enim bene simul, ut mora extra patriam, seu locum domicilii fuerit diuturna ad hanc fraudem magis colorandam, quodque propterea fraus ita major, & clarior reddatur, & a converso, quod fuerit brevis, sed ad alium finem, quodque casus præbuerit ibi contractum fieri bona fide, & absque affectata præordinatione, in quo est punctus, & consequenter est pariter erroneum cum generalitatibus procedere, atque decisiones, vel auctoritates certos casus percutientes, cuicumque alteri applicare, non combinando singulorum diversas circumstantias, ex quibus vere decisio pendat, bene attendendo generalitates in ambiguo.

ROMANA SOCIETATIS
PRO ACHILLE TERTIO
CUM MARIA FELICE GUBERNATA.

Casus disputatus coram A. C. seu Prælato deputato, sopitus per concordiam.

An solemnitates statutariæ in contractibus mulierum, vel minorum requirantur, ubi agatur de negotiis mercantilibus, adeout minor, vel mulier mercaturam exercens, cadat sub Statuto?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Solemnitates statutariæ sunt servandæ etiam in societate, quamvis tacita.*
3 *Mulier major non est in jure inhabilitata ad contrahendum.*
4 *Quod mulier exercens mercaturam non comprehendatur sub Statuto mulieres inhabilitante.*
5 *Idem de minore mercatore.*
6 *De conclusione, de qua n. 4. quando sit dubitandum.*
7 *Hæres beneficiatus dicitur administrator hæreditatis.*
8 *Solemnitates non requiruntur in contractu gesto per mulierem administratorio nomine.*
9 *Quando quis dicatur mercator ad effectum, de quo n. 4. & 5.*
10 *Quod plura negotia pupillorum, & mulierum exerceantur sub nomine defunctorum.*
11 *Tutor, vel administrator potest recognoscere bonam fidem, ejusque confessio adminiculata attenditur.*
12 *Idem de confessione mulieris, & contractus sine solemnitatibus inefficaces ad obligandum sufficiunt ad probandum.*
13 *Potissime ubi alia veritatis adminicula concurrunt.*

D I S C. XXXIV.

DEfuncto Francisco Gubernato mercatore fundacario 1
in Turre-sanguinea, superstite hærede Maria Felice
sorore, ista deputavit fundaci prædicti institorem quendam
juvenem, qui vivente Francisco quoque administrabat, atque cum istius, ac viri præsentia, & obligatione, per
apocham declaravit in recognitionem veritatis, quod inter
dictum Franciscum, & Achillem inita fuerat quædam societas, admisso dicto Achilla ad participationem tertiæ
partis fundaci, cum onere solvendi scut. 5000. ad quorum
computum solverat eidem Francisco in pecunia, & in mercibus ter mille circiter, reliquum vero promittebat prompte subministrare in mercibus, pluribus initis capitulis ad
rem non facientibus; cumque finito societatis statuto tempore, aliquæ discordiæ super computis, vel participatione
lucrorum ortæ essent, hinc introducta desuper lite cor.
A. C. seu Prælato deputato, dicta Maria Felix, de consilio Causidicorum, ut frequenter contingit, naturalem veritatem negligentium, solique juris subtilitati incumbentium,
opposuit de nullitate dictæ apochæ ob non servatas solemnitates in mulierum contractibus præscriptas a Statuto Urbis
151. præsertim circa dictam præjudicialem confessionem
solutionis scutor. 3000. & ultra Francisco defuncto, atque
pro eadem muliere Scribentes de plano dicebant ejus intentionem fundatam esse in dicto Statuto, quod ut in
præcedentibus advertitur, quamvis in verbis agat de quatuor casibus, complectitur tamen omnes, & quoscumque
alios contractus, vel actus, ex quibus mulier lædi potest,
ut in specialibus terminis societatis firmatur apud Baratt. 2
decis. 487. ubi receditur a distinctione firmata in præcedenti *decis.* 408. inter societatem tacitam, & expressam.

Quamvis autem aliqui pro Achilla Scribentes in congressibus desuper habitis pro causæ directione, præsupposita dicta solemnitatum adhibendarum necessitate (quas regulariter necessarias esse Ego quoque admittebam) in aliis motivis prudenter quidem insisterent, potissimum vero super justificatione traditionis dictæ summæ, ac mercium respective, tam per aliquos testes, quam per confessiones extrajudiciales, & adminicula.

Ego tamen fui in sensu omnino impugnandi oppositum 3
defectum resultantem a Statuto, quodque procedendum esset cum solis terminis juris communis, quibus attentis dicta probationis necessitas non incumbebat, quamvis ad magis satisfaciendum Judici, ac ostendendam causæ bonam faciam illam laudarem; de jure etenim communi, (ut etiam in præcedentibus advertitur) mulier major, excepto Vellejano inhabilitata non est ad contrahendum, neque a viris differt, ad Text. *in l. velles, ff. de revocat. donat. &* *l.* 2. *C. Vellejan.* utrobique Scribentes ex relatis per Gratian. *discept.* 756. *n.* 24. Rota *dec.* 88. *n.* 7. *p.* 6. *rec. & frequenter*. Et consequenter resultat, quod ubi non prohibitus contrahere fatetur aliquid recepisse, ac se debitorem constituit, onus non est creditoris extrinsecus probare debiti veritatem, seu contractus læsionem, sed qui istam, vel errorem allegat, concludenter unum, vel alterum probare tenetur, ut est hodie in jure nimis receptum, ac vulgare.

Dicebam igitur, quod cum ageretur de negotio mercan-
tili, & concernente tabernam, seu fundacum, qui publi- 4
ce per ipsam mulierem, mediante opera institoris, aliorumque Ministrorum exercebatur, non intrabat dicti Statuti dispositio ex pluribus rationibus, quæ in specialibus terminis mulieris mercaturam exercentis late ponderantur per Picum in *commentar. ad hoc Statut.* (qui cæteris omnibus aliis majoris conditionis fuit in hoc ejus commento, cum reliqua hucusque parum felicia fuerint) *glos.* 7. *in addit. n.* 291. *cum seq.* ea præsertim, quam ponderat Rota infra citanda, publici commercii, atque communis usus in rebus mercantilibus, ac negotiationibus.

Idemque receptum est etiam in fortioribus terminis mi- 5
noris mercatoris, qui pro majori reputatur in concernentibus negotia mercantilia, ex theorica Baldi *in l.* 1. *C. qui, & adversus quos*, Roman. *cons.* 318. *n.* 2. & alii apud Gratian. *discept.* 279. *n.* 46. *& sequent.* Rota *dec.* 267. *n.* 2. *part.* 3. *rec.* & plenius *decis.* 284. *n.* 13. *& seqq. part.* 9. Et in puncto Statuti Urbis in Romana negotiationis coram Robusterio apud Marches. *de commiss. tom.* 1. *fol.* 728. Si etenim id procedit in minoribus, qui de jure communi ad contrahendum inhabilitati sunt, multo magis in mulieribus, quæ ut supra non sunt inhabilitatæ.

Fortius vero, ac pro meo judicio, extra omnem contro- 6
versiam, quod non negabatur de negotio mercantili, quod

ipsa

ipsa mulier (præter Italiæ communem usum) suscepisset quo casu aliqua dubitandi non improbabilis ratio cadere posset, quod in hoc munere suscipiendo circumventri potuerit, stante præsertim dicto contrario usu communi hujus Regionis, unde propterea cum aliqua circumspectione pro facti qualitate procedendum est.

7 Sed agebatur de continnatione negotii hæreditarii, atque ipsius hæreditatis nomine, ob quam circumstantiam ad duo inferebam, primo nempe, quod stante recepto principio, de quo frequenter *sub tit. de credito*, & sub altero *de hærede*, ac alibi, quod hæres beneficiatus non dicitur verus ac proprius hæres, (ut prius erat, ac etiam est hodie sine inventario) sed est potius hæreditatis Admini-
8 strator, ita intrabat conclusio, quod actus gesti per mulierem tutorio, vel curatorio, seu procuratorio, aut alias administratorio nomine alterius, non cadunt sub hoc Statuto, nisi persona principalis, cujus bona administrantur, sit de comprehensis, ut, cæteris relatis, habetur per Rotam apud Merlin. *decis. 309. repetit. decis. 106. n. 16. par. 5. recent.* ubi concordantes.

9 Et secundo, quod ita cessabat difficultas, in qua es Rebuff. & aliis, juxta diversarum Regionum, vel Civitatum mores, se involvere videtur Picus ubi supra, quando scilicet quis dicatur mercator, ad effectum, ut intret necne ista conclusio, ponderando, an sit descriptus in matricula mercatorum, sive an publice per seipsum mercaturam exerceat, dum ita mercatoris personam continuare dicebatur ipsemet Franciscus defunctus repræsentatus per ejus hæreditatem, cujus administrationem gerebat mulier hæres beneficiata.

10 Cumque ad illorum requisitorum defectum Scribentes pro muliere se restringerent, ut evitarent applicationem dictæ conclusionis alias inevitabilis, ita dicebam difficultatem tolli, coadjuvando etiam cum facti probationibus istam ponderationem cum, adhibitis diligentiis, compertum fuerit plures adesse in Urbe consimiles casus, quod scilicet defunctis ipsis mercatoribus fundacariis, superstitibus hæredibus minoribus, immo pupillis, vel mulieribus, negotium sub nomine ipsiusmet defuncti, vel hæredum continuatur per institores, aliosque solitos juvenes, & ministros, absque hujusmodi solemnitatum necessitate, dum alias esset mundum involvere, atque commercii libertatem tollere, ut in gravioribus negotiationibus artis campsoriæ, seu rationis bancariæ totius mundi praxis docet, quod negotiatores sequuntur fidem illius negotii, ejusque complementariorum, seu Administratorum, non indagando, an vere pertineant ad mulieres, vel minores, quia impracticabilis esset negotiatio, si in quolibet actu hujusmodi solemnitates adhibendæ venirent, dum inter mercatores, & negotiantes, neglectis hujusmodi subtilitatibus, proceditur de bono, & æquo, ac etiam parvæ schedulæ, seu pagellæ eam vim habent, quam inter privatos instrumenta publica, ut pluries *sub tit. de cred.*

11 Advertebam item, quod cum controversia principaliter restingeretur ad dictam confessionem super summa soluta a defuncto, de cujus gestis erat eadem mulier verisimiliter informata ut pote convivens in eadem domo, ac etiam ipso vivente, ob infirmam valetudinem ipsius, negotii aliquam habens administrationem, ac superintendentiam, ita deferendum esset; quamvis enim contractus, aliique actus initi, non servata forma statutaria, invalidi remaneant, seu inefficaces ad obligandum, adhuc tamen attenduntur ad probandum, quoties alia accedunt veritatis adminicula. Si enim habemus, quod etiam tutoris, vel Prælati, seu alterius Administratoris confessio adminiculata probat, cum prohibendus non sit tutor, vel Prælatus, seu alter administrator, veritatem, ac bonam fidem recognoscere, ut *in prae. hoc eod. titulo, & alibi* advertitur, cum sit vera, & recepta
12 propositio, multo magis id dicendum est in confessione facta per ipsummet principalem de jure communi habilem ad contrahendum, & confitendum, ita per jus municipale accidentaliter inhabilitatum, ut in specie dictæ conclusionis, ut scilicet actus gesti sine solemnitatibus quamvis inefficaces ad obligandum, bene attendi debeant ad probandum, cæteris relatis, habetur apud Altograd. *cons. 5. n. 7. & seq. lib.* 1. & dixit pluries Rota, præsertim in Romana dotis 10. Januar. 1600. cor. Sacrato, quæ reputatur in hac propositione magistralis, & in aliis, præsertim in Romana fideicommissi 8. Junii 1648. coram Arguelles §. *Nec quicquam &c.* Et conferunt quæ habentur pluries *sub tit. de dote* in materia confessionis inter conjuges regulariter prohibitæ, vel inefficacis ob fraudem tertii, sive prohibitæ donationis, ut cesset concurrentibus adminiculis, quæ majora, vel respective minora pro facti qualitate desiderantur, cum similibus

Ideoque ubi etiam cessante dicto motivo mercaturæ, versaremur in actu mere privato Statutariæ dispositioni subjecto, adeout ex defectu solemnitatum, invalidus, & non obligatorius esset, adhuc tamen, ubi veritatis adminicula concurrerent, idem actus attendendus veniret tamquam probatio aliunde adminiculata, vel tanquam unum ex adminiculis simul conjungendis pro facti qualitate, & 13
circumstantiis prudenti arbitrio, spectato fine, seu effectu Statuti, ne mulieres, vel minores circumveniantur, non autem, ut alios circumveniant.

FIRMANA CENSUS
PRO LIBERATO TREVISANO
CUM LUTIIS

Casus decisus per Rotam pro Lutiis.

De plerisque pertinentibus ad eandem materiam alienationum, & contractuum minorum, & mulierum non servatis solemnitatibus Statutariis, & præsertim de solemnitate insinuationis requisita per Constitutionem Ægidianam: Et an solemnitatee requirantur si testator tutori, vel curatori, alienandi, vel contrahendi facultatem dedit? Et an in contractu facto per tutorem, vel curatorem, ipsius pupilli, vel minoris interventus requiratur?

S U M M A R I U M.

1 *IN Statu Ecclesiastico frequentia sunt Statuta in actibus minorum, & mulierum, & de Ægidiana.*
2 *Facti series.*
3 *Resolutiones causa.*
4 *Quod tutor alienet, vel contrahat sine solemnitatibus ex facultate Testatoris.*
5 *Contrarium, quod facultas non tollat necessitatem solemnitatum.*
6 *Quod placeat prima opinio, & quando hæc secunda procedat.*
7 *Dummodo tamen accedat causa, quam dicta facultas non supplet.*
8 *Ideoque totum consistit in causa.*
9 *De Constitutione Ægidiana, ac etiam de Carpensi, & ubi hæc attendatur.*
10 *An Statutum particulare faciat cessare Ægidianam, vel Statutum generale?*
11 *An attendatur non usus Ægidianæ circa insinuationem?*
12 *In legibus Papalibus non datur de non usu, & de ratione.*
13 *Bene tamen non usus attenditur pro interpretatione.*
14 *De differentia inter observantiam interpretativam, & præscriptivam.*
15 *An solemnitas insinuationis possit impleri post declaratam nullitatem?*
16 *An in contractu gesto per tutorem, requiratur præsentia ipsius pupilli?*
17 *De differentia inter potestatem tutoris, & illam curatoris.*
18 *De distinctione pupilli, qui sit major infante, & proximus pubertati, an ratio doli, vel peccati adaptetur.*

D I S C. XXXV.

CUm in Statu Ecclesiastico, fore generalis habeatur 1
Statutorum usus, circa solemnitates, in mulierum, & minorum contractibus adhibendas, adeout nullus forte videatur adesse locus, ubi, vel ratione proprii, ac particularis Statuti, vel ratione generalis Civitatis dominantis, ita cautum non sit. Ob extensionem autem, quam Sixtus IV. & Paulus III. ad Urbem, ac universum Statum immediatum fecerunt, de Constitutione Marchiæ (Ægidiana nuncupata) per quam in contractibus minorum insinuationis solemnitas, ultra Judicis decretum, & alia præscribitur, hinc proinde nimium frequentes in Curia haberi consueverunt quæstiones, circa hujusmodi concursum Statutorum particularium, ac dictæ Ægidianæ Constitutionis, an scilicet utramque solemnitatem adhibere oporteat, vel potius dicta lex generalis intelligenda veniat, quando per Statutum particulare provisum non sit; adeout, isto accedente, ejus formam implere sufficiat, quod pluries, ac pluries disputandi occasio dedit, præsertim in ista causa.

Defuncto etenim Vincentio Lutio, superstitibus aliquibus

filiis pupillis heredibus, sub tutela Hippolytæ uxoris, cui te-
2 stator amplam facultatem dedit vendendi, & alienandi, aliosque actus faciendi pro dissolvendo ære alieno ipsius testatoris, aliisque peragendis, quæ hereditatis administrationem concernerent; Tutrix censum sc. 1300. imposuit ad favorem Liberati Trivisani, quo progressu temporis petente fructus, atque pro eis obtento mandato ab A. C. commissa per Signaturam causa in Rota coram Priolo, cum clausula
3 translativa, *Si quid exequendum*, datoque dubio ex ipsius rescripti ventre resultante, an mandatum esset exequendum, sub die 3. Junii 1658. negativa prodiit resolutio, quæ habetur impressa *in part. 12. rec. dec.* 355. neque quod sciam, causa ulteriorem habuit progressum.

In hac autem disputatione, plures fuerunt inspectiones, primo scilicet circa necessitatem solemnitatum in genere, tam quoad illas Statuti particularis, quam quoad alias dictæ Constitutionis Ægidianæ, vel Carpensis, stante facultate concessa per Testatorem, secundo (quatenus essent necessariæ) an adhibitæ essent illæ Statuti particularis Oppidi Montis Flori, tertio (quatenus illæ adhibitæ essent) an obstaret defectus insinuationis requisitæ per dictam Constitutionem Ægidianam, & an suffragaretur, quod ea adhibita fuerit post oppositam nullitatem, & quarto circa defectum causæ,

4 Quatenus pertinet ad primum, dicebam Scribens pro creditore, quod ubi Testator tutori facultatem alienandi dedit, regula est, ut id sequi valeat, atque validum sit, etiam nullis adhibitis solemnitatibus, cum illa restrictio, quam lex in Tutoribus, ac administratoribus induxit, cesset ex testatoris judicio, juxta textum expressum *in l. 1. C. quando decreto opus non est &c.* Bald. *in l. 1. ff. de reb. eorum n. 1.* Simoncell. *de decreto, l. 2. tit. 6. n.* 108. *cum seq.* Rot. *dec.* 172. *n.* 38. *p.* 7. *rec. dec.* 192. *n.* 15. post Zacchiam *de oblig. Camer. repet. dec.* 284. *p.* 9. *rec. n.* 26. *& in aliis*, potissime ubi id fiat pro dissolvendo ære alieno ipsius testatoris, cum tunc dicatur actus necessarius, ideoque fieri valeat, ex deductis *dec.* 39. *n.* 11. *p.* 11. *rec. & d. d.* 284. *n.* 26. *p.* 9. alias *dec.* 192. *n.* 5. post Zacc.

5 Rejectum autem fuit hoc motivum in fine decisionis, ex eo quod, cum facultas non esset specifica de certa re, sed generica, illa intelligenda veniret ser. ser. ac adhibitis solemnitatibus de jure adhibendis, quæ remissæ non censentur, ut in hujus causæ *dec.* 355. *n.* 35. *& seq. p.* 12. ubi allegantur Surd. *cons.* 241. *n.* 1. *cum seq. & dec.* 77. *n.* 4. Hodierna *ad eundem*, *dec.* 278. *n.* 17. Gratian. *dec. Marchiæ* 131. *nu.* 4. Rota *dec.* 31. *n.* 5. post Merlin. *de pignor.*

6 Responsio non captivabat intellectum, quoniam dispositio dicti Textus est clara, cum quo pertranseunt DD. supra allegati, & alii, magisque clara videtur ratio, quod fiducia per testatorem habita de Tutore, tollat illam suspicionem, seu minorem fidem, quam lex de eo habeat, unde quemadmodum, si ipse testator viveret, libere alienare, seu alias contrahere posset, non videtur quid prohibeat eandem communicata tutori facultatem, quæ alias inanis remaneret; plures autem ex dictis auctoritatibus non concludunt, siquidem *dec.* 31. *nu.* 5. post Merlin. *de pignor.* percutit terminos diversos, ut scilicet facultas data per fideicommittentem distrahendi bona pro dote, intelligatur ad limites juris in subsidium, & quatenus bona libera non extent, de quo *sub tit. de dote*, *disc.* 145. & alibi, quod nil commune habet cum casu; pleræque vero aliæ auctoritates, ut præsertim Gratian. *decis.* 131. loquuntur, ubi agatur de alienatione pro dissolvendo ære alieno testatoris, quoniam ita concurrit justa causa, sed non solemnitas inductiva potestatis, quam alias tutor non habet, sed ubi utrumque copulative concurrit, quod scilicet agatur de dissolvendo ære alieno, atque accedat facultas expresse data, tunc ista remaneret fatua & inanis, nisi hanc faceret operationem solemnitatum, dum causa accedit, a qua proinde decisio omnimoda quæstionis pendere videtur, licet enim aliqui distinguant, an agatur de facultate generica, vel an testator ad certam speciem descenderit, ut præsertim Surd. *d. dec.* 77. *n.* 4. *&* 5. Hodiern. *ad eum decis.* 278. *n.* 17. attamen ubi facultas percutit actum alienationis, atque generica est, non videtur qualem probabilitatem habeat hæc distinctio, dum ideo testator se remisit tutori, de quo confidit, quia incertus erat quid magis expediret, ac propterea totus punctus est in justa causa.

7 Ideoque eadem facultas, ut supra supplere non possat defectum causæ, quem, ut habetur *disc.* 1. & in aliis pluries, neque supplet beneplacitum Apostolicum, vel alterius supremi Principis facultas, quæ tollit omnem juris prohibitionem, vel obstaculum, & sic quod ediaster facultatis datæ a Principe, ista data, a testatore tollat hujusmodi extrinsecas, seu accidentales solemnitates a juris positivi subtilitate inductas, non autem defectum naturalem, quem nullatenus credendum est fuisse in animo dantis facultatem, ac etiam quia esset dare aditum, seu licentiam delinquendi ad instar eorum quæ habemus circa liberationem tutoris, vel alterius Administratoris, vel usufructuarii a confectione inventarii, vel a redditione rationum, quoniam intelligendum venit de scrupulosa, seu rigorosa redditione, vel respective de rigoroso solemnitatum interventu, non autem quoad rei substantiam, unde resultaret remissio doli de futuro, & sic delinquendi occasio.

Et consequenter firmum remanere videtur, quod decisio 8
penderet magis ex ultima inspectione super causa, qua deficiente, vel falsa existente, nil interesset solemnitates plenarie, ac diligentissime adhibitas esse, cum istarum formalitas nihil prosit, ubi defectus est in substantia causæ, e converso autem, ubi juxta fiduciam a testatore habitam, tutor, ex justa, & vera causa, alienationem, vel alium contractum fecisset, adeout restringeretur difficultas ad solum requisitum solemnitatum, quod copulative cum causa necessarium est, tunc Mihi videbatur, quod id obstare non deberet, cum esset objectum nudæ formalitatis.

Quovero ad secundam inspectionem, an essent adhibitæ solemnitates Statuti loci particularis, illa videbatur potius facti quam juris, unde propterea (juxta stylum) nullæ vel modicæ erant partes Advocati, bene tamen in decisione desuper edita aliqui defectus considerantur, super quibus maturum judicium efformari non potuit, dum causa (quod sciam) ulteriorem non habuit progressum.

Juris autem disputatio major (ut etiam advertitur in deci- 9
sione) fuit super tertia inspectione, an scilicet posito interventu solemnitatum Statuti particularis, obstaret necne defectus alterius solemnitatis, insinuationis requisitæ per Ægidianam Constitutionem, fortius in hac facti specie attendendam, dum agebatur de eadem provincia Marchiæ, pro qua edita fuit, unde propterea opus non erat agere de interpretatione dictæ extensionis, dum obstabat, non solum ipsa Ægidiana extensa, sed etiam altera additio Carpensis, per quam eadem solemnitas præscribitur quoque in contractibus mulierum, quamvis majorum, & quæ additio, licet sub dicta extensione non cadat, attamen viget, ac servanda est in hac Provincia, pro qua fuit edita, ut cæteria relatis advertitur in hujus causæ decisione, & in aliis frequenter.

Quamvis autem super hoc articulo, an scilicet existen- 10
te Statuto particulari, cesset generale, adeout sufficiat solum particulari satisfacere, vel potius utriusque cumulativus concursus requireretur, Scribentes nimium se involvisse videantur, attamen vera, & recepta propositio est, ut id pendeat a puncto compatibilitatis, vel incompatibilitatis; si enim Statutum particulare contentum solis solemnitatibus ab eo præscriptis, validum declarat actum, cum earum interventu initum, tunc incompatibilis est concursus alterius Statuti, vel legis generalis, cum non possint simul stare, ut actus a Statuto particulari reputetur validus, quodque a Statuto, seu lege generali ob ejus formam non impletam invalidus censeatur, ideoque incompatibilitas est manifesta, secus autem ista cessante, quoniam cum insinuatio per Ægidianam requisita, non sit solemnitas, quæ tunc in ipso contractu intervenire debeat, sed potius de sui regulari natura debeat accedere ex intervallo, atque per actum separatum ad arguendam perseverantem contrahentis voluntatem, juxta ea, quæ habemus circa insinuationem donationum, ad cujus instar, per Statuta particularia in aliis contractibus introducta est, ut *sub tit. de donat. disc.* 60. Hinc proinde forma, quæ in ipso actu contrahendi per Statutum particulare præscripta fuit, regulariter est compatibilis cum dicta alia postmodum adimplenda solemnitate, ex iis, quæ habentur in hujus causæ 11
decisione, nimiumque frequenter in aliis, præsertim modernioribus, adeout videatur hodie quæstio jam sopita, non admittens amplius controversiam, quæ proinde tota est potius facti, seu applicationis, quam juris, an scilicet & quando dicta compatibilitas, vel respective incompatibilitas adesse dicatur, quod pendet ab eo (ut dictum est) an Statutum particulare saltem virtualiter, ac implicite validum, ac sustinibilem declaret actum initum cum solemnitatibus ab eo præscriptis.

Attento autem solo contextu litterali istius Statuti, probabilius dicendum videbatur, compatibilitatem potius adesse, verum cum supponeretur, quod dicta alia solemnitas insinuationis non esset in usu, hinc proinde advertebam (etiam in sensu veritatis) quod iste non usus magnifaciendus esset,

ut in

ut in plerisque aliis causis, tam illius, quam præsertim Spoletanæ Diœcesis, frequens occasio disputandi dedit, an scilicet iste non usus attendendus esset necne.

12 Quamvis enim, juxta propositiones generales, de stricto jure, negativa probabilior esset, ex ratione alibi insinuata, præsertim *sub tit. de confib. disc.* 1. quod in legibus Papalibus non intret ea ratio, quæ in illis aliorum Principum viget, sub necessitate acceptationis, vel usus Populorum, ex ea differentiæ ratione, quod alii Principes potestatem originarie habent a Populis, Papa vero habet directe, ac immediate a Deo, ac etiam ratione decreti irritantis in Pontificiis legibus adjici soliti, quod inficit quamcumque contrariam possessionem, vel consuetudinem, immo impedit ne illa nascatur, ideoque de non usu dari non potest, ut apud Caval. *dec.* 423. *dec.* 400. *p.* 9. *rec. dec.* 199 *p.* 12. *& in aliis pluries.*

13 Attamen id recte procedit, ubi agitur de non usu directe destructivo legis claræ, secus autem ubi ille considerandus veniret tanquam interpretativus casus dubii, quoniam tunc non est impugnare legem, neque illam alias vigentem destruere, sed allegare non comprehensionem, sive ita interpretari, quod sola lex particularis sufficiat, atque incompatibilitatem inducat cum altera generali. Cum enim etiam in casu quo lex particularis ambigua sit, DD. adeo certent super ejus verbis, ac interpretatione, & an exinde resultet dicta incompatibilitas, quæ etiam tacita, seu implicita sufficit, hinc proinde, magis deferendum venit observantiæ, quæ juxta quotidianam propositionem (qua nil in Foro frequentius) dicitur optima interpres tam legum, & Statutorum, quam etiam privilegiorum, ac voluntatis morientium, vel contrahentium.

14 Ac propterea magna differentia est inter formalem non usum destructivum legis claræ, ac non usum interpretativum legis dubiæ, juxta distinctionem, quæ in dicta materia observantiæ pariter frequens, ac recepta habetur; inter præscriptivam, & interpretativam. Ut in prima tanquam inductiva novi status, seu destructiva antiqui, exigat formalem, ac rigorosam probationem præscriptionis, vel consuetudinis contra jus, cum omnibus ejus requisitis, altera vero id non exigat, sed sufficiat ita quandoque servatum esse, idque post istam, ac alias disputationes, demum agnovit, ac firmavit Rota pluries, præsertim in Ravennat. 25. Maji 1667. & 14. Maji 1668. coram Carpinea, quod scilicet huic non usui in specie detulit ex dicta convincenti ratione, quod ex illo potius dicta interpretatio resultaret.

15 Ubi vero isto non usus motivo non suffragante, minusque alio incompatibilitatis, adeout dicta insinuatio cumulative necessaria fuisset, quamvis Ego more Advocati scribendo ad causæ opportunitatem, insisterem super istius solemnitatis implemento jam sequuto, non obstante, quod post oppositam, seu declaratam nullitatem id sequutum esset, ex eo quod conclusio de insinuatione facienda re integra, & ante pœnitentiam, procederet in ea insinuatione, quæ requiritur in donatione, in quibus terminis procedunt auctoritates, quæ desuper allegabantur, de quibus *sub tit. de donat. dict. disc.* 60. *ex cons.* 79. Angeli, in quibus etiam terminis late contrarium sustinet Corneus *cons.* 221. *lib.* 1. ubi expendit *d. cons.* Angeli.

Attamen (reflectendo ad veritatem) fallax erat hoc fundamentum, quoniam hæc non est simplex solemnitas ceremonialis, sed inducta est ad eundem finem, seu effectum, ob quem jus commune illam in donatione induxit, ut scilicet ita desumi valeat, an contrahens ex intervallo in eadem voluntate perseveret, ac etiam quia post declaratam nullitatem, extrema non sunt habilia.

Demum quoad ultimum defectum causæ, punctus erat potius facti, in cujus circumstantiis nimium discrepabant causæ Patroni; ex hac enim parte supponebatur utile negotium gestum fuisse, imponendo hunc censum sub minori fructu, ut alii graviores extinguerentur, e contra vero supponebatur id verificari in summa scutorum 500. circiter, reliquorum vero usque ad 1300. non bene justificari, atque id fuit potissima causa resolutionis pro invaliditate actus, ideoque desuper judicium efformari non potuit, cum id penderet ex facto.

16 Amplexa etiam fuit Rota aliam speciem nullitatis per Scribentes in contrarium deductam a jure communi resultantem, quod scilicet in contractu non intervenerint ipsimet pupilli, quorum nomine tutrix dictam census impositionem fecit, juxta traditionem Castren. *in l. neque tutores*, *n.* 5. *C. de procurator.* quam sequuntur alii relati apud Carill. *dec.* 191. *n.* 8. *dec.* 179. *n.* 11. *p.* 10. *& in aliis*, de quibus in decisione *n.* 17.

Hoc autem fundamentum, tam in ista causa, quam in plerisque aliis, in quibus in Rota, aliisque Tribunalibus frequenter de illo agi contigit, semper visum est parum probabile, adeout aliquam admirationem conceperim, ut Rota adeo in hoc puncto variaverit, tenendo dictam opinionem *in supra allegatis decisionibus*, *& in aliis*, & quandoque contrarium, ut *dec.* 296. *n.* 8. *& seq. p.* 4. *rec. tom.* 2. *dec.* 187. *n.* 16. *&* 17. *p.* 10. in qua dictum fuit hunc esse punctum juris dubium assimilandum dubio facti, ut dicatur exceptio dubia, & altioris indaginis, ideoque non admittendum in judicio executivo, vel possessorio, seu alias summario, cum pro meo sensu ex fundamentis, de quibus præsertim apud Mandell. *cons.* 205. *n.* 38. *& seq. & d. dec.* 187. *n.* 17. *p.* 10. quoties agitur de contractibus factis per tutorem nomine pupilli, certum ac planum videatur ipsius pupilli interventum non requiri, dictamque necessitatem procedere solum in contractibus gestis per minorem cum auctoritate curatoris, in quibus terminis loquuntur aliqui, ea quibus unum casum cum altero confundendo; istud æquivocum resultasse videtur, moderniori tempore agnitum, adeout hodie cum hac opinione ultima procedi videatur.

17 Ex ea differentiæ ratione, quod isto secundo casu, ipse minor est ille, qui contrahit, atque per suum consensum contractus perficitur, curator vero assistit auctorizando, ac adjuvando illam judicii imbecillitatem, quam lex ratione ætatis in minore præsumit tanquam per speciem Consiliarii, seu Assessoris; in primo autem casu tutor est ille qui contrahit directe, ac immediate, ac per ejus consensum contractus perficitur tanquam legalis mandatarius cum libera, sive plenipotentiarius principaliter datus personæ pupilli, ut istius vice omnia gerat, quæ ipse principalis tanquam impeditus gerere non potest, dum e converso curator non datur principaliter personæ, sed bonis, quamvis accessorie personæ quoque aliquam præstet assistentiam, neque habeat mandatum cum libera, ut habet tutor.

18 Et quamvis aliqui, mediam viam eligendo, distinguant inter pupillum infantem, vel infantiæ proximum, & alterum doli capacem, ac proximum pubertati, elaborando super ætate, in qua ista secunda qualitas imprimi dicatur, eis magis communiter opinantibus, ut attendatur illa annorum decem cum dimidio (super quo etiam ad materiam text. *in auth. sacramenta puberum*, *C. si adversus venditionem*, *& in cap. cum contingat*, *de jurejur. &c. per vestras*, *de donat. inter vir. & uxor.* an scilicet, & quando juramentum validet, ac obligatorios reddat actus gestos per minorem, nimium se involvant Scribentes, nedum Civilistæ, & Canonistæ, sed magis Morales) attamen quicquid sit de iis, quæ Fori interni sunt, quoad ea, quæ pertinent ad Forum externum, id videtur continere unam ex consuetis Juristarum frigiditatibus, quoniam ubi agitur de iis, quæ respiciunt naturalia, & sunt intrinsece mala, recte dicta distinctio adaptabilis est, sed quoad ea, quæ concernunt contractus, & commercium, nisi agatur de illis pueris, quorum vix unus inter decem mille reperitur, qui tanquam species monstri, in ea ætate judicium, ac applicationem habeat in negotiis, omnino fabulosum videtur, ante pubertatem dare aptitudinem ad contrahendum, quodque illius consensus pernecesse requiratur ad validitatem, ac perfectionem contractus, ubi sit circa bona, & negotia, pro quibus raro pubertas imperfecta sufficit, secus autem circa ejus personæ statum, ut in sponsalibus, vel etiam in matrimonio, quod ante pubertatem permittatur ratione malitiæ supplentis ætatem, sive in materia peccati, puta furti, falsitatis, & mendacii, ac etiam circa ea peccata, quibus pueri subjacere solent, ideoque non bene isti termini confundi videntur.

ROMANA DONATIONIS
PRO JOSEPHO VALLETTA
CUM PP. SOMASCHIS.

Casus disputatus coram A. C. ubi pendet.

De materia alienationum, & contractuum, aliarumque dispositionum per prodigos.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*

2 *Actus gesti per prodigum, cui interdicta est administratio sunt nulli.*

3 *Secus si antequam administratio interdiceretur.*

4 *Quid requiratur, ut dicta interdictio id operetur.*

5 *De valida dispositione prodigi ad pias causas.*
6 *Præsumptio est pro facto Judicis.*
7 *Ad convincendum contrarium debent exhiberi omnia acta.*
8 *De conclusione de qua n. 3. & quando subsequens interdictio retrotrahatur.*
9 *Quomodo ista quæstio decidenda sit, datur distinctio.*
10 *De mala conditione prodigorum.*
11 *An prodigo detur restitutio in integrum adversus actum gestum ante interdictionem?*
12 *De differentia inter donationem, & contractum correspectivum.*
13 *De circumstantiis in proposito considerandis.*
14 *Quod non sit procedendum cum generalitatibus.*
15 *Decretum Judicis nullum circa interdictionem debet attendi tanquam probatio.*
16 *Rejicitur conclusio, de qua n. 5.*
17 *Quod juramentum non validet actus gestos per prodigos.*
18 *De differentia in hoc proposito inter ultimas voluntates, & contractus.*

D I S C. XXXVI.

1 OCcasione repartitionis pretii palatii in Monte Citorio constructi per Cardinalem Sanctorium, S. Severinæ nuncupatum (quem acta Conclavis, in quo creatus fuit Clemens VIII. in chronicis, ac diariis celebrem reddiderunt) inter plures punctos coram A. C. disputatos inter PP. S. Blasii Congregationis Somaschæ, & Josephum filium Catherinæ ejusdem Cardinalis ex fratre neptis, fuit ille super validitate, vel invaliditate donationis, quam de ejusdem palatii portione dictis PP. fecerat de anno 1634. Jo: Antonius adolescens annorum 21. dicti Cardinalis ex fratre pronepos, isteque punctus consistebat in jure, cum reliqui essent potius facti, & calculorum.

In hoc autem, cum ex parte Josephi doctum esset de authentico decreto M. Curiæ Vicariæ Neapolis, per quod ad instantiam ejus patris ratione prodigalitatis interdicitur dicto Joanni Antonio, ne contractus aliquos faceret, inhibendo etiam Notariis, ne de illis se rogarent, & in quo
2 decreto mentio habetur de aliis desuper præcedenter editis; ita dicebam, Scribens pro Josepho, probatam remanere dictæ donationis invaliditatem, ex juris conclusione generali, ut quæcumque alienationes, sive contractus, ac dispositiones prodigi, cui administratio interdicta sit, invalidi censeantur perinde ac si a furioso, vel amente, cui prodigus assimilatur ad text. *in l. 1. vers. sed solent, ff. de curat. furios. & in l. is cui bonis, ff. de verbor. oblig. §. Item prodigus, instit. quib. non est permiss. fac. testam.* & communiter Scribentes loc. cit. de quibus apud Franch. *dec.* 461. & 672. Sanfel. *dec.* 148. Cenc. *de cens. q.* 16. Duard. *sod. tract.* §. 1. *q.* 18. *nu.* 16. *& seq.* Rovit. *pragm.* 4. *de liquid. instrum.* late Prat. *discep.* 2. *n.* 1. Boss. *oper. moral. de testam. ad pias caus. tit.* 12. §. 3. *n.* 144. *& seqq.* Rota in Romana dementiæ 15. Martii 1609. coram Lancellotto.

3 Non negabant Scribentes in contrarium hujus conclusionis veritatem, utpote incontrovertibilem, sed quatuor deducebant fundamenta, ex quorum singulis, multo vero magis simul junctis ejus applicationem cessare dicebant, primo scilicet, quod hæc donatio facta esset per aliquos dies ante dictum decretum M. C. ideoque cum adhuc interdicta non esset administratio, dicebant actum remanere validum, juxta *cons.* 248. Castrens. *nu.* 2. *& seqq. lib.* 2. quod reputatur in materia magistrale cum Concordantibus relatis per Cenc. *de cens. dicta q.* 16. Sanfelic. *decis.* 148. Prat. *discept.* 2. *n.* 1. Rota apud Cavaler. *dec.* 175.

4 Secundo, quod ubi etiam dictum decretum præcessisset, habendum non esset in aliqua consideratione, tum ratione invaliditatis ex defectum jurisdictionis, cum dictus Jo: Antonius esset Clericus, tum etiam quia hujusmodi interdictio fieri non debet ex abrupto, ad cujuslibet petentis instantiam, sed causa cognita, & prævia prodigalitatis probatione, ut firmatur apud Sanfelic. & Cavaler. ubi supra, cum aliis relatis per Prat. *d. discept.* 2.

5 Ex tertio, quod in omnem eventum, cum ageretur de pia donatione facta favore Ecclesiæ; attendenda veniebat ex iis, quæ circa dispositionem ad pias causas factam per prodigum, collecta habentur per Boss. *inter ejus opera moralia tit. de test. ad pias caus. tit.* 12. §. 3. *n.* 147. Cum etenim pie disponere pro Deo, & anima propria, prudens, ac laudabilis actus dicatur, cessat ratio imprudentis dissipationis, quæ in prodigo consideratur.

His tamen non obstantibus, pro invaliditate respondendum esse dicebam, atque respondendo ad singula objecta, quibus sublatis, fundata remanebat intentio hujus Partis habentis pro se regulam; quatenus pertinet ad primum, advertebam quod dum in dicto decreto, quod per aliquos dies post hanc donationem prodierat, enunciabantur duo alia decreta præcedentia, assistebat huic parti generalis regula textus *in l. 2. C. de offic. civ. Jud.* cum ibi communiter notatis de quibus apud Cavaler. *dec.* 337. *n.* 5. *& dec.* 339. *n.* 6. *& passim*, quod præsumptio est pro Judice ejusque sententiis, & decretis, donec ex revolutione actorum contrarium probetur, & consequenter, quod onus esset allegantis falsitatem, vel non justificationem eorum, quæ a Judice dicuntur, transportare acta integra, sine quibus dici non potest probata negativa, ex qua resultat intentio, ex deductis per Bnt. & Add. *decis.* 264. & sæpe *sub tit. de judic.* ad materiam nullitatis judicii, cum sit certum principium; ista enim est virtus præsumptionis juris, ut onus 7
probationis in aliam partem transferat, neque probatio concludens dici potest, ubi militat contraria possibilitas, quæ adesse dicitur, quoties acta non sint integra, dum recte dici potest, quod in iis, quæ deficiunt, contineatur id, de quo est quæstio, nisi de sui natura contineri deberet in illis actis, quæ habentur, ut apud allegatos passim, quotam istæ sunt practicæ, & quotidianæ receptæ conclusiones.

Verum ubi etiam de aliis præcedentibus decretis non constaret, adeout istud esset unicum, & absque dubio actui posterius, adhuc tamen dicebam, quod in ea quæstione, quam disputat, hincinde Fachin. *l. 2. controv. c.* 63. & super qua (licet aliqualiter involute) plura deducit Giballin. *de contract. seu human. actib. l.* 3. *de forma conventionis c.* 1. *de contract. art.* 3. *consect.* 5. *fol.* 471. an scilicet tale decretum retrotrahatur, adeout inficiat actus præcedentes, ut probabilius esse firmat Facchin. *d. contr.* 63. cujus contrarium sustinent Gomez, & alii apud Giballin. & Sanfelic. ac Prat. *ubi supra*, dicebam (etiam cum sensu veritatis) quod pro meo judicio, ista quæstio decidenda non est generaliter, & in abstracto, 9
sed in concreto pro facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis, & cum ea distinctione, quæ in aliis hoc eodem titulo ponderamus in contractibus minorum se asserentium majores, vel filiorumfamilias se asserentium sui juris, ac patresfamilias, cum similibus.

Aut enim prodigalitas contrahentis, seu alienantis, vel ex generali notorietate in loco, vel ex particulari notitia, bene cognita erat alteri contrahenti, qui ita dolo, vel culpa, ac mala fide vacare non dicitur, & tunc indefinite, sive agatur de contractu oneroso, & correspectivo, sive fortius de lucrativo, recte recipienda est tanquam verior opinio, quam sequitur, ac defendit Facchin. cum alter contrahens sit inexcusabilis, atque cesset altera ratio, cui innixa est opinio tenentium pro actus validitate, dum adaptabilis non est ratio ponderata per sequaces primæ opinionis. Cum enim agatur de intellectus imperfectione jam præexistante, ac pendente a natura, non autem a potestate, seu voluntate Judicis, iste, ita decernendo non facit aliquem prodigum, sed qualis sit aperit, & declarat, juxta optimum naturale exemplum excutentis grana a spicis, quod in declarante expendit text. *in l. adeo, ff. de acquir. rer. domin.*

Aut vero dicta circumstantia cessat, & tunc adhibenda veniat altera distinctio inter contractum lucrativum, & onerosum, seu mere correspectivum, ut in hoc secundo casu recte procedat opinio denegans retrotractionem, juxta dictum consil. Castrens. cum quo proceditur per Rotam apud Cavaler. *ubi sup.* & per alios allegatos, qui omnes percutiunt contractus correspectivos, dum apud Castr. agitur de emptione, & venditione, & apud Cavaler. de transactione, cum similibus.

Et nihilominus etiam isto casu prudentis Judicis partes erunt inspiciendi, an contractus sit bene, & prudentes gestus, vel e converso læsionem, & circumventionem redoleat ut ita bonæ, vel malæ fidei argumentum desumatur; posita etenim in altero contrahente bona fide, duplex intrat congrua ratio pro validitate actus, primo scilicet pro libertate commercii, & secundo, ne alias aperiatur via fraudibus, & machinationibus, quæ prodigis connaturales esse solent, cum hujusmodi qualitatis personæ, nullam negligant maiorum, ac indignitatum speciem, ut spiritum dissipatorium exercere valeant, unde propterea Historiæ nos docent Reipublicæ perniciosissimos fuisse Principes profusos, quorum vitium est deficere in necessariis, vel congruis, in quibus avarissimi, nimiumque tenaces deteguntur, abundare autem in superfluis, tollendo virtuti, ut vitio tribuant; quod scilicet collusive affectare possent hujusmodi declarationes, ut tertio bona fide cum eis contrahentes eludant.

Ideoque

11 Ideoque pro facti qualitate, ac praedictis bonis, vel respective melis circumstantiis, decidenda videtur quaestio, de qua apud Fachin. d. l. 2. controv. cap. 67. vers. nova controversia, & Odd. de restit. in integr. quaest. 21. n. 7. & seqq. an scilicet etiam adversus actus cum prodigo gestos, qui ob adhuc non interdictam administrationem de jure invalidi dici non possunt, competat necne restitutio in integrum ex clausula generali, si qua Mihi, &c.

12 Secus autem, ubi agatur de donatione, vel alio actu de sua natura damnosa, & qui imprudentem suorum bonorum dissipationem redoleat, cum tunc indefinite omnino tenenda videatur opinio, quam sustinet Fachin. ubi sup. pro retrotractione, tum quia cessant dictae rationes, quae in actibus correspectivis urgent, tum etiam, quia non de facili donatarius in bona, sinceraque fide versatus dici potest, & fortius, quia cum vitium prodigalitatis sit latens, seu intrinsecum, quod dignosci non potest, ut exinde ad interdictionem deveniatur, nisi praecedant actus dissipatorii, hinc proinde, istamet donatio dici poterat actus, qui dederat causam edicto, ac propterea recte intraret superius ponderata ratio, quod factum Judicis contineret declarationem ejus, quod inerat, ideoque locum haberet retrotractio.

13 Clarius vero in hac facti specie ex tribus circumstantiis, ex quibus, ut dictum est, hujusmodi quaestiones verius decidendae veniunt, primo scilicet ratione aetatis, quae ettenta dispositione juris communis, adhuc erat minor, quamvis in eo Regno per Constitutionem particularem minor aetas restricta sit ad annos 18. & de qua Constitutione, ejusque ratione habetur eodem sub tit. de dote disc. 2. & disc. 144. Secundo, quia agebatur de filiofamilias, cui administratio per Judicem interdicta fuerat ad instantiam patris legitimi administratoris, unde propterea cessat ratio, quae deduci solet per tenentes opinionem validitati actus favorabilem, ut collusive, vel affectate, seu ex malo animo id fieri posset, & tertio, quod agebatur de donatione valde notabili totius assis, quem ista adolescens habebat; his autem omnibus simul junctis Mihi videbatur, quod sine dubio recipienda esset dicta opinio pro retrotractione, quoniam ut dictum est, omnino probabilius videtur, ut ista

14 sit potius quaestio facti, quam juris pro facti qualitate decidenda, ideoque erroneum sit eam generaliter, ac in abstracto tractare, sive decidere cum solis DD. hinc inde colluctantium majori arithmetico numero, juxta consuetam pragmaticorum ineptiam.

15 Hinc resultabat solutio secundi objecti super dicti decreti invaliditate, quoniam cum nullitas actus non proveniat directe a facto Judicis, sed a defectu naturali intellectus, ita declarato, seu probato, exinde resultat, quod ubi decretum Judicis ob ordinem judiciarium male servatum, vel ex alio defectu sustineri non possit tanquam decretum validum, & exequibile, adhuc tamen attendendum veniat tanquam species probationis; ac ulterius uterque defectus tollebatur ex facto, quoniam non constabat de Clericatu cum requisitis necessariis in Clerico in minoribus non beneficiato ad effectum exemptionis Fori ad praescriptum Sacri Concilii Tridentini, atque allegata non cognitio causae non justificabatur, dum non exhibebantur integra acta, ut supra.

16 Demum quoad ultimum objectum, quod ageretur de donatione facta Ecclesiae, & ad pias causas, advertebam quod licet Bossius tanquam bonus Religiosus loco supracitato inclinet in opinionem piae causae favorabilem, (ut consuetus est stylus Moralium) attamen, ut patet ex relatis ab eod. n. 146. magis communis opinio Civilistarum, seu forensium, quibus in judicio, seu Foro externo in judicando magis deferendum venit, est in contrarium, ut pluries advertitur sub tit. de usur. & alibi, & rationabiliter quidem, ex clara, & convincenti ratione, quod piae causae favor, ut pluries advertitur in sua materia sub tit. de testam. & alibi, supplet omnes defectus solemnitatum, seu alias ex juris civilis dispositione, ac subtilitate resultantes, non autem defectum naturalem intellectus, seu voluntatis, qualis esse dicitur, cum prodigus jure amentia, vel furiosi censeatur.

17 Idque clare probari dicebam ex eo, quod juxta veriorem opinionem, in qua apud Fachin. d. lib. 2. controv. c. 64. contractus gesti per prodigum, neque sanantur e juramento, ex dicta ratione, quod infectio non resultat a sola dispositione legis positivae, sed a defectu naturali, id autem est quid fortius, quoniam ubi non obstat defectus naturalis, vel interitus aeternae salutis, aut ratio favoris publici primarii, jurisjurandi religio afficit.

Et nihilominus, ubi etiam dicta magis pia opinio tenenda esset, ea procedit in testamentis, aliisque ultimis voluntatibus in quibus urget altera efficacior ratio cessantis laesionis, ac praejudicii disponentis, qui dissipare, vel imprudenter agere non dicitur, ubi cessante favore filiorum (de quo est quaestio, an favori piae causae praeponderet necne) ad favorem Ecclesiae, vel piae causae disponat, conferendo dispositionem post ejus mortem, quando ipsius jam annihilati nihil interest, an bona ad unum, vel alterum pertineant, ipse vero donec vivit libertatem quandocumque revocandi retinet, unde propterea laesio, vel praejudicium adesse non dicitur, & consequenter in actibus minorum, vel mulierum, ac aliorum imbecillis, vel imperfecti judicii, in quibus lex communis, vel municipalis certas praescribit solemnitates, illae non desiderantur in ultimis voluntatibus, ideoque dicta opinio, quae de istis egit, adaptabilis non est perfectae, & irrevocabili donationi inter vivos. Quia vero disputatione pendente comperte est quaedam transactio, idcirco ad eam restricta est difficultas causae, quae pendet. 18

ANNOT. AD DISC. XXXVI.

De hac materie dispositionis factae per prodigos nulla est suppetiit occasio disputandi, de invaliditate autem dispositionis factae per furiosum, vel amentem habetur sub tit. de testam. disc. 38. & seqq. Et de casu converso successionis furiosi, vel amentis in fideicommisso, vel primogenitura habetur [illegible] sub tit. de fideic. disc. 260.

ROMANA PECUNIARIA SEU AVOCATIONIS PRO ALOYSIA COSTA CUM CARDINALI SFORTIA.

Casus decisus per Rotam pro Cardinali, pendet revisio.

De Statuto Urbis 152. super obligationibus & contractibus filiorum familias, & quando valeant necne.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *Creditor obligatus de restituendo pecunias prioribus convenitur executive.*
4 *De Statutis circa filiosfamilias, & quid de jure communi.*
5 *An tertius det de nullitate; & de aliis fundamentis pro valida obligatione?*
6 *De distinctione, an tertius det de nullitate.*
7 *Tertius dat de exceptione, quae sit notoris exclusiva juris agentis.*
8 *Creditor opponit exceptiones competentes debitori.*
9 *Ista nullitas est inducta favore publico.*
10 *Ex donatione facta per patrem filio, non resultat emancipatio.*
11 *An & quando ex habitatione seorsum a patre, & contrahendo habeatur pro patrefamilias?*
12 *Filiofamilias contrahente in Urbe servandum est Statutum, quamvis esset Baro, & Magnates.*
13 *Ratificatio actus nulli exigit certam scientiam, eaque data operatur ut nunc, & non praejudicat iis, quibus medio tempore jus quaesitum est.*
14 *De distinctione, cui incumbat onus docendi de validitate, vel invaliditate.*
15 *Praesumptio est pro canonizatione judiciali.*
16 *Pecunia soluta cum cautione de restituendo, dicitur enare, & creditor non est possessor.*
17 *Quomodo ista materia regulari, et decidi debeat.*
18 *De eodem, & quomodo reguletur arbitrium.*
19 *Qualitas mercatura attenditur.*
20 *De Baronibus, & Domicellis viventibus in Urbe, quomodo considerentur.*
21 *Quomodo haec circumstantia consideretur.*
22 *Ita pariter habitatio seorsum, & contrahere publice.*
23 *De conclusione, de qua n. 10*
24 *De distinctione, an de patria potestate agatur principaliter, vel incidenter?*
25 *Quod non debeat procedi cum generalitatibus.*
26 *De Macedoniano ejusque ratione.*

27 *Consensus patris est pro interesse, atque sola ratificatio sufficit.*
28 *Quomodo Statutum debeat intelligi ad limites juris communis.*
29 *Quare jus commune induxit Macedonianum in solo consu mutui.*
30 *De peculiorum introductione.*
31 *Quare in hac materia diversimode judicetur.*

D I S C. XXXVII.

1 DUx Marius Sforzia, occasione matrimonii, adhuc patre vivente, contracti cum Renata de Lotharingia, de quo *sub tit. de dote disc.* 140. a patre in separata domo, & cum propria separata familia vivent, plura contraxit debita, præsertim de anno 1617. cum Petro Herrea, cujus mediata hæres Aloysia, ex pretio Status Vallismontanæ per eum venditi, de mandato Judicis obtinuit sibi persolvi summam scut. 4300. circiter, cum solita obligatione de restituendo prioribus, & potioribus, cujus obligationis vigore, postquam Aloysia evitavit alias molestias enunciatas *dicto disc.* 140. *de dote*, ad instantiam Cardinalis Sfortiæ ejusdem Ducis germani fratris venientis ex jure cesso alterius creditoris anni 1629. mandatum exequutivum ab A. C. pro restitutione passa est, commissaque per Signaturam causa appellationis in Rota coram Bevilaqua, cum clausula
2 translativa, *si quid exequendum*, super dubio confecto, ex ejusdem rescripti ventre resultante, an mandatum esset exequendum, sub die 14. [illegible] 1669. affirmativa prodiit resolutio in [illegible] positione [illegible]censa.

In his autem [illegible] in Rota (ubi solum pro Aloysia [illegible]oris Defensores, cum quorum fundamentis decisio [illegible] edita procedit, ultra genera-
3 lia circa exercitium [illegible], vel processus exequutivi contra creditorem obligatum restituere prioribus, & potioribus, juxta decisiones 63. 206. & 213. Celsi, cum aliis per Salgad. *in labyr. par. 2. cap. 6. n.* 41. & in sua materia *sub tit. de credito*.

Potissimum fundamentum constituebant in nullitate crediti dicti Petri, qui propterea creditor dici non poterat, dum agebatur de contractibus initis per filiumfamilias existentem sub potestate Ducis Alexandri patris tunc viventis,
4 ex clara dispositione *Statutis Urbis* 152. *lib.* 1. per quod enervatur vis juramenti, cujus ratione cessare solet illa dispositio, quæ ex *Senatusconsult. Macedon.* resultat ex jure communi juxta decisiones 20. & 44. Buratt. cum aliis generaliter deductis *sub tit. de dote disc.* 143. cum hoc Statutum a Papa specialiter confirmatum tollat vim juramenti, atque ob decretum irritans annullet contractus ipso jure, ut apud Greg. *decis.* 182. Otthobon. *decis.* 16. *decis.* 184. post Zacch. *de oblig.* Et in individuo istius obligationis firmatum jam fuerat coram Celso *dec.* 382. inter suas; quæ vere fuit causa resolutionis.

5 Ad hoc objectum evitandum Ego, & alii pro Aloysia rea conventa scribentes plura deducebamus, primo scilicet, quod de dicta nullitate dare potest idem contrahens, non autem tertius, quamvis creditor; cum hic declarare non valeat ea quæ sunt in animo principalia, qui recte sciens sinceritatem actus, suamque obligationem, eam ratam habere potest ex iis, quæ cæteris relatis habentur apud Surd. *dec.* 108.

Secundo, quod cum occasione dicti matrimonii, in apocha dotali, dictus Dux Alexander pater, donationem, ac assignationem quorundam Castrorum, ac redditum fecerit dicto Duci Mario, ut in eo statu conjugali cum decore posset se substentare, ita implicita emancipatio resultabat, ex iis, quæ circa dotem donatam habentur deducta *sub tit. de dote disc.* 33.

Tertio, quod in facto justificaretur, quod dictus Dux Marius viveret seorsum a patre in separato Palatio cum propria, & separata familia, pluresque contractus jure patrisfamilias gessisset, qui est casus expresse exceptus in ipsomet Statuto 152. quod nedum istum casum excipit, sed omnes alios, in quibus de jure *Macedonianum* non intraret.

Quarto, quod occasione dicti matrimonii, Dux Alexander pater, non solum dictam donationem, seu assignationem fecit, verum etiam refutavit Comitatum Sanctæ Floræ, qui tunc possidebatur jure illius veri, ac pleni allodii, per quod alter non recognoscitur Superior, nisi Deus, adeo ut jura Imperii, ac Regalium, supremique Principatus præseferat, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de feud.* Et consequenter, quod non intraret subjectio huic Statuto.

Et quinto, ob subsequutam ratificationem resultantem a debiti solutione facta per eundem Ducem Marium, postquam defuncto patre sui juris effectus erat.

Omnia vero fundamenta prædicta in decisione desuper edita rejecta fuerunt: quatenus enim pertinet ad primum motivum, quod tertius dare non potest de nullitate, respondetur cum distinctione, quod aut agitur in terminis juris communis, quibus attentis actus gestus a minore, de quo agitur apud Surd. *dict. dec.* 108. cum ibi allegatis, non est nullus ipso jure, sed annullandus, seu rescindendus venit ope exceptionis, ac opponente ipso minore, qui potest non opponere, sed ratum habere, adeo ut actus remaneat in statu implicito validitatis, & tunc id recte procedat, aut vero actus per Statutum annullatur ipso jure, & tunc etiam a tertio nullitas opponatur, ex iis; quæ antiquioribus relatis habentur apud Gratian. *discept. at.* 691. *n.* 3. *cum seqq.* Adden. ad Surd. *dec.* 108. *n.* 10. Rot. apud Dunozett. *dec.* 591. *& dec.* 595. *n.* 4. *&* 5. *cum aliis in hujus causa decisione.* 6

Fortius vero, cum dicatur nullitas jam detecta, & declarata per dictam decisionem coram Celso, unde dici potest omnimode exclusiva juris, & consequenter allegari potest quoque a tertio, juxta doctrinam Bart. in *l.* 2. *vers. quandoque jus tertii, de except. rei judicatæ*, cum concordantibus relatis per Gratian. *d. discept.* 691. *n.* 2. Hodiern. ad Surd. *d. dec.* 108. *n.* 1. Thesaur. *decis.* 4. *n.* 4. *& d. dec.* 391. Dunozetti *n.* 2. *& in eadem decisione.* 7

Ac etiam, quia creditor dicitur procurator sui debitoris, ideoque omnes actiones, vel exceptiones illi competentes deducere potest, ad text. *in l. si pignori, ff. famil. er isc. cum concor.* per Rovit. *dec.* 29. *n.* 4. Capyc. Latr. *consult.* 18. *n.* 24. Rot. apud Dunozett. *dec.* 840. *n.* 1. *&* 2. *& dec.* 961. *n.* 14. & satis proxime Dexart. *decis.* 16. *n.* 7. cum aliis in decisione, in qua ex Romano *cons.* 437. *n.* 5. Barbatt. *cons.* 82. *n.* 25. *lib.* 1. Fenzon. *ad hoc Statutum, n.* 81. *& aliis,* 8
advertitur istam dici nullitatem publico favore inductam, ideoque a quocumque opponi posse. 9

Ad secundum fundamentum, ut ex donatione facta per patrem filio, tacita emancipatio resultet, respondetur, & bene, quod quicquid supra allegati senserint, magis communis, & vera est in contrarium, potissime vero, ubi non agitur de donatione pura, & sine causa, sed contemplatione, vel occasione certi matrimonii, ex relatis per Facchin. *lib.* 3. *contr. cap.* 78. Giurb. *ad consuet. cap.* 3. *gloss.* 8. *n.* 39. Merlin. *de legitima, lib.* 1. *tit.* 2. *quæst.* 8. *n.* 18. cum aliis copiose cumulatis in eadem decisione. 10

Ad tertium respondetur, quod simplex habitatio extra domum paternam, sive aliquod negotium a filio gestum ad id non sufficit, sed requiritur magna frequentia actuum, ex qua verisimilis scientia, & patientia patris resultare dicatur, ac etiam diuturna habitatio seorsum saltem longo decennali tempore, faciendo actus univocos soli patrisfamilias convenientes, non autem æquivocos, ex relatis *dict. decis.* 182. Gregor. *& dec.* 16. Otthobon. *repetit. dec.* 183. post Zacchiam, *& dec.* 184. *ibid.* cum aliis in eadem decisione, in qua advertitur, quod decisio 14. Dunozetti senior. *& dec.* 734. Dunozett. jun. *& dec.* 185. post Zacchiam, & alia decisio in Romana Societatis officii 27. Januarii, & 12. Maji 1653. coram Albergato, ac aliæ, in quibus pro validitate obligationum, aliorumque actuum a filiisfamilias gestorum respondetur, procedant cum præsupposito, quod concurrant dicta requisita. 11

Ad quartum, quod debitor ratione Comitatus S. Floræ esset independens, atque Principis figuram gereret, ideoque Statuto non subjectus, respondetur id recte procedere in ipso Comitatu, ac in ejus ditione, non autem in Urbe, ubi civis privati figuram gerebat, ideoque remanebat subjectus Statuto, cujus locus attendi debet, quamvis contrahens esset exterus, ex relatis per Cancer. *var. resol. par.* 1. *cap.* 10. *n.* 21. Cyriac. *controv.* 10. *n.* 8. Rot. in Romana, seu Perusina census 12. Decemb. 1644. coram Bichio, apud Zacch. *de oblig. dec.* 161. & fortius, dum in specie jam firmatum fuerat *in dec.* 382. *Celsi.* 12

Et ad quintum ratificationis respondetur cum toties in præcedentibus insinuata recepta, hodieque plana conclusione, cum copiosis quoque allegationibus comprobata, ut subsequentes actus, ex quibus ratificatio, seu approbatio resultat, attendendi non veniant, nisi constet de certa, & explicita scientia facti, & juris, quod actus esset invalidus, seu exceptione elidibilis, cum sequi potuerint ex credulitate, seu præsupposito quod ipse esset obligatus, & fortius, quia observantia non erat mere voluntaria, sed potius coacta de mandato Judicis, rejecta ista jam opposita nullitate per ipsius 13

debi-

debitoria procuratorem, ac etiam, quia ubi quoque voluntaria, & deliberata cum dicta scientia adtuisser, id præjudicare non poterat ipsi actori, cujus debitum tunc contractum erat, ex pariter vera, & recepta propositione pluries alibi insinuate, quod ubi actus est ipso jure nullus, atque implicitum non habet statum validitatis, tunc ratificatio non retrotrahitur, sed attenditur, ut tunc tanquam actus omnino novus, & integer, ideoque non aptus præjudicare juri tertio jam quæsito, ut in specie creditoris anterioris contrahentis minus legitime, postponendi ei, qui postea legitime contraxit, quamvis primum debitum postea ratificetur, Cyriac. *controv.* 293. Salgad. *in labyr. p.* 2. *c.* 10. *n.* 58. *& c.* 25. *n.* 53. *& seqq.* apud quos cæteri, & in sua materia *sub tit. de cred.*

Quamvis autem plures ex dictis responsionibus, seu conclusionibus in abstracto, sive in suis respective casibus veræ sint, eis tamen non obstantibus, in hac facti specie, ex ejus circumstantiis, potissime vero, quod in disputatione habita post decisionem in ejus revisione ob meliores diligentias adhibitas pene infinitus contractuum, aliorumque actuum numerus inventus est, gestorum jure patrisfamilias, (etiam in sensu veritatis) dicebam, justitiam huic parti omnino assistere, ideoque a dicta decisione recedi debere.

14 Ad id autem probandum, in primis advertebam, magnam differentiam esse inter casum, in quo creditor ex contractu inito cum filiofamilias, pro ejus executione agat contra debitorem, vel ejus successorem universalem, sive particularem, qui excipiendo opponat de invaliditate actus, & casum, in quo creditor sit jam satisfactus, atque tanquam reus ab altero pulsetur, non ratione anterioritatis, vel potioritatis juxta casum suæ obligationis, sed ratione indebiti, quod ita repetatur.

Primo enim casu, juxta receptissimam distinctionem in omnibus materiis insinuatam, quæ hodie de plano, apud eos, qui stolidi non sint, præsupponenda est, ille, qui ex aliquo actu, vel jure agit, de illius validitate docere tenetur tanquam de fundamento suæ intentionis, cum alias reo sufficiat, fugiendo vincere per non jus actoris, & consequenter docere, quod esset in aliquo ex casibus a Statuto limitatis.

Secus autem in altero, in quo ipse creditor jam satisfactus sit reus, cui suffragetur idem axioma, ut scil. fugiendo sufficiat vincere per non jus actoris, qui proinde gravatur onere concludentis probationis nullitatis, quam pro ejus intentionis fundamento allegat; cum etenim, ex alio pariter quotidiano, ac recepto axiomate, non dicatur plena, & concludens probatio illa, quæ contrariam habeat possibilitatem, quam excludere oportet, atque in terminis hujus Statuti, plures dentur casus validitatis ibidem recensiti, hinc proinde docendum est de hujusmodi casuum, seu limitationum exclusione.

15 Potissime vero (& fortius) ob hujus debiti judicialem canonizationem, executioni etiam demandatam, ac in judicatum transactam, cum subsequuta pacifica observantia longissimi temporis, ideoque intrat alterum pariter planum, ac receptum axioma quodie decantari solitum, præsertim in hac materia contractuum, qui per prohibitos cum decreto Judicis fiunt, ut pro istu sit præsumptio, donec de contrario doceatur, & consequenter advertebam claram esse fallaciam circa applicationem aliquarum ex dictis conclusionibus generalibus recte procedentibus in dicto alio casu, in quo creditor sit actor, ut supra.

16 Licet enim, ut præsertim advertitur *sub tit. de cred. disc.* 2. & in aliis, pecunia liberata creditori cum illa cautione de restituendo prioribus, & potioribus, ac ad omne mandatum, &c. extare dicatur perinde ac si soluta non esset, neque dici valeat agi de formali repetitione indebiti, sive quod creditor efficiatur verus possessor, cum dicatur species precariæ, seu provisionalis consignationis, attamen id recte procedit ad effectum, ut creditor juvari non possit aliis privilegiis possessori competentibus, de quibus *d. disc.* 2. & in aliis *de cred.* Sive ut Judici consignanti, potestatis, seu jurisdictionis quæstionem refricare non valeat; ubi potissimum adest clausula, *ad omne mandatum, &c.* ex iis, quæ habentur deducta *sub tit. de jurisd. disc.* 94. & in dicta sua materia *eod. tit. de cred. d. disc.* 2. *& in aliis*, non tamen facit, quin vere, ac de facto sit reus, quodque alter creditor, qui agendo in vim dictæ obligationis de restituendo illum pulsat, docere concludenter teneatur de casu obligationis ratione anterioritatis, vel illius potioritatis, quæ in posteriori resultat ab anterioris crediti infectione, juxta receptam *dec.* 492. Cavaler. n. 5. *cum vulgaribus*.

Præterea advertebam, quod absque necessitate expendendi singula dicta fundamenta, vel singulas responsiones, ut supra ex datas, reflectendum erat ad totam facti massam, cum regula, ut *singula quæ non prosunt, &c.* ita 17
etenim resultabat hujus debiti clara validitas, quamvis singulæ conclusiones in dictis responsionibus contentæ, singulariter, ac de per se subsisterent, ac essent veræ.

Ut enim patet ex supra allegatis decisionibus, quas hinc inde in hac materia habemus, eædem filiorumfamilias obligationes quandoque invalidæ declaratæ fuerunt, & quandoque validæ, unde propterea ignararum vulgus, indebite tamen, de hoc scandalizari solet, ita enim sequutum est, quoniam ita unius, ac alterius facti qualitas exigebat, ideoque pariter ista quæstio potius facti quam juris est, & consequenter ut in præcedentibus occasione contractuum, vel obligationum mulierum advertitur, certam non recipit regulam, seu determinationem generalem, sed diversimode in singulis casibus pro eorum qualitate, & circumstantiis decidenda est, indagando sc. qualitatem creditoris, an esset verisimiliter informatus, quod debitor esset filiusfamilias, sub paterna potestate, ac administratione vivens, atque ita ad contrahendum inhabilis, vel potius juste paterfamilias, ac sui juris reputetur, ac propterea bona, vel respective mala fides, normam, seu regulam huic materiæ præbere videtur, ponderando dicta fundamenta, non principaliter, ac de per se, perinde ac si quælibet ex dictis conclusionibus canonizari deberet, atque ex ea decisio causæ penderet, sed tanquam circumstantias simul jungendas ad dictam bonam, vel respective malam fidem, justamque, vel injustam credulitatem desumendam, ut præsertim recte conjici potest ex dictis decisionibus 183. 184. & 185. post Zacch. *de oblig. camer.* in quibus ob diversas facti circumstantias, in ejusdem Statuti terminis, modo pro validitate, ac modo pro invaliditate respondetur.

Atque ita Ego pluries, ac pluries, modo pro validitate, 18
modo pro invaliditate ad causam scribendo, magis vero pro veritate consultus, præsertim in plerisque causis Januensibus, super interpretatione consimilis Statuti, cum hac distinctione procedere consuevi, ut sc. ad facti qualitatem, ac circumstantias principaliter adverti debeat, erroneumque sit, in decisionibus, vel doctrinis generalibus fundamentum constituere, bene tamen eas attendere pro norma, ut Judicis arbitrium (non quidem cervicosum, ut frequenter contingit) sed bene regulatum sit a juris principiis, magisque receptis propositionibus, ponderando potissime naturam, seu qualitatem contractus, an esset prudens, beneque regulatus, qui patrifamilias congruat, vel e contra.

Et præsertim in dictis causis Januensibus, ad eam cir- 19
cumstantiam advertebam, de qua *disc.* 34. quod etiam minor in rebus mercantilibus hujusmodi Statutorum præsidio non juvatur, ideoque fortius in eo, qui sit major, quamvis patrem habeat, & sic in summa, quod facti qualitas totum reguler.

Applicando autem ad rem, non negabam veritatem re- 20
sponsionis datæ ad quartum fundamentum, quod in Urbe viventes, quamvis Baronias, & Dominia, etiam jure Principatus possideant, jure civium habendi veniant, quodque eam majorem figuram faciant in propria ditione, ob diversitatem, seu reduplicationem personarum, quæ in eis consideratur, ex pluries insinuatis *sub tit. de feud.* ac etiam *sub tit. de jurisdict.* præsertim *disc.* 90. quoniam supremus Princeps in propria ditione, si in altero principatu feudum subordinatum, vel rem privatam possideat, jure privati, seu simplicis Baronis censendus est.

Dicebam tamen id recte procedere ubi principaliter de 21
hoc subjectionis puncto ageretur, adeout quæstio esset potestatis, secus autem, ubi incidenter ad effectum regulandi qualitatem personæ contrahentis, ut juste, atque cum bona fide paterfamilias, & ad contrahendum habilis reputari valeat, utpote faciens figuram Magnatis, juxta eas considerationes, quæ in proposito usufructus legalis acquirendi necne patri in bonis filii habentur *sub tit. de servitutibus ad materiam usufructus disc.* 60.

Ita pariter, circa aliam circumstantiam, quod hic viveret 22
e patre seorsum in separato palatio cum separata familia more adeo qualificati, ac primarii Magnatis, ad effectum sc. ut ei non congrueret ratio, cui hæc Statutarie dispositio innixa est, ut filiusfamilias in paterna domo, ac mensa convivens, atque de omnibus necessariis bene provisus, nullam habeat necessitatem contrahendi debita, nisi ad effectum luxuriandi, vel dissipandi, unde propterea hujusmodi personis credentes ab aliqua mala fide, ac fraudis suspicione alieni non sunt, ut ad aliud propositum advertitur *sub tit.*

de

de feudis disc. 85. Sed prorsus improprium est cum his terminis procedere, ubi agatur de persona splendide in proprio palatio cum propria familia, propriaque administratione, & impensa in figura Magnatis primi ordinis vivente, publiceque plures contractus ineunte.

23 Idemque circa aliud fundamentum resultans ex donatione, vel assignatione, quam occasione matrimonii sibi fecit pater, non quidem, ut exinde ad omnes alios effectus formalis implicita emancipatio resultet, justa Scholasticorum quæstiones in abstrato disputari solitas, de quibus ap. Facchin. & alios *ubi sup.* Sed ut exinde, probatio, seu argumentum resultet, justam inducens credulitatem, ac bonam fidem, quod ita pater ab ejus magis subordinata administratione filium exemerit, ut de per se more patrisfamilias ejus domum, & familiam regat cum assignatis bonis, vel redditibus, quod contrahendi habilitationem per necesse importat, cum impossibile sit vivere solum ex fructibus, vel redditibus bonorum, qui ob varia accidentia non semper prompti habentur.

24 Ideoque ut ad aliud propositum advertitur *sub tit. de regal. ad materiam vectigalium disc.* 96. Aliud est, ubi principaliter agatur de quæstione patriæ potestatis inter patrem, & filium, adeout agatur de firmando statum personæ, atque ad hunc effectum, diuturna habitatio seorsum, ac multiplicitas actuum, aliaque requisita rigorose desiderantur, aliud vero, ubi incidenter ad illum, vel similes

25 effectus; atque in hoc consistit nimium deploranda hujus facultatis miseria super tot frequentium æquivocorum incursu, quia sc. proceditur cum conclusionibus, & auctoritatibus generalibus indefinite in quocumque casu, unum ab altero non distinguendo, neque ponderando singulorum diversas circumstantias, & qualitates, & an finis, vel ratio legis congruat necne.

26 Altius item hanc materiam indagando observabam, quod istum Statutum in effectu aliud non disponit, nisi generaliter in omni contractu inducit id, quod jus commune ex *Senat. Consul. Macedon.* in solo contractu mutui disposuit, tollendo etiam vim juramenti, quod dictam juris communis dispositionem ea frequentiori usu cessare facit, dum in reliquis pene per eadem verba desumptum est, ex textu *in l.* 2. *C. ad Macedonian.* atque excipiuntur casus ibi recensiti, generaliter excipiendo omnes alios casus, in quibus *Macedonianum* non currit, ideoque in effectu statuentium intentio fuit se conformandi cum jure communi civili, removendo juramenti obstaculum, quod ex Jure Canonico resultat, solumque ejus dispositionem, quæ ad unum

27 contractum restricta est, ad omnes alios extendendi, sed ejus terminis retentis, dum ea magis communi, & recepta opinione ubique, præsertim vero in Rota, & Curia, paternus consensus requiritur pro interesse, non autem pro solemnitate ad integrandam personam, adeout etiam ex intervallo accedere valeat, quinimmo implicita approbatio sufficiat, atque revalidet juxta terminos textus *in l. finali*, *C. ad Maced.* ut ap. Dunozett. *dec.* 584. *&* 649. *& frequenter*.

28 His ita positis, clarum æquivocum videtur, hanc statutariam dispositionem ita indefinite attendere, etiam respectu bonorum, quorum pater usumfructum non habet, & consequenter neque administrationem, ubi filius est major, atque per seipsum administrat, quoniam ex eadem ratione, ob quam attenta dicti juris communis dispositione *Macedonianum* non intrat in bonis Castrensibus, vel quasi, pariter intrare non debet hodie in adventitia, vel in profectitiis impropriis, qualia sunt ea, quæ per patrem filio valide donantur, vel assignantur, adventitiorum naturam habentia cum majori circumstantia., quod in eis non competit ille ususfructus legalis, qui in aliis adventitiis regulariter competit, ut advertitur *sub tit. de dote disc.* 32. cum ibi deductis.

29 Ideo etenim jus commune ex *Senat. Consul. Macedoniano* ita statuit adversus mutuantes filiisfamilias non habentibus Castrensia, vel quasi, eo quia in ipsis alia bonorum species non dabatur, cum totum id, quod quomodocumque in eos obveniret, quamvis a matre, seu aliis attinentibus, sive ab extraneis, vel ex propria industria, peculium profectitium esset, plenoque jure patri acquireretur, adeout ejus principale interesse hujusmodi obligationes, & contractus filiorum respicerent, ultra aliam rationem insidiarum, quæ vitæ parentum ita resultare solent.

30 Peculiorum autem distinctio, ac præsertim adventitii contradistincti a profectitio, introducta fuit per jus novissimum Justiniani *in l. cum oportet, C. de bonis, quæ lib.* ut advertitur *in* §. 2. *Instit. per quas person. nobis acquir.* Et sic quando prodiit jus antiquum, vel medium, seu novum, de quo *tot. tit. ff. & C. ad Senat. Consult. Maced.* cognitum non erat peculium adventitium, quo mediante filiusfamilias alia bona præter Castrensia, vel quasi obtineret, & in quibus occasione eorum administrationis contrahendi, vel se obligandi sine præjudicio patris, ac extra ejus causam motivum haberet, ideoque merito filiosfamilias habilitavit solum in concernentibus peculium Castrense, vel quasi, quoniam in aliis id verificabile non erat, citra damnum, vel interesse patris, cujus consensus merito exigitur, dum, ut supra, etiam hodie magis receptum est, ut paternus consensus non pro solemnitate, & ad integrandum, sed pro solo interesse requisitum sit, igitur eadem ratio, quæ in Castrensibus, vel quasi dicto jure antiquo medio, vel novo militabat, hodie ex jure novissimo militare videtur in adventitiis, vel profectitiis impropriis, quorum ususfructus patri non quæratur, quoniam si damus in filio dominium, ac facultatem administrandi, per necesse dare debemus habilitatem contrahendi, & consequenter, quod rigor Statuti procedere debeat, ut intret dicta ratio, quod sc. filiifamilias nihil habentes, nullamque administrationem, quæ contrahendi necessitatem inducat, utpote in domo, ac mensa patris viventes, atque de omnibus necessariis provisi, aliam non habeant contrahendi, vel se obligandi causam, nisi jam dictam luxuriandi, vel dissipandi, ideoque propterea in ista, vel consimili facti specie, clarum videtur æquivocum procedere cum dictis regulis, seu conclusionibus generalibus, quæ in suis respective casibus sunt veræ, non tamen cuicumque indefinite applicabiles, sed pro qualitate, & circumstantiis facti, cujus vere est ista quæstio potius, quam juris.

Ideoque in centum, & ultra consimilibus controversiis, 31
sub eadem inspectione cadentibus, cum hac distinctione quandoque pro validitate, & quandoque pro invaliditate pro facti qualitate respondere consuevi, cum eadem sint principia in suis respective casibus vera, sed punctus est in applicatione, & an in una potius, quam in altera parte versaremur, quod ex facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis pendet.

An autem hoc Statutum procedat cum districtualibus habetur *sub tit. de cred. disc.* 146.

ANNOT. AD DISC. XXXVII.

DE contractibus filiorumfamilias, & quando valeant, ubi præsertim reputati fuerint sui juris, insinuantur aliqua *sub tit. de cred. dis.* 83. *&* 146. Et *in hoc eod. tit. dis.* 63.

Facit sequens decisio ad præcedentem discursum.

R. P. D. MOLINES.

Romana Pecuniaria.

Veneris 17. *Maji* 1697.

SUb prætextu, quod Marchio Cornelius Frangipanus reperiretur vexatus a nonnullis ejus creditoribus in Urbe, quodque propterea timeri potuisset eventus diversorum præjudiciorum tam contra illius personam, quam bona in grave damnum, & perniciem Marchionissæ Catherinæ ejus uxoris, & Marii filii, præviis decreto, & auctoritate Judicis Terræ Nemoris Castri jurisdictionalis hujus Nobilis Familiæ, aliisque solemnitatibus necessariis, inducti fuerunt hæc Matrona, & Marius filius de eo tempore minor ad constituendum in solidum eorum legitimum Procuratorem Æneam Quiricum de Vecchis ad effectum (sunt verba præcisa mandati) *Cum omnibus, & singulis, ac quibuscumque litibus, Judiciis, causis, controversiis, prætensionibus, ac rationibus, & juribus quibuscumque inter ipsos Illustrissimos Dominos Constituentes, & alias quascumque personas quomodolibet, quomodocumque, & qualitercumque, ac quavis de causa, & occasione verten. de præsenti, & quæ verti possent in futurum concord. transigen. & componen. &c.* simul etiam tribuendo eidem Procuratori facultatem ipsos constituentes, eorumque bona in ampliori forma obligandi.

Virtute hujusce mandati procuræ, cum inter alios Marchionis Cornelii Creditores recenseretur Joseph Bussius in sc. 2756. 26. occasione cujusdam apochæ, item in aliis scutis 756. 12. pro totidem prætensis expensis factis pro ejusdem Marchionis Cornelii, suæque Domus servitio, & demum in scutis 962. 65. pro sorte cujusdam cambii, idcirco præfatus Æneas Procurator ut supra constituturus per viam transactionis, & concordiæ de eisdem tribus summis in totum constantibus scuta 4475. 37. fecit, & constituit veros debitores prædi-

cti

cti Bussi, Marchionissam Catherinam, & Dominum Marium ejus filium, satisfaciendos in infrascriptum modum, videlicet sc. 3513. 37. ad omna ipsius Bussi beneplacitum, & requisitionem, pro aliis vero sc. 961. mediante venditione vineæ fideicommissariæ positæ extra Portam Lateranensem, familiæque nomen sortitæ, obligando ad præmissorum observantiam omnia bona prædictorum Dominorum Marchionis Cornelii, Catharinæ, & Marii.

Capta per Bussium possessione hujus vineæ successive, ac de anno 1692. cum reperiretur debitor Domini Principis Burghesii in summa scutor. 1600. circiter, ratam sui prænominati crediti scutor. 3513. cessit eidem Domino Principi. Qua de re convento Domino Marchione Mario pro solutione dicti crediti, Reverendus Pater Dominus meus Lancetta tunc Auditoris Cameræ Locumtenens tulis ad illius favorem sententiam absolutoriam, a qua Mihi commissa appellationis causa, dedi dubium, *an constet de credito, & pro qua summa?* Et negativam pro crediti non existentia prodiit responsum.

Inevitabili siquidem nullitatis vitio laborare visum fuit præfatum instrumentum transactionis initum per Æneam procuratorio nomine Marchionis Marii, cum non appareant in eo servatæ solemnitates, quas adhiberi præscribit in contractibus mulierum, & minorum Statutum Urbis *in cap.* 151. *lib.* 2. Ex illo proinde nulla oriri potuis, nec civilis, nec naturalis obligatio Gloss. *de contract. minor. inspect.* 2. *quæst.* 58. *num.* 8. Urceol. *consultat.* 44. *num.* 2. Rota post Pich. *ad Stat. Urbis decis.* 60. *num.* 31. Adden. *ad decis.* 81. *num.* 30. *& seqq. part.* 8. *& dec.* 98. *n.* 2. *part.* 51. *rec.*

Minime suffragante responsione, quod cum in mandato procuræ ad transigendum, cujus vigore dictus Procurator devenerat ad controversum instromentum transactionis adhibitæ fuerint omnes solemnitates, opus non eras illas denuo servare in eodem actu consecutivo transactionis. Receptissima quippe est in hac materia distinctio, quod aut agitur de mandato procuræ facto a minore, aliisque contrahere prohibitis ad transigendum, vel alias contrahendum super certa re speciale, vel aliquo determinato negotio, & in hoc primo casu sufficit, quod adhibeantur solemnitates in Constitutiona Procuratoris ad illum actum specialam explendum absqua præcisa necessitate illas repetendi in contractu successive per ipsum Procuratorem ineundo, qui non ast casus noster. Aut varo agitur da mandato procuræ generali ad contrahendum, & transigendum super omnibus negotiis, & prætensionibus minoris indistincte, prout ex verbis supra transcriptis constat, mandatum procuræ, de quo res est, & in hoc alio casu in singulis actibus, & obligationibus successiva stipulandis repeti debent solemnitates, ut allegatis antiquioribus distinguendo concludunt Pich. *ad Stat. Urbis c.* 151. *gloss.* 7. *n.* 535. *& seq.* Carpan. *ad Statut. Mediolanen. c.* 238. *num* 92. *&* 94. Scac. *de Judiciis*, *lib.* 2. *c.* 2. *num.* 10. Gabr. *de reg. jur. conclus.* 2. *n.* 35. Cratian. *discept.* 409. *nu.* 35. Cyriac. *controv.* 308. *n.* 18. Baron. *de effect. min. ætat. circa contract. effect.* 3. *n.* 168. *p.* 2. Graff. *de contract. min. inspect.* 2. *c.* 26. *num.* 17. Urceol. *de transact. qu.* 54. *num.* 55. Jovius *de solemn. in contract. minor. gloss.* 56. §. 10. *n.* 75. Rota cor. Cardinali Millino *dec.* 37. *n.* 7. *&* 8. *repetit.* post Pich. *ad Statut. Urb. num.* 150. *&* 51.

Ea quidem clara discriminis ratione, quia in primo casu mandati specialis ad contrahendum super aliquo determinato negotio, tam Judex, quam Consanguinei in ipso actu cognoscendi, an concurrat justa, & legitima causa, ob quam minores devenire debent ad Constitutionam Procuratoris ad transigendum, simul, & semel remanent informati de veritate, ac justitia causæ necessariæ ad eundem contractum successive explendum. Quam tamen exactam cognitionem, & discussionam nequaquam habere, ac facere possunt, quoties agitur da auctorizando mandato generali ad contrahendum, & transigendum super controversiis, & prætensionibus motis, & movendis, nam tametsi in genere Judex suaderi valeas suppetere causam legitimam ad transigendum super omnibus negotiis, & prætensionibus, peculiariter tamen non potest censeri informatus, neque in specie discutere vales, an hic, vel ille contractus, hoc, vel illo modo celebrandus redondet in evidens damnum, ac supplantationem minoris, vel in illius utilitatem, ideoque jure meriso factum ast, ut Procurator generaliter sic constitutus non habeat laxatas habenas contrahendi super particulari negotio ad libitum suæ voluntatis, & arbitrii sub clypeo adhibitarum solemnitatum in illis constitusione in Procuratorem, sed tenetur adire Judicem, ad effectum cognoscendi, & discutiendi naturam singulorum contractuum, modum, & conditiones in eo contentas, & super singulis in specie suum consensum, & auctoritatem interponendi, ut præter supracitatos bene ratiocinatur Barzius *dec.* 95. *num.* 1. *& per tot.* Castald. *controv.* 3. *num.* 3. & Rota *dec.* 522. *num.* 3. coram Coccino.

Porro hujusmodi fundamentum defectus solemnitatum de sa sufficit ad irritandam controversam transactionem, ut Domini altero procedentes existimarunt ipsummet mandatum gererale datum Æneæ ad transigendum, quantumvia solemnitatibus munitum, ex falsitata nihilominus causæ Judici præsuppositæ vitiari, & corruere, ac per consequens in sequelam irritum etiam esse ex hoc alio capite ipsum instrumentum transactionis, cum satis explorata sit propositio, quod obligatio facta ex falsa causa, nullum recipit vigorem, decretumque super ea interpositum ex defectu consensus ruere, perinde ac si adhibitus non esset *l.* 1. §. *hac verba*, *ff. ne vis fiat ei*, *l. magis puto* 56. *si æs alienum*, *ff. de reb. eorum*, *& in l. si ex falsis*, *Cod. de transact.* Cyriac. *controv.* 257. *n.* 15. Rot. cor. Ludov. *dec.* 496. *num.* 55. Card. Celsus, *dec.* 233. *n.* 8. *&* 9. *& dec.* 331. *n.* 14. *p.* 17. *rec.*

Narratum siquidem legitur Judici ad affectum extorquendi ipsius consensum, quod Marchioni Cornelio contingera poterant pleraque præjudicia, tam contra ejus personam, quam bona, quæque in sequelam redundabant in perniciem Marchionissæ uxoris, & Marii filii, quod præsuppositum in utraque illius parte minus verum existebat, quamvis ad irritandum decretum Judicis ratione illius individuitatis sat est, quod causa detegatur falsa in aliqua saltem parte, Castr. *in l. si non sortem*, §. *si censum*, *n.* 2. *ff. de con. ind. indeb.* Grat. *c.* 122. *n.* 5. *& seqq.* & respondit Rota cor. Card. Celso *dec.* 233. *n.* 9. cor. Dunoz. Jun. *dec.* 792. *n.* 20. & cor. Zarata, *dec.* 109. *num.* 15. ac late *dec.* 97. *n.* 7. *&* 593. *nu.* 6. *par.* 15. *rec.* Non inquam subsistebat dicta narrativa quo ad supposita præjudicia personalia, quoniam cum Marchio Cornelius insignitus asset qualitata Baronali, non subjacebas molestiis personalibus, neque pro debito civili potarat carcerari, Vaiq. *de success. creat.* §. 25. *n.* 75. Gutter. *de juram. par.* 5. *c.* 16. *n.* 1. Mausin. *de caus. exequut. limit.* 9. *n.* 13. & de hoc solito non exequendi mandata in personis Baronum, aliorumque virorum Illustrium Urbis, continua docet experientia, & de ea testantur Salut. Tiber. *in praxi l.* 5. *c.* 54. *nu.* 4. Scannarol. *de visit. carcerator.* *l.* 3. §. 10. *c.* 4. *num.* 2. Minusque verificari poterat quoad præjudicia in bonis, quia cum totum ejus patrimonium suppositum asset primogeniali fideicommisso Marii Senioris de Frangipanis canonizato per sententias plurium Tribunalium Urbis, ac etiam Rotæ in Romana, seu Albanen. Castri Nemoris 21. Junii 1686. coram bonæ memoriæ Emerix, confirmata 14. Maji 1688. coram Eminentissimo Caccia, & in alia Romana Pecuniaria 14. Maji 1688. coram dicto Eminentissimo Cardinali Caccia Archiepiscopo Mediolanensi, utique ejus bona obnoxia non erant ullius generis distractioni. Idque etiam dicendum de bonis jurisdictionalibus, non resistente Bulla Baronum Clementis VIII. cum ante contractum æs alienum constes de illorum exhibitione in Archivio, gaudebant proinde privilegio ante Constitutionia Urbani VIII. de qua Cardinalis de Luca *de feud. ad Bullam Baron. disc.* 73. *num.* 14.

Non relevante, quod nonnulla ex dictis debitis dicantur contracta pro conservandis bonis fideicommissariis, illisque vindicandis a variis controversiis tunc temporis vigentibus, proindeque pro illorum solutione distrahi, ac subhastari potuerit fideicommissum, ad Textum *in l. ubi pure*, §. *Quid trahendi*, *ff. ad Trebell.* Peregrin. *de fideicommiss. art.* 35. *num.* 10. Rota coram Ludovis. *dec.* 509. ibique Adden. *& in recent. dec.* 765. *n.* 8. *par.* 18.

Nam ad justificandam versionem in utilitatem, & manutentionem bonorum fideicommissariorum nulla alia deducta fuit probatio, quam confessio Marchionis Cornelii contenta in apoca obligationis emissæ favore Bussi, & tamen in hoc casu, quo contractus gestos nomine minoris redarguitur vitio nullitatis, onus est allegantis versionem, eam concludentissimis probationibus demonstrando, Fenz. *ad Statut. Urbis*, *cap.* 151. *nu.* 36. Jovius *de solemnitatibus in contract. minor. gloss.* 55. §. 7. Simoncell. *de decret. lib.* 3. *tit.* 7. *nu.* 20. Rota post Pich. *ad Statut. Urb. dec.* 60. *num.* 5. coram Cardin. Celso *dec.* 233. *num.* 9. *&* 10. & quidem alio medio, quam per Partium contrahentium assertionem, Fus. *de substitut. quæst.* 531. *num.* 173. Rota in Romana fideicommissi de Patriarchis 9. Junii 1687. §. 1. coram bonæ memoriæ Emerix Decano, & in specia alterius similis concessionis Marchionis Cornelii, dixit in Romana Pecuniaria 14. Maji 1688.

§. Non

§. *Non obstat*, coram Eminentissimo Archiepiscopo Mediolanensi.

Multo minus hujusmodi prohibitio resultare valet ex productione aliquorum jurium, alias facta in Rota pro Marchione Mario, nam omisso, quod dicta jura exhibita fuerunt in alia diversa causa, quæ agitabatur cum Comite Bigazzino, & ad alium effectum, quod operatur, ut nequeat ex sola productione induci aprobatio, Rota *dec.* 236. *num.*4. *&* 5. *par.*3. *rec.* Adhuc objectum cessat ex facto, ob expressas, & individuales præservativas contentas in ipsa productione, ibi *Citra aliquam probationem omnium, & singulorum infrascriptarum scripturarum, aut cujuslibet ipsarum in eo, quod tangunt interesse, & jura Primogenituræ Frangipanæ, & non alias, &c. ita quod &c. & semper per compulsam, & in quantum, ut supra*, Summario Domini Principis *num.*5.

Prout neque urgere visa fuit replicatio, quod si non competebat Creditoribus Marchionis Cornelii gravati actio contra capitalia bonorum fideicommissariorum, saltem instare poterant pro alienatione fructuum, & vitæ ipsius Marchionis Surd. *consil.* 194. *num.* 27. *lib.* 2. *& decis.* 254. *num.*13. Salgad. *in labyr. creditor. part.*1. *cap.* 24. *num.* 58. *& seqq.* Cardin. de Luca *de cred. disc.* 151. *num.* 5. Rota coram Merlino *decis.*21. *num.*9. quod sufficere videtur ad verificationem narrativæ præjudiciorum adversus bona Marchionis contingibilium.

Placuit namque responsio, quod neque minus periculum sequestrationis fructuum bonorum fideicommissariorum redundabat in præjudicium Marchionis Marii, adeout reputari debuisset pro causa legitima sese obligandi favore patris. Quoniam cum ipse Marius esset vocatus ad primogenituram, satis compertum est, quod ex fructibus primogenituræ illi competebant alimenta etiam vivente genitore, & in præjudicium illius creditorum, ex firmatis per Peregrin. *de fideicommiss. art.* 82. *nu.* 86. Costa *de remed. subsid. remed.* 5. *n.* 6. & Rota *dec.* 265. *num.* 12. *par.* 12. *& dec.*87. *part.*14. *rec.*

Prætemquam quod neque super fructibus bonorum primogenituræ actio aliqua a creditoribus experiri poterat ad vitam ejusdem Marchionis Cornelii debitoris. Tum quia Marchio Marius Frangipanus Senior, in testamento, quod condidit anno 1630. constituendo perpetuam primogenituram pro conservatione splendoris suæ antiquissimæ, & nobilissimæ familiæ arctissime prohibuit quemcumque obligationem, alienationem, pignorationem, & hypothecationem tacitam, vel expressam, ut refert Rota in decisione emanata favore ejusdem Marchionis Marii in Romana, seu Albanen. Castri Nemoris 21. Jun. 1986. in principio coram bonæ memoriæ Emerix, impressa post Torr. *de major. & primogenit.t.*3. *dec.*72. Quapropter neque hypotheca sustineri ullo modo potest super commoditate percipiendi fructus in vita debitoris, & hæredis gravati, ex late firmatis per Rot. in eadem Romana, seu Albanen. Castri Nemoris 14. Maji 1688. coram Eminentiss. Caccie, §. *Demum*, & Romana pecuniaria contra creditores Marchionis Cornelii eodem die, & coram eodem Ponente contemperante proposita, §. *Neque aliquod jus*, & etiam dixit Rota *in dec.*18. *per tot.p.*15.*rec.*

Fortius, quia dum ex quamplutibus alienationibus, ac pignorationibus factis a Marchione Cornelio de bonis primogenituræ subjectis, ipse ad formam testamenti Marchionis Marii Senioris ceciderat in commissum, & bonorum possessio, eodem temporis momento, quo factæ fuerunt alienationes, transierant in Marium filium, ut fuit resolutum in dicta Romana, seu Albanensi Castri Nemoris 21. Junii 1686. coram bon. mem. Emerix, & in illius confirmatoria 14. Maji 1688. coram Eminentissimo Caccia. Inde sequitur, quod creditores Marchionis Cornelii nullum jus habebant, neque habere poterant super commoditate percipiendi fructus ex bonis primogenituræ ad vitam eorum debitoris, ut prosequitur Rota in dicta decisione Romana, seu Albanensi Castri Nemoris coram Emerix, impressa post Torr. *de major. & primogen. Ital. dec.* 72. *num.*1. *&* 2. *tom.* 3. & in alia Romana Pecuniaria 24. Maji 1688. coram Eminent. Caccia, §. *Neque*.

Ex quibus itaque omnibus liquido patet de nullitate, tum mandati ad generaliter transigendum dicti Æneæ de Vecchiis tributi, quam etiam successive transactionis stipulatæ cum Bussio. Verum respectu hujus transactionis nullitas evidentius dignoscitur ex ponderatione, quod in rei veritate nihil aliud, quam solum nomen transactionis præseferre videtur, deprehenditur enim ex illius lectura, eam tantummodo continere puram, & simplicem obligationem solvendi prænarrata credita Bussii, necnon eorum partis effectivam solutionem mediante traditione prædictæ vineæ fideicommissariæ absque ulla imaginabili remissione favore Marchionissæ Catherinæ, & Marii transigentium, qui ex eorum obligatione posuerant in tuto prædicta credita Bussii, quin ab ipso aliquid lucri consequerentur contra formale constitutivum transactionis, quod est, ut utrinque aliquid detur, vel remittatur, *l. transactio nullo dato* 38. *C. de transact.* quod sane operatur, ut quatenus etiam controversa transactio aliunde non vitiaretur, adhuc ex hoc altero capite evaderet ipso jure nulla, Card. de Luca *de alienat. & contract. disc.* 50. *n.* 6. Urceol. *de transact. q.* 100. *num.* 1. *cum seqq.* Rota coram sanctæ memoriæ Alexandro VIII. *dec.*28. *n.*7. *& dec.*279. coram Carillo, *& in recent. dec.*75. *n.*14. *& decis.*244. *n.*29. *par.*16. *rec.*

Et ita utraque Parte informante, &c.

BAREN. OBLIGATIONIS PRO CREDITORIBUS CUM HERCULE PAPPACODA.

Casus decisus per Rotam pro creditoribus.

De prohibitione alienationis bonorum, ad quorum titulum Clericus ad sacros ordines promotus est, quando, & quomodo procedat, & an sub dicta prohibitione veniat hypotheca, & quomodo ista sit exercibilis?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De prohibita alienatione bonorum, ad quorum titulum quis est promotus ad ordines.*
4 *De ratione dictæ prohibitionis.*
5 *Quod sub dicta prohibitione veniat etiam hypotheca.*
6 *Rejicitur, vel declaratur id, quod dicitur de hypotheca.*
7 *De differentia inter prohibitione istorum bonorum, & illam bonorum Ecclesiæ.*
8 *Quid Concilium Tridentinum in hoc statuerit.*
9 *Si Clericus est aliunde provisus, bene alienat, & prohibitio cessat.*
10 *Quid reservandum sit pro Clerici sustentatione.*
11 *An debeat haberi ratio nobilitatis?*
12 *De eadem.*

DISC. XXXVIII.

MArchio Capursii Franciscus Pappacoda, contempla- 1
tione matrimonii contracti per Josephum filium
primogenitum, feudorum refutationem, aliorumque bonorum donationem illi fecit, sibi reservatis ducatis 35. mil. ex quibus deinde donavit Herculi filio secundogenito ducatos 8. mil. pro quibus promisit solvere fructus ad rationem quinque pro centenario, ac successive donatarius ad sacros ordines promotus fuit ad titulum istius patrimonii, cumque postmodum dicti fratres, quendam redditum vendidissent Palmeriis, aliasque obligationes fecissent, pro quibus (primogenito forte principali debitore non solvente) Hercules creditorum molestias timebat, hinc ex remedio text. *in l.diffamari, ff.de ingen.& manumiss.& l.si contendat, ff. de fidejussor.* quod in Curia *jactationis*, *ac jactationum* dicitur, in partibus autem, sub *præventionis* nomine explicari solet, judicium instituit coram ejus Ordinario Baren. a quo sententiam reportavit declarantem a creditoribus molestias inferri non posse super dicto capitali ducat 8. mil. ejusque fructibus, tanquam patrimonio, ad cujus titulum sacrorum ordinum collatio facta erat, salvis eorundem creditorum juribus super aliis dicti Herculis bonis, a qua sen-
tentia, interposita appellatione, & commissa causa in Ro- 2
ta cor. Albergato, datoque dubio, an obligatio sustineatur, & pro qua parte, sub die 13. Martii 1665. affirmativa prodiit resolutio favore creditorum, ex eo tantum fundamento, quod non justificaretur in actis dicta qualitas donationis, ac respective promotionis ad titulum patrimonii, cumque obtenta adversus decisionem nova audientia, id justificatum esset in repropositione causæ, sub die 17. Martii 1666. persistitum fuit in decisis super validitate obligationis, reservando declarationem, in qua annua quantitate obligatio non esset exercibilis, donec dictus Hercules viveret, quatenus aliunde provisus non esset, unde ipse acquievit,

vit, atque cum creditoribus se concordavit, ideoque causa ulteriorem progressum non habuit.

Prima igitur disputatio quoad ea, quæ juris sunt, fere nullam habuit inspectionem, dum de plano fundata remanebat intentio creditorum in valida, & generali obligatione omnium bonorum contracta per virum majorem, ac sui juris, dictaque circumstantia, ex qua dictæ obligationis validitas, vel effectus in illo capitali impugnabatur, nullam habebat facti justificationem, ideoque major quæstio fuit in secunda disputatione, quando dicta circumstantia jam purificata fuerat.

3 Dicebant autem Scribentes pro Clerico debitore, claram esse dictæ obligationis invaliditatem ex dispositione Sacri Concil. Trid. *sess.* 21. *de reformat. cap.* 2. ubi quemadmodum prohibetur resignatio beneficii, ad cujus titulum quis ordinatus est, atque alias resignatio absque hac speciali mentione est nulla, quinimmo etiam ea facta, nisi non justificetur resignantem esse aliunde provisum, & commode vivere posse, ex iis, quæ habentur pluries in sua materia *sub tit. de beneficiis*, ita invalida sit alienatio bonorum, ad quorum titulum eadem promotio ad ordines facta sit, ex deductis per Barbos. *de Episcopo, alleg.* 19. *& in collect. ad idem Concilium, d. cap.* 2. & Cutell. *de donat. disc.* 2. *p.* 12. *n.* 83. per quos cæteri de more cumulantur, quorum auctoritas desideranda non est, ubi lex clara habetur.

4 Atque Ego observabam, quod potuissent in idem deduci ea, quæ habentur *sub tit. de donat.* pluries ad materiam prohibitæ retrodonationis factæ contemplatione certi, & determinati matrimonii, sive ipsorum bonorum ita donatorum alienationis ob jus, vel interesse secundarium uxoris, & filiorum, dum in præsenti adesse quoque dicitur idem interesse secundarium, tam Episcopi ordinantis, alias ad alimenta promoti obligati, quam etiam Ecclesiæ, totiusque Ordinis Clericalis, ut occasione retrodonationis hujusmodi donationum pariter in dicta sua materia advertitur.

5 Quia vero non agebatur de vera, & propria alienatione, sed solum de hypotheca generali, conabantur iidem Scribentes deducendo auctoritates collectas per Barbos. & Cutell. *locis supra citatis* probare, ut quod per decretum Conciliare in alienatione dispositum est, in hypotheca quoque procedat.

6 His tamen non obstantibus (cum sensu etiam veritatis) contrarium dicebam verius esse, scribendo pro creditoribus, ideoque resolutiones justæ benèque fundatæ visæ sunt, quoniam juxta ea, quæ in fortioribus terminis alienationis bonorum Ecclesiæ habentur per Rotam apud Rojas *dec.* 261. cum aliis supra *disc.* 1. hypotheca generalis non cadit sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, nisi quatenus per illius exercitium alienatio bonorum prohibitorum sequi deberet, secus autem, ubi exercenda esset solum in fructibus.

7 Ita fortius, juxta congruam applicationem, dicebam (& Rota amplexa est) quod cum ista prohibitio non sit realis, ut est illa bonorum Ecclesiæ, sed sit solum accidentalis, vel causativa ad certum scilicet finem, seu effectum, ut interim promotus, congruam habeat sustentationem, neque cum ordinis Clericalis dedecore mendicare cogatur, hinc proinde, dum actus vere alienationis ipsorum bonorum factus non erat, adeout dici valeat, quod ob contraventionem Conciliaris decreti intrare possit ejus nullitas, ita sufficiebat ejusdem decreti finem impleri, sive effectum sortiri, cum præservativa congruæ summæ donec viveret, sive de beneficiis, vel alias congrue provisus esset.

8 Adeout Concilium in hac parte solum strictius demandare videatur id quod per sacros Canones dispositum est *in c. Odoardus, de solutionibus, & in c. pervenit, de fidejussor.* ut Clerico debitori dimitti debeant tot bona in fructu tantum ad vitam, quæ ad ejus sustentationem sufficiant, firma eorundem bonorum obligatione remanente ad commodum creditorum post sequutam ejus mortem, vel provisionem aliunde, ex iis, quæ ad hanc materiam *cap. Odoardus*, habentur pluries *sub tit. de cred.*

9 Quodque ista prohibitio percutiat solum dictum finem, seu effectum, ideoque ubi præsertim non agitur de vera, & formali alienatione sine licentia Episcopi, cum positiva dicti decreti contraventione, sed de hypotheca, ejusque effectu, vel executione, inspiciatur solum finis, seu effectus prædictus, comprobari dicebam ex eo, quod ex magis communi, ac probabili opinione, ubi Clericus ad sacros Ordines ad titulum patrimonii promotus est, deindeque obtinet beneficium sufficiens ad congruam sustentationem; tunc cessat dicta Conciliaris prohibitio, rectèque alienari possunt bona, ad quorum titulum ad ordines promotus est, ut apud Gratian. *discept.* 159. *n.* 14. Garz. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 186. *& seqq.* Barbos. *d. alleg.* 19. *n.* 89. *& seq.* Fagnan. *in c. Episcopus, de praben. num.* 46. *cum seq.* ac probat ad litteram ipse contextus Conciliaris decreti, dum utitur illo verbo, *donec &c.*

10 Agnoscentes alterius partis Defensores, quod nullitas non esset sustentabilis, atque videntes, quod Ego scribens pro creditoribus admittebam, ut non constito de congrua provisione aliunde, deberet salva dimitti summa congrua, donec ipse Clericus viveret, seu provisionem obtineret, nimium insistebant in eo, quod totus redditus præservatus esse deberet, dum agebatur de viro Nobili, ac filio Magnatis, cui pro congrua sustentatione pro decore suæ nobilitatis, vix iste redditus sufficiebat, cumulando ea, quæ habentur apud Merlin. *dec.* 5. & passim super arbitraria materia taxationis alimentorum, ut qualitas personæ, ac mos Regionis, non ad præcisam naturæ necessitatem, sed ad illam congruentiæ taxa fieri debeat, juxta ea, quæ in materia taxæ dotis congruæ habentur plene deducta *sub tit. de dote disc.* 144.

11 Juste autem, ac rationabiliter ista prætensio rejecta fuit, solumque circumspecte reservata est taxa facienda pro arbitrio ex Regionis moribus adhuc non justificatis regulando, quoniam decretum Conciliare non distinguit Nobiles ab Ignobilibus, sive majorem, vel minorem nobilitatem, sed solum respectum habet ad ipsum ordinem Clericalem in universum, & ne, qui in eo constitutus est, cum ipsius Ordinis dedecore mendicare cogatur, unde sufficit istud inconveniens cessare, eique provideri, absque singularium personarum distinctione, dando in hoc exemplum practicum Religionum, vel Congregationum Regularium, vel secularium, in quibus sub eodem Instituto vivitur, quod non inspicitur ad natalium qualitatem, sed omnes pariformiter eodem habitu utuntur, eundemque habent vivendi modum, ac propterea non incedere cum curru, & numeroso famulatu, est quidem præjudiciale statui, & ordini Magnatitio, vel nobili juxta seculi pompas, ac secularium usum, non autem ordini Clericali, & consequenter hæc inspectio percutit potius terminos diversos textus *in l. miles*, sive illum stylum, qui habetur in Hispania reservandi possessori majoratus alimenta cum potioritate supra creditores ex iis, quæ habentur *sub tit. de fideic. disc.* 170. sed hoc nihil commune cum casu quæstionis.

12 Adhuc tamen admittebam, quod de ista qualitate ratio habenda esset, cum vir Nobilis non possit explicare illos actus ad ejus victum necessarios, quos citra dedecus ordinis Clericalis exercet vir popularis, cum Ecclesiastica tamen moderatione, non autem cum pompis seculi, unde propterea Mihi videbatur, (& Rota inclinabat) quod habita informatione summæ, quæ in ea Diœcesi congrua reputatur, ut promotio fieri valeat, ea duplicaretur, ut ita de honesto famulatu provisum remaneret, dum Clerici constituti in ordine presbyterali aliud habent subsidium eleemosynæ Missarum.

ANNOT. AD DISC. XXXVIII.

SEcunda decisio in præsenti discursu enunciata est impress. *decis.* 439. *part.* 14. *rec.* De patrimonio autem Clericali videri poterunt deducta *sub tit. de donat. disc.* 11. *& in annot. ad S. C. T. disc.* 14.

AMERINA BONORUM
PRO COMITE LAURENTIO
DE MARSCIANO
CUM N.

Casus disputatus in Sacra Consulta, credo resolutus pro Comite.

De prohibita alienatione in foranses, quomodo, & quando procedat, & an hujusmodi prohibitiones fieri possint per inferiores necne?

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*

2 *Commendatur Tribunal Sacræ Consultæ pro facili recursu subditorum.*

3 *Statuta Civitatis dominantis in loco subdita, cessante Statuto particulari, debent attendi.*

4 *De Castris, vel Pagis dismembratis a Civitate, & positis*

positis sub aliena jurisdictione, ut succedant sub Statutis, & n. 8.

5 *Statuta prohibentia alienationem in forenses, sunt a jure exorbitantia, & num. 10.*

6 *Civitates, vel Domini recognoscentes Superiorem non possunt condere Statuta contra jus.*

7 *In specie, quod non possunt a subditis fieri dicta Statuta inhabilitantia forenses.*

8 *De conclusione, de qua num. 4.*

9 *Observantia in hoc est deferendum.*

10 *Contrarium ejus, quod habetur num. 5.*

11 *Quod dicta Statuta sint potius favorabilia, & juri conformia.*

12 *An afficiant Clericos, & Ecclesiasticos.*

13 *Sub nomine juris communis, an veniat Statutarium Civitatis dominantis, vel commune Romanorum.*

14 *Constitutiones Apostolicæ, vel leges generales Principatus dicuntur jus commune, non autem Statutarium.*

15 *De eadem conclusione, de qua num. 6. & declaratione.*

16 *De alia declaratione, & quando etiam Domino inferiori liceat inhabilitare forenses.*

17 *Quando Domini inferiores habeant etiam Regalia, illud præsertim succedendi in bonis vacantibus.*

DISC. XXXIX.

1 INter quamplures controversias habitas per Comitem Laurentium de Marsciano Dominum Castri Guardeæ, quarum in parte mentio habetur *sub tit. de Regalib. disc.* 146. *& sub tit. de servit. disc.* 36. omnium prior, circa meæ professionis initia fuit ista, quod facta per aliquos dicti Castri incolas alienatione quorundam prædiorum rusticorum in forenses, absque consensu dicti Comitis, prohibentis idcirco dictarum alienationum effectum, incertum est, an ex parte venditorum, vel ex illa emptorum, recursus habitus fuerit ad Sacram Consultam, quæ vere magnum, ac nunquam satis commendabile Tribunal est,
2 ad refrænandum Baronum, & Domicillorum, ac etiam Gubernatorum, aliorumque concussiones in vassallos, & subditos, quibus tamen quandoque ex benignis, ac promptis istius Tribunalis auribus nimia licentia usque ad petulantiam conceditur, ideoque dicere consuevi, quod eadem vigilantia, quæ habetur, ne vassalli opprimantur a Baronibus, ita a converso haberi deberet, ne Barones condemnantur, vel inquietentur a vassallis, puniendo quandoque indebita recurrentes.

In hac igitur disputatione, pro dictarum alienationum prohibitione, seu invaliditate, processum fuit cum fundamento Statutorum Civitatis *Castri*, de cujus districtu, vel membris fuisse antiquitus illud Oppidum, seu Castrum Guardeæ, pro certo supponebatur, ideoque dicebatur intrare receptam, & quotidianam propositionem, ex theor. Bart. *in l.* 1. *n.* 41. C. *quæ sit longa consuetudo*, ut Statutum Civitatis dominantis, quoties non accedat in-
3 compatibile Statutum particulare, servari debeat in locis Comitatus, vel districtus, ut passim habemus de Statuto Urbis, ac aliis extra controversiam, cum id non impugnaretur in abstracto.

De duobus autem in contrarium opponebatur, primo scilicet, quod ab antiquo illius Castri dismembratio a dicta Civitate cum diverso dominio sequuta esset, ex quia dicta Civitas, cum aliis Oppidis, & locis illum Statum constituentibus per Paulum III. jure feudi veri, & forte etiam Dignitatis, infeudata fuisset Duci Parmæ, istud vero Castrum per inferiores, magisque suburdinatos Domicellos, absque aliqua investitura, vel servitio feudali,
4 possessum fuisset in allodium, juxta eam impropriam, ac subordinatam allodialitatem, de qua pluries habetur *sub tit. de feudis*, & consequenter, quod dicta Statuta attendenda non essent, ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur apud Frauch. & Adden. *dec.* 129. Gizzarell. *dec.* 24. Rovit. *dec.* 11. apud quos cæteri, de Castris, seu Pagis, alias Casalibus sub diversa jurisdictione, vel dominio, a Civitate, seu loco dominanti, ejusque antiqua jurisdictione dismembratis.

5 Et secundo, quod ubi etiam dictum Statutum attendi deberet, adhuc tamen, cum in hac parte esset contra jus, atque ab ejus dispositione exorbitans, utpote impediens libertatem derivantem ex dispositione textus *in l. dudum, Cod. de contrah. empt.* ob cujus dispositionem, ex magis communi, ac recepta opinione, de qua pluries *sub tit. de servit. ad materiam retractus*, jus congrui etiam vicinitatis, vel sanguinis reputatur odiosum, & contra jus.

Hinc proinde resultat, quod Civitatibus, vel Dominis 6
recognoscentibus Superiorem, non competit facultas condendi hujusmodi Statuta, idque si generaliter de jure procedit, multo magis in Statu Ecclesiastico ex Constitutione Ægydiana, ex deductis apud Buratt. *dec.* 6. & advertitur alibi pluries, præsertim *sub tit. de success.* ubi magis de hac Statutorum materia agitur.

Et in his præcisis terminis hujusmodi Statutorum pro- 7
hibentium alienationes in forenses, quod fieri non possint per Dominos, vel Civitates subditas absque Apostolica auctoritate, quæ debet esse expressa, & specifica, & non sufficit in forma communi, minusque illa præsumpta, quæ resultat a longissimi temporis decursu, plena probat Gratian. *discept.* 245. *n.* 37. *cum seqq.*

His tamen non obstantibus, Scribens pro Comite, con- 8
trarium verius esse dicebam, atque ad objecta respondendo, quatenus ad primum pertinet, advertebam sub quæstione esse, an mutatio jurisdictionis importet mutationem territorii, & cessationem subjectionis legum, & Statutorum, ex deductis per Felin. *in cap. cum causam, de probat. nu.* 12. a Pont *cons.* 65. *num.* 6. plena Cyriac. *controv.* 477. *prima*, *n.* 18. ubi de oppido *Carpi*, quod prius erat de jurisdictione, seu districtu Ferrariæ, postea effectum est de dominio Ducis Mutinæ, ibique elaborate de more multos colligit, præsertim Consulentes, firmantes, ut non obstante diversitate dominii, vel jurisdictionis, adhuc vim habeant, ac servari debeant Statuta Civitatis dominantis, quod etiam probabilius esse patet ex eisdem supra in objectum allegatis.

Ac propterea quicquid esset de articulo generaliter, ac 9
abstracte considerato in solo puncto juris, absque alio facti fomento, dicebam sufficere, ut id esset dubium, ac disputabile, ut propterea deferendum esse observantiæ in omni materia ambigua optimæ interpreti, ex iis, quæ ultra generalia habentur apud Cyriac. *d. controv.* 477. *n.* 58.

Quovero ad alterum objectum, negabam dictum assumptum a Gratian. *ubi sup.* præsuppositum, quod hujusmodi Statuta essent exorbitantia, ac odiosa, cum potius juri conformia videantur, ac favorabilia, ut probare videtur idem text. *in l. dudum, Cod. de contrah. empt. in fine*, & melius probat textus *in l.* 1. *C. non licere habitatoribus Metrocomiæ, lib.* 11.

Ideoque licet sub quæstione sit, an hujusmodi Statuta sint odiosa, vel favorabilia censeri debeant, diversæque habeantur opiniones hinc inde, attamen forte magis communis videtur ea, quæ favori potius assistit, ratione publicæ utilitatis, & congruæ rationis, ut Civitates, & loca hominibus impleantur, illique bona obtineant, qui ejusdem loca onera supportant, ex deductis per Surdum *cons.* 2. *n.* 33. Barbat. *cons.* 43. *n.* 11. *& seqq. lib.* 1. Rota *dec.* 251. *n.* 5. *&* 6. *p.* 8. *rec.* & habetur *sub tit. de Regal. disc.* 77. *&* 83. ac alibi.

Unde propterea plurium est sententia collectorum per 12
Carol. de Grass. *de eff. cler.* 2. *n.* 377. cum aliis relatis per Rotam *dec.* 157. *nu.* 25. *& seqq. p.* 11. *rec.* ut hujusmodi Statuta tanquam rationabilia, & favorabilia, etiam Clericos, & Ecclesiasticos forenses comprehendant.

Et quamvis præsertim in Rota, & Curia sequente opinionem Canonistarum, ac Moralium, recepta sit contraria opinio, ut advertitur *d. dec.* 157. *n.* 23. *& seqq.* ubi referuntur Ciarlin. *contr.* 23. *n.* 39. *&* 40. Cyriac. *controv.* 205. *n.* 156. *& seqq.* & alii, præsertim P. del Bene *de Immun. to.* 1. *c.* 8. *dub.* 11. *sect.* 1. *n.* 10. *& seqq.* (qui magnum cumulum auctoritatum elaborare facit) attamen id non provenit ratione odibilitatis, vel exorbitantiæ Statuti, sed ratione defectus jurisdictionis, & potestatis laicalis in Clericos, & Ecclesiasticos, unde propterea (quicquid laici teneant) Curia Romana firmiter tenat, ut publicus favor, impellere quidem debeat Ecclesiasticos ad observandum Statuta, vel edicta laicalia, ex vi directiva, non autem coactiva, ut alibi advertitur.

Clarius vero dicebam, ut extra controversiam recipienda 13
esset hæc opinio, quod hujusmodi Statuta prohibentia alienationem in forenses exorbitantia, & juri contraria dici non debeant in Statu Ecclesiastico, stantibus Apostolicis Constitutionibus, licet enim in ea quæstione, an cessante Statuto particulari, sub nomine juris communis veniat Statutum generale loci dominantis, vel potius commune Romanorum, magis communis, ac recepta opinio sit, ut veniat istud posterius, ex collectis per Add. *ad dec.* 378. *p.* 4. *rec. to.* 1. *ex n.* 8. *dec.* 178. *p.* 5. *rec.* Buratt. *dec.* 332. *n.* 11. *dec.* 198. post Mer-

lin.

lin. de legit. Attamen id procedit, ubi agitur de Statutis particularibus alicujus Civitatis, quamvis dominantis, quæ tamen respectu Principis sit subdita, unde contineant jus municipale restrictum intra proprium territorium, vel districtum, secus autem, ubi agitur de lege universali edita per
14 Principem in toto ejus Regno, vel Imperio, quoniam tunc dicitur jus commune potius, quam municipale, ideoque non cadit sub propositionibus, quas in materia Statutorum habemus, ut bene advertitur apud Ruvit. *dec. 78. n. 5.* illudque est unum ex æquivocis, in quæ frequenter nudi pragmatici absque elio ratiocinio in sola doctrinarum littera ambulantes, incidere solent, ut etiam alibi advertitur.

15 Præterea cum supponeretur illud esse Statutum antiquissimum ab immemorabili tempora servatum, ita advertebam omnem cessare difficultatem, licet enim vera sit propositio, de qua apud Gratian. *ubi sup.* & apud Burat. & Adden. *d. dec. 6. & frequenter*, ut Statutorum confirmatio præsumpta, quæ resultat a lapsu longissimi temporis, censenda veniat in forma communi, ideoque operativa non sit in odiosis, ac expresse a jure exorbitantibus, secus tamen dicendum est, ubi accedat immemorabilis, vel centenaria, ex vero, & recepto principio, de quo in præcedentibus, *hoc eod. tit. & alibi frequenter*, quod vigore centenariæ, certius vero immemorabilis, allegari potest quicumque titulus de mundo melior absque necessitate illum justificandi, & consequenter, quod recte allegari posset auctoritas Apostolica in forma specifica, omnique modo meliori.

Occasione autem aliarum controversiarum inter istum Domicellum, & vassallos, de quibus *d. disc. 146. de Regal. & disc. 36. de serv.* post plures annos disputatatum adverti, ita quamvis præmissa fundamenta etiam subsisterent, error tamen fuit se restringere ad hæc generalia cujuscumque Baroni, seu Domicello convenientia in sola ratione jurisdictionali, negligere vero solidius motivum, ad quod forte reflexio habita non fuit, ob deficientem magis distinctam facti notitiam occasione aliarum subsequentium controversiarum postmodum habitam super hujus dominii qualitate.

16 Cum etenim ex deductis locis proxime citatis, Dominus hujus Castri non habeat solum dominium Baronale, seu Jurisdictionale, sed etiam illud plenum, ac privatum totius territorii, adeout cives, & incolæ, aliique privata prædia, & bona ibi possidentes, quoddam dominium utile, vel subalternum, per quandam coloniæ speciem habere videantur, hinc proinde stante dicta antiqua observantia, absque necessitate recurrendi ad dictum Statutum Civitatis alias dominantis, fundamentum recte constitui poterat in allegatione propriarum legum, quas etiam jure privato Dominus hujusmodi colonis, & vassallis adjicere potuit, quomodo scilicet ista bona obtinere deberent, cum ita non dicatur statui contra jus, prohibendo Dominis naturalem libertatem, istamque servitutem imponendo, sed potius rei suæ legem adjicere, juxta ea, quæ habentur pluries *sub tit. de feud.* ad materiam incapacitatis Clericorum, & Ecclesiasticorum, quod licet aliqui credant leges feudales, vel alias hujusmodi incapacitatem inducentes, Ecclesiasticæ libertati adversari, contrarium tamen verius est ex jam dicta ratione.

17 Et ob quam, *disc. 72. de feud. & disc. 149. de Regal.* habetur ut Barones, vel Domicelli, quamvis inferiores, vel respective Principes laici, habeant jus succedendi in bonis vacantibus, ubi de eorum directo dominio sint, ad quod conferunt ea, quæ habentur pluries *sub tit. de emphyt.* super valida exclusione, seu incapacitate Ecclesiarum, & piorum locorum, absque eo, quod Ecclesiasticæ libertati adversetur, cum similibus.

De his autem Statutis prohibentibus alienationem in forenses, plura habentur *sub tit. de dote, disc. 149.* ubi de puncto, an comprehendant contractum dotis.

ADNOT. AD DISC. XXXIX.

De prohibita alienatione ip forenses agitur, *disc. 77. & 83. de regal. & hoc eod. tit. de alien. disc. 69.*

BONONIEN. PRIMOGENITURÆ DE FONTANIS, PRO MARCHIONE LUDOVICO FONTANA, CUM CLAUDIO FRATRE.

Casus decisus per Rotam pro Ludovico.

De prohibita alienatione rei litigiosæ, an, & quando, & ad quos effectus procedat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series remissive.*
2 *De materia vitii litigiosi.*
3 *Resolutiones causæ.*
4 *Distinguuntur effectus circa vitium litigiosi.*
5 *Quando verum litigiosi vitium contrahatur, etiamsi lis esset in possessorio, vel actione personali.*
6 *Et de alienatione in fraudem paratæ exequutionis.*
7 *An facta alienatione lite pendente in Clericum, recta via fiat contra eum exequutio?*
8 *De requisitis necessariis ad contrahendum verum vitium litigiosi.*
9 *Quare sint rari casus vere litigiosi vitii.*
10 *Quando requiratur fraus consilii, vel sufficiat illa præjudicii.*
11 *An causa dotis faciat cessare vitium litigiosi?*
12 *Quando dictum vitium vere contrahatur, & per quam litem.*
13 *Provisionales sententiæ ad alium effectum, non inducunt vitium litigiosi.*
14 *Erectio primogenituræ cum justa causa excludit fraudem.*
15 *De alienatione in potentiorem.*
16 *Quomodo procedendum sit circa doctrinarum applicationem.*

D I S C. XL.

Retenta facti serie, de qua *sub tit. de fideicom. disc. 157.* 1 *& sub tit. de feud. disc. 46.* super controversiis inter hos fratres habitis, ex ibi deductis, inter alias exceptiones quæ ex parte Claudii dabantur adversus applicationem controversorum bonorum, quam Joannes Maria contendentium pater fecerat ad favorem primogenituræ, fuit illa nullitatis resultantis a vitio litigiosi, ex dispositione text. in *l. fin. Cod. de litigios.* stante lite, quæ de tempore ejusdem assignationis pendebat inter dictum Jo: Mariam, & ipsum Claudium super his bonis sibi pro ejus alimentis de ordine Rotæ assignatis, unde propterea Scribentes pro oppositore, cum longo apparatu deducebant ea, quæ ad hanc litigiosi materiam habentur per Civilistas *in d. l. fi.* & per Canonistas *in capit. 2. de alien. mutan. jud. caus.* Covar. *practicar.* 2 *cap. 15.* Sperell. *dec. 7.* Rot. *dec. 70. & 71.* post Salgad. *in labyrint.* quæ sunt repetitæ *dec. 268. & 339. part. 10. rec. & dec. 209.* coram Rojas *repetit. dec. 165.* apud Pulth. *de subhast.* In quibus firmatur, quod ubi etiam lis esset in possessorio, adhuc id sufficeret, quoniam licet in ipsa re ejusque proprietate verum litigiosi vitium non contrahatur, adhuc tamen ipsa possessio effici dicitur litigiosa, idemque vitium imprimi ipsi possessioni, unde propterea idem deberet resultare effectus.

Scribens Ego pro Ludovico fratre primogenito, qui ex juribus primogenituræ, in vim dictæ assignationis, judicium associationis ad bona prædicta instituerat, (etiam cum sensu veritatis,) dicebam prorsus improbabilem esse hanc 3 exceptionem, nulli penitus juridico fundamento innixam, ideoque merito per Rotam neglecta fuit in disputatione habita sub die 10. Martii 1662. coram Albergato, unde propterea in aliis disputationibus postmodum habitis super aliis punctis, de quibus *d. disc. 46. de feud. & disc. 157. de fideicom.* Scribentes pro dicto oppositore acquieverunt, neque amplius de hoc puncto actum fuit.

Ad tollenda vero æquivoca, cum quibus procedi ostendebant auctoritates, quas non distinguendo casus, vel effectus, iidem Scribentes allegabant in confuso, advertebam quod, ultra alios effectus pœnales, quorum usam 4 praxis forensis forte nunquam docuit, quatenus pertinet ad effectus civiles inter ipsos collitigantes, illi duo sunt, primo scilicet circa ordinem judicii, & an favore collitigantis recta via exequi possit contra tertium, in quem facta sit alienatio, eo modo, quo posset contra ipsum, qui alienationem fecit, vel potius oporteat agere in Judicio ordinario rescissorio, & secundo circa nullitatem actus, aliaque pœnalia disposita per text. *in d. l. fin. Cod. de litigios. & in authentica de litigios.*

Ad primum effectum, admittebam tanquam veram dictam propositionem, quod scilicet, (quicquid Scribentes 5 variaverint in terminis juris communis, ac etiam Regnicolæ in terminis *c. Conventus*, ea deductis apud supra allegatos, & Jo: Ant. de Nigris, alias Campagn. *in eod. c. Conventus*, Franch. *dec. 464. & 545.* Rovit. *in rubr. pragm. 1. de instan. caus. non restauran. & dec. 74. num. 8. & 9.* Capyc. Latr.

decis. 170. Duran. *decis.* 364. apud quos alii super puncto, an per actionem hypothecariam, aliaque interdicta possessoria litigiosi vitium contrahatur necne,) verius, magisque receptum est, non requiri verum, ac formale vitium ad rigorosos terminos text. *in d. l. finali*, sed sufficere, quod ut supra, ipsa possessio sub lite sit, juxta plene deducta *in allegata dec.* 209. Rojas *repetit.* apud Post. *de subhast. dec.* 165. *in dictis dec.* 168. & 239. *par.* 10. *rec. repetit.* post Salgad. *in labyr. dec.* 70. & 71. quæ videntur in materia magistrales, 6 in quibus etiam insinuantur ea, quæ disputata habentur apud Duran. *d. dec.* 364. Borat. *dec.* 627. & 917. an scilicet, & quando dicatur adesse fraus necne, pro impedienda immixuti executione, quæ ita directe contra tertium fieri valeat.

Et ad quem effectum intrat etiam nodosa quæstio inter Canonistas, & Civilistas, sive Ecclesiasticos, & sæculares, 7 ubi alienatio fieret in Clericum, vel Ecclesiam, aut alias privilegiatum, ac diversi Fori, an directe ab eodem Judice laico, coram quo pendebat lis, qua pendente alienatio facta sit, executio fieri valeat, aliquibus affirmativam simpliciter tenentibus, quasi quod ita bona preventa sint, alii autem ita tenaciter negativam tenentibus, ut potent novum judicium rescissorium ex integro necessarium esse, & aliis probabilius mediam viam discrete tenentibus, atque utriusque opinionis conciliativam, seu moderativam, ut scilicet non possit quidem Judex laicus directe, ac auctoritate sua exequi, sed fieri debeat cum brachio, vel auctoritate Judicis Ecclesiastici, in processu tamen summario, qui in imparritione brachii, sive executione adhiberi solet absque necessitate dicti judicii rescissorii, ex deductis apud allegatos, & præsertim *in d. disc.* 7. Sperell.

Quicquid autem sit de his ita obiter insinuatis, ad effectum elucidandi æquivocum, super incongrua applicatione prædictarum, ac similium decisionum, & auctoritatum hunc effectum percutientium, quæ consarcinabantur, & de quibus forte habebitur in sua materia *sub tit. de judiciis*, illa extranea remanebant a casu controversiæ vertentis super secundo effectu pœnarum inductarum per text. *in d. l. finali*, & *in d. auth.* inter quas illa invaliditatis actus recenseri solet.

8 Ad hunc autem effectum, duo copulative desiderantur, primo scilicet, ut verum, ac formale vitium litigiosi contractum sit in ipsis bonis, quæ ita alienari prohibita sint, & secundo, ut nulla concurrat legitima causa, quæ id licitum reddat, sive ab hoc dicto excuset, unde propterea, vel sit unus de casibus in eadem lege finali exceptis, vel quod sit similis, cui eadem ratio congruat, ut patet ex su-9 pra allegatis, & plene *in dec.* 173. 228. & 282. *part.* 7. *rec.* & apud Merlin. *dec.* 779. quæ omnes in eadem causa editæ ex professo in hac materia litigiosi videntur magistrales.

Hinc proinde rari sunt casus, in quibus hic secundus effectus in praxi verificetur, nimiumque raræ sunt disputationes forenses in hoc puncto, cum frequentiores esse soleant in altero.

10 Cum ea notabili quoque differentia inter unum casum, & alterum, quod scilicet (quicquid aliqui hos terminos involvendo dixerint) requisitum fraudis expressæ, vel præsumptæ desiderandum veniat ad hunc effectum pœnalem, pro quo præsupponendum est delictum, sine quo danda non est pœna, secus autem ad primum, quoniam cum ille non intret ratione pœnæ, sed ratione præjudicii collitigantis, ne ejus conditio deterior fiat, atque judicium reddatur elusorium, cum tunc id non requiretur, ut cæteris relatis advertunt Capyc. Latr. *d. decis.* 170. *num.* 70. & Geleot. *lib.* 1. *controv.* 2. *n.* 23. Quoniam ut advertitur *sub tit. de feudis, disc.* 1. *sub tit. de credito*, & *sub altero de dote*, *ac alibi*, attenditur sola fraus præjudicii, sive re ipsa, non curata fraude consilii, cum nihil referat illius, cui præjudicium resultat, an actus bono, vel malo animo fiat, si quomodocumque sequatur damnum, ac præjudicium alteri causet.

11 Hinc propterea ea, quæ plene disputantur per Scribentes in materia dotis, cujus causa excepta est *in d. l. finali*, ex deductis post antiquiores per Fontanell. *de pact. clausul.* 6. *gloss.* 1. *part.* 3. *num.* 49. a Pont. *cons.* 101. *num.* 7. *lib.* 2. Cancer. *variar. resolut. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 51. & *seqq.* Amat. *variar. resolut. cap.* 45. *n.* 12. late Prat. *discept.* 13. *num.* 76. *cum seq. lib.* 1. & Rota *in d. dec.* 268. & 339. *par.* 10. *rec.* & *dec.* 183. *par.* 11. an scilicet procedant in dote constituenda, vel restituenda ea necessitate, puta quia ipsamet mulier possidens nubat, vel ille, qui dotare tenetur, hunc actum faciat, & an requiratur alterum requisitum subsidii, juxta terminos text. *Auth. res quæ, Cod. commun. de legat.* ut credit una opinio reprobata per Rotam apud Duran. *dec.* 281. *num.* 9. & *dict. dec.* 183. *par.* 11. *rec.* Illud certum, ut videtur titulus dotis, aut similis, vel quia generaliter per legem exceptus sit, vel quia regulariter honestus, ac probabilis reputetur, indefinite excuset a secundo effectu, quoties vere non constet de dolo, & positiva collusione.

Utrumque autem requisitum in hac facti specie deficere observabam, quoniam ad hunc rigorosum effectum, de quo propriæ dicta jura loquuntur, non sufficit actio personalis, minusque in rem scripta, vel judicium possessorium, sed præcise requiritur, quod principaliter agatur de ipsorum bonorum dominio, ac pertinentia, seu adjudicatione in 12 judicio rei vendicationis, vel æquipollenti, ut de magis vera, & recepta sententia patet apud allegatos, ac etiam habetur per Rot. apud Merlin. *d. dec.* 799. *nu.* 3. *cum seqq. dec.* 245. *par.* 11. *rec. dec.* 157. *part.* 10. & *dec.* 381. *part.* 12. & *sæpius* & conferunt quæ habentur *sub tit. de beneficiis*, *disc.* 92. ad materiam hujus vitii litigiosi, quod in beneficio contrahitur ad effectum præsertim reservationis resultantis *a cap.* 1. & 2. *ut lite pendente in* 6. Secus autem ad alios effectus, illum præsertim regulæ *de triennali* &c.

Id autem in facti specie non verificabatur, cum inter patrem, & filium nulla adesset lis super bonorum dominio, vel pertinentia, sed solum super alimentis, quæ Rota pru- 13 denter ad tollendam discordiarum occasionem provisionaliter decrevit, ut filius manu sua, non autem ab illa patris obtinere deberet ex fructibus paternorum bonorum ad hunc effectum assignatorum, unde propterea nullum jus in re, nec ad rem filio quæsitum, vel sub lite erat, sed solum provisionalis commoditas, ut nudi facti, ideoque litigiosi vitium nec quidem remote cadebat.

Prout deficiebat alterum cessantis justæ causæ, unde propterea actus præsumptam fraudem redoleret, dum applicatio bonorum facta erat pro impinguatione primogenituræ, quæ justa, & rationabilis causa in jure reputatur, adeout ex Molina, & aliis relatis, Rota *dec.* 182. apud Otthobon. & *dec.* 23. *par.* 11. *rec.* responderet esse causam sufficientem ad 14 sustinendum actum gestum a muliere ex Statuto Urbis 151. absque solemnitatibus, & causa utili, vel non damnosa alienare, sin alias contrahere prohibita, ut pluries in præcedentibus advertitur, clarius vero, quia eadem applicatio potius necessaria, quam voluntaria videbatur, pro reintegratione scilicet ejusdem primogenituræ, ac in recognitionem veritatis, propriæque obligationis, ut advertitur in facti serie, de qua *disc.* 46. *de feud.*

Neque cadebat circumstantia majoris potentiæ plene expensa in dictis decisionibus 173. 228. & 282. *par.* 7. *rec.* & apud Merlin. *d. dec.* 799. ideoq; ex pluribus planum 15 remanebat, quod istud vitium litigiosi non adesset ad hunc secundum criminosum, ac successive pœnalem effectum, & consequenter illa quæstio tanta dote digna non videbatur. De his tamen, non incongrue, ac citra evagationem (a laudabili Curiæ stylo, ac a proprio genio abhorritam) actum fuit, ad dilucidanda æquivoca, cum quibus procedi per alteram partem ostendebant dictæ decisiones, & auctoritates, quæ desuper cumulabantur, 16 ut ita edoceamur id, quod adeo frequenter (& merito,) mea est dicendi consuetudo, quod tota vis consistat in distinctione casuum, seu effectuum, quibus agitur, & ex qua congrua, vel incongrua applicatio resultat.

ADNOT. AD DISC. XL.

De hac materia alienationis rei litigiosæ, & quando vitium litigiosi contractum dicatur, habetur plene actum *sub tit. de Judic. disc.* 40. *tit. de benef. disc.* 92.

ROMANA SALVIANI, PRO ZECCADORIS, CUM TAURINIS.

Casus decisus per Rotam pro Taurinis.

De contractu facto per carceratum ad favorem carcerantis, vel ejus, ad cujus instantiam carceratio sequuta est, an, & quando valeat necne?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causa.*
3 *Salvianum non datur sine credito cum hypotheca.*
4 *De distinctione, quando contractus factus in carcere valeat necne.*

5 *Quid*

5 *Quod sit onus allegantis justitiam, illam probare.*
6 *Contrarium verius, & de ratione.*
7 *Ut semper sit onus allegantis aliquid pro fundamento intentionis.*
8 *Præsumptio justitiæ est ubi accedit decretum Judicis.*
9 *Decretum Judicis, quid in hac materia operetur.*
10 *Quod non incret delictum, ubi hæres non integre describat bona in inventario, & de illius introductione.*
11 *Quanam pœna incret ob non integram descriptionem in inventario, an amissionis beneficii, vel dupli.*
12 *In hærede non datur crimen expilatæ hæreditatis.*
13 *De motivo resolutionis ob aliam fraudem.*
14 *An stent simul, quod carceratio sit justa, & carceratus relaxetur sine pœna?*
15 *Cautela contrahendi extra carceres non prodest.*
16 *De invalida resignatione beneficii facta in carcere.*

D I S C. XLI.

1 CUm Conventini essent creditores hæreditatis Francisci Zoccadori, prætendentes, quod Michael Angelus frater, & hæredes, in eorum præjudicium male dictam hæreditatem adiisset, ac administrasset, hinc illud in judicio criminali de tribus querelarunt, primo scilicet de omissione plurium bonorum hæreditariorum in inventario, secundo de expilata hæreditate, & tertio de fraudulenta submissione aliquorum creditorum anteriorum hæreditatis non debitricis, cum ea debita vere spectarent ad ipsum Michaelem Angelum, qui bonam fidem recognoverat, quare ex his causis in carcerem redactus, ut ab eis se liberaret, de proprio (ita etiam Judice decernente) obligationem fecit solvendi dictum debitum, quamvis vires hæreditariæ non sufficerent, hujusque obligationis vigore dicti creditores judicium Salviani intentarunt super bonis per eundem Michaelem Angelum ejus filiis assignatis, præsertim Episcopo Forosemproniensi occasione assumptionis Prælaturæ, in munere Referendarii utriusque Signaturæ, at-
2 que introducta causa in Rota coram Arguelles, ad eorundem creditorum favorem resolutiones prodierunt sub diebus 12. Januarii 1646. & 26. Februarii 1649. quarum prima est impressa post Merlin. *de pignor. dec.* 118. & altera *in dec.* 288. *par.* 10. *rec.*

3 In hujusmodi autem disputationibus nulla quæstio erat super aliis hujus judicii extremis, sed tota erat super validitate, vel invaliditate obligationis, ex qua pendebat creditum, sine quo hypotheca munitum, indubitatum est non competere Salvianum, cujus essentiale fundamentum est creditum cum hypotheca.

Cumque dictæ obligationis infectio ex hac parte deduceretur, ex eo quod facta esset in carcere ad favorem ejus, qui carcerationem procuraverat, juxta terminos textus *in l. qui in carcere, ff. de eo, quod metus causa, cum ibi notatis*, hinc proinde tota quæstio fuit super dictæ carcerationis justitiæ, vel injustitiæ, ex qua circumstantia id pendet.

4 Quicquid enim antiquiores in hoc variaverint, hodie recepta, & extra controversiam videtur in hac materia juris theorica, ut dispositio tex. *in l. qui in carcere*, super invaliditate actus facti per carceratum (non accedentibus aliis circumstantiis dolum, vel positivam violentiam redolentibus) pendeat a justitia, vel injustitia carcerationis, ut ea injusta existente, actus dicatur per vim, & metum initus, ideoque invalidus, ut plene, cæteris relatis, Scannar. *de visit. carcer. lib.* 1. *sect.* 2. *per tot. cap.* 2. Vermigl. *cons.* 178. *n.* 2. *& seqq.* Rota apud Merlin. *decis.* 306. *repetit. dec.* 26. *part.* 6. *recent.* Otthobon. *dec.* 205. *repetit. dec.* 20. *&* 448. *par.* 6. *recent.* & admittitur in hujus causæ decisionibus, ac in aliis frequenter, adeout illa videatur potius quæstio facti, & applicationis, quam juris, quando scilicet injustitia adesse dicatur, & cuinam incumbat onus probandi unam, vel alteram qualitatem.

5 Quamvis autem Ego, & cæteri Scribentes pro reis conventis insisteremus, ut onus esset actorum probare carcerationis justitiam, cum illa fundata esset in prætenso dolo commisso in occultatione bonorum hæreditariorum, & fortius in dictæ minus vera suppositione creditorum, ut prætendebatur dolose, ac in fraudem factæ, innitentes regulæ textus *in l. dolum, Cod. de dolo*, de qua cæteris relatis Farinacc. *de pœnis quæst.* 89. Menoch. *lib.* 5. *præsump.* 3. Rota apud Gregor. *dec.* 169. *& passim*, ut dolus, vel fraus in dubio non præsumatur, sed perspicuis probationibus justificari debeat.

6 Reflectendo tamen ad veritatem, agnoscebam contrarium esse verius plene firmatum d. dec. 306. *Mellini*, alias *dec.* 26. *part.* 6. *recent.* tum quia in omnibus aliis supra deductis proceditur, ut onus sit allegantis nullitatem actus ob carcerationis injustitiam, illam probare, tum ex recepta propositione, ut in dubio præsumptio sit pro facto Judicis, tum etiam, quia ubi actor bene ejus intentionem fundavit cum publico instrumento faciente probationem probatam, reus, qui per exceptionem dictam actionem elidere vult, in ea dicatur actor, ideoque concludentis probationis onere premitur, ex deductis apud Gregor. *dec.* 228. *& passim*, cumque non omnis carceratio ita simpliciter sumpta hunc effectum causet, sed illa, quæ ratione injustitiæ tyrannica, & concussive dici meretur, & sic ratione certæ qualitatis, hinc proinde onus est allegantis talem qualitatem pro fundamento intentionis eam probare, juxta veram, ac probabilem distinctionem, cum qua rejecta opinionum varietate, passim procedit Curia Romana inter actorem, & reum, sive inter eum, qui ha- 7
bet pro se præsumptionem validitatis actus jam gesti, & illum, qui venit infringendo, ut præsertim ad materiam alienationis bonorum fideicommissi ex causa dotis, vel aliarum detractionum advertitur pluries *sub tit. de fideicommissis, & sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 145.

Igitur Mihi quamvis succumbenti justæ, ac probabiles 8
dictæ resolutiones visæ sunt, super hujusmodi propositione, quod scilicet hujus partis excipientis de invaliditate obligationis, utpote sectæ per injuste carceratum, onus esset hanc injustitiam probare concludenter, potissime vero, & clarius, quia eadem obligatio facta erat in executionem sententiæ Judicis criminalis, qui sub illa conditione carceratum relaxavit.

Illa etenim circumstantia, habitum boni, ac respective 9
mali habet, quoniam ubi de injustitia carcerationis constat, fortius id concludit metum, & concussionem, nedum e parte, sed etiam e Judice, sed e converso magis obligat ad onus probationis, ob præsumptionem, quæ facto Judicis in dubio assistit, dum ita duplex factum concurrit; unum carcerationis, cui minor præsumptio assistit, utpote magis immaturo, quod sæpius inconsiderate geri solet, ex indiciis, & suspicionibus, & alterum magis maturum, quod compilato processu resultat a sententia, vel decreto.

Quare assumpta ex hac parte provincia docendi de in- 10
justitia, ex tribus prætensis criminibus, pro quibus querela, ac respective carceratio sequuta fuerat, in duobus facile fuit injustitiam convincere, primo scilicet circa dolosam non descriptionem aliquorum bonorum in inventario, & secundo circa expilatæ hæreditatis crimen; quatenus enim pertinet ad primum nullibi in jure cautum esse dicebam, ut hæres, etiam malitiose, & affectate omittens conficere inventarium integrum, convinci valeat de crimine ad effectum punitionis personalis; jus etenim antiquum, ac medium, vel novum *Digestorum*, *Codicis*, *Institutionum* non cognovit hoc inventarium hæreditarium, sed hæredi concedebat annum ad deliberandum, intra quem de statu, ac viribus hæreditatis certior factus deliberare posset, an expediret hæreditatem adire, vel repudiare, eoque adeunte, ita ejus persona, & bona confundebantur cum persona, & bonis defuncti, quod (excepto præjudicio tertii, cui in ejus bonis jus jam quæsitum esset) una, & eadem persona cum defuncto, unumque, ac idem utrumque patrimonium reputaretur, quoad universum jus activum, & passivum, omniaque onera quantumvis hæreditatis vires excedentia.

Verum, quia id plura producebat inconvenientia, ipsis hæredibus, ac respective hæreditaribus, eorumque creditoribus præjudicialia, quod scilicet intra annum perfecta æris alieni, ac onerum notitia non habebatur, cum forte creditores hæreditatem suspectam habentes, ita studiose propria debita occultare affectabant, ut hæredem quoque, ejusque bona obligata haberent, unde hæreditatis beneficium in maleficium, ac proprii patrimonii perniciem redundabat, & e converso aliqui hæredes, sub hoc prætextu deliberandi infra annum, bona præsertim mobilia occupando, & occultando, postea in fine in fraudem creditorum, vel legatariorum repudiabant.

Hinc proinde *Justinianus* condidit legem registratam *in l. fin. C. de jur. deliber.* introducendo inventarii beneficium, quo mediante hæres ita tutus redderetur, quatenus illud legitime ac valide conficiat, ac propterea eo nullatenus, vel male conficiente, ut pluries advertitur *dict. tit. de credito*, & in altero *de hærede*, *& alibi*, nullam hæres incurrit pœnam, vel delictum committit, sed solum non potuit hoc

beneficio ita qualificato concesso, eo remanente in terminis antiquis antedictæ legis editionem, non enim ex eo quod quis obtinere potest aliquod privilegium, quatenus certam formam servet, si ista male servata sit, adeout privilegio indignus reddatur, exinde dicendum est, quod commiserit delictum punibile, solum etenim magna contra eum resultat suspicio fraudis, vel occultationis, negligendo cautelam adeo proficuam, & usitatam, quoties facti circumstantiæ non suadeant, ut ex imprudentia, vel Ministrorum, & Causidicorum culpa id sequutum sit, ut in sua materia *sub tit. de hærede*.

11 Quinimmo in his terminis specialibus dolosæ occultationis vel non descriptionis aliquorum bonorum in inventario, quamvis una opinio credat exinde resultare inventarii nullitatem, & de consequenti hujus beneficii privationem, alia tamen opinio (quam uti magis benignam, Rota, & consequenter reliqua Curia sequitur) diversa est, ut scilicet dicta nullitas non exinde resultet, sed ad summum inferat pœnæ dupli ejus, quod amissum est, ut plene discusso articulo firmatur *in dec. 181. par. 6. rec.* & advertitur in dictis respective materiis *de credito, & de hærede*.

12 Idem pariter procedit in alio accusationis capite expilatæ hæreditatis, cujus crimen recte intrat contra eos, qui nullum jus in hæreditate habentes in præjudicium hæredis, ac aliorum in hæreditate jus habentium, bona hæreditaria occupant, atque hæreditatem expilant, nullatenus autem cadit in ipso hærede, qui tanquam Dominus disposuit de bonis suis; ideoque aliud ex clandestino modo disponendi non resultat, nisi juxta magis rigorosam opinionem, privatio dicti beneficii inventarii, ut de utriusque capitis rejectione habetur in prima decisione registrata apud Merlin. *de pignor. dec.* 108. quæ in materia notabilis est in hoc puncto, ut contra hæredem non intret crimen expilatæ hæreditatis.

13 Credidit autem Rota subsistere tertium fraudulentæ suppositionis creditorum, qui erant proprii ipsius hæredis, in sequendo præcedentes resolutiones coram Carillo inter suas *dec. 156. & 168.* ubi de condemnatione ejusdem hæredis ad favorem Actorum ad damna, & interesse ob aliquas lites, & molestias exinde passas, & quidem resolutiones probabiles visæ sunt, non solum ex hoc ultimo capite, super quo nullæ fuerunt Advocatorum partes, dum totum consistebat in facto, ejusque circumstantiis, ex quibus convinci supponebatur dolum, sed etiam, quia licet per Rotam, prævia magna discussione, bene, ac fundate decisum sit, ut crimen punibile exinde non resultet, negari tamen non potest, quod ante hujusmodi formalem decisionem aliqua non improbabilis caderet dubietas; ob quam Judex ad carcerationem citra injustitiam positivam procedere potuerit, juste opinando criminalitatem intrare.

14 Ponderando quoque contra hanc partem illam circumstantiam, quam Ego, & cæteri Scribentes potius inculcabamus in contrarium, quod scilicet Judex ad aliquam condemnationem non processerit, sed contentus dicta obligatione erga accusatores, carceratum relaxaverit, quasi quod ita declaraverit non adesse delictum, quoniam ex facti circumstantiis desumebatur id sequutum esse per quandam speciem concordiæ, ab eodem carcerato oblatæ, ac desideratæ, unde propterea Judex contentus fuit (ut frequenter contigit) quod satisfacta parte interessata, ipse carcer cederet loco pœnæ.

15 Magnum item fundamentum Scribentes pro actoribus constituebant in eo, quod contractus initus esset in quadam aula Cancellarii, seu alterius Ministri ejusdem domus, ubi erant carceres, & sic extra eas, idque juxta consuetam ineptam cautelam exprimebatur; verum hoc motivum nullius momenti erat, utpote in specie in omnibus fere decisionibus supra allegatis rejectum, & præsertim *d. decis. 448. part. 9. rec. repetit.* post Zacch. *de oblig. dec.* 180. edita in causa, de qua habetur actum *sub tit. de dote disc.* 59. quoniam nil refert, ut contrahens in uno, vel in altero loco permaneat, si in plena, & omnimoda ejus libertate constitutus non est, adeout pro ejus libito possit contrahere, & non contrahere, quodque non contrahendo ad carceres denuo reduci potest, quoniam ubi etiam de facto exiret ab ipso loco ubi sunt carceres, atque ad domum propriæ habitationis accederet, ibique contraheret, sub militum tamen custodia, vel sub fidejussoribus de redeundo ad carceres, quatenus contractum non perficeret, adhuc idem est effectus, ut, cæteris relatis, advertitur in supra allegatis decisionibus, & per Scannar. *d. lib. 1. sect. 2. num. 7.* Quinimmo etiamsi dimissus esset in solo ejus verbo, ut in Magnatibus, ac Nobilibus quandoque practicari solet, quoniam tale verbum plus afficit, quam quælibet idonea cautio, vel etiam custodia militum.

Et de injusto carcere irritante quemcumque actum in eo sequutum, habetur etiam actum *sub tit. de benef. disc.* 78. ubi de invalida resignatione beneficii, vel coadjutoriæ, cum suis tamen declarationibus.

ANNOT. AD DISC. XLI. & XLII.

Agitur in his discursibus de contractibus factis per carceratos, ac respective subditos ad favorem carcerantis, vel Superioris, seu Officialis, de quo nulla alia suppetiit occasio disputandi, & solum insinuantur aliqua *disc. 59. n. 3. de dot.* Conferunt tamen deducta *sub tit. de feud. disc.* 29. in proposito quæstionis an instrumentum rogatum per Notarium Vassallum probet contra, vel ad favorem Baronis in Regno Neapolitano, ac etiam ea, quæ habentur *sub tit. de testam. disc.* 51.

Decisiones enunciatæ *in disc.* 41. sunt impressæ inter illas Arguelles *dec. 6. & 84.*

NEAPOLITANA PECUNIARIA
PRO MARINO PICCINO
CUM VINCENTIO MUSCATELO.

Casus disputatus coram A.C. & in Signatura, & resolutus pro Marino.

De valido, vel invalido contractu facto per subditum ad favorem Superioris, seu Officialis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De invalida obligatione ad favorem Judicis.*
3 *Idem ubi fiat ad favorem Notarii.*
4 *Invalida obligatio principalis carcerati est etiam nulla respectu fidejussoris.*
5 *De invalida obligatione carcerati.*
6 *De eadem conclusione, de qua n. 2. ut etiamsi ad favorem Baronis, vel alterius Superioris, qui non sit Judex.*
7 *Notarius an sit Officialis.*
8 *Quando procedat conclusio, de qua n. 3.*
9 *Et, an id idem favorem custodis carcerum?*
10 *Quando obligatio ad favorem Judicis, vel Notarii valeat.*
11 *Ex quibus cesset suspitio, quæ hanc nullitatem inducit.*
12 *De testamento, vel obligatione infirmi ad favorem Medici.*

DISC. XLII.

Deputato per Nunciaturam Neapolis Commissario, vel Auditore, juxta illius Tribunalis (nescio an usum, 1
vel abusum) ad revidendos titulos beneficiorum, eaque possidentium, in aliquibus diœcesibus, cum de stylo (quod omnibus fere Tribunalibus, etiam Urbis commune est) Scriba, vel Notarius substitutus, aliquem emolumentorum partem dare debeat Notario in capite Tribunalis, hinc ex hujusmodi participationis causa, Carolus scriba, se obligavit ad favorem Marini Notarii in certa summa, atque pro eo fidejussit Vincentius, qui pulsatus coram A.C. in vim obligationis Cameralis ad solvendum, opponebat de dictæ obligationis nullitate, ex duplici capite resultante, primo scilicet, quia facta esset in carcere ad favorem
injuste carcerantis, juxta deducta *disc. præc.* Et secundo, 2
quia per subditum ad favorem Officialis, vel Superioris, juxta dispositionem textus *in l. principalibus, ff. si certum petat. & l. 5. Cod. eod. cum concord. in ead. dec. 506. Merlini repetit. decis. 26. part. 6. recent.* quæ ut advertitur *disc. præc.* 3
reputatur in materia magistralis, sæpius in aliis canonizate, & in specialibus terminis invalidæ obligationis factæ per carceratum, vel inquisitum ad favorem Notarii deducebatur auctoritas Scannarol. *de visitat. carcer. lib. 1. cap. 3. sect. 3. num. 8.*

His autem positis, dicebatur corruere etiam obligatio- 4
nem fidejussoris, cui quamvis æque principaliter obligato conceditur eandem nullitatem allegare, tum ex regula, ut corruente obligatione principali, corruat etiam accessorie. Tum ob exceptionem cedendarum, ex iis, quæ generaliter habentur in sua materia *sub tit. de credito*, super hoc articulo, an & quando corruente obligatione principalis

palis

passa, corruat illa fidejussoris, qui tamen se tanquam correum principaliter, & in solidum se obligaverit, ut in specialibus terminis hujus nullitatis contractus facti in carcere quod suffragetur etiam fidejussori, per quem allegari valeat, cæteris relatis firmatur per Rotam apud Celsum, *dec.* 361. *num. fin.* Scannarol. *de visit. carcer. lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 18. *&* 28. *ubi concord.*

5 Scribens Ego pro Marino creditore, dicebam neutram exceptionem subsistere, nudamerito ad relaxationem mandati processum fuit, canonizati etiam per Signaturam Justitiæ cum solita clausula, *sine præjudicio*. Quatenus enim pertinet ad primum punctum carcerationis, de illa neque in genere docebatur, nisi per quandam confessionem extrajudicialem creditoris, æquivocam, & præsuppositivam, contentam in quadam epistola familiari scripta eidem fidejussori reo convento, quod scilicet in ejus gratiam, ejusque obligationis intuitu, principalem debitorem excarcerasset, quod nihil ad effectum quæstionis concludebat, quoniam ut advertitur *dict. disc. præced.* nullitas non provenit ex sola carceratione in genere, sed ex ejus qualitate injustitiæ, quæ in dubio non præsumitur, sed probanda est per eum, qui allegat nullitatem, tanquam suæ intentionis fundamentum.

6 Quo vero ad alterum motivum obligationis factæ per subditum ad favorem Officialis, dicebam, id recte procedere, quando agatur de tali Officiali, qui auctoritate sua subditum obligatum concutere valeat, adeout probabilis præsumptio vis, & metus intret, non curato, an ille in stricta juris censura, Judex, sive Officialis sit necne, ex deductis *in d. dec. Merlini*, ubi agitur de Barone, ad cujus favorem subditus carceratus se obligaverat, quoniam licet Barones non habeant jurisdictionem in exercitio, quod est penes eorum Officiales, sed illam habeant in dominio, vel habitu, unde propterea, vere, & propria non sunt Judices, vel Officiales, attamen quoad effectum, de quo agitur, sunt tales, & plus.

7 Et consequenter quicquid sit, an Notarius vere, ac proprie Officialis dicatur, ex iis, quæ disputant Regnicolæ ad interpretationem Ritus M. C. V. ut de delictis Officialium non cognoscat, nisi ipsa M. Curia, de quo apud Franch. *dec.* 407. Gizzarell. *dec.* 24. Rovit. *dec.* 72. *n.* 50. *&* 51. *& alios.*

8 Admittebam, quod ubi eadem intraret ratio, eadem quoque intrare debere juris dispositio, unde propterea, si inquisitus, & carceratus pro gravi delicto, aliquem contractum faceret ad favorem Notarii causæ, a cujus benevolentia, vel rigore bonum sperare, vel respectiva malum
9 timere poterat, tunc idem dicendum esset, quinimmo etiamsi ad favorem custodis carcerum, vel alterius, eadem intraret ratio, atque de custode agit Boss. *de carcer. n.* 23. qui reputatur in hac propositione magister, & ex eo, & aliis Scannarol. *d. lib.* 1. *sect.* 4. *num.* 8.

10 Secus autem, ubi contractus ita initus esset inter subditum, & Superiorem, quod dicta ratio non congrueret, neque timor superioritatis fuisset causa obligationis, quoniam non ex eo, quod quis reperiatur Officialis, generaliter prohibendus est contrahere cum personis sub ejus Officio, & jurisdictione existentibus, quando ipsa jurisdictio non sit causa obligationis, atque concussionis præsumptionem non inducat, ut in specie contractus initi ad favorem ejus, qui erat Gubernator patriæ alterius contrahentis, sed in proxima Civitate dominanti, ubi residebant Cardinalis Legatus, aliique majores Magistratus, advertitur per Rotam *dec.* 123. post Merlin. *de pignor. num.* 16. ubi concordantes.

11 Applicando autem ad rem (ultra quod ex hac parte in facto negabatur alterius partis præsuppositum, quod dictus principalis obligatus esset ordinarius Scriba Tribunalis, & consequenter subordinatus dicto Notario in capite) ubi etiam id subsistaret, causabat quidem quandam subordinationem ac dependentiam, non autem formalem subjectionem, adeout dici posset Superior, & Officialis, in quo caderet ratio concussionis, & alterius contractus initus erat in ipsa Civitate Neapolis, in ipsomet Palatio Nunciaturæ, in quo existunt ipse Nuncius, ejusque Auditores, aliique majores Officiales supra Notarium, neque agebatur de Inquisito criminali, qui Notarium quoque graviter timere debuisset, unde propterea dicta conclusio nullatenus intrare poterat.

12 Ideoque tam istius, quam aliarum plurium consimilium quæstionum occasione, dicere consuevi idem, quod pluries in præcedentibus advertitur, ut sc. istæ sint quæstiones potius facti, quam juris, ex facti qualitate & circumstantiis decidendæ, indagando, an verificetur necne ratio, cui juris conclusio innititur, dum etiam in Medico, & Chirurgo, ex eadem ratione idem quandoque intrat in contractu, vel testamento, seu alia dispositione infirmi, ex iis, quæ habentur *sub tit. de testam.* occasione agendi de infirmi testamento ad favorem Medici *disc.* 51.

MONOPOLITANA PECUNIARIA
PRO JOSEPHO PALMERIO,
CUM PIO PEPE.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Josepho, pendet in Rota.

An & quando obligatio filii pro patre valeat necne, & qualis metus requiratur ad annullationem, & an sufficiat metus reverentialis?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De judicio ritus M. C. V. quando locum habeat.*
3 *An sententia absolutoria vulneret processum executivum?*
4 *De distinctione inter injustitiam notoriam, &, ordinariam.*
5 *De materia metus, & quando sufficiat ad annullationem.*
6 *Qualis debeat esse metus*
7 *Quomodo in hac materia sit procedendum.*
8 *Quando facilius admittatur metus in filiis ex actibus paternis.*
9 *Filius bene agit se obligando pro patre.*
10 *Quæ regula in hoc tenenda sit.*
11 *De circumstantiis facientibus cessare suspicionem metus.*
12 *An metus reverentialis sufficiat, & quid ubi accedit læsio.*
13 *De eodem, de quo num. 7. & 10. super istius materiæ regulatione.*

D I S C. XLIII.

De anno 1660. Franciscus, & Pius, pater, & filius 1
per publicum instrumentum se constituerunt debitores Josephi in summa scut. 2770. circiter, pro variis negotiis inter eos habitis, ac pro pecuniis mutuatis, dicto autem Josepho absente, Pius coram Ordinario judicium instituit super dictæ ejus obligationis nullitate, ex eo, quod a patre per vim, & metum ad id inductus esset, atque sententiam absolutoriam in contumaciam reportavit, introductaque per appellationem causa coram A. C. ab illo (neglecta dicta sententia) in judicio executivo ex parte creditoris tanquam ex integro intentato, mandatum contra dictum Pium relaxatum fuit, suspensum tamen a Signatura, quæ ad utrumque effectum appellationis causam commisit in Rota, ubi pendat.

In disputationibus autem habitis, tam cor. A. C. quam 2
acrius in Signatura, tres fuerunt puncti, seu articuli, primo in meritis, super valida, vel invalida obligatione prædicta, secundo circa ordinem judicii, an sc. dicta sententia absolutoria vulnerasset necne viam executivam, cum præsupposito, quod in vim clausularum in instrumento contentarum, illa re integra competeret, & tertio super dictæ viæ executivæ competentia, stante quod pacta, & clausulæ habebant relationem ad Ritum Vicariæ. In primo autem & secundo, modica, ac fere nulla habita fuit difficultas, quæ tota fuit super tertio, de quo habetur actum *sub tit. de credito*, ac etiam *sub tit. de judiciis*, & incidenter *sub tit. de dote disc.* 59. an sc. & quando, contra Clericos, & in Foro Ecclesiastico, judicium executivum ad formam Ritus prædicti sit practicabile.

Eodemque *tit. de cred.* habetur de secundo puncto, an 3
sc. & quando sententia absolutoria vulneret viam executivam, atque concluditur, quod ubi accedit clarus defectus nullitatis, nullam producit vulnerationem, quæstione solum cadente, ubi agatur de solo defectu justitiæ,
quod pariter decisionem recipit a distinctione, an agatur 4
de injustitia simplici, seu ordinaria, non reparabili nisi cum ordinario remedio appellationis, vel de notoria admittente reparationem, etiam per remedia extraordinaria, & tunc secus, cum notoria injustitia nullitatem quoque pro-

ducere dicatur, eamque ista sententia absque necessitate assumendi inspectionem super injustitia, plures contineret substantiales, & claras nullitates, idcirco punctus remanere videbatur planus.

5 Quatenus ergo pertinet ad primum punctum in meritis, nulla fere juris quæstio cadebat, sed tota erat facti, ac probationis, quoniam ubi ex parte filii concludenter probatus esset metus cadens in constantem virum, ac adimens consensum ab actu, Ego scribens pro creditore, admittebam tanquam indubitatam dictam nullitatem, dum jure clara desuper habemus *tot. tit. ff. & C. de eo, quod metus causa*, ubi communiter Scribentes plene collecti per Grass. *de except. c.* 11. ubi nimium se diffundit circa metus probationem, ac circumstantias necessarias, ut dici valeat cadens in constantem virum, ac per alios, de quibus lutie agentes de metu reverentiali, & habetur actum *sub tit. de matr.* & sub altero *de regul.* cum in utriusque matrimonii carnalis, & spiritualis contractu, frequentius de hac materia metus Forum agat, in reliquis autem id nimium rarum sit.

Quamvis autem ex parte debitoris cor. Ordinario inducti essent quatuor testes absque oppositione ad partis opportunitatem per eundem præmeditatum, ac affectatum sermonem, deponentes de aliquibus minis per patrem filio illatis, ut se cum eo obligare deberet, attamen ultra plures claras, ac substantiales exceptiones, quas dicti testes patiebantur tam in persona, quam in dicto, ac etiam in nullitate examinis parte non legitime citata, unde propterea vere nulla fide digni erant.

6 Adhuc tamen, ubi omnes dictæ exceptiones cessarent, dicebam, (etiam cum sensu veritatis) quod eorum dictum quamvis verum, non concludebat ad hunc effectum, ad quem ea iis, quæ habentur collecta ap. allegatos, *& in d. tit. de matr. & regul.* requiritur metus verus cadens in constantem virum, adeout constet consensum abesse ab actu, & super qua specie probationis (quicquid Scribentes se involvant) præsertim circa minas, an earum illator esset solitus exequutioni demandare, cum similibus ponderationibus.

7 Verius tamen est, istam esse quæstionem puri facti, ex istius qualitate, ac particularibus circumstantiis decidendam, ideoque erroneum est cum regulis, vel doctrinis generalibus procedere, quoniam stant bene simul, ut in uno casu aliquæ probationes abundent, beneque concludant, in altero autem eædem ac majores non sufficiant, quia sic unius, vel respective alterius casus qualitas exigat, reflectendo ad qualitatem personarum, præsertim circa ætatem, vel sexum, seu naturam ejus, qui metum allegat, ac mores Regionis, & qualitatem ipsius contractus prudenti arbitrio, pro quo regulando, nimium quoque reflectendum est ad qualitatem creditoris, seu alterius contrahentis, & an hic in bona, vel mala fide versetur, omnia simul ponderando, non singulariter, & per partes, sed unitim cum regula in quæstionibus facti principaliter, ac perpetuo attendenda, *ut singula quæ non prosunt &c.*

8 Applicando autem ad rem, metus, ac vis præsumptio in actibus gestis per filios ad requisitionem, & commodum parentum, de facili intrat in iis, quæ statum personæ respiciunt, ut est contractus unius, vel alterius matrimonii, ut supra, cujus propria videtur hujus materiæ sedes, vel quandoque in renuntiationibus, sed ubi agitur de obligationibus fidejussoriis, quas filii faciunt pro patribus, ut illos a molestiis creditorum liberent, sive ut in eis magis faciliter commercium, quodque intuitu eorum
9 obligationis magis eis credatur, tunc præsumptio potius validitati, ac sinceritati actus assistit, quoniam laudabilem actum gerit filius, qui se obligat pro patre, ad quod ex obligatione resultante ab instinctu naturæ, & lege gratitudinis tenetur, ea deductis apud Greg. *dec.* 120. quæ tanquam magistralis passim circumfertur, ac recepta est.

10 Ideoque manifestum est pragmaticorum æquivocum, (quod tamen frequenter sum expertus) applicare hujusmodi contractibus, & obligationibus indifferentibus ea dictis motivis in gratiam patris cum terminis, illos magis suspectos terminos, quos habemus in dictis aliis casibus utriusque matrimonii, vel similibus, & e converso istos magis benignos sensus applicare dictis actibus magis suspectis, ideoque ut dictum est, totum pendet ex facti qualitate, & circumstantiis.

11 Istis autem attentis, in hac facti specie versabamur in casu indubitabili validitatis, tum quia in facto justificabatur, quod dicta obligatio, vel in totum, vel pro majori parte esset in causam propriam ipsius filii, adeout casus esset potius conversus, quod pater pro filio se obligasset, sive quod esset reciproca assecuratio, vel fidejussio, tum etiam attenta utriusque personæ qualitate. Pater etenim, mortua legitime uxore, ex qua dictum filium procreaverat, clericalem statum assumendo, erat Sacerdos, & Canonicus Cathedralis in gravi ætate annorum circiter 60. (& quod magis) articulorum vulgo, *podragra*, morbo laborans, e converso autem filius constitutus in ætate supra trigesimum annum e decennio circiter uxoratus, et a patre expresse emancipatus, & tanquam paterfamilias contrahere solitus, ac etiam vir industrius, & negotiator, adeout quodammodo potius filius patri aptus esset vim, & metum inferre, quam e converso.

Hinc proinde, quamvis Scribentes in contrarium deducerent conclusionem, de qua, cæteris relatis, pro utraque opinione habetur apud Grass. *d. c.* 11. Rovit. *super prag.* 1. *ad Senat. Consul. Maced. in fin.* Capyc. Latr. *consult.* 54. Hodiern. *contr.* 14. *&* 16. Buratt. & Add. *dec.* 75. *de.* 205. 628. *& dec.* 115. *p.* 7. *rec.* quod sc. metus reverentialis e lege præsumptus in filio in actibus gestis in causam patris (quem aliqui, quorum opinio tamen passim reprobata est, credunt sufficere ad annullationem actus) operetur effectum metus veri, dictamque nullitatem causæ, ubi sit junctus cum læsione, attamen erat pariter motivum contemptibile ex defectu applicationis, tum quia cessabat læsio ex dicta circumstantia, quod debitum, ut supra, esset in causam propriam ipsius filii, tum etiam, quia ob dictas circumstantias, prorsus fabulosum videbatur admittere illum metum reverentialem, qui in puellis, vel pueris de facili cadit, atque considerabilis est. 12

Unde propterea, in hujusmodi quæstionibus frequenter 13 vel irridere, vel deplorare consuevi hujus facultatis miseriam, ejusque professorum frequentiorem ineptiam, quod allegata decisione, vel consilio in uno casu firmante actus invaliditatem ratione metus, in cujus probatione ratio habita fuerit de læsione juncta cum reverentia, id capiendum sit pro regula generali cuicumque casui applicabili, quoniam dicta conclusio, quam Ego satis frequenter occasionem habui deducendi in Rota, eliisque Tribunalibus, ut plurimum neglecta fuit, & quandoque admissa pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, ea quibus vere totum pendet, attendendo solum propositiones generales pro quadam norma, ad effectum regulandi arbitrium, ut istud legale, beneque regulatum sit, non autem cervicosum, atque ad hunc effectum oportet, ut Judex juris regulas bene calleat, istæque ineptæ remanent, si deficiat adæquatum judicium pro congrua applicatione.

ANNOT. AD DISC. XLIII.

DE obligatione filiifamilias, & an pater possit sibi ipsi consensum præstare, habetur *hoc eod. tit. disc.* 63. ubi Statutum Bononiæ expenditur.

Ad materiam metus videri poterunt deducta *sub tit. de regul. disc.* 43. *&* 44. *& sub tit. de matrim. disc.* 4. & latius *disc.* 6.

TURRITANA PECUNIARIA, PRO ANTONIO SEQUILIANA CUM N.

Casus disputatus cor. A.C. & in Signatura, aliisque Judicibus, & resolutus ut infra.

An & quando scriptura, de qua facienda contrahentes convenerint, necessaria sit ad perfectionem, adeout in illa sit collata substantia contractus, unde interim sit imperfectus, vel e converso conventa censeatur ad solam probationem, adeout ejus defectus perfectioni contractus non præjudicet?

S U M M A R I U M.

1 *FRequentes sunt quæstiones, an scriptura requiratur ad substantiam, vel perfectionem?*
2 *Ubi constat esse requisitam ad substantiam, interim contractus est imperfectus, & admittit pœnitentiam, secus e contra.*
3 *In dubio potius ad probationem, quam ad substantiam.*
4 *Quæ regula desuper tradi valeat.*

5 *Quod*

5 *Quid in casu controversiae conventio esset ad probationem.*
6 *Ad quem effectum partes convenire soleant de scriptura.*
7 *Confessio extrajudicialis probat.*

D I S C. XLIV.

1 NImium frequenter in Foro agitari solet ista quaestio, an contrahentibus convenientibus de conficienda scriptura, ista desiderata dicatur ad substantiam, ac perfectionem contractus, qui alias ea non secuta, imperfectus remanet, atque poenitentiae integrum locum relinquat, ut sequi dicitur, ubi in facto id verificetur, juxta text. expressum *in l. contractus C. de fid. instr. & instit. de empt. & vend. in princ.* Vel e converso conventa censeatur ad solam futuram memoriam, ac probationem; quo casu extra controversiam est, ut omissa etiam scriptura, adhuc remaneat contractus perfectus, & obligatorius, ex iis, quae, caeteris relatis, habentur apud Capyc. Latr. *consul.* 11. *n.* 1. *& seqq.* Gizzarell. *dec.* 75. Rovit. *dec.* 88. Add. ad Surd. *dec.* 277. *n.* 21. Buras. & Adden. *dec.* 898. Roc. *dec.* 320. *par.* 2. *rec. & dec.* 20. *post* Mangill. *de subb.* quae reputari solet
2 in Curia magistralis super imperfectione, quodque scriptura percutiat substantiam potius, quam probationem, cum aliis *dec.* 291. *n.* 22. *& seq. & dec.* 353. *n.* 1. *& seq. par.* 9. *rec.* Adeout una, vel altera qualitate posita, nulla dignosci videatur quaestio juris, sed tota sit facti, & applicationis, an scilicet uno, vel altero modo, eadem conventio inita censeatur, & quid in dubio praesumendum sit.
3 Super hoc autem, quamvis apud antiquiorem, ista non levis quaestio fuerit, ut patet ex praemissis, & aliis apud eos, attamen rejecta sententia Castrensis, & sequacium, ut in dubio censeatur adjecta pro substantia, & perfectione potius, quam ad probationem, contraria magis communis, & recepta videtur, ut ex supra allegatis patet.
4 Hinc proinde pluries ac pluries, quando pro perfectione, & quando pro imperfectione respondendo, dicere consuevi, quod error est desuper generalem regulam statuere, sive decisiones, ac auctoritates unam, vel alteram respective in aliquibus casibus firmantes, cuicumque alteri generaliter applicare, quoniam juxta ea, quae in hujusmodi facti, ac voluntatis quaestionibus habentur, decisiones variae sunt pro singulorum casuum qualitate, ac particularibus circumstantiis, ex quibus frequenter contingit, ut ea, quae in uno imperfectionem arguant, vel probent, in altero, quamvis majora non sufficiant, attenta potissime natura, seu qualitate conventionis, & an juxta communem usum, ita illi scriptura conveniat, ut ad eam substantia, seu perfectio contractus collata sit, vel e contra, quod potissimum ex gravitate negotii pendet.
5 Applicando autem ad rem, in hac facti specie, certum videbatur, quod scriptura ad solam probationem, non autem ad substantiam requisita esset, cum ageretur de quadam solidatione computorum ex causa administrationis quorundam beneficiorum, seu debiti pensionum, unde non erat actus, qui verisimiliter scripturam exigeret, ad effectum bene statuendi pacta, & conventiones, ut contingere solet in gravium litium concordiis, vel emptionibus, & venditionibus bonorum magni momenti cum similibus, secus autem in his rebus, quae de communi usu ita oretenus concludi solent.
6 Dicebam etenim, scripturam in hoc proposito desideratam fuisse per partes, tam ad meliorem probationem, quam etiam ad effectum obtinendi magis promptam executionem in processu executivo in vim obligationis cameralis, aliarumque clausularum, quae in scriptura adjici solent, dum illud judicium executivum alias de jure non competit, de reliquo etenim, ubi de hujusmodi solidationibus, vel aliis conventionibus, aut agnitionibus debiti agitur, ipsa sola confessio veritatis coram testibus sufficit, eundemque operatur effectum, etiam attento rigore juris civilis, quod confessio, parte praesente, plene probat, multo vero magis attenta aequitate canonica, quae in Cu-
7 ria Romana passim recepta est, quod confessio extrajudicialis etiam absente parte, probat plene, & concludenter ex deductis *sub tit. de credito, & sub tit. de judic.* ubi de materia probationum; unde propterea dicta quaestio remanere videtur inanis, atque ut dictum est, vere totum pendet a facto magis, quam a jure absque eo, quod desuper certa regula tradi valeat.

ANNOT. AD DISC. LXIV.

DE perfectione contractus ratione scripturae habetur quoque actum *in hoc eod. tit. disc.* 70. De confessione autem extrajudiciali habetur pluries *sub tit. de credito*, signanter *disc.* 79. *& sub tit. de Judic. disc.* 23.

ROMANA DONATIONIS PRO CATHERINA ROBERTA CUM GESUALDO FARFUCIO, ET ALIIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus contra Catherinam.

An dari possit contractus perfectus ex stipulatione, & acceptatione pupilli, vel infantis, quamvis istius favorem actus concernat?

Et de suspicione falsitatis resultante a stipulatione, & acceptatione, vel a causa meritorum infantis.

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Quod veritas soleat displicere, ac placere adulatio.*
3 *De quaestionibus cadentibus in causa.*
4 *Notarii solent ad litteram transcribere formularia, ideo non est immorandum in verbis.*
5 *In testibus, quando etiam levia attendantur.*
6 *An dentur merita in infante.*
7 *Infans non acceptat, nec stipulatur in correspectivis, & onerosis.*
8 *Secus in lucrativis, & de ratione.*
9 *Idem circa actus correspectivos, & de materia.*
10 *Referitur lex probans, ut infans possit stipulari.*
11 *Et de eodem.*
12 *Et quid ubi accedit juramentum.*
13 *An instrumentum in quo dicatur, quod infans stipulatus fuerit, & acceptaverit, reddatur falsum, vel suspectum de falsitate?*

D I S C. XLV.

FLavia Romana nupta in Civitate Sorae, ibique domicilium habens, donationem aliquorum bonorum fecit 1
Catherinae nepti ex fratre tunc in aetate quatuor annorum, quam Notarius asserit praesentem, acceptantem, & gratias agentem, concipiendo dictae donationis instrumentum, juxta ejus formularium (a quo Notarii pariorum locorum totum solent transcribere) cum narrativa remunerationis servitiorum, ac meritorum ejusdem donatariae, cumque postmodum donatria ad secunda vota transitum fecisset, atque moriens absque prole, haeredem instituisset Gesualdum secundum virum, qui cito distraxit nonnulla loca montium dotalia, hinc Catherina donataria, coram A. C. judicium assecurationis instituit in vim clausulae constituti, & pacti de capiendo, tam contra dictum haeredem super aliquibus bonis ab eo possessis, quam contra possessores locorum montium, sed omnium absolutoria prodiit, a qua per appellationem commissa fuit causa in Rota: incertum tamen est, an ulteriorem progressum habuerit, vel quia in congressu desuper habito post sententiam ad effectum deliberandi, an expediret causam prosequi, Ego scribens coram A. C. pro donataria succombente, pro stylo (Dei gratia inconcusse, ac inviolabiliter servato forsan cum aliquo majori rigore contra requirentes) libere insinuavi graves difficultates, quodque dicta sententia Mihi probabilis, beneque fundata visa esset, ideoque acquieverit, vel quia (ut frequenter contingit) neglectis Defensoribus difficultates promoventibus, alios invenerit, auribus magis prurientes, & qui ex damnabili regula non ejiciendi columbas a columbario, omnes causas dicere soleant 2
bonas, adhibendo illud detestabile dicterium, quod non est bonus Advocatus, qui nesciat malam causam facere bonam.

Plures autem fuerunt articuli in ista causa disputati, primo scilicet circa exemptionem eorum, qui juxta motum 3
proprium Urbani VIII. loca montium libera, & absque aliquo vinculo emerunt, ex iis, quae in hac materia habentur *sub tit. de Regal. pluries*. Secundo, circa solemnitates generaliter in donationibus praescriptas per Statuta Urbis 149. & 150. & per Statutum 151. dum agebatur de muliere Romana, ex

lis, quæ habentur pluries *sub tit. de donat.* Tertio ob quamplures vehementes suspiciones, quæ habebantur de hujus donationis falsitate, ideque potissima causa fuit resolutionis, & quarto demum, an dici posset validus, ac perfectus contractus per stipulationem infantis, qui neque infantiæ complemento proximus erat, sed in ætate quatuor annorum, unde propterea impossibile erat ut stipulari, & contrahere potuisset.

4 Quando aliæ suspiciones non adessent resultantes ex circumstantiis facti (super quibus juxta stylum nullæ erant Advocatorum partes) dicebam, quod hæc levis videbatur difficultas, prout etiam altera deducta ex minus vera, & improbabili causa meritorum, ac servitiorum præstitorum, cum revera nimium probabile esset id processisse ex imperitia Notarii ad litteram transcribentis formularium non distinguendo, an ea, quæ in ipso formulario prudenter in suis respective casibus adjecta sunt, congruant necne casibus, ac personis, de quibus agitur, ideoque potius attendenda venit propositio pluries insinuata *hoc tit. & in altero de fideicommissis*, ac alibi, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis attendi debeat, quoties ex aliis circumstantiis de veritate, ac sinceritate actus constet, secus autem, ubi aliæ vigeant suspiciones, cum tunc etiam de levibus magna ratio haberi debeat, ut habemus in testibus, quod mendacia, vel contrarietates in non substantialibus regulariter negliguntur, neque eorum fidem adimunt, ubi aliæ suspiciones non accedant, his autem acce-
5 dentibus, etiam levia, & quæ non percutiant substantialia, debent attendi, ut per Capyc. Lat. *consult.* 4. *n.* 10. ubi allegantur Petra *de fideic. q.* 12. *n.* 1295. & Farin. *q.* 66. *n.* 25.

6 Potissime vero, quia circa assertionem meritorum, solent Juristæ ponderare, quod si infans noverit jocari coram donatore, atque ita ejus benevolentiam captare, congruere valeat iste terminus meritorum ex deductis per Rosenth. *de feudis*, *c.* 9. *membr.* 2. *concl.* 66. *n.* 54. CaraccIol. *dec.* 27. *n.* 32. apud quos concordantes, unde propterea quicquid sit de hoc in ordine ad faciendam veram donationem remuneratoriam, satis attendendum videtur effectum excludendi dictam suspicionem.

7 Quo vero ad punctum stipulationis, & acceptationis, an per infantem fieri possit, dicebam hujusmodi quæstionem inanem videri, ubi agatur de pura, mereque lucrativa donatione, cum solum cadat quando ageretur de contractu correspectivo, vel ea onerosa donatione, quæ correspectivi contractus habeat speciem, quia nempe donatario damnosa esse valeat, unde propterea expedire possit non acceptare, & consequenter requiritur consensus perfectus, & obligatorius juxta ea, quæ pluries habentur in dicta sua materia *sub tit. de donat.*

Ubi vero agitur de mere lucrativa donatione, tunc inanis labor est agere de habilitate infantis donatarii stipulan-
8 di, & acceptandi, tum quia, ut in dicta sua materia advertitur *sub tit. de donat.* hodie est magis recepta sententia, stipulationis, & acceptationis requisitum desideratur ad effectum translationis dominii, secus autem ad effectum pœnitentiæ, seu irrevocabilitatis, tum etiam quia, ut ibidem advertitur, infantibus etiam sine alterius stipulatione, & acceptatione acquiritur.

9 Ideoque ista quæstio ad nihil deservire videtur, cum vere, ac proprie percutiat terminos contractus habentis aliquam correspectivitatem, ex iis, quæ habentur in materia deducta plene post antiquiores ab eis relatos per Surd. *cons.* 9. Falic. *de societ. r.* 3. & 4. Mant. *de tacit. l.* 6. *tit.* 13. & *l.* 14. *tit.* 14. Hodiern. *contr.* 22. *ex n.* 36. *ad* 56.

10 Ex his etenim patet de non levi pugna DD. *in l.* 1. *ff. de verb. oblig.* ubi est sedes materiæ super intellectu Text. *in l.* 1. *ff. de act. & oblig. & in l. servum, ff. rem pupilli salvam fore*, in quibus, præsertim in hoc secundo, litteraliter per verba præcisa deciditur, *quod si pupillus præsens est, & fari potest, etiamsi ejus ætatis erit, ut non intelligat quid agat, tamen propter utilitatem receptum est recte eum stipulari, & agere.*

Hinc proinde nostri majores relati per proxime allegatos nimium se involvunt in disputationibus, procedendo cum sola littera legis, (juxta consuetum vitium) an scilicet id sit privilegium speciale necne, sive an dicta jura intelligi debeant de illo, qui proximus sit pubertati, sive de perfectione contractus impropria, & cum claudicatione, in utilibus scilicet, non autem in damnosis, & præjudicialibus.

Omnia enim præmissa, cadunt in illis actibus, vel contractibus, qui inspecta origine, aptitudinem habent ad damnum, vel lucrum, unde propterea ob necessitatem concursus simultanei consensus utriusque, ita uno deficiente, impediatur perfectio, secus autem ubi agatur de pura, & simplici donatione mere lucrativa, sive de illa, quæ licet admixtum habeat onus, attamen illud talis est naturæ, vel qualitatis, ut non nisi ex ipsismet bonis donatis adim-
pleri debeat, atque comparative ad bona donata sit mo- 11
dicum, adeout actus pernecesse remaneat lucrativus, unde absit possibilitas damnificationis de proprio; tunc etenim non videtur opus inquirere de habilitate, vel inhabilitate ad consentiendum ejus, qui est præsens, dum etiam si esset absens, eadem perfectio resultat, ideoque non potest esse plus nullum, quam nihil.

Fortius autem stante moderno frequenti usu adhibendi 12
in omnibus fere contractibus juramentum, cujus ratione, etiam quoad absentem majorem, actus remanet perfectus, ut in dicta sua materia *sub tit. de donat.*

Admittebant hæc tam Judex, quam Scribentes in contrarium, ubi quæstio reduceretur ad hunc punctum validitatis, vel invaliditatis, vel perfectionis, sive imperfe-
ctionis contractus ex isto defectu, dicebant tamen ut id 13
in proposito considerandum esset, dictaque impotentia nimium considerabilis esset ratione inverisimilitudinis, ad effectum exinde desumendi falsitatem actus.

Verum (etiam in sensu veritatis) dicebam, id posse quidem causare aliquod leve adminiculum, cum aliis conjungendum, sed solum, & de per se nullius prorsus esse momenti, maxime ex superius insinuata consideratione, quod frequentius imperiti Notarii, præsertim extra magnas Civitates, procedere solent cum formulariis, ea ut ad litteram transcribendo, non reflectendo, an contenta in eo contenta adaptentur ad casum, ac personas necne, eo adamussim modo, quo moderni pragmatici faciunt de doctrinis, præsertim de decisionibus, ac etiam de consiliis.

Tum clarius, quoniam si (ut ex allegatis patet) ob litteralem dictorum jurium dispositionem, magna quæstio est inter ipsos DD. an infans, qui naturaliter fari possit, quamvis non habeat velle, vel nolle, adhuc stipulari, & acceptare possit ea, quæ sunt utilia, dum experientia docet, quod etiam infantes unius anni, vix prima elementa proferentes acceptant, atque grata habent ea, quæ placent, respuunt vero quæ displicent, ideoque si Notarius quamvis esset juris peritus, cum dicta opinione processit, non distinguendo, quæ sit magis communis, & vera, hinc improprium est exinde ad falsitatem inferre, secus autem, ut dictum est, ubi alia influant, ex quorum concursu, etiam ea, quæ levia, & remota sunt, in consideratione habenda veniunt, atque cum hac distinctione in hac materia Mihi procedi debere videbatur. Malus autem causæ eventus fuit potius ex quibusdam motivis facti, & præsertim ob privilegia locorum montium respectu eorum, qui illa emerant libera.

ANNOT. AD DISC. XLV.

AD materiam acceptationis infantis insinuantur aliqua *sub tit. de donat. disc.* 56. Et de falsitate, vel aliis suspicionibus Instrumentorum habetur *sub tit. de judic. disc.* 26.

PERUSINA FACTI
PRO MARCO ANTONIO GUERRINO
CUM PHILIPPO, ET ALIIS DE CAPRIS.

Casus decisus per Rotam pro Philippo, & aliis, & pendet.

An & quando pactum liberatorium, seu de non molestando dicatur personale, itaut non prosit hæredibus, vel successoribus, vel e converso?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *Quod alia sint pacta in rem, & alia in personam.*
4 *Et ex quibus dicantur esse personalia.*
5 *De argumentis ejusdem personalitatis.*
6 *De regula, ut censeatur stipulatum pro hæredibus, licet non dicatur.*
7 *Quod privilegia censeantur potius realia, quam personalia.*
8 *Ubi regula uni assistit, transfert onus probationis in alterum.*
9 *Admittitur distinctio, de qua n. 3. sed punctus est in præsumptione in dubio.*
10 *Quando intret præsumptio personalitatis, exemplificatur.*

11 *De*

11 *De eodem, & respondetur authoritatibus suspensibus personalitatem pacti.*
12 *Quod pactum prælationis sit transitorium ad successores.*
13 *De verbo nunquam denotante perpetuitatem.*
14 *Ad quid fiat demonstratio personæ.*
15 *Consideratur an pactum fiat per instrumentum, vel scripturam privatam?*
16 *De argumentis excludentibus personalitatem.*
17 *Quod non sit standum in cortice verborum, sed indaganda substantia voluntatis.*
18 *Et de argumentis dictam substantiam redolentibus.*

D I S C. XLVI.

1 ORta controversia inter Philippum, & Annibalem ejus curatorem, super redditione rationum prodiit laudum super dicti Annibalis condemnatione in summa scut. 2200. quoque acceptato, Philippus, cum narrativa, ut rem gratam d. Annibali faceret, per apocham declaravit, quod nunquam molestabitur neque a se, neque ab ejus hæredibus, cum declaratione, quod ubi ipse, vel ejus hæredes ab ejusdem Annibalis creditoribus molestias reciperent, tunc dicta scriptura vires habere non deberet, atque salva essent primæva jura; utroque autem defuncto, post annos 30. circiter, hæredes Philippi, in vim dicti laudi emologati, judicium instituerunt contra Guerzinum Annibalis hæredem pro dictæ summæ solutione coram A. C. a quo mandatum obtinuerunt, commissaque per Signaturam causa in Rota coram Albergato cum clausula translativa, *si quid exequen-*
2 *dum*, atque dato dubio, an mandatum esset exequendum, sub die 1. Junii 1669. in contumaciam, actoribus tantum informantibus, affirmativa prodiit resolutio, confirmata 27. Junii 1670. utraque parte informante, adhuc tamen pendet ob novæ audientiæ concessionem.

3 Utriusque decisionis fundamenta fuerunt super textu *in l. qui in futurum*, §. 1. *ff. de pactis* ubi disponitur, *quod si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactum conceptum fuerit, veluti ne Ego petam, vel ne a te petatur, hæres meus ab omnibus vobis petitionem habebit, & ab hærede tuo omnes petere poterimus.*

Sunt verba præcisa Textus, per quem ita ibidem tradiderunt Bart. Alberic. Castrens. & alii, ac observat Faber. in rationali ad Text. *in l. juris gentium*, §. *Pactorum*, *ff. eodem tit. de pactis*, ob generalitatem istius Textus, quod scilicet, alia sunt pacta in rem, alia vero in personam, deducendo etiam Duarenum *ad tit. de pactis*, *cap. 6. num. 10. & in eodem §. Pactorum*, & Connan. *in commentar. juris civilis lib. 5. cap. 4. num. 4.* cum aliis apud Mantic. *de tacit. lib. 1. tit. 7. num. 7.* Enrig. *de fidejussor. c. 10. num. 34. & cap. 28. num. 6. & 7.* Rota *dec. 110.* post Merlin. *de pignor. num. 29.* & alios, de quibus in utraque decisione.

4 In quibus tamen, ex eisdem allegatis, firmatur id cessare, quoties conjecturis, de diversa mente constaret, de qua tamen in hac facti specie non constare dictum fuit, stante quod in apocha dicitur quod pactum de non molestando fiebat ad faciendam rem gratam dicto Annibali, quodque iste non molestaretur, quasi quod ita persona demonstrata sit, ex iis, quæ habentur deducta circa personalitatem pacti *dec. 330. num. 40. & seqq. part. 11. rec. & dicta decis. 110.* post Merlin. *de pignor. num. 39.* quæ est repetita *dec. 387. par. 9. recent.*

5 Ponderando etiam gravem ætatem d. Annibalis, quæ potuit esse causa inducendi creditorem ad eximendam ejus personam a molestiis, necnon regulam generalem, quod donatio in dubio præsumenda non est, quodque in omnem casum ubi adesset, insinuationis defectum pateretur.

6 Mihi in causa semel scribenti pro reo convento, occasione revisionis primæ decisionis, hujusmodi resolutiones non satisfaciebant, quoniam in omnibus pactis, & conventionibus, ubi agatur de rebus indifferentibus ad quoscumque hæredes transitoriis, semper intelligitur stipulatio pro hæredibus, quamvis nulla illorum mentio fiat, ad Textum *in l. veteris*, *C. de contrah. & committ. stipulat.* cum concord. relatis per Jas. *cons. 127. n. 3. & seqq. l. 2.* Mant. *de tacit. l. 1. tit. 7. n. 4. & seqq.* late Rota *dec. 371. num. 22. cum seqq. p. 11. rec.* & admittitur *in d. dec. 387. p. 9. & 330. p. 11.* deductis in contrarium, & in terminis specialibus remissionis debiti est text. litteralis *in l. si quis in testam. ff. de libert. legata*.

7 Quinimmo, ubi etiam agatur de privilegiis, in quibus strictius proceditur, quoties subjecta materia restrictionem ad personam non patiatur. Quamvis enim apud antiquiores non modica fuerit quæstio, an ea personalia censeri debeant, attamen magis communis, & recepta est in contrariam, ut in dubio, & non constito de diversa voluntate, censeantur potius realia, vel transitoria, ex iis, quæ plene relatis DD. quæstionem tractantibus, habentur per Rot. *dec. 400. p. 9. & dec. 199. p. 12. rec.*

Ideoque regula personalitati potius resistere, quam assistere videtur, cujus effectus est transferendi onus contrariæ probationis in alteram partem, juxta *dec. 251.* Mantic. cum concord. apud Barb. *axiom. 198.* & sic admittebam utriusque decisionis distinctionem desumptam ex Text. *in d. l. juris gentium*, §. *Pactorum*, quod alia sunt pacta in rem, & alia in personam, quodque ea, quæ regulariter sint in rem ex contraria quamvis præsumpta, vel conjecturata voluntate possint esse in personam, vel e contra, 8
cum hujusmodi sint quæstiones voluntatis, qua accedente omnes juris regulæ cessant, sed punctum est, cuinam assistat regula, & consequenter e converso assistat onus probandi contrarium, cumque ageretur de re mere indifferenti, ita videbatur regula hinc parti assistere. 9

Clarius vero, quia agebatur ad liberandum, unde propterea res non habebat tractum successivum facti permanentis, quod paciscens tolerare voluerit in ea persona, verisimiliter non toleraturus in altera sibi ignota, & non adeo grata, in quibus terminis vere, & proprie procedere videtur regula contrariæ personalitatis, talisque videtur sensus etiam litteralis d. text. *in l. qui in futurum*, §. 1. dum exemplificat, *si ex altera parte in rem, & ex altero in personam, pactum conceptum sit*, quod juxta frequentiorem praxim exemplificari solet in illis pactis, quæ redolent servitutem, vel aliud factum successivum in una persona libenter toleratum, in altera vero secus, ut (e. g.) est pactum quod quis alteri faciat non aperiendi in suo muro fenestram, per quam respiciat in aream, vel domum ejus, in cujus gratiam id fiat, sive permittendi, quod iste aperiat, vel aliquem transitum habeat ex iis, quæ habentur *sub tit. de servit.* cum similibus, quoniam, ut praxis docet, & cuique ad sensum probatur, in his materiis, multa uni conceduntur, ob affectionem, sive probitatem, ac morum integritatem, quæ ignotis hæredibus, vel successoribus denegantur. 10

Neque ad rem facere observabam deducta *in d. dec. 387. p. 9. repetit. dec. 110.* post Merl. *de pig. & dec. 330. par. 11. rec.* Tum quia ibi ponderatur, quod præcedebat nomen proprium, deindeque adjiciebatur verbum personalissimam ipsius, tum etiam quia ibi agebatur de pacto commissorio, vel resolutivo habente potius juris resistentiam, & quod tanquam odiosum restrictionem pati debet, eo quia intrat eadem supra considerata ratio, quod concessio fiat personæ gratæ, seu alias certam qualitatem habenti verisimiliter alteri non facienda, quodque percutiat rem facti permanentis, quod successivum, & continuatum redoleat præjudicium, secus autem, ubi ex simplici liberatione debiti indifferentis, quæ in instanti suum effectum operatur, absque necessitate stipulandi pro hæredibus, & successoribus in futurum, dum non agebatur de re facti permanentis, quæ de sui natura habitura esset tractum successivum, adeout paciscens singulis quibusque temporibus sentiret gravamen pro cujus cessatione, dicta personalitatis præsumptio admitti deberet. 11

Et nihilominus, etiam in hujusmodi pactis, stipulatio pro hæredibus, & successoribus subintelligitur, quoties verba, vel conjecturæ in contrarium non urgeant, ut in Foro magis receptum videtur, ex iis, quæ in terminis pacti super retractu prælativo habentur deduct. *sub d. tit. de servit. disc. 85. & sub tit. de feud. disc. 96.* Licet revera sit quæstio voluntatis ex facti particulari qualitate decidenda ex ibi deductis. 12

Potissime ubi (ut in hac facti specie) accedant verba perpetuitatem denotantia, ibi, *quod nunquam*, & *quocumque tempore &c.* Dictio enim, *nunquam* est de sui natura universalis negativa comprehendens omnem casum, & omne tempus, juxta gl. *in l. providendum*, *C. de postul.* & in specie hujus verbi, vel dictionis satis ponderatum fuit per Rot. in Romana residui dotis 11. Decembris 1658. coram Cerro, edita in casu, de quo *sub titul. de dote disc. 24.* & in decisionibus editis in Bononien. fideicommissi de Pepulis, de qua *sub tit. de fideicomm. disc. 179.* 13

Nimium autem leve videbatur personalitatis argumentum deductum ex illis verbis, *ut rem gratam faceret &c.* quoniam hujusmodi remissiones fiunt ex hoc motivo affectionis erga personam, vel ejus meritorum intuitu, cum semper grata res fieri dicatur ei, cui aliquid datur, vel remittitur, non inde tamen ad personalitatem inferendum est, quoniam persona demonstrari solet, ut demonstretur, 14

cum

cum quo pactum initum sit, ex deductis per Mantic. *de tacit. lib. 1. tit. 7. num. 3.* cum aliis *d. dec. 371. p. 11. rec.*

15 Ponderando item, quod agebatur de pacto inito per apocham privatam rudi, & grossolano modo, unde adeo immorandum non est in formalitate verborum, vel clausularum, ut contingit in publicis instrumentis, quæ cum summo studio, & consilio concipi solent, & fortius quod idem paciscens, in casu, quo ipse, vel ejus hæredes, molestias reciperent a creditoribus dicti Annibalis, solicitus fuit de conditione resolutiva, & pacto regressus ad primæva jura, unde verisimiliter eadem reservatio post mortem dicti Annibalis facta esset.

16 Atque exinde resultabat, ut potius convinceretur, ac retorqueretur decisionum argumentum deductum ex gravi ætate dicti Annibalis, quodque ex hoc motivo voluerit creditor in reverentiam erga eum, qui curator fuerat ejus personam solum a molestiis eximere, dum ita improbabile remanebat, ut de pacto regressus ad primæva jura sibi consulere voluerit in casu molestiarum inferendarum a creditoribus tam sibi, quam ejus hæredibus, dum ipse erat juvenis, ille vero senex, ideoque verisimiliter non credidit, quod deberet ei supervivere.

17 Cumque pro genio, ac stylo nunquam placuerit in hujusmodi quæstionibus voluntatis, quæ sunt potius facti, quam juris immorari in hujusmodi generalitatibus, aut formalitatibus verborum, sed quod substantia verisimilis voluntatis pro facti qualitate attendi debeat, hinc proinde cum ista ponderatione procedendo, stante quod non agebatur de credito certo ex causa mutui, vel alterius contractus, sed solum resultante ab illiquida prætensione redditionis rationum administrationis curæ, quodque ut supponebatur, discordiæ cum scandalorum timore exinde exortæ fuerant, advertebam, nimium probabile esse, ut illud fuerit prudens temperamentum, utrique gratum, quod scilicet unus contendentium, ut dici solet, vinceret punctum, quia declaretur creditor, & ita detegeretur quod non excitaverit injustam litem, ac prætensionem contra ejus curatorem, alter vero vinceret causam per hujusmodi condonationem, ut pluries practicavi, alias etenim duplex

18 urgere videbatur inverisimilitudo, una scilicet in dicto Annibale, quod contra communem usum, sub cæca fide acceptare voluerit laudum aliunde non justificatum, & non reclamare, & altera in præfato reintegrato, sibi non consulendo de eodem pacto resolutivo, de quo in altero casu solicitus fuit, si id in animo habuisset.

ANNOT. AD DISC. XLVI.

Quomodo pacta sint interpretanda habetur *sub titul. de Regal. disc.* 187. Et quando dicantur personalia, necne habetur *sub titul. de servit. disc. 12. & 85. & de Regal. dict. disc.* 187.

JANUEN. SPONSIONIS, seu LOTTI PRO ALIQUIBUS BANCHERIIS, SEU MERCATORIBUS CUM UNIVERSITATE SPONDENTIUM IN URBE.

Casus disputatus coram Thesaurario, unde resolutus pro particularibus spondentibus, sive concordatus.

De sponsionibus, quæ super aliquo incerto eventu fiant, præsertim electionis Officialium, an contineant contractum licitum, & exequibilem necne, & quæ circumstantiæ illum vitient, & incidenter de contractu inito inter absentes cum epistolis, ubi perfici, seu concludi dicatur ad effectum Fori?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Qualis dicatur locus ubi perficitur contractus inter absentes.*
3 *Admittitur theorica; sed quæstio est in applicatione, ubi perficiatur sponsio.*
4 *De connexione, seu præjudicialitate causarum, ut omnes ad unum Forum remittantur.*
5 *Quod quandoque in diversis Tribunalibus super eodem puncto diversimode judicetur.*
6 *De alio casu super puncto, de quo n. 3. & 4.*
7 *Quando epistola familiaris inducat obligationem, vel contractum.*
8 *De litteris commendatitiis, vulgo di favore.*
9 *Scripturas confirmans, vel ratificans non inducit novum contractum.*
10 *De validitate sponsionum, & quando in eis cadat vitio dubitandi.*
11 *Quando sponsio sit invalida, quia integra lista extrahendorum data non sit.*
12 *Electus ad officium, ad quod exercendum est accessurus, licet sit præsens pro accessu parando habetur pro absente.*
13 *Culpa est non certiorandi rerum statum immutatum.*
14 *Sponsiones, seu lotti sufocchi de inæqualitate.*
15 *Advocati non se ingerunt in iis, quæ sunt facti.*

D I S C. XLVII.

Stante notorio usu sponsionum, quas aliqui bancherii, seu negotiatores (quibus Respublica privative ad alios mediante notabili recognitione facultatem concedit) facere solent cum particularibus per universam Italiam, & forsan extra, super extractionibus Magistratuum, seu Officialium ejusdem Reipublicæ, quæ certis temporibus fiunt, hinc iidem negotiatores, fere ubique, præsertim in Urbe, correspondentes, seu receptores deputare solent, ut prævis edictis desuper affigi solitis, pecunias recipiant a spondere volentibus, eisque pagellas, seu viglietos tribuant, cum assecuratione solutionis promissi præmii, quatenus casus fiat, dando etiam cum edictis listam impressam nominum personarum existentium in bussola, ex qua extractio facienda est. 1

Cumque circa meæ professionis initia casus dedisset, ut in eadem lista, inter absentes positus esset quidam jam destinatus gubernio, seu Præfecturæ Insulæ Corsicæ, qui tamen præsens, atque a Senatu dispensatus, extractus fuerat, hinc proinde quamplures sponsores, qui sua spe frustrati remanserant, judicium cor. Thesaurario instituerunt contra dictos correspondales, seu receptores in Urbe existentes pro restitutione pecuniarum eis datarum, incertumque est, an causa finem habuerit per sententiam actoribus favorabilem, vel potius (ut probabilius credo) per concordiam, dum post unicam disputationem, amplius de illa actum non audivi.

In dicta ergo disputatione de tribus articulis actum fuit, primo scilicet ordinis circa Fori competentiam, & an causa remittenda esset ad Forum dictorum bancheriorum, seu negotiantium Januensium, ex regula quod actor sequi tenetur Forum rei, secundo circa validitatem hujusmodi sponsionum in genere ob difficultates desuper excitatas per Scribentes pro actoribus, & tertio (posita validitate in genere) an corrueret in specie iste contractus ob dictam circumstantiam quod positus esset inter absentes, & non extrahibiles ille, qui præsens de facto extractus fuerat.

Quatenus pertinet ad primam, cum dicti negotiatores, tam ratione originis, quam domicilii essent Januenses, hinc restringebatur quæstio ad punctum, qualis dicendus esset locus contractus, cum tunc intraret competentia Fori ratione contractus, quatenus iste in Urbe dici posset initus, seu perfectus.

In hoc autem Scribentes hincinde concordabamus in conclusione, seu theorica juris; quod scilicet inter absentes contractus perfici dicitur in eo loco, in quo consensuum conjunctio sequatur, unde Titio a Civitate Neapolis invitante Sempronium in Urbe commorantem ad aliquem contractum cum eo faciendum, seu aliquid ei danti in commissis, tunc contractus initiari quidem dicitur in dicta Civitate Neapolis, perfici autem in Urbe; dum in ea sequitur consensuum conjunctio, ex qua resultat perfectio contractus, juxta receptam theoricam Bald. in *l. multum interest, nu. 18. C. si quis alteri, vel sibi*, quem sequuntur Salicet. & alii ibidem Felin. *in cap. 1. n. 23. de sponsal.* & cæteri relati per Carleval. *de judiciis, tom. 1. disp. 2. n.* 801. Rota apud Coccin. *dec. 116. n. 1. dec. 395. n. 2. par. 5. rec.* & habetur *sub tit. de jurisdict. disc. 71.* atque est conclusio hodie recepta, quæ, ut dictum est, admittebatur hincinde, unde propterea tota disputatio fuit super applicatione. 2

Ego siquidem, & cæteri Scribentes pro remissione causæ ad partes, dicebamus, perfectionem contractus sequutam esse in Civitate Januensi, quoniam ubi præcedentibus edictis publice affixis dantur pecuniæ a particularibus dictis receptoribus, seu correspondalibus, isti non concludunt contractum, sed accipiunt pecuniam sub conventione certiorandi principales, & quatenus illi acceptent, adeout quandoque contingat, ut illi aliquas partitas non acceptent, nempe quia completa sit integra summa, in qua negotium effirmatur, unde propterea iidem correspondales, pecunias acceptas re integra datoribus restituunt, & consequenter 3

quod

quod ibi sequeretur conjunctio consensuum, ex qua resultat perfectio contractus.

E converso autem Scribentes pro actoribus dicebant (& meo judicio melius) contractus præparationem, seu initiationem resultare ab invitationibus, quæ fit ab edictis, ac listis, perfici autem a consensu particularium, qui invitantur ad spondendum, istiusque sequi potius fidem receptorum, seu correspondentium, qui sunt in Urbe, quam eorum, qui in dicta Civitate existentes ignoti sunt; & clarius, quia sicuti dictis bancheriis, seu sponsoribus Januensibus non acceptantibus pagellas, seu sponsiones acceptatas per eorum correspondentes, vel receptores, isti absque dubio obligati remanent restituere pecunias, saltem jure cujusdam depositi receptas, ita in casu nullitatis idem dicendum venit.

4 Unica vero probabilis ratio, quæ suadere videbatur cognitionem omnium hujusmodi controversiarum in uno loco, seu Foro, quodque omnium congruentior, seu magis competens esset illud dictæ Civitatis, consistere videbatur in ea connexione, seu præjudicialitate, quæ viget in causis concursus creditorum, vel successionum, ac similibus universalibus, ex pluries deductis in sua materia *sub tit. de jurisd. & Foro competenti*, ne scilicet detur alias inconveniens, ut super uno, eodemque puncto contrariæ, seu diversæ eodem tempore emanent sententiæ, atque unus, & idem contractus, in uno Foro validus, in altero autem invalidus declaretur, quod tamen pro Tribunalium, vel Regionum di-
5 versitate adhuc frequenter experimur in plerisque materiis, præsertim in usuraria, & censuali eu pluries insinuatis sub earum titulis de usuris, & censibus, & alibi.

6 In proposito autem hujusmodi perfectionis contractuum inter absentes in eo loco, in quo conjunctio consensuum sequitur, in alia facti contingentia, cum quidam negotiator Neapolitanus, alteri negotiatori Urbis, cum quo plura habuerat negotia, per quandam epistolam familiarem, eum certiorem reddidisset de negotiorum statu, & in quo ipse Scribens remaneret debitor, hinc prætendebat negotiator Urbis fretus auctoritate *d. dec. 395. p. 5. rec.* posse convenire dictum Neapolitanum in prima instantia cor. A.C. ratione contractus celebrati in Urbe, verum erat injusta prætensio, Me scribente rejecta per Signaturam justitiæ.

7 Ut enim bene advertit Bald. *in l. Titius, ff. de constit. pecun. n. 2.* tunc epistola familiaris, seu missiva inducit obligationem, seu contractum perficit per acceptationem ejus cui epistola dirigitur, quando ad id ordinata est, ut sunt (e.g.) litteræ cambii, seu ordines aliquam tractam, vel aliam commissionem continentes, secus autem ubi continent simplicem certiorationem alterius scripturæ, ex qua
8 resultare debeat contractus, ut sunt (e.g.) litteræ certioratoriæ, quæ inter negotiatores nuncupatur *di aviso*, ex deductis *dec. 26. n. 12. & 13. p. 5. rec.*

9 Quodque scriptura confirmans, vel ratificans actum jam gestum, non inducat novum contractum, cujus ratione illud Forum quis sortiri debeat, est text. clarus *in l. si quis in legatione, ff. de jud.* & firmant communiter Scribentes relati per Carlev. *d. disp. 2. tom. 1. n. 279. & seq.*

Quo vero ad alterum hujus causæ punctum validitatis, vel invaliditatis hujusmodi contractus sponsionum in genere, quamvis non desint aliqui Morales dubitantes, attamen ut habetur deductum *sub tit. de usur. disc. 36.* (ubi de illa specie sponsionis, quæ fieri solet dando aliquam pecuniæ summam, cum obligatione restituendi duplum, vel triplum
10 &c. ubi recipiens uxorem ducat, vel Dignitatem adipiscatur, seu alias incerta alea in contractu deducatur) receptum est, hujusmodi contractum regulariter esse validum ex auctoritatibus ibi deductis, & ea communi recepto usu, cum sola difficultas cadat, quando adesse valeat turpitudo, quia nempe sponsio fiat cum eo ad quem spectat eligere Officiales, & Magistratus, vel cum ejus conjunctis, adeout sit color ad palliandum corruptelam, ac venalitatem, sive quod accedat mutuum verum, vel interpretativum, in quo ita pallietur usura, aut quod intret præjudicium libertatis matrimonii, ea deductis *d. disc. 36. de usur.* Sed his, vel similibus suspicionibus cessantibus, nulla cadit ratio probabilis dubitandi, quoniam est emere incertam spem, seu aleam, ut ibi.

11 Demum quoad ultimum punctum prætensæ invaliditatis, illam ex publico fundamento Scribentes deducebant, primo scilicet ratione doli resultantis a falso præsupposito, quod esset positus inter absentes, & non extrahendos ille, quem eventus probavit præsentem, ac extractum, & secundo, quod ubi etiam non adesset dolus eu parte dictorum negotiatorum invitantium ad spondendum, adesset tamen defectus intentionis in istis spondentibus, quod nempe si scivissent, vel supposuissent, esse præsentem, ac extrahibilem illum, qui præsuppositus fuit absens, & incapax, illius fortunam sequuti essent, eumque elegissent, ad quod conferre videntur ea, quæ super nullitate actus ex defectu imbussulationis habentur sub *tit. de fideic. disc. 30.* utque docet praxis, quando non omnes chartæ, seu pilæ, seu bullettæ sint in ludo.

Primum motivum vere nullam habebat subsistentiam, tum ex vulgari regula generali, quod dolus non est præsumendus nisi probetur, tum certius quia constabat de justa causa, seu credulitate, ob quam ille positus fuit inter absentes, cum per Rempublicam jam destinatus esset regimini, ac supremæ Præfecturæ Regni Corsicæ cito profecturus, quo casu dicitur absens, quamvis præparando accessum, adhuc esset præsens ad tex. *in l. ab hostibus, §. sed quod simpliciter, ff. ex quibus causis majores*, Jo: Andr. *in add. ad Specul. tit. de jurisd. omn. jud. §. 1. n. 26. in fin.* Alex. *in l. 1. n. 54. ff. de offic. ejus*, ubi Jas. *n. 58.* Rovit. *dec. 61. n. fin.* 12

Multo vero magis quia (ut supponebatur) ex hujus Reipublicæ legibus particularibus, destinati hujusmodi muneribus, sunt inhabiles ad munera in Civitate, quamvis adhuc essent præsentes, quodque in casu, de quo erat quæstio, ille ex speciali dispensatione Senatus, vel Reipub. (non sine magna contradictione) habilitatus esset, quod videtur continere speciem casus fortuiti, qualis regulariter de jure censetur ille, qui ex gratia, vel dispensativo facto Supremi Principis resultat.

Aliquam tamen majorem probabilitatem habebat alte- 13
rum motivum deficientis præsuppositi, potissime vero, ubi accederet ea facti circumstantia, in qua causæ Patroni hinc inde nimium discordabant, quod scilicet aliqua culpa dictorum negotiatorum considerari posset, non certiorando cum novis edictis, ac listis hanc innovationem, dum post eam sequutam, aderat terminus congruus; ideoque ex hoc, & ex quibusdam aliis circumstantiis inferebatur, ad aliquam malitiam, seu captionem, cujus ratione forte pro invaliditate judicatum fuit, ab quodam arbitrio nimium regulato a quadam sinistra opinione nimiæ inæqualitatis, quæ in hac specie contractus dignosci videtur, id arguendo, non solum a priori per regulas ratiocinationis, seu arithmeticæ, sed etiam a posteriori, quod scilicet hujus- 14
modi negotiatores, notabilem Reipublicæ summam solvant pro jure privativo faciendi illum contractum, qui propterea ex communi judicio, inæqualis reputatur, dum in casu æqualitatis non expediret dictam summam solvere, neque jus privativum affectare oporteret, de quibus tamen Advocati non agebant, utpote extra eorum partes, super quibus laudabilis Curiæ stylus est stricte, ac præcise immorandi, non autem evagandi in aliis, quæ 15
causæ punctum, vel legales articulos egrediantur.

ANNOT: AD DISC. XLVII. & seqq.

AGitur in his discursibus de sponsionibus, quæ fiunt super aliquo incerto eventu, de quibus nulla suppetiit occasio disputandi, præterquam in casu, de quo *sub tit. de empt. & vend. disc. 53.* occasione agendi de venditione facta pro pretio solvendo *a tempo, e meglio*.

JANUEN. SPONSIONIS, SUB INCERTIS NOMINIBUS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia sponsionis, an & quando dicatur commissa stipulatio, ejusque casus factus, ubi facta sit super captura alicujus obsessæ Civitatis, vel Arcis, si non vi bellica, sed per concordium, & capitulationes, obveniat ad potestatem obsessoris, & quid, ubi tempore sponsionis jam casus erat sequutus, an sponsio valeat?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quando evictio dicatur sequuta.*
3 *Fidejussor, qui promisit solvere fructus census, non tenetur ad interesse, quod alias debeatur, si census est nullus.*
4 *De stricta interpretatione in sponsionibus datur exemplum.*
5 *Quod differunt capi vi bellica, & se dare.*
6 *De alia stricta interpretatione sponsionis.*
7 *Non obligat sponsio, si de ejus tempore erat factus casus.*
8 *Emptor potest utiliter se transigendo prævenire evictionem.*
9 *Quod bene fiat non expectare vim bellicam, & n. 13.*
10 *Non debent attendi verba, sed substantia voluntatis.*

11 *Qua-*

11 *Qualis in hoc dicatur substantia voluntatis.*
12 *Verba sunt intelligenda juxta communem usum.*
13 *Idem est capi per vim, vel se dare cum capitulatione, dum sequitur effectus amissionis.*
14 *Observantia probat etiam voluntatem.*
15 *Observantia est sicuti supra num. 13.*
16 *De eadem conclusione, de qua num. 7.*
17 *De eodem.*
18 *In dubio contra solutionem sponsionis.*
19 *De eodem, ut sponsio non debeatur, si tunc sequutus erat casus.*
20 *Et de distinctione super eodem.*
21 *Non est locus lucro societatis officii, si de tempore contractus periculum erat imminens.*
22 *Quid in assecuratione, an procedat, etiamsi tunc sequutum esset naufragium.*
23 *De tractantibus quaestionem in specie.*

D I S C. XLVIII.

1 OBsessa per Turcas Civitate Candiæ de dominio Reipublicæ Venetæ, sub die 27. Septembris 1669. inita fuit sponsio in Civitate Januæ, inter Titium, & Sempronium in quadam dupiarum summa super dictæ obsessionis exitu, sustinente Titio, quod ad totum mensem Martii futuri, Civitas non amitteretur, cum illis verbis materna lingua conceptis, *che non si perderebbe*, e converso autem Sempronio sustinente oppositum, *che si perderebbe, e cascarebbe in mano de Turchi*.

Cum autem casus dedisset, quod sub præcedenti die 18. ejusdem mensis, inter dictæ Civitatis primum Defensorem, ac pro Republica Rectorem ea una, & Ducem Exercitus obsidentis ex altera, inita esset capitulatio, cujus vigore dicta Civitas cum annexis dimissa fuit obsessori, atque Imperio Othomanico incorporata, e converso autem Civitas *Salò*, alias *Lopsira*, vulgo *Clissa* nuncupata, aliaque loca per Turcas possessa dimissa fuerunt Reipublicæ, ejusque dominio incorporata, hinc proinde dubitari contigit, an commissa esset necne dicta stipulatio, atque desuper pro veritate consultus, respondi ut sequitur

Pro negativa, ut dictæ stipulationis præcisus casus non evenerit, ideoque stipulatio commissa non sit, eo quia dicta Civitas, non vi bellica, sed jure transactionis, seu permutationis cum aliis locis, ita sequuta esset, plura facere videntur.

2 Primo, quia promissa alicujus rei evictione, istius stipulatio committi non dicitur, nisi res effective de mandato Judicis a possessore abdicata sit, atque in alium translata, non autem si ipse possessor per transactionem, seu alias voluntarie dimiserit, ut ex Caball. *de evict.* §. 4. *n.* 36. Cyriac. *controv.* 18. *n.* 25. & ex Burgund. *de evict.* *c.* 78. *n.* 4. Valer. *de transf. tit.* 5. *q.* 5. *n.* 38. ubi late idem dicit, si ex compromisso, ibique plures cumulat.

3 Secundo quia stipulatio, utpote stricti juris, stricte ad limites verborum intelligenda est, eo modo, quo concepta fuit, unde propterea habemus, quod ille, qui tanquam fidejussor se obligavit solvere fructus census, non tenebitur si tales fructus non debeantur tanquam fructus census ob istius contractus invaliditatem, quamvis iidem, ac in eadem summa debeantur tanquam damna, & interesse, ut per Rot. *dec.* 29. *n.* 9. *par.* 9. *recent. repetit.* post Merlin. *de pignor. dec.* 47. *n.* 5.

4 Tertio, quia in sponsionibus, stricta fieri debet interpretatio, ut bene per Strach. *de sponf. post tract. de mercat. p.* 4. *q.* 9. incipien. *Vide etiam in patria mea &c.* ubi agendo de sponsione facta, si navis in portum pervenerit ut non dicatur commissa stipulatio si pervenerit intra signa portus, quia standum est verborum proprietati.

Et propterea cum stipulatio concepta sit in casu amissionis, *& se si perderebbe*, *a non perderebbe* dici non potest factus casus stipulationis, dum non per viam amissionis per occupationem vi bellica, sed per viam voluntariæ, & conventionalis permutationis Civitas data est.

5 Differunt enim capi per vim, seu virtutem bellicam, & ex conventione se dare, ut erudite probat Petr. Bellin. *de re militar. p.* 2. *tit.* 13. *inter. tract. magn. modern. tom.* 18. *fol.* 345. ubi quod alii sunt dediticii, alii vero sunt captivi, quodque aliud sit, vi bellica capi, aliud vero sponte se dare.

6 Quarto bene ad rem facit *dec.* 57. Crivell. ubi *post n.* 22. *vers. quod autem ad victoriam &c.* dicitur, quod facta conventione, si Infanta Isabella obtinebit in dotem Flandriam, & Burgundiam, quod non diceretur obtinuisse, quamvis de facto casus sequutus esset, quoniam non obtinuerat pleno jure, & pure, sed sub pluribus conditionibus resolutivis, quod satis ad rem facere videtur.

Quinto melius, magisque stringenter, quod dicta verba 7
sponsionis, *che si perderebbe*, *a non si perderebbe*, denotant tempus de futuro, & cum præsupposito quod de tempore conventionis casus amissionis non esset sequutus, & propterea, cum tunc jam per novem dies antea id esset sequutum, conventio de futuro non extenditur ad præteritum, ut bene in puncto Franch. *decis.* 113. *nu.* 4. *&* 5. ubi quod facta sponsione super creatione Pontificis, quod scilicet per totum illum mensem crearetur, vel non crearetur Pontifex Cardinalis Alexandrinus, cum creatio tunc jam sequuta esset die præcedenti, dicitur quod non sit factus casus stipulationis, ponderando etiam *nu.* 5. rationem verisimilitudinis, quod scilicet non esset verisimile, quod si cogitatus esset casus jam sequutus, sponsio facta esset, & hic est casus.

E converso quod sit commissa stipulatio, plura urgere 8
videntur, primo scilicet, quod ubi imminente evictione cum majori damno, & quæ probabiliter timebatur, possessor illam prævenit, ut ita minus damnum sequatur per concordiam, tunc dicitur etiam sequuta evictio per ejus debitorem præstanda, commissaque est stipulatio, ut exteris relatis bene, ac late firmatur per Rotam *decis.* 337. *&* 390. *p.* 5. *recent.* in quarum casu postea Ego scribens pro Duce Bonello, qui ita per transactionem prævenerat evictionem, obtinui condemnari eos, qui præcise se obligaverant ad restitutionem pecuniæ in casu succumbentiæ, quoniam ita dicitur sequuta succumbentia, ut *sub tit. de empt. & vendit. disc.* 19.

Et propterea, cum dictæ Civitatis Defensor, ac Rector 9
agnoscendo imminentem capturam vi bellica, eam prævenerit, ut ita evitaret Christianorum stragem, ac servitutem, aliaque mala, quæ capta Civitate vi bellica (ut notorium est) resultant, nunquam dici poterit, id est actu voluntario, ac simplici conventione sequutum esse.

Secundo magis stringenter, quoniam etiam in conven- 10
tionibus, aliisque actibus inter vivos, non attenditur cortex, vel figura verborum, sed substantia voluntatis, seu finis, ac effectus, super quo inita est conventio, ad text. *in l. in conventionibus* 219. *ff. de verbor. signif. l. sed Celsus*, §. 1. *ff. de contrah. emption.* Castren. *cons.* 148. *n.* 1. *in fine*, *&* *n.* 2. *l.* 1. Mantic. *de tacit. l.* 2. *tit.* 7. *n.* 2. *cum seq.* Buratt. *dec.* 13. *n.* 7. *&* 8. Rota in Romana fidejussionis 24. Maii 1660. cor. Verospio, & in aliis, ac pluries sub tit. *de fideic.* & in omni alia materia, quoniam est principium certum, principaliter præ oculis habendum in judicando.

Substantia autem conventionis, sive finis, ac effectus 11
est, an dicta Civitas per totum mensem Martii obsidioni resistendo conservaretur necne in dominio Reipublicæ, & non perveniret ad manus obsidentis, ut clare probant illa verba, *si perderà, e cascherà in mano de Turchi*, unde cum de facto iste casus jam esset sequutus, quoniam Civitas amissa fuit, nedum per Rempublicam Venetam, sed per universam Rempublicam Christianam, atque ad manus Turcarum devenit, hinc proinde sine dubio videtur factus casus conventionis, non curato medio, quod prorsus extraneum est dicere fuisse voluntarium, quale dicitur quando in mera facultate, ac libito facientis est facere, vel non facere.

Tertio magis clare, quoniam contrahentium verba, 12
seu pacta intelligenda sunt juxta communem loquendi usum, & prout omnes intelligunt, *l. librorum*, §. *Quod tamen*, *ff. de legat.* 3. *l. Labeo*, *ff. de supellect. legat. cum concord.* per Barb. *axiom.* 222. *n.* 7.

Certum autem est, nimisque notorium, quod quando 13
Hostis obsidet Civitatem, vel Castrum, seu aliam munitionem, casus amissionis sequi dicitur, quamvis per viam capitulationis id sequatur, dum frequentius, ac pene semper, ita hæc sequuntur, quoniam species bestialitatis esset expectare amissionem vi bellica, ubi agnoscatur imminens amissio, ita invitando obsessorem ad formale excidium personarum, & bonorum, quod exinde resultat, ita prudenter ex utraque Christiana, & humana prudentia evitandum, & consequenter dicitur factus casus sponsionis.

His stantibus, quando non urgeret quintum, & ulti- 14
mum motivum, de quo supra ad favorem Titii, tunc contra istum, favore Sempronii probabilius respondendum videretur, quoniam urgentiora videntur hæc fundamenta, & fortius ea communi observantia, quæ dicitur optima interpretes, nedum legum, & ultimarum voluntatum, sed etiam con-

contractuum ac mentis contrahentium, ut late colligit Rot. *dec.199.n.12. & 13. & dec.256. n.fin. par.10.rec. & dec.323. n.13.p.11. & passim*, quoniam in tot sponsionibus quæ adeo frequenter in Europa practicari consueverunt, super obsidione Civitatum, vel munitionum, semper intellectum fuit casum amissionis sequtum esse quamvis per viam ca-

15 pitulationis id sequutum esset, ideoque crederem casum esse planum favore Sempronii affirmantis, contra Titium negantem.

16 Ex dicto autem quinto, & ultimo motivo, quod scilicet conventio esset super actu de futuro, qui intra præfinitum tempus posset se habere ad esse, & non esse, non autem caperet actum de præterito jam sequutum, censui respondendum, quod commissa non esset stipulatio juxta firmata apud Franch. *d. dec.153. nu.4. & 5.* ubi in fine refert ita fuisse decisum cum absolutione rei conventi.

17 Licet enim sub quæstione sit, an Text. *in l. hac conditio, §. fin. & seq. ff. de cond. & demonstr.* locum habeat in contractibus, atque affirmativam teneat Bartolus, attamen, ut bene in eadem decisione discurritur, dubia videtur hæc opinio, magisque practicabilis contraria, quod etiam agnoscit Dec. *cons.115.* ubi punctualiter de simili sponsione super amissione munitionis, vel citadellæ, an capiat casum, quod de tempore conventionis jam amissa esset; agnoscit enim Decius veritatem conclusionis, quod conventio non caperet casum de præterito jam sequutum, sed fundat ejus intentionem in facti qualitate, ac forma verborum, ut caperet etiam casum de præterito, ut clare patet ex lectura.

18 Et tamen sufficit ex his casum reddi dubium, ut in dubio pro reo sit respondendum, ut ultra receptum generale axioma in his præcisis terminis decisum fuisse per adeo magnum Tribunal, quale est S. Consilium Neapolitanum, patet ex *d. dec.113.* Franch.

19 Idemque decisum fuit per Rot. Florentinam apud Magon. *dec.8.* ubi facta sponsione, in eventum, in quem ab ea die 12. Dec. usque ad totum mensem Jan. futuri, fieret, vel non fieret per Pontificem Cardinalium promotio, cum hæc jam ipsamet die per horam antea sequuta esset, deciditur ad favorem rei, ut conventio tanquam capiens actum futurum, non conveniat actui præterito jam sequuto, unde cum habeamus duas decisiones punctuales duorum Tribunalium, de alio quærendum non videtur, potissime dum, ut supra in dubio pro reo contra actorem se fundantem in pacto respondendum est. Hactenus Responsum.

20 De sponsione autem intra, quod aliquis erit Cardinalis, si de tempore declarationis factæ a Pontifice, ille esset mortuus, an sit commissa stipulatio, agit Sepron. Ascia *determ.115.* ubi proceditur cum quadam distinctione, an actum esset de promotione in genere per Pontificem facienda de pluribus, inter quos esset ille, qui prius obiit, vel potius de istius particulari persona actum esset, ut primo casu censeretur factus casus, non autem secundo.

21 Et post scripta observabam conferre ea, quæ scribendo alias pro veritate, firmavi in Romana, seu Perusina societatis officii sub *ro tit. de societ. offic. disc.1.* quod si facta esset societas officii super periculo vitæ absentis, qui de eo tempore reperiebatur graviter infirmus, atque in vitæ discrimine constitutus, unde ad paucos dies obiit, ut ex defectu consensus contractus corruat, atque non sit locus lucro cum similibus.

22 Et quamvis in assecuratione navium contrarium magis receptum videatur, ut scilicet etiam naufragium sequutum de tempore factæ assecurationis attendatur, quoties assecuratus probabilem notitiam tunc habere non posset, ut habetur in materia assecurationis *sub tit. de cred. disc.106. & seqq.* Attamen in ea specie contractus est diversa ratio, & non intrant considerationes, quæ cadunt in præmissis, ex ibi deductis.

Tractat etiam consimilem quæstionem Pasqual. *q. moral.* 348. de sponsione facta super obsidione, quæ de eo tempore soluta erat, & concludit pro inutili conventione ex ibi deductis.

ROMANA LUDI

Votum, seu judicium in ludo.

De ludo nuncupato *Homo*, seu *Hombre*, ejusque legibus, & ordine, & an uni ex lusoribus liceat adhibere cautelas, ob quas evitetur obligatio, quæ sibi ex lege conventionis incumbat, & an id dici valeat in fraudem aliorum?

S U M M A R I U M.

1 *De ludo alearum nuncupato* Homo, *seu* Hombre, *ejusque descriptione, & quod sit licitus.*

2 *Casus controversia cum resolutione.*

3 *Votum actoris.*

4 *De conclusione, quod non dicitur fraudem facere, qui suo jure utitur, licet alteri præjudicium resultet.*

5 *De alia conclusione, ut liceat efficere summam majorem, ob quam evitentur præjudicia in casu summæ minoris.*

6 *Datur simile ad probandum dictas conclusiones.*

7 *De materia ludi remissive, & quod ex ludo non competat actio.*

8 *De aliis modis ludendi in eodem ludo* Homo, *seu* Hombre.

D I S C. XLIX.

MOdernus ab Hispaniis in Italiam, gratus, nimiumque usu receptus prodiit ludus *Homo*, seu *Hombre* nuncupatus, in quo sub Judice lis est, an ingenium, vel fortuna prævaleat, adeo ut eum etiam Religiosis permitti posse dicat Moralis Hortado *in tract. de congrua l.3. ref. 3. sub ref.2. num.130. pag.149.* 1

Tribus etenim in oppositum, triangulari forma, in mensa lusoria sedentibus, in primis, ex æquali contributione, in catino, seu vase frequentius cum novem, quandoque vero cum sex nummis aureis, vel argenteis, constituitur ludi præmium, quod *poglia* nuncupatur, deinde ex aleæ eventualitate, pro diverso stylo, statuitur ille prioritatis ordo, qui inter lusores *manus* dicitur.

His peractis, ille qui est ultimus, assumpto alearum fasciculo, constituto (juxta Hispanicum usum) ex quatuor, spatarum, baculorum, denariorum, & cupparum speciebus seu mercibus, eoque diligenter commixto (unicum commixtionis actum perficiente eo, qui est secundus) per turnarium circulum initiandum ab eo, qui est primus, novem chartas singulis distribuit, reliquis tresdecim, super ipsa mensa ad commune futurum commodum, ut intra, remanentibus.

Distributione autem facta, optio est illius, qui manus prærogativam habet, declarare an velit ludi opus assumere, quod (fingendo lusores esse mulieres, vulgo dicitur *farsi hombre*, quasi ita supra alios virum agere se jactet). Dictaque declaratione facta, in ejus libito est eligere, ac declarare eam mercem, seu speciem, quæ triumphatrix esse debeat, nullaque declaratione facta, subintelligitur in illa spatarum.

Dupliciter autem, hujusmodi declaratio, seu operis assumptio fieri solet, primo scilicet, ac frequentius, cum eo auxilio, seu beneficio, quod *scartum*, seu *scartare* dicitur, projiciendi scilicet ex iis, quas habet in manibus, chartas, quas debiles, ac inutiles reputat, supplendoque numerum ex dictis tresdecim in mensa remansis, idque explicari solet cum verbo, *entrare*, & secundo, opus assumendo cum eisdem chartis, quas jam in manibus habet, absque dicto auxilio, seu beneficio, idque dicitur *giocarla*.

Unoque, vel altero casu, dictum chartarum residuum, inter alios duos, utpote oppositores simul collegatos respective dividitur, pro eorum libito, atque opportunitate, cum prælatione ejus, qui a dextris proximus est lusori, absque tamen necessitate sumendi omnes, sed quot placet, reliquas confundendo cum rejectis, ut dicitur, *al monte*.

Ordo ludi est, quod chartæ triumphatrices omnes alias vincunt, easque ad se trahunt, adeout earum omnium infima, atque debilior vincat primariam aliarum specierum, (quod Romanæ Aulæ symbolum præseferre videtur) inter omnes vero primum locum, ac ludi principatum (quæcumque species eligatur) occupat illa charta, quæ unicam spatarum numerum, seu assem continet, vulgo *spadiglia* nuncupata semper, & in quacumque specie triumphatrix, secundum vero ea ejusdem speciei, vel mercis electæ, charta, quæ (cessante qualitate triumphatricis) esset omnium debilior, ac inferior, *maniglia* appellata, & tertium, illa charta, quæ baculorum unicum numerum, seu assem continet, vulgo *basto* dicta, quæ pariter in quacumque specie electa, triumphatrix est, eo modo, quo est prima.

Post dictas autem tres, (quæ privilegiatæ sunt, ideoque *matatore* nuncupantur,) in duabus speciebus nigri coloris, spatarum, & baculorum, quartum locum occupat charta continens figuram Regis, quintum illa Equitis, Et sextum

peditis,

Peditis; Deindeque major numerus vincit minorem, unde septimus vincit sextum, & sic successive.

In aliis vero duabus rubri coloris, denariorum, & cupparum, quartum locum occupat illa charta, quæ unicum continet numerum, vulgo *asse*, quintum figura Regis, sextum illa Equitis, septimum Peditis: Et deinde, minor numerus vincit majorem, ideoque binus vincit ternum, & sic successive.

Incipiente autem ludere eo, qui manus potioritatem habet, si omnes habeant de ea specie, in illa respondere tenentur, atque major (juxta dictum ordinem) alias minores occupat, easque ad se trahit, ubi vero quis caret ea specie, tunc in ejus libito est, cum charta triumphatrice, licat infima, alias quamvis majores, ut supra, occupare, atque ad se trahere, non tamen invitus cogitur, sed de altera specie dare potest, quæ tamen, quamvis dignior, vincitur ab inferiori; de qua ludatur.

Nisi primus lusor chartam triumphatricem exhibeat, cum tunc pernecesse oporteat, chartas pariter triumphatrices dare, sive sint inferiores, sive superiores, exceptis tribus privilegiatis, ac primi ordinis, *mattatore* dictis, obedire non obligatis, nisi inter seipsas, juxta præfatum earum ordinem, quod scilicet *Spadiglia* tanquam prima nemini obedit, *Maniglia* vero tanquam secunda obedit solum primæ, *Bastus*, qui est tertius, obedit solum duabus superioribus, non autem inferioribus.

Nimiumque rigurose in hoc ordine proceditur, adeout ille, qui contraveniat, unamque speciem pro altera tribuat nisi re integra se retractet priusquam (ut dicitur) basa cooperta sit, severe puniatur, reponendo de proprio in dicto catino, seu vase, ubi repositum est ludi præmium, aliam æquivalentem summam, eademque pœna quoque adjecta ast habenti majorem, vel minorem numerum chartarum quoties, re integra, & antequam alii proprias chartas videant, non detegatur error, eademque pro styli diversitate pœna incurritur pro aliis erroribus cognitis.

Ubi vero ille, qui est primus, dictam electionem non faciat, neque ludi opus assumere velit, id declarare debet cum verbis, & factis, verbis scilicet, dicendo *passo*, factis autem ponendo unum nummum in vasa, seu massa prædicta, ideoque dictum jus optionis transmittitur ad secundum, eoque negligente, atque sequuta, verbis & factis eadem declaratione, ad tertium, quo pariter negligente, ac solvente, reassumitur nova chartarum distributio, cum eodem circulo, usquequo aliquis ludi opus assumat, atque ita ex hujusmodi contributione, ludi præmium, seu *poglia*, impinguari solet, atque magna effici.

Finis autem ludi est, quod ille, qui opus assumit, atque *Hombre* se declarat, tenetur majorem chartarum partem vincere, seu plures basas facere, computata tamen majori parte, non quidem comparatione omnium (ut in electionibus præsertim Ecclesiasticis contingit) sed comparatione partis minoris, ut receptum est in præsentationibus ad beneficia de jurepatronatus, aliisque nominationibus, juxta distinctionem, de qua *sub tit. de jurepatr. disc.* 61. & in aliis & tunc suum est præmium, quod est in massa.

Ideoque ex novem basis, regulariter quinque habere debet pro victoria, quoties unus ex oppositoribus quatuor obtineat, ubi vero unus tres, & alter duas, tunc, quatuor utpote constituentes majorem partem comparatione minoris, ei sufficiunt ad victoriam.

Æqualitas vero in lusore succumbentiam producit, ideoque quod scilicet fiant tres basæ per singulos, sive quod oppositor faciat quatuor, sicut ipse lusor, tunc sicuti in casu victoriæ præmium obtinet, ita e converso, per quandam speciem pœnæ talionis, in casu succumbentiæ, solvit de proprio tantundem quod in caso æqualitatis reponitur in eadem massa, ubi vero unus ex oppositoribus eum vincat, etiam in numero, quia nempe majore faciat basas, tunc pœna sibi applicatur, eamque dicitur obtinere, seu vincere *di codiglio*.

Cum ea quoque differentia; inter casum, in quo, ut supra ille, qui ludi opus assumit, imploret beneficium, quod dicitur, *del scarto*, & alterum, in quo, hoc beneficio neglecto, ludere profiteatur cum solis aleis, quas in manibus habet, ut hoc secundo casu, vincendo, non solum obtineat præmium in massa existens, sed etiam a singulis oppositoribus exigat novem, vel respective sex nummos, primum præmium, seu *poglia* constituentes, e converso autem in casu succumbentiæ, singulis de proprio tantumdem solvat, ultra id, quod solvendum ast loco integri præmii quod est in catino.

Isteque magis periculosus ludendi modus, absque dicto *scarti* beneficio, in eo privilegiatus est, quod inferior, qui ita ludere velit, præferatur primo, vel superiori declaranti velle ludere cum dicto beneficio, optione tamen data illi qui eum præcedat, in casu hujusmodi provocationis, faciendi idem ac præferri.

Stantibus autem adeo magnis prærogativis, quibus potitur *spadiglia*, hinc ad pigros, vel timidos excitandos, vel coercendos, ex peculiari ludere volentium conventione, quandoque statui solet, ut ille, ad quem dicta charta obveniat, quamvis invitus, ludi opus assumere teneatur atque incertæ aleæ *scarti* se exponere, & tunc dicatur ludi *colla spadiglia a forza*.

Ista vero necessitas restringi solet ad aliquam moderatam summam, non autem ubi sit nimium excedens, istaque conventio dupliciter concipi solet, primo scilicet, simpliciter, ac per viam præcisæ indefinitæ necessitatis, adeout si ille, qui habendo chartam in manibus, dictaque necessitate prematur, fingendo non habere, dicat *passo*, nummumque solvat, idemque faciant alii, quorum nemo ludi opus assumat, tunc ipse tenetur se declarare, atque nummi soluti reassumuntur, tanquam per speciem omnimodæ retractationis ejus, quod gestum est unde catinus remanet in primævo statu.

Quandoque vero licitum redditur præfatam obligationem habenti, alios ut supra invitare, & nummum solvere, nullo autem eligente, tunc pariter se declarare tenetur atque opus assumere, absque tamen dicta retractatione, vel reassumptione nummorum solutorum, qui propterea irretractabiliter remanent in massa, quam augent, & impinguant.

His autem, ita circa ludi naturam, ordinem, ac finem 2
præsuppositis, cum tres nobiles viri (inter quos unus erat magnatum primarii Ordis) ita luderent, *colla spadiglia per forza*, juxta dictum posteriorem modum, obligatione tamen restricta infra sex *poglias*, constituentes numerum 54. nummorum, vel singnorum, ad illum vero Magnatem, qui manum habebat, obvenisset *spadiglia* in statu, quo massa adamussim constituebatur ex dicta obligatoria summa, vel parum minus, ideque, solvendo nummum, ac fingendo eam non habere, alios provocasset, qui pariter solverunt, eaunde effactum est, ut per hos tres nummos ita solutos, præmium, seu *poglia* adeo crevarit, ut præfatam summam obligatoriam excederet.

Hinc proinde dubitari contingit, an ejus obligatio intraret necne, atque post magnam quæstionem illi, qui ludo assistebant (qui *mirones* nuncupantur,) pro majori parte (altera nimium discrepante) eum obligatum declararunt, quare ab aliis diversum sensum habentibus, desuper, non tanquam J. C. sed tanquam ejusdem ludi aliquam habens notitiam, & usum de proprio voto, ut fieri solet expetitus.

Respondi, quod ubi obligatio habentis *spadigliam*, esset 3
pura & simplex, adeout sibi non liceret fingere, aliosque invitare, unde propterea fictione detecta locus esset retractationi, ut supra, tunc recte id procederet, cum ob retractationem solutionis indebite sequutæ, massa, vel *poglia* remaneat in primævo statu, perinde ac si actus intermedius sequutus non esset, secus autem in altero casu, quoniam ita irretractabiliter constituta massa, vel *poglia* in eo majori statu, impossibile ast dicere, ut sit minor, dum per dictam solutionem irretractabilem trium nummorum, ita tanquam per speciem alluvionis, vel augmenti inseparabilis a reliquo corpore, effecta est summa major, ac diversa, neque dictum augmentum a reliquo distingui potest, minusque stare in aere, & consequenter intrat defectus extremorum habilium, qui impedit retrotractionem.

Ad id autem probandum (adhibendo terminos legales) 4
deducebam axioma generale, super quo multa jura cumulat Barbos. *axiom.* 135. *n.* 8. quod nemini injuriam facit, neminemque lædit, qui suo jure utitur, ac etiam ea, quæ ad materiam Text. *in l. altius*, *C. servit. & aqua*, habentur pluries sub *tit. de serv. disc.* 2. *& seqq.* quod non attenditur vicini consequutivum præjudicium, sed utilitas facientis.

Magis vero proxime deducebam ea, quæ habentur apud 5
Franch. *dec.* 141. *cum concord.* deductis per Adden. ad eum, quod scilicet, disponente lege, vel Statuto, ut pro debito infra summam scutorum 150. appellatio suspensiva non intret, si conventus pro illa, vel minori summa, cum licitis dilationibus, seu cum aliis non improbatis cautelis, tandiu causam protrahat, ut de tempore condemnationis, cum accessionibus interim decursis, summa effecta sit major, tunc Statutum non intrat, sed appellationis beneficium competit, quæstione solum cadente, ubi victor illi augmento cedere velit, quod in hac facti specie non intrat.

Illum vero dicebam esse quæstionis casum, ut scilicet,

quem-

quemadmodum ibi non litis initium, sed condemnationis tempus attendi debet, ita a simili, debeat isto casu attendi status præmii, seu *poglia*, non quando charta obligatoria obvenit, sed quando (facto dicto legitimo circulo,) nascitur, seu exerceri debet obligatio, tanquam subsidiaria, eatenus arctativa, quatenus dicta præcedens cautele non suffragetur.

Ideoque non subsistere dicebam fundamentum, cui (ut relatum fuit) innitebantur contrariam tenentes opinionem, quod scilicet ita esset conventioni fraudem facere; id etenim recte procederet in dicto primo casu, in quo obligatio sit pura & simplex, unde de consequenti dicta simulatio sit illicita, ideoque locus fiat retrotractioni ejus, quod indebite gestum est, perinde ac si sequutum non esset.

Secus autem ubi id licitum sit, ex dicto axiomate, quod fraudem facere non dicitur ille, qui suo jure utitur, atque cum cautelis a jure non improbatis propriam obligationem evadere conatur, ita principaliter agendo ad proprium commodum, non curato consecutivo præjudicio, quod alteri resultet, juxta dictam regulam generaliter desumptam ex d. tex. *in l. altius, C. de servit. & aqua*, super æmulatione excludendâ, ut non curetur alterius damnum, vel præjudicium consecutivum, sed attendatur utilitas utentis jure suo.

Hinc a simili habemus, quod eo ipso, quod nascitur puel-
6 la descendens testatoris, acquirat jus dotationis ad bona fideicommissi, ex deductis *sub tit. de dote, disc.* 145. *& sub tit. de feudis ad materiam Bullæ Baronum, disc.* 82. Sed quia hæc actio non est exercibilis, nisi prius sequantur legitimæ nuptiæ, ac etiam constet de casu subsidii, hinc si possessor fideicommissi, legitime impediat hujus subsidiariæ actionis exercitium, ita & taliter quod re integra puellæ obveniant bona libera, seu alias res reducatur ad diversum statum, ob quem evitari valeat dispositio *Auth. res quæ, C. commun. de legat.* nemini fraudem fecit, sed ita evitavit hanc subsidiariam obligationem, cum similibus.

In hac autem ludi materia, quando scilicet ille sit licitus
7 vel illicitus, atque de lusorum pœnis, ac aliis, multa post antiquiores ab eis relatos, colligunt Farin. *q.* 109. per totum, & doctus amicus meus Pratus *tom. 3. discept.* 1. ubi de curiosa quæstione in ludo scaccorum, idem Prat. in add. ad Paschal. *de patr. potest. p. 1. c. 3. vers. Pulchrum est*, Chrispolt. *de re militar. casu* 50. Scannarol. *de visit. carcer. lib.* 1. §. 13. *c.* 4. Revert. *dec.* 423. ibique Marin. in addit. Dian. *p.* 7. *moral. tract.* 9.

Apud quos in specie habetur, ut pro ludo nulla competat actio in judicio exercibilis, quamvis id, quod ex causa ludi debetur, in alium contractum conversum esset, ex deductis per Farin. *d. q.* 109. *p.* 6. *n.* 203. *cum seq.* & firmavit pluries Rota, præsertim apud Greg. *dec.* 47. & plenius *dec.* 95. *p.* 5. *rec.* ubi de conversione in alium contractum, ad quod plures dantur limitationes apud Thomat. *dec.* 20. Fattuac. & Prat. *ubi sup.* Et de jure privativo vendendi aleas lusorias habetur actum sub *tit. de Regal. disc.* 79. *&* 80. Scannarol. *loc. supr. cit.*

Percutiunt autem præmissa, illum ludendi modum, mo-
8 derniorem quidem, sed magis gratum, ac receptum, qui per tres fiat, duo autem alii adsunt modi, cum quibus ille ludus nuncupatus *Hombre* exercetur, primus antiquior juxta primævam inventionem, seu introductionem, qui per quatuor exercebatur, unde propterea ille novus modus trinus ad differentiam antiqui *Renegado* vulgo nuncupatur, & alter modernior, qui per quinque exercetur vulgo *Quintilio* appellatus, sed inane opus videtur eorum modos describere, cum eorum usus nimium rarus, ac pene abolitus videatur, dictusque, ut supra descriptus inter nobiles magis usu receptus habeatur.

ANNOT. AD DISC. XLIX.

Ludus de quo agitur in præsenti discursu, descriptus fuit ab eodemmet Auctore etiam materno idiomate, ut in liberculo intitulato *giuoco dell' ombre*, in quo aliæ quæstiones desuper cadentes enucleatæ fuerunt.

De variis annotationibus generalibus, vel remissionibus ad hanc materiam alienationum, & contractuum, ac pactorum, & præsertim de transactione, ejusque materia.

SUMMARIUM.

1 *Frequens est materia, sed quare raræ sint annotationes.*
2 *De locis in quibus de contractibus nominatis agatur.*
3 *De tribus essentialibus requisitis transactionis.*
4 *Transactio non datur in re clara.*
5 *Minusque post rem judicatam, & n. 19.*
6 *Exigit commodum reciprocum hinc inde.*
7 *Quod earum sit ex hoc capite transactionem annullari, & de ratione.*
8 *Litis timor sufficit.*
9 *Et qualis qualis dubietas, etiam dictum unius Doctoris, & num. 23.*
10 *In Curia de facili tollitur res judicata per viam restitionis in integrum.*
11 *Ideo non verificatur conclusio, de qua n. 5.*
12 *Pro commodo sufficit recessus a lite.*
13 *In transactione intrat læsio.*
14 *Per hanc viam facilius rescinditur.*
15 *Difficultas circa requisita, de quibus n. 3. cadit ubi adest interesse tertii.*
16 *Transactio facta per Prælatum, vel Rectorem Ecclesiæ, an obliget successorem.*
17 *Quid in juribus Regalibus.*
18 *Et quid in feudis.*
19 *Et in majoribus Hispaniæ.*
20 *De distinctione, cum qua proceditur in fideicommissis, an obligetur successor.*
21 *De alia specie transactionis in fideicommissis claris, & sine lite.*
22 *Et de emphyteusi.*
23 *De conclusione, de qua n. 9.*
24 *An debitor transigat in præjudicium creditorum?*
25 *An mulier super bonis liberis, in eorum defectum agat ad fideicommissaria?*
26 *Transactio extinguit omnia jura.*
27 *Intelligitur de iis, quæ erant in lite, & quando capiat etiam alia.*
28 *De aliis ad materiam remissive, & præsertim, an transigens audiatur, non restituto quod accepit?*
29 *De materia alienationis.*
30 *Et de facultate alienandi.*
31 *De pacto quotæ litis.*
32 *De illo super hæreditate, vel successione.*
33 *De præjudicialibus matrimonio.*
34 *De obligationibus ad Religionem.*
35 *De simoniacis.*
36 *An pactum nudum pariat actionem?*
37 *An pacta prohibita vitient, vel vitientur?*
38 *De flocchis & civanziis.*

DISC. L.

Nil Forum frequentius tractat, quam contractuum, ac 1
pactorum, & alienationum controversias, adeout, quilibet longe infra mediocritatem Causidicus, volumina desuper edere valeat, & tamen, vix modicus forensium quæstionum numerus in unum collectus haberi potest, vel quia omnes circumferantur super eisdem articulis, & conclusionibus, unde esset eorundem repetitio superflua, vel quia materia varias habeat sedes, pro contractuum, ac pactorum, & alienationum diversa natura, & qualitate; sub hoc ete- 2
nim genere cadunt, emptio, & venditio, locatio & conductio, feudum, emphyteusis, donatio, & aliæ contractuum species, quæ suas particulares habent sedes.

Prout alienationem plures quæstiones, in feudali præsertim, ac fideicommissaria tractatione cadunt, idemque potissimum contingit in transactionibus, adeo frequenter in Foro tractatis, sub diversis tamen sedibus cadentibus, ideoque ad aliquam materiæ notitiam, ultra ea, quæ *hoc tit.* adnotata habentur.

Quatenus ad transactionem præsertim pertinet, plures, ac frequentes in ejus materia audiuntur quæstiones, quæ tamen ad infrascriptas restringi videntur.

Primo scilicet disputari solet super transactionis tribus 3
necessariis, ac essentialibus requisitis, litis, dubii, & reciproci emolumenti. Non datur enim transactio sine lite, adeout illa debeat esse vera, & sincera non autem affectata, vel asserta, seu conficta ad text. *in l. 1. ff. de transaction. cum ibi notat. cum concord.* per Surd. *decis.* 132. *num.* 20. *& decis.* 185. *numero* 9. *&* 10. Rota apud Merlin. *decis.*

cis. 6a1. repetit. decis. 271. num. 22. part. 6. recent. & frequenter.

4 Prout non datur in re clara, ideoque requirit probabila
dubium, ax allegatis, & bena in Bonon. *nullitatis concordiæ*
5 12. *Junii* 1645. coram Cetro: Et de consequenti non in-
trat ubi causa finita ast per rem judicatam, *dict. l. 1. ff. de
transact. leg. si causa cognita*, C. *eod. tit.* Rom. *cons.* 504.
num. 7. Rot. *dicta dec.* 21. Marlin. *alias dec.* 337. *n.* 1a. *par.* 5.
recent. & sæpius.

6 Et demum exigit reciprocum commodum, seu amolu-
mentum, ut scilicet aliquid hinc inde detur, vel remitta-
tur, alias, ubi quis nihil obtinet, alter vero totum id,
quod ax litis eventu sperare posset, tunc dicitur transactio
leonina, & consequenter nullius roboris, etiam quoad ip-
sosmet transigentes, eorumqua hæredes, val causam ha-
beutes, ut apud Carill. *dec.* 279. *n.* 1. *in dict. Bonon. nullita-
tis concordia* 12. *Junii* 1645. coram Cerro, ideoqua cum
sit juris principium absoluturo.

7 Rati autem sunt aasus, in quibus ax his defectibus quo-
ad ipsosmet transigentes, val habentes causam ab eis, trans-
actiones annullentur, cum dicta requisita regulariter vera,
ob limitationes, vel declarationes eis traditas, (quoties
admixtum non ast interesse tertii indapendentis, cujus re-
spectu de his quæri solat,) illa quodammodo idealia remane-
re videantur.

8 Siquidem quoad primum litis, receptum ast, ajus habi-
tualem existentiam, seu ejusdem futuræ timorem sufficere,
ex deductis apud Burat. & add. *dec.* 280. Cavaler. *dec.* 407.
n. 7. *dec.* 161. *n.* 5. *par.* 7. *rec. & pluries*.

9 Atqua circa dubietatem, pariter ad hunc effectum, (ces-
sante scilicet mixtura tertii) & inter ipsos transigentes, re-
ceptum ast, eam sufficere talem qualem, adeout etiam,
dictum, vel opinio unius Doctoris attendatur, juxta de-
cisiones deductas *sub tit. de emphyt. disc.* 52. *& de fideicomm.
disc.* 173. *& seqq.*

Cumque, ut pluries *hoc eodem tit.* ac fere in omnibus ad-
vertitur, & præsertim in sua propria mataria *sub tit. de ju-
diciis*, res judicata, vel tres conformes, ad quandam cæ-
remoniam, seu formalitatem, præsertim in Rota, & Cu-
10 ria Romana redacta videantur, adeout ax prætextu injusti-
tiæ quamvis non notoriæ, sed ordinariæ, & simplicis, ni-
mium de facili, adversus rem judicatam jamdiu observa-
tam, respondeatur, ut inter quamplura exempla, patet ex
illo, de quo *in Nolana beneficii* a. *Decembris* 1669. *&* 27. *Ja-
nuarii* 1670. coram Vicecomite, ubi de restitutione in inte-
grum adversus rem judicatam Rotalem cor. Seraphino de
anno 1599. & sic post pacificam observantiam annorum
70. de quo casu habetur *sub tit. de benefic.* cum aliis ca-
sibus, de quibus in dicta sua sede *sub tit. de judic.* ubi
atiam de aliis super facili infirmatione trium conformium
Rotalium axecutioni etiam demandatarum, ut præser-
tim liquet ax casu, de quo *sub tit. de fideic. disc.* 179.
hinc proinde non da facili verificabilis ast ista defectus
cessantis dubiatatis, val rei judicatæ.

11 Et quoad reciprocum commodum, quandoque dictum
est, illud verificari in eo commodo, quod reportatur per re-
cessuro a lita, & aliquarum axpensarum remissionem,
quamvis id, quod sub lita erat, totum ab altero obtinea-
tur, ut apud Rojas *dec.* 437. *n.* 5. *& dec.* 477. *n.* 6. apud Merl.
dec. 163. per totum, in quibus concordantes.

12 E converso autem illa relaxatio hujusmodi requisitorum
in Curia, compensata remanet cum opinione apud alios
nimis controversa, de facili admittendi læsionem in illo
contractu transactionis, juxta terminos textus *in l.* a. *Cod.
de rescind. vendit.* cum aadam distinctione inter læsionem
enormem, & enormissimam, ut primo casu intret rescissio,
cum optione ejus, contra quem intentatur, vel restituen-
13 di, vel supplendi justum pretium, cum lucro fructuum
medii temporis, in altero autem læsionis enormissimæ,
utpota redolentis dolum præsumptum, intret nullitas adi-
mens dictum optionis beneficium, obligatoria quoqua ad
restitutionem fructuum, ex iis, quæ habentur *sub titul.
de empt. & venditione*, præsertim *in Romana transactio-
nis, disc.* 27. *& in aliis*.

14 Ideoque id, quod non de facili resultat per dictam
viam deficientium requisitorum, resultare solet per istam
viam enormissimæ læsionis, ad cujus affectum inspicitur
de majori, vel minori dubiatate, & an emolumentum
sit proportionatum æstimationi dubii, seu incerti even-
tus litis.

15 Majores autem, ac frequentiores controversiæ, in ista
transactionis materia, esse solent, ubi admixtum est in-
teresse tertii venientis independenter ab ipsis transigenti-
bus, quoniam facto non obligetur, adeout sibi non ob-
stet regula textus *in l. cum a matre, Cod. de rei vendic.
& l. vendicantem, ff. de evict.* an scilicet illi præjudicet,
seu eum obliget ad observantiam.

Id autem plures habet casus diversos, in quibus diver-
simode respondendum ast, ideoque certa, & determinata
regula generalis desuper tradi non potest, sed pendet de-
terminatio a qualitate, vel jure tertii, de cujus obliga-
tione, vel præjudicio agatur.

Primus autam casus est successoris in Prælatura, vel 16
beneficio Ecclesiastico, an stare teneatur transactioni
prædecessoris, vel potius aa remaneat personalis. Cum-
que in hoc, ultra requisitum bonæ fidei, de quo infra,
in fideicommissario, vel altero circa transactionam super
bonis, vel juribus indifferentibus, ad effectum obligatio-
nis successorum, requiratur atiam copulativa solemnitas
beneplaciti Apostolici ad limites *Extravag. Ambitiosæ, de
reb. Eccles. non alienan.* vel pro bonorum, seu jurium
qualitate, auctoritatis Ordinarii cum aliis ad limites ju-
ris communis, cum hodie extra controversiam sit trans-
actionem venire sub prohibita alienationa, ex deductis
supra discurs. 1. & in aliis plurias, *& sub titul. de
jurisdict. disc.* 24. Hinc proinde cum copulative requi-
rantur solemnitas, & causa, adeout unum sine altero
non sufficiat, nil refert, an concordia optima fida inita
sit, ubi deficiat solemnitas, quæ e converso causam non
supplet, sed hoc non resultat a potestate transigentis,
sed a qualitate bonorum, & jurium, super quibus ast
transactum.

Alter casus est præcedenti similis, ubi agatur de Re- 17
galibus, vel aliis, quæ nullatenus in commercio sint abs-
que Papæ, vel alterius Principis respective beneplacito,
ut sunt beneficia, & pensiones Ecclesiasticæ, officia, &
alia jura Regalia, in privato commercio non existentia,
quoniam ubi agatur de imprimendo jus in re, vel ad
rem, adeout contractus percutiat ipsius rei, vel juris
substantiam, nil refert adesse causam, si copulative so-
lemnitas non adest, ex pluries deductis in suis respecti-
ve materiis *sub tit. de benef.* & sub altero *de pensioni-
bus*, ac sub altero *de Regalib.* iden idem procedit.

Tertius est causus in feudis veris, & propriis pacti, & 18
providentiæ, in quibus successor veniat jure proprio inde-
pendenter a feudatario transigenta, & de hoc habetur actum
sub tit. de feudis disc. 49. ubi de distinctione inter feuda Re-
gnorum utriusque Siciliæ, ob eorum peculiares leges, ob
quas, justa causa sine assensu non sufficit, quamvis adroi-
xtam habeant hæreditariam qualitatem, & terminos ju-
ris communis feodorum, ax ibi deductis.

Quartus ast in majoratibus, ac primogeniis, & fidei- 19
commissis, in quibus apud antiquiores aliqua dignoscitur
discrepantia opinionum, an transactio inita per grava-
tum, vel possessorum afficiat successorem jure suo ve-
nientem. Hodia vero, exceptis majoratibus Hispaniæ,
in quibus, vel ax peculiaribus legibus, val ex recepto
stylo, indefinite recepta ast negativa absque Regia fa-
cultate, adeout parificari videantur feudis dictorum Re-
gnorum utriusque Siciliæ, in reliquis jure communi re-
gulandis, adeout particulare obstaculum non accedat,
decisio pendet a bona, vel mala fide, ut in casu bonæ
fidei afficiat successorem, secus autem a converso, unius
autem, vel alterius fidei qualitas pendet ab ipsius litis 20
dubietate ex iis, quæ habentur pluries in sua materia
sub tit. de fideicommissis, præsertim *disc.* 173. *& seq.
& d. disc.* 49. *de feud.*

Aliaque in hac fideicommissaria materia datur impro-
priæ transactionis species atiam sina lite, super futura sci-
licet incerta spe, ita tanquam per emptionem, & vendi- 21
tionem jactus retis, val incertæ aleæ in transactionem
deducta pro certo præmio de præsenti, juxta casum, de
quo agitur *eod. tit. de fideic. disc.* 94. ubi de eadem distin-
ctione bonæ, vel malæ fidei, & an collusiva alienatio
sub hoc transactionis pallio veletur.

Idemque ax eadem ratione pariformiter procedit in tran-
sactiona, quæ fiat super bonis emphyteuticis pacti, & pro- 22
videntiæ, ax iis, quæ habentur *sub tit. de emphyteusi, dis-
curs.* 52. Ubi, ac etiam locis citatis *sub tit. de fideicommissis*
advertitur, quod licet quandoque in hac specie transactionis
adhibita fuerit supra insinuata declaratio, ut qualis qualis 23
dubietas sufficiat, etiam quæ ex dicto, vel opinione unius Do-
ctoris resultat; Attamen id erroneum est quoniam, aliud
ast agere de dubietate, ad effectum inducendi validitatem
tran-

transactionis inter ipsosmet transigentes, & ne dici valeat, eam prodiisse in re clara; aliud vero est considerare probabilem dubietatem pro illa bona fide inducenda, quodque recompensa congrua sit, habita ratione incerti eventus, adeout actus utilis, ac prudens, etiam pro successoribus ita gestus videatur, & consequenter clarus error est istos terminos confundere.

24 Tertii interessati ad hanc effectum eodem jure dicuntur creditores transigentis, an sc. quemadmodum debitor in præjudicium creditorum jura quæsita, & sibi competentia remittere non potest, ita neque transigere valeat, & de hoc habetur actum in sua materia *sub tit. de cred.*

25 Ac etiam, tertii nomine venit fideicommissum, ex quo in subsidium bonorum liberorum dos constituenda, vel restituenda extrahi potest, ad terminos *textus in auth. res quæ, C. commun. de legat.* an sc. quemadmodum mulier remittere non potest, vel nolle quærere bona libera, ita super eis transigere valeat necne, de quo habetur actum in sua materia *sub tit. de dote disc.* 145. cum similibus, quibus eadem congruunt rationes.

26 Altera quoque satis frequens quæstio in hac transactionis materia cadere solet super comprehensione bonorum, ac jurium; quamvis enim transactionis natura sit extinguere omnia priora jura, & actiones, omniaque acta, adeout alia non remaneat actio nisi agendi ad ejus observantiam, & executionem *c. 1. de transact. cum concord.* per Mant. *de tacit. lib.* 26. *tit.* 7. *n.* 4. Greg. & add. *dec.* 216. *n.* 2. *& dec.* 286. *n.* 6. Borat. *dec.* 464. *n.* 7. *& frequenter*, adeo ut sit principium absolutum, ac præsupponendum.

27 Attamen id intelligitur de bonis, & juribus, quæ erant in lite, non autem de aliis, ex deductis præsertim *sub tit. de feud. disc.* 47. & alibi frequenter.

Verum licet ista regula certa sit, adhuc tamen certa, & recepta est limitatio, ubi transactio per verba generalia, & effrænata concepta sit, ut tunc capiat etiam ea, quæ sunt extra litem, ita tamen quod istorum respectu non dicatur vera transactio, sed potius condonatio, vel pactum de non petendo. Unde plerumque quæstio est potius facti, quam juris, super verborum, seu clausularum formula, & amplitudine, pro hujusmodi operatione inducenda necne, in quo tamen, juxta generalem naturam quæstionum facti, & voluntatis, certa, & determinata regula dari non potest, sed in singulis casibus particularis decisio pendet ab eorum circumstantiis, licet enim generalis distinctio sit an pars proœmialis ad certam transigendi causam restricta sit necne, ut primo casu, clausulæ, & verba quantumvis ampla tieut famulative, seu consecutive, & ultra non operentur, secus autem in altero; attamen hæc est nuda juris præsumptio, quæ ex contraria probatione, vel fortioribus præsumptionibus tollitur, ex iis, quæ habentur in hac materia deducta pluries alibi, præsertim *sub tit. de feudis disc.* 47.

28 Pleraque alia sub hoc transactionis contractu cadunt, quæ colligere professus est Valeron. *in peculiari tract. de transact.* Ubi etiam de præmissis, & præsertim ad materiam tex. *in l. si diversa C. de transact.* an sc. & quando possit quis audiri non facta restitutione ejus, quod accepit, de quo apud Greg. & adden. *dec.* 371. 354. *&* 418. *dec.* 124. *nu.* 25. *p.* 10. *rec.* & frequenter in aliis, ac habetur *sub tit. de judiciis* super puncto, an & quando id impediat ingressum judicii.

Et de materia tex. *in l. de his, ff. de transact.* habetur *sub tit. de renunc.* Quodque aliquid obtinens jure transactionis, non dicatur obtinere jure novo, neque transigentem agnoscat in auctorem, sed jure suo primævo tanquam per remotionem obstaculi, est nimium frequens, ac recepta conclusio, de qua in omni fere materia.

29 Quovero ad alienationem in genere, circa illius prohi-
bitionem in bonis Ecclesiæ, ac pupillorum, minorum,
seu Communitatum habetur in præcedentibus *hoc eod. tit.*
In feudis autem, ac Regalibus, & emphyteusi, & fidei-
commissis, habetur in suis respective titulis, & præsertim
in hoc ultimo *de fideicommissis* habetur de facultate alie-
nandi, an concessa in vita, competat in morte, sive ad
30 exercitium deducta dicatur per simplicem institutionem
hæredis, vel aliam genericam dispositionem, ut præser-
31 tim *d. tit. disc.* 58. Quovero ad pacta, de illis quoties li-
tis agimus *sub tit. de judiciis*, & de pactis super hæredi-
32 tate, vel successione viventis *sub tit. de success. ac sub*
d. tit. de fideic. disc. 141. Et de pactis restringentibus ma-
33 trimonii libertatem *sub tit. de matr. & sub tit. de usur.*
disc. 36. Et de obligationibus ad professionem *sub tit. de*

regul. Et de pactis simoniacis in beneficiis, & pensioni- 34
bus sub utroque *tit. de beneficiis, & pensionibus*, cum
similibus, de quibus fere in omnibus titulis, seu mate- 35
riis, & præsertim *sub tit. de credito*, ubi præsertim, an
& quando pactum nudum producat obligationem, & actio- 36
nem, & de pactis prohibitis, an & quando vitient, vel
vitientur, habetur *sub tit. de censibus*, & sub altero *de* 37
feudis in proposito refutationis, cum similibus, de quibus
sparsim pro contingentiam casuum opportunitate in suis
respective materiis.

De illis contractibus illicitis, qui vulgo dicuntur *stocchi, barocchi, & civanzia*, raro Forum agit, adeout occasio adhuc non præbuerit id formiter disputare, quamvis in praxi de facto illi sint nimium frequentes, atque de eis deberet frequenter agi in Foro criminali, hujusmodi creditores severe puniendo, & de his agitur apud Fenzon. *ad Statutum Urbis* 153. per quod Statutum hujusmodi contractus improbantur. 38

ANNOT. AD DISC. L.

AD materiam transactionis ultra deducta in præsenti discursu generali, videri potuerunt deducta *hoc eod. tit. disc.* 70. in quo agitur de perfectione, ac probatione transactionis, adeout effectum sortiri debeat.

ROMANA MODERATIONIS MONITORII PRO RECTORE ECCLESIÆ N.

Discursus in congressu pro directione.

De pœnis contentis in *Extravag. Ambitiosæ* pro alienatione bonorum Ecclesiæ, quando incurrantur, & locum habeant necne?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *An ob invalidam alienationem procedi possit criminaliter?*
3 *Ad effectum pœnarum requiritur dolus, & malitia.*
4 *Aliud est agere de nullitate actus, & aliud de pœnis.*
5 *Bona concedi solita possunt concedi.*
6 *Reservatio beneplaciti, an excuset.*
7 *De differentia quoad pœnarum speciem.*
8 *Retractatio alienationis re integra excusat.*
9 *Utilitas etiam excusat.*
10 *An, & quando dispositio* Extrav. *intret in pecunia destinata investimento?*

DISC. LI.

COncessa per Rectorem domo in emphyteusi ad tertiam generationem cum reservatione beneplaciti Apostolici, cum ante ejus impetrationem sequuta traditione, concessionarius notabiliter domum melioraffet, cum impensa sc. mille, & altra, interim vero sequuta esset restitutio sortis cujusdam census ejusdem Ecclesiæ, hinc Rector judicavit magis expedire, hanc pecuniam erogare in refectione dictorum melioramentorum, atque reassumere domum, quæ ob dicta melioramenta majorem notabilem fructum producebat, idcirco cum res esset integra, atque concessionarius hanc pœnitentiam impedire non posset, concorditer eam cessit, refectione impensæ contentus. Ad aliquod vero tempus contra Rectorem porrecta fuit coram Vicario accusatio, vel denunciatio de contraventione *Extravagantis Ambitiosæ* ob dictam alienationem, ac etiam quod studiose, & collusive in causam dictorum melioramentorum solvisset majorem summam, quam revera importarent, affectando a Perito quandam alteratam æstimationem. Ideoque sibi transmissum fuit monitorium, sive inquisitio, cum comminatione pœnarum contentarum, in eadem *Extravaganti*, censurarum nempe, & privationis beneficii, quare convocato per Rectorem congressu quorundam Curialium vacantium negotiis criminalibus juxta professionum, seu classium distinctionem insinuatam *disc.* 46. *in relatione Curiæ*, optavit, ut Ego quoque quamvis ab hujusmodi negotiis prorsus alienus, tanquam amicus potius, quam tanquam Advocatus in eo intervenirem. 1

In isto itaque congressu, concludebant Criminalistæ insi- 2
stendum esse in monitorii moderatione tam circa citationem

ad comparendum personaliter, quam circa dictatum pœnatum comminationem excessivam, unde duplex adesset gravamen, unum sc. ad comparendum personaliter, quoniam cum dictæ pœnæ consistant in censuris, & in privatione beneficii, idcirco adhuc effectum comparendi per Procuratorem, civilis potius, quam criminalis, naturam, vel speciem causa habere diceretur, quam etiam quod stante retractatione alienationis re integra, non esset locus pœnis; ideoque comparendum esset per Procuratorem, atque instandum pro remissione causæ Judici Civili.

Laudando discursum, utpote juridicum, beneque fundatum, dicebam tamen timendum potius malum, quam sperandum esse bonum eventum, ut revera exitus docuit, ac propterea cuidam gratioso temperamento acquiescere opus fuit, non quod ab eis deductæ propositiones, de quibus infra, non essent veræ, & juridicæ, sed ex eo quod lateret anguis in herba, quod sc. artificiose comminatæ essent pœnæ minores, ut alliceret citatus ad comparendum, ad affectum habendi illum in manibus, deinde agendi causam vera, ac magis criminalem prætensi impliciti furti, & usurpationis capitalis sub falso, & alterato colore melioramentorum in majori summa, quatenus prætensa fraus, & collusio justificaretur, cum illa posita delictum criminaliter punibile efficeretur, quamvis etenim id constanter per Actorem negaretur, quodqua in bona fide versatus esset, unde variatio valoris dictorum melioramentorum proveniret, vel a fraude periti colludentis cum eo, cui melioramentorum refectio facienda erat, vel probabilius ab illa nimia judiciorum variatate inter hujusmodi Peritos, & Æstimatores, quam quotidiana praxis docet, ut relatis *disc. 33. de judic.* atque ob ejus probitatem assertio nimium probabilis videretur, adhuc tamen id juvaret in defensionibus, sed non tolleret cursum causæ in criminalibus.

3 Quatenus itaque pertinet ad pœnas in *dicta Extrav.* contentas pro actu alienationis concurrebam in sensum aliorum, ut illæ non intrarent, quod secluso dicto alio delicto per Fiscum prætenso, in reliquis timendum non esset, quoniam ad effectum pœnarum requiruntur dolus, contemptus, & temeritas ob illud verbum *præsumpserit*, quod Constitutio Apostolica adhibet juxta celebrem, ac receptam doctrinam Zabarell. *in clem. 1. de priv. nu. 22.* Navarr. Quarant. Azor. Reginald. Garzias, Mantic. Ricc. & alii, quos in specie refert Vermigl. *cons. 182. n. 2. & cons. 183. n. fin.* ubi agit de Patribus Congregationis Oratorii imputatis de incursu censurarum ex eo quod Ecclesiæ domum demoliverint, ut Sacristiam construerent.

4 Aliud enim est nullitas actus ad effectus, de quibus supra *disc. 1. & seqq.* Aliud vero incursus pœnarum, qui nimium raro, ac pene nunquam ad praxim deducitur, ut advertitur *eod. disc. 1. n. 99.* ipseque usus comprobat, quoniam quælibet causa, quamvis non apta ad sustinendum actum, qui propterea adhuc invalidus, vel retractabilis remaneat, excusat a dolo, & temeritate requisitis pro incursu pœnarum. Plura vero in hac facti specie concurrebant hunc incursum excusantia, quamvis etiam singula-
5 riter consideranda essent, multo magis si ea simul juncta considerentur, primo nempe quia supponebatur quod esset concedi solita, ideoque non caderet sub dictæ *Extrav.* prohibitione, ut *eod. disc. 1. n. 130.* & alibi pluries, quicquid enim esset, an verificarentur illa requisita, quæ desuper desiderantur, de quibus supra *eod. disc. 1. nu. 131.* ad effectum validitatis actus, attamen ad hunc effectum sufficit nudum facturo, quod res esset solita concedi, ut justam habuerit causam credendi fieri potuisset.

6 Secundo quia fuit expresse reservatum beneplacitum Apostolicum ut relatis per Gonzal. *ad reg. 8. gl. 12. n. 80.* Quamvis etenim in materia feudali, vel emphyteutica, & simili ad effectum pœnæ caducitatis distingui soleat, an deventum sit ad traditionem de facto, quasi quod illo casu reservatio non prosit, utpote contraria facto, cum alias esset eludere legem, quæ verbis potius quam rebus imposita diceretur, ut advertitur *sub tit. de Feud. de Emphyt. & sub tit. de Donat. disc. 61.* ac etiam *sub tit. de fideic. & alibi.*

Quod tamen neque ita generaliter intelligendum est, adeout in illo etiam assumpto intret consuetus, ac pluries inculcatus error procedendi cum generalitatibus, cum verius decisio pendeat ex singulorum casuum particularibus circumstantiis bonam, vel malam fidem, ac fraudem, & affectationem redolentibus, vel respective excludentibus.

7 Attamen magna constituenda videtur differentia inter casum, in quo agatur de pœnali caducitate, ab eo jura, quod contraveniens ex alterius libertate, & beneficio obtineat, ut illud ad ipsum concedentem redeat; vel transeat ad alterum ab eodem concedente vocatum, ut contingit in feudo, vel emphyteusi, sive fideicommisso, aut donatione causativa, & similibus, & alterum casum, in quo incurratur pœna proprii corporis, vel animæ afflictiva, & jactura propriorum bonorum, vel jurium, quæ jam ex diversis titulis obtinerentur. Priori etenim casu revera, & spectato principio videtur potius ommissio lucri, & emolumenti, adeout, licet veniat quoque sub nomine pœnæ, qualem importat omnis privatio juris jam quæsiti, ad differentiam conditionis impedientis jus quærendum, attamen non est pœna formalis damnificativa de proprio, ut est in altero casu, in quo vere, & propria agitur de damno vitando juxta distinctiones, de quibus in frequenter allegatis *discursibus 73. de Testam. disc. 154. de fideic. & disc. 14. de matrim. & in aliis.*

Et tamen, etiam priori casu requiruntur dolus, & malitia in faciendo, & qui ob ipsum actum raro ad praxim deducuntur pro istius affectus productione, quoties non accedat perseverantia, juxta ea, quæ habentur *disc. 157. de Fideic. & in Romana Primogenitura de Cæsarinis, eodem titulo disc. 201.* & alibi, multo magis in altero casu, & ad alium longe majorem, ac duriorem effectum.

Tertio clarius ob retractationem subsequutam re integra, 8
& priusquam accusatori, aut Fisco, vel alteri aliquod jus quæsitum dici valeat, cum illa pœnitentia, aut retractatio, vel arguat bonam fidem ab initio, vel abluat maculam contractam juxta *cons. 34.* Butr. cum generaliter collectis per Grat. *disc. 202. n. 26. & seqq.* Cenc. *de cens. q. 19. n. 6.* Et in specie Navar. *cons. 18. de reb. Eccles. non alien. cum concordantibus* per Barbos. *de Paroch. c. 13. n. 41.*

Et quarto quia spectato effectu actus fuit prudenter initus 9
cum magna Ecclesiæ utilitate, quæ principaliter in hac materia attenditur, adeout quamvis ad validitatem actus illa sola non sufficiat, nisi copulative concurrat solemnitas hodie consistens in beneplacito Apostolico, quia sic lex præcipit, attamen ubi illud accedat, adeout fiat obedientia legi, non curentur illa obreptionis, & subreptionis, vel similia vitia, quæ in aliis gratiis, & litteris Apostolicis attendi solent, quoties adimpleatur iste finis, ut advertitur supra, *d. disc. 1. n. 55.* & in aliis, ideoque ubi Ecclesiæ utile negotium geratur, id redolet bonam fidem, & excludit dolum, & malitiam, sine quibus hujusmodi gravium pœnarum incursus non est admittendus, nisi constet quod negligere hanc solemnitatem provenerit ex positivo contemptu legis, & Sedis Apostolicæ, quod nimium raro, ac forte unquam inter Catholicos Ecclesiasticos præsertim citra montes, multo magis in ipsamet Urbe dici potest verificabile.

Quovero ad alteram objectionem erogationis pecuniæ 10
obventæ a redemptione Census, quæ utpote destinata investimento habet speciem rei stabilis, & cadit sub dispositione *Extravagantis*, duas dicebam adaptari posse responsiones, primo nempe quod illæ alienationes improprie cadunt in iis, quæ non sint vere stabilia, in quibus practicetur naturalis, & actualis abdicatio dominii ab Ecclesia, & translatio in alterum, quamvis ex magis recepta ejusdem *Extravagantis* extensione, vel interpretatione, illa quoque procedat ad effectus civiles nullitatis actus, ac etiam refectionis ejus, quod interest, non tamen idem dicendum est ad illos effectus pœnales, ad quos lex scripta rigorose intelligenda est ad limites verborum, & per consequens cum ipsa loquatur de stabilibus, intelligenda veniat de iis quæ sint talia per veritatem, non autem per fictionem, quoties non agatur de illis juribus, quæ magis quam stabilia æstimantur, atque habere expedit, ut sunt jurisdictiones, & præeminentiæ juxta casum, de quo *disc. 24. de jurisd. & alterum, de qua disc. 11. de præemin.* cum similibus.

Ex secundo quoniam prohibitum est quidem Rectori, vel Administratori Ecclesiæ consumere, vel alias distrahere hanc speciem pecuniæ, quæ ob destinationem habet naturam capitalis, ideoque illam denuo investire tenetur, atque alias reficere debebit id quod interest, & quandoque pro facti circumstantiis, quæ aliquam redoleant malitiam, erit punibilis Episcopi, vel alterius superioris arbitrio juxta majorem, vel minorem malitiam, non autem cum illis gravioribus pœnis per *Extravagantem* inflictis, sed non tenetur præcise ad eandem speciem investimenti, cum prohibitum non sit pecuniam obventam ab extinctione census erogari in loca Montium, vel in bona stabilia, & e converso quoties lex particularis super modo præciso investimenti non urgeat, cum sufficiat adimpleri finem prohibitionis.

SE-

SENOGALIEN. BONORUM PRO COMITE CORRADO MARAZZANO CUM PASSIONEIS.

Casus disputatus coram Thesaurario, resolutus pro Marazzano.

An venditio, vel alia alienatio bonorum Ecclesiæ, exigat scripturam ad ejus substantiam, & perfectionem, vel potius detur casus, ut adinstar privatorum eum solo verbo perficiatur, & de pluribus speciebus Beneplaciti Apostolici super hujusmodi alienationibus, & incidenter de addictione in diem, an detur necne favore Ecclesiæ?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quando non intret quæstio, an scriptura sit ad perfectionem, vel solam probationem.*
3 *Quod in alienationibus bonorum Ecclesiæ requiratur semper scriptura.*
4 *Conclusiones debent intelligi juxta casuum circumstantias.*
5 *De triplici specie Beneplaciti Apostolici.*
6 *Declaratur conclusio, de qua n. 3.*
7 *Traditio ad quos effectus requiratur.*
8 *Cujus sit periculum ante traditionem.*
9 *De promissione de vendendo quid operetur.*
10 *Quando Ecclesia reguletur jure privati.*
11 *De addictione in diem, quando intret, & quomodo.*

D I S C. LII.

1 UT Congregatio Canonicorum Lateranensium a quibusdam debitis fructiferis, quæ urgebant, se liberaret, expedire credidit alienare quædam bona in Diœcesi Senogallien. aliisque forte adjacentibus partibus existentia, atque ad hunc effectum ejus Procurator Generalis obtinuit chirographum Pontificium directum Thesaurario, ut licentiam, liberamque facultatem vendendi eidem concederet, ut ita facilius invenirentur emptores, prout ea per Thesaurarium concessa, conclusa fuit venditio inter dictum Procuratorem Generalem, & Comitem Claudium Marazzanum pro pretio scut. 19333. quos idem Emptor a Civitate Parmen. patria ad Urbem cambiavit, ac deposuit, ut ad formam chirographi, & licentiæ, ad usus destinatos erogari possent; in hoc autem statu priusquam ad instrumenti confectionem deventum esset, fratres de Passioneis prætendentes rem adhuc esse integram, eadem bona se empturos obtulerunt pro majori pretio cum excessu scut. 600. circiter, atque timentes ne ad confectionem instrumenti deveniretur, curarunt inhiberi ab eodem Thesaurario, petentes demandari ut cum eis potius tanquam melioribus oblatoribus pro Ecclesiæ utilitate, alienatio concludi deberet, quare assumpta desuper disputatione, quamvis plura inutiliter hinc inde deducerentur cum consueta modernorum superfluitate, attamen causa restringebatur ad punctum, an alienatio dicenda esset perfecta, vel potius adhuc remaneret in terminis tractatus, adeout cuilibet liberum esset recedere, & quatenus adesset perfectio, quæ pœnitentiam excluderet, an ob adhuc non sequutam stipulationem instrumenti, & non factam traditionem, admittenda esset dicta nova melior oblatio tanquam per addictionem in diem, pro Ecclesiæ, seu Religionis favore, & utilitate.

2 Quatenus pertinet ad primum punctum perfectionis, vel imperfectionis contractus, cum idem Procurator Generalis ingenue fateretur, quod in iis, quæ ab ejus consensu pendebant, atque ab illo Comitis emptoris, actus esset perfecte conclusus, adeout ita ex facto tolleretur quæstio cadens in casu ambiguæ voluntatis, de qua *sub tit. de empt. & vend. & alibi*, an scilicet conventio de instrumento, vel alia scriptura percutiat substantiam, & perfectionem contractus, vel potius exequutionem, ac probationem, cum revera sit quæstio facti, & voluntatis potius, quam juris, & quæ proinde non intrat, quando Partes concorditer asserant qualisnam voluntas fuerit, hinc Scribentes pro novis oblatoribus dicebant id recte procedere inter privatos, liberam suorum bonorum administrationem, ac dispositionem habentes, non autem in subjecta materia alienationis bonorum Ecclesiæ, pro qua perficienda pernecesse requiritur scriptura super legitima exequutione beneplaciti Apostolici, quæ per exequutorem in eo deputatum causa cognita, & verificatis verificandis fieri debet ex recepto principio, de quo *sup. disc. 1.* & alibi pluries, quod paria sunt nullum adesse beneplacitum Apostolicum, vel adesse, & non esse exequutum, vel male, desuper cumulando auctoritates, & decisiones loco 3 citato relatas, & alias, ex quibus patet, quod sententia exequutoris, aliaque acta supponuntur tanquam necessaria, & per consequens, quod non detur casus venditionis perfectæ solo verbo, ut inter privatos datur.

4 Scribens pro Marazzano emptore, dicebam idem, quod in dies dicere oportet, propositionem scilicet esse veram in suo casu, male autem applicari ad illum quæstionis, ob diversas ejus particulares circumstantias, ex quibus legum, seu legalium propositionum intelligentia, seu regulatio pendet, adeout perpetuus error sit cum solis generalitatibus procedere.

5 Hinc dicebam reflectendum esse ad plures, diversasque species Apostolici beneplaciti, quæ tres esse solent, una scilicet est ordinaria, magisque frequens, quæ dicitur in forma, *si in evidentem*, quia nempe committitur Ordinario loci, vel alteri exequutori in Apostolica Dignitate constituto, ut comperto narrata esse vera, atque alienationem tendere in evidentem Ecclesiæ utilitatem, eandem alienationem jam factam approbet, ac revalidet, sive illam faciendi licentiam concedat juxta ea, quæ super hujusmodi beneplaciti exequutione habentur supra *disc. 1. ex n. 59.* & in aliis, itoque casu recte procedit assumptum super necessario interventu scripturæ.

Altera est species, quæ conceditur per viam confirmationis, istaque in concordiis tantum practicari solet, quia nempe inita sit concordia pro sedanda lite, cum receptum sit quod etiam ista species contractus cadat sub genere prohibitæ alienationis, ad hoc ut sit perpetua, & afficiat successores, idcirco practicari solet beneplacitum Apostolicum per hanc viam confirmationis, quæ habet suas diversas species majoris, ac minoris operationis, unam scilicet, quæ dicatur in forma specifica, & alteram in forma communi, ut sæpius advertitur.

Et tertia illa species, quæ conceditur per viam chirographi, seu etiam quandoque per viam Brevis, aut per organum Sac. Cong. Concilii, vel Episcoporum, & Regularium, per quam conceditur licentia, puta ut ad alienationem deveniri valeat, cum ibi præscriptis legibus, quandoque generaliter, & indefinite non expressa certa persona, in quam ea facienda sit, & quandoque cum expressione personæ certæ, cum qua alienatio conclusa sit pro certo pretio, ut in hac facti specie sequebatur, in qua iste adhibitus fuit modus ob mixturam interesse Cameræ Apostolicæ, cum illa, & aliis Congregationibus Monachalibus ratione subsidiorum, vel onerum, quæ per illas solvuntur Cameræ, vel pro ea Montistis, quorum mentio habetur supra *hoc eodem tit. disc. 56. & sub tit. de Regular. disc. 26.* & alibi pluries, & ad hunc effectum adhiberi debeat organum Thesaurarii, cum hujus auctoritate pro indemnitate Cameræ, vel Montistarum hujusmodi alienationes sequi solent.

6 In hac itaque ultima specie præter illas scripturas, quæ adhibentur in ipso chirographo Pontificio, & in ipsius Thesaurarii decretatione, quoties non injungatur, ut per eundem Thesaurarium insimul cum venditore, venditionis actus fiat, ut sequi solet in illis voluntariis venditionibus, quæ absque auctoritate Congregationis Baronum, cum ejus tamen facultatibus ad præscriptum Bullæ Baronum in vim Pontificii chirographi fiant, & tunc dicebam, quod ad perfectionem, & substantiam contractus, necessaria non est scriptura, cujus reservatio, ac etiam explicatio ad probationem, & cautelam, sive exequutionem conventionis potius referenda est, eodem modo, quo inter privatos non prohibitos, ex ea congrua ratione, quod ita jam remotum est illud prohibitionis obstaculum, quod in Prælatis, vel administratoribus bonorum Ecclesiæ adesse dicitur *per Extravag. Ambit.* & per concordantes Canones, & Apostolicas Constitutiones, adeout tanquam per remotionem obstaculi, Prælati, vel administratores, privatis, ac indifferentibus Dominis exæquati sint, ac sub terminis generalibus juris cadant.

7 Et quamvis per Scribentes in contrarium insisteretur, quod nulla sequuta esset traditio, quodque verba, ex quibus ex hac parte inferebatur ad perfectionem actus, importarent potius promissionem de vendendo, quam perfectam venditionem, neutrum tamen ad rem facere, sive obstare dicebam, siquidem circa defectum traditionis, considerabilis ille dicitur ad effectum translationis dominii, & possessionis, tam pro fructuum pertinentia juxta ea, quæ habentur insinuata *disc. 160. de dote in princip.* quam etiam pro effectu, de quo

in l. quoties, Cod. de rei vindic. super relatione scilicet secundi emptoris, cui prius traditio facta sit, quoties ratione hypothecæ, vel clausulæ Constituti, aut ex alia circumstantia non intret aliqua ex limitationibus prædictæ legis tradi solitis, cum in reliquis præsertim ad effectum excludendi pœnitentiam, ea non sit necessaria.

8 Quinimmo neque ad effectum periculi, quod post perfectum contractum est emptoris, quoties non agatur de rebus consistentibus in pondere, numero, & mensura, in quibus jure quodam speciali periculum est venditoris, donec ponderatio, vel numeratio, aut mensura sequatur, vel quod habeatur pro jam sequuta, quia per emptorem steterit quominus sequeretur, sive quod fingatur per venditorem facta sibi ipsi tanquam vendituris mandatario juxta ea, quæ habentur in sua sede *sub tit. de empt. & vend. disc. 6. & sub tit. de Regal. disc. 125. & alibi.*

9 Prout ad eosdem effectus pertinentiæ fructuum, vel posterioris translationis in tertium, qui non sit fraudis particeps, & ex causa onerosa, cum similibus, quibus eadem congruat ratio, intrat hæc inspectio, an actus importet perfectam venditionem, vel potius promissionem de vendendo, cum in reliquis concernentibus jus, vel præjudicium ipsius promittentis, tam pro præstatione facti præcisi, quoties ab eo pendeat, atque in sua sit facultate, quam etiam pro refectione ejus, quod interest, quando factum præcisum præstari non possit, recte intrat propositio quod promissio de faciendo, habeatur pro facto, ita cum his distinctionibus conciliando invicem pugnantes auctoritates, sive opiniones, aut verius consuetas irrationabiles involutiones resultantes, ex consueto vitio procedendi cum generalitatibus & in abstracto, & non reflectendi ad casuum, vel effectuum distinctiones, cum quibus de facili omnia conciliantur, atque plana remanent.

10 Hinc dicebam, quod in ista causa punctus præcipuus erat illius dictæ remotionis obstaculi, ut propterea Ecclesia exæquata esset privatu, atque regulanda esset cum illis generalibus regulis, vel terminis, cum quibus in privatorum non prohibitorum alienationibus, & contractibus proceditur, dum non solum in Ecclesia, sed in omnibus aliis prohibitis, in quibus auctoritas Judicis, aliæque solemnitates requiruntur, ut in minoribus, & mulieribus, & Communitatibus, et similibus, in præcedentibus adeo frequens habetur, scriptura ad substantiam, & perfectionem requiri dicitur, non ex privilegio, vel speciali provisione legis, sed ratione subjectæ materiæ implementi, videlicet solemnitatum perficientium actum, ac propterea si solemnitates adhibentur in actu præparatorio, nulla subest scripturæ necessitas, ut exempli gratia, si cum solemnitatibus fiat mandatum procuræ ad vendendum pro certo pretio cum certis legibus, ac propterea certo sit, quod alias solemnitates adhibere non oportet, tunc si procurator verbo cum legibus in mandatum adjectis venditionem concludat, nil prohibet quin actus perfectus dicendus veniat, dum ita requisitam scripturæ dicitur potius causativum, & ad certum effectum, quam pro forma præcisa, ideoque admittitur æquipollens.

11 Quo vero ad alteram inspectionem novæ oblationis, vel addictionis in diem, pro ejus exclusione deducebam easdem auctoritates, & rationes, quæ habentur supra *hoc eod. titulo disc. 81. & sub tit. de locat. disc. 46.* tam scilicet ex eo, quod ubi debitæ adhibitæ fuerint solemnitates, adeout actus dicendus veniat validus, & perfectus, videtur id non esse in usu, ex probabili ibidem ponderata ratione, tum quia ubi etiam id admittendum sit, attamen procedit, ubi augmentum esset notabile comparatione totius pretii, quod in præsenti dici non poterat, ac demum fortius, quod res non esset integra, quamvis enim talis diceretur respectu traditionis bonorum, ettamen non erat talis respectu traductionis pretii in summa adeo notabili sequutæ a Civitate Parmen. patria emptoris ad Urbem, aliqua etiam ejus parte sumpta ad interesse, quoniam ubi etiam huic addictioni locus esse deberet adhuc tamen ex illa justitia, & æquitate, quas præ cæteris, & supra privatos Ecclesia profiteri tenetur, reficere deberet emptori totum id, quod interest, tam ratione cambii, seu traductione pecuniæ de loco ad locum, quam etiam ratione interusuriorum, istaque damna, & interesse plus forte importabant, quam importaret ipsa major oblatio, sive quod, ubi etiam non adesset excessus, attamen facta hac deductione, nihil, vel valde modicum supererat, ideoque deerat illa utilitas considerabilis, quæ ad hunc effectum desideranda venit, etiam ubi hæc addictio admittenda sit, & per consequens justa, beneque fundata fuit resolutio favore primi emptoris, cui novi oblatores acquieverunt.

ASTEN. ALIENATIONIS PRO CAPITULO CATHEDRALIS.

Responsum pro veritate.

An concessio domorum Canonicalium facta ad vitam Canonicis, vel Beneficiatis ejusdem Ecclesiæ cum pretio, cadat sub *Extravagan. Ambitiosæ* & importet prohibitam alienationem necne?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Ad effectum pœnarum requiritur dolus, & malitia.*
3 *Ignorantia juris dubii excusat.*
4 *Quando consuetudo, etsi reprobata excusat.*
5 *De emptione domorum Canonicalium inter Canonicos.*
6 *An istæ domus debeant ab ipsis Canonicis inhabitari, vel possint locari laicis?*

DISC. LIII.

Cum prope Ecclesiam Cathedralem Asten. adsint octo domus canonicales nuncupatæ, atque ab antiquo, ita etiam probantibus antiquis statutis conditis de anno 1589. consuetum fuerit eas per quandam speciem instæ ad vitam concedere illi ex ejusdem Ecclesiæ Canonicis, vel Beneficiatis, qui meliorem faceret oblationem pretii ponendi in massa grossa distributionum, cum facultate, ut talis emptor, vel optator per actum inter vivos in Capitulo, vel per ultimam voluntatem, dummodo per viginti dies superviveret, alium Canonicum, vel Beneficiatum in ejus jure subrogare possit, a quo tamen quoddam laudemium solvendum esset in eadem massa pariter ponendum. 1

Episcopus autem zelo pastorali dubitaret, quod hujusmodi alienationes ad vitam caderent sub dispositione *Extravag. Ambitiosæ*, ac propterea non solum jam factæ retractari deberent, aliæque in futurum prohiberi, sed etiam quod Canonici, & Beneficiati censuras, & pœnas in eadem *Extravag.* contentas incurrissent, huic dubitationi ansam præbente præsertim Decreto cujusdam Visitatoris Apostolici de anno 1585. per quod præcipitur, ut istæ domus per ipsos Canonicos, & Beneficiatos, quo magis fieri potest pro meliori Ecclesiæ cultu habitari deberent, cum repartitione mansionum inter eos, adeout aliqui superflua non occupent.

Hinc ex parte Capituli, Episcopo etiam optante, atque gretum habente, meo pro veritate voto desuper expetito, ta duas pro stylo inspectiones responsum distinguebam, primo nempe super incursu censuarum, aliarumque pœnarum, & secundo super ipsius actus de præterito, vel de futuro permissione, vel prohibitione respective.

Quatenus pertinet ad primum, nullam probabilem dubitandi rationem cadere dixi pro non incursu ex eisdem rationibus, & auctoritatibus, de quibus *disc.* 51. quod scilicet cum lex utatur verbo *præsumpserit*, illudque propterea temeritatem denotet, idcirco requiritur dolus, & malitia ex quibus resultet delictum positivum, sine quo non datur pœna præsertim gravis qualis est illa censurarum, quæ in spiritualibus ordinaria major dicenda venit, ideoque, ut advertitur supra *disc. 1. n. 99.* in praxi nimium raro iste incursus verificatur, quamvis frequentissimus sit usus comprehensionis actus, ex ejusdem legis dispositione ad effectum annullationis, quoniam aliud est nullitas actus, aliud est pœna. Ut a simili habetur *sub tit. de benef. in Sancti Domini* in materia retentionis plurium incompatibilium, ad terminos *c. de multa, de præbend. & disc. 154. & 157. & in aliis pluries de fideicom.* super eadem distinctione inter invaliditatem alienationis, & incursum caducitatis ex eadem causa cum similibus. 2

Duo autem in hac facti specie concurrebant motiva excusantia, primo nempe, antiquissima plurium sæculorum consuetudo, & secundo nimia dubietas juris, an iste actus dicatur de sui natura illicitus, & comprehensus sub *Extravaganti* necne dum Mihi probabilius videbatur ut non esset comprehensus, unde quando etiam saniori judicio contrarium verius videretur, ut propterea in futurum prohibendus esset, negari non posse advertebam exinde resultare, quod juris articulus nimium dubius, in quo juris Professor aliqualiter in hac facultate versatus se decipiat, ideoque multo magis se decipere potuerunt Canonici, & respective beneficiati non possessores, ac propterea intret propositio, de qua *d. disc.* 1.

disc. 1. *num.* 107. *& disc.* 40. *num.* 4. & sæpius, ut ignoran-
3 tia juris dubii æquiparetur justæ ignorantiæ facti, etiam ad effectus civiles lucri fructuum perceptorum, & similes, multo magis, & absque dubio ad effectus criminales pro excusatione ab incursu pœnarum.

Ponderando etiam circa primum motivum consuetudinis, quod si illa qualis qualis illa sit, excusat a positiva malitia, & affectatione, saltem a pœna ordinaria excusat etiam in
4 iis, quæ sint indubitanter illicita, adeout ea non obstante in civilibus annullatione digna sint, ex relatis per Farinac. *q.* 95. *n.* 1. Ambrosin. *de immun. c.* 15. *nu.* 8. multo magis in isto casu ob tres circumstantias, primo nempe, quod nimium dubium est an actus sit licitus necne, ut supra, ideoque observantia potius venit interpretativa juxta adeo frequenter insinuatam observantiæ operationem, de qua præsertim *disc.* 21. *de jud.* secundo, quia est antiquissima plurium sæculorum, dum primum Statutum conditum de anno 1309. illam supponit, ideoque intrat altera propositio, de qua supra *discurs.* 3. & in aliis frequentar super operatione centenariæ, ut ejus vigore allegari possit quicumque titulus de mundo melior, non obstante interruptione, quam resultare supponebatur ex dicto decreto anni 1585. & tertio, quia non est consuetudo, quæ inconsiderate, sive a casu, aut a principio infecta sequi potuerit, dum habet fomentum duorum dictorum Statutorum, & sic legis scriptæ, quæ mature, & causa cognita fieri solet. Accedente etiam præsumptione resultante ab adeo frequentibus, & reiteratis visitationibus, quæ ad præscriptum Concilii Tridentini singulis annis, vel saltim proximis temporibus per Episcopos pro tempore factæ fuerunt, ex quo resultat propositio pluries insinuata, quod in Ordinario non præsumitur ignorantia eorum, quæ in propria Diœcesi contingunt, multo minus in ipsamet Civitate, & loco ejus residentiæ, atque in re materiali, quæ omnibus patet, atque notorii speciem habet, dum hujusmodi concessiones publice, & palam in Capitulo, in quo Episcopus, vel Vicarius Generalis, aut alter ejus Minister præsidere solet, per speciem hastæ publicæ fieri consueverunt, ideoque ista prima pars omnino plana videbatur.

Pariter in altero pro validitate actuum de præterito ac licita continuatione de futuro (quatenus quoad istam altera non suppeteret ratio, præscindendo ab *Extravaganti Ambit.* ut infra) Quoniam cum istæ domus essent in minori numero, quam sint Canonicatus, dum illæ supponuntur octo, Canonicatus autem decem, & octo, exinde resultat id, quod habetur *disc.* 15. *&* 76. *de pension.* quod scilicet hujusmodi domus dicendæ non veniunt annexæ Canonicatibus, sed per aliquos ex Canonicis, & Beneficiatis accidentaliter obtineantur ratione antianitatis, vel majoris ametentiæ, aut ex alio motivo, quod consuetudo, aut Statutum Ecclesiæ statuat ex ibi deductis.

5 Si ergo consuetudo, vel Statutum inducere potest hujusmodi optationes, & assequutiones ad vitam, ad solam utilitatem optantium, absqua aliqua recompensa tendente ad commodum, & utilitatem aliorum, adeout exinde resultet occasio æmulationis, & invidiæ, atque id, quod dicit Apostolus, quod unus quidem esuris, alter autem ebrius est, multo magis ista consuetudo a Statutis quoque comprobata, ut ita optionis emolumentum poneretur in massa, atque ad omnium commodum cederet.

Ponderando quoque in idem conclusionem, de qua supra *d. disc.* 1. *n.* 142. ac etiam in Cracovien. *disc.* 54. *& disc.* 26. *de Parochis*, quod scilicet conventiones inter ejusdem Ecclesiæ Clericos, & Ministros super modo participationis emolumentorum sub *Extravagant.* dispositione non cadant, quoties non agatur de formali, & perpetua abdicatione ab alio corpore cum translatione in alterum, cum sit turnaria, vel alias accidentalis distributio temporanea, vel vitalitia per speciem optionis inter ejusdem Ecclesiæ, vel ejusdem corporis Clericos, & membra, cum tunc nulla formalis alienatio adesse dicatur, & nihilominus sufficit esse dubium, ut supra.

Neque his adversari dicebam dictum decretum Visitatoris. Tum quia de ejus potestate nimium dubitandum esse advertebam tollendi id, quod jam legitime ita introductum erat, subsequuta ineffectuatione id comprobante cum Statuto positivo ad breve tempus annorum quatuor postmodum condito, & clarius continente restrictionem nominantis, vel cessionis intra genus ipsorum Canonicorum, & Beneficiatorum. Tum etiam, quia decernit, ut ipsi Canonici, & Beneficiati, quo magis fieri potest, ipsas domos inhabitare deberent pro meliori Ecclesiæ cultu, & an distributio domorum, & mansionum esse deberet temporalis, vel ad vitam, sive gratuita, vel onerosa, & correspectiva, id non exprimitur, & per consequens casus remanet omissus.

Consideratione itaque dignam dixi rationem in eodem decreto Visitatoris assignatam, ut domus ab ipsis Canonicis, & Beneficiatis inhabitari deberet ad magis promptum, &
commodum Ecclesiæ servitium, ac etiam ob indecentiam 6
forte resultantem ab habitatione laicorum, juxta ea, quæ in specie hujusmodi domorum Canonicalium inhabitatarum per sæculares, & quandoq; per inhonestas mulieres habentur *disc.* 12. *in Miscell. Ecclesiast.* Sed hoc respicere dicebam punctum diversum ab illo controversiæ, super quo eram consultus, quod scilicet Episcopus deberet in visitatione desuper providere, quatenus tamen consuetudo contrarium non suaderet, ut patet ex casu, *de quo d. disc.* 18. Ac etiam docet praxis in Basilicis Patriarchalibus, aliisque Ecclesiis Urbis, pæneque generalis in aliis Italiæ, quod scilicet indecorum censeatur, quod Dignitates, & Canonici inhabitent hujusmodi domos constructas juxta antiquam majorem humilitatem, sive minorem luxum, & quando Clerici etiam sæculares religiosorum more quodammodo vivebant.

CRACOVIEN. DISMEMBRATIONIS PRO CASIMIRO DENOFF. ABBATÆ CUM MONASTERIO CLARÆ TUMBÆ.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Abbate.

An in transactione inita inter ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii Abbatem, & Monachos, requiratur beneplacitum Apostolicum, & quatenus requiratur, quando dicatur bene obtentum, & de justificatione causæ?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Transactio quando non egeat beneplacito Apostolico.*
3 *De transactione inter Clericos ejusdem Ecclesiæ.*
4 *Distinguuntur puncti.*
5 *Beneplacitum non supplet causam, & quid in hoc attendatur.*
6 *In Conclusionibus certis non est allegandum.*
7 *Declaratur conclusio, de qua n. 2.*
8 *De eadem Conclusione, de qua n. 3.*
9 *Quando mensæ dicantur distinctæ, ut inter unam, & alteram ejusdem Ecclesiæ requiratur beneplacitum.*
10 *Quod in hac materia principali attendatur causa, & de eodem, de quo n. 5.*
11 *Quando oporteat facere mentionem litis.*
12 *De facultate pœnitendi ante beneplacitum, non autem postea.*
13 *De tempore obtenti beneplaciti debet adesse consensus contrahentium.*
14 *An beneplacitum obtineri possit post mortem unius?*
15 *Quando dicatur adesse lis, cujus mentio fieri debeat?*
16 *An revocatio debeat notificari alteri parti?*
17 *Narrativa contenta in litteris Apostolicis, an probet venditionem.*
18 *Cui incumbat onus refectionis Ecclesiæ, & quomodo.*

D I S C. LIV.

OBtenta per Casimirum Coadjutoria in hac Abbatia, 1
seu Commenda, in cujus litteris juxta stylum, atque ad præscriptum Constitutionis Leonis Decimi injungitur onus erogandi quartam partem fructuum in pauperum alimonia, & in Ecclesiæ Abbatialis restauratione, & Sacra suppellectili, aliisque piis operibus, cum defuncto coadjuto, Prior, & Monachi se opponerent possessionis adeptioni, sub variis prætextibus, hinc deventum est ad concordiam, per quam, cum expressione causæ restaurationis Ecclesiæ, & provisionis Sacristiæ dismembratæ fuerunt a mensa Abbatiali duæ villæ, & quædam alia bona, eaque ad dictum effectum assignata mensæ Monasteriali, sed illico Abbas contradixit, appellando a sententia super dictæ concordiæ confirmatione latæ per Archiepiscopum Cracoviæ, per quem ad id coactum esse supponebat, obtentaque solita citatione cum inhibitione ab Auditore Cameræ, eaque exequuta, & reproducta, cum appellans, non comparente appellato, servatis solitis terminis, per contradictas instaret pro sententia annullativa, Judex autem ob non bene justificatam legitimam dictæ ci-

tationis exequutionem haberet difficultatem, ac propterea oportuerit ob loci distantiam pro dicta justificatione aliquas pati moras, hoc medio tempore ex parte Monasterii obtentum fuit beneplacitum Apostolicum in forma confirmationis concordiæ, eoque obtento, comparuit in causa Monasterium coram Judice, non quidem tanquam reus evocatus, sed potius tanquam actor petendo litterarum Apostolicarum exequutionem, ac propterea assumpta fuit formalis disputatio in contradictorio super dictæ concordiæ validitate, vel invaliditate, atque juxta hanc secundam partem pro invaliditate prodiit resolutio.

2 Scribentes pro Monasterio dicebant in primis dictum beneplacitum ad exuberantiam obtentum fuisse utpote non necessarium, quoniam cum Ecclesia esset bonorum Domina, eique pro restauratione, & ornatu, & cultu controversa bona dimissa fuissent, ita nulla dicebatur adesse prohibita alienatio, dum Ecclesia potius acquirebat, in id allegando deducta apud Rojas *dec.* 36x. & per adden. ad Burati. *decis.* 190. & per me ipsum in jam edito *disc.* 1. *num.* 42. & *disc.* 17. *n.* 5. Exinde inferendo ad alteram conclusionem, de qua supra *eod. disc.* 1. *nu.* 142. & *d. disc.* 17. *n.* 5. & *alibi*, quod in concordiis initis inter ejusdem Ecclesiæ Clericos, & Ministros non requiratur beneplacitum Apostolicum, sed sufficiat auctoritas Ordinarii ad terminos textus *in cap. fin. de pact. in* 6.

3 Et per consequens quod opus non esset disputare de dicti beneplaciti subreptione, per Scribentes ex parte Abbatis opposita, ob non factam mentionem litis ut supra introductæ, & pendentis, & nihilominus, quod ubi etiam fuisset necessarium, adhuc subreptio non aderat, quia nulla aderat lis legitima ex defectu invalidæ exequutionis citationis, ac etiam, quia beneplacitum obtentum fuerat sub nomine utriusque.

4 In hoc autem statu, post plures disputationes ex parte Abbatis aliis Defensoribus adjunctus, distinguebam causam in tres punctos, unum scilicet necessitatis beneplaciti Apostolici, alterum (posita necessitate) validitatis, ut propterea excluderetur pœnitentia, & tertium (posito etiam quod dictum beneplacitum esset legitime obtentum) super ejus inefficacia, nullaque operatione ob defectum causæ, quam receptum est copulative cum solemnitate requiri, adeout unus sine altero non sufficiat, cum beneplacitum non suppleat causam, quæ principaliter in hac mate-
5 ria spectanda venit, adeout ea concurrente, illud potius materialiter attendatur, non curatis aliis subreptionis, vel obreptionis defectibus, qui in aliis gratiis, & litteris Apostolicis attendi solent, ut supra *d. disc.* 1. *n.* 54. & alibi pluries, & e converso nil refert illud bene expeditum esse, si non sit bene justificatum, & exequutum, ut pariter *eod. disc.* 1. *nu.* 59. & *seqq.* & alibi pluries, cum ista sint principia hodie absoluta, & de plano recepta, ideoque præsupponenda, adeout manifestum superfluitatis vitium sit desuper auctoritates cumulare, vel desiderare.

6 Quatenus ergo pertinet ad primum punctum, in quo revera difficultatis cardo residebat, cum Scribentes in contrarium ut supra duas inter se diversas conclusiones confunderent, unam nempe, quod necessarium non esset beneplacitum in illa transactione, per quam bona, vel jura alienari prohibita Ecclesiæ dimittebantur, sive penes eam remanebant, & alteram super concordia inter Clericos, & Ministros ejusdem Ecclesiæ ad terminos dicti textus *in c. fin. de pact. in* 6. hinc advertebam ad hanc distinctionem principaliter esse reflectendum.

7 Siquidem prima conclusio de jure quidem in suo casu est vera, sed extranea remanebat a casu quæstionis, cum percutiat casum, in quo, vigente lite super bonis, vel juribus alienari prohibitis, inter Ecclesiam, & privatum non prohibitum, atque habentem liberam ejus bonorum dispositionem, sequatur concordia, per quam bona, vel jura controversa integre dimittantur, vel remaneant penes Ecclesiam, quæ e converso det, vel dimittat collitiganti res non prohibitas, puta pecuniam liberæ dispositionis, vel remittat fructus decursos, cum similibus, adeout nil de prohibitis alienare, sed potius acquirere, sive ejus antiquum jus melius confirmare, seque assecurare dicatur, & in his terminis dicta conclusio recte procedit, secus autem ubi id sequeretur cum altera Ecclesia, vel corpore Ecclesiastico prohibito, & comprehenso sub dispositione *Extravagantis* juxta recensita *eodem disc.* 1. in hoc proposito comprehensionis.

Ubi etenim agatur cum altera Ecclesia, licet nulla adesse dicatur prohibita alienatio ex parte illius Ecclesiæ, penes quam integra remanent bona, vel jura controversa, adesse tamen dicitur ex parte alterius Ecclesiæ, quæ dimittit, ac propterea cum dicta conclusio extranea esset a casu, restringebatur causa ad alteram conclusionem, quod scilicet, non ageretur de contractu inter duas Ecclesias diversas, sed inter ejusdem Clericos, & Ministros, nempe Abbatem, & Monachos, unum, & idem corpus Monasteriale efformantes, cujus Abbas dicitur caput, reliqui autem Monachi partes, & membra.

In hoc itaque puncto transactionis inter Clericos ejusdem Ecclesiæ, de qua agitur *disc.* 30. *de Canonic.* & *disc.* 26. *de Paroch.* Advertebam quod decisio pendet a distinctione locis citatis insinuata, an scilicet nulla adesset mensarum, seu corporum formalium distinctio, quia nempe una, & eadem sit mensa communis omnibus Clericis, inter quos oriantur controversiæ super modo gaudendi emolumentis, & fructibus, eosque inter se distribuendi, & tunc recte intrat dicta conclusio, quoniam nullatenus tangitur substantia, vel proprietas bonorum, vel jurium, neque verificatur eorum abdicatio ab uno corpore, & translatio in alterum, adeout unum locupletari, & alterum depauperari dicatur, sed solum id concernat interesse singulorum in fructibus, vel in participatione majori, vel respective minori, puta quod seniores Canonici, vel Clerici ratione magis diuturni servitii, & meriti, sive ratione alicujus qualitatis, vel prærogativæ habere prætendant majorem participationem juxta illas inæquales tractationes, quas frequens, & quotidiana praxis docet inter Canonicos, & Beneficiatos ejusdem Capituli, seu Collegii, sive inter Religiosos ejusdem Monasterii, & Conventus, puta inter graduatos, & non graduatos, cum similibus. 8

Secus autem ubi adsit dicta formalis distinctio corporum, vel mensarum, quamvis omnes diversa corpora, ita constituentes æque sint partes, & membra ejusdem Ecclesiæ, quæ habitualiter sit Domina omnium bonorum ad utrumque corpus pertinentium, ut contigit (ex. gr.) in mensa Episcopali contradistincta a mensa Capitulari, sive in mensa Canonicorum, & in altera beneficiatorum, cum similibus, quoniam licet dominium directum, & intellectuale totum æque sit penes Ecclesiam, nihilominus alterum subalternum, & utile esse dicitur penes illas personas formales inter se distinctas, adeout recte verificetur bonorum, vel jurium abdicatio in substantia ab uno, eorumque perpetua translatio in alterum, ut firmatur præsertim *dec.* 561. *par.* 5. *recent. num.* 9. apud Ubald. *decis.* 290. & apud Duran. *decis.* 459. *nu.* 6. apud Merlin. *decis.* 490. *n.* 8. & *decis.* 663. *nu.* 20. & *seqq.* apud Dunozett. *decis.* 776. *nu.* 14. & in terminis concordiæ super juribus præeminentialibus initæ inter duas ejusdem Ecclesiæ, ejusdemque Capituli Dignitates declaravit Sacr. Congr. Rituum in casu, de quo *d. disc.* 30. *de judic.* 9

In his itaque posterioribus terminis versabamur, quod scilicet ageretur de mensis Abbatiali, & Monasteriali inter se omnino distinctis, duoque diversa corpora constituentibus, eodem modo quo Episcopus, & Capitulum, cum eadem intret proportio, & per consequens, etiam cum sensu veritatis, qualem quoque Judex habebat, dicebam necessarium esse utrumque solemnitatis, & causæ requisitum, tunc etenim in hujusmodi Monasteriis habentibus Abbatem, ac Priorem, & Monachos inter se dissidentes, evitari posset prima pars dictæ distinctionis, quando nulla mensarum formali, & juridica distinctione existente, adeout omnes redditus, & fructus constituerent unum corpus, unamque massam, adesset solum distinctio mensarum materialium de facto, puta quia Abbas, & aliqui ejus Ministri comederent in Camera, vel in alio loco, reliqui autem Monachi in Refectorio cum diversis coquinis, vel diversis tractamentis, idemque respective quoad vestiaria, & similia, cum tunc non verificetur distinctio formalis mensarum constituentium duo corpora inter se diversa.

Posita itaq; necessitate beneplaciti, ac etiam causæ, quia casus esset comprehensus sub *Extravag. Ambitiosæ*, quatenus pertinet ad secundum punctum dicti beneplaciti, advertebam inanem videri laborem per Scribentes hinc inde adhibitum super subreptione deducta ex non facta mentione litis, & an ista adesset necne, adeout opus fuisset de illa facere mentionem, quoniam ut præmissum est, in hac materia talis solemnitas necessaria est pro quadam obedientia, quia sic dicta lex præcipit, essentiale autem requisitum est causa, qua concurrente parum curantur hujusmodi defectus, qui in eam non influant, quoties ex facti circumstantiis non constat, quod concedentis voluntatem alias abesse faciant, & e converso illa non concurrente, nil refert, quod in reliquis de nullo valeat redargui defectu. 10

Litem autem in hoc proposito considerandam esse dicebam 11

non

non pro dicto defectu subreptionis, & pro illa necessitate, quæ de jure incidit in aliis gratiis ejus mentionem fecere, ex insinuatis *sub tit. de feud. disc.66. & in tit. de benefic.* sæpius, & alibi, sed ad effectum probandi pœnitentiam Abbatis, ac cessationem perseverantis voluntatis de tempore quo illud concessum fuit, siquidem sicuti vera, & recepta est conclusio, de qua supra *eod. disc. 1. num.* 113. ut post impetratum beneplacitum, quamvis adhuc non exequutum, immo
12 etiam ante expeditionem litterarum, dummodo gratia sit perfecta, non liceat amplius pœnitere, ita e converso ante concessionem, certa est facultas pœnitendi.

13 Hinc sequitur ut de tempore concessionis necessaria sit præexistentia voluntatis utriusque contrahentis, ex ea probabili ratione, quod tunc, & in illo instanti animari, atque perfici dicitur contractus, ideoque tunc adesse debet saltem implicita, & a lege præsumpta consensuum conjunctio, sine qua contractus non datur, ut in proposito assensus obtenti post mortem unius, absque explicito, vel implicito consensu heredis advertitur *disc.109. de Feudis*.

14 Et quamvis in his terminis beneplaciti Apostolici super alienatione bonorum Ecclesiæ habeamus, ut etiam post mortem unius ex contrahentibus impetrari valeat ea rolatis eodem sæpius *citato disc.* 1. *n.* 58. & alibi, attamen id provenit ex quadam ratione, quæ cum præmissis compatibilis est, siquidem, aut ubi post mortem alterius privari non prohibiti, & tunc de his non curatur, cum contractus ex sui parte sit necessarius, & obligatorius ab initio, neque Ecclesia volente, detur facultas pœnitendi, ideoque dicitur actus necessarius, quo casu non curatur illa cessatio consensus, quæ per mortem sequatur, ut etiam advertitur *d. disc.*109. *de Feudis*, aut sequitur mors Prælati, vel administratoris Ecclesiæ, & non per hoc dicitur sequi consensus, quoniam contrahens revera non est Prælatus, vel administrator Ecclesiæ, quæ non moritur, & cujus vice etiam identitet Prælatus, vel administrator impugnando factum proprium hanc pœnitendi facultatem exerceat, unde in dubio præsumitur continuatio, non constito de pœnitentia, seu mutatione.

15 Hinc advertebam opus non esse assumere punctum, super quo inter Scribentes hinc inde utrimque certatum fuerat, an scilicet citatio esset legitime exequuta, & an necessaria sit reproductio, sive alia concurrerent necessaria ad inducendam veram litem juxta deducta *disc.7. de Judic.* ac etiam frequenter *sub tit. de benefic.* in materia beneficii litigiosi, vel regulæ de triennali, quoniam id recte procedit respectu illius vitii, vel alterius effectus, qui resultet a lite, ejusque omissa mentione, secus autem ad hunc effectum probandi pœnitentiam, ac mutationem voluntatis, dum ad hunc effectum, quinimmo etiam ad plures alios resultare dicitur lis per solam porrectionem libelli, vel impetrationem monitorii, vel alium similem actum etiam ante alterius Partis citationem juxta distinctionem, de qua eodem *disc.*19. *de jud. n.*7. *& alibi*.

16 Insistebant Scribentes in contrarium pro actu sustinendo, quod pœnitentia, seu mutatio voluntatis debuisset intimari alteri contrahenti, quodque alias bene obtentum esset beneplacitum, in id deducendo Gratian. *disc.* 18. *n.* 37. *& discept.* 191. *n.* 21. *& seqq.* & Rota *dec.* 298. *n.* 7. *& seq. p.*13. *rec.* atque magis ad rem potuissent deducere ea, quæ habentur *dicto disc. 66. de feud.* super quæstione inter Regnicolas disputata, an revocatio, quæ in feudalibus ibi conceditur, & practicatur, debeat esse expressa, & alteri intimata necne.

Verum respondebam id nullius esse momenti, quoniam Gratian. *discept.* 18 loquitur de validitate actorum judicialium gestorum cum Procuratore, & quicquid præfati Regnicolæ dicant in illis terminis juxta eorum stylos particulares super interpretatione illius legis particularis, quæ incipit *Constitutionem Div. nem.* ex qua totum id derivat, vel quicquid in terminis juris communis sit in aliis materiis indifferentibus, in quibus aliqua sufficiens solemnitas, vel aliquod implementum requiratur juxta ea, quæ occasione insinuationis requisitæ in donationibus habentur *disc.* 28. *de donat.* & super cujus casu produt *d. decis.*298. *par.*13. *recent.* quæ in contrarium allegabant, in istis tamen, vel similibus terminis contractuum, aliarumque conventionum super rebus, quæ in contrahentium privato commercio nullatenus sint, nisi alter actus perficiens sequatur, verius est, ut requiratur perseverantia consensuum de tempore quo sequatur id quod animat, ac validat, & perficit actum, parum curando, an deficientia consensus unius alteri contrahenti innotescat necne, ut (ex gr.) habemus in mandato dato ad contrahendum matrimonium, quoniam si illud revocetur re integra, & priusquam actus perficiatur in facien Ecclesiæ cum forma præscripta per Sacr. Concilium Tridentinum, matrimonium remaneret invalidum, eo quia requirebatur præexistentia consensus in illo actu ex relatis in sua sede *sub tit. de matrim.* & habetur apud eundem Gratian. *dicta discept.* 18.

Ac etiam habemus in beneficialibus, quod mandatum datum ad resignandum est revocabile re integra, quamvis revocatio notificata non sit mandatario, vel resignatario, aut Officialibus Datariæ, cum omissio hujus denunciationis producat solum obligationem refectionis expensarum expeditionis, & alterius interesse prophani ex deductis *disc.*38. *de benef.* quidquid dicat Grat. *d. discept.* 191. ac etiam *disc.* 39. *de pensionib.* In proposito mandati dati ad consentiendum reservationi pensionis, cum similibus, quibus eadem ratio congruat, ex nimium probabili ratione superius insinuata, quod scilicet cum in hujusmodi prohibitis actus tanquam ex integro ex nunc perfici dicatur, quando supervenit beneplacitum Superioris, vel alius actus perficiens, sequitur quod eo tempore verificari debet conjunctio consensuum.

Deducebatur etiam ista consensuum conjunctio ex narrativa litterarum Apostolicarum, & precum utriusque Partis porrectarum, ac propterea cum consueto superfluo allegationum cumulo nimium exornabatur pluries alibi insinuata propositio in suis casibus vera, quod narrativa Papæ veritatem probat, eique deferendum est, sed istud revera erat contemptibile fundamentum, cum dicta propositio recte procedat, quando Papa loquatur de facto proprio, sive de his quæ ab eius animo pendeant, secus autem in hujusmodi gratiis ad narrativam, & supplicationem partium, & quæ non nisi ad utriusque supplicationem sive cum præsupposito perseverantiæ voluntatis utriusque conceduntur, cum tunc ista dicatur narrativa facta per Expeditores juxta eorum formularium, atque ad summum apta est in factis præsertim antiquis, vel quod alias contrarium justificari non possit, ad inducendam præsumptionem, ut ex parte utriusque beneplacitum impetratum fuerit, secus autem ubi illa præsumptio tollitur per expressam probationem contrariam, juxta casum, de quo apud Bich. *decis.* 60. *in ea causa*, *de qua disc.* 15. *de fideicomm.* cum similibus. 17

Demum quoad tertium punctum causæ, istius defectus videbatur evidens, adeout solus sufficeret quamvis corruerent omnia, quæ super defectu beneplaciti superius deducta sunt, quoniam falsa deducebatur causa obligationis Abbatis reficiendi, vel ornandi Ecclesiam, cum contrarium in Abbatis Ordinis Cisterciensis, de quo ista erat, statuatur per Constitutionem 18. Gregorii XIII. ut ad mensam monasterialem potius quam ad illam Abbatis, vel Commendatarii, illud onus pertineat, nil obstante quod in litteris particularibus provisionis injungatur onus erogandi quartam partem fructuum, quoniam id restrictum non est ad illud opus tanquam necessarium, & taxativum, sed stat demonstrative, tanquam una species piorum operum, in quæ ex Commendatarii libito, & electione ista erogatio fieri debet. 18

Ac propterea ubi etiam tale onus Abbati, vel Commendatario, incumberet, adhuc dicebam evidentem esse defectum causæ, non obstante quod ex parte Monasterii direntur justificationes, occasione visitationis factæ per Archiepiscopum super magna refectionis indigentia, tum quia iste actus refectionis semel in tempora efficitur, eaque sequuta per longa spatia cessat necessitas impensæ valde notabilis, cum solum aliqua modica in reparatione tectorum, & similibus continuari soleat.

Tum etiam quia illud dicitur onus personale Prælati, vel Rectoris pro tempore, quod adimplendum est ex fructibus, non autem ex proprietate, quam ex ista causa perpetuo distrahere liceat, ut de hoc onere *disc.* 29. *Miscellan. Eccles.* & alibi: quoties non sit magna impensa, quæ requirit proprietatem, & perpetuam utilitatem, eique congrue non sit explicabilis cum fructibus juxta distinctionem, quam in hac materia habemus in usufructuario successore fideicommissi, vel feudi, cum similibus, & generaliter deducitur in materia refectionis melioramentorum *sub tit. de legitim. & detract. disc.* 35. ac etiam *disc.* 27. *& alibi*, & per consequens posita etiam ista obligatione non per hoc poterat fieri hæc perpetua dismembratio proprietatis duarum Villarum, aliorumque bonorum considerabilium, & sic aderat uterque defectus tam in solemnitate, quam in causa, cum tamen unus sufficeret.

ROMANA HÆREDITATIS, PRO HIERONYMO HERMINIO, CUM LUDOVICO PORTA,

Casus disputatus coram Archipresbytero S. Mariæ Majoris, vel ejus Judicibus, & resolutus ut infra.

Cujus loci leges, vel Statuta attendi debeant in contractu gesto per eum, qui sit natus uno loco, & in altero contrahet, & quando incolatus, vel domicilium contractum dicatur.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De forense contrahente extra patriam, quale Statutum attendi debeat.*
3 *De acquisitione civilitatis domicilariæ.*
4 *An in ista acquisitione requirantur solemnitates Statutariæ.*
5 *De validitate contractuum minoris ratione juramenti.*
6 *Nativitas, vel respective mora occasionalis in loco non inducit domicilium, neque facit cessare civilitatem originariam.*
7 *An nati casualiter in uno loco dicantur illius Cives.*
8 *De concursu plurium civilitatum in una persona diversis respectibus.*
9 *In isto concursu plurimum civilitatum, qualis præponderet.*
10 *Declaratur conclusio, de qua n. 4.*
11 *De circumstantiis casus particularis, & quomodo in hac materia procedi debeat.*

D I S C. LV.

1 Mos est aliquarum industrium Nationum vel Populorum Italiæ, illam, aliasque Provincias nostri Christiani communicabilis orbis peragrandi, occasione mercaturæ, vel artium, quas exerceant, & præsertim Lombardorum Diœcesis Comen. aliarumque adjacentium vacandi in Urbe, aliisque locis Status Ecclesiastici arti Fabri Murarii, adeout illi artifices sub Lombardorum vocabulo explicari soleant, cumque id agerent Ludovicus, & N. fratres de Porta, atque prior in Urbe moram traheret, alter autem in Civitate Assisii, ubi filium procreavit nomine Ludovicum, illum infantem, ejus Patre forte defuncto, Ludovicus patruus propriam non habens prolem ad se evocavit in Urbe, eumque propriæ domi tanquam filium educavit, decedens vero in eadem Urbe Lucia uxore instituta in usufructu, eundem in proprietate instituit hæredem, sed ille ad favorem præfatæ Luciæ ex titulo repudiationis, & quatenus opus esset etiam donationis cuicumque juri ad dictam hæreditatem competenti cessit, eo vero defuncto Ludovicus filius ad domum aliaque bona hæreditaria dicti Ludovici senioris reintegrationis judicium instituit, atque coram Judice primæ instantiæ obtinuit contra Hieronymum dictæ Luciæ hæredem, vel cessionarium, introductaque causa coram Prælato Judice deputato in secunda instantia per Archipresbyterum S. Mariæ Majoris, cujus Hieronymus ratione beneficii, erat subditus.

Actoris fundamentum consistebat in dictæ repudiationis, vel donationis nullitate ob non servatas solemnitates præscriptas a Statuto Civitatis Assisii, vel e Constitutione Ægidiana in contractibus minorum, qualis ille supponebatur, quamvis constitutus esset in ætate 23. annorum, eo quia nullo in dicta Civitate extante Statuto abbreviante minorem ætatem, illa ad limites juris communis protrahitur ad annum 25. E converso autem ex parte Rei conventi, prætendebatur quod non minor, sed major censendus esset ex statuto Urbis, ubi initus fuit contractus, stante Statuto præscribente majorem ætatem in anno vigesimo, & per consequens causæ decisio pendebat a puncto, cujusnam loci civis præfatus Bartholomæus censendus esset.

2 Posito etenim, quod censeri deberet civis Assisiensis, nil referebat quod contractus initus esset in Urbe, quoniam probabilius, ac hodie magis receptum est, ut circa ea quæ respiciunt habilitatem personæ, non autem solemnitatem actus, attendi debeat locus personæ, non autem actus, juxta plene firmata in specie minoris Perusini contrahentis in Urbe, ubi esset major, apud Bich. *decis. 200. & seq.* & pluries, & in præcedentibus advertitur, ac etiam *disc. 143. de dote, & alibi*, si vero dicendus esset Urbis incola, tunc casus remanebat extra quæstionem.

Cum autem ex hac parte multa deducerentur ad probandum Urbis domicilium, primo nempe longæva habitatio per annos viginti, & ultra, usque ad obitum, secundo quod ibi uxorem duxerit, & filios procreaverit, tertio quod aliquas fecerit acquisitiones, & quarto quod in illo contractu adhibuerit solemnitates statutorum 149. & 150. Urbis, ac propterea ita se agnovit civem Romanum Statutis subjectum, & ex quibus simul junctis, certum videbatur, non constituto de animo contrario, domicilii probationem resultare, ex iis quæ in hac materia civilitatis domicilaris habentur relata *disc. 37. de præeminent. & disc. 31. de Comunitatis, & Capitulo, & alibi*. 3

Respondebatur ex parte actoris, quod hæc electio domicilii per minorem fieri non poterat sine solemnitatibus statutariis, ex firmatis per Andreol. *contr. 239. nu. 36.* & per Rot. in Cæsenaten. prædii 21. Februarii 1630. coram Ghisleno, & ex quibus auctoritatibus tanquam specialibus motus fuit Judex primæ instantiæ. 4

Scribens itaque pro Reo convento; dicebam etiam cum aliquo sensu veritatis, præfatum Ludovicum censendum esse, vel Civem Comensem, vel Civem Romanum, ideoque una, vel altera civilitate posita, contractum remanere validum, primo siquidem modo (ultra quod in statu Mediolani, de quo est dicta Civitas cum suo comitatu, minor ætas, vel in totum, vel pro notabili parte restricta est ad annum decimum octavum eo modo quo in Hetruria, & in utriusque Siciliæ Regnis,) omnis difficultas cessabat ex juramentum, ad terminos text. *in Auth. Sacramenta pub. C. si adver. Vend. & Cap. per vestras, de don. inter vir. & uxor.* cum notoriis, & altero modo cessabat difficultas ex eo quod per Urbis Statutum minor ætas abreviata est ad annum vigesimum, dum contrahens constitutus erat in anno vigesimo tertio. 5

Circa primum assumptum, ut Comensis censendus esset, deducebam conclusionem, de qua *discurs. 104. de Regal. discurs. 37. de præeminent. discurs. 81. de Comm. & alibi*, quod scilicet nativitas occasionalis extra patriam originariam, puta quia pater occasione feudi, vel officii, seu mercaturæ, vel professionis, aut artis alibi moram trahat, non tollat naturalem originariam civilitatem, adeout ita casualiter alibi nati habeantur, ac si vere, & proprie in patria nati fuerint. 6

Ac etiam in idem, pro exclusione civilitatis Assisii, deducebam alteram conclusionem, de qua eisdem locis mox citatis, & alibi, ut mora quantumvis diuturna in loco ex dicta occasione non inducat verum domicilium, adeout illum reddat civem, nisi de animo constet.

Et quamvis in filiis eorum, qui ita occasionaliter extra patriam in eo loco nascuntur, dicendum veniat, ut naturalem civilitatem acquirant, cum in magnis præsertim, & 7 metropoliticis Civitatibus pene major pars civium naturalium istam habeat qualitatem, quod scilicet suscepti sint ab iis qui occasione munerum publicorum, vel professionis, aut mercaturæ, vel artis illam civitatem colerent, ut præsertim in Urbe docet praxis.

Attamen intrat alia conclusio, de qua d. *discurs. 37. de præeminent. & disc. 83. & 128. de regal. & alibi*, ut scilicet prohibitus non sit cumulus plurimum civilitatum in eadem persona compatibiliter pro diversitate illorum respectuum, in quibus non vigeat repugnantia, sive incompatibilitas, & sic ut una sit civilitas vera originaria juxta primam conclusionem, de qua supra; altera civilitas etiam originaria, seu naturalis magis impropria ratione accidentalis, vel occasionalis nativitatis, ut in eadem prima conclusione, tertia domicilaria, & quarta magis ficte & privilegiativa, seu honorifica, ut ex. gr. est illa quæ concedi solet per Principem ex privilegio in hoc Principatu Status Ecclesiastici forte magis quam alibi practicari solita per Pontifices cum eorum familiaribus vel Conclavistis, & eius juxta casum, de quo *disc. 38. de præeminent.* Vel per electionem, aut aggregationem in civem factam per Nobiles juxta ea quæ in Italia frequenter practicari videmus in Republica Veneta, quæ aliquos quamvis ibi non commorantes ad illam nobilitatem aggregare solet, ac etiam in sedilibus Neapolis, cum similibus. 8

Quamvis etenim hujusmodi diversarum specierum effectus non sint uniformes; cum majoris efficaciæ, & operationis magis una quam altera civilitas esse soleat ex animadversis in supra allegatis *disc. 36. & 38. & in aliis sub tit. de præemin.* ubi est sedes materiæ hujus civilitatis, ac etiam incidenter *disc. 43. & 104. de feud. & disc. 149. de dote*, occasione agendi de capacitate acquirendi, & retinendi bona in loco, ac etiam *disc. 14. de matrim.* & alibi pluries, attamen id percotit accidentia aliquarum majorum, vel minorum prærogativa-

tivarum, non autem substantiam ipsius civilitatis in genere, distinctumque possibilem, & compatibilem concursum plurium civilitatum diversarum specierum.

9 His itaque consultis, quodque in illo contrahente tres ita cumularentur civilitates, una nempe Comensis tanquam patria originaria, altera Assisien. tanquam patria nativitatis, & tertia Romana tanquam patria domiciliaria, inter illas tres species, vel primam, vel tertiam potius attendi debere dicebam, magis vero ultimam, quam primam, tum quia ille erat locus contractus, atque alter contrahens juste illum civem Romanum credidit ex dictis facti circumstantiis, tum etiam quia in dubio capienda est illa pars, vel interpretatio, quæ assistat validitati actus, majoremque habet assistentiam, vel proximitatem juris communis, ac etiam quia dicta intermedia civilitas ex ejusdem facti circumstantiis videbatur omnium levior, magisque incerta, cum regulariter stante nativitate occasionali illa de stricto jure non adsit, sed magis prima, atque eatenus admittitur quoque hoc beneficium naturæ quamvis casuale in privilegiatis, ut præsertim in Civitate Neapolis disputari solet in illis, qui accidentaliter in ea nascantur pro admissione ad Collegium Doctorum, & franchitiis, aliisque privilegiis, quæ illis civibus concessa sunt, ex deductis apud Giurb. observ. 75. Capyc. Latro consult. 87. & alios, cum similibus; quatenus accedat declaratio animi, & voluntas illius, qui ita casualiter sit in loco natus, dum praxis frequenter docet quod ita nati in obscuris locis, sive quod alias illa naturalitas possit esse præjudicialis, illam acriter negant, ut Romanæ Curiæ praxis præsertim docet, & per consequens (applicando ad rem) cum ille contrahens ad Urbem translatus fuerit in ætate infantili, quando animum eligendi illam civilitatem habere non poterat, neque factus adultus ad illam unquam redierit, vel alios fecerit actus hujusmodi animum denotantes, ita nullatenus videbatur quod ad effectum odiosum, & exorbitantem annullationis actus illa civilitas omnium inferior aliis præponderare deberet.

Et quoniam juxta sæpius protestata, semper in causis decidendis error est cum generalitatibus procedere, illasque omni casui indifferenter applicare, hinc tam ad præmissorum comprobationem, quam etiam pro declaratione propositionis, de qua supra vers. respondebatur &c. ut electio domicilii in personis contrahere, vel alias sibi præjudicare prohibitis, habere debeat solemnitates statutarias, adverterebam esse debere ad casus, vel præsupposita, cum quibus auctoritates desuper deductæ loquantur, ac etiam ad circumstantias præsentis controversiæ, faciendo debitam combinationem pro congrua applicatione.

10 Siquidem Andreol. dicta controv. 239. n. 36. mitium auctoritati Bartol. in l. 1. n. 7. ff. de Tutor. & Curator. & Salicet. in l. 1. C. ubi petantur Tutores, qui & alii cum eo concordantes loquuntur de pupillo qui sit certus civis unius loci, atque eligat civilitatem domiciliariam alterius loci, ex qua præjudicium ei resultet, quoniam in pupillo non est verificabilis consensus, qui ad id est necessarius, idemque est casus dictæ decisionis Rotæ in Cæsenaten. prædii coram Ghislerio, quod scilicet agebatur de muliere demente, ac propterea id remanet a casu extraneum.

Præterea sine id recipiendum venit etiam in adulto capaci consensus, sed minore, vel alias contrahere prohibito, quando hæc electio diversi domicilii haberet fraudis, ac affectationis suspicionem, quia nempe id fieret ad fraudandum Statutum propriæ patriæ, ut proprie agit Andreol. & de quo supra disc. 29. & disc. 35. de donat. quoniam tum eadem facultate cum qua prohibitus tanquam suspectus de imperfecto judicio inducitur ad contrahendum, inducitur quoque ad hanc electionem faciendam, potissime ubi facti circumstantiæ id redoleant, quia nempe juxta casum, de quo in allegatis dec. 220. & 229. Bich. ille qui tam ratione originis, quam etiam domicilii esset certus, & continuus civis Perusinus, a patria ad modicum tempus, & accidentaliter accedens ad Urbem, in qua contractum ineat, eoque ad patriam regrediens, in qua domicilium usque ad obitum continuaverit, cum similibus.

11 E converso autem in hac facti specie plura concurrere observabam, ex quibus simul junctis manifestum videtur judicium applicare dictam propositionem, primo nempe quoniam prorsus improbabile, ipsique humano discursui contrarium videtur, ut inter illos qui dum atque ab infantia vixerunt, & vivunt in eadem Civitate, ob hujusmodi legalem metaphysicam, vel superstitionem, ut vivatur jure incolatus, vel jure more accidentalis, aliqui debeant reputari majores, & habiles ad contrahendum, & alii minores, & inhabiles, cum iidem sint mores.

Secundo quia ista mulier, cum qua contractus initus est, probabiliter opinari potuit hunc esse civem Romanum, & majorem, dum ab infantia illum educaverat, ac sciebat esse Urbis continuum habitatorem.

Tertio quia ut sæpius dictum est, sub diversis materiis in hoc theatro, & in alio opere Italici idiomatis sub nomine Doctoris vulgaris, evidens videtur ineptia Jurisstarum in eadem Provincia minorem ætatem cum hac diversitate regulare.

Quarto quia juxta mores, & leges loci contractus, ac pene totius Italiæ, imbecillioris judicii reputatur ipsa mulier, quam ipse contrahens in ætate viginti trium annorum.

Quinto quia idem postea uxorem duxit, & filios procreavit, & tamen usque ad mortem nunquam conquestus est, nec actum impugnavit.

Et sexto quia in nihilo pauperior effectus est, ejusque patrimonium non minuit, cum non cesserit, vel donaverit non Dominio id quod jam suum esset, sed solum se abstinuerit ab acquirendo illam proprietatem, quæ poterat esse inutilis, quia eidem ipsa mulier usufructuarie supervivere poterat, ipsaque ex hac resolutione nullum jus de novo quæsivit, sed jus suum continuavit, cum ita cedente, vel agnoscente proprietario, ipsa effecta fuerit hæres pleno jure, ex relatis disc. 1. de hæred. & baronis. & alibi, ac propterea adaptantur ea quæ habentur dec. 22. 292. 320. & 323. p. 6. rec. & in Romana primogenituræ de Cæsariis sub tit. de renunciat.

Atque hinc edocemur quam erroneum sit in hac materia procedere cum generalitatibus, cum revera principaliter sit reflectendum ad rationem, cui innixa sit Statuti dispositio, & ad finem, vel effectum a Statuentibus desideratum.

AUXIMANA RELEVATIONIS PRO PETRO FRANCISCO TRAVAGLINO CUM COMMUNITATE CIVITATIS AUXIMANÆ.

Casus disputatus in Congregatione Boni Regiminis, & resolutus pro Travaglino.

De eadem materia, de qua supra disc. 23. super alienatione, vel obligatione bonorum Communitatum, & quid ubi contractus non respiciat ipsam Communitatem, sed annonam?

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 De alienationibus, & obligationibus, aliisque contractibus Communitatum.
3 Distinguuntur plures casus in hac materia.
4 An nullitas obligationis principalis suffragetur fidejussori?
5 De expromissore, vel alio damnificato in causa Communitatis, ut debeat relevari, & quomodo.
6 De annona ejusque materia.
7 Quod in casu necessitatis non attendantur solemnitates, & formulæ juris.
8 De eadem in ratione politica, seu prudentiali.

DISC. LVI.

Pro extinguendo censu scutorum quatuor millium, & ultra, qui sub gravibus fructibus impositus fuerat per Civitatem Auximanam usque ab anno 1631. ex causa emptionis frumenti pro annona publica, cum pecuniis, quas ab alio inveniebant ad longe minorem fructuum, oportebat quoque solvere scuta octo centum pro fructibus decursis, cumque in istam causam non reperiretur qui pecuniam Civitati dare vellet, hinc Honorius Travaglinus probus, & benevolus civis hanc summam proprio nomine accepit ad censum, eaque in istam causam erogata, Communitas illum relevare se obligavit, cumque plurium annorum fructus de proprio solvisset, idcirco pro relevatione, servatis servandis præfatus Petrus Franciscus hæres obtinuit a Gubernatore Civitatis contra Communitatem mandatum a Congregatione Boni Regiminis approbatum; cujus vigore facta fuit executio super quodam ejus Molendino, quam tamen executionem eadem Congregatio approbare noluit, sed prudenter ac juste mandavit, ut istud debitum extingui deberet cum particulari, & extraordinaria civium collecta, seu contributione pro una vice, huic vero determinationi eadem Communitas, vel aliquibus Civibus non acquie- 1

acquiescentibus, idcirco nova disputatio in dicta Congregatione assumpta fuit, in qua solum ad scribendum in jure pro Curiæ stylo requisitus fui ex parte Travaglini actoris, pro quo prodiit resolutio præcedentium confirmatoria.

2 Deducebantur itaque pro oppositore eadem fundamenta, quæ habentur supra in jam editis *disc.* 23. 25. & 26. super invalida obligatione Communitatum absque requisitis utilitatis, & causæ, quibus carere respondebant præfatum antiquum censum pro cujus fructibus dissolvendis impositus fuerat iste census de quo agebatur, totum ex dictis discursibus desumendo.

Scribens pro actore relevando, non impugnando ea quæ in dicto discursu habentur, decantebam solitam cautionem, quod scilicet punctus non esset in conclusione juris, sed in applicatione ad factum, ut in majori parte forensium controversiarum contingit, atque pro dicta applicatione congrue facienda pro stylo advertebam, tres casus distinguendos esse.

3 Primo nempe ubi agatur de primo contractu, qui directe fiat cum Communitate, inter quam, & contrahentem orietur controversia super ipsius contractus validitate, qualis est casus, de quo *d. disc.* 23. Secondo ubi agatur pariter inter contrahentem, & Communitatem, de secundo tamen contracto inito in causam dissolutionis debiti antecedenter contracti cum altero, super cujus validitate cadet dubitatio, an scilicet secundus contrahens de illa sollicitus esse debeat, & tertio ubi ut in præsenti agatur de relevatione fidejussoris Communitatis, qui pro ea molestias, & damna recipiat, & receperit.

In primo casu dicebam totrare ea quæ habentur *d. disc.* 23. in quo etiam habentur aliquæ inter se pugnantes resolutiones Rotæ, quas indicabam, sed opus non erat expendere quænam essent probabiliores, utpote extra casum, ac propterea fuisset mere inanis evagatio.

In secundo quod scilicet secundus contractus solemnitatem habeat, ac etiam causam de facto, quia constet de versione in dissolutionem primi debiti, quod tamen minus legitimum prætendatur, an scilicet secundus contractus ad investigare teneatur, aliqua dignoscitur varietas opinionum ex relatis per Salged. *in labyrint. p. 2. c. 17. nu. 46. & seqq.* Capobl. *de Baron. pragm. 1. nu. 298. & seqq.* de Marin. *resolut. 77. l. 1.* cum aliis, locis citatis, sed pariter advertebam quod superflua evagatio erat, utpote extranea ab illo quæstionis, quæ proprie versabatur in tertio casu.

4 Illum autem dicebam in duos alios subdistingui debere, unum scilicet in quo agatur de vero, & proprio fidejussore, quia nempe Communitate directe contrahente debitum, atque particulares cives pro ea fidejubeant, adeout licet pro moderno generali usu fidejussorum obligatio de jure habeatur tanquam principalium correorum ex formula obligationis principaliter, & insolidum ad effectum tollendi necessitatem excussionis, ac alia fidejussorum beneficia, attamen naturaliter, & de facto sit obligatio accessoria, & fidejussoria, & alterum ubi Communitate nullatenus contrahente, tam de jure quam de facto solus privatus se obliget, contemplatione tamen, & in gratiam Communitatis, in cujus causam cedat accepta pecunia, pro qua se obligavit absque eo quod constet creditorem voluisse contrahere cum Communitate, itaque posterior erat casus præcisus, in quo expromissoris potius quam fidejussoris, vel correi terminus cadere videbatur, & per consequens extranea quoque remanebat inspectio super quæstione, de qua agitur supra *disc.* 28. & alibi, an nullitas contractus, vel obligationis respectu principalis creditoris influat in obligationem fidejussoris, vel correi, & de quo etiam habetur ad materiam Bullæ Baronum *sub tit. de feud. disc.* 100. ac alibi, & quo casu communitas fidejussoris defensionem integram assumere potest, curando ejus obligationem quoque invalidam declarari ob malam fidem creditoris, qui ita legem frandare curavit ut insinuatis supra *disc.* 25. & 26. ubi de hac materia particularium fidejubentium pro Communitate; & quatenus res non esset integra, quia nempe ipse fidejussor, vel obligatus solvisset, dici posse videtur quod sibi imputet, cur eandem Communitatem non interpellaverit, ut eum defenderet, ac a molestiis liberaret, curando declarari contractum invalidum.

In altero autem casu, de quo proprie ac præcise agebatur, & in quo omnes præmissæ considerationes, vel rationes dubitandi cessant, quia nempe creditor nil agere volens cum Communitate, vere ac citra fraudem, & collusionem contraxerit cum privato tanquam in causam propriam, cum tunc etiam in illis locis, in quibus, per leges particulares invalidantur obligationes particularium, non intret hæc irritatio, ut advertitur supra *d. disc.* 25. & 26. adeout ita contrahenti, & se obliganti nullum suppetat confugium, vel remedium adversus creditorem.

5 Atque in isto casu, de quo non multum actum habetur, cum decisiones, & auctoritates, quas desuper habemus, alios præcedentes respective percutiant, advertebam quod ubi etiam ageretur de negotio vere communicativo (quale non erat ut infra) decisio pro meo judicio penderet quoque a circumstantiis particularibus facti, adeout intraret quoque consuetus error procedendi cum solis generalitatibus, & in abstracto, an scilicet actus esset revera sincerus, & bonæ fidei necne, dum alias ita de facili fraus fieri posset per administratores prohibitioni legis, collusive supponendo privatum, qui indebite in causam Communitatis contraheret, ut ita irreparabiliter lex supplantata remaneret, sed ubi revera actus sit sincerus, & bonæ fidei, quia nempe probus, ac benevolus civis, præsupponendo (ut supponere in præsenti debebat) quod esset verus, & legitimus ille census antiquus, de cujus extinctione pro utilitate Communitatis sollicitus erat Populus, debitum in causam propriam ex solo zelo publicæ utilitatis contraxerit, eo quia non posset alia eadem utilitas obtineri, ipsaque veritas certa, & sincera sit, adeout cesset illa fraudis, & collusionis suspicio, quæ supra consideratur, & tunc etiam cum sensu veritatis, dicebam quod omnis justitiæ, & æquitatis ratio sibi assistebat, cum alias esset dare maximum absurdum, scripto, & naturali jure contrarium, ut quis pro benevolo, & charitativo officio præstito, damnificatus remanere debeat, dum si qua culpa aderat non advertendi ad prætensam invaliditatem primi census, illa erat generalis omnium civium, ac populi, ideoque ipsorum dicebam esse debere præmium reficiendi cum collecta, vel contributione damnum passum a benevolo benefactore.

Ponamus enim quod Civitas, vel Locus, etiam injuste, & de facto patiatur, vel timeat damnum, pro quo evitando aliquis civis ipso populo, seu ejus administratoribus rogantibus, & petentibus, suam interponat fidem, vel pecuniam præstet, utique scripto, & naturali jure contrarium, atque species iniquitatis esset, ut ille bonus, & charitativus Civis ita de proprio damnificatus remanere deberet pro benevolo, & charitativo officio, quoniam licet causa sit injusta, attamen in hoc spectatur factum, quod redolet speciem casus fortuiti depradationis, vel alterius indebitæ molestiæ totius Loci, vel Populi, ac propterea omnes afficere debet, eodem modo quo ex omnium collecta, vel contributione relevari debet indemnis ille privatus, qui supræfatas, vel alias molestias pro causa publica, & communi, quamvis indebita, & de facto passus esset.

6 Præterea in hac facti specie ob ejus circumstantias cessare dicebam omnem difficultatem, quoniam revera quæstio non erat cum ipso corpore Communitatis, de cujus bonorum distractione ageretur, ut erat in casu exequutionis factæ super molendinos, sed potius erat cum civibus particularibus, quoniam antiquum debitum pro cujus fructibus illud posterius contrahere oportuit, non fuit in causam Communitatis, sed in causam annonæ, quæ vere, & proprie non est causa Communitatis, sed singulorum civium, quorum œconomicum negotium, sive œconomicam administrationem ad eos liberandos a Dardanariorum oppressionibus gerere dicuntur Princeps, vel Civitas ex his, quæ in hac annonaria materia habentur *sub tit. de Regal. disc.* 44. & 45. & 125. Ideoque Cives cum collecta non solvunt debitum Communitatis, sed proprium ob commodum, quod perceperunt emendi panem pro viliori pretio quam importaret id, pro quo frumentum tempore penurioso emptum fuerat.

7 Ponderando etiam in hac specie debiti quod per Communitates contrahatur, ut recte adaptentur ea quæ supra, *disc.* 1. *num.* 139. habentur etiam in debitis contrahendis, vel alienationibus faciendis per Ecclesiam, quando magna, & imminens urgeat necessitas, ut tunc non procedat necessitas requisitorum circa solemnitates, & causam, ex regula, quod necessitas non habet legem.

8 Ac etiam quod intraret politica sive prudentialis ratio præferendi majus publicum bonum tam pro ea necessitate, quam fortius pro aliis, quæ in futurum eventuræ sint, quoniam si cum legalibus subtilitatibus procederetur, ita sequeretur quod in aliis indigentiis non invenirentur qui Communitatibus crederent pecuniam, vel fidejuberent pro eis se obligando, quod utique maximum pareret præjudicium. Ideoque Juris conclusiones discrete intelligi debent in illis casibus, quibus earum ratio reductiva congruat, & non aliis, ac etiam in idem conferunt deducta *disc. sup.*

SE-

SENOGALLIEN. DOMUS.

PRO MARCHETTIS

CUM PASQUINIS.

Casus decisus per Rotam pro Marchettis.

De alienatione facta per minorem, quando dicatur facta ex justa causa ad effectum validitatis, vel invaliditatis actos, & de valida, vel invalida alienatione facta per hæredem gravatum fideicommisso.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series cum resolutionibus.*
2 *Hæres tenetur habere ratum factum sui auctoris etiam in juribus propriis, & quando secus.*
3 *Alienationes bonorum fideicommissi pro ære alieno testatoris, valent, & quando secus.*
4 *Quod in principiis certis damnabile sit facere tumulum allegationum.*
5 *De eadem conclusione, de qua n. 3. quomodo intelligenda sit.*
6 *Alienationes factæ per gravatum fideicommisso cedunt in causam detractionum ipsi gravato competentium.*
7 *An alienationes factæ per ignorantem ignoranti, valeant & quando id procedat?*
8 *De objectis super alienatione facta per minorem in casu &c.*
9 *Quomodo æstimari debeant bona alienata ad effectum videndi an adsit læsio necne?*
10 *De intelligentia conclusionis quod prius vendi debent mobilia, & alia minus pretiosa, & in subsidium deveniri ad alienationem stabilium.*
11 *An & quando juramentum suppleat defectus requisitorum in alienatione facta per minorem.*
12 *Quando venditio facta, habito fide de pretio, sustineatur.*
13 *An contractus initi sine solemnitatibus sustineantur inter æque minores?*
14 *Cum quibus considerationibus in hac materia procedi debeat.*

D I S C. LVII.

1 DEfuncto Christophoro Lemmo, scripto hærede Francisco Maria filio cum fideicommisso ad favorem ejus descendentium, & in istorum defectu filiarum ipsius Testatoris, earumque descendentium, cum hæreditas gravata esset censu in sorte scutorum bismille sub gravibus fructibus octo pro centenario, & scut. sexcentum, & ultra sub gravioribus usuris societatum officii ad rationem 12. pro centenario, immo aliquibus gravioribus judaicis, inter bona vero hæreditaria adesset in Civitate Senogalliæ patria quædam domus, habita loci proportione, conspicua notabili sumptu constructa, adhuc tamen imperfecta, & inhabilis, & quæ ad perfectionem, & usum alium notabilem exigebat sumptum dicto hæredi adhuc minori impossibilem, hinc hæres cum consilio, & auctoritate Curatoris decrevit dictam domum alienare, eaque publice exposita venali etiam cum publicis proclamationibus, & subhastationibus, atque meliori non reperto emptore, adhibitis solemnitatibus ex loci statuto requisitis in contractibus minorum eam vendidit auctori illorum de Marchettis etiam minori pro pretio scutorum 2614. in quorum computum emptor in se accollavit dictum censum scutorum bismille, reliquos vero sexcentum quatuordecim numerato solvit erogatos in prædictorum aliorum debitorum extinctionem; post decursum vero annorum quadraginta Pasquini, & consortes filii sororum dicti Francisci Mariæ venditoris defuncti absque prole, duplicem habentes titulum, unum nempe fideicommissi, ad eorum favorem purificati, & alterum hæredum ejusdem Francisci Mariæ avunculi, ex utroque jure contra possessores judicium immissionis ad dictam domum instituerunt coram Ordinario, a quo sententiam favorabilem reportarunt in secunda instantia ab A. C. ob quandam ejus nullitatem, tanquam in prima approbatam, introductaque per appellationem causa in Rota coram Matthæjo, datoque juxta stylum dubio tanquam ex integro, an actoribus danda esset immissio, sub die 7. Maji negativa prodiit resolutio confirmata 24. Februarii 1676. coram Rondinino subrogato, atque in hoc statu causa reperitur, istæque resolutiones Rotæ Mihi scribenti pro reis conventis, reflectendo ad solam veritatem probabiles visæ sunt, improbabiles vero præcedentes aliorum Judicum.

Distinguendo siquidem dictas personas, quas actrices repræsentabant, quatenus pertinet ad propriam jure aviti fideicommissi, illam omnino negligendam esse dicebam, atque Rota admisit, idemque Defensores actorum in secunda disputatione coram Rondinino agnoverunt ex pluribus fundamentis, quorum quodlibet sufficiebat, multo magis eis simul junctis.

2 Primo nempe, quoniam cum ipsi essent hæredes dicti Francisci Mariæ alienantis, quatenus illius respectu alienatio esset valida, & firma, ita ala obstabat regula vulgaris & quotidie in praxi decantata text. *in l. cum a matre. C. de rei vendic.* cum hodie receptum sit, ut hæres teneatur habere ratum factum sui auctoris, illudque impugnare non valeat ex juribus propriis, etiam ubi sit hæres beneficiatus, donec servatis servandis non doceat de legitimo inventario, ac ulterius non reddat rationem de bonis hæreditatis, quæ in dubio præsumitur opulenta, quoties alienatio non sit ita evidenter nulla, & infecta, ut propterea etiam ipsimet, qui alienationem fecit, multo magis hæredi Vincentiæ tribuatur licentia illam impugnandi, puta ob manifestam resistentiam voluntatis testatoris, qui specialiter, ac enixe illius rei conservationem desideravit, ac alienationem prohibuit, sive ob vehementem resistentiam legis, ut habemus in feudis, & similibus, ut ita distinguendo habetur in sua sede *sub tit. de fideicomm. latius vero disc. 25. de legitim. & detraction.* & alibi, cum sit conclusio recepta.

3 Secundo dum alienatio facta erat pro dissolvendo ære alieno testatoris, quo casu dicitur bene facta, perinde ac si fideicommissi vinculum non adesset, quoties pariter ob aliquam extraordinariam circumstantiam non adesset infectio, puta quia collusive, & cum mala fide distracta esset res de melioribus, & majoris valoris, quando posset cum aliis bonis magis proportionatis minorique incommodis consuli necessitati, juxta distinctiones, & considerationes, de quibus *in eadem sua sede, sub tit. de fideik. disc. 160. & seq. & 164.* & in aliis, cum ista videantur principia hodie plana, & recepta, ac propterea repetere oportet scandalum, quod in dies concipio, videndo, quod in decisionibus, in quibus loquendum 4 est more Magistri, super eis adeo inutiles fiant auctoritatum cumuli, ut istis sequi cernitur, & quamvis subtilizando dici posset quod istud æs alienum defuncti non haberet illam urgentiam, quæ desiderari solet, ex quo agebatur de censu, cujus sors est irredimibilis ab invito debitore, ut in plerisque decisionibus legitur, attamen quoties aliæ non urgeant circumstantiæ redolentes fraudem, & malam fidem, id pro meo sensu continere videtur unam ex consuetis leguleicis frigiditatibus, potissime ubi agatur de censibus pro frequen- 5 tiori contingentia ad graviorem fructum, quam sit ille bonorum stabilium, præsertim vero urbanorum, cum potius ad alienationem bonorum devenire omnino expediat, tum ratione majoris utilitatis in fructu, tum etiam ob considerationes, de quibus *disc. 145. de dote & alibi*, quod scilicet pro extinguendo censu, vel alio debito fructifero hæreditatis aliqua res venditur, tunc hæreditas non subjacet alteri damno, vel jacturæ, quam illi amissionis illius rei absque ulteriori progressu, sed quando census vivit, tunc ob negligentiam hæredis in solvendo annuatim fructus, fieri potest magnus illorum cumulus, qui universum assem absorbeat, atque fideicommissum destruat, dum creditori defuncti talis negligentia non præjudicat, fortius vero in illis locis, in quibus receptum sit, ut etiam pro fructibus debeantur interusuria ex insinuatis in suis sedibus *sub tit. de cens. & sub altero de usur.* Ideoque iste remaneret error manifestus.

6 Tertio, quia in omnem eventum alienatio, quando etiam non urgeret æs alienum defuncti, sive quod in ejus causam non cessisset, sustineretur in causam detractionum, ipsi hæredi gravato competentium ratione legitimæ, & trebellianicæ non prohibitæ, ac etiam dotium maternarum juxta conclusionem pariter planam, & receptam quotidie in Foro decantatam, de qua *eod. tit. de fideicom. disc. 128. & 162.* & magis ex proposito *dict. disc. 25. de legitima & detractionibus, & alibi, & in prima hujus causæ decisione.*

7 Quarto magis ad satisfaciendum parti quam quod motivum crederem sustentabile, deducebam assumptum, de quo aliis relatis apud Fusar. *q. 556. n. 1.* Magon. *dec. Florent. 102. n. 12. ubi concordantes*, quod scilicet cum tam emptor quam venditor essent minores, certam fideicommissi scientiam non habentes, ita diceretur alienatio facta bona fide per ignorantem ignoranti, ideoque sustineri debeat, atque in prima decisione coram Matthæjo, forte ob illos abusus,

qui

qui insinuantur *disc. 32. in relat. Curiæ*, hoc assumptum simpliciter admittitur, quod tamen mihi illud deducenti, reflectendo ad veritatem, nimium periculosum videbatur, minusque tutum *ut in eod. tit. de fideic.* advertitur *disc. 84. n. 12. & 173. n. 2. & alibi*, quoniam si illud subsisteret, ita actum esset de fideicommissis post aliquem temporis tractum, & quando penes ulteriores, ac mediatos successores justa ignorantia allegari potest, ideoque illud assumptum nunquam vidi in praxi admitti, cum vere, ac proprie illud procedat in fideicommisso conservatorio, ac pœnali ad excludendum delictum ob alienationem, ob quam prætendatur factum esse locum caducitati, secus autem in fideicommisso restitutorio, & ad reddendam perpetuam, & irretractabilem alienationem factam a gravato, adeout obliget successorem, ut illi acquiescere teneatur, solumque illo casu admittendum videtur ad instar, & ex identitate rationis, illud æquitativum Judicis arbitrium, quod *sub tit. de cred. & plures & alibi* consideratur super moderatione rigoris text. *in l. creditoris arbitrio, ff. de distract. pig.* quando scilicet absque incommodo tertii possessoris, qui ratione ignorantiæ, & bonæ fidei sit commiseratione dignus, possit fideicommisso esse bene consultum de ejus reintegratione ex bonis gravati alienantis, dum in fideicommissarii successoris electione repositum est, vel bona alienata vendicare, vel ad pretium contra alienantem agere, ex deductis *præsertim disc. 173. de fideic.* quia nempe non interest magis recuperare bona, quam habere dictam reintegrationem in pretio, ubi quod magis expedit agere contra alienantem; secus autem si interest quia nempe agatur de bonis, super quorum conservatione verisimilis testatoris voluntas, vel desiderium assistat.

Major itaque peneque omnimoda disputatio fuit super impugnatione hujus alienationis ex altera persona hæredis alienantis, cum viventi eadem impugnatio competeret ob nullitatem resultantem a Statuto loci continente decretum annullativum cum enervatione indirecta juramenti, vel directa valida ratione confirmationis Apostolicæ juxta frequenter superius insinuata, cum in hoc Principatu ob illorum Statutorum frequentem usum, hujusmodi impugnationes alienationum factarum per minores, vel mulieres frequentissime cernantur.

8 Defectus autem non deducebatur ratione solemnitatum materialium consistentium in decreto Judicis, & interventu Curatoris, vel proximiorum, cum illæ essent adhibitæ, sed deducebatur ratione causæ simpliciter. Primo, quia juxta quandam Peritorum æstimationem illud ædificium supponebatur magni valoris scutorum novem millium circiter, ideoque male alienatum a minore pro scutis bis mille, & sexcentum, secundo, quod servata non esset forma text. *in leg. magis puta, §. ne tamen, ff. de reb. eorum. &c.* Ut ex pretio sequatur æris alieni dissolutio, quod in præsenti sequutum non erat, dum emptor in se accollaverat censum, & tertio, quod debebant prius distrahi mobilia, aliaque bona minus pretiosa, non autem ædificium adeo in loco conspicuum, quod expediebat conservare.

9 His tamen non obstantibus, ut præmissum est injustam dicebam prætensionem, qualem Rota censuit; quatenus enim pertinet ad primum defectum notabilis læsionis in pretio, qui Mihi videbatur majori consideratione dignus, quatenus in facto subsisteret, cum revera in hac materia æstimanda sint ea motiva, quæ consistunt in facto magis, quam ea, quæ proveniunt a formalitatibus ac superstitionibus juris, illud ex eodem facto tollebatur, quoniam ultra exceptiones, quæ per causæ Patronum ex hac parte dabantur adversus relationem Peritorum, quod non esset legitima, & servatis servandis facta, quodque contrariæ adessent probationes status ruinosi, & inutilis dicti ædificii longe minoris valoris, advertebam posse simul dare, quod dicti Periti dicerent verum, & tamen, quod venditio pro justo pretio, ac utiliter facta esset, siquidem admissa etiam pro vera dicta Peritorum relatione, quod æstimando sumptum ædificii secundum regulas eorum artis in hoc adhiberi solitas, ut advertitur *disc. 24. de empt. & vendit. & disc. 33. de judic.* ad dictam, ac majorem summam ascenderet, non tamen exinde inferri poterat, quod tanti valeret, quoniam in hujusmodi præsertim parvis, vel mediocribus Civitatibus & locis, in quibus non verificatur illa ratio, quæ consideratur in Urbe, aliisque magnis, & Metropoliticis Civitatibus, Urbana ædificia, quæ cum aliqua magnificentia construantur, habere videntur speciem illorum ædificiorum, quæ construuntur in Villis, ac viridariis, quoniam principaliter deserviunt ad oblectamentum, seu commoditatem magisque honorificam propriam habitationem, non autem ad fructum & utilitatem cum pensionibus ex eorum locatione obtinendis, eo modo, quo in dictis magnis, ac Metropoliticis Civitatibus sequitur, quinimmo etiam in istis, cum sua proportione, quando agitur de palatiis, & ædificiis nimium sumptuosis, & conspicuis intrat eadem consideratio, quoniam pleraque adsunt palatia adeo magno sumptu constructa, ut seclusa ratione decoris, magnificentiæ, attentisque regulis œconomicis, & arithmeticis habitari dicantur cum annua pensione scutorum respective decem, & quindecim, immo viginti mille scutorum, cum tamen si eadem palatia exponantur conductitia, vix invenietur pensio scutorum mille, vel respective mille, & quingentum, & parum plus, idemque circa pretium in sorte, quoniam si exponantur venalia, vix invenietur quinta pars, & minus ejus, quod erogatum fuit, & per consequens intrat regula, quod res tanti valeat, quanti communi æstimatione vendi potest, atque emptorem inveniat, quoties ad hunc effectum agitur regulandi læsionem in jam facta alienatione, vel in illa facienda, quoties eam facere expediat, atque si hæc procedunt in ædificiis jam perfectis, & habitabilibus, adeout aliqua, etsi comparative modica utilitas percipiatur, multo magis ubi agatur de ædificio imperfecto, & inhabitabili, ideoque prorsus inutili.

Quo vero ad secundum objectum, quod juxta regulam text. *in l. lex quæ tutores, C. de admin. tut. cum concordantibus*, 10
distrahi prius debeant bona mobilia, & semoventia, aliaque etiam stabilia minus considerabilia, dupliciter respondebam: Primo nempe ex facto, quod scilicet per actores impugnantes actum, & quibus incumbebat onus probare illam qualitatem, quæ erat suæ impugnationis fundamentum juxta distinctionem, de qua *d. disc. 25. de legat. & de tract. & alibi*, non docebatur de hujusmodi bonorum existentia, quam inverisimilem esse advertebam, cum testator de tempore mortis in tali statu constitutus erat, ac vivebat, quod cogebatur tenere summas adeo notabiles sub gravibus usuris, & interusuriis, quod utique præsupponendo illum virum prudentem, non autem stultum, vel amentem, sequutum non esset, si pecunias, & mobilia promptæ venditionis habuisset.

Et secundo, quoniam dictus ordo adhibendus venit, quando pupilli, vel minoris, vel alterius, qui liberam suorum bonorum dispositionem, ac administrationem non habeat, ita interest, quia nempe agatur de prædiis rusticis, vel Urbanis, quæ tam ratione utilitatis, quam ratione decoris & honorificentiæ habere expediat, ut exemplificari solet in antiqua domo habitationi destinata, in qua majorum imagines habeantur, sive alia nobilitatis, & antiquitatis signa, & documenta, cum similibus circumstantiis, juxta locorum ac personarum, & divitiarum qualitatem metiendis, ideoque stultitiæ species videtur in hoc procedere cum regulis generalibus, vel cum doctrinis, & auctoritatibus, quæ diversos percutiunt casus juxta commune pragmaticorum vitium, sive ineptiam. Hæc autem consideratio in præsenti non intrabat, dum agebatur de quodam novo ædificio incœpto, & non perfecto, ideoque inhabitabili, ac inutili, quod non solum in possessoris, vel ejus majoris, qui illud incœperit, decorem, & utilitatem non tendit, sed potius operatur oppositum, ejusque imprudentiam comprobat, & redarguit juxta parabolam Evangelii de eo, qui cœpit ædificare, & non potuit consumare, atque hinc advertebam quod ita hic minor duplici premebatur onere, uno scilicet istorum censuum, aliorumque debitorum in gravibus usuris, & interusuriis, & altero notabilis sumptus necessarii ad ejusdem ædificii perfectionem, qua sequuta aliam utilitatem non reportasset, nisi illam splendidioris, & commodioris habitationis, quæ sine magnis divitiis est potius in ludibrio.

Demum, quoad tertium objectum dicebam, quod cum 11
istud non proveniat a Statuto, cujus forma adimpleta erat, sed proveniat a dispositione juris Civilis, istius dispositio cessabat per juramentum ad vulgares text. *in auth. Sacramenta puber. C. si advers. vendit. & in c. cum contigat, de jur. jur. & c. per vestras, de donat. inter vir. & uxor. atque sæpius hoc eod. tit. & alibi* advertitur, & præsertim *disc. 143. de dote*, In hoc etenim differunt ea, quæ requiruntur ex dispositione Juris communis civilis, & ea, quæ requiruntur per Statuta, quod ista pro frequentiori contingentia, vel tollunt juramentum expresse, & directe in vim Apostolicæ auctoritatis, & confirmationis, vel illud tollunt indirecte præsumendo vitium naturale, ut locis citatis advertitur, quod juri communi non adaptatur.

Præterea dispositio *d. text. in l. magis puto, §. ne tamen.* pa- 12
riter discrete pro facti qualitate intelligenda venit, adeout

intret

intret idem, qui supra insinuatus error procedendi cum generalitatibus, dum principaliter inspici debet ratio, cui ejus dispositio innixa est, ne scilicet sequatur inconveniens, ut minor privatus remaneat re, & pretio, quia minus idoneo emptori habita de eo fide, alienatio fiat, secus autem ubi adimpleatur finis, adeout ejus indemnitati remaneat bene consultum, ut in præsenti ea facti qualitate sequebatur, atque docebat eventus per tempus adeo diuturnum annor. 40. juxta considerationes, de quibus *disc. 40. de judic.* occasione agendi de requisito subhastationis bonorum debitorum, ut præsenti pecunia fieri debeat. Quandoque etenim, immo frequenter ejus, cujus bona distrahuntur, interest procedi per hanc viam accollationis, vel honestæ dilationis, quoties de emptore idoneo, & tum agatur, ut ita facilius inveniantur oblatores in majori numero, ex quo provenit augmentum pretii, dum difficilius extra magnas Metropoliticas, vel nimium divites, & Mercantiles Civitates, ac Emporia invenitur copia oblatorum cum integra pecunia numerate, quando agant de pretio notabili.

13 Deducebamus quoque Ego, & alii pro hac parte Scribentes supra insinuatum motivum, quod etiam emptor esset minor, ideoque ageretur inter æque privilegiatos, illudque præsertim in prima decisione nimium consideratur, verum reflectendo ad veritatem, capiendo illud solum, & de per se non videbatur considerabile, cum verior, magisque receptum sit, ut regula conquassationis privilegiorum in hoc non intret, ut frequenter in præcedentibus *hoc eod. tit.* advertitur, bene tamen ista circumstantia est consideratione digna, ut cum aliis, ut supra conjungatur ad excludendum dolum, & machinationem ex parte illius, qui cum minore contrahit, ut ita magis præsumptio bonæ fidei intret, ut in præsenti stantibus præmissis, ista consideratio recte intrabat.

14 Alia quoque consideratione attenta, quod ille, qui alienationem fecerat, quamvis attenta dispositione juris communis, cum qua in hac parte in loco vivitur, dicendus esset minor, utpote intra ætatem annorum 25. attamen erat in tali ætate constitutus, quod juxta magis frequentem usum, & leges particulares Italiæ, censendus esset major, utpote supra viginti, adeout in hac parte verificari dicatur una ex prorsus irrationabilibus Juristarum ineptiis, ut in plerisque locis advertitur, magis vero *hoc eod. tit.* in opere Italici idiomatis, ac etiam, quod idem, qui alienationem fecit, major factus, ac diu supervivens, vir providus, & prudens, actum non impugnavit, idemque gesserunt parentes actorum cum silentio adeo diuturno annorum 40. atque cum istis considerationibus simul jungendis potius, quam cum aliquibus superstitiosis formalitatibus in hac materia procedendum videtur ut pluries in præcedentibus advertitur.

EUGUBINA CENSUS PRO CAMILLA BARZIA DE MARCOLINIS CUM CONVENTINIS.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Conventinis, & pendet in Rota.

An minor absque solemnitatibus statutariis valide se obliget, & contrahat ratione alicujus officii, vel publicæ administrationis, & præsertim ex causa?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De stylo Signaturæ.*
3 *Minor valide se obligat in causam publicam.*
4 *Minor deputatus a Principe ad exercendum publicum munus, dicitur habilitatus.*
5 *Quod judicium Advocatorum soleat esse suspectum.*
6 *Minor est incapax publicorum officiorum.*
7 *Legatus Apostolicus non derogat, neque dispensat juri communi.*
8 *Conclusio, de qua n. 4. procedit data scientia.*
9 *Declaratur conclusio, de qua n. 3.*
10 *Ut privilegium causæ suffragetur creditori debet credi in eundem causam, & non alias.*
11 *Quod excusetur, qui contrahit cum illo, qui publice officium exerceat.*
12 *De minori ætate abbreviata.*
13 *De obligatione Annonariorum.*
14 *Obligatio minoris una cum pluribus maribus valida est.*
15 *Ob rationem publici favoris non curatur damnum privatum.*
16 *Quando Annonario damnificata consultum sit adversus Civitatem, vel alios Cives sive Officiales.*

DISC. LVIII.

Disponente Eugubinæ Civitatis Statuto, ut singulis annis de mense Maji, quatuor idonei, ac discreti Cives nominari debeant Duci Urbini tunc Domino, qui eos præficiat administrationi annonæ, ejusdemque Statuti usu continuante post devolutionem, adeout ex pluries insinuatis præsertim *disc. 2. de donat.* Legatus Apostolicus explicet partes Ducis, ita de ann. *1646.* sequuta est deputatio quatuor administratorum [a], quorum unus fuit Constantius Barzius constitutus in ætate annorum decem & octo, cumque ex determinationibus Congregat. Boni Regiminis relatis per Cohel. *ad Bull. Boni Regim. c. 21. n. 7.* atque ut supponebatur etiam ex particulari consuetudine Civitatis hujusmodi Annonarii Officiales Abundantierii nuncupati, debeant opportuno tempore provisionem facere de frumento, accipiendo sub propria obligatione pecunias ad interesse ex distributione panis mutuantibus restituendas juxta illam annonæ œconomicam administrationem, & de qua *disc. præcedenti, & sub tit. de Regal. disc. 44. 45. & 125.* Idcirco alter ex eis nempe Sebastianus Marinus de mense Augusti super ejus prædio, tam uti Abundantierius, quam etiam privato nomine censum imposuit ad favorem illorum de Conventinis cum accessione, & obligatione in solidum aliorum trium in sorte scut. 3000. qui per separatum instrumentum in continenti in eodem loco coram eisdem Notario, & testibus, nulla tamen præsentiæ creditorum facta mentione, consignati fuerunt alteri Administratori, qui Depositarius, vel Capserius nuncupatus, se obligavit reddere rationem, ac relevare indemnes illos Abundantierios, inter se eandem relevationis promissionem facientes pro cujuslibet rata, cum itaque ob deficientiam d. Capserii, & modicam idoneitatem aliorum trium, creditores pro fructibus census in vim obligationis insolidum, agerent coram A. C. contra Camillam hæredem præfati Constantii jam defuncti, excipientem de nullitate dictæ obligationis contractæ per minorem sub matre Curatrice adhuc vivente, non servata forma Statuti, & Ægidianæ Constitutionis, hinc post aliquas disputationes favore creditorum decretum fuit mandatum exequutivum, a quo per Signaturæ Justitiæ stylo enunciato *disc. 37. de judic. & disc. 31. in relatione Curiæ* ob materiæ ambiguitatem, cum clausula suspensiva, seu translativa *si quid exequendum*, commissa fuit causa appellationis in Rota, ubi pendet. 1 2

In disputationibus itaque habitis, tam cor. A. C. quam in Signatura, nulla cadebat ratio dubitandi super obligationis invaliditate, quatenus illa fuisset in causam mere privatam propriam, vel alienam, dum Scribentes eam admittebant, ideoque totus punctus consistebat in eo, quod obligatio contracta esset ex causa publica administrationis officii Civitatis, ideoque minori ætate non obstante valide contraxisset ex firmatis per Bal. Novell. & alios relator per Cancer. *variar. resol. p. 2. cap. 1. n. 46.* 3

Illam quoque assignando rationem, quod dum Cardinalis Legatus, qui Principis vices, vel personam gerit, illum quamvis minorem præfecerit publico muneri, ita super defectu ætatis cum eo dispensaverit, atque ad omnia habilitaverit ex cumulatis per Mastrill. *de Magistratibus lib. 2. cap. 5. n. 58. & seqq.* 4

Quamvis autem in eo disputationis calore, ut frequenter in Advocatis contingit, Mihi pro Camilla rea conventa Scribenti, evidens videretur hujus obligationis nullitas, unde de consequenti resultaret clara injustitia decreti, maturius tamen reflectendo ad veritatem, causa me tenet ancipitem, forteque magis inclinantem in diversum sensum pro ejusdem obligationis validitate, & consequenter pro decreti justitia, ad huc tamen expectabitur Rotæ judicium, quatenus a Me consulta concordia, controversiæ finem non tribuat.

Scribendo itaque more Advocati, duas efformabam inspectiones, unam scilicet super invalida minoris deputatione, quodque propterea cessaret applicatio dictæ conclusionis cum validæ, & legitimæ deputationis præsupposito præcedenti, & alteram præsupposito quod deputatio esset valida super puncto, an ista obligatio dici posset contracta in causam publicam, & ratione officii. 5

Quatenus pertinet ad primum, deducebam in primis defectum potestatis in præfato Cardinali Legato dispen- 6

sandi

sandi legibus inhabilitantibus minores ad hujusmodi publica munera, ad text. *in l. Rempublicam, ff. de muner. & honor. cum concord.* per Suarez *alleg.* 12. Cohell. *ad Bull. Boni Regim. c.* 31. *n.* 8. *& seq.* Concessio etenim veniæ ætatis dicitur de reservatis ipsi supremo Principi, ex relatis per Ripoll. *de Regal. c.* 50. *n.* 4. *& seq.* ideoque non competit Legato, quem non habere potestatem derogandi legibus communibus, vel etiam municipalibus habentibus Apostolicam 7 confirmationem, firmatur per Rot. apud Bich. *dec.* 381. *n.* 26. *& seq. & alibi pluries*, atque in specie concessionis veniæ ætatis, & in individuo hujus Legati Status Urbini habetur actum in Urbinaten. *sub tit. de donat. disc.* 2. Sed reflectendo ad veritatem ab initio pro stylo Agentibus pro hac parte insinuatam, advertebam, quod istud erat fragile motivum ea eisdem rationibus insinuatis *d. disc.* 2. *de donat.* quas superfluum est repetere, cum ibi commode videri possint.

8 Solidius autem videbatur alterum motivum deficientis voluntatis, quoniam dicta conclusio super implicite Principis dispensatione recte procedit cum præsupposita scientiæ, quod scilicet Princeps, vel alter Superior sciret defectum ætatis, eoque non obstante minorem præfecerit, cum ita implicite dispensatio inesse dicatur, atque cum hoc præsupposito loquuntur omnes relati per Mastrill. ubi supra, & per consequens cum de hoc non constaret, ad hujusmodi dispensativam habilitationem nullatenus inferri poterat, illudque esset motivum solidum, nisi obstarent aliæ considerationes, de quibus infra.

Quò vero ad alteram inspectionem, an scilicet posita etiam valida & legitima deputatione, applicaretur necne conclusio superius deducta, ut minor ætas non suffragetur in obligationibus ratione publicæ administrationis, dicebam quod manifesta erat ejus fallacia in applicatione, quoniam quicquid sit de isto assumpto, quod acriter impugnat Rovit. *dec.* 69. *n.* 19. in casus occurrentiæ consulendus, cum adhuc illam quæstionem formiter disputare, ac judicium desuper efformare occasio non dederit, adhuc tamen quando id admittendum esset, recte procedit favore 9 ipsius Civitatis, vel causæ publicæ, in iis, quæ officii, vel muneris administrationem concernunt, sive etiam in favorem privatorum, qui muneris publicam fidem sequantur, puta qui ipsi annonæ, ejusque administratoribus frumentum, vel pecunias directe crediderint, sive eas crediderint Communitati, quæ ab ipsis Annonariis debeat relevari, adeout exceptio minoris ætatis præjudicaret ipsi Civitati, vel illis, qui ejus publicam fidem sequuti sint, quorum neutrum in facto verificari dicebam, quoniam creditores juxta instrumenti tenorem principaliter sequuti fuerunt fidem præfati Sebastiani impositoris, qui licet se enunciaverit etiam Abundantierium, attamen super ejus proprio prædio, privato potius nomine censum imposuit, prout etiam privato nomine dicti alii tres pro eo fidejusserunt, non expressa causa publicæ annonæ, in quam accepta pecunia deservire deberet, adeout potuisset idem impositor census in proprios, & privatos usus illam erogare.

10 Et per consequens dicebam, quod intrarent ea quæ habentur deducta *sub tit. de credit. disc.* 1. *& seq.* super privilegio potioritatis, aut super subintratione in locum anterioris dimissi creditoris, ut non intret, nisi in illam causam creditum sit, secus autem si pecuniæ libere datæ fuerint in alios usus pro libito erogabiles, quamvis casus præbeat, quod in talem causam erogata fuerit, cum eam sequutus non sit creditor, sed potius privatam, unde commodum reportaret non subjacendi legibus disponentibus de contractibus initis cum Communitate, ex deductis supra *hoc eod. tit. disc.* 25. Atque ex hoc præsertim motivo evidentem hujus Partis justitiam resultare credebam, cum creditor fidem publicam sequutus non esset, sed potius privatam.

Et ulterius advertebam, quod tunc dicta conclusio intraret quando alias ipsa Communitas, vel ipsa annona publica præjudicata, vel damnificata remanere posset, quia nempe contra eam creditori actio competeret, secus autem ubi agatur de mero privato interesse, quoniam ita credenti recte objici potest, quod sibi imputet cur privato crediderit in minori ætate constituto, non adhibitis solemnitatibus statutariis, ob fraudem, quæ ita de facili committi potest cum supplantatione minoris, cujus indemnitati Judex, & proximiores consulere curassent cum cautelis adhibendis in hujus pecuniæ traditione alteri Officiali facienda, idque apud Me magnam faciebat impressionem.

Verum e converso capiendo causam, non per partes, sed (ut decet) attente tota facti serie, ipsaque substantia veritatis, atque ad istam reflectendo post jam refrigeratum calorem disputationum, probabilius videbatur, quod juste pro creditoribus decretum fuerit, ex pluribus, quorum aliqua forte in mente Judicis non fuerunt, adeout quatenus ob cessantem idoneitatem depositarii, ac aliorum trium Collegarum, iste minor damnificatus remaneret, infortunio magis id referendum esset, quam illi dolo, & circumventioni alterius contrahentis, quæ per hujusmodi Statuta præsumuntur, quando eorum forma non servetur ex adeo frequenter in præcedentibus deductis.

Primo nempe quoniam cum creditores viderent præfatum Constantium esse a Civitate electum, seu nominatum, & a Cardinali Legato approbatum, & deputatum, atque de facto publice, & palam officium exercentem, recte opinati sunt, illum esse habilem, & idoneum, ita habilitatum, ac propterea a pari, quinimmo & fortius adaptari observabam ea, quæ de minore mercatore habentur *supra disc.* 34. Junctis in idem tam vulgari axiomate deducto ex textu *in l. Barbarius, ff. de offic. Præfect. Vigil.* quam aliis considerationibus, de quibus *d. disc.* 2. *de donat.* Et multo magis, quando in facto subsisteret præsupposita consuetudo, quod etiam minores ad hoc munus assumi consueverunt in ea ætate, quæ discretioni apta sit, ut est illa in anno decimoctavo, in quo pro majori parte Italiæ, nempe in utriusque Siciliæ Regnis, & in plerisque Civitatibus Hetruriæ, & Lombardiæ, aliarumque partium, compleri dicitur minor ætas, adeout quoddam legale Judaismum vigere dicatur in 12 aliquibus Status Ecclesiastici Civitatibus, & locis, in quibus adhuc vivatur cum dispositione juris civilis super protractione ætatis usque ad annum vigesimumquintum juxta ponderationes, de quibus *supra pluries, ac etiam sub tit. de dote, disc.* 1. *&* 143. *& alibi*. 11

Secundo in idem stantibus enunciatis provisionibus Congregationis Boni Regiminis obligantibus hujusmodi Annonarios ad se obligandum de proprio, & in solidum, ac propterea dicendus veniat actus necessarius in exequutionem eorum, quæ a Superioribus demandata sunt, istudque proprie, ac principaliter fuit motivum Judicis. 13

Tertio observabam adaptari ea, quæ incidenter insinuantur *in Miscellan. Ecclesiastico disc.* 8. occasione agendi de puncto percutiente materiam Ecclesiasticæ immunitatis, ibi congrue collocata, an scilicet defectus, qui resultet a Statuto laicali, allegari possit contra Clericum in Foro Ecclesiastico, quod scilicet non agatur de contractu inito cum solo minore jure singulari, adeout cadere valeat ratio doli præsumpti, ac præsumptæ circumventionis, sed potius de actu communitativo, seu collegiativo, gesto eodem tempore per quatuor alios majores, ac diligentes, & providos patresfamilias, quales ob hanc Præfecturam e Publico factam præsumendi sunt. 14

Et quarto apud Me fortiter ex eadem prudentiali ratione publici boni deducta *disc. præced.*, ac propterea ob illam prælationem, quæ publicæ utilitati, publicoque favori adversus privatum damnum tribuenda est, recedendo etiam ab ordinariis regulis juris, videtur, quod in subjecta materia nullatenus procedi debeat cum illis leguleicis superstitionibus, vel Judaismis, quæ super hujusmodi Statutorum observantia habentur pluries supra, quoniam cum ad hunc effectum notabilis pecuniarum quantitas necessaria sit, illaque prompta, & de facili reperibilis ob provisiones tritici, quas opportuno tempore facere oportet, adeout sit materia, quæ desiderat celeritatem, atque ex mora patiatur præjudicium irreparabile, hinc proinde publicæ utilitati nimium præjudiciale esset pro aliis futuris temporibus, ut credentes hujusmodi Annonariis, ita ob legales rigores elusi, ac damnificati remanerent, quoniam in futurum, non de facili mutuantes pecuniam invenirentur, istaque præsertim consideratio apud Me erat magni ponderis quoad creditores, & ad effectum præsentis quæstionis. 15

Pro hujus minoris autem, vel ejus hæredis indemnitate 16 in toto, vel in parte aliqua ponderabam, primo nempe (quamvis super eis maturum non efformaverim judicium, cum id absque disputationis trutina non de facili bene sequatur) quatenus alii tres Annonarii essent idonei, adeout jactura hujus pecuniæ proveniret ex dissipatione Depositarii, seu Capserii, qui habuit actualem administrationem minus idonei detecti, an scilicet huic minori ultra beneficium divisionis, quod inter correos, absque dubio intrat tam ex dispositione juris, quam ex obligatione expressa etiam pro damno in propria virili competeret actio refectionis damnorum & interesse contra eosdem Collegas majores, qui quandam speciem Curatorum hujus minoris, ita gerere viderentur ob diligentias in hac administratione

non

non adhibitas, ut huic damno occurreretur.

Secundo an eadem actio minori ex quodam Judicis officio concedenda esset adversus illos Decuriones, vel Consiliarios, qui præfatum Depositarium, seu Capserium minus fidelem, minusque idoneum elegerint ea dispositione, vel ratione textus *in l. fin. C. de Magistr. convention.* Sive adinstar illius actionis, quæ competit Baronibus in Regno Neapolitano adversus Communitates, vel earum Administratores nominantes Ærarium minus idoneum, cum similibus.

Et tertio advertebam reflecti debere ad hujus jacturæ causam, an scilicet ea tota proveniret a culpa, & adissipationibus præfati Capserii actualis administratoris, vel potius ea eo quod pro publica annona, & pauperum levamine panis distributus fuerit pro minori pretio, quam tritici valor, aliæque impensæ importarent juxta pondesationes, de quibus in supra allegatis *disc. 44. & 45. de Regalibus*, aut quod id proveniret ea decoctione, & inæqualitate Pistorum, sive Revenditorum panis, aliorumque Ministrorum, sive ea corruptione tritici, ac similibus accidentibus, de quibus etiam *d. disc. 45. de Regal.* In istis etenim, vel similibus casibus, quibus eadem congruat ratio, recte intrant ea, quæ habentur *supra disc. præcedenti*, ac etiam *disc. 148. & 167. de Regalibus*, ut scilicet illud damnum, quod ex publica causa, quæ omnes tangit, obvenerit, per omnes cum collectis, & contributionibus refici debeat, & forte cum his diligentiis advertebam quod posset saltim in parte consuli indemnitati.

PARMEN. PRÆDII
PRO HORATIO VIOLA
CUM VILLANIS.

Responsum ad causam extra Curiam cum resolutione favorabili.

An solemnitates statutariæ requisitæ in contractibus Minorum, & mulierum, & similium, desiderandæ sint in illis contractibus, qui per hujusmodi personas prohibitas fiant, non singulariter, sed conjunctim cum aliis majoribus, & habilibus, & generaliter de regulatione hujus materiæ solemnitatum in contractibus mulierum, & similium personarum?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *An solemnitates Statutariæ requirantur in contractu inito cum exempto a Statuto?*
3 *Quomodo ista materia regulari debeat.*
4 *Mulieres de jure non privilegiatæ.*
5 *De ratione quibus innixa sunt Statuta, & quomodo practicari debeant.*
6 *Non habent locum in contractu inito cum aliis majoribus interessatis.*
7 *Tutor bene agit gerenda negotia pupilli, ut propria.*
8 *Privilegium* l. unic. *quando non habeat locum.*
9 *De eodem, de qua num. 3. & 5.*
10 *De alia casu.*
11 *Quando causa vaga pro indigentiis sufficiat necne?*
12 *De differentia impugnationis actus ab ipso principali, vel ab herede.*
13 *Quando nullitas allegatur a successore, vel tertio.*
14 *De alio casu.*
15 *An actus extra locum Statuti huic subjaceat?*
16 *De Mundualdo in Regno Neapolitano.*

DISC. LIX.

1 PRæsupposita facti serie, de qua *in Miscellan. Ecclesiast. disc. 8.* agentibus in Curia Episcopali Parmæ contra Horatium Clericum possessorem ad vendicationem partis cujusdam prædii hæredibus mulieris alienantis ob non servatam formam illorum Statutorum, seu decretorum Ducalium, duo deducebam fundamenta Scribens pro Horatio Reo convento, ad cujus favorem prodiit sententiam absolutoria, primo nempe ejus exemptionis ab illis Statutis, vel decretis laicalibus, & secundo quod non versaremur in casu, de quo eadem Statuta, vel decreta disponunt, atque de primo agitur *d. disc. 7.* utpote cadente sub materia Ec-
2 clesiasticæ Immunitatis, quamvis forte illud magis arrideret Judici, qui doctus quidem, & studiosus, sed moderni currentis styli cultor, non acquiescendo rationibus absque auctoritatibus cum summo labore curavit super deductis a Me in forma discursiva invenire auctoritatem Sperell. *decis. 100.* de qua summe lætatus est, eique magis acquievit, pro currenti, irrisione quidem digna, sed ratione usus excusabili simplicitate, quasi quod nisi modernus Doctor, seu legislator id expressisset, non adesse lex, quo nil ineptius, attamen Mihi reflectenti ad veritatem, ob circumstantias facti, quæ debent esse hujus materiæ regulatrices, magis placuit alterum, quoniam circa primum urgent considerationes, de quibus *eod. disc. 8.*

Quatenus itaque ad secundum punctum pertinet, ibidem 3
quoque breviter insinuatum remissive ad hunc titulum, dicebam idem quod frequenter, sed semper opportune hoc eodem titulo super ista materia advertitur, quod scilicet erroneum sit judaico more, litteræ legum insistere, atque auctoritates, quæ desuper habentur quibuscumque casibus applicare, cum verius reflectendum sit ad rationem, cui tales leges innituntur, atque ex ea judicium regulari debeat.

Siquidem jus commune Romanorum, excepto casu Vellejani, & altero *l. Juliæ de fund. dot.* nullam constituit differentiam inter masculos, & fœminas, in quibus parifor- 4
mites induxit solum privilegium, quod resultat a minori ætate, deindeque jus canonicum etiam prædictos *Vellejani*,
& l. Julia exceptuatos casus pene abolevit ratione juramen- 5
ti, quod in utroque sexu, ipso etiam novissimo jure civili assistente, privilegium minoris ætatis quoque sustulisse videtur, sed quoniam experientia docebat, quod id fraudibus, & circumventionibus magnum praeberet aditum ratione facilitatis sexus muliebris aut imperfectionis judicii ratione minoris ætatis, considerando potissime id quod plures in antecedentibus advertitur circa juramentum, quod scilicet illud redactum videtur ad nudam formalitatem, & ad clausulam solitam apponi de stylo Notariorum, hinc prudenter quidem, ac laudabiliter, per leges municipales desuper provisum est, cum assistentia Judicis, & propinquorum, ut ita imbecillitas, vel imperfectio suppleretur, atque fraudibus, & circumventionibus occurreretur, & per consequens id intelligendum venit ad limites dictæ rationis tam pro invaliditate, quam pro validitate, respiciendo principaliter ad causam magis, quam ad formalitatem solemnitatum, eodem modo quo in materia alienationis bonorum Ecclesiæ habemus ex insinuatis *sup. disc. 1. & seqq.* & alibi.

Nil etenim refert quod Judex, & conjuncti interveniant, si desit causa, ac propterea eorum interventus meram cæremoniam, vel formalitatem redoleat, ut frequens praxis docet, adeout ex alibi supra insinuatis, hujusmodi leges, quæ inductæ sunt ad favorem, potius in odium, & gravamen resolvantur, quia nempe gravantur tam mulieres, quam minores ad quandam speciem gabellæ, cui majores, & alii non privilegiati non subjacent cum solutione emolumentorum Judici, & quandoque illis, qui cum formalitate irrisione digna, assumunt munus Curatorum, aut pro ipsis Curatoribus fidejubent, cum tamen nunquam praxis doceat hujusmodi Curatorum, eorumque fidejussorum condemnationem aliquam, & e converso si vere adimpletur finis legis, quia nempe contractus attento ejus tempore sincere, & in bona fide initus sit, adeout interventus Judicis, & proximiorum illum non impedisset, atque prudenti, ac diligenti patrisfamilias congruat, tunc utique irrationabilis judaismus remanet adeo insistere in formalitate litteræ, idque in eorundem privilegiatorum damnum, ac præjudicium potius redundat, ita resultante effectu opposito intentioni legis ob majorem commercii difficultatem, ac propterea malum non consistit in legibus, sed in irrationabili, ac inepta earum praxi, & intelligentia.

Applicando itaque ad rem, cum ista mulier alienati 6
prædii controversi possideret pro communi solam octavam partem, aliæ vero septem ab aliis possiderentur, tres scilicet per ejus Patrem, & fratres omnes majores, & quatuor per locum pium habentem nobiles, ac probos, & prudentes administratores, a quibus omnibus conjunctim tanquam in negotio communi, vel sociali ad coæquale commodum alienatio facta fuit, hinc proinde, etiam in sensu veritatis, dicebam prorsus irrationabile videri, ut invalidus censendus esset actus ob non servatas solemnitates, cum Judex, & conjuncti, vel Curator qui pro formalitate adhibiti essent utpote alienum gerentes negotium, nullumque habentes interesse proprium non potuissent magis mulieris indemnitati consulere, quam facerent isti, qui in isto contractu cum muliere intervenerant, ideoque leges intelligendæ sunt in spiritu, non autem in littera juxta mon-

tum

rum Apostoli, quod littera occidit, spiritus autem vivificat.

7 Ad id autem probandum dum a simili ponderabam, primo nempe ea quæ habemus in tutoribus, & curatoribus pupillorum, ac minorum, ut bene suum officium explere dicantur, quando citra fraudem, & collusionem tractant negotia pupillorum, & minorum eodem modo quo propria, cum non possit pupillus, vel minor conqueri de ejus administratore, quod tractaverit ipsum sicut se ipsum, dum ita adimpletus dicitur finis legis.

8 Et secundo ponderabam ea quæ habentur in materia privilegii *l. unic. C. quando Imper. &c.* ad favorem pupillorum, & viduarum &c. aliorumque miserabilium, ut non intret quando communitativo, seu collegiativo jure id sequatur ea deductis per Scacc. *de appell. q. 7. n. 140.* & plene Vallas. *de privil. miserabil. personar. p. 2. q. 10. n. 13. cum seqq.*

Super hoc secundo simili Scribentes in contrarium longas assumebant disputationes ex deductis per Novar. *de elect. for. sect. 3. q. 5.* super quæstione an cesset privilegium contra privilegiatum, vel e contra, sed replicabam id continere laborem mere inanem, atque a casu quæstionis extraneum, quoniam necessitas solemnitatum introducta per hujusmodi leges municipales in minoribus, & mulieribus, ac aliis de judicii imbecillitate suspectis, non est in ratione privilegiativa, adeout intrent ea quæ habemus in materia privilegiatorum, sed est ad certum finem, & effectum, quo impleto, de formalitate mediorum non est curandum ob cessantem rationem, ob quam a simili, & fortius ea, quæ sunt privilegia cessant, & sic ratione similitudinis, non autem ut de ipsa assimilata materia principaliter agendum sit, atque in hoc pariter dignosci solet nostrorum simplicitas assumendi fortiter, & ex professo ea quæ incidenter a simili deduci solent, sive attendendo in ipso casu assimilato, quando de eo principaliter agi contingat, id quod ita incidenter ad alium effectum consideretur.

9 Retenta itaque illa regula quæ teneri debet, super praxi, & intelligentia hujusmodi legum in spiritu principaliter, non autem in littera, reflectendo scilicet ad rationem, sive ad finem, vel effectum ab ipsis legibus consideratum, magis quam ad nudas formalitates, frequenter cum hoc themate, quandoque pro validitate, & quandoque pro invaliditate respondere consuevi, inculcando evidentiam erroris procedendi cum generalitatibus in quibuscumque casibus, & non reflectendo ad singulorum particulares, ac diversas circumstantias, ex quibus reveta decisio regulanda est, atque facti potius quam juris istæ quæstiones dicendæ sunt.

10 Ut præsertim in una Romana census disputata in Tribunali A. C. pro Joanne Bartolo cum Joanne Canoro hærede Augustinæ de Pennis viduæ, quæ de mense Maji 1657. sub assertione indigentiæ tam pro refectione ejus domus, quæ ruinam minabatur, quam pro dissolvendo ære alieno, quo premebatur, tam cum Furnario ratione panis, quam cum iis, qui diversas pecuniarum summas in prossima calamitate pestis mutuaverant, censum ad favorem Joannis super ejus domo imposuit, adhibitis solemnitatibus statutariis, atque in contractus observantia donec vixit perseveravit cum solutione fructuum, ac etiam cum tractatu vendendi domum, ut sortem restitueret, idem quoque injungendo hæredi in testamento, occasione cujusdam periculosæ infirmitatis condito, quamvis supervivens alium condiderit testamentum, cum quo obiit, nulla contrariæ
11 voluntatis declaratione facta, idemque sequutum est in primo hærede, quo defecto secundus hæres contractum impugnabat ex defectu causæ, utpote vagæ, & generalis pro debitis, & indigentiis ad speciem non deducendo quasi quod ita de facili fieri possit fraus Statuto, ideoque non reputetur causa sufficiens juxta firmata apud Merl. *dec. 714. n. 35.* cum qua tanquam magistrali sæpius in aliis procedi consuevit, ut pluries in præcedentibus advertitur.

Quare introducta causa coram A. C. Scribens pro creditore non negabam veritatem dicti assumpti in casu suo, quando scilicet facti circumstantiæ doceant quod ista causa ita generaliter expressa nullum habeat veritatis, aut verisimilitudinis fomentum, adeout congruat ratio, cui conclusio innixa est, secus autem e converso, ut in præsenti, quoniam ob omnibus notas calamitates, longæque majores expensas, & indigentias in peste grassante, nimium verisimile, & quodammodo certum videbatur, ut illa rata, quæ istam habebat causam, in eam vere cederet, ac propterea intrat consuetus vere damnandus error procedendi cum generalitatibus, vel indefinite in quibuscumque aliis casibus applicandi illas decisiones, & auctoritates, quæ super diversis casibus prodierint absque debita circumstantiarum combinatione.

Præterea, tam in supradicta causa Parmen. quam in ista, 12
& in plerisque aliis advertebam ad alium magis clarum errorem Pragmaticorum, non distinguendi casum, in quo ipsa mulier, vel alter privilegiatus impugnet actum a se ipso initum, & casum in quo ipsa in vita non impugnare, fortius vero faciente actus positivos super ejus observantia, impugnatio fiat per hæredem, vel alium successorem, quoties præsertim invaliditas non habeat clarum, ac certum defectum causæ, quæ vere falsa, vel erronea detegatur, adeout adsit possibilitas veritatis, & sinceritatis, quoniam tunc prorsus iniquum, ac irrationabile videtur, naturali etiam juri contrarium, ut hæres, vel alter successor ad lucrum, & locupletationem cum damno ejus, qui bona fide defuncto credidit, impugnare debeat illum actum, quem ipse principalis contrahens conscius veritatis impugnare ausus non est, quinimmo cum observantia agnovit verum, & validum, & cujus anima potest ita gravari, quo nil absurdius, & irrationabilius.

Ideoque vera quidem dicenda est regula, de qua pluries 13
in præcedentibus, ac etiam *sub tit. de dote*, & alibi, quod nullitas actus, ubi præsertim ea sit ipso jure ob decretum annullativum Statuti, vel alterius legis, sit allegabilis ab hærede, & successore, quinimmo etiam a tertio juxta receptam distinctionem inter nullitatem ipso jure, & alteram ope exceptionis, sed quod discrete pro facti qualitate intelligi, & practicari debeat, quando scilicet nullitas non proveniat a solo defectu formalitatum, ac superstitionum legalium, sed sit intrinseca, idest quod defectus consistat in falsitate, vel erroneitate causæ, adeout urgeat adversus alterum contrahentem ratio cui hujusmodi leges innixæ sunt, secus autem ubi incertum sit, an & quomodo veritas se habeat, adeout ejus possibilitas vigeat, fortius autem ubi indicia, vel argumenta ex facto principalis informati desumpta, ipsi veritati potius assistant, quoniam tunc clarus error videtur dictam conclusionem practicare, quoties principalis silentium, vel observantia ex alterius contrahentis calliditate, vel ex alio vitio non proveniat, ita, ut præmissum est, intelligendo leges in spiritu, non autem in littera.

In eodem proposito alienationum, vel contractuum ge- 14
storum per mulieres in una Romana, seu Reatina donationis consulitus fui ex parte cujusdam Margheritæ de Pixolo super validitate donationis sibi factæ per Annam sororem, quæ originaria dicti loci Provinciæ Aprutinæ Regni Neapolitani nata in Urbis districtu, atque nupta in eadem Urbe a Viro discedens, ad dictam patriam originariam se contulit, convivendo cum sorore animo permanendi, unde post aliquorum annorum decursum ei donationem fecit, quæ per ejusdem Annæ hæredem ex duplici capite impugnabatur, primo nempe ob non servatas solemnitates generaliter demandatas a Statuto Urbis 151. in omnibus contractibus mulierum, & specialiter in contractu donationis per Statuta 149. & 150. Et secundo, quia Mundualdus mulieris fuisset interessatus tanquam vir donatariæ.

Primam speciem invaliditatis nullatenus subsistere dixi, 15
cum ex facti circumstantiis Mihi præsuppositis pateret accessum extra districtum Urbis non fuisse affectatum, & fraudolentum ad eludendam Statutorum dispositionem, sed sincerum, & ad alium finem, ac propterea in actu gesto extra districtum servare non oportuit dictas solemnitates juxta distinctionem, *de qua disc. 35. de donat. & alibi.*

Et quoad alterum Mundualdi, dicebam quod iste inter- 16
ventus in contractibus mulierum in aliquibus Neapolitani Regni Provinciis adhuc pro antiquo Notariorum formulario sequi solet ex quadam consuetudine derivante a jure Longobardorum, quod antiquitus in eo Regno erat jus commune, ex insinuatis *disc. 1. de servit. & alibi*, ejusdem reliquiæ in aliquibus Provinciis, vel locis adhuc vigente ut præsertim in Civitate, & Provincia Barensi, de cujus consuetudinibus pluries mentio habetur, & præsertim *sub tit. de dote disc. 104. & 105. & sub tit. de hæred. disc. 23.* & alibi sed hujusmodi solemnitates derivantes a legibus communibus, & particularibus suppletæ remanent per juramentum ad vulgares textus *in cap. cum contingat, de jur. jur. & c. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.* & præsertim contingit in fortiori casu *l. Julia, de fund. dot. & similibus*, ac propterea in eo Regno actus jurati mulierum aliam non patiuntur infectionem, nisi quando cadant in pragmatica 1. ad Vellejan. quæ præsumit juramentum dolo, & metu extortum, ideoque adest indirecta juramenti enervatio permissa, vel ubi sequatur indotatio juxta terminos generales.

AN-

ANCONITANA PECUNIARIA PRO SEPILLIS HEBRÆIS CUM ILLIS DE RASINA.

Casus disputatus in Tribunali A. C. resolutus pro Michaele Rasina.

An minores Hebræi negotiatores in eorum contractibus adhibere debeant solemnitates statutarias necne? Et de probatione ætatis Judæorum quando fiat.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 Minor mercator habetur pro majore.
3 De Statuto Anconitano circa minorem ætatem.
4 Judæi vivunt cum Statutis locorum.
5 Non sunt testes contra Christianos.
6 Minor habens interesse admixtum cum aliis non est privilegiatus.
7 Quod in negotiis mercantilibus non attendantur regula procedentes in negotiis privatis.
8 Declaratur Statutum, de quo, n. 3. & de ratione ob quam mercatores, in bifulori ætate reputantur apti.
9 De eodem, de quo n. 2.
10 Ad quid consideranda veniat qualitas judaica.
11 Quomodo occurratur fraudibus in minore mercatore.
12 De probatione ætatis.
13 De conclusione, de quo n. 5.
14 De varietate ingeniorum, & quare liceat deducere motiva etiam irrelevantia.

DISC. LX.

1 CUm Muyses Sepillus Hebræus in Civitate Anconæ emisset, a Michaele de Rasina negotiatore Bossanense volumina quatuorcentum & ultra pellium pro pretio scutorum bis mille quingentorum circiter, in cujus computum dare convenerat quandam cedulam, seu negotiatoriam apodissam alterius Hebræi negotiatoris in portubus orientalibus; ad aliquos dies Salamon, Raphael, & Joseph ejusdem Moysis fratres, qui ætatem viginti annorum adhuc non compleverant, sed tamen majores, & complimentarios rationis quondam Emmanuelis communis patris, per instrumentum se obligarunt ad solutionem summæ in prædicta cedula, seu apodissa contentæ, quatenus adhibitis diligentiis in partibus contra præfatum debitorem cessum, solutionem consequi non posset, quare præfatus Rasina ad eandem Anconitanam Civitatem redeundo, atque per authentica documenta docendo de diligentiis, ab eo Gubernatore obtinuit mandatum exequutivum, quod in gradu appellationis coram A. C. post aliquas disputationes approbatum fuit, decernendo illius exequutionem, a Signatura Justitiæ præservatam cum solita clausula legitimæ exequutionis, atque Mihi quamvis pro Hebræis reis conventis scribenti, reflectendo ad veritatem, probabilis resolutio visa est, ut pro consuetudine ab initio meam operam requirentibus insinuavi.

2 Dicebam itaque scribendo more Advocati, quod quamvis generaliter verum esset assumptum, de quo *supra disc.* 34. in quo jam edito Scribentes in contrarium totum constituebant fundamentum, ut scilicet minores publici negotiatores pro majoribus haberi debeant, ideoque in eorum obligationibus, & contractibus desiderandæ non sint illæ solemnitates, quæ de jure communi, vel municipali in alienationibus, & obligationibus, aliisque contractibus minorum desiderantur, attamen id non procederet in hac Civitate, ob ejus particulare Statutum, quod distinguit minores mercatores ab aliis non mercatoribus, ut in personis de hac
3 secunda specie attendatur ætas vigintiquinque annorum ad terminos juris communis, in illis vero de prima, ætas annorum viginti, ideoque mercantili qualitate non obstante, in eorum actibus solemnitates demandantur, ut in ejusdem Statuti *volum. rubric.* 42. *collat.* 2. & per consequens intraret propositio, de qua *disc.* 35. *de judic.* & alibi frequenter, quod scilicet jus locale, seu particulare, quoties ejus legitima requisita habeat, juri communi, vel etiam particulari loci dominantis prævaleat, atque attendi debeat.

Neque dubitandum esse advertebam, ut hujusmodi leges municipales attendi deberent etiam in Hebræis, qui in ista Civitate negotiationis occasione moram trahunt, juxta eorum diversas species recensitas *sub tit. de Regalib. disc.* 104. Cum verius, magisque receptum sit, ut etiam Hebræi dicantur cives, & incolæ loci, in quo Principe permittente vivunt,
atque domicilium habent, ideoque eis suffragentur Statuta, 4
& privilegia eodem modo quo aliis civibus, & incolis Christianis, etiam contra illos, & quamvis fundata essent in æquitate, ut occasione agendi de lege concedente retractum prælativum ratione vicinitatis, vel consortii, de illa propositione habetur *disc.* 70. *de servit.* & alibi.

Admittebantur hæc per Judicem quando probata esset 5
legitime ætas minor, stante contraria assertione, ob quam dicebat (& in hac parte bene) quod magis perfecta, & concludens probatio requireretur, difficultatem vero habebat in hac probatione, quam non adesse credebat ex eo quod Hebræi repelluntur a testimonio ferendo contra Christianos ex relatis per Farinac. *q.* 56. *num.* 221 *& seqq.* Potissime ob inverisimilitudinem ut per eosdem testes Hebræos ad id inductos memoria retineri potuerit tempus præcisum nativitatis.

Verum illud motivum nimium fragile Mihi videbatur, 6
sed ex aliis motivis justam credebam resolutionem (talis est ingeniorum varietas, ut quod uni placeat, alteri displiceat, & a contra) primo nempe quod cum isti essent quatuor fratres, quorum unus, & forte duo erant majores, paternam rationem sub antiquo nomine patris continuantes, ita intrarent ea quæ habentur *in Miscellan. Eccles. disc.* 8. ac etiam *hoc tit.* ut scilicet non attendatur qualitas personalis unius, vel plurium constituentium Universitatem, vel corpus Collegiativum constitutum ex aliis personis habilibus, & perfecti judicii.

Sive magis ad rem, ut intrarent ea quæ habentur *disc.* 7
75. *de credito*, ac etiam *hoc eodem tit. & alibi*, quod quicquid sit in contractibus privatis, in quibus ratio libertatis publici commercii non urgeat, in hujusmodi tamen negotiis mercantilibus, in quibus negotiatores sequi solent fidem ac existimationem nominis, sub quo ratio bancaria, vel ars negotiatoria cantat, non attendatur qualitas personarum, ad quas revera negotium pertineat, an sint mulieres, immo minores, vel pupilli, sed attendatur ipsum nomen, sub quo cantat, & exercetur negotium, præsertim quoad exteros non callentes Statuta, vel leges particulares locorum, minusque personarum qualitatem, ad quas revera commodum, vel incommodum pertineat.

Utrumque autem in præsenti verificabatur, quoniam negotium cantabat, & exercebatur sub nomine patris quamvis defuncti negotiatoris, qui habebat existimationem, sive sub nomine ejus hæreditatis, vel hæredum in abstracto, quod sonat in idem, & propterea valebat, etiamsi defecisset quilibet ex eis, ac etiam quod erant quatuor fratres commune negotium gerentes, quorum primus erat major, ac publicus negotiator, quod etiam in secundo verificabatur.

In idem considerabam, quod discretiva hujus Statuti in- 8
ter negotiatores, & non negotiatores, ut scilicet in uno genere sufficiat ætas annorum viginti ad reddendum eos habiles ad contrahendum, in altera autem necessaria esset illa annorum vigintiquinque, procedere, sive attendi solum deberet in contractibus privatis, & ordinariis inter cives, & incolas, illa distinctione resultante, non ex privilegio vel natura negotiationis, sed quia hoc ministerium præsumptionem inducat majoris aptitudinis, magisque perfecti judicii adultæ illius rationis, quæ juxta solitas leguleicas frigiditates assignari solet in Statutis, aliisque legibus localibus restringentibus minorem ætatem ad annos viginti, ut est in Urbe, aliisque locis, sive ad annos decem, & octo, ut est in utriusque Siciliæ Regnis, & in aliquibus Civitatibus, & locis Hetruriæ, & Longobardiæ, magis scilicet perspicacis ingenii in una, quam in altera regione, aut juxta ea, quæ in aliquorum sensu habentur de minoribus, qui sint Doctores, vel alias in jure periti ex pluries insinuatis *hoc tit. præsertim disc.* 30. cum similibus.

Secus autem in iis, quæ pertinent ad mercaturam, & ne- 9
gotiationem, quæ exerceatur, & præsertim in contractibus aliisque actibus cum exteris negotiatoribus adeo remotarum Regionum; cum tunc ipsa subjecta materia ob favorabilem libertatem publici commercii indefinite trahat secum habilitatem, quamvis illa persona in contractibus privatis esset inhabilitata, adinstar eorum quæ habemus in beneficiis, & pensionibus Ecclesiasticis ut sola ætas adulta, quæ per jus Canonicum, seu Concilium Tridentinum sufficiens reputatur pro illa rectoria, seu administratione, sufficiat quoque pro contractibus, aliisque actibus ad alienam negotiationem pertinentibus, quamvis alias illa persona ratio-

ratione minoris ætatis, vel patriæ potestatis in prophanis contractibus, & actibus inhabilitata esset.

Idemque pariformiter ubi ex loci lege scripta, vel non scripta in Principatus, aut Baroniæ, sive alterius Magistratus exercitio, vel administratione sufficiat solum ætas adulta, ut in Regnis, & Principatibus, ut etiam in feudis, & Baroniis regulariter sufficit, quoties lex localis contrarium non statuat, ut habetur in Regno Neapolitano per aliam pragmaticam in Baronibus quoque præscribentem eandem ætatem, quæ generaliter in aliis præscripta est, cum similibus,

10 Ponderando quoque in idem judaicam qualitatem in proposito consideratione dignam, præsertim in dicto loco, & in Urbe, ac aliis locis, in quibus eadem vigeat ratio incapacitatis possidendi bona stabilia, & vivendi de redditibus, ac propterea coguntur vivere cum solis industriis, dum ita in cunabulis pene existentes, atque cum lacte addiscunt artem negotiatoriam, & via infantia expleta in illa se exercent, ideoque notabilis differentia constituenda videtur inter istud particulare genus hominum, & alterum magis universale.

Ac etiam quoniam apud nostros majores non levis quæstio ait, an cum Judæis in hoc præsertim puncto minoris ætatis procedi debeat cum dispositione legis Mosaicæ; sive cum eorum traditionibus, ut sola ætas adulta reddat eos majores, & habiles ad contrahendum, & administrandum, ex deductis per Surd. *dec.* 133. Cyriac. *contr.* 240. *&* 241. *& alios*, quamvis etenim magis recepta videatur opinio contraria, ut scilicet etiam cum istis attendi debeant locorum Statuta, vel consuetudines, ut alibi advertitur, adhuc tamen id consideratione dignum videtur pro aliqua majori præmissorum comprobatione.

11 Et quamvis nimium facile sit adolascentes quamvis adultos ante perfectam pubertatem decipere, ac propterea dici posset quod ita esset aperire viam fraudibus, attamen in concursu majoris favoris publici resultantis a libertate commercii, & istius possibilis, vel contingibilis præjudicii privati, debet ille prævalere, sibique imputent illi adolescentes qui mercaturam, & negotiationem suscipiant, & exerceant, si ad id apti non sint, dum quatenus in casibus particularibus revera fraus, & circumventio justificarentur, adhoc remanet a lege provisum cum actione de dolo pro irritatione actus, vel cum remedio rescissorio ex capite læsionis, vel cum aliis remediis, unde ita consultum remanet præfato inconvenienti aperiendi viam fraudibus, & circumventionibus.

12 Quovero ad dictum alterum punctum facti super probatione scilicet ætatis, ubi cessantibus præmissis ab hoc puncto resolutio causæ penderet, etiam cum sensu veritatis dicebam, quod sufficiens adesset probatio per testes ad id inductos, bonas, & concludentes assignantes rationes, & tottius quia eorum dictum adminiculatum erat a libro paterno, cui in hoc proposito nimium deferendum est, ut habetur apud Mascard. *de prob. concl.* 669. Farinac. *in fragm. par.* 1. *n.* 143. *& seq.* Mantic. *decis.* 25. *&* 58. Add. ad Buratt. *dec.* 949. magnumque adminiculum etiam præbebat aspectus, quem licet fallacem, saltim adminicalative in hoc proposito attendendum esse, advertunt Gramm. *cons. crim.* 4. *n.* 9. Ruvit. *pragm.* 1. *de minor. n.* 11.

13 Fabulosum autem absque dubio credebam dictum assumptum de fida deneganda contra Christianum, tum quia illud revera procedit in causis criminalibus gravibus, in quibus cadere possit ratio assignari solita naturalis odii, & antipatiæ, sive quod ob eorum desperatam salutem ex defectu fidei non intret illa præsumptio, quæ regulariter oritur a juramento ob stimulum conscientiæ, dum, ut advertitur *sub tit. de usur. disc.* 6. & alibi, & plene apud Merlin. *dec.* 409. *repetit. dec.* 301. *par.* 5. *recent.* apud Judæos viget opinio, quod observantia præceptorum vigeat inter ipsos ejusdem instituti Professores, non autem cum Christianis, vel Maometanis, ac propterea facilis est seductio, & per consequens etiam in civilibus generaliter dici possent testes non integri, juxta deducta apud eosdem Farinac. & alios apud eum, sed hoc non tollit quin in eis intrent eadem quæ generaliter in omnibus aliis testibus minus integris, & exceptione elidibilibus habentur *disc.* 32. *de judic. & alibi*, quod scilicet exceptio per alios testes integros, vel adminicula, sive per eorum numerum suppleri possit, potissime vero ubi agatur de locis, in quibus Judæi permittantur, atque pacificum domicilium habeant, liberumque commercium cum Christianis.

Multo vero magis, & indubitanter ad effectum præsentis quæstionis, vel similis, probandi scilicet tempus nativitatis, vel filiationis, & similia, quoniam cum Hebræi hodie pene ubique, præsertim in Italia, vivant in claustris a Christianis segregati, atque prohibeantur habere famulos, & ancillas Christianos, hinc sequeretur quod omnia ea quæ inter ipsos peraguntur, & præsertim circa nativitatem puerorum, & similia quoties admiatum esset Christianorum interesse, essent omnino improbabilia, dum veritas alias haberi non posset, & quo casu etiam testes imperfecti, vel elidibiles admittuntur, *ut eodem disc.* 32. *de judic. & disc.* 129. *de cred. & alibi*.

Atque hinc semper magis edocemur quam evidens, ac 14
damnabilis error sit procedere cum generalibus propositionibus, easque indifferenter omnibus casibus applicare, ad eorum circumstantias non reflectendo, ac etiam quantum rebus judicatis deferri debeat, dum urgentibus supradictis aliis solidis, & claris motivis, eis tam a Judice, quam a Defensoribus neglectis, vel non cogitatis ex dicta levitate judicatum processit, ac propterea monentur, atque respective escusabiles redduntur Advocati, & Defensores, ut etiam lævia, & insubsistentia motiva deducant, ex insinuatis *disc.* 35. *de judic. & in relat. cur. disc.* 46. *& alibi*.

ROMANA CENSUS

PRO CAPPELLA B. MARIÆ IN ECCLESIA

S. JACOBI *vulgo* SCOZZA CAVALLI

CUM FRANCISCO, ET ALIIS DE VALLIS.

Casus disputatus coram A. C: pro Vallis.

An & quando minor, qui contrahendo se majorem asseruit, privetur beneficiis, & privilegiis, quæ minoribus competant, adeout pro majori haberi debeat?

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *An solemnitates requirantur cum Ecclesia vel pia causa?*
3 *De quæstione minoris se asserentis majorem.*
4 *An & quando juramentum in hoc operetur?*
5 *Quid operetur irritatio juramenti, & quando.*
6 *De introductione juramenti in minoribus.*
7 *Non est immorandum in doctrinis ubi habemus legum dispositionem.*
8 *De distinctionibus in quæstione de qua n.* 3.
9 *Quod ista sit quæstio facti, & non sit immorandum in formula verborum.*
10 *Cui in dubio assistat, vel resistat præsumptio.*
11 *Mala præsumptio oriens ex Statuto, tolli potest contraria probatione.*
12 *Ad quid prosit qualitas, vel privilegium piæ causæ.*
13 *De quæstione an solemnitates requirantur inter æque privilegiatos.*

D I S C. LXI.

IMposito censu ad favorem Cappellæ per Cyriacum Sadam minorem viginti annorum, se tamen asserentam majorem pro fructibus decursis, impositore jam defuncto, Cappellanus judicium associationis in vim clausulæ constituti instituit super Domo censita possessa per Vallios titulo singulari emptionis ab Angela Cyriaci sorore, quare possessores Rei conventi, cum super extremis nulla caderet quæstio, de duobus excipebant, ex quibus, vel eorum altero Judex eis absolutoriam concessit, primo nempe de juribus anterioribus Angelæ eorum auctricis ex causa dotis, & secundo de nullitate impositionis dicti census factæ per minorem, non servatis solemnitatibus Statutorum Urbis 151. & 153. quæ copulative adimpleri debent, quando agatur de alienatione stabilium, sub qua magis receptum est venire impositionem census, ut supra *discurs.* 31. *ubi concordantes*, atque ex isto posteriori motivo magis quam ex altero Judex (quantum desumi potuit) motus fuit, cum creditum dotale modicam haberet subsistentiam. 1

Quatenus itaque pertinet ad hunc punctum, retento præsupposito minoris ætatis, Egomet scribens pro Cappella creditrice admittebam nullitatem actus ob clarum, ac omnimodum defectum formæ statutariæ, non obstante quod ageretur de contracto inito cum Ecclesia, 2

vel

vel pia causa, cujus favore hujusmodi solemnitates non requiruntur, quoniam ut advertitur *supra disc.* 32. id recte procedit in illis alienationibus, vel obligationibus, aliisque actibus præjudicialibus, qui fiunt pro anima, & ea amore Dei, vel ea motivo pietatis, non autem ubi Ecclesia, vel pia causa contrahat jure privati, & ea causa mere correspectiva. Nimium tamen suffragante ista contrahentis qualitate pro exclusione fraudis, ac doli, ut infra, quatenus tamen non urgeat consideratio, de qua *eod. disc.* 32. quod scilicet dolus, & fraus committantur per administratores, & Rectores, ut ita ad proprium commodum Ecclesiæ, vel piæ causæ pecuniam convertant.

3 Hinc proinde punctus restringebatur ad assertionem a minore factam cum juramento quod esset major, atque per Scribentes hincinde deducebantur illæ auctoritates, quæ indigesta, pro Collectorum consuetudine, improboque labore habentur collectæ per Baron. *in tract. de effect. minor. ætat. effectu primo nu.* 123. *cum seqq.* Ex quibus patet quod major vis constitui videtur in juramento, super quo pro solitis nostrorum frigiditatibus adhiberi solent distinctiones, atque super eis cum connaturali opinionum scissura habentur quæstiones inter assertorium scilicet, & promissorium, & an unum, vel alterum, sive utrumque adsit, cum similibus superstitionibus deduct solitis a formalitate verborum, quæ potius Notariorum quam Partium sunt.

4 Verum Scribentes in contrarium, quibus Judex adhærebat, dicebant (& bene retento præsupposito, quod hic effectus resultaret a juramento) ut id recte procederet in terminis juris communis, non autem stantibus Statutis, quorum posterius 151. irritat juramentum, illudque præsumere facit dolo, & metu auctorum, ideoque ita illam non facit operationem, quam alias facere solet in contractibus minorum, aliorumque prohibitorum ad terminos textus *in Auth. Sacramenta puberum*, *C. si adversus vendit. & c. per vestras, de donat. inter vir. & uxor*, ea nimium frequenter insinuatis *hoc eod. tit.* & alibi.

Non negabam Scribens pro Cappella actrice veritatem hujus assumpti, quoniam ita juramentum tanquam infectum, nullam facere potest operationem.

5 Dicebam tamen id procedere quando secluso juramento, actus ex dispositione juris civilis communis, vel particularis sit irritabilis, adeout juramentum causet actus alias invalidi revalidationem, tanquam medicina vulneris, & in his terminis procedunt omnia quæ super juramenti operatione habentur, secus autem ubi etiam absque juramento, ea ejusdem juris civilis dispositione, actus sit validus, ac firmus, quoniam tunc nil refert an juramentum sit validum necne, dum nullum non potest esse plus quam nihil, neque refert an super membro valido quod nullo indigeat medicamento istud adjiciatur inefficax, & non operativum, dum etiamsi nullatenus adhibeatur, idem est effectus, ut in terminis minoris se asserentis majorem advertitur supra *disc.* 29. ubi exemplificatur in minore mercatore, & in terminis filiifamilias se asserentis patremfamilias ut supra *disc.* 37. & alibi, cum sit principium absolutum.

6 His itaque positis, advertebam decisionem pendere a puncto, an attentis terminis juris communis *in l.* 1. *&* 2. *C. si minor major. se dixer. cum concordan.* actus esset validus necne, quoniam de tempore in quo dictæ leges, & concordantes prodierunt introducta, & cognita non erat ista juramenti operatio, quæ in jure civili resultat a posteriori, ac novissimo jure Authenticorum reassumpto *in dicta Auth. Sacramenta puberum*, latius autem, ac firmius jure canonico *in d. cap. per vestras, cum aliis concordantibus*.

7 Ac propterea (applicando ad rem) clarus videtur modernorum error procedendi cum aliquibus doctrinis, non reflectendo ad dictas leges, quoniam ita est mendicare lucem ex debilibus, & obscuris laternis, dum habetur sol in meridie, sive juxta sacræ paginæ parabolam, est curare explere sitim ea cisternis dissipatis, ac negligere fontem aquarum viventium, procedendo scilicet cum aliquibus indigestis Scriptoribus, aut verius Transcriptoribus, qui materias, & quæstiones potius involvunt quam elucident, ac solvant, cum habeatur clara, & litteralis decisio in dictis legibus 1. & 2. *C. si minor se major &c.* in quibus dantur distinctiones recensitæ quoque in supra insinuatis *disc.* 29. *&* 37. quod scilicet

8 Aut ista assertio dolum redolet ex parte minoris, qui ita asserendo decipiat alterum contrahentem, qui cum bona fide justaque credulitate tali assertioni deferat, & tunc minoris ætatis beneficium nullatenus suffragetur, cum leges succurrant minoribus, aliisque privilegiatis ne decipiantur, non autem ut decipiant, aut e converso ista assertio provenit ex dolo, vel affectata cautela alterius contrahentis, ut ita legis prohibitionem eludat, atque tunc recte intrat vulgare dicterium, quod cum eadem facilitate, cum qua minor, vel alter imbecillis judicii inductus, vel seductus fuit ad faciendum actum principalem præjudicialem, inductus quoque dicatur ad faciendum illam, vel aliam similem assertionem.

Hinc sequitur quod irrisione digni censendi sint illi, qui 9
in hujusmodi formalitatibus, neglecta substantia veritatis immorantur, cum verba, & clausulæ potius, pro frequentiori usu a Notariorum stylo provenire soleant. Fortius vero ubi vigeat pluries damnatus usus, qui abusus nomen potius meretur, conficiendi instrumenta in lingua latina, quam contrahentes non calleant, vel callentes ad id non advertant, quia nempe Notarius oretenus stipulemr, enunciando in compendium substantiam conventionis, eamque adnotando in bastardello, seu imbreviaturn, deinde vero domi ex formulario, vel ex aliis instrumentis extendendo instrumentum, cum clausulis, & cautelis ne quidem in partibus cogitatis, quo nil absurdius.

Verius etenim est ut etiam supra *d. disc.* 29. *&* 37. advertitur, istam esse quæstionem facti potius quam juris regulandam ex singulorum casuum circumstantiis, dolum, seu malam fidem, in uno, vel respective in altero contrahentium probantibus, vel arguentibus, attenta substantia veritatis potius, quam formalitate verborum.

Juris autem inspectio cadere solum videtur in casu (ni- 10
mium tamen raro, & in quo Scribentes se involvere videntur) quando deficientibus, vel hinc inde confluentibus, & colluctantibus argumentis, & conjecturis, omnino incertum sit, ea cujus parte dolus, vel mala fides proveniat ad effectum inspiciendi cuinam assistat bona præsumptio, quæ pro ejus consueta operatione transferat onus probationis in alteram partem, cui resistat mala; id autem (ut præmissum est) nimium rarum, & forte unquam in praxi verificabile videtur, atque illo casu nimium refert minori, vel alteri privilegiato adesse hujusmodi Statuta generaliter inducentia malam præsumptionem in altero contrahente, quasi quod ita huic regula generalis resistat, non quidem ad inducendam præsumptionem juris, & de jure, sed ad dictum effectum transfusionis oneris probationis, cui etiam præsumptæ, & adminiculativæ ista simplex juris præsumptio cedere debet ea pluries insinuatis supra hoc eodem titulo, *& generaliter disc.* 143. *de dote & alibi.*

Applicando itaque ad rem, admittebam quod stante
dicto Statuto, onus esset creditoris probare ejus bonam fi-
dem, & per consequens malam minoris facientis dictam
assertionem, cui juste delatum fuerit, sed (etiam cum ali-
quo sensu veritatis) dicebam quod ista sufficiens probatio
adesset, tum ea statu, in quo minor constitutus erat pro-
ximus scilicet ad dies tantum complemento minoris æta- 11
tis, adeout ex aspectu major juste judicari potuerit juxta
distinctiones, ac ponderationes, de quibus supra *d. disc.*
29. Tum etiam, & fortius, ob superius insinuatam cir-
cumstantiam quod ageretur de Ecclesia, vel pia causa,
quæ incapax est doli, & malæ fidei, vel circumventionis,
adeout revera contendat de damno vitando potius quam
de lucro, ac propterea licet qualitas piæ causæ in hujus-
modi contractibus correspectivis in consideratione haben- 12
da non sit, ad evitandam nullitatem ea defectu solemni-
tatum, vel causæ alias resultantam ut supra, nimium ta-
men considerabilis est ad hunc effectum bonæ, vel respe-
ctive malæ præsumptionis.

Atque ita regulanda videtur quæstio, an inter æque mi-
nores, vel alios æque privilegiatos intret necne conquas-
satio privilegiorum, ad effectum ut illis hinc inde ces-
santibus, statutaria dispositio cesset, quoniam licet ho- 13
die in Curia magis recepta sit opinio, quæ istam negat
conquassationem, ideoque potior sit conditio illius, qui ex
defectu solemnitatum, vel causæ, tanquam reus impugnat
actum, utpote agens de majori damno vitando, quam-
vis alter contrahens, utpote fovens causam vere onero-
sam, & correspectivam, de damno vitando quoque con-
tendat, ut pluries in præcedentibus insinuatur, nimium
tamen refert quod alter contrahens sit etiam pupillus, vel
minor, aut alias talis, in quo præsumptio cadat, quod
non sit aptus circumvenire, sed potius circumveniri, ad
effectum scilicet regulandi materiam potius ea facto,
quam ea jure, quoties tamen contra actorem, vel credi-
torem non urgeat superius insinuata præsumptio, quod sit

dolus, vel circumventio adesse non potuerit ex parte Ecclesiasticæ, vel piæ causæ, aut popilli, vel similis, adesse tamen potuerit ex parte Rectoris, vel Tutoris, vel alterius administratoris, sive gestoris, in cujus potius quam contrahentis utilitatem tendat damnum, quod aliter circumventus patiatur, ac propterea firmum semper remanet, ut ista materia incapax censenda sit regulæ generalis, sed ex facti singularibus circumstantiis decidi, & regulari debeat.

BONONIEN. CENSUS
PRO COMITE JOSEPHO, ET ALIIS DE MALVASIA, CUM GHERARDIS.

Casus decisus per Rotam pro Gherardis, & pendet.

An in contractibus minorum ex Statuto Bononiæ requiratur causa necne, adeout sine illa sufficiant aliæ solemnitates?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An Statutum Bononiæ in contractibus minorum exigat causam?*
3 *Quid referat causam desiderari necne.*
4 *De applicatione ad casum.*
5 *Quomodo istæ quæstiones decidi debeant.*

DISC. LXII.

1 IMposuerunt de anno 1612. Cornelius, & Innocentius fratres de Malvasia censum in sorte librarum 8. m. ad favorem Caroli Zambeccarii, cum fidejussione Dominici Gherardi, cui contextualiter locarunt prædium per annos octo, sub lege, ut pensionem in parte exuberante fructus census cumularet, atque ita in fine census extingueretur, defuncto autem dicto Dominico ad breve tempus superstitibus duabus filiabus, istæ post plurium annorum decursum ex eo quod dictum censum solvere coactæ fuerunt contra impositorum jam defunctorum hæredes judicium instituerunt pro dicti census fructibus decursis, ex eo quod patre defuncto, Innocentius, & Cornelius dictam locationem non servassent, atque in partibus favorabilem reportarunt sententiam, in secunda instantia infirmatam per A. C. introductaque causa in Rota cor. Albergato, & dato dubio, an constaret de credito, & in qua summa sub die 3. Maji 1673. actricum favore prodiit resolutio ex eo quod constaret, locationem per duos annos tantum effectum sortitam esse, cumque istius præcipuum fundamentum fuisset dicta locatio, cujus ineffectuatio per actores negabatur, ex ista vero parte supponeretur quod effectum sortita esset, idcirco ad id melius probandum per eas obtenta fuit remissoria, cujus vigore aliquæ probationes factæ fuerunt, atque in hoc statu, quod sciam, causa pendet.

Duo itaque erant puncti, de quibus tam coram A. C. quam in Rota disputatum fuit, unus scilicet facti an testibus de locationis ineffectuatione deponentibus deferendum esset, stantibus exceptionibus in persona, & dicto, quæ ex hac parte dabantur, & alter juris super nullitate contractus, ex cessante causa, ut propterea satisfactum non esset Statuto super alienationibus, & contractibus minorum, cum aliæ solemnitates materiales jam essent adhibitæ.

2 In prima inspectione nullæ, vel modicæ erant Advocatorum partes, cum revera dicatur quæstio potius facti quam juris, remissa Judicis arbitrio ex facti qualitate, & circumstantiis regulando, ideoque disputatio juridica restringebatur ad alteram inspectionem, super qua Scribentes pro actricibus totam vim constituebant in firmatis per Rotam in duabus resolutionibus Bonon. Indemnitatis coram eodem Albergato, quarum una est impressa *par.* 11. *rec. disc.* 151. in quibus firmatur quod adhibitis aliis solemnitatibus per Statutum demandatis, nil refert, an accedat causa necne, utpote non desiderata per Statutum, eo modo quo desideratur per Statutum Urbis ex toties in præcedentibus insinuatis.

Scribens autem pro reis conventis, etiam cum sensu veritatis, dicebam improbabile censendum esse illud assumptum ita generaliter, & in abstracto sumptum, ut scilicet constito de defectu, vel de insufficientia causæ solus interventus solemnitatum materialium sufficere deberet, ex eisdem rationibus, quæ pluries in præcedentibus insinuatæ habentur, quod nempe lex dicenda non est imposita verbis, sed rebus, atque ad certum finem, & effectum, non autem ut pro cæremonia, & formalitate interventus Judicis, & conjunctorum, vel aliorum desideretur, ut scilicet ita illi tanquam præsuppositi viri prudentes, & providi, suppleant imperfectionem judicii minoris, ejusque circumventionibus, & præjudiciis occurrant, & ne alienationes, vel alios contractus diligenti patrisfamilias non convenientes, & præjudiciales faciat, ideoque ubi etiam lex nullam causæ faceret explicitam mentionem, adhuc illa implicite, ac per necesse desiderata est, spectata ratione, seu fine, ac effectu, ob quem aliæ solemnitates demandantur, multo vero magis attento isto Statuto, quod enixe injungit Judici, & aliis, ut diligenter advertant, ne minori præjudicetur, quodque fraus, vel mendacium non committatur, quod utique sine justa, & probabili causa contrahendi sequi non potest.

3 Desiderari autem, vel non desiderari in verbis expressionem causæ, illum operari videtur effectum, ut quando Statutum illam expresse desiderat, tunc si non exprimatur, non intret illa præsumptio, quam interventus Judicis, & aliorum producit, ac propterea sit onus alterius contrahentis, qui velit sustinere actum tanquam validum, illam justificare; e converso autem, quando Statutum ejus expressionem non demandet, tunc sit onus minoris impugnantis actum probare ejus defectum, vel ineptiam, ob contrariam præsumptionem resultantem ab observantia solemnitatum, adeout causæ expressionem desiderari, vel non desiderari, non inducat formam præcisam, ut aliqui in sola littera ambulantes, male credunt, quasi quod si Statutum in verbis non desiderat, nil obesse referat, & si desiderat, & omittatur, actus corruat ex defectu formæ præcisæ, quamvis aliunde verificetur eam adesse, id enim continet evidentem errorem, intelligendo hujusmodi leges Judaico more in littera, cum potius intelligendæ veniant in spiritu, spectato scilicet fine, vel effectu, ob quem eadem lex illam formam, vel solemnitatem præscripsit. Et sic quod expressio, vel non expressio operetur solum effectum assistentiæ, vel resistentiæ præsumptionis pro ejus consueta operatione transferendi onus probationis in illum, cui ipsa non assistat, juxta genericas propositiones, de quibus *sub tit. de judic.* & alibi pluries.

Cum hac itaque distinctione advertebam recte conciliari dictas decisiones, quæ deducebantur ex parte actricum cum aliis, quæ ex ista parte cum consueto improbo, ac inepto labore deducebantur in plerisque casibus Bononiensibus quod contractus minorum infirmati essent, unde cum deducerentur solitæ ineptiæ, super earundem decisionum littera, sive quibus magis deferendum esset, eas reputabam potius irrisione dignas, dum ita remanent omnes conciliabiles pro facti qualitate.

4 Applicando itaque ad rem, advertebam, quod quando de causa actum fuisset, tunc potius præsumptio Parti adversæ assisteret, nobis autem resisteret, ac propterea nostrum esset onus probare causæ defectum, secus autem dum in mandato procuræ per minores factæ cum solemnitatibus, cujus vigore Procurator contractum iniit, continebatur ineptia clara, dicendo scilicet quod census imponi posset, ac imponeretur, vel adesset causa, sive non, ita etenim ad evidentiam probari dicebam quod Judex, & alii qui ad formam Statuti intervenerunt, non bene eorum expleverint partes, neque adverterint ad id, quod ab eodem Statuto præcipitur, ut propterea contraria probatione remaneret exclusa illa præsumptio, quæ regulariter ab hujusmodi interventu resultet, ac propterea concludendum semper venit idem, quod pluries, sed semper opportune ad hanc materiam insinuatur, quod scilicet illa non 5
sit juris, sed facti pro istius qualitate, & circumstantiis regulanda, spectato principaliter fine, vel effectu pro quo solemnitates desiderentur, intelligendo hujusmodi leges in spiritu, non autem in littera, cum sola formalitate verborum, cum id manifestum errorem redoleat.

BO-

BONONIEN. FIDEJUSSIONIS,

PRO FRANCISCO, ET INNOCENTIO DE NUCE,

CUM GUALANDIS.

Casus decisus per Rotam pro Gualandis.

De obligatione filiifamilias ad formam Statutorum Bononiæ, & an pater possit consensum præstare sibi ipsi, & incidenter an qualitas Doctoratus ipsius filii in hoc aliquid operetur?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *De Statuto Bononiæ super contractibus filiorumfamilias.*
3 *Auctoritas Legati, seu Vicelegati supplet defectum solemnitatum.*
4 *Delegatio stricte intelligenda venit.*
5 *Doctoratus supplet defectum personæ ut non requirantur solemnitates.*
6 *Quod resolutiones placeant, sed non earum ratio.*
7 *An consensus patris sit pro integranda persona, vel pro interesse?*
8 *De variatione opinionum in Tribunalibus.*
9 *Quomodo in hac materia filiorumfamilias procedendum sit.*
10 *De ratione cui innixæ sunt leges agentes de filiisfamilias.*
11 *Quid proprie statuta, & leges particulares in hoc induxerint.*
12 *De materia juramenti in contractibus.*
13 *Quomodo intelligi debeant Statuta agentia de filiisfamilias, & mulieribus.*
14 *Quod quandoque ista Statuta sint præjudicialia ipsis privilegiatis.*
15 *Quod fideicommissa sint præjudicialia, & operentur contrarium effectum.*
16 *Laudabile est, ut filius se obliget pro patre.*
17 *Ad quid attendi debeat Doctoratus filiifamilias vel minoris.*

D I S C. LXIII.

1 PRo obligatione in solidum contracta per Franciscum cum Patre, ipsomet postmodum defuncto, per Gualandos conventus Innocentius, atque in partibus condemnatus, in gradu appellationis ab A. C. sententiam absolutoriam reportavit, introductaque causa in Rota coram Calataiu, pro dictæ sententiæ infirmatione responsum fuit sub die 2. Junii 1670. atque ad decisionis desuper editæ normam prædicta sententia in alia instantia coram Emerix sub die 2. Maji 1672. confirmata fuit, ac propterea tres conformes suam habuerunt exequutionem, vel eo quo potuit modo debitor cum creditore se concordavit.

2 Cumque Francisci obligati, vel ejus hæredis exceptio consisteret in suæ obligationis nullitate resultante a Statuto Bononiæ *lib. 3. rubr. de contract. cum minor. & fil. fam. §. Item dicimus*, quod filiorumfamilias, quamvis majorum obligationes, aliosque contractus absque consensu patris, vel isto deficiente, sine quibusdam aliis solemnitatibus initos, irritat, atque per Rotam in Bonon. pecuniaria 21. Febr. 1625. coram Pirovano in specie hujus Statuti firmatum fuerit paternum consensum pro solemnitate, seu forma, atque ad integrandam potius personam filii requiri potius, quam pro consensu, & per consequens patrem non posse auctorari sibi ipsi, sed, ejus consensu habito pro infecto alias requiri solemnitates.

3 Hinc Rota in utraque decisione præsupposito implicite tanquam vero isto assumpto, absque ulteriori ejus discussione, quia forte Scribentes pro actore cum eodem præsupposito ambularent, processit cum earundem solemnitatum suppletione ab auctoritate Vicelegati mediante ejus Auditore ad hunc effectum deputato ex eo, quod Vicelegatus, ex quodam recepto usu eodem modo, quo ipse Legatus hujusmodi solemnitates supplere posset ex auctoritatibus in eisdem decisionibus recensitis frustra transcribendis, quod etiam in proposito alterius Vicelegati Urbini disputatum fuit in casu, de quo *sub* tit. *de donat. disc.* 2.

Isto autem assumpto ex parte rei conventi, pro quo scribebam, non negato, major quinimmo tota quæstio fuit potius facti, quam juris super forma scilicet dictæ delegationis,
quam ex hac parte objiciebatur respicere suppletionem di-
versarum solemnitatum adhibendarum in contractibus mi-
norum, non autem in illo filiorumfamilias, insistendo pro- 4
inde in vero juris principio, de quo *sub tit. de judic. disc.* 3.
& alibi pluries, & præsertim *sub tit. de matrim. disc.* 3. *n.* 11.
super delegationis stricta natura ad limites verborum, quacumque extensione prohibita, e converso autem Scribentes pro Actore, quibus Rota adhæsit, vim constituebant in amplitudine verborum, super quorum formalitate, seu contextura pro hujus facultatis abusu apud Me perpetuo damnabili, omnes fuerunt disputationes.

In priori decisione coram Calataiu insinuato quoque 5 motivo Doctoratus filiifamilias in utroque jure, cujus ratione cessaret solemnitatum necessitas, quasi quod improprium videretur, quod cum ad eorundem Statutorum præscriptum Doctor Collegiatus aliorum prohibitorum contractus auctorari valeat, debeat ipse inhabilis ad contrahendum reputari, atque alterius auctoritate indigere, *& de quo supra disc.* 30. In posteriori tamen decisione coram Emerix, illud fundamentum neglectum, atque sub silentio involutum fuit, dictæ delegationis verba in hac decisione restringendo, ita ut præmissum est, totam vim in verborum formalitate constituendo, & e converso Ego, & alii pro hac parte Scribentes faciebamus.

Reflectendo autem ad veritatem, Mihi quamvis in con- 6 trarium Scribenti justæ, ac probabiles visæ sunt resolutiones, quæ inspecta tota facti massa, & rei substantia placuerunt, displicebant tamen media, seu motiva, quasi quod neglectis solidioribus, insisteretur in dicto leviori resultante a verborum dictæ delegationis formalitate, qua solum attenta potius de earundem resolutionum improbabilitate dubitandum esset, stante dicta stricta natura delegationis, quæ in sensu litterali, seu grammaticali revera casum non continebat.

Solidius itaque videbatur motivum, de quo supra *disc.* 7
37. ac etiam sub tit. de dote, disc. 32. *&* 33. *& alibi*, quod sci-
licet quamvis apud antiquos, aut illos, qui comparative ad
nos dicuntur tales, sed sunt moderni, circa initia currentis
sæculi pro consueto leguleico more, præsertim vero DD.
Neapolitani, super intelligentia illius Regiæ *pragmaticæ*
primæ ad Macedonianum, ac etiam generaliter aliæ in-
differentes agentes de donatione causa mortis, quæ filio-
familias de patris consensu permissa est, cum nimia opi-
nionum scissura magnas desuper adhibuerint disputationes,
ideoque ista repararetur una ex involutis, ac problemma-
ticis, (quas brocardicas Juristæ dicunt) quæstionibus,
quæ in jura habeantur, adeout cum adolescens Sacri Con-
silii Neapolitani praxi vacarem, tunc ipsum Tribunal,
ut in quibusdam aliis quæstionibus, & præsertim in illa,
de qua *sub tit. de legitim. disc.* 23. & in hoc titulo, in
factiones divisum esset, ac propterea in ista tunc ita dubia
quæstione, in qua forte attento eo tempore, in quo di-
cta decisio cor. Pirovano super hoc Statuto prodiit, ex
magis communi, in eam sententiam per sedentes in Ro- 8
ta deventum sit, ut quotidie in isto, alisque collegiali-
bus Tribunalibus experimur, quod pro vario sedentium
ingenio, modo album, & modo nigrum firmatur, adeo-
que frequens cernitur resolutionum variatio ex insinuatis
in relatione Curiæ, disc. 32. *& disc.* 35. *de judic. & alibi.*

Hodie tamen error videtur dictam resolutionem attendere, perinde ac si inviolabilem legem contineret, cum ex insinuatis *sup. d. disc.* 37. *& d. disc.* 32. *&* 33. *de dote, & alibi* verius videatur, ut inspecto fine, seu ratione hujusmodi legum, quæ regulandæ sunt a dispositione juris communis *ad Senat. Consult. Macedon.* consensus patris in filiorumfamilias obligationibus, & contractibus, non pro forma, vel solemnitate, & ad integrandum, quoties præsertim agatur de majoribus, sed pro solo interesse requiratur.

Quinimmo bene considerata ratione, seu fine, adhuc 9 neque solum pro interesse, sed principaliter, ut occurratur fraudibus, ac deceptionibus, aliisque inconvenientibus ab antiquo jure ponderatis *Senatus Consulto Macedoniano*, & de quibus etiam supra *disc.* 37.

Hinc sequitur, ut manifestus videatur error hodie procedere in hac materia obligationum, aliorumque contractuum dispositionum filiorum familias cum antiquis legibus registratis in *Digestis*, ac respective *in Codice*, antequam per jus novum fieret introductio peculii adventitii, cum tot hujus materiæ, ac juris antiqui alterationibus, ob notabiles differentias inter unum tempus, & alterum; antiquorum siquidem tempore filiusfamilias servo assimilatus, nil proprium habebat, etiam id, quod ex proprio labore, & industria, sive ex fortunæ beneficio, aut ex dispositione majo-

rum acquireret, excepto nimium raro casu acquisitionis castrensium, vel quasi, ideoque si quid contrahendo, vel distrahendo ageret, semper interesse patris concernebat, ideoque non mirum, si ejus consensus indefinite desiderandus veniret, quoniam ut advertitur *d. disc. 32. & seq. de dote*, potius ipse pater consentiens, quam ipse filius contrahens, vel disponens actum gerere videbatur, ut etiam de præsenti in peculio vere profectitio dicitur.

Hodie vero post modernam introductionem peculii adventitii, ac etiam ob introductionem tot limitationum, quas patitur ille usufructus legalis, qui patri solum competit ex insinuatis *sub tit. de servit. ad materiam usufructus, disc. 60. & seqq.* in nihilo pene filios in potestate ab emancipatis differre videtur, cum etiam in emancipato verificetur idem jus, vel interesse potius ratione usufructus in illis bonis, quæ durante patria potestate obvenerint, vel quæsita sint.

10 Igitur evidens simplicitas, immo ineptia videtur ista regulandi actus filiorumfamilias, attento præsenti tempore, cum eisdem regulis, cum quibus in jure civili disponitur de tempore antiquo, quando diversus erat rerum status, diversaque urgebat ratio, sed solum reflectendum videtur (intelligendo leges etiam municipales in spiritu, non autem in littera) ad rationem, cur magis filiifamilias, quam alii ad contrahendum inhabilitati sunt absque scientia, & consensu patris, quia nempe juxta frequentiorem contingentiam nihil proprium possidentes, nullamque habentes industriam, atque de victu, aliisque necessariis a patre provisi, nullam revera habeant pecuniarum indigentiam ob earundem tamen carentia libenter debita usuraria contrahant, sive alios faciant præjudiciales contractus in adolescentiæ, vel juventutis fervore, ad effectum ludendi, vel luxuriandi, vel alias inutiliter dissipandi juxta conditionem illius ætatis hujusmodi imprudentiis subjectæ, magis in filiisfamilias, quam in illis sui juris, ex eo naturali effectu, quod privatio majorem generat appetitum, ac etiam, quia clam, & furtive, ob timorem patris, omnia gerere solent, propterea pleraque resultant inconvenientia ipsimet, eorumque parentibus, ac etiam Reipublicæ præjudicialia, & per consequens bene per leges communes, & municipales provisum est.

Sed si de filio in matura, vel convenienti ætate constituto agatur, provido, & prudenti, qui ex justo, & rationabili motivo contrahat, vel distrahat, seu alias disponat, adeout dicta ratio non intret, nullumque pater proprium habeat interesse, sive quod illud modicum ratione usufructus salvum remaneat, eique præjudicatum non sit, tunc in istis, vel similibus casibus indifferenter, applicare ea, quæ in præcedentibus procedunt, ac disposita sunt, vere irrationabilem ineptiam, atque damnatum litterale judaismum continet, quamvis Statuta, & leges particulares cum decreto irritanti in loco habeantur, ut pro frequentiori praxi Italiæ habemus, quoniam istarum etiam legum dispositio eandem habet naturam, ut in spiritu, non autem in littera occidente intelligi debeant, prout etiam aliæ de minoribus, & mulieribus agentes, ut pluries, sed semper opportune advertitur, inspecta scilicet earum ratione motiva, vel finali.

11 Cum etenim ex Juristarum, & Moralium connaturali errore, intelligendo leges in littera, & non in spiritu, ea quæ per novissimum Jus civile, magis vero per Canonicum disposita sunt circa operationem juramenti, cum illorum temporum præsupposito, quando illud nonnisi raro, & cum magna solemnitate, & maturitate interponebatur, ipso jurante gravibus pœnis, ac infamiæ de jure, & de facto in casu perjurii subiecto, adeout in Regno Neapolitano, ut pluries insinuatur, *& præsertim disc. 116. de credit.* manus dextera

12 amputaretur, tanquam illud membrum, cum quo crimen patratum erat, extensa sint ad omnem speciem juramenti, etiam illam, quæ inconsiderate pro quadam consuetudine, ex stylo potius, vel formulario Notariorum in omnibus conventionibus adjicitur, adeout in utroque externo, & interno Foro nulla reatas perjurii rario habeatur, vel existimetur, atque exinde manat, ut omnes juris communis prudentes, ac rationabiles provisiones ad occurrendum fraudibus, ac præjudiciis, & inconvenientibus in actibus minorum, ac filiorumfamilias, & mulierum, aliorumque prohibitorum, ideales, & sine effectu remanerent. Hinc prudenter oportuit, cum Statutis, aliisque legibus particularibus desuper opportune providere, ut ita tolleretur ista vis, vel operatio juramenti directe, quando Apostolica accedat auctoritas, vel indirecte inducendo præsumptionem doli, & metus, vel adimendo fidem scripturæ, ex deductis *disc. 143. de dote*, ac etiam *hoc titulo, & alibi pluries*.

Ad istam itaque rationem super hujusmodi legum, & Statutorum praxi, & intelligentia reflectendum venit perinde 13 ac si nullo adhibito juramento versaremur in terminis juris communis, ejusque rationes intrarent, sive quod leges particulares ob aliqua ex moribus Regionis, vel ex malitia experta inconvenientia, legum antiquarum dispositionem ad alios ab eis omissos casus extenderent; Ut exempli gratia contingit in mulieribus majoribus, quæ excepto casu Vellejani in obligationibus, & aliis contractibus pro maritis, in reliquis pro regula generali habilitatæ sunt a viris non differentes, quoniam prudenter ob expertam sexus imbecillitatem in plerisque locis per leges particulares ad omnes alios actus hæc inhabilitatio extensa est, sed eodem themate, eademque ratione retenta, non autem judaico stylo in sola littera cum irrationabilibus effectibus exinde resultantibus, de quibus pluries in præcedentibus.

Quinimmo ad instar eorum, quæ habentur præsertim *sub* 14 *tit. de usuris, & sub altero de cambiis*, potius resultat effectus oppositus, quod melior sit conditio callidi, & improbi negotiatoris, qui sciens hujusmodi leges, & prohibitiones, cautelas in sola formalitate bene adhibere satagit, quam sit viri simplicis, & probi, qui bona fide contrahat.

Et e converso id, quod mulierum, ac minorum, & filiorumfamilias, ac similium favore introductum est, in odium potius retorqueretur, non solum, quia pati oportet jacturam illarum expensarum, quæ pro hujusmodi solemnitatum implemento per speciem gabellæ sunt necessariæ, illis nudam redolentibus formalitatem, sed etiam fortius, quia ob libertatem commercii sibi interdictam, longe deterior sit eorum conditio, adeout in indigentiis non inveniant credentes, nisi cum valde præjudicialibus conditionibus occultatis tanquam recompensativis illius periculi, cui ipsi se exponunt, adeout personæ prohibitæ vix dimidium obtineant ejus, quod ex illo contractu obtinerent, si prohibitio non adesset.

Et ex qua ratione manet, juxta frequentiorem praxim, ut fideicommissa cum strictissimis alienationis prohibitio- 15 nibus, quæ ordinari solent ex motivo conservationis bonorum, illorumque dissipationem impediendi, oppositum producant effectum, ut ita celerius, ac facilius eadem sequatur dissipatio, nisi inveniatur cautela ordinandi fideicommissa in cerebro, sive intellectu, quoniam ita id, quod intrinsece valeat centum, pro dimidio, vel tertia parte distrahitur ex iis, quæ habentur præsertim *disc. 30. de reg.* & alibi, cum similibus.

Applicando itaque ad rem, cum in hac facti specie ageretur de majori, ac etiam Juris utriusque Doctore prudentem, ac laudabilem gerente actum se obligandi pro patre juxta deducta apud Gregor. *dec. 120.* & passim, ita risum potius apud Me promovebat cernere, quod per Scribentes, 16 ac etiam per ipsum Tribunal in decisionibus tota vis constitueretur in sola formalitate verborum delegationis Vicelegati pro hujusmodi actus auctorizatione, quodque alias ea non accedente, infectus remanere deberet ob illam superstitiosam opinionem, quod paterno consensu pro solemnitate, & habilitatione requisito, non posset ille suffragari in actibus in ipsius gratiam gestis, ac propterea bene, ac prudenter per Statutum Urbis 152. exceptuati sunt omnes actus filiorumfamilias, qui in causa patris initi sint.

In hoc autem sensu advertebam attendi debere dictam 17 qualitatem Doctoratus, non autem ad illum effectum, ad quem cum eadem leguleica simplicitate, vel ineptia attendi solet, ex insinuatis supra *hoc tit. disc. 30. & sub tit. de dote*. Ita semper firmo remanente dicto assumpto, cum quo omnes materiæ, præsertim vero illa regulanda venit, ut leges non in littera, sed in spiritu attendi debeant.

ROMANA SOCIETATIS OFFICII,

PRO JORDANO BUCCABELLA,

CUM N.

Casus disputatus coram Vicesgerente, resolutus pro Jordano.

De obligatione mulieris pro Viro ex causa impediendi ejus imminentem carcerationem, an sustineatur necne?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De nullitate obligationis ex causa falsa, vel vaga, & generali.*
3 *De errore procedentium sine distinctione casuum,*

4 Causa

4 *Causa utilis, vel non damnosa requiritur in obligatione principali, & directa mulieris.*
5 *Quid in obligatione fidejussoria pro extraneo.*
6 *De eodem, de quo n. 2. de nullitate ex falsa causa.*
7 *De obligatione pro indebito alterius, pro quo alias valide obligaretur.*
8 *An & quando corruente obligatione principali, corruat fidejussoria?*
9 *Qualem causam verificari sufficiat, ubi mulier ex intervallo alienam suscipiat obligationem.*
10 *De conventionibus hæredis in hac materia.*

D I S C. LXIV.

1 HAbita per N. a Jordano quadam summa ad societatem officii cum obligatione præstandi intra certum terminum idoneum fidejussorem, cum elapso termino Jordanus, servatis servandis obtinuisset contra eum relaxari mandatum ad factum, sive ad deponendam summam acceptam loco cautionis, eodem modo, quo in fortioribus terminis census, in quo sors ex parte creditoris est irrepetibilis, practicari solet juxta *decis.* 88. Greg. & advertitur in sua sede *sub tit. de cens.* & alibi, debitoris uxor ex illa causa liberandi virum ab imminenti carceratione, fidejussoris partes gerendo, obligationi accessit, eumque illo defuncto, vel parum idoneo existente, mulier conventa esset per Creditorem coram Vicesgerente, excipiebat ipsa de invaliditate obligationis ex defectu causæ requisitæ per Statutum 151 talem defectum desumendo a non veritate aliquarum causarum, ob quas vir asseruerit pecuniis indigere, sive quod illis existentibus veris in modica parte, pro aliqua majori adesset solum causa vaga, & generalis pro nonnullis suppelectilibus indigentiis ejus domus, quam non esse sufficientem receptum hodie videtur juxta *dec.* 714. Merlini, de-
2 super multas cumulando decisiones modernas proxime infra referendas super hujusmodi obligationum mulierum annullatione ex falsitate, vel ineptia causæ, ac etiam deducendo magis proxime *dec.* 373. Durani super annullatione obligationis matris factæ pro excarcerando filio ex eodem motivo falsitatis causæ, adeout Scribentes pro muliere per quandam speciem tractatus in materia, late cumularent pene omnes auctoritates, & decisiones, quæ super annullatione obligationum mulierum habeantur. Cum itaque ex parte Creditoris absque ulteriori disputatione requisitus essem, ut responderem deductis in contrarium, advertebam
3 ad eundem frequenter insinuatum errorem in omni forte casu repetendum, consarcinandi scilicet in confuso totum id, quod revolvendo repertoria in materia invenitur, non distinguendo casus, neque ad eorum reflectendo circumstantias, & an adesset necne debita combinatio cum illis casus, de quo sit quæstio.

Hinc pro aliqua materiæ elucidatione, atque ad effectum evitandi auctoritates, & decisiones, quæ in contrarium deducebantur, plures inter se diversos distinguebam casus, in quibus respective loquerentur dictæ auctoritates, & decisiones, ut ita pateret eas extraneas esse a casu præciso quæstionis, quod propterea deficeret applicatio, in qua hodie revera totus est punctus in judicando, & consulendo.

4 Primus itaque casus est, ubi agatur de obligatione, vel alienatione, quæ principaliter, ac directe contracta sit per ipsam mulierem allegantem causam, ob quam ad illam alienationem, vel obligationem inducatur, adeout illa sit causa obligationis, vel alienationis, atque ex ejus motivo creditor, vel alter contrahens mulieris fidem sequatur, dictoque casu, attento Statuto Urbis, quod juxta modernam opinionem, utrique restitutivam, in qua (media reprobata) Curia resides, exigit causam veram tam de facto, quam de jure, atque procedit dictum assumptum, falsitatis, vel insufficientiæ causæ etiam in parte, vel quia sit vaga, sive inepta, atque in his terminis procedere dicebam pro majori parte auctoritates, & decisiones desuper cumulatas, & præsertim *dec.* 31. 63. & 193. *p.* 12. *rec.* & alias, de quarum casibus agitur *sup. disc.* 41. & 33. & *in aliis*, ideoque extraneæ erant a casu quæstionis, dum contractus ab initio principaliter initus fuerat cum Viro, ex intervallo autem mulier, supplendo vices fidejussoris in genere, quem vir præstare promiserat, mota non fuit ex causis a viro in prima obligatione narratis, sed ex sola causa illum liberandi ab imminenti carceratione, aliisque molestiis etiam in bonis, & sic in terminis omnino diversis.

Alter casus est, ubi obligatio mulieris sit aliena, & fi-
5 dejussoria incontinenti, vel ex intervallo, ea tamen non habeat illum naturalem, ac rationabilem stimulum, qui erga filium, vel virum habetur, puta pro extraneo, vel pro tali conjuncto, ut ei non adaptetur dictus naturalis stimulus profundendi etiam scienter proprium ad hoc ut ille a molestiis liberetur, atque tali casu cum fidejussio dicatur actus de sui natura læsivus, fortius autem ubi ab eventu talis detegatur, quia nempe ob defectum idoneitatis principalis debitoris, ejus indemnitati, ac relevationi consultum non remaneat, illoque casu recte adesse dicitur defectus causæ per Statutum desideratæ, & sine qua aliæ solemnitates negliguntur, utpote ad hunc finem, vel effectum inductæ, ideoque sine illo remanent inanes, atque in his terminis procedant aliquæ decisiones, quæ deducebantur, & præsertim *dec.* 163. & 265. *p.* 14. *rec.* proditæ in eo casu, de quo agitur supra, *disc.* 32. ubi de obligatione mulieris pro extraneo, sive affine, cum quo dictus stimulus non vigebat ex ibi ponderatis.

Tertius est casus, cui dicta ratio stimuli naturalis con- 6
gruat, sed obligatio, vel alienatio facta sit cum expressione causæ, quæ detegatur minus vera, & tunc pariter annullari soles, quoniam licet adsit stimulus sufficiens, attamen deest veritas causæ narratæ, ex qua mulier professa est actum gerere, ideoque deficit voluntas, ut in specie obligationis matris pro filio, sive in ejus causam ex illo capite invalidatæ habetur supra *disc.* 33. quamvis in eo casu resolutiones, vel improbabiles, vel saltim nimium duræ viderentur, ex ibi deductis.

Quartus, ad rem est casus, in quo mulier ex vera, & 7
probabili causa dicto naturali stimulo innixa, liberandi scilicet filium a carceribus, in quibus reperiebatur, pro illo se obliget, deinde vero detegatur quod injusta esset carceratio utpote sequuta pro indebito, & hic est casus, de quo apud Duran. *d. dec.* 373. in quo merito pro nullitate obligationis mulieris responsum fuit, non quidem ex peculiari jure statutario, quo secluso debuisset valida judicari ex dispositione juris communis, sed etiam illa attenta, ratione falsi præsuppositi, ac etiam ex regula cessationis accessorii corruente principali non ex jure speciali, sed ex intrinseca natura actus tanquam pro indebito, pro quo injuste carceratus se obligaverat, unde etiam ipsius principalis obligatio invalida erat ex deductis *sup. disc.* 41.

Quamvis etenim in ea quæstione, an corruente obligatio- 8
ne principalis debitoris, corruat etiam illa fidejussoris, adhiberi soleat distinctio, an iste revera tanquam fidejussor, & accessorie se obligaverit, vel potius tanquam principalis principaliter, & in solidum, ut scilicet priori casu procedat regula, quod corruente principali obligatione, corruat accessoria, secus autem in altero, ex ea ratione quod in isto dicitur quidem fidejussor in ordine ad principalem pro quo se obligavit, sed quoad creditorem dicitur principalis & correus ex relatis *disc.* 100. *de feud.* & *sub tit. de cred.* pluries, & alibi, attamen id procedit quando invaliditas obligationis unius provenit ex jure speciali, ob qualitatem personæ, quæ sine certis solemnitatibus, ac sine certa causa se obligare, vel alias contrahere prohibita esset, adeout per legem communem, vel particularem in hac parte privilegiata fuerit, cum tunc creditur, vel alter contrahens recte dicere valeat se neglexisse inquirere de validitate, vel invaliditate obligationis illius personæ privilegiatæ, cum ei sufficeret obligatio in solidum alterius personæ habilis, & non prohibitæ, ut advertitur locis citatis, ac etiam supra *hoc tit. in præcedentibus*, secus autem ubi invaliditas proveniat ex dispositione juris communis ob ipsius causæ debendi intrinsecam infectionem ratione indebiti, sive ratione metus, vel doli &c. quoniam tunc totus actus corruit etiam ratione falsi præsuppositi, dum ita correus habilis alienum suscepit debitum, cum præsupposito quod sit debitum, alias non suscepturus, & hic est casus dictæ decisionis Durani, quæ pariter extranea remanebat.

Quintus demum (neglectis aliis qui dari possunt) ad rem 9
est casus præcisus, in quo mulier ex justa, atque a jure probata causa, qualis dicitur illa liberandi virum a carceribus, vel ab imminenti carceratione, ex deductis *dec.* 775. *p.* 2. *rec.* & in aliis relatis *dec.* 109. *n.* 7. *p.* 12. & apud Zarat. *dec.* 29. & 58. & *dec.* 232. *n.* 9. & *seqq. eadem par.* in quibus de obligatione minoris liberandi patrem a carceribus, adeout adversus illam obligationem non urgeat illa infectio, quæ ex dispositione, vel intentione juris communis resultet ratione læsionis, ob quam mulier indotata remaneat, juxta deducta *sub tit. de dote pluries*, & per consequens quod prætendatur infectio ex solo jure speciali, seu statutario ob ejus formam non servatam, & tunc inquirendum non est, an sit justa, & sufficiens illa causa, ob quam vir, vel respective pater debitum contraxerit, quoniam cum ipse esset major, de jure contrahere non prohibitus, atque liberam habens

se obligandi facultatem, absque necessitate exprimendi ejus indigentiæ causas, idcirco tali casu creditor, vel alter contrahens non tenetur esse sollicitus veritatem, & sufficientiam causæ narratæ indagare, sed sufficit quod adsit veritas ipsius debiti, seu ipsius causæ contrahendi; respectu vero mulieris vel minoris vel alterius personæ privilegiatæ, quæ alienæ alias validæ obligationi accedat, sufficit quod vera, & justa sit illa causa, ob quam ista accessio facta sit, ut ita distinguendo præsertim habetur *d. dec. 232. n. 9. & seq. p. 12.* Ac propterea neglecta oppositione pro creditore decretum fuisse Mihi suppositum fuit, ideoque ejus monendi sumus quomodo in causarum decisionibus, ac doctrinarum, & decisionum applicatione sit procedendum.

10 Justa vero ista resolutio visa est, quia ex facti circumstantiis de bona fide creditoris constare videbatur, quod scilicet justa pene connaturalem usum hujusmodi contractus societatis officii ex relatis in suo *particulari titulo* præstatio fidejussoris in genere conventa erat absque fraudolenta præordinatione ita colorandi fidejussionem mulieris, secus autem ubi de hoc constaret saltim per sufficientia argumenta, & præsumptiones, ut scilicet ita immunentia affectata fuerit ex præordinatione inter creditorem, & virum debitorem, cum tunc nullatenus ista causa attendenda veniat, quia deficit ejus causa, ac propterea firmum remanet id quod pluries insinuatum est, istas scilicet censendas esse quæstiones potius facti, quam juris decidendas ex singulorum casuum circumstantiis bonam, vel respective malam fidem redolentibus, non autem procedendo cum generalitatibus in abstracto, vel cum auctoritatibus ad litteram.

ROMANA DOMUS SEU APOTHECÆ PRO VINCENTIO GALLO. CUM N.

Casus disputatus coram Judice Sancti Spiritus, terminatus, ut credo, per concordiam.

De illis contractibus mulierum in quibus in Urbe, non obstante Statuto, adhiberi non solent solemnitates.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *In quibus contractibus solemnitates Statuti requirantur.*
3 *De salario vel mercede Curialium.*
4 *An, & quando hæres dicat de nullitate contractus defuncti?*
5 *De eodem, de quo n. 2.*
6 *De invalidis actibus inter Medicum, & infirmum, vel reum, & Judicem, sive Causidicum, & Clientem.*
7 *Ad quid prosit quæstio an Statutum procedat in omnibus contractibus, vel solum in quatuor, de quibus loquitur.*
8 *De eodem, & quomodo id intelligendum sit.*
9 *Admonitio super modo intelligendi, & practicandi leges.*

DISC. LXV.

1 De ann. 1650. N. Vidua conduxit operam Vincentii causarum Patroni pro ejus activis, & passivis causis peragendis cum quadam menstrua vel annua conventa mercede, juxta consuetudinem in Procuratoribus, & Sollicitatoribus frequentem, in Advocatis autem nimium raram, peneque abolitam ex insinuatis *disc. 46. in relat. Cur.* factoque plurium annualitatum cumulo, cum solemnitatibus Statuti 151. in solutum ei dedit per actus geminatos domum, & apothecam, pro quarum venditione hæres dictæ mulieris, quæ donec vixit nullum fecit impugnationis actum, judicium instituit coram Prælato Judice deputato Sancti Spiritus (incertum est qua ratione competente) incertusque est causæ exitus, dum post unicam informationem amplius de ea actum non audivi, ideoque probabile est
2 quod fuerit per concordiam.

Actoris fundamentum erat in eo, quod licet in alienatione adhibitæ fuissent solemnitates materiales consistentes in decreto Judicis, & interventu proximiorum, deerat tamen melior solemnitas formalis causæ utilis, vel non damnosæ, juxta pluries enunciatam opinionem, cum qua hodie vivitur, dum prima conventio ex qua debitum resultabat, & in cujus causam alienationes factæ erant, eisdem carebat solemnitatibus, quæ Scribentes pro actore necessarias esse dicebant, dum hodie extra controversiam receptum est, quod dictum Statutum, quamvis in verbis loquatur de quatuor contractibus nempe de pactis non petendo, refutationibus, quietationibus, & donationibus, adhuc tamen, illis demonstrativa, non autem taxative enunciatis, locum habeat in omnibus aliis contractibus, & actibus, in quibus mulier vel minor lædi potest, ac propterea magis receptum est, ut etiam in aditione hæreditatis occultante quasi contractum habentem potentiam læsionis, & præjudicii, eædem solemnitates requirantur ut in præcedentibus, & alibi pluries advertitur, atque sunt propositiones hodie in Curia præsupponendæ.

Pro Causidico reo convento Scribens, quamvis genium nimium abhorreat, ac damnet hujusmodi mercedum cumulos, pro quibus Curiales a Clientibus, & præsertim mulieribus, vel minoribus, aut idiotis captent bona insinuatur *d. disc. 46. in relat. Curiæ*, adeout Mihi placeret statuere idem, quod disponitur per Regiam pragmaticam vulgo nuncupatam de antephato Regni Neapolitani *registrat. sub tit. de donat. nupt.* circa illam menstruam assignationem, quam viri uxoribus facere solent, ut nonnisi pro unico anno competat actio, sive laudarem illam præscriptionem, quam in famulorum, & operariorum salario induxerunt quædam Statuta ex relatis per *Surd. decis. 24. Ann. singular. 422.* Andreol. *contr. 245.* cum aliis per Zacch. de Salas. *quæst.* 105. 3

Nihilominus quoad ea quæ juris sunt, dicebam etiam in sensu veritatis, quod nisi extrinsecæ accederent circumstantiæ quæ fraudem, & circonventionem redolerent, pro ipso reo absolvendo responderi deberet, cum ipsæ alienationes haberent jam Statuti solemnitates, prima vero conventio, ex qua debitum oriebatur, cum successiva præstatione servitii justificatum, illis non indigeret.

Ad id autem ita sentiendum Me principaliter impellebat, 4
illa valde considerabilis circumstantia in præcedentibus, & alibi pluries considerata quod scilicet ipsa mulier veritatis conscia nunquam vivens conquesta est, quamvis etenim, stante decreto annullativo Statuti per quod ejus forma non servata contractus pro infecto habendus est; verius in puncto juris, magisque receptum sit, ut etiam ad hæredem transmittatur ista actio, attamen circumspective in hac materia procedendum videtur, quando ista accedat circumstantia, quod scilicet ipse principalis contrahens donec supervixit, non reclamaverit neque impugnaverit, nullumque contradictionis actum fecerit, non quidem ut ista acquiescentia simpliciter, & de per se apta sit revalidare actum ab initio invalidum, dum ex pluries instituata, ac recepta conclusione ad hunc effectum requiritur nova positiva explicita vel implicita voluntas cum requisito scientiæ nullitatis, tam facti, quam juris, juxta nimium frequentes, ac notorias decisiones, sed ut non generaliter in omni casu paritormiter in hoc procedendum sit, sed regulandum potius veniat arbitrium seu judicium ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus ad bonam, vel respective malam fidem inferatur, quoniam iniquum, ac irrationabile videtur, ut muliere vel minore facto majori acquiescente, quia veritatis conscia se debitricem agnoscat, quodque actus esset sincerus, adeout ejus anima alias gravata remaneret, ita præter ejus intentionem, & contra bonam fidem, ac veritatem, ab ipso vivente agnitam, hæredi ad lucrum, & locupletationem, ex quodam indiscreto, & irrationabili rigore, licitum esset improbare illum actum, quem principalis donec vixit semper approbavit, ejus animam ita gravando, ideoque ut sæpius advertitur, hujusmodi leges in spiritu, vel in ratione magis quam in littera attendi deberent, respiciendo scilicet ad finem, ob quem conditæ sunt, & an controversis casibus congruat necne illarum ratio, ut quandoque, licet raro, per Rotam practicatum habemus præsertim *dec. 495. p. 13. rec.* & in aliis *sup. disc. 32. & seq.* & in aliis advertitur.

Verum ubi etiam, hujusmodi consideratione neglecta, cum 5
summo rigore procedendum esset, adhuc tamen dicebam, quod solemnitates non essent necessariæ ex qualitate contractus, in quo ex communi usu hujusmodi solemnitates ratione currentis commercii adhiberi non solent, eodem modo quo non adhibentur in locationibus, & conductionibus domorum, & in conventionibus pro salariis, & mercedibus famulorum, vel operariorum, sive in emptionibus, & venditionibus mobilium usualium; vel semoventium, concernentium victum, & vestitum aliosque currentes usus, ob nimium incommodum, quod commercio pararetur, ideoque idem dicendum esset in hac specie conventionis, cui eadem in omnibus ratio congruit, quamvis enim iste actus aliquam

quam habeat majorem suspicionem ob depravatam conditionem eorum quibus rabularum forensium potius quam Curialium nomen congruit, ut advertitur *d. disc. 46. in relat. Cur.* Attamen id procedere quidem deberet prædictam cumulorum prohibitionem, sive hujusmodi contractuum a professionis exercitio extraneorum irritationem ex eisdem
6 sationibus de quibus *sub tit. de test. disc.* 51. ubi de Medico vel Judice, & aliis ibi enunciatis, non autem ex illo capite non adhibitarum solemnitatum, cum rationabiliter ex subjecta materia non sint in usu.

7 Ad hunc autem effectum ponderabam verba Statuti restricta ad dictos quatuor contractus, adeout usque ad initium currentis sæculi sub dubio nimium esset, an extra illos servandum esset, quod cum acerrimis disputationibus actum fuit, ut patet ex tot discursibus, ac votis, & decisionibus registratis per Fenzon. *ad idem Statutum* 151. plerisque procedentibus cum Statutorum regula de qua in eorum peculiari sede *de succession. ab intestat. & præsertim disc. 15. & disc. 35. de judic.* super eorum stricta, & rigorosa intelligentia ad litteram, sive ad limites verborum, quacumque prohibita extensione rationis identitate quinimmo majoritate neglecta.

8 Quamvis autem (& quidem probabiliter) ex magis communi sensu decisum fuerit, ut demonstrative potius, quam taxative præfati quatuor contractus exprimantur, ideoque in omnibus aliis quibus eadem ratio congruat, Statutum attendi debeat; & potissime ob aliquam retroactam observantiam, tanquam interpretem, attamen id nimium considerabile in hoc proposito dicebam ad ignoscendum id quod supra insinuatum est, quod scilicet nostri Majores, non in littera, sed in spiritu illud intellexerint, & consequenter quod eodem sensu retento trahi non deberet ad illos actus quibus non assisteret, sed potius resiliret, non solum observantia, sed etiam ipsa ratio commercii, eodem modo quo ut supra in locationibus, & conductionibus domorum, aliisque usualibus contractibus praxis docet, atque exinde moneri deberent Judices Christianorum rationabilium potius quam Judæorum litteralium stylum in hujusmodi legum intelligentia, & praxi adhibere, in spiritu scilicet, vel in ratione potius quam in littera, non autem generales propositiones omnibus casibus indefinite, & patiformiter applicare; nullatenus ad diversas circumstantias bonam, vel respective malam fidem arguentes reflectendo quod nil detestabilius, nilque ineptius, ut etiam pluries in præcedentibus, *& præsertim disc. 33. & disc. 35. de judic.* & alibi advertitur.

ROMANA CENSUS
PRO JACOBO DRAGONDELLIO
CUM FRANCISCO.

Casus disputatus in Tribunali Fabricæ, resolutus pro Jacobo, & postea concordatus.

De obligatione mulieris, an & quando exigat causam ex Statuto 151. Et an ille, qui auctorizavit actum tanquam curator, possit illum impugnare tanquam hæres mulieris.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Tutor, vel curator non impugnat actum gestum cum ejus auctoritate.*
3 *De eadem conclusione, quando & quomodo procedat.*
4 *Quæ considerationes in hoc proposito fieri debeant.*
5 *De differentia inter Curatorem generalem, & particularem.*
6 *De eadem conclusione, de qua n. 2.*
7 *De alia consideratione habenda in regulatione contractuum minorum, & mulierum super intelligentia Statuti.*
8 *Attendi debent opiniones cum quibus vivebatur de tempore actus.*
9 *De eodem, de quo n. 7.*

D I S C. LXVI.

1 IMposuit mulier de anno 1639. Censum cum decreto Judicis, & cum interventu Curatoris, loco proximiorum, atque donec vixit nullum fecit impugnationis actum, cumque ejus defunctæ hæreditas obvenisset in Franciscum qui fuerat Curator in contractu, pulsatus iste per creditorem, vel ejus cessionarium coram Judice Fabricæ, cujus erat subditus ratione muneris, opposuit de nullitate actus, ex eo quod causa narrata non verificaretur in parte, ideoque non constaret quod contractus fuisset utilis, vel saltim non damnosus mulieri, juxta opinionem, cum qua hodie proceditur ex pluries supra insinuatis, sed hoc non obstante pro creditore judicatum fuit, cumque in alia instantia per Judicem a Congregatione deputatum aliquæ haberentur difficultates super formalitate solemnitatum materialium, quod scilicet mulier haberet quendam conjunctum non citatum, id concordiæ ansam dedit.

Quatenus itaque pertinet ad prætensum defectum causæ, super quo pro creditore scripsi (cum alter defectus in alia instantia excitatus, haberet solam inspectionem facti) ex duplici fundamento dicebam, etiam cum aliquo sensu veritatis, respondendum esse pro creditore, primo nempe quod ubi etiam contractus impugnabilis esset per ipsam mulierem, vel etiam per alterum ejus hæredem, non tamen impugnari posset per ipsum reum conventum, in quem hæreditas obvenerat, dum contractum auctorizaverat, tanquam 2
curator, tam ex auctoritate firmantium quod contractus initus per minorem, vel per pupillum impugnari quidem potest ab ipso principali, vel ab alio successore, ejus personam, & jura repræsentante, non autem per Tutorem, & Curatorem, qui doli exceptione repelli potest, ex deductis per Menoch. *cons.* 58. *n.* 36. Mastril. *dec.* 287. *n.* 42. *& seqq.* add. ad *dec.* 510. *n.* 24. *& seqq. p.* 5. *rec.* Dunozet. *dec.* 611. *n.* 1. *& seqq. repetit. dec.* 42. post Merlin. *de pignor.*

Tum etiam ex nimium probabili ratione, quæ sola sufficere deberet, ubi etiam legales auctoritates non haberemus, vel quod illæ non percuterent casum præcisum Curatoris particularis adhibiti pro sola formalitate ad satisfaciendum Statuto, absque eo quod se obligaret una cum minore, vel muliere, & cum quo præsupposito suæ obligationis loquuntur dictæ auctoritates, quod scilicet cum ipse curator, juxta solitum formularium, asserat Judici, qui ejus magis quam mulieris fidem sequitur, quod contractus non tenderet in damnum, sed potius in utilitatem mulieris, asserendo causam esse veram, ita alter contrahens, ejus fidem quoque secutus est, ac propterea resultaret inconveniens in jure damnatum, & de quo præsertim habetur *sub tit. de censibus*, occasione agendi de censu imposito super fundo non suo, vel non capaci, ut mendax commodum reportaret ab ejus mendacio, & falsa assertione contra innocentem, qui ejus fidem secutus est. 3

Ponderando in idem qualitatem personarum, ac etiam effectum ad quem de hoc agebatur, quoniam creditor ad cujus favorem census impositus fuerat erat persona simplex, & idiota, in qua nulla fraudis, & captionis suspicio cadebat, cum sors vere, & effective tradita fuisset, & e converso curator aliquam habens attinentiam cum muliere impositrice census, erat Causidicus de illo parum commendabili ordine, qui recensetur *disc. 46. in relat. Curiæ*, dum vacabat muneri unius ex Procuratoribus Fabricæ, quod in Curia sufficit indicare pro ejus qualitate exprimenda. 4

Ac etiam circa effectum, quod non agebatur de illa actione doli, quæ alteri contrahenti cum pupillo, vel cum minore impugnante actum quandoque competit contra Tutorem, vel Curatorem, adeout per quandam speciem pœnæ damnificatus de proprio remanere debeat, & quo casu strictius procedendum est circa probationem doli, & deceptionis, ac propterea praxis nunquam id docet, præsertim contra istos Curatores particulares pro quadam formalitate adhiberi solitos, quamvis nimium commendabile atque Reipublicæ expediens videretur ut hujusmodi Curatores, ac etiam Judices, qui cum nimia facilitate, nullatenus advertendo ad finem, ad quem adhibentur interponunt decreta, contenti solum propina, seu emolumento uni, vel alteri contrahenti, reficerent, ut id quod interest, quoties ex parte alterius contrahentis non concurrat probabilis suspicio doli, & fraudis. 5

Sed idem Curator contendebat potius de lucro captando, & de se locupletando de alieno, quoniam possidens bona hæreditaria debitricis, quæ veritatis conscia bonam fidem agnoscendo, donec vixit nunquam conquesta est, nullumque fecit impugnationis actum, ita ab hoc onere, se eximere satagebat, ut de curatore possidente bona principalis habetur per add. ad dictam *dec.* 510. *p.* 5. *rec.* Itaque ac similes considerationes a Judicibus præ oculis haberi debent, hujusmodi causas regulando, & decidendo potius cum circumstantiis facti quam cum generalibus propositionibus, & cum Judaicis formalitatibus Juristarum, ut pluries in præ- 6

præcedentibus advertitur; semper tamen congruum, & opportunum est repetere, & inculcare.

7 Præterea, ubi etiam hujusmodi circumstantiæ cessarent, adeout per ipsammet mulierem actos impugnaretur, quodque procedendum esset per rigorosos apices juris, & cum consuetis irrationabilibus formalitatibus. Adhuc tamen advertebam idem quod pariter in præcedentibus pluries advertitur, quod scilicet clarus videatur error de præsenti, quod recedendo ab intermedia opinione, proceditur cum antiqua magis rigorosa desiderandi veritatem causæ de facto, & de jure regulare illos contractus, qui initi essent in eo tempore, in quo tenebatur diversa opinio, juxta *dec.* 56. post Pacificum, *& decis.* 33. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *cum similibus*, dum contrahentes, ubi etiam eis licet idiotis objici posset id, quod quandoque cum indiscreto, & irrationabili rigore objici solet ex pluries insinuatis *sub tit. de usur.* quod scilicet consulere debebant Peritos, adhuc ab illis responsum fuisset, quod non tenebantur inquirere hanc rigorosam veritatem de facto, & de jure, stante quod Rota a cujus sensibus inferior Curia forensis pendere videtur, tunc in ea residebat opinione, cum qua propterea procedi debet in regulatione illorum actuum, qui de eo tempore initi sunt, cum alias daretur magnum inconveniens, quod contra-
8 hentes ab hac publica fide remanerent decepti, ut in proposito transactionis bene advertitur apud Otthob. *dec.* 25. *n.* 12. & alibi, quoties præsertim non constet de dolo, & circumventione creditoris, vel alterius contrahentis.

9 Multo igitur magis in hac facti specie, quod ea personali qualitate creditoris, atque ea sinceritate actus, veræ, & effectivæ traditionis sortis, ista suspicio penitus cessabat, & quod magis est, ipsa mulier debitrix veritatis recte conscia, hanc bonam fidem agnoscendo vivens nullum fecerat impugnationis actum, vel signum dederat, itaque videtur verus, ac proprius modus, cum quo hujusmodi controversiæ decidendæ sunt.

SPOLETANA CENSUS PRO RODULPHO PAULINO.

Responsum pro veritate.

De obligationibus, & contractibus minorum, & mulierum in Regno Neapolitano, *& de pragmatica prima Senatus Consulti Vellejan.* Et quid ubi contractus sequatur extra Regnum, & de differentiis inter minores, & mulieres.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod in Urbe periculosum sit contrahere cum minoribus.*
3 *De jure communi tum quo vivitur in Regno Neapolitano juramentum tollit omne obstaculum.*
4 *De inconvenientibus resultantibus a divisione Principatuum.*
5 *In Urbe melior est conditio minorum quam mulierum.*
6 *Juramentum in minoribus non tollit beneficium restitutionis in integrum.*
7 *Quando hoc beneficium competat, & an id prosit.*
8 *Quando minor ætas perficitur, & de varietate.*
9 *De causa ob quam valeat obligatio mulierum.*
10 *De pragm.* 1. ad Vellejan. in Regno Neapolitano.
11 *De alia pragm.* 1. ad Macedonian.
12 *Qualis locus attendi debeat, an contractus, vel domicilii.*
13 *An ista quæstio intraret in casu ad aliquem effectum.*

DISC. LXVIII.

1 Imposito per Jo: Nicolaum Varallom, de Oppido Leonissæ in Urbe ubi moram trahebat, censu ad favorem Rodulphi Paulini super bonis in eodem Oppido existen. cum obligatione insolidum Lucretiæ Matris, & Caroli Antonii fratris minoris adhibitis solemnitatibus Statutorum Urbis, ubi etiam morabantur, cum expressione causæ æris alieni dicti Jo: Nicolai, cujus carceratio imminebat, ac etiam pro aliquibus domus indigentiis, cum defuncto non solvendo, vel defecto præfat. Jo: Nicolao, Rodulphus creditor pro fructibus decursis ageret ad bona censita possessa jure dotium per dictam Lucretiam in patria commorantem, coram Judice loci per eam oppositum fuit de invaliditate obligationis ex dispositione *Regiæ pragmaticæ primæ ad Vellejanum*, dum Oppidum prædictum, quamvis Urbi proximum, adeout in eo ejusque territorio illius cives præsertim hyberno tempore pro majori parte ex causa industriarum, accidentalem moram trahant, atque in spiritualibus subjaceat partim Episcopo Spoletano, & partim Episcopo Reatino, ut occasione consimilis divisionis illius Oppidi inter duas Ecclesias insinuatur *disc.* 24. *de jurisd.* attamen in temporalibus pertinet ad Provinciam Aprutinam Regni Neapolitani, quare ex parte Rodulphi desuper consultus fui.

Distinguendo itaque personam minoris ab illa mulieris, 2
quatenus ad primam pertinet, respondi quod ubi habenda non esset per Judices de Partibus ratio solemnitatum Statutorum Urbis, ut non haberi supponebatur, tunc posita ejus idoneitate, id ipsi creditori magis expediret, cum minorum commercium valde periculosum sit in Urbe ob Statutum 151. & generaliter in omnibus obligationibus, & contractibus, juxta sæpius insinuatam opinionem, cum qua hodie vivitur, non sufficiunt solemnitates materiales decreti Judicis, & interventus proximiorum, vel eorum loco Curatoris, nisi verificetur etiam causa utilis, vel non damnosa, multo vero magis in hac facti specie quod agebatur de impositione census, quam receptum est æquipollere alienationi bonorum stabilium, ideoque cumulative servari quoque debet forma alterius Statuti 113. ut in specie impositionis census habetur *supra disc.* 28.

E converso autem in Regno prædicto per illas Consti- 3
tutiones, vel pragmaticas nihil dispositum est quoad minores sui juris, ideoque proceditur cum dispositione, ac terminis generalibus juris communis, quibus attentis, ut pluries insinuatum est, ea quæ per jus civile disposita sunt super alienationibus, aliisque contractibus præjudicialibus minorum, quodammodo ab aula recessisse videntur ratione juramenti, quod hodie transit in abusum, atque in omnibus instrumentis interponitur tanquam clausula de stylo Notarii apponi solita, ut frequenter, improbative tamen, advertitur, & per consequens intrant ea quæ habentur *per Civilistas in Authent. Sacramenta puberum, Cod. si adversus vendit., & per Canonistas in cap. cum contingat, de jure jurando, & c. per vestras, de donat. inter vir. & uxor.*

Unde sequitur sæpius insinuatum inconveniens, quod 4
in Italia ob divisionem tot Principatuum, ac legum, & morum diversitatem in omnibus pene materiis experimur, ut in pene adjacentibus locis in uno justitia albam, & in altero nigram, sive in uno rubeam, & in altero viridem, & in altero alterius coloris vestem habeat, ut præsertim cum majori inconvenienti ob mixturam Fori interni praxis docet in materia usurarum, & interusuriorum, ac censuum, & cambiorum.

Hinc sequitur quod in Urbe, ejusque districtu ob præ- 5
dictorum Statutorum dispositionem melior sit conditio minorum quam mulierum, non solum quia cum istis sufficit servare formam Statuti 151. cum illis vero tam ejusdem, quam alterius 113. forma cumulative servari debet, sed etiam quia in aliquibus casibus præsertim in causam dotis, mulier etiam absque necessitate valide contrahit absque solemnitatibus, secus autem in minore, in quo id non procedit nisi ex causa necessaria, ex pluries insinuatis *in sua sede sub tit. de dote*, e contra vero in dicto Regno, deterior est conditio minorum, cum quibus nulla habetur prohibitio, quam mulierum ut infra.

Et quamvis etiam in Regno, non solum ex jure, vel 6
stylo particolari, sed retentis eisdem terminis juris communis, recepta sit conclusio generaliter de jure vera, ut juramentum non adimat minoris remedium restitutionis in integrum ex capite læsionis, ea firmatis præsertim per Rovit. *sup. pragm.* 1. *de minor. n. fin.* Burat. *dec.* 75. *ubi add.* Capyc. Latr. *consult.* 45. Noguerol. *alleg.* 34. & communiter, quod nimium de facili ubique practicandum venit ob supradictam rationem, quod juramenti interpositio hodie transiisse videatur in abusum, adeout revera non adaptetur illa ratio, ob quam apud antiquiores juxta illorum temporum mores illi tanta vis tribuitur, unde quando ista temporum, vel morum differentia non reputetur sufficiens ad faciendum cessare prædictorum jurium dispositionem, saltim nimium attendi debet ad hunc effectum, ut de facili istud remedium rejiciendum sit.

Attamen ista dicitur via magis longa minusque proficua, 7
quam sit illa Statutorum Urbis, vel similium habentium decretum annullativum ipso jure, non obstante juramento, non solum quia illud agendum est in judicio ordinario altioris indaginis non apto retardare judicia exequutiva, præsertim illud rigorosum vitæ *magnæ Curiæ Vicariæ, de quo disc.*

116. da

116. *de credito*; *& disc.* 42. *de Judic.* & alibi. Sed etiam quia ex parte minoris recurrentis ad hoc beneficium concludenter justificanda est læsio, sine qua illud non conceditur, etiam ubi agatur de minore fidejubente, quoniam licet fidejussio reputetur actus de sui natura damnosus, attamen id non sufficit, nisi probetur læsio, quæ deesse valeat ob idoneitatem principalis juxta magis communem opinionem, de qua late apud Capyc. Latr. *d. consultat.* 45. *nu.* 16. *& seqq. ubi concordantes*.

8 Alia quoque accedente differentia inter istum Principatum, & illum in minoribus, quod scilicet in dicto Regno generaliter minor ætas perficitur in anno decimo octavo, in Urbe autem ex Statuto in anno vigesimo; in reliquo vero statu Ecclesiastico magna dignoscitur varietas, ob qua præsertim in Republica litteraria Juristæ merito contemptibiles reputantur, ut scilicet alicubi vigeat dispositio juris communis, ut minor ætas protrahatur ad annum vigesimum quintum, alicubi vero sit in breviori ætate juxta diversa Statuta, quamvis agatur de locis adjacentibus ejusdem pene coeli eorumdemque morum, ut propterea ille, qui uno loco reputeretur prudens, & habilis ad contrahendum, transferendo domicilium in alterum, efficiatur imprudens, & inhabilis, & e converso, quo nil ineptius, ut clarius explicatur in alio opere Italici idiomatis.

9 Quo vero ad obligationem mulieris respondi resolutionem pendere ab eodem puncto, an scilicet re vera immineret carceratio filii, adeout causa narrata verificaretur, unde dicenda esset necessaria ea illa necessitate morali, quam inducit natura in maternis visceribus, & quæ causa justa reputari solet ex relatis per de Luc. ad Franch. *dec.* 578. cum aliis, de quibus supra *disc.* 33. & alibi, ubi etenim id non bene verificaretur, ut ea facti circumstantiis dubitari posse videbatur, saltem in parte notabili dixi quod nimium dubitari poterat, sive actus regulandus esset juxta leges unius sive alterius loci.

10 Attento siquidem Statuto Urbis, illi satisfactum quidem erat cum solita formalitate solemnitatum materialium, quæ speciem quandam cæremoniæ inutilis importare dicuntur quando deficiat causa, sive deficiat ille finis, vel effectus, ob quem desideratæ sunt, ut pluries in precedentibus advertitur, & e converso ubi procedendum esset cum legibus patriæ, adhuc idem dicendum veniret, quoniam licet dicta pragmatica prima ad Vellejan. in verbis percutere videatur solas obligationes, vel alios contractus factos pro Viro, attamen receptum est procedere in omnibus accessoriis, vel fidejussoriis obligationibus, quæ pro alio fiant, adeout non propriam, sed alienam obligationem mulier suscipiat, Franch. *dec.* 279. *&* 578. Merlin. *contr.* 55. *p.* 1. Prat. *discep.* 32. *lib.* 2. *& discep.* 5. *l.* 3. de Luca ad Franch. *dec.* 578.

11 Neque suffragari posse advertebam juramentum, per quod regulariter hujusmodi localium legum similarium dispositio cessare solet, ut in specie alterius pragmaticæ ad Macedonium circa obligationes, aliosque actus filiorumfamilias habetur apud Buratt. *dec.* 44. & in aliis relatis *disc.* 143. *de dote*, ac etiam non semel in præcedentibus, attamen in hac lege contrarium dicendum venit, magisque receptum est ut juramentum nullam faciat operationem ob indirectam ejus enervationem, quia nempe actus præsumitur dolo extortus, ut agendo in specie de ista pragmatica habetur *disc.* 143. *de dote*, *n.* 61. ut advertitur pluries supra.

12 In dicto autem concursu legum localium, an scilicet attendenda esset dicta lex Regni tanquam originis, vel domicilii, aut illa Urbis, in qua mulier accidentaliter morabatur, probabilius respondi, ut hæc posterior attendi deberet, quodque propterea erronea esset opinio, in qua supponebatur resideri, quoniam juxta superius insinuata *disc.* 29. *& in aliis*, pariter dicenda venit quæstio potius facti quam juris ex facti qualitate, & circumstantiis regulanda, an scilicet extra propriam patriam, vel domicilium actus initus fuerit sincere, & bona fide, quia nempe ex alio motivo ad notabile tempus mulier in eo loco moram traxerit cum incertitudine, an ulterius permansura sit, ac propterea alter contrahens juste eam opinari potuit incolam, seu domiciliariam, quamvis accidentalem, seu occasionalem, quoniam ista distinctio domicilii fixi, veri, vel occasionalis, percutit diversum effectum contrahendi, vel non contrahendi veram civilitatem pro istius favoribus, & odiis, ac oneribus juxta celebres decisiones Rotæ in Firmana codicillorum apud Otthob. *dec.* 145. *&* 290. *p.* 10. *rec. cum aliis*, *disc.* 37. *de praem.* ubi de hac materia civilitatis, & alibi.

Secus autem ad hunc effectum, quoniam præsertim in magnis, & Metropoliticis Civitatibus, quæ forensibus magis quam originariis repletæ videntur, esset tollere commercium illorum incolarum, qui non essent originarii, sed occasionaliter essent tales, ex quibus Romana, præsertim Civitas ratione Curiæ, ac etiam ratione culturæ ejus magni, & apti territorii, aliarumque rerum ad rem agrariam, ac etiam ad mercaturam, aliasque industrias pertinentium contingit, cum creditor, vel alter contrahens, qui non bene conscius de tali mora accidentali divinari non possit, neque subtiliter indagare teneatur ex qua causa, & quonam animo illa persona in Urbe moretur, secus autem si creditori, vel alteri contrahenti id verisimiliter innotescat, & propterea cadat præsumptio ut affectate ad fraudandam legem patriæ originariæ, vel vere domiciliariæ accesserit, ad instar eorum quæ habentur pluries in proposito filiifamilias se asserentis patremfamilias, sive minoris se asserentis majorem, cum similibus.

Non negabam etenim veritatem distinctionis, cum qua supponebatur per Judicem de partibus procedi inter solemnitates, quæ respiciant habilitationem personæ, & illas quæ respiciant formam actus, ut priori casu non suffragetur actum sequi extra territorium statuentis ex plene deductis *d. disc.* 143. *de dote num.* 42. *& disc.* 21. *de donat.* sed dicebam quod id discrete pro facti qualitate juxta prædictam distinctionem, intelligendum esset.

Inutilis tamen ad rem ista quæstio videbatur, quoniam sive unus, sive alter locus attendi deberet, effectus erat idem, quinimmo ubi attendi deberet locus contractus juxta opinionem, in qua hodie Rota, & Curia residet, magis rigorose super veritate causæ tam de facto quam de jure proceditur, longeque facilius mulierum contractus annullantur, ut patet ex tot casibus de quibus supra *hoc tit.* & alibi, ac propterea ubi creditor dubitare posset de sufficienti justificatione causæ narratæ, illi consului quod curaret eo meliori quo posset modo se concordare, quodque alias non contentus parte, aleæ litis exponeret amissionem totius, incertum tamen est quid sequutum sit. 13

CREMONEN. REFECTIONIS DAMNI PRO JOANNE BAPTISTA FELINO.

Responsum pro veritate.

An in casu validitatis alienationis, vel contractus ille in cujus damnum, & præjudicium tendat annullatio ob alterius contrahentis impugnationem, actionem habeat contra Notarium pro damni refectione.

SUMMARIUM.

1 *Falsi series.*
2 *An & quando Notarius teneatur partibus ad interesse de vitio instrumenti?*
3 *Et quid de illo Notario qui sit ordinarius Cancellarius loci pii versantis sub necessaria administratione.*

DISC. LXVIII.

Cum Claudia vidua sub narrativa quod esset tutrix, & curatrix legitime declarata seu ejus filiorum, accepisset ad censum a Fabrica Ecclesiæ Cremonensis liberas tres mille ex dispensatione sibi concessa per Senatum Mediolani, filii vero facti majores contractum impugnassent, ac forte invalidum declarari obtinuissent ob minus veram narrativam prædictam, quod dicta mulier servatis servandis legitime tutelam filiorum suscepisset, hinc Fabricæ administratores pro damni refectione se direxerunt contra Jo. Baptistam Notarium de instrumento desuper inito rogatum ejusdem Fabricæ ordinarium Cancellarium; quasi quod ejus culpa ad id non bene advertendi, istud damnum provenerit, unde desuper ea parte Rei conventi pro veritate consultus 1

Respondi quæstionem hanc in specie, antiquioribus relatis, tractari per Farinac. *de falsit. q.* 157. *par.* 1. *a n.* 1. *ad* 18. ubi allegantur Plotus, & alii, atque concluditur, & probabiliter, quod aut constat de dolo vero Notarii, & tunc utpote in claris nulla cadat quæstio pro refectione, aut vero de hoc non constat adeout versemur in dubio, atque inspiciendum sit, an adsit dolus præsumptus, & tunc quicquid DD. pro eorum consuetudine varient, decisio pendere videtur a circumstantiis facti, an scilicet illæ redoleant malitiam, vel e converso simplicitatem, ut priori casu Notarius teneatur, posteriori autem secus; quæstione cadente in ambiguo, quarnam qualitas potius præsumenda sit, & in qua probabilius pro communi usu, & praxi regula, vel præsumptio, quæ transfundat onus probationis in contrarium assistit simplici- 2

plicitati pro exclusione delicti ex deduct. per Farinac. ubi supra Ludov. *dec. Lucen.* 13. *num.* 67. *& seqq.* Rovit. *pragm.* 1. *de Notar. n.* 7. *&* 8. apud quos alii antiquiores.

Verum hæc omnia ita insinuata pro notitia materiæ extranea esse dicebam a casu, quoniam DD. sive unam sive alteram tenentes opinionem loquuntur omnes cum præsupposito quod vitium non sit intrinsecum, & essentiale incontractu ratione inhabilitatis contrahentium, vel doli, & læsionis, seu metus, vel alterius similis defectus, sed sit in instrumento ob omissas solemnitates, & clausulas consuetas, & notas pro communi Notariorum stylo, & formulario adjici solitas, ut (exempli gratia) sunt numerus testium, nomen Principis, annus, & indictio, clausula actuum, & similia; vel quod Notarius non habens cognitionem personarum admiserit personas suppositas, quod diversam habere solet praxim pro diversis Principatuum legibus, vel stylis. In præsenti autem defectus ex his non proveniebat, cum instrumentum esset undequaque bene confectum, sed defectus proveniebat a potestate dictæ mulieris, quæ falso se asseruit legitimam tutricem, ac etiam falsam expressit causam, de quibus ad Notarium non pertinet, cum sibi sufficiat satisfacere in iis quæ pertinent ad ejus officium, & pro quibus censetur rogatus ex deductis *disc.* 57. *de testam.* & alibi, adeout
2 considerando Notarium tanquam talem, ita simpliciter rogatum de confectione instrumenti, casus videretur disputationis dote indigens, potissime quia in instrumento intervenerat etiam Judex loci Juris peritus.

3 Ratio vero dubitandi in eo consistere videbatur, quod iste non erat Notarius extraneus, qui accidentaliter a partibus contrahere volentibus rogatus esset de instrumenti confectione, sed erat Secretarius, vel Cancellarius dictæ Fabricæ creditricis, quæ est corpus immaturum vivens sub legali, & necessaria administratione, adeout culpæ incapax, & per consequens, ut culpa in non bene perquirendo veritatem narratorum Senatui, ac etiam veritatem causæ, & versionem pernecesse referenda est illis administratoribus, quibus ex officio hujusmodi diligentiæ incumbunt juxta ea quæ habentur, agendo de Computista seu ratiocinatore Montis Pietatis *discur.* 15. *de tutor. & administrator.* Verum super hoc responsum dare non potui neque judicium pro veritate efformare ob deficientes facti notitias, probabiliter tamen videbatur, quod non applicarentur ea, quæ habentur *d. disc. de tutor.* ex iis quæ communis praxis docet in pluribus locis Urbis, aliarumque Civitatum, quod scilicet habeant Advocatos & Procuratores, aliosque Sapientes, & peritos, per quorum manus negotia tractantur, Notarius autem, vel Cancellarius sit simplex minutor, qui adnotet resolutiones, & decreta, aliaque faciat ad inferioris, & subordinati ministri munus pertinentia.

FERRARIEN. TENUTÆ
PRO NICOLAO FRESCOBALDO
CUM DUCE MUTINÆ.

Causa pendet in Rota.

De Constitutionibus Apostolicis prohibentibus alienationem in forenses, istosque inhabilitantibus ad acquisitionem, & retentionem bonorum in Statu Ecclesiastico, an & quando procedat?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Qualem speciem Status Ecclesiastici complectantur Apostolicæ Constitutiones super forensibus.*
3 *An leges latæ pro Statu immediato comprehendant loco postea devoluta.*
4 *An Constitutiones revocatoriæ capiant concessiones ex contractu.*
5 *Capitula pacis fortius obligant.*
6 *De potestate Principis derogandi pactis, & conventionibus.*
7 *De Principe supremo quando consideretur tanquam subditus.*
8 *De intelligentia legum prohibentium alienationem in forenses.*
9 *Privilegium libertatis alienandi in forenses concernit favorem venditoris.*
10 *Actus consequutivi, & dependentes non habentur in consideratione.*
11 *Annullato actu, an veniant fructus.*
12 *An, & quando conditio sit resolutiva ex nunc ab initio, vel ex tunc, & de effectibus exinde resultantibus.*
13 *De resolutione Rotæ, & de motivo novationis.*

D I S C. LXIX.

IN concordia Faventina nuncupata, eo quia occasione devolutionis Ducatus Ferrariæ inita fuit in civitate Faventiæ inter sedem Apostolicam, & Ducem Mutinæ pluries enunciata & præsertim *disc.* 2. *de feud.* conventum fuit inter alia, ut in bonis allodialibus quæ in Ditione dicti Ducatus penes ipsum Ducem remanebant, deberent ipse, ejusque successores quicumque, potiri iisdem immunitatibus, franchitiis, libertatibus, privilegiis, & prærogativis, quibus ultimus Alphonsus, aliique Duces prædecessores potiebantur; cumque inter alia bona hujusmodi esset quædam magna Tenuta nuncupata Diamantina, quam de anno 1649. Dux Franciscus vendidit Carolo Mariæ Frescobaldo Florentino pro pretio scutorum centum octuaginta quinque millium, ad aliquot vero menses nempe de Mense Febr. 1650. supervenerit rigorosa Constitutio Innoc. X. in Bulla 45. super forensium incapacitate, ac retractatione omnium alienationum quæ in forenses factæ essent, idcirco stante præsupposito facto per Ministros Ducis dicti Francisci Mariæ quod nimium timeri posset de comprehensione istius alienationis sub dicta Constitutione, quodque propterea infra præfinitum terminum expediret ad rescissionem devenire, eam fecit sub conditione quatenus Constitutio eam comprehenderet, & non alias, aliter nec alio modo, adeout in casu non comprehensionis habeatur, ac si facta non esset. 1

Sequuta postmodum dicti Caroli Mariæ morte, Nicolaus Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ Canonicus ejus frater, & hæres, consilio habito a pluribus Romanæ Curiæ, aliorumque locorum Jurisconsultis super non comprehensione hujus alienationis sub dicta Constitutione, judicium associationis contra Ducem successorem instituit coram A. C. seu Prælato deputato, atque coram isto per plures menses disputata causa, supervenit ad instantiam Ducis rei conventi rescriptum, ut Judex procederet de voto Rotæ, atque in hoc statu causa pendet absque aliqua disputatione in Rota coram Albergato Decano coram quo post hæc jam scripta *sub die* 13. *Maji* 1676. cum votorum tamen scissura prodiit resolutio pro non exequutione contra actorem ex fundamento novationis, de quo infra in fine.

In disputationibus itaque habitis coram dicto Prælato in forma contradictoria, ac etiam in pluribus congressibus Advocatorum hujus partis actricis pro directione, ultra ea, quæ concernebant ordinatoria, & competentiam intentati judicii, super quibus nimium, peneque omnino certatum fuit, quatenus pertinet ad merita negotii principalis, de tribus actum fuit, primo nempe de dicta non comprehensione, secundo an ea posita adhuc obstaret rescissio, & tertio super fructibus medii temporis.

Quoad primam advertebam, quod de tempore, quo prodiit Constitutio tertia Sixti V. quæ est prima, & originalis in hac materia, ista tenuta non erat de statu Ecclesiastico immediato, de quo solum illa disponit, non autem de vere mediato, idest infeudata in feudum regale veræ Dignitatis, cum verba *mediato*, *& immediato* adjici solita, intelligenda veniant de illa mediatione impropria, quæ consideratur in locis Baronalibus, ut occasione Bullæ Baronum advertitur *disc.* 74. *&* 83. *de feud. & alibi*. 2

Et quamvis postmodum sequuta sit feudi devolutio, attamen scribendo more Advocati allegabam firmata per Rotam in casu, de quo *dict. disc.* 83. *de feud.* ut non per hoc iste Status caderet sub Bullis jam editis; Verum reflectendo ad veritatem, agnoscebam, quod motivum non esset tutum, tum quia contrarium videtur probabilius ex deductis *eod. disc.* 83. *de feud.* quia stante devolutione dicitur sequuta consolidatio illius partis cum antiqua integritate, tum clarius ob superventas Constitutiones Clemen. Octavi, Pauli Quinti, Urbani Octavi, & prædictam Innocentii editam per viam declarationis, ut propterea capiat etiam præterita, dum de tempore editionis istarum Constitutionum, jam sequuta fuerat devolutio, istaque pars effecta erat de corpore immediato. 3

Eodem tamen veritatis sensu retento, solidum credebam alterum motivum, ut ob dictam expressam conventionem, bona tunc in eo libertatis statu existentia, atque his restrictionibus non subjecta, suam continuassent, ac retinuissent, & retinerent libertatem, perinde ac si devolutio sequuta non esset, adeout ista Ditio continuaret in qualitate vere mediata, eodem modo, quo in cognitione causarum, & ne illi ci-

ves

ves trahantur ad Curiam, & extra proprios lares, ac etiam non subjectione aliquibus aliis Constitutionibus, & præsertim illi Boni Regiminis, & aliquibus oneribus praxis docet in ista Civitate, & ditione Ferrariensi, ac etiam in altera Bononiensi, atque in proposito jurisdictionis, ne illæ causæ trahantur ad Curiam, advertitur *sub tit. de jurisd. disc.* 80. & insinuatur occasione Status Urbini a simili *disc.* 2. *de donat. & alibi*.

Et quamvis in hac Civitate adsit Statutum istis Constitutionibus conforme super incapacitate forensium, & de quo, aliis relatis in specie, agitur apud Royas *dec.* 432. & 336. non tamen afficit hæc bona, utpote Principis, & Domini hujusmodi Statutis non subjecti, ac propterea difficultas restringi videbatur ad amplissimam revocationem quarumcumque facultatum, privilegiorum, & licentiarum contentam in eadem Innocentiana Constitutione, an istam conventionem comprehenderet.

4 Atque in hoc, licet Scribentes in contrarium pro currenti ineptia, multa cumularent collecta ex Barb. *in tract. de claus. & dict. & ex aliis hujusmodi Collectoribus*, circa amplitudinem verborum, & clausularum ejusdem Constitutionis, attamen istis generalitatibus rejectis, utpote revera contemptibilibus, quando ex facti circumstantiis in contrarium urgeat substantia veritatis, quæ omnino, ac principaliter attendenda est, ut nimium frequenter, sed semper opportune advertitur. Omnino veriorem esse dicebam partem negativam non comprehensionis hujusmodi conventionis sub dicta revocatione, quantumvis ampla, & effrænata, cum intelligenda veniat de concessionibus privilegiativis per viam gratiæ, non autem de istis per viam justitiæ, & per viam contractus correspectivi, in quibus ubi etiam adsit potestas, præsumenda non est voluntas, ex plene deductis *disc.* 148. *de Regal. & alibi pluries*, & præsertim sub *tit. de Jurep. disc.* 10. & 65. occasione Constitutionum revocatoriarum, cum similibus.

5 Fortius vero in hac specie contractus initi in capitulis pacis, & pro compositione belli, cum arctius hujusmodi conventiones ligent ex quodam jure naturali, vel gentium, adeout etiam inter hostes inviolabilem habeant observantiam, ut bene advertit *S. Ambrosius, lib.* 1. *officiorum c.* 28. atque in specie hujusmodi capitulorum pacis advertitur *disc.* 27. *de feud. & alibi*.

6 Alii pro hac eadem parte Scribentes insistebant quoque in defectu potestatis, stante quod agebatur de conventionibus initis cum altero Principe Supremo, & non subdito facienti revocationem, ad id cumulando ea, quæ habentur apud Silvan. *cons.* 63. *n.* 13. Altogr. *consil.* 70. *num.* 28. *lib.* 2. apud quos alii, sed quamvis Ego more Advocati scribendo ad causæ opportunitatem, idem motivum deducerem, attamen reflectendo ad veritatem, non placebat, quoniam id procedit in iis bonis, vel juribus, quæ sint in loco tertio, vel in loco incertæ situationis, & an sub unius, vel alterius Principis ditione sita sint, adeout alter utrinsque Superior de hoc sit Judex, ut exempli gratia, contingit in illis conventionibus, quæ fierent inter duos feudatarios Imperiales habentes ratione feudi majoris, & veræ Dignitatis, jura supremi Principis, dum recognoscunt Imperatorem in Superiorem, & hujusmodi controversiarum Judicem, vel quod pro frequentiori praxi Judex, & decisor sit exitus belli, seu major vis, & potentia, ut insinuatur *disc.* 146. *de Dote n.* 16. *& alibi*, secus autem in hac facti specie, in qua tractatur de bonis privatis, & indifferentibus existentibus absque dubio in ditione, & Principatu Papæ, ac propterea quamvis Dux in ejus Ducatu, & ditione habeat jura Supremi Principis, attamen in dominio, & possessione hujusmodi privatorum bonorum vel etiam feudorum inferiorum jurium Baroniæ
7 reputatur tanquam simplex Baro, & homo privatus, & subditus, ut pluries advertitur cum exemplo tradito per Gl. & Bart. aliosque antiquiores de Rege Angliæ in Ducatu Vasconiæ, quod in eo consideratur tanquam Dux, & non tanquam Rex, & de Episcopo, qui sedet in Capitulo tanquam Canonicus, vel in Academia tanquam Scholaris, cum similibus, atque alibi pluries insinuatur practicum exemplum Regis Poloniæ, & Magni Ducis Etruriæ, ac Ducis Parmæ possidentium feuda, & bona in Regno Neapolitano, quod considerantur tanquam Barones, vel tanquam privati, non autem tanquam Supremi.

8 Pro eadem non comprehensione, ex deficienti voluntate potius, quam potestatis defectu, ut supra, inhærendo supradicto vero, ac omnino servando stylo inquirendi substantiam voluntatis Legislatoris, ac rationem legis ejusque finem, vel effectum, ponderabam, quod ut advertitur ad materiam hujusmodi legum, & Statutorum inhabilitantium forenses supra *hoc eodem tit. disc.* 39. *& disc.* 77. *de Regal. ac etiam disc.* 149. *de dote, & alibi* hujusmodi leges reputari solent justæ, & favorabiles ex motivo, ut bona conserventur in civibus, & incolis, qui in loco onera supportant, ista vero ratio in præsenti non intrat, cum bona non essent penes Cives, & incolas, sed penes externum, qui nulla onera supportabat, ideoque nil refert mutari personam de uno forensi in alterum, quinimmo advertebam magis expedire huic Principi Legislatori, ejusque Principatui, hanc immutationem fieri in eodem genere forensium, utpote a Principe, & Potente in privatum non Potentem, qui tractu temporis ista occasione civis, vel incola fieri posset, vel facilius publicis oneribus supponi, aut quod ab eo facilius bona ad Cives, & subditos transeant, ac propterea ita melius, & pinguius finis, vel ratio legis adimpletur, adeout congruant considerationes, *de quib. disc.* 45. *de fideic. & alibi*.

9 Ponderando etiam, quod illa conventa libertas non respicit solum favorem illius forensis, qui bona acquirat, & retinere velit, quo casu dici posset illum non esse comprehensum in dicta concordia, sed principaliter respicit favorem Ducis contrahentis in eadem concordia, cujus principaliter interest habere hanc libertatem alienandi in quoscumque, & non subjacere hujusmodi legibus, & prohibitionibus, ut ita facilius, & cum melioribus conditionibus suorum bonorum dispositionem habeat, ut in proposito Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum pro frequentiori praxi exemplificari solet, ex deductis per Sperellum *decis.* 41. Ciarlin. *contr.* 22. *& sub tit. de regal. disc.* 53.

Et nihilominus advertebam recte dici posse, ut etiam emptor esset comprehensus in concordia, utpote loquente non solum de hæredibus, sed de successoribus quibuscumque, sub quorum genere iste successor particularis recte venire dicitur.

Quoad secundum punctum, posita ex præmissis non comprehensione, facilis, ac plana esse videbatur consequentia super inefficacia dicti actus gesti super rescissione, utpote gesti cum dicto præsupposito, quo cessante, illa corruit tanquam ex deficiente voluntate, clarius vero ob clausulam *non aliter, nec alio modo*, &c. quæ omnino removet consensum ab actu, ac etiam ob alia verba, magis expressa, *sed solum in casu comprehensionis &c.* dum circa clausulam cadere potest dubitandi ratio, de qua *disc.* 57. *de test. & disc.* 26. *de jud.* & alibi pluries an scilicet adjecta fuerit ex formulario Notarii, sed dicta verba convincunt litteraliter Partium voluntatem.

10 Non negabantur hæc per Scribentes in contrarium, utpote in jure certa, hodieque vulgaria, insistebant tamen in aliis, subsequutis actibus factis super diversis conventionibus circa restitutionem pretii per venditorem recepti, vel respective acceptilati, quasi quod ita contrahentes a contractu recedere voluerint, quamvis necessitas eos non cogeret, verum erat leve fundamentum, quoniam hujusmodi actus fuerunt consequutivi, & dependentes a dicto principio infecto, ideoque ab eo regulandi, ac non habendi in consideratione ex eis, quæ aliis relatis habentur apud Otth. *dec.* 204. *n.* 1. *& seqq. dec.* 89. *n.* 15. *&* 153. *num.* 13. *p.* 7. *rec. & frequenter*, adeout iste punctus videretur modica disputationis dote dignus.

Demum, quoad tertium punctum fructuum medii temporis post rescissionem non potui super eo efformare maturum judicium, cum semel, & quasi obiter scripserim, non visis juribus Partis adversæ.

11 In hac itaque scriptura dicebam pro pertinentia fructuum ad actorem, quod cum ex deductis super primo puncto actus ex defectu voluntatis habendus veniat pro infecto ab initio, tanquam ex radice infecta, & propterea causa reducitur ad non causam, & ens ad non ens, hinc de consequenti quatenus resultat, quod dominium jam translatum in emptorem ab eo nunquam fuerit abdicatum, ac propterea secum trahat fructus, tanquam dominii sequelam, ut aliis relatis habetur apud Coccin. *dec.* 933. *n.* 3. *& per tot. dec.* 1. *n.* 8. *&* 9. *p.* 1. *rec. & in aliis*.

Atque ad id probandum deducebam ea quæ habentur *disc.* 31. *de feud.* super pertinentia fructuum ad venditorem ab initio, quamvis emptor illud possederit in implicito statu validitatis, quia assensus expediri potuerit, ob cujus defectum tractu temporis contractus revocatur, cum obligatione tamen venditoris reficiendi emptori interesse, vel fructus recompensativos pretii, quod interim in manibus habuerit ex æquitate ponderata *in l. curabis*, prohibente retentionem rei, & pretii, quod actor non negabat, dum in hac facti specie

eie cadere non poterat ille sibi præjudicialis effectus, de quo *eod. disc.* 31. ut hoc interesse metam fructuum excedere valeat, tum quia juxta opinionem, quam inconcusse tenet Curia probabiliorem quidem, hoc interesse metam ipsius rei fructus non excedit, ne detur fictio supra veritatem ex deductis *disc.* 17. *& seqq. de usur. & alibi*, tum etiam, quia non integrum pretium, sed ejus partem, ut supponebatur minorem in manibus retinuerat, ideoque semper sibi expediebat.

In idem quoque ponderando ea, quæ habentur *disc.* 1. *& 3. sup. hoc eod. tit.* in proposito restitutionis fructuum, ad quam tenetur emptor bonorum Ecclesiæ, ubi servata non sit forma *Extrav. Ambitiosæ*, vel ubi de alia nullitate ipso jure agatur etiam inter privatos, quæ a dolo expresso, vel a præsumpto ratione enormissimæ læsionis resultet, sive a neglecta forma Statuti, quod habeat decretum annullativum cum similibus.

12 Et licet supponeretur in contrarium constitui fundamentum in propositione, de qua præsertim *sub tit. de servit. ad materiam retractus, & alibi*, quod emptor, qui pacto resolutivo, vel alteri speciei resolutionis ex retractu legali, vel conventionali subjaceat, interim dicatur verus, ac perfectus Dominus ob implicitum statum validitatis, in quo actus fuerit, ideoque licet sequuta resolutione, illa retrotrahatur ad initium ad effectum resolvendi hypothecas, & vincula per emptorem intermedium possessorem adjecta, non tamen detur hæc retrotractio ad effectum fructuum perceptorum, aliorumque effectuum consumatorum, in quibus non intrat regula *cum cessante &c.*

Advertebam tamen propositionem esse veram, sed falleciam consistere in applicatione juxta frequentiorem contingentiam, ideoque ad æquivoca tollenda dicebam advertendum esse ad diversas species pactorum, vel conditionum producentium alicujus contractus, vel conventionis resolutionem juxta distinctiones, de quibus *disc.* 154. *de fideic. & disc.* 73. *de test.* & alibi pluries quod scilicet aliæ sint conditiones suspensivæ, aut aliæ tales, ut ex tunc, & ab initio adimant consensum ab acta, adeout sint ab initio, & intrinsece resolutivæ, seu verius negent actum, ejusque initio se opponant, ne unquam nascatur, & aliæ sunt causales, aut voluntariæ, vel mixtæ, quæ pendent a futuro eventu, sive a futura declaratione voluntatis, adeout possint non contingere, seu non verificari, interim vero actus suam recipiat perfectionem, in hac etenim secunda specie recte procedit dicta propositio super intermedio implicito statu validitatis, secus autem in prima, quæ fingit, quod actus nunquam gestus fuerit.

In priori autem, non autem in posteriori specie nos versari dicebam, quoniam ex tunc, & in ipso actu, in quo rescissio facta est, inerat, ac verificabatur conditio ademptiva voluntatis, & animi illum non faciendi, adeout percuteret initium, seu radicem, quamvis ipsis contrahentibus, vel distrahentibus pro humani intellectus imbecillitate id non innotesceret, eam hoc non tollat ejus veritatem, & existentiam, ac propterea subsequens declaratio, vel certificatio importare non dicitur conditionis purificationem, quæ nunc sequatur, sed apertaram ejus, quod ex tunc, & ab initio inerat, quamvis nobis obscurum esset, sed subsequutus eventus id aperiret tanquam per speciem excussionis granorum a spicis, quo exemplo utitur tex. *celeber in l. adeo* 7. *ff. de acquir. rerum dom.* atque frequenter advertitur sub diversis materiis, præsertim vero *sub tit. de benef.* agendo de provisionibus in forma dignum, cum similibus.

13 Post hæc scripta, assumpta disputatione in Rota coram Albergato sub die 13. Apr. 1676. super dubio, an instrumentum esset exequendum cum scissura tamen votorum, ut supra insinuatum est, prodiit negativa resolutio huic Parti contraria, ex eo fundamento, quod per plures conventiones subsequentes inducta esset omnimoda novatio, ad quam Scribentes in contrariam se restringendo, pene voluminosam faciebant tractationem, super novationis inductione ratione incompatibilitatis, ac etiam super ejusdem novationis operatione, & effectibus extinguendi omnia priora jura, & præsertim insistendo in text. *in l. de lege 6. in fin. ff. de l. commiss.* ubi quod post lapsum terminum recipiente venditore pretium censeatur pacto renunciasse, magnum quoque fundamentum constituendo in *dec.* 1966. Coccin.

In hoc autem dicebam etiam cum aliquo sensu veritatis, quod inanis repletio chartarum, ac superfluus improbus labor adhibitus videbatur in probando id, quod non erat in controversia, cum non dubitaretur de inductione novationis, quando verificetur omnimoda incompatibilitas, minusque de novationis effectibus quando illa supponenda sit aut de remissione pacti commissorii, vel alias resolutivi per receptionem pretii, vel alium actum æquipollentem, sed punctus erat in applicatione, in qua de more consistere videbatur fallacia, siquidem cum retento præsupposito, ob quod processum fuerat ad rescissionem, sequeretur tanquam consequens necessariam ut emptori restituendam esset pretium, ne alias venditor haberet rem, & pretium, hinc proinde omnes actus sequuti super modo restituendi pretium habebant eandem conditionem, vel idem præsuppositum tanquam connexi, vel consequutivi, ideoque nullatenus videbatur verificari incompatibilitas inductiva novationis, dum actus consequutivi, & gesti, retento eodem præsupposito, vel principio, eodem morbo laborant ut supra.

Et quoad dispositionem d. tex. *in l. de lege cum concord.* apud Coccin. *ubi supra*, & alios dicebam id recta procedere in pacto commissorio, ac aliis, quæ dependebant ab animo, & voluntate contrahentium, vel eorum alterius, in cujus facultate repositum est remittere, & nolle uti, secus autem ubi agitur de conditione, quæ in substantia ex tunc erat certa, sed contrahentibus ignota; quoniam donec illa detegatur, intrant termini continuationis falsi præsuppositi, quodque eo retento omnes actus gesti fuerint, ideoque resolutio ex hoc motivo nullatenus placuit, atque reflectendo ad solam veritatem improbabilis visa est, licet circa resolutionem dubii, utpote mala concepti ex hac parte haberem difficultatem potius ratione ordinis, & ineptiæ judicii, quam ratione justitiæ.

PISANA COMMENDÆ PRO JOSEPHO MARIA CASCINA CUM CATHERINA CEPPARELLIA

Responsum pro veritate extra Curiam.

De perfectione, ac probatione transactionis, ex quibus illa bene conclusa, & perfecta dicatur, ac propterea effectum sortiri debeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De Statuto Pisano, ut conjux non possit testari favore conjugis, & filiorum.*
3 *Quomodo dandum sit consilium.*
4 *Transactio non requirit scripturam.*
5 *Declaratur.*
6 *Generaliter de eodem in aliis contractibus.*
7 *Supplex libellus pro beneplacito Superioris, ad quid attendatur.*
8 *De fide testis mediatoris.*
9 *De aliis speciebus probationis.*
10 *Quid in hoc operetur ratio piæ causæ.*
11 *Quando interesse sit principale, vel secundarium.*
12 *Exequutio dispositionis non percutit substantiam, vel probationem.*
13 *De donatione onerosa revocabili.*
14 *Transactio habet viam exequutivam, quod declaratur.*
15 *De judicio manutentionis an, & quando expressio in parte acquiratur in toto, & quomodo?*

DISC. LXX.

CUm Flammeta, filiis destituta, hæredes instituisset fi- 1
lios Joannis Baptistæ Cepparellii viri diverso matri-
monio susceptos, quodque dispositione in eis effectum non
sortiente, deberet ex hæreditate erigi Commenda ordinis S.
Stephani. Franciscus Cascina ab intestato successor prætendens dispositionis invaliditatem ex Statuto Pisano prohibente mulieri disponere ad favorem Viri, ejusque filiorum,
& cujus Statuti vigentis quoque in statu Plumbini mentio 2
habetur *disc.* 32. *de test.* possessionem bonorum hæreditariorum adeptus est, quare exorta controversia deventum est ad concordiam sub reservatione beneplaciti M. Ducis Hetruriæ hujus ordinis Magistri, ut dimissis per Cascinam bonis Cepparellio, deberet iste, cum eis pro rata scut. sex millium erigere Commendam, cujus primus Commendatarius esset ipsa Cascina, cum participatione tamen solum fructuum pro rata annuor. scut. 136. reliqui vero fructus esse deberent unius ex filiis ipsius Cepparellii, in cujus linea masculina in futurum post Cascinæ mortem Commenda residere deberet; ea vero extincta transitum facere ad illam Cascinæ, quare ex tunc prius quam ad alium deveniretur actum Cascina restituit bona Cepparellio, & e converso iste solum recepit dictam annuam præstationem, ob

cujus

cujus denegationem per aliquos annos controversia, per Rotam Florentinam, seu alium Magistratum Cepparellius cum subsequuto effectu condemnatus fuit ad continuationem solutionis, istaque occasione porrectæ fuerunt preces M. Duci pro erectione Commendæ cum superadditione aliorum sc. mille, & decretatione quoque in forma consueta subsequuta, exequutione tamen neglecta, atque de anno 1661. sequuta est utriusque mors, superstitibus ex Cepparellio duobus filiis masculis, & una fœmina, & ex Cascina pariter duobus masculis in pupillari ætate.

Cumque de anno 1669. per mortem dictorum filiorum Cepparellii ejus linea masculina defecerit, hinc Joseph Maria filius primogenitus dicti Cascinæ factus adultus consilium pro veritate petiit, an & quale jus foveret pro dictæ Commendæ erectione, & exequutione, juxta præfatæ conventionis normam, qualeve remedium pro hoc fine assequendo suppeteret, ideoque in responso desuper dato duas efformabam inspectiones, unam meritorum in negotio principali, & alteram ordinis, posito, quod opus assumendum esset, qualis nempe actio, vel remedium competeret.

3 Quatenus pertinet ad primam, dicebam punctum esse potius facti, quam juris utpote pendentem ex pondere probationum, quæ desuper haberentur, eisque non visis, certum, ac tutum dari non potest judicium, dum etiam eis visis, quoties non sint plusquam claræ, & concludentes, idem sequi solet, cum probationum materia, præsertim per testes, & per adminicula sit arbitraria, ex relatis *disc. 32. de jud.* In arbitrariis etenim facile non est affirmare judicium, ob plures insinuatam ingeniorum varietatem, ob quam id quod uni videtur album, apud alterum est nigrum, potissime vero absque notitia exceptionum, quæ per alterem partem deduci possent adversus testes, aliasque probationum species, ideoque clarus, ac perpetuo damnabilis est illorum professorum error, qui ita per unam partem consulti, non reflectendo ad ea, quæ possunt in contrarium deduci, de facili pro sequirentibus respondent, illos cum nimia facilitate ad lites excitando, & etiam non turpis lucri cupiditate id fieret, & frequenter cum magna jactura illorum, qui ad eorum consilii, & peritiæ opem recurrunt pro beneficio, & reportant maleficium.

Juxta vero præsupposita contenta in notula transmissa, servato maturiori judicio, ejusque mutatione, quatenus, vel præsupposita non subsisterent, vel adversus illa relevantes exceptiones in progressu causæ per alteram partem deducerentur.

Dicebam pro requirente probabiliter respondendum videri, quod scil. sufficientes adessent justificationes dictæ conventionis, qua posita, intraret regula vulgaris Textus *in l. ille aut ille, ff. de legat.* 3. quod sc. in claris, non intrant quæstiones, & argumenta, dum conventio erat super pertinentia Commendæ, prius ad lineam masculinam Cepparellii, deinde vero ad istam, ideoque cum illa defecisset, posita sufficienti dictæ conventionis probatione, nulla suberat dubitandi occasio.

4 Neque dubitandum videri dicebam quin probationes per testes, & per alias species sufficerent, quamvis ad instrumentum, vel aliam scripturam inter ipsos contrahentes deventum non esset, quoniam nullibi cautum est in jure, ut ad essentiam, ac perfectionem transactionis necessaria sit scriptura, quodque illa justificari non possit per alias species probationis, eodem modo, quo in qualibet alia conventione habemus, quoties alias in jure communi, vel particulari scriptura non sit expresse desiderata, sive quoties non constet, quod illa ad substantiam potius quam ad probationem a partibus volita fuerit, ut *sub tit. de empt. & vend.* ac etiam *hoc tit. in Senogallien. disc.* 52. & alibi non semel advertitur, & in specie sunt Text. *in l. sive apud acta, & l. cum te, C. de transact. cum concord.* per Valeron. *de transact. q. 6. n.* 25. Penia *dec.* 995.

5 Et quamvis in isto contractu cum aliqua majori circumspectione procedendum sit in hoc assumpto, cum ille regulandus non videatur in hoc proposito justificandi ejus perfectam conclusionem, eo modo quo in emptione, & venditione, sive in locatione, & conductione, aut in mutuo, & similibus, qui cum simplici consensuum conjunctione inter ipsos contrahentes fiant, ex ea differentiæ ratione, quod maturius, & cum majori tractatu, ac etiam cum consilio Sapientum, ubi præsertim agatur de controversiis jam in judicium deductis, ille perfici soleat, ac propterea ex eadem ratione magis communis, ac frequentior praxis docet, ut nonnisi cum instrumentis, vel cum privatis scripturis ad formam capitulorum perficiatur, adeo ut frequens praxis doceat, ut etiam post confectas, & revisas, & accomodatas minutas, in ipso actu stipulandi, vel subscribendi, totus tractatus dissolvatur.

Attamen id percutit majorem difficultatem concludentis probationis ratione inverisimilitudinis, vel contrarii usus, ut propterea testes debeant esse magis exempti ab exceptionibus, ac etiam magis concludentes, bonasque scientiæ causas assignare debeant, cum ea quæ oretenus concludi soleant potius velleitatem, vel præparationem futuri contractus per instrumentum, vel scripturam perficiendi redolere solent.

6 Sed non per hoc inferendum est ad præcisam scripturæ necessitatem, quoniam etiam in aliis contractibus emptionis, & venditionis, vel dationis in solutum, seu permutationis, aut locationis, & conductionis, & præsertim ubi ista sit de publicis vectigalibus, vel similibus juribus vulgo sub appaltus, vel arrendamenti nomine explicari solita, atque concludi cum capitulis, ex relatis pluries *sub tit. de regal.* cum similibus, ut etiam advertitur *in Senogallien. bonorum, hoc eod. tit. disc.* 52. Et sic id non respicis substantiam, sed majorem difficultatem probationum, majoremque rigorem in earum justificatione.

Hinc sequitur, ut & in hoc praxis doceat consuetum frequentem nostrorum errorem procedendi cum generalitatibus in abstracto, atque auctoritates, vel decisiones quæ aliquos percutiant casus, omnibus aliis indistincte applicare, quoniam reflecti debet ad singulorum casuum circumstantias resultantes a qualitate loci, personarum, & rerum, quæ in contractum deducantur, ac etiam ab observantia.

Non quidem, ut istæ considerationes concludant per necesse requisitum scripturæ ad substantiam, sed ad effectum assistentiæ, vel resistentiæ verisimilitudinis, ob quam major desideretur probatio, vel respective minor sufficiat, ac propterea facti potius, quam juris ista materia dicenda est, ex ipso facto particulari, ejusque individuis circumstantiis potius, quam ex regulis, & propositionibus juris, vel ex doctrinis regulanda, cum Judicis prudenti arbitrio, quod tamen legale a dictis regulis, & propositionibus directum sit, non autem cervicosum.

7 Applicando itaque ad rem, pro concludenti probatione respondendum esse visum est. In primis ex eo quod recte dici potest adesse scripturam habentem speciem instrumenti, vel capitulationis in supplici libello, ut supra, porrecto M. Magistro, ejus decretatione quoque subsequuta, non quod ista sola scripturæ sufficiat, cum ex unius parte utriusque contrahentis nomine porrigi potuerit, ac etiam quia ubi supplicatio pro beneplacito non porrigatur pro confirmatione, vel revalidatione contractus jam initi, & quo casu etiam ante exequutionem operatus effectum excludendi pœnitentiam aliis competentem ex relatis supra *disc.* 1. & alibi pluries, quod tamen neque certam habet regulam, cum alicubi omnimoda perfectio requiri soleat ex relatis præsertim *disc.* 31. & 506. *de feud.* & alibi, sed procedat ad effectum obtinendi beneplacitum pro habilitatione ad illum actum faciendum, tunc integrum est non facere, atque adhuc actus esse dicitur in via potius, quam in termino, sed ut aliis concurrentibus probationibus per testes, vel per alias species, super quibus cadat dubitatio, ista scriptura nimium attendenda veniat, pro actus basi, & regulatione.

8 Plures itaque species, vel probationes, sive plura adminicula, & argumenta concurrebant, primo nempe supponebatur adesse attestationem qualificati mediatoris longe majori fide digni quam sit simplex testis, qui deponat de facto proprio, nullumque habet interesse proprium, ex iis, quæ in specie testis mediatoris qualificati, & contradistincti a proxeneta habentur *disc.* 27. *de dote, & disc.* 32. *de judic. & alibi.*

9 Secundo ab effectuatione, vel observantia, tam super dimissione bonorum per intestatum successorem, quam super solutione dictæ annuæ præstationis per multos annos, etiam cum judiciali coactione ut supra, & præsertim quia non per simplicem pedaneum Judicem, sed per qualificatum Tribunal Collegiatum primi ordinis in eo Principatu, ut pariter ad effectum regulandi arbitrium considerandum venit ob majorem assistentiam præsumptionis, ut non nisi cum legitimis justificationibus judicatum emanaverit.

10 Tertio ob veritatis primordium resultans a testamentaria dispositione mulieris, ut supra, ob ejus invaliditatem alias resultantem ex Statuto loci, & quarto ob favorem piæ causæ, ob quem leviores probationes sufficere solent, non quidem ut favor Ecclesiæ, vel piæ causæ suppleat imperfectionem voluntatis, vel aliam imperfectionem naturalem, sed ut ob minorem suspicionem falsitatis, & machinationis, quæ cessante interesse privato considerabili non de facili præsumi

mi debet, ex iis quæ ad materiam tex. *in c. relatum, de test.* habentur *eod. tit. de testam. disc.* 13. *& seq. & alibi.*

11 Siquidem primarium, ac principale interesse dicitur esse piæ causæ, ipsiusque Religionis in acquisitione hujus novæ Commendæ in perpetuum, interesse vero privatum contrahentium est potius accidentale, & secundarium pro eorum lineis masculinis pro humana conditione de facili defecturis, fortius vero suspicio cessabat ex hac parte, dum ejus comparative modicum erat interesse dictæ præstationis ad vitam, alterum vero posteritatis erat subsidiarium, & eventuale, forte nullatenus contingibile, sive nonnisi ad sæcula, atque ex hac ordinatione cum prædilectione propriæ lineæ sinceritatis, ac veritatis argumentum resultare observabam, juxta ea quæ nimium proxime ponderantur *disc.* 39. *de test. & in aliis ibidem.*

12 Neque obilare observabam, quod ad perfectionem erectionis Commendæ deventum non esset, quoniam id percurrit modum potius, quam substantiam conventionis, pro honorificentiis nempe, & prærogativis competentibus Commendatario, juxta ea quæ habemus frequentia in dispositionibus, & obligationibus super erectionibus beneficiorum, & Dignitatum, sive Monasteriorum, aliorumque Religiosorum, vel piorum locorum *sub tit. de donat. disc.* 12. *& seqq.* ac etiam *sub tit. de legit. & sub altero de jurepatr. & alibi.*

13 Et quamvis pro ratione dubitandi observarem ponderari posse, quod cum hujusmodi dispositiones per actus inter vivos correspectivæ potius dicendæ veniant juxta ea, quæ in specie donationis pro fundatione Monasterii habentur *d. disc.* 12. *& seq.* Et propterea cadere posset eadem ibid. non semel insinuata conclusio, ut in hujusmodi correspectivis, & onerosis non suffragetur privilegium piæ causæ, vel stipulatio Notarii ad effectum sustinendi, atque irrevocabilem, & obligatorium reddendi actum favore absentis, adeout re integra, & ante acceptationem licita sit pœnitentia.

Nihilominus ex pluribus hanc dubitandi rationem cessare advertebam, primo nempe quia pro jure, & interesse Cascinæ, ejusque posteritatis jam accedebat ejus stipulatio, & acceptatio, secundo quia aderat etiam acceptatio ex parte Religionis cum decretatione M. Magistri, ideoque sine exequutione sufficiebat juxta ea, quæ de supplicatione signata super beneplacito Apostolico etiam ante expeditionem litterarum pro exclusione pœnitentiæ habentur supra *disc.* 1. *n.* 79. *& alibi.*

Et tertio quoniam dicta conclusio intelligitur in illa onerosa, & correspectiva conventione, quæ donatario, vel alteri ad cujus favorem fiat, possit esse damnosa etiam in bonis propriis, puta juxta casum, de quo *disc.* 61. *de donat.* cum similibus, secus autem ubi semper actus tendat in utilitatem, ut in præsenti respectu Religionis absque dubio dicendum erat.

14 Quo vero ad alteram inspectionem ordinis advertebam, quod quamvis vera sit propositio, de qua supra *disc.* 50. & alibi, & præsertim *disc.* 42. *de judic.* quod transactio habeat viam exequutivam, tum redoleat speciem rei judicatæ, attamen in hac facti specie id non erat practicabile, sed pernecesse agendum erat in judicio ordinario terminando per tres conformes, nisi idem Magnus Dux, in gratiam præsertim Religionis, quæ ut supra dicenda est principalis interessata, committeret causam *appellatione remota*, quod supponebatur ibi frequenter practicari, quoniam cum negaretur ipsa substantia transactionis, quam justificare oportebat per testes, aliasque extrinsecas probationes, ita de plano intrabat appellatio, non quidem ab ipsa transactione, ejusque exequutione, sed a declaratione Judicis, quod illa adesset sufficienter probata eodem modo quo *d. disc.* 42. *de judic.* habemus in terminis fortioribus obligationis Cameralis, quæ in Curia est omnium magis privilegiata, in hoc proposito processus exequutivi, & tamen ubi de illa non constet in continenti per scripturam, sed oporteat eam justificare per testes, idem intrat processus ordinarius, & appellabilis.

15 Ponderabam tamen quod, quatenus commissio *appellatione remota* obtineri non possit, adhuc suppeteret privilegiatum, & exequutivum summarissimum judicium possessorii retinendæ, seu manutentionis, ob possessionem, in qua fuit primus Commendatarius destinatus exigendi dictam præstationem, ex recepta, & quotidiana propositione *disc.* 44. *de judic.* & alibi pluries deducta, quod possessio acquiratur Dignitati, vel beneficio, ideoque illa prædecessoris transeat in successorem, qui licet nunquam possederit, adhuc tamen hoc remedium intentare possit, ex ea ratione, quod non proprio, sed ipsius Dignitatis, vel beneficii, aut officii nomine id petat, & obtinet cum illi vere, & proprie possessio quæsita sit.

Id autem certum videbatur quoad ipsam summam sc. 136. solvi solitam, difficultas vero erat in reliquis fructibus cadentibus sub dicta rata scut. septem millium, quoniam licet pro manutentione in toto ponderarem suffragari posse pariter receptam, & frequenter inculcatam conclusionem, de qua *eod. disc.* 44. *de judic.* ac etiam *sub tit. de pension. & alibi*, ut possessio etiam in parte suffragetur in totum, quoties clara sit voluntas illam non limitandi ad eam partem, potissime vero, & clarius, quoniam ad ejusdem conventionis normam reliqui fructus reservati fuerant uni ex filiis dicti Jo: Baptistæ, qui propterea, pensionarii, vel reservatarii fructuum figuram gerebat, & per consequens in omnium fructuum perceptione possessio ipsi Dignitati, seu Commendæ quæsita erat, cum nil referat, an Titularis reservatarius eos percipiat, dum ambo ipsius Dignitatis, vel beneficii vice, ac nomine percipere dicuntur.

Attamen difficultatem faciebat, quod non justificabatur perceptio aliquorum per ipsum reservatarium, utpote adhuc non certificatum, dum conventio erat ad favorem unius ex filiis, qui plures erant, ac etiam specificata, & certificata non erant bona, quæ Commendæ assignanda erant, necnon sub quæstione erat quantitas sortis, cujus liquidatio pendebat ab extrinsecis justificationibus, ut supra, & per consequens multæ concurrebant illiquiditates, ac defectus, unde durum videretur in hoc judicio obtinere alias, quam in prædicta annua præstatione, atque ubi totius causæ principalis commissio obtineri potuisset, concludebam, quod id magis expediret, quam prædictas inspectiones assumere, altera quoque incertitudine, sive illiquiditate accedente super persona actoris an esse deberet Commendatarius necne, dum id erat in controversia, & exigebat canonizationem Judicis, quamvis ista difficultas esset superabilis, ex eo quod nomine ipsius Religionis manutentio peti posset.

RECANATEN. ASSECURATIONIS DOTIS PRO VITO LEOPARDO, CUM FAUSTINA CONDELMARIA.

Casus disputatus cor. A. C. resolutus pro Vito.

An contractus gesti per Clericos, vel alios exemptos absque solemnitatibus statutariis, valeant necne, & cui competat jus allegandi nullitatem ex capite exemptionis, & incidenter de privilegio Fori Clericorum in minoribus?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Contractus gesti per Clericum minorem non subjacent solemnitatibus Statutorum laicalium.*
3 *An contractus minorum sine solemnitatibus sustineantur favore dotis?*
4 *De differentia inter Clericum in sacris, & in minoribus super conclusione, de qua n. 2.*
5 *De alia differentia ad eundem effectum inter actum perfectum, & promissionem de faciendo.*
6 *An promissio de faciendo habeatur pro facto?*
7 *De contractu inito sine solemnitatibus per subditum, cum non subdito.*
8 *Clericus ad sui favorem allegare potest defectum resultantem a Statuto laicali.*
9 *De testamento condito per filiumfamilias Clericum.*
10 *Quando sine requisitis Concilii suffragetur Clericatus ipsi Clerico illum allegant.*
11 *De differentia inter privilegium exemptionis a legibus laicalibus, & alia privilegia.*
12 *Clericus non habens requisita Concilii adhuc subjacet Foro Ecclesiastico.*
13 *Ille qui contra Clericum allegat clericatum, debet illum justificare cum suis requisitis.*
14 *Clericatus dimissio fit etiam tacite, dantur exempla.*
15 *De alio casu super eodem puncto justificationis clericatus contra ipsum clericatum.*
16 *De differentia inter privationem status impressi, & non susceptionem ipsius status.*
17 *De ratione ob quam Clericus etiam post dimissum clericatum, vel non incedens in habitu subjacet Foro Ecclesiastico.*

DISC.

D I S C. LXXI.

1 OBligationi Camilli ad favorem Faustinæ uxoris pro dote sc. septem millium accessit Vitus frater minor qui post plurium annorum decursum, matrimonio adhuc durante, non absque aliqua collusionis suspicione pulsatus cor. A. C. per Faustinam agentem pro assecuratione dotis ob vergentiam viri ad inopiam, de duobus excipiebat, primo nempe de non bene probata vergentia ad inopiam, ideoque non facto casu petitæ assecurationis, & secundo de nullitate obligationis ratione minoris ætatis ob non adhibitas solemnitates per locale Statutum, & per Constitutionem Ægidianam in contractibus minorum requisitas, dum obligatio deducebatur ex privata scriptura capitulorum matrimonialium continente promissionem de se obligando per publicum instrumentum, cum solemnitatibus statutariis conficiendum.

Primam exceptionem diluere curabant Scribentes pro Actrice cum justificationibus in facto, quas sufficientes videri Judex inclinabat, neque de illa, utpote nudi facti, pro Curiæ stylo aliquæ Advocatorum partes erant agendi, alteram vero dupliciter tolli iidem Actricis Defensores dicebant, primo nempe ex privilegio dotis desumpto ex l. fin. C. ad Vellejan. Et secundo ex eo quod reus conventus esset Clericus Statutis laicalibus non subjectus, cum receptum sit præfatam Ægidianam Constitutionem, quamvis a Legato Apostolico conditam, atque a Pontificibus Sixto IV. & Paulo III. confirmatam, & extensam, adhuc esse legem laicalem, utpote Principis secularis potius, quam Pontificis, & per consequens, quod contractus initi per Clericos regulandi essent a jure communi, cujus dispositione attenta contractus minoris non est ipso jure nullus, sed solum exceptione elidibilis ex capite restitutionis in integrum, quatenus non sit juramento munitus, secus autem illo accedente, quod adesse dicebatur, si non explicitum, saltem implicitum in obligatione Camerali, deducendo ad id probandum firmata in specie in Senogalien. Censuum

2 cor. Catillo inter suas dec. 240. & latius, magisque ex professo in eadem 12. Junii 1644. cor. Ghislerio, cum aliis quæ generaliter habentur in jam editis disc. 22. & 143. de dote, in proposito validitatis dotis excessivæ contra formam Statuti sæcularis promissæ per Clericum.

3 Super istis itaque replicationibus, post plures disputationes habitas per causæ Patronum, stante stylo non assumendi Advocatos, nisi quando urgeat necessitas, ex parte rei conventi assumptus, dicebam cum sensu veritatis, agnitæ quoque per ipsos, & Scribentes in contrarium, qui motivo cesserunt, nullam subsistentiam habere primam replicationem ex privilegio dotis, cum nimium firma sit hodie conclusio pluries insinuata in sua sede sub tit. de dote, ut hoc privilegium procedat quoad mulieres majores, non autem quoad minores, quorum respectu dos nullum habeat privilegium, nisi quatenus agatur de causa necessaria, qua accedente, validitas actus referenda non est peculiari privilegio dotis, sed ipsi causæ, dum necessitas excludit læsionem, atque cessare facit rationes, quibus hujusmodi leges inductæ sunt, ideoque operativa est in quocumque alio contractu indifferenti, ut pluries advertitur.

4 Agendo itaque stricte de alio motivo deducto a clericatu, ut effugerem auctoritatem dictarum decisionum specialium, quæ hodie, neglectis discursibus, & ratiociniis, majorem impressionem facere solent, advertebam illas percutere casum diversum Clerici constituti in sacris, in quo non cadebat inspectio competentiæ, vel incompetentiæ exemptionis Clerici a Foro, & legibus laicorum ex defectu requisitorum, quæ per decreta Conc. Trid. desiderantur in Clerico in minoribus, non beneficiato.

5 Alia quoque diversitate casuum accedente, quod in eo, de quo præfatæ decisiones agunt, tractabatur de actu jam perfecto, qui alium actum non expectabat ad ejus perfectionem, de impositione sc. Census per publicum instrumentum, ac propterea Clericus ita declaraverat ejus animum non utendi dictis legibus juxta ponderationes, de quibus d. disc. 22. de dot. In præsenti autem res erat in oppositum, cum non esset obligatio pura, & perfecta, sed promissio de illam faciendo per instrumentum cum solemnitatibus statutariis.

6 Quamvis etenim admitterem, quod ista promissio de se obligando tam ad excludendam pœnitentiam, quam saltem ad obligationem damnorum, & interesse, haberetur pro obligatione, eosdemque pareret effectus, juxta deducta ap. Coccin. dec. 1951. repet. dec. 58. p. 6. rec. & advertitur pluries hoc eod. tit. & alibi, attamen id nimium considerabile esse dicebam pro declaratione animi contrahendi ad formam Statutorum laicalium cum solemnitatibus, quibus tanquam favorabilibus Clericus in ratione privilegiativa potius quam arctativa uti velle declaraverit juxta deducta d. disc. 22. & 143. de dot. Ita saltem diversificando casum ad effectum tollendi applicationem ad proximum obstaculum dictarum auctoritatum.

7 His itaque ita sublatis, atque assumendo punctum tanquam indecisum in forma discursiva, seu ratiocinativa, dicebam in hoc proposito exemptionis contrahentium a legibus, & Statutis laicalibus pro validitate actus, plures casus distinguendos esse, quorum primus est quando laicus ipsi Statuto subditus, qui actum juxta ejus formam facere debebat, alleget nullitatem contra Clericum, vel alium exemptum, ad cujus favorem ille initus esset, an sc. sufficiat subjectio debitoris, seu alienantis, quamvis ita non adsit illa creditoris, vel ejus in quem facta sit alienatio, & de hoc agitur in specie disc. 8. in Miscell. Eccles. sed non erat opus de illo in præsenti agere, utpote extra casum, ideoque ibi videndum.

8 Alter casus est, ubi ipse Clericus, vel alias exemptus alleget nullitatem actus ex isto defectu formæ præscriptæ per legem laicalem, quam ad sui favorem deducat, eaque uti velle declaret in ratione favorabili, & privilegiativa juxta ea quæ habentur d. disc. 22. de dot. Sed pariter non erat opus (utpote extra casum) istam inspectionem assumere principaliter, & ex professo, quamvis ea supra insinuata declaratione animi dici posset quod illa quoque intrarat, dum negabatur qualitas clericalis, ideoque cessabat quæstio in radice.

Tertius itaque casus est, quando cadat quæstio super ipso clericatu, vel alia exemptiva qualitate, ex cujus existentia, vel respective deficientia pendeat decisio, quia nempe, ut in præsenti, & in aliis casibus, de quibus in locis proxime infra citandis, non dubitetur de veritate clericatus, quia de illo constet per litteras Episcopi super collatione tonsuræ; sed quæstio sit super ejus efficacia ob defectum requisitorum Conc. Trid. quæ negentur, atque tunc ad æquivoca tollenda, advertebam adhibendam quoque fore aliam etiam casuum distinctionem, quæ revera hodie omnium forensium controversiarum regulatrix videtur, primo sc. ubi clericatus ad effectum exemptionis a Foro, vel a lege laicali, sive ad effectum alterius favoris allegetur per ipsum Clericum contra alium, secundo ubi e converso allegetur per ipsum Clericum, tertio ubi Clerico in causa non existente, clericatus allegetur per tertium contra tertium, & quarto ubi allegetur per Episcopum, vel alium Superiorem.

9 De tertio casu agitur sub tit. de testam. disc. 34. ubi videndum, quod scil. testamentarii contra intestatos allegarent testatoris jam defuncti clericatum pro validitate testamenti, non obstante defectu patriæ potestatis, cum similibus, sed pariter id extraneum erat a quæstione, & de quarto pariter extraneo agitur disc. 55. de jurisd. & disc. 24. in annot. ad Concil. Trid.

10 In primo autem, in quo ipse Clericus alleget Clericatum ad sui favorem, ut clericalibus privilegiis potiatur, intrat proprie quæstio particulariter acta disc. 119. de cred. & disc. 24. in annot. ad Conc. Trid. An scil. decretum Conciliare, quod non concurrentibus requisitis privat privilegio Fori, tollat etiam alia privilegia clericalia.

11 Et in quo casu (ad rem) dicebam sine dubio intrare opinionem affirmativam, quamvis alia opinio negativa generaliter in omnibus aliis privilegiis recipienda esset, cujus tamen contrarium verius videtur, ut locis citatis advertitur, ideoque ex ea particulari ratione, quod privilegium exemptionis a legibus laicalibus, non est particulare, & contradistinctum ab illo Fori, ut contingit in privilegiis, de quibus d. disc. 34. de test. & disc. 119. de cred. cum similibus, sed est consequutivum, seu connexum, vel potius est effectus exemptionis Fori, quoniam ideo Clericus non subjacet legibus laicalibus, eo quia paria sunt Forum sortiri, & legibus ligari juxta auctoritates, de quibus disc. 116. de cred. & alibi passim, ideoque posita subjectione Fori laicalis, de consequenti resultat subjectio legis, dum Magistratus secularis juxta proprias leges illum judicare poterit; ac debebit, & per consequens ad hunc effectum, utpote connexum, & consequutivum dicta quæstio intrare non videtur.

12 Quatenus itaque pertinet ad casum præcisum, quod ille ipse qui prætenditur a collitigante Clericus, neget clericatum in substantia, sive neget ejus effectus ob defectum requisitorum ut supra, & tunc altera intrat distinctio, an ista negatio fiat contra Episcopum, vel alterum Ecclesiasticum Prælatum domesticum, & Superiorem volentem illum pu-

nire, tanquam subditum ad effectum effugiendi ejus Forum, & jurisdictionem, juxta dictum quartum casum, & de hoc agitur in specie *sub tit. de jurisdict. disc.* 55. *&* *dict. disc.* 24. *in annotat. ad Conc. hoc tit.* ubi videndum, cum pariter sit extra quæstionem.

13 Ubi vero (ut in casu præciso) negetur clericatus contra privatum, per ipsummet Clericum, qui dicat quod non incederet in habitu neque requisita Concilii servaret, eo quia statum sæcularem potius, quam clericalem tunc profiteretur, ut ita evitaret illum præjudicialem effectum, qui ex clericatu resultaret, & tunc nisi altera pars bene doceat de requisitis, unde convincat contrarium, certum videri dicebam, ut sola negatio sufficeret, non solum ex regula, quod ille qui agendo se fundat in certa qualitate, illam tanquam suæ intentionis fundamentum justificare teneatur, ut ita ostendat validum esse illum actum, ex quo agit, juxta distinctionem quam inter actorem, & reum habemus receptam in omni materia, & præsertim *sub tit. de donat.* super puncto cuinam incumbat onus docendi de insinuationis, aliarumque solemnitatum implemento, *& sub tit. de benef.* in proposito docendi de publicatione resignationis, cum similibus.

14 Sed fortius quoniam retentio status retractabilis Clerici in minoribus est res, quæ pendet ab animo, & voluntate ipsius Clerici, qui potest clericatum dimittere, non solum expresse cum formali dimissione, sed etiam tacite, & implicite contrahendo matrimonium, aut se adscribendo militiæ sæculari, vel exercendo officia sæcularia Clericis incongrua, ex iis quæ habentur *sub tit. de pens. disc.* 46. *& seq.* occasione amissionis pensionis, quoniam ut ibi advertitur, id non provenit ratione irregularitatis quæ bellando, vel officia sæcularia exercendo incurratur, sed quia suscipiendo hunc statum incompatibilem, ita declarare dicitur ejus animum dimittendi clericatum, igitur ista declaratio animi fit etiam factis, atque sicuti fit cum susceptione dicti status, ita etiam dimittendo habitum clericalem, atque negligendo servitia in divinis, potissime ubi ipsemet, qui id agit, declarat eo animo fecisse, illiusque voluntatis adminiculum resultare quoque advertebam ea circumstantia superius insinuata quod se professus est velle in instrumento adhibere solemnitates Statutorum sæcularium.

15 Hinc in proposito hujus casus quod sc. ille, cui objicitur clericatus, eum neget in una Interamnen. Salviani disputata in Rota cor. Bourlemont pro Ferdinando Patrono, in qua prodiit resolutio 15. Januarii 1675. revocatoria alterius cor. eodem occasione agendi de attentatis, cum in priori decisione una tantum parte informante edita, dictum fuisset attentatam esse executionem sententiæ in Salviano, bene in reliquis justificatæ per Ferdinandum obtentæ, factam infra legitima tempora ad appellandum ratione clericatus ejusdem Victoris, per quem cessante Ægydiana causa esset appellabilis, juxta illas irrationabiles formalitates, de quibus in hac materia *sub tit. de judic. disc.* 37. illis non impugnatis, non ut placeant, sed quia sic vivatur, dicebam pro exclusione attentatorum idem quod supra, quod scil. cum clericatus non allegetur per ipsum Clericum pro effectu favorabili, & privilegiativo, sed per ejus adversarium ad effectum odiosum ipso Clerico illum negante, rigorose justificari debet cum illa qualitate, quæ ad hujusmodi effectus productionem necessaria est, dum potuit ipsemet habere diversum animum, a quo status retractabilis mutatio pendet.

Fortius vero ex isto casu, in quo docebatur quidem per 16
litteras Episcopi, sive per particulam registri Ordinatorum de susceptione tonsuræ, sed nullatenus constabat quod quandoque habitum susceperit, atque in divinis inservierit, adeout fuerit in statu Clerici, quod nimium considerabile dicebam, quasi quod ipse status nunquam inceperit, adeout non incessus in habitu, & omissio servitii non inducat privationem juris quæsiti, vel immutationem impressi, sed potius declaret animum se non constituendi in eo statu juxta generales distinctiones, quas habemus inter non assequutionem, & privationem rei assequutæ, de quibus *sub tit. de benef. disc.* 70. *& seqq. & sub tit. de testam. disc.* 73. *& de fideic.* 154. *& de praemin. disc.* 33. *& alibi.*

Et quamvis etiam absque ista actualitate per solam collationem tonsuræ legitime factam ab habente potestatem juxta ea quæ habentur *disc.* 24. *in annot. ad Concil. & disc.* 1. *in Miscellan. Ecclesiastic.* ita constituatur persona in Hierarchia clericali, & in ordine Ecclesiastico, adinstar illius, qui dicitur miles eo ipso quod consueta solemnitate per Ducem ipso volente adscribitur militiæ, quamvis postmodum negligat accipere arma, & militare, adeout hoc non obstante subjaceat quoque cumulative Foro Ecclesiastico juxta firmata *d. disc.* 55. *de jurisdict. & alibi*, attamen id non procedit quoad effectus favorabiles ipsi ita male agenti, minusque ad favorem tertii privati, sed solum quoad Superiorem, a cujus potestate non potest cum solo facto suo se eximere ab illo quasi contractu, qui initi dicitur inter Episcopum, vel alium Prælatum, ideoque distractus sequi debet cum eodem reciproco consensu, cum quo contractus initus est, ut locis citatis, & alibi pluries advertitur.

S U M M A,

S I V E

C O M P E N D I U M

Eorum, quæ continentur in hoc titulo de Alienationibus, & Contractibus prohibitis.

INDEX RUBRICARUM.

I.
De alienatione bonorum Ecclesiæ, a *n.* 1. *ad* 52.

II.
De alienationibus, & contractibus Civitatum, seu Universitatum, a *num.* 53. *ad* 62.

III.
De alienationibus, & contractibus filiorumfamilias, a *n.* 63. *ad* 75.

IV.
De alienationibus, & contractibus minorum, a *num.* 76. *ad* 91.

V.
De alienationibus, & contractibus mulierum, a *num.* 92. *ad* 107.

VI.
De alienationibus, & contractibus prodigi, vel amentis, a *num.* 108. *ad* 112.

VII.
De alienationibus, & contractibus super bonis, ad quorum titulum Clericatus est ordinatus, a *n.* 113. *ad* 115.

VIII.
De alienationibus, & contractibus factis per carceratum, vel subditum, a *n.* 116. *ad n.* 117.

IX.
De alienationibus, & contractibus in forenses, & de bonis litigiosis, a *n.* 118. *ad* 119.

X.
De sponsionibus, ludis, flocchis, civantiis, & aliis prohibitis a *num.* 120. *ad* 135.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *CErta est regula prohibitiva alienationis bonorum Ecclesiæ, neque tollit possessionem.*
2 *De inspectionibus ad quas universa materia restringitur.*
3 *Qui actus veniant sub alienatione prohibita, recensentur.*
4 *Si fiat locatio, vel concessio ultra triennium, corruit in totum etiam pro triennio.*
5 *Quid si fiat pro triennio cum pacto renovationis.*
6 *Quomodo fiat annorum, vel triennii computatio.*
7 *Impositio servitutis est prohibita.*
8 *Item impositio census.*
9 *An hypotheca veniat sub prohibita alienatione?*
10 *Quid de transactione.*
11 *Et quid de compromisso.*
12 *De suppressione, unione, divisione, diminutione, & aliis.*
13 *Ecclesiæ, Monasteria, & Conventus cadunt sub prohibitione activa.*
14 *Quid de locis piis, societatibus, & hospitalibus laicorum.*
15 *Ut bona Ecclesiastica dicantur alienari prohibita, debent esse quæsita, & incorporata.*
16 *Secus autem ubi agitur de quærendis.*
17 *Stabilia vero veniunt sub prohibitione.*
18 *Item census, canones, livelli, loca montium, & similia.*
19 *Nisi agatur de eorum necessaria retrovenditione.*
20 *Jurisdictiones etiam, & præeminentiæ veniunt sub prohibitione.*
21 *Prohibitio procedit etiam si in aliam Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas fiat alienatio.*
22 *Quid de pecunia.*
23 *Et quid de animalibus.*
24 *De incisione arborum.*
25 *De Molendinis.*
26 *Ultra solemnitatem requiritur causa, quam solemnitas non supplet, & quæ sit causa.*
27 *Ad regulandam causam attenditur tempus contractus.*
28 *Circa causam non defertur assertioni Prælati, vel executoris.*
30 *An consensus Capituli etiam hodie requiratur?*
31 *De clausula* vocatis vocandis.
32 *Non prodest beneplacitum Apostolicum non bene exequutum.*
33 *Non attenditur alia subreptio, vel obreptio nisi ea, quæ respiciat causam.*
34 *Justificatio causæ fieri debet ex actis, nisi antiquitas temporis cum observantia accedat.*
35 *De beneplacito Apostolico præsumpto, & quando intret.*
36 *Qualis ad hunc effectum debeat esse observantia.*
37 *Quando cesset præsumptio beneplaciti, non obstante lapsu temporis.*
38 *De Constitutione Urbani VIII. tollente Apostolicum beneplacitum.*
39 *A quo tempore metienda sit centenaria per dictam Constitutionem præservata.*
40 *Eadem Constitutio præservat ea, quæ in litem deducta erant.*
41 *Mobilia, & nomina debitorum, ac similia non cadunt sub prohibitione.*
42 *Cessat prohibitio, ubi ille, qui bona concessit, alienandi facultatem dedit.*
43 *At etiam in Ecclesia, quæ sit incapax retinendi, & declaratur incapacitas.*
44 *Item in alienatione necessaria ex causa retractus, vel redemptionis.*
45 *Vel in casu præcisæ necessitatis.*
46 *Et in bonis modici valoris ad materiam c. terrulas.*
47 *Vel in quærendis, & non incorporatis, & supra num. 15. & 16.*
48 *Alienatio fructuum, vel commoditatis non est prohibita.*
49 *Concordia inter ejusdem Ecclesiæ Ministros non cadit sub prohibitione.*
50 *Neque cadunt bona concedi solita.*
51 *De requisitis hujus conclusionis, & quando dicatur bona concedi solita.*
52 *Posita nullitate, an restituantur fructus, & quando?*

II.

53 *Quæ solemnitates de jure requirantur in alienatione bonorum Civitatis, seu Communitatis.*
54 *Quod sit deferendum locorum legibus, & usibus, & quales isti sint.*
55 *Laudabilius est, ut Populus repræsentetur a certo Consilio civium qualificatorum, quam ut ille totus congregetur.*
56 *Causa necessitatis, vel utilitatis semper est necessaria, & non suppletur per solemnitates.*
57 Civitas, *vel Communitas censetur jure pupilli, vel minoris.*
58 *Impositio census, vel servitutis, aut amissio jurium incorporalium veniunt sub prohibita alienatione.*
59 *In Regno Neapolitano etiam obligationes Civium particularium pro Communitatibus sunt invalidæ.*
60 *Non possunt alienari, vel obligari bona Communitatis etiam accedente solemnitate, & causa in præjudicium aliquorum particularium jus habentium.*
61 *An requiratur solemnitas subhastationis?*
62 *De addictione in idem.*

III.

63 *De duplici materiæ inspectione.*
64 *De jure communi prohibitio filiorumfamilias est pro solo interesse patris.*
65 *Atque juramentum tollit omne impedimentum, quod a jure manat.*
66 *Quando patre non habet usumfructum, cessat obstaculum in actibus inter vivos.*
67 *Frequentes quæstiones in materia cadunt ratione jurium municipalium.*
68 *Juramentum facit quoque cessare Statuta etiam Papalia, nisi derogetur.*
69 *An, & quando leges laicales derogent etiam juramento, & operentur in actibus juratis?*
70 *Ubi juramentum non obstat, quando actus gesti cum filiofamilias valeant Statuto prohibitivo non obstante.*
71 *Præsertim quando dicatur vivere seorsum, & publice negotiari.*
72 *Statutum Urbis, an locum habeat cum districtualibus?*
73 *Attento hoc statu consensus patris est pro interesse non pro solemnitate, quod regulariter ubique procedit.*
74 *In beneficiis, & pensionibus, aliisque spiritualibus, non adest patria potestas.*
75 *Quando pater tanquam legitimus administrator filii alienet, seu alias pro eo contrahat, & quomodo.*

IV.

76 *Ea quæ de minoribus a jure communi Statuta sunt, cessent ex juramento.*
77 *Quando secus, & an sit peculiare minorum, & in quo isti differant a majoribus?*
78 *De differentia nullitatis resultantis a jure communi, vel a Statuto.*
79 *An nullitas allegetur a tertio, & de differentia inter unam, & alteram nullitatem?*
80 *De solemnitatibus statutariis remissive.*
81 *Concurrentibus Statuto particulari loci subditi, & altero loci dominantis, quale attendi debeat, & an utrumque, & quid de Ægidiano?*
82 *Quid de concursu Statutorum Urbis 113. & 152.*
83 *Quid disponant hæc Statuta, & quod impositio censuum sit alienatio stabilium.*
84 *Dos respectu minorum an sit privilegiata?*
85 *In beneficialibus, & spiritualibus minor ætas non attenditur.*
86 *Quid de minore asserente se majorem.*
87 *Qualis dicatur major ætas, & de variis legibus super hoc.*
88 *Si quis est major in patria, & minor in loco contractus, vel e contra, qualis locus attendatur.*
89 *De accessu extra locum Statuti, ut ibi fiat actus.*
90 *Minor Juris Doctor, vel Professor, an gaudeat privilegio minoris, & quid de Mercatore?*
91 *De minore in judicio remissive.*

V.

92 *Mulieres majores de jure communi sunt habiles ad contrahendum.*
93 *In quibus casibus sint inhabilitati,* Vellejani *scilicet, & legis* Juliæ.
94 *Utraque inhabilitatio cessat ex juramento.*
95 *In quo differant mulieres a viris, attenta dispositione juris communis.*
96 *De invalida deterioratione dotis juramento non obstante.*
97 *Quando etiam de jure communi, cessante juramento, cessat inhabilitatio, de qua n. 93.*
98 *De quæstionibus cadentibus occasione Statutorum.*
99 *De veritate causæ ad formam Statuti Urbis, vel similium.*

100 *Quomodo ista quæstiones decidenda sint.*
101 *Solemnitates desiderantur etiam cum alia mulitre, vel æque privilegiata.*
102 *Quid in contractibus cum pia causa, vel Ecclesia.*
103 *Non desiderantur in concernentibus mercaturam.*
104 *Neque in actibus judicialibus.*
105 *De aliis casibus, in quibus idem procedat; nempe si coram Principe, vel alienum negotium gerendo, vel in actibus necessariis.*
106 *Actus non solemnes non obligant, sed attendantur ad probandum.*
107 *Ex causa dotis solemnitates non desiderantur.*

VI.

108 *De amentium inhabilitate.*
109 *Hebetudo mentis hunc effectum non operatur.*
110 *Quid operetur hebetudo mentis in actibus obligatoriis.*
111 *De actibus gestis a prodigo, & quando sint invalidi, cum aliis ad materiam.*
112 *Juramentum, & favor pia causa non operatur.*

VII.

113 *Clerici sæculares non prohibentur alienare, vel contrahere etiam de bonis Ecclesiasticis inter vivos ultra fraudem.*
114 *Non autem Clerici regulares, & de ratione.*
115 *Fallit conclusio, de qua n. 113. in bonis, ad quorum titulum quis est ordinatus, & quomodo.*

VIII.

116 *De obligationibus, & contractibus carcerati.*
117 *De illis subditi cum Superiore, vel cum Judice, Notario Apostolico, Medico, & similibus.*

IX.

118 *De materia prohibitionis alienationis in forenses.*
119 *De materia prohibita alienationis rei litigiosæ.*

X.

120 *Sponsionum contractus an valeant, & quando non; & super quibus fieri non possint?*
121 *An intret læsio, vel inæqualitas?*
122 *An valeat sponsio super casu, qui tunc jam evenerat?*
123 *In hac materia sponsionum stricte proceditur, quod declaratur.*
124 *De materia ludi, quodque pro eo non detur actio, etiamsi debitum ex causa ludi in aliam causam debendi convertatur.*
125 *De civantiis, & stocchis &c.*
126 *De aliis alienandi prohibitionibus particularibus in feudis, & fideicommissis, &c.*
127 *De duplici specie transactionis, vel transigentium.*
128 *Sine lite non datur transactio, sed quoad ipsos transigentes, sufficit lis habitualis, vel ejus justus timor, & modica dubietas, quæ ab alius Doctoris opinione resultat.*
129 *Debet hinc inde dari, vel dimitti, sed etiam modicum quoad ipsas sufficit.*
130 *Transactio erronea, vel ex falso præsupposito est invalida.*
131 *Datur etiam læsio in transactione ad terminos text.* in l. 2. C. de rescind. vend.
132 *Quando transactio afficiat feudatarium, vel emphyteutam, seu fideicommissarium, jure proprio venientem independenter.*
133 *Non bene congruunt contra tertium venientem jure proprio ea, quæ procedunt contra ipsas transigentes.*
134 *Bona fides in dubia præsumitur, donec probetur contrarium.*
135 *Transactio venit sub alienatione prohibita, easdemque exigit solemnitates, & causas.*

I.

De alienatione bonorum Ecclesiæ.

1 NEglectis, Foro incongruis, atque Reipublicæ inutilibus quæstionibus, primitivæ Ecclesiæ usum concernentibus, circa temporalium bonorum potius retentionem, quam alienationem prohibitam, retentaque regula prohibitiva, utpote apud bonos Catholicos, nullam hodie admittente quæstionem, ubi justa causa, cum solemnitate juncta, vel aliqua peculiaris ejusdem regulæ limitatio non accedat, adeoque actus remaneat nullus, ut neque privet possessione, cujus ratione interdictum etiam retinendæ Ecclesiæ competit.

Ad sex inspectiones universa hæc materia restringi videtur, primo nempe ad prohibitæ alienationis species, secundo ad Ecclesias, piaque, vel Ecclesiastica loca, quibus hæc prohibitio inest, tertio ad qualitatem bonorum 2
sub eadem prohibitione cadentium, quarto ad causam, quinto ad solemnitatem, & sexto ad casus exceptos, vel regulæ prohibitivæ limitationes.

Sub prohibitæ alienationis proprio, ac stricto vocabulo, 3
sine dubio veniunt illi actus, per quos omnimodum, plenumque dominium ab Ecclesia abdicetur, atque in alterum transferatur, ut sunt, venditio, vel insolutum datio (quæ venditionis jure in omnibus censetur) donatio, & permutatio, itemque illi actus, qui licet non pleni, ac omnimodi, subalterni tamen, sive utilis dominii in perpetuum, vel ad longum tempus antiquiori canonico jure, hodie vero per modernam extravagantem (cum qua vivitur) ultra triennium abdicationem, ac respectivè translationem important, ut sunt feudum, emphyteusis, locatio, censuatio, livellaria concessio, & similes.

Triplici quæstione cadente super triennalis temporis 4
præfinitione, primo nempe, quatenus pro majori tempore alienatio fiat, an solo excessu vitiato, validus remaneat actus pro tempore permisso, vel potius utili per inutile vitiato, totus corruat, itaque posterior verior magisque recepta est.

Secundo ubi pro solo permisso tempore alienatio fiat 5
sub lege renovationis ad aliud æquale, vel minus permissum tempus, id sustineatur; receptaque distinctio est, an renovatio necessaria, & Ecclesiæ obligatoria sit, vel potius mere voluntaria, & libera, ut primo casu actus ab initio totus vitiatus maneat, altero autem licitus, ac validus.

Et tertio circa supputationem anni, an scilicet ille at- 6
tendi debeat, qui juxta solarem cursum duodecim mensium, seu 365. dierum spatio perficitur, ut communis est humani commercii usus, vel potius ab omnium fructuum perceptione, integraque recollecta regulam accipere debeat, receptaque distinctio est inter fructus civiles, quos alii mere industriales appellant, ac naturales, vel mixtos a natura scilicet productos, hominis tamen industria indigentes, ut in prima specie, de qua sunt prædiorum urbanorum, censuum, vectigalium, decimarum, similiumque jurium fructus, ac emolumenta, solaris cursus attendi debeat, in altera vero specie, integra quælibet recollecta unum annum constituat, quamvis plurium solarium annorum decursum exigat.

Servitutum, aliorumque onerum realium impositio, 7
quæ ipsorum bonorum substantiam percutiat, atque jus reale tribuat ei cui concessio facta sit, sub prohibitæ alienationis genere venit, prout etiam consignativi census im- 8
positio, utpote res stabilis exigens subjugationem, ex veriori, receptaque sententia, sub hac prohibitione cadit.

Quæstione cadente super simplici hypotheca, in qua li- 9
cet non modica Scribentium pugna dignoscatur, verius tamen decisio ex ea distinctione pendet, an ea sit specialis, quæ ipsam rem, ejusque substantiam percutiat, eaque sub prohibitione cadat, secus autem ubi solam commoditatem, utpote nudi facti pro jure Prælati, vel Rectoris, multo vero magis verum pignus cum actuali traditione prohibitum est, generalis vero hypotheca non prohibita ad effectum pœnarum, vel ejus exercitii super fructibus, vel commoditate, secus autem ubi jus reale inficiat, atque substantiam percutiat, unde connaturalis bene impositæ hypothecæ effectus resultare valeat judicialis executionis, ac alienationis.

Super transactione quoque inita in bonis, vel juribus 10
alienari prohibitis, non modica Scribentium pugna est, an ea sub prohibitæ alienationis genere veniat, aliquibus simpliciter affirmantibus, aliis vero simpliciter negantibus, aliisque distinguentibus, an Ecclesia controversa bona retineat, vel dimittat, magis tamen communis, & recepta est prima opinio simpliciter negativa, quoties jura, vel bona diminutionem patiantur, vel servitutem, aliudque reale onus recipiant, nisi pro incerto litis eventu evitando, bonisque, vel juribus sub ea existentibus acquirendis, vel conservandis, illæ res dentur, quæ alienari prohibitæ non sint.

Compromissum quoque, ubi tam de jure, quam de 11
facto fiat, prohibitum est, quoties voluntarium, secus autem si necessarium sit utpote inductum ab ea lege, quæ Ecclesiam quoque obliget.

Sub eadem prohibitione quoque cadunt suppressio, 12
dismembratio, divisio, subjectiva unio, vel prioris juris, ac redituum diminutio, quæ translationis voca-

bulo

bulo vulgo explicari solet, aliique actus eundem effectum
producentes, cum aliquibus moderationibus, de quibus
in sua sede.
13 Altera est inspectio, quænam sint Ecclesiæ, vel eccle-
siastica, piaque loca, quibus hæc prohibitio insit; illaque in
Ecclesiis, & Monasteriis, aliisque locis, quæ non dubi-
tetur esse vere ecclesiastica, exceptis casibus de quibus in
ultima limitationum inspectione, modicam fereque nul-
lam recipit dubitandi rationem, cadentem solum in laico-
rum Congregationibus, vel Oratoriis, aut Hospitalibus,
& Montibus, aliisque locis, vel operibus ad pietatem insti-
tutis sub laicorum administratione, in quibus dubitatio ca-
14 dat, an vere ecclesiastica, vel solum pia dicenda sint, cum
sola pietas, absque ecclesiastica qualitate, ad id non suffi-
ciat; neque Ordinarii jurisdictio in visitatione, vel ratio-
num redditione ecclesiasticam qualitatem inducit, nisi for-
malis erectio cum Ordinaria, vel Apostolica auctoritate,
atque Ecclesia, & campana, aliaque signa accedant, ut
in sua sede, cum ita facti potius, quam juris quæstio sit,
uniformem propterea non recipiens regulam, sed pro sin-
gulorum casuum peculiari qualitate decidende.
15 Tertia est inspectio super bonis, vel juribus sub hac pro-
hibitione cadentibus, in quibus qualia quælia sint, ea in
primis intrat regula generalis, ut Ecclesiæ, vel ecclesia-
stico loco effective quæsita, & incorporata sint, adeout
alienatio formalem dominii, vel juris jam quæsiti abdica-
tionem, ac patrimonii Ecclesiæ diminutionem importet,
quamvis possessio de facto per alium occupata sit, secus
autem ubi agatur de quærendis, quoniam potest Prælatus,
vel Rector non acquirere, atque abstinendo, alieni locum
in eis aperire, vel relinquere, quinimmo etiam translati-
ve cedere, dummodo id instantanee sequatur, quoniam
16 ea instantanea acquisitio, quæ hujusmodi cessioni inesse
dicitur, ex veriori sententia non est considerabilis.
Non denegatis tamen Ecclesiæ remediis pro ejus rein-
tegratione, quando hic actus justa causa destitutus læsio-
nem redoleat contra Prælatum, vel administratorem, ac
etiam contra ipsamet bona in subsidium ex restitutione in
integrum.
17 Posita ista qualitate acquisitionis, & incorporationis,
citra controversiam est, sub hac prohibitione venire ea
bona, quæ per veritatem, utpote soli, stabilia sint, sive
de rusticis, sive de urbanis agatur absque aliqua valoris
discretione, solum consideranda circa majores, vel mino-
res solemnitates juxta distinctionem, de qua in solemni-
tatum Rubrica.
18 Ea vero, quæ per veritatem stabilia non sunt, sed ex
legis fictione talia reputantur, sive tertiam speciem inter
stabilia, & mobilia constituunt, sub eadem prohibitione
cadunt, ut sunt, census reservativi, vel consignativi, ca-
nones, libelli, tributa, servitutes activæ, loca montium,
seu jura cum Principe, vel Republica, & similia, quo-
19 ties tamen de voluntaria, secus autem si de necessaria
alienatione agatur.
20 Jurisdictiones quoque, ac præeminentiæ, aliaque jura
honorifica, & præeminentialia, multo vero magis realem
utilitatem annexam habentia, sub eadem prohibitione
veniunt.
21 Atque in his omnibus, ac aliis, quæ eidem prohibi-
tioni subjecta sunt, nil refert, an in sæcularem, vel ec-
clesiasticam personam alienatio fiat, cum etiam inter
unam Ecclesiam, & aliam, quinimmo inter ejusdem Ec-
clesiæ Cappellas, & beneficia, vel membra, eadem pro-
hibitio urgeat, cum declarationibus, de quibus in ultima
limitationum inspectione.
22 In pecunia, quæ in stabilium, vel æquipollentium ac-
quisitione destinata est, sive in ea, quæ ad formam the-
sauri, vel peculii, pro Ecclesiæ stylo, vel dignitate reti-
netur, eadem viget prohibitio, qualis quoque dignoscitur
in mobilibus valde pretiosis perpetuæ conservationi pro
Ecclesiæ decore, pro eorum qualitate destinatis.
23 In semoventibus, ubi formalem universitatem consti-
tuant, ab antiquo possessam per speciem corporis, vel ca-
pitalis fructiferi pro facti qualitate eadem cadit prohibi-
tio, arborum quoque incisio est prohibita, ubi de silvis
24 cæduis non agatur, nisi in non cæduis pro consuetudine
id fiat ad rarefaciendum, vel alias meliorandum, & in
25 molendinis distinctio est, an soli sint, vel mobilia in
flumine tanquam navium species, ut in prima, non
autem in secunda specie, prohibitio cadat.
26 Quarta est inspectio (super qua frequentiores Fori quæ-
stiones circumferri solent) circa causam, quæ omnino
necessaria est, adeout beneplacitum Apostolicum, vel quæ-
cumque alia solemnitas eam non suppleat, illaque duplex
est, necessitatis scilicet, quæ debet esse magna, & præ-
cise, adeout alias occurri non valeat, & utilitatis, quæ
debet esse certa, & evidens, unde propterea non sufficit
abesse læsionem intra illam ratam, quæ in jure inter pri-
vatos permissa est, quoniam in damno esse dicitur Eccle-
siæ, eo ipso, quod in hac materia non est in utilitate.
Ad hanc autem utilitatem metiendam, attenditur qui- 27
dem tempus contractus, non curato, an ex insperato ac-
cidenti, obvenerit damnum, de tempore contractus pro-
babiliter non prævisum, ita tamen ut actus non sequatur
tempore calamitoso, vel alias accidentali, sed probabiliter
utilitas perpetuo duratura speretur.
Neque circa hujusmodi necessitatis, vel utilitatis cau- 28
sam, Prælati, vel administratoris, sive etiam execu-
toris assertioni defertur, sed de illa formiter, atque
per sufficientes probationes constare debet, cum in pro-
hibitis confessionibus, vel assertionibus deferendum non
sit, ne indirecte sequatur quod est directe prohibitum,
atque lex, verbis potius, quam rebus imposita dica-
tur.
Quinta est inspectio solemnitatum, super quibus, ca- 29
nonum dispositione attenta, quamplures cadebant quæ-
stiones, & controversiæ, hodie tamen sopitæ per mo-
derniorem Pauli II. Constitutionem sub nomine *Extra-
vagantis* in corpore juris registratam, per quam ubi de
rebus modici valoris non agatur, præcise necessaria est
Apostolici beneplaciti solemnitas, sine qua reliquæ om-
nes, quamvis diligenter adhibitæ, nihil prosunt; ea
vero accedente, utpote omnium suppletiva etiam con- 30
sensus Capituli, quod principaliter interessetum non sit,
aliæque solemnitates per canones præscriptæ (quicquid
alique teneant) ex veriori, ac recepta sententia, non
desideratur, quamvis beneplacitum contineret clausu-
lam *Vocatis Vocandis*, intelligendam de iis, qui pro 31
interesse formali, non autem pro solemnitate vocandi
sunt.
Non sufficit autem hujus beneplaciti interventus, nisi 32
ejus forma bene in omnibus impleatur, eique legitimæ
executioni demandetur, cum paria sint, nullum adesse
beneplacitum, vel adesse, sed male exequutum.
Hæc autem executio principaliter versatur super veri- 33
ficatione causæ, a qua pendet etiam ejusdem beneplaciti
validitas, eaque concurrente, ac bene verificata, non
de facili aliud subreptionis, vel obreptionis vitium at-
tenditur, dictaque justificatio, ex actis, ac formali pro- 34
cessu resultare debet, nisi antiquitas temporis ultra trige-
simum annum, cum legitima observantia junctum, hu-
jusmodi justificationis præsumptionem inducat, eo modo,
quo in quacumque sententia antiqua, & exequuta in ju-
ra habetur.
Ubi vero de explicito beneplacito Apostolico legitime 35
exequuto, & justificato, ut supra, non constet, juris
communis dispositione attenta, prius quam ab Urbano
VIII. Constitutio ederetur, ejusdem beneplaciti præsum-
ptio resultat ex lapsu temporis longissimi 30. annorum,
juncti cum observantia, adeo ut unum sine altero non
sufficiat, istaque præsumptio geminatum producit effe-
ctum circa utrumque requisitum, solemnitatis, & cau-
sæ, cum illa quoque præsumatur, dummodo tamen ex-
plicitus titulus accedat, unde propterea, fictio, seu præ-
sumptio, veritatis fundamentum habeat, ne alias detur
præsumptum super præsumpto, vel in jure prohibita fi-
ctionum, ac præsumptionum multiplicatio, quæ circa
idem admittenda solum est, quando unum veniat in con-
sequentiam alterius.
Observantia vero, quæ copulative cum longissimi tem- 36
poris decursu necessaria est, pacifica, continua, & uni-
voca esse debet, unde interrupta, vel æquivoca, sive
non continua non suffragatur, ideoque nil refert, quod
unicus, vel aliqui actus fiant pro observantia, vel im-
plementum plurium annorum dictum tempus constituen-
tium.
Quia vero hæc simplex juris præsumptio est, contra- 37
ria probatione, vel fortiori præsumptione elidibilis,
hinc cessat, vel quia negativa beneplaciti veri ex revo-
lutione registrorum, seu alias bene coarctata sit, ut ab
aliquo moderno tempore post Urbis excidium, ac mode-
ratam Summi Pœnitentiarii, ac aliorum potestatem est
verificabile in aliis actibus, qui per Sac. Congregationes
expediri non solent, vel quod alias de negativa con-

ftet, five quod ipfe actus ex fui facie, damnum, feu ju-
ftæ caufæ abfentiem redolcat, adeoni, aitentu ftylo, qui
eil voluntatis Pepæ regulator, Papa non effet verifimiliter
conceffurus, cum fictio fupplere non poffit id quod ve-
rum effe non valeat.

38 Per dictam vero Urbani VIII. Conftitutionem ifta præ-
fumptio laicorum favore fublata eft, præfervata fulum
ea, quæ e centenaria refultet, firma tamen remanente
juris communis difpofitione circa longiffimi temporis ob-
fervantiam in alienationibus, quæ Ecclefiis, vel ecclefia-
fticis perfonis factæ fint, cadente quæftione, an centena-
ria per dictam Conftitutionem præferveta, eb ejufdem
Conftitutionis tempore metiende fit, vel potius a die
39 alienationis, ufque ad illam motæ controverfiæ, proba-
biliorque videtur hæc pars pofterior.

40 Prout etiam ea, quæ jam in litem deducta erant, ea-
dem Conftitutio præfervat, ot ex juris communis difpo-
fitione regulanda fiut, ideoque longiffimi temporis obfer-
vantia fufficiat.

41 Ultima demum infpectio eft cafuum exceptorum, feu
fallentium regulæ prohibitivæ, quæ plures effe dignofcun-
tur, primo fcilicet generaliter in mobilibus, ac nomini-
bus debitorum, ec aliis, quæ non cadant fub eo bono-
rum genere, quod fub hac regula cadere in tertie infpe-
ctione advertitur, fecundo ubi per eum, qui bona Eccle-
fiæ ea liberalitate conceffit, & qui poterat non concede-
42 re, ifta lex, vel facultas adjecta fit, cum nullibi jus ve-
ret Dominum, quin hanc legem rei fuæ præbeat, tertio
ubi Ecclefia fit capax quidem ecquirendi, incapax au-
43 tem retinendi, idque dupliciter contingere poteft, vel
quia incapacitas retinendi ex ejus inftituto proveniet, ut
funt Domus profeffæ Societatis Jefu, Minores obfervan-
tes (non tamen obfervantiæ ftrictioris) Clerici Regulares,
nuncupati *Theatini*, & fimiles, vel quia de jure cautum
fit, ut Ecclefia tanquam manus mortua retinere non va-
leat, ut in bonis emphyteuticis contingit, cum fimili-
bus, quarto ubi alienatio neceffaria fit, vel fcilicet ra-
44 tione juris redimendi, vel ratione retractus legalis, aut
quod alias actus, neceffitati potius, quem voluntati refe-
ratur, quinto ubi exigat imminens, ac præcifa neceffi-
45 tas, cui alias occurri non valeat, fexto ubi de rebus
modici valoris ad terminos text. *in capit. terrulas*, quem
46 receptum eft remanete incorrectum, ubi ejus forma, vel
requifita ferventur, feptimo ubi de bonis, vel juribus
47 quærendis, & adhuc Ecclefiæ non incorporatis, quamvis
alienatio per antecedens neceffarium fupponat præambu-
lam acquifitionem, quæ tanquam inftantanea non atten-
ditur, octavo ubi agatur de alienatione fructuum, vel
48 commoditatis, adeout ipforum bonorum fubftantiam alie-
natio non tangat, neque jus Ecclefiæ minuat, nono ubi
inter ejufdem Ecclefiæ Miniftros, & fervientes fuper de-
cimarum, & funeralium, aliorumque fructuum, & e-
49 molumentorum participatione tranfigatur, adeout ipfius
Ecclefiæ jure intacto remanente, contractus folam perti-
nentiam, vel participationis modum percutiat, & deci-
50 mo (quod frequentius in Foro difputari contingit) ubi
agatur de bonis concedi, vel alienari folitis.

51 Ad hujus autem limitationis verificationem, vel pra-
xim, plura defiderantur, primo nempe, ut inductum fit
hoc folitum, quod induci dicitur, vel per unam concef-
fionem folemnem effectum fortitam, vel per duas non
folemnes, quæ continuato fpatio quadraginta annorum
effectum fortitæ fint, fecundo, ut idem folitum non al-
teretur in præjudicium Ecclefiæ, ac alias alteratio annul-
lat actum, atque utile per inutile vitiatur, & tertio,
ut accedat Ecclefiæ utilitas, metienda de præfenti, non
autem de tempore primæ conceffionis, nifi nova concef-
fio, feu renovatio fit neceffarie, prohibita alteratione ca-
nonis, vel alterius oneris, ut in emphyteuticis renova-
tionibus, quæ ex Apoftolicis indultis de neceffitate de-
bentur, in plerifque Italiæ partibus praxis docet, quar-
to, ut eadem concedendi caufa, feu ratio vigeat, adeout
rerum ftatus non fit immutatus, quinto, ut bona non
fint jam valide, ac perfecta incorporata cum aliis, quo-
ties dictæ neceffitas renovationis non cogat.

52 Nullitate pofita, fructus reftituendi funt, eofque pof-
feffor non facit fuos, nifi nullitas adeo dubia fit, ut ju-
ftam præbeat excufationem, vel nifi agatur de fructibus
cenfuum fponte folutis, qui non repetuntur, nec impu-
tantur, ex fructibus autem deducuntur expenfæ, ac etiam
id quod in Ecclefiæ utilitatem verfum eft.

Pleraque alia in materia contingunt, quæ utpote in
Foro tera, atque ex facti qualitate potius determinatio-
nem recipientia, in propria fede videnda funt. *a*

a *De his omnibus difcurf.* 1. *generali*, & *a difcurf.* 2. *ad* 22.

II.

De alienationibus, & contractibus Civitatum, five Communitatum, vel Univerfitatum.

QUamvis jus commune in alienationibus bonorum 53
Civitatum, aliorumque locorum Univerfitatem con-
ftituentium, alicubi fub Communitatis vocabulo expli-
catam, plures induxerit folemnitates, ut funt, Judicis
auctoritas, totius Populi legitima congregatio, omnium
congregatorum diftincta defcriptio, eorundem confenfus
pro duabus ex tribus partibus, juramenti præftatio, fub-
haftatio, jufte caufa neceffitatis, vel utilitatis (atque
juxta unam opinionem) Principis licentia, praxis ta-
men docet, ut certa regula defuper ftatui non valeat,
cum ob tot Principatuum diverfas leges, diverfofque fty-
los, quinimmo, & ejufdem Principatus Provinciarum, 54
vel partium eandem diverfitatem cujuslibet loci legibus,
vel ftylis particularibus deferre oporteat, adeout ea, quæ
a juris communis difpofitione, vel intentione derivant,
pro hujufmodi legum particularium interpretatione, vel
fuppletione defervire videantur, alicubi enim, affenfus
Principis, vel ejus Vicarii omnino neceffarius eft, ali-
cubi vero fufficit ille Judicis, vel alterius inferioris Ma-
giftratus, prout alicubi in ufu eft, ut totus Populus in
generali confilio congregetur, alicubi vero (& laudabi-
lius) habetur Confilium, quod utpote difcretum ab ordi-
nario particulari Magiftratu, generale dicitur, ex certo
competenti qualificatorum civium numero conftitutum, 55
quod univerfum Populum repræfentat, cum fimilibus,
certam regulam generalem non de facili recipientibus,
utpote ex fingulorum Principatuum, vel Civitatum ufu
determinandis.

Illud autem generaliter, ac ubique videtur neceffarium 56
requifitum, quod in jufta caufa confiftit, quam quælibet
folemnitas non fupplet, cum Civitas jure pupilli cenfeatur,
ideoque abfque neceffitate, vel utilitate fieri non poteft
alienatio, fub cujus nomine, cenfus, vel alterius fervitu- 57
tis impofitio, feu jurium incorporalium amiffio, vel di-
minutio quoque venit, eodem modo quo in alienatione 58
bonorum Ecclefiæ advertitur, cum eadem ratio vigeat.

Adeoque alienationes, vel cenfuum, aliorumque one- 59
rum impofitiones, Civitatibus, vel Communitatibus pro-
hibitæ funt abfque folemnitatibus, & caufa, ut in pleriſ-
que partibus, præfertim vero in Regno Neapolitano,
actus ipfo jure infectus cenfeatur, quamvis per cives par-
ticulares privato nomine agatur, quoties tamen alter con-
trahens fit confcius, unde propterea legi fraus fieri dica-
tur, cum aliis in fua fede, non de facili fub compendio
cadentibus, utpote a facti qualitate metiendis.

Bonorum etiam quæ obligari, vel gravari contingat, 60
qualitas confideranda eft, fæpius enim cafus præbet, ut
ea quæ de Civitatis, vel Communitatis dominio exiftunt,
aliquorum particularium civium ufui, vel utilitati defti-
nata fint, ideoque ubi etiam utrumque folemnitatis, &
caufæ requifitum accedat, non fufficit, nifi intereffatorum
confenfus etiam adfit.

Super fubhaftationis folemnitate, vel forma plerique 61
variant, obfervantiæ tamen ut fupra deferendum eft,
idemque circa addictionem in diem, an adinftar Fifci ad-
mittenda fit; fuper hoc autem, alii fimpliciter negant, 62
alii vero affirmant, atque alii diftinguunt inter vectiga-
lia, & reliqua bona privata, verius autem eft, Judicis
arbitrio ex facti qualitate id remiffum effe, præfertim an
re integra necne. *b*

b *De his omnibus difc.* 23. & *feqq.* & *fub tit. de Regal. difc.* 81. & *fub tit. de locat.* & *conduct. difc.* 46.

III.

De alienationibus, & contractibus filiorumfamilias.

DUpliciter de validitate alienationum, aliorumque 63
contractuum filiorum familias in Foro agi folet,
primo nempe, ubi per fe ipfos fiant abfque confenfu
pa-

patris, in cujus potestate reperiantur, & secundo, ubi per
ipsum patrem tanquam legitimum administratorem, alie-
nationem, aliumque contractum fieri contingat, primo
casu, juris communis dispositione attenta, nimium raras,
peneque nullas Forum audit quæstiones in iis bonis, quæ
juxta peculiorum introductionem a novissimo jure factam,
de ipsorum filiorumfamilias dominio existant, quoniam
verius est, patris consensum pro solo interesse ususfructus,
quatenus iste competat, desiderari, ideoque salvo hoc ju-
64 re, nil prohibet alienationem, aliumve contractum, po-
tissime vero, ubi jurisjurandi vinculum accedat, quod
65 omne dirimit impedimentum a juris positivi dispositione
alias manans.

66 Ubi vero neque hoc interesse urgeat, quia nempe, ex
legis, vel hominis dispositione, ususfructus legalis perti-
nentia cesset, nulla cadit dubitandi ratio, quæ solum ad
testamenta, aliasque ultimas voluntates restringitur, ideo-
que extra rem nostram.

67 Frequentes autem quæstiones Forum audit ex Statutorum,
aliorumque municipalium jurium dispositione resultantes,
per quæ filiisfamilias, absque patris præsentia, vel con-
sensu, contrahere interdicatur sub decreto annullativo,
illoque casu, ob nimium frequentem usum, vel abusum,
68 in quolibet pene contractu quasi pro stylo adhibendi jura-
mentum, eo accedente, per illud omnis juris positivi dis-
positio cessat, quamvis Pontificia confirmatione munitum
sit, cum adhuc ex voluntatis defectu, actus jurati sub eo
regulariter non veniant, ideoque inspiciendum est, an ju-
ramento quoque derogetur; hujusmodi etenim deroga-
tione accedente, ob quam ambiguæ voluntatis quæstio ces-
69 set, altera cadit potestatis, quæ laicalibus legibus, ac
alias quam Apostolica auctoritate editis, vel specifice con-
firmatis, tollendi vim juramenti denegatur, secus autem
dicto Apostolico placito in forma specifica accedente, nisi
juramenti indirecta enervatio accedat, quia nempe laicale
Statutum adimat fidem scripturæ, sive præsumat actum
dolo, & metu extorctum, cum tunc juramentum corruat,
suamque consuetam non faciat operationem, non quia lex
illud tollat, vel solvat, sed quia cesset consensus, quo
cessante corruit ex defectu naturæ, cum vinculum Reli-
gionis non foveat simulationem, vel dolum, seu deli-
ctum; aut quia sublata fide scripturæ, de consequenti de-
ficiat ejus probatio, nisi ista extrinsecus, ac alias quam
per scripturam accedat.

70 Ubi ergo juramentum obstet, quæcumque infectio, quæ
a jure positivo manet, per illud cessat, eo autem, uno,
vel altero modo non obstante, facti potius, quam juris
remanet quæstio, vel circa casus, ab eadem lege annullan-
te, sive prohibente exceptos, vel circa patriæ potestatis
cessationem, quoties de explicita emancipatione non con-
stet, ideoque ex argumentis creditorem excusantibus, eam
deducere oporteat, quia nempe a patre seorsum vivat, seu
publice tanquam paterfamilias negotietur, aut Magnatis
figuram faciat de per se cum propria familia vivendo,
vel alias juste alter contrahens cum eo contrahere posse
crediderat. Super his autem Juristæ nimium se involvisse
videntur, præsertim vero circa tempus hujusmodi vitæ se-
71 paratæ, vel negotiationis, ipsiusque patris scientiam, &
patientiam, cum aliis per eos ponderari solitis, quæ ta-
men a puncto vere extranea sunt, cum aliud sit princi-
paliter agere de solutione patriæ potestatis inter ipsos pa-
trem, & filium ad effectum firmandi statum personæ, aliud
vero incidenter, ad sustinendum contractum cum tertio,
in quo attenditur bona, vel mala fides, & an juste illum
opinari potuerit necne patremfamilias, ac habilem ad con-
trahendum, quod utpote facti, pro istius qualitate, &
circumstantiis decidendum venit, frequenter casu præben-
te, ut ex duobus, vel pluribus contractibus in eodem lo-
co, & cum eadem persona initis, unus valeat, alter au-
tem non, quia in uno fuerit bona fides, quæ in al-
tero deficiat, ideoque ex facti circumstantiis decisio in
singulis casibus pendet.

72 In specie vero Statuti Urbis, utpote de Romanis civi-
bus loquentis, dubitari contingit, an districtualibus con-
gruat, atque probabilior affirmativa videtur, prout proba-
bilius, magisque receptum est, ab eo paternum consen-
sum, pro interesse potius, quam solemnitate desiderari,
ideoque subsequi, ac præcedere possit, vel etiam per im-
73 plicitam ratihabitionem suppleri, quod generaliter in con-
similibus juribus magis receptum est.

In spiritualibus autem in genere, potissime vero in be-
neficiis, ac pensionibus ecclesiasticis, jus patriæ potesta-
tis nullum est, neque in eis hic terminus filiifamilias 74
cadit.

Ubi vero de altera contrahendi specie agatur, patris
scilicet, ex legali administratione super filii bonis contra-
hentis, dictæ administrationis competentia posita, &
non alias.

Quamvis aliqua patri major tribuatur facultas, quam 75
tutori, vel curatori, adhuc tamen justa necessitatis, vel
utilitatis causa desideratur, sine qua inutiliter contrahit,
ejusdemque filii præsentia, & consensus, ubi sit adultus,
quoque desiderantur, una etiam opinione (quamvis mi-
nus probabili) idem desiderante licet in pupillari ætate
constitutus esset, dummodo doli capax, in iis autem, in
quibus legalem administrationem non habeat, strictius ju-
re tutoris, vel curatoris censendus est, quia nempe pu-
pillaris ætas, seu alias judicii imbecillitas filii ita exigat,
cum aliis in sua sede. c

c *De his omnibus, disc. 27. & 37. sub tit. de cred. disc. 146. & sub tit. de dote, disc. 32. & 143. & sub tit. de don. disc. 39.*

IV.

De alienationibus, & contractibus minorum.

EAdem distinctio inter jus commune, & municipale, 76
cum eisdem subdistinctionibus in jure municipali,
vel statutario, circa juramenti directam, vel indirectam
enervationem, ut in præcedenti Rubrica filiifamilias, in-
trat etiam in minore, cujus respectu, quamvis jus com-
mune plura statuerit circa obligationes, aliosque contra-
ctus præjudiciales, potissimum vero circa bonorum stabi-
lium, vel æquipollentium alienationes, attamen juramen-
tum, quod pro stylo adjici solet, quodcumque juris posi-
tivi obstaculum tollit, quoties juris naturæ defectus, vel
turpitudo, sive ratio publici boni, ejusdem juramenti vim
non tollat, quod tamen minorum peculiare non est,
dum etiam in præstito per majores, idem resultat effe-
ctus, ratione doli veri, vel præsumpti metus, læsionis, 77
erroris &c.

Ea tamen notabili differentiæ ratione inter majores,
ac minores militante, ut minor læsio in minoribus suffi-
ciat, seu minor doli, vel circumventionis probatio, quod-
que facilius luceat restitutionis in integrum beneficium,
quod a juramento non tollitur.

Accedente vero jure municipali, quod juramenti di- 78
recte, vel indirecte, vim bene tollat, nedum juris com-
munis dispositio ita restituta est, juramenti obstaculo sub-
lato, verum etiam alter resultat proficuus effectus nulli-
tatis ipso jure, non autem ope exceptionis, qualis est il-
la a jure communi inducta: idque nimium refert, ad ef-
fectum, ut a tertio quoque nullitas sit allegabilis, sive
quod alios operetur effectus ipso jure, ut in casu Statuti 79
annullativi contingit, cum altera juris communis ipsius
minoris declaratione egeat, qui potest non declarare, at-
que ita implicite validare actum.

Quales autem solemnitates a municipali jure inductæ 80
sint, & quomodo practicandæ veniant, certa non habetur
regula generalis, utpote nudi facti, pro ipsorum Statuto-
rum, seu jurium municipalium tenore, ac varietate, eo-
rundemque usu, vel praxi, cui nimium deferendum est,
ea frequenter disputari solita quæstione, quando duplicis mu-
nicipalis juris dispositio accedat circa idem, puta Statutum
particulare loci inferioris, ac alterum loci dominantis, si-
ve (ut in temporali ditione Ecclesiæ contingit) Statutum 81
particulare loci, & Constitutio Ægidiana ad universam
ditionem prædictam extensa, an scilicet jus particulare,
alterum universale cessare faciat, vel potius utriusque co-
pulativus concursus desiderandus veniat; & quamvis an-
tiquiori tempore, sub non modica quæstione id fuerit,
recepta nihilominus hodie habetur distinctio, ut a com-
patibilitate, vel incompatibilitate decisio pendeat, & an
Statutum particulare adhibitis ab eo desideratis solem-
nitatibus, actum invalidum firmum declaret necne, ut
primo casu, particulari Statuto tantum, secundo autem
utrique satisfacere oporteat, nisi observantia aliter sua-
deat.

In specie vero Statutorum Urbis, uno eorum specia- 82
liter de minoribus disponente, altero vero, tam de i-
psis, quam de mulieribus, apud antiquiores pariter sub
quæstione fuit, an utriusque copulativus concursus desi-
deretur, hodie vero de plano affirmativa recepta est, ut
utrique satisfacere oporteat, ubi agatur de alienatione
stabi-

83 stabilium, de quo Statutum minorum peculiare disponit,
cum aliud quod mulieribus est commune, generaliter quemcumque actum præjudicialem percutiat; Alienationis autem nomine, censuum impositionem quoque venire, receptum est.

84 Dotis contractus, an aliquo potiatur privilegio, ut sub hujusmodi Statutis non cadat, quæstio est, verius autem est nullum adesse contra minores privilegium, nisi ad limites necessitatis, quæ solum absque solemnitatibus, contractum dotalem sustinet.

85 In beneficialibus autem, aliisque spiritualibus, minor ætas considerabilis non est, neque hujusmodi Statutis locus datur.

86 Minore vero se majorem asserente, an valeat actus, certant Juristæ, aliis simpliciter affirmantibus, ubi potissimum jurisjurandi religio accedat, aliis duplex juramentum assertorium, ac promissorium desiderantibus, aliis e converso indefinite negantibus, aliis vero plures casus distinguentibus, & an ex parte minoris accedat dolus, cujus alter contrahens non sit conscius, vel e converso dolus proveniat ex sola parte alterius contrahentis, aut in utroque adsit, verius tamen est, quæstionem ex facti qualitate decidendam esse, & an minoris ita asserentis aspectus, aliæque circumstantiæ, talem credulitatem, bonamque fidem in altero contrahente inducere potuerint, ac debuerint necne, ut illo casu, cessante affectiona, a mala fide actus valeat, secus e converso.

87 Non ubique tamen hodie major ætas est uniformis quemadmodum jure communi Romanorum attento in anno vigesimoquinto Statuta erat, cum per leges particulares, in plerisque præsertim Italiæ partibus diversimode præscripta sit, in Urbe siquidem, ejusque districtu est annorum viginti, in utriusque Siciliæ Regnis, in illa annorum decem, & octo, ac alibi varie pro legum varietate.

88 Hinc oriri solent quæstiones, an ille qui in patria major est, in illo autem contractus minor, vel e converso, extra patriam valide contrahat, & licet non modica inter Scribentes scissura dignoscatur, probabilius tamen est qualitatem naturalem patriæ, tanquam super statu personæ attendi debere, nisi facti circumstantiæ alterum contrahentem excusent, eumque in justa credulitate, bonaque fide majoris ætatis constituant.

89 Ea vero quæ de fraude habentur, discedendo a loco Statuti proprii, ut contrahatur in altero, in quo Statuti prohibitio non vigeat, cum similibus, peculiaria non sunt minorum, sed mulierum etiam, ac aliorum prohibitionem habentium. Quæstio autem facti potius est, quam juris, an scilicet affectatus esset discessus ad legem fraudandam, ut tunc pro actus nullitate respondendum sit, secus autem e converso.

90 Juris Professoribus, potissima autem Doctoratus gradu decoratis, licitum esse contrahere, juris communis, vel municipalis prohibitione non obstante, aliquorum opinio est, minus tamen recepta; Mercatores autem, minoris ætatis beneficio non juvantur.

91 De actibus autem judicialibus absque curatore ad lites in minoribus invalidis, in judiciorum sede actum habetur. d

d *De his habetur ectum disc. 28. cum duob. seqq. 34. & 35. & sub tit. de dote, disc. 17. cum seqq.*

V.

De alienationibus, & contractibus mulierum.

92 MUlieres majores quoad alienandi, & contrahendi,
vel disponendi libertatem, attenta juris communis dispositione, a viris non differunt, sed paritormiter
habilitatæ sunt, exceptis casibus *Senat. Consult. Vellejani* fi-
93 dejubendi pro viro, & legis *Juliæ* super alienatione fundi
dotalis, utraque tamen prohibitio pene oblitata est ex
pluries insinuata abusiva introductione juramenti, quod
in omni contractu, pro stylo, seu clausula per Notarios
apponi solet, cum, juramento accedente, receptum sit
utramque prohibitionem cessare, ex generali regula, ut
94 semper illud servari debeat, quoties bonis moribus naturalibus,
vel publico bono principaliter non obstantibus,
absque æternæ salutis interitu servari potest, illis juris
naturæ defectibus, qui ratione metus, ac doli, vel erroris,
illius vim tollunt, æque militantibus in mulieribus, ac
95 in viris, cum ea differentiæ ratione, ut in fragiliori sexu,
facilior sit probatio.

Ex moderna vero potius DD. traditione, a juris in- 96
tentione, vel ratione desumpta, quam ex peculiari lege, vel antiquorum sensu, prodiit inhabilitas mulierum, juramento, vel alia legitima causa non obstante, ita dotem alienare, vel obligare, ut indotata remaneat; id autem ex recepta praxi sequi dicitur, ubi dotis medietas salva non remaneat, ideoque Tribunalium stylus inolevit in exequendis mulierum obligationibus, quamvis validis, hanc medietatem dotis præservandi, quod tamen ex aliquorum probabili sensu recipiendum est, quatenus hæc medietas ad sustentationem sufficiat, eaque sit talis, ut non omnino indotata mulier remaneat, pluribus desuper cadentibus quæstionibus, dotalem potius materiam percutientibus, an id procedat in vidua sene, cui ulteriores nuptiæ incongruæ sint, sive an excessiva obligatio, vel alienatio in totum vitietur, vel potius in solo excessu, sive an muliere non conquerente in vita, filiis, vel hæredibus, hunc defectum allegare liceat, ut in sua sede.

Ubi vero juramento cessante, juris communis prohibi- 97
tio, ex *Vellejano*, seu lege *Julia* vigeat, adhuc pro justa
causa liberandi virum a captivitate, vel carceratione, ejusque
imminentia, vel alia simili justa causa in filiis, vel
patentibus, ea cessat pro facti qualitate. Majores autem
Fori controversiæ super mulierum alienationibus, vel contractibus,
nulla dotalium, vel extradotalium curata diffe- 98
rentia, cadere solent ex causa statutorum, aliorumque jurium
particularium, per quæ in eis, alienandi, vel contrahendi
sine certis solemnitatibus, inhabilitatio introducta
est, illoque casu intrant adamussim eadem quæ proxime
præcedenti Rubrica, minorum occasione, habentur, tam
circa juramenti efficaciam, vel enervationem respective,
quam circa locum in hoc proposito attendendum, an scilicet
patriæ, vel contractus, & circa concursum plurium
Statutorum locorum dominantis, ac obedientis respective,
cum aliis ibi insinuatis.

Potissime autem, ac frequentius occasione Statuti Ur-
bis, vel consimilis, circa causam veram, vel falsam, si- 99
ve an falsitas in parte vitiet totum, vel an sufficiat veri-
tas de facto, vel potius requiratur altera de jure, adeout
sit utilis, vel saltim non damnosa, ut probabilius, ma-
gisque hodie receptum videtur; super his autem, & quan-
do causæ veritas vel sufficientia adesse dicatur, utpote in
materia facti potius, quam juris, ex Statutorum contex-
tu, ac locorum, personarum, & temporum circumstantiis 100
decidenda, certa, & determinata regula generalis non de
facili cadit, cum decisio ex particularis facti qualitate pen-
deat, prudentis Judicis arbitrio, quod potius ex rei sub-
stantia spectatoque fine, seu effectu per legem considera-
to, quam ex verborum formalitate regulandum est.

Quamvis autem apud antiquiores, non modica fuerit
quæstio, an inter mulieres, & minores, vel alios æque
privilegiatos hujusmodi Statutariæ dispositiones cessent,
quasi quod ex regula privilegiorum conquassativa, firma 101
remaneat juris communis dispositio, hodie tamen, con-
trarium receptum est, ut in pari causa, potior sit condi-
tio allegantis alienationis, vel obligationis inefficaciam,
utpote contendentis de damno vitando, quodque in pari
etiam causa damni, potior sit conditio contendentis de
majori, vel de liberatione, nisi privilegium alterius con-
trahentis a pietate causæ proveniat, dummodo ex ipsius
pietatis motivo actus gestus esset, secus autem ubi Eccle- 102
sia, vel pia causa, jure privati correspective contrahat.

In rebus autem mercaturam concernentibus, pro com- 103
mercii libertate Statuta hæc non procedunt, minusque in
actibus judicialibus, quæ tamen in forma judicii, ejusque 104
calore gesta sint, aut ubi cum Supremi Principis, vel
majoris Magistratus auctoritate, vel ubi mulier, non pro-
prium, sed alienum gerat negotium tanquam tutrix, seu 105
curatrix, vel procuratrix, aut ubi actum gerat necessa-
rium, recipiendo debiti solutionem, vel extinctionem,
cum similibus, ipso quoque actu minus solemni, quam- 106
vis inutili ad obligandum, efficaci remanente ad proban-
dum.

In hoc autem privilegiata est causa dotis per mulierem
majorem constitutæ, ut nulla curata distinctione causæ
necessariæ, vel voluntariæ, & an de conjuncta, vel ex- 107
tranea dotanda agatur, statutaria forma necessaria non sit,
cum aliis, de quibus in sua sede. e

e *De his disc. 31. cum pluribus seqq. & sub tit. de dote, disc. 17. cum plurib. seqq. & disc. 143.*

VI.

VI.

De alienationibus, & contractibus prodigi, & Amentis.

AMentium respectu nulla cadit quæstio juris, cujus
108 dispositione attenta, extra controversiam est actus inefficacia ex defectu inevitabili naturæ, ac intellectus, eo modo quo in infantibus, vel pupillis adhuc doli non capacibus statutum est, nisi cum tutoris auctoritate, servatis servandis, eo modo quo in infantibus, & pupillis id sequatur, ideoque tota quæstio est facti super amentiæ probatione, & qualitate, & an in eo statu sit, ut con-
109 trahendi, vel disponendi facultatem adimat, cum non omnis mentis hebetudo hunc effectum operetur, ea tamen differentiæ ratione militante inter voluntatias, & quandocumque revocabiles dispositiones, quæ per hebe-
110 tem fiant, & contractus obligatorios, ut in illis quamvis de stricto jure validis, facilius circumventionis probatio intrat, vel restitutionis in integrum beneficium concedatur, majoribus quoque ex justa causa pro Judicis prudenti arbitrio concedi solitum ex clausula, ut Juristæ dicunt, *Si qua mihi &c.*

Cadunt vero frequentius quæstiones in contractibus, aliisque dispositionibus, quæ e prodigalitatis vitio laborantibus fiant, tam super hujusmodi qualitatis verificatio-
111 ne, quam fortius super ejusdem declaratione, an per Judicem competentem causæ cognita id sequutum sit, adeo legitima, ut administrationis interdictio ita resultet, cum alias a Judice incompetenti, vel a competenti absque causæ cognitione facta non afficiat.

Potissimum vero circa retrotractionem pro infectione actuum ante hujusmodi interdictionem gestorum, super qua regula est negativa, limitanda ex facti circumstantiis, quæ alterius contrahentis malam fidem redoleant, quia nempe infirmitatis conscius esset, nimium in consideratione habenda contrahendi causam, an justa, vel injusta sit, ac potissimum, an actus qui præcedit, prodigalitatem redoleat, adeout posteriori interdictioni causam dederit, juramento in hoc non operante, minusque causa
112 pia, quoties de actu irretractabili, ac obligatorio agetur, cum defectus non proveniat e jure positivo, quod jurisjurandi religioni, vel pietati locum cedit, sed a jure naturæ, cui uterque favor non prævalet, neglecta traditione sustinentium etiam in prodigis pias dispositiones per ultimam voluntatem, cum in illis, ob revocandi libertatem nulla cadat circumventionis suspicio, vel dissipationis ratio, ob quas hæc prohibitio intrat. *f*

f *Disc.* 36.

VII.

De alienat. & Contract. Clericorum, præsertim super bonis ad quorum titulum ad ordines promoti sunt.

IN Clericis sæcularibus in quocumque ordine, vel dignitate constitutis, nulla dignoscitur prohibitio alienandi, seu alias inter vivos disponendi de bonis quamvis Ec-
113 clesiæ intuitu, vel occasione quæsitis, quoties de jure, sibi, non autem Ecclesiæ quærantur, cum prohitio in bonis ecclesiasticis de privato Clericorum dominio effectis dispositionem per ultimam voluntatem percutiat, nisi ad istam fraudandam, per actum inter vivos ea fiat.

114 In Regularibus autem hæc interdictio viget ex deficiente dominio, quod juxta Canonistarum opinionem directe, ac immediate, absque ipsius Religiosi consensu, vel ministerio, quamvis ex ejus persona Monasterio, vel Religioni acquiritur, & quatenus Civilistarum opinione retenta, ad acquisitionem, ipsius Religiosi consensus, vel aliud factum exigatur, id percutit acquisitionis actum, quo sequuto, certus est potissimus defectus, ob incapacitatem possidendi proprium jure privato atque de eo disponendi, nisi de illis fructibus, vel annuis præstationibus agatur, quorum administratio, ac dispositio ex tolerata Ecclesiæ consuetudine, ob Superiorum conniventiam, vel Apostolicum indultum conceditur, quo tamen casu adhuc restricta facultas censetur ad justam causam, piosque, ac laudabiles religiosos usus.

Ea tamen in Clericis sæcularibus prohibitio dignoscitur, quæ urget in bonis, ad quorum titulum ad sacros ordines promoti sunt, non tamen prohibitio percutit obligatio-
115 nem, quæ effectum non sortiatur, nisi quando congrua provisio aliunde obveniet, vel mors sequatur, ista moderatione procedente ad limites congruæ sustentationis, & non ultra, ut in propria sede. *g*

g *Disc.* 38.

VIII.

De Alien. & Contract. factis per carceratum, vel subditum.

FActi potius, quam juris videtur hæc nullitas, quæ e carceratione pendet, certum enim juris principium est, ut alienationes, vel contractus gesti per injuste car- 116
ceratum ad favorem carcerantis, vel ejus, ad cujus instantiam carceratio sequuta est, tanquam meticulosi, invalidi censeantur, quamvis non in ipso actuali carcere, sed extra, dummodo non in omnimoda, plenaque libertate, secus autem ubi carceratio juste sit, qualis in dubio præsumitur, ubi ab allegante nullitatem non doceatur de injustitia, quæ in dubio non præsumitur, ideoque forenses quæstiones, ad hujusmodi justitiæ, vel injustitiæ inspectionem reducuntur.

Posita vero injustitia, & de consequenti nullitate ex defectu consensus, juramentum eam non sanat, minusque in possessorio actus præjudicat, ejusque infectio etiam in fidejussoris obligationem influit, eamque inefficacem reddit.

Eodemque jure metienda est alienatio, vel obligatio,
quæ e subdito fiat erga Superiorem, cujus nomine pro 117
facti qualitate, nedum Judices, & Magistratus, aliique jurisdictionem, ac Superioritatem in exercitio, vel etiam in solo dominio habentes veniunt, sed etiam Notarii, & carcerum custodes, ac Advocati, vel defensores, & similes, in quibus pro facti qualitate eadem concussionis ratio urgeat, eo modo, quo in dispositionibus infirmi favore Medici lex disponit, ideoque pro facti qualitate, dictæque rationis congrua, vel incongrua applicatione, quæstio decidenda est. *h*

h *Disc.* 41. & *seq.*

IX.

De alienationibus, & Contractibus in forenses, & de bonis litigiosis.

NUllam personarum conditionem, vel differentiam, jus commune super alienandi, vel contrahendi li-
bertate constituit, nisi cum hostibus, quibus prohibitum 118
est, arma, victualia, instrumenta bellica, aliaque similia vendere, seu alias elargiri; inter amicos autem civium, vel forensium discrimen non habetur ob Romani Imperii scissuram, totque Principatuum, ac dominiorum diversitatem, quæ inducta est per leges particulares, de quarum validitate, data potestate eas ferendi, non dubitatur, cum nulla juris naturalis, vel gentium prohibitio desuper urgeat, quæstione cadente in Civitatibus, vel Baronibus, aliisque Superiorem recognoscentibus, quibus non datur contra jus, leges, vel statuta condere, quod e dominii qualitate, vel causa eas condendi determinationem recipere videtur, potissimum vero ab observantia, aliisque singulorum casuum circumstantiis, ex quibus quoque pendet, data acquirendi capacitate, an liceat gravioribus oneribus publicis exteros onerare, sive an prohibita alienatione, ad hanc veram, & propriam, non autem ad fictam, & impropriam, præsertim vero hypothecam, hæc prohibitio restringenda sit, vel an arctet Clericos, aliosque e statuentium potestate exemptos, sive an casum dotis constituendæ, vel restituendæ prohibitio comprehendat.

Prout illa occasione frequentes quæstiones Forum audit super civica qualitate, & an ficta, seu privilegiata sine onerum supportatione sufficiat, cum aliis, de quibus in suis respective sedibus, cum ob legum varietatem, diversosque mores, vel stylos, quibus deferre oportet, certa, & determinata regula statui non valeat.

Eorum, quæ in litem deducta sunt alienatio prohibita
est, ad duplicem tamen effectum, poenalem scilicet, cum 119
actus annullatione junctum, & alterum ne tertio collitiganti præjudicium paretur: Ad primum effectum litigiosi qualitas rigorose desideratur, non inducenda, nisi de rei vindicatione jure dominii legitime contestata lite agatur, ideoque alia judicia possessoria, vel rei persecutoria, vel in rem scripta, multoque minus personalia, hunc effectum

ctum non producunt, fecus autem ad alterum effectum
ordinis, & ne collitiganti præjudicium paretur, quod sub
Judiciorum sede potius cadit. *i*

i *De his disc.* 39. *&* 40. & sub *tit. de dote*, *disc.* 149. &
sub *tit. de judiciis*.

X.

De generalitate aliorum contractuum illicitorum, vel suspectorum, nempe de sponsionibus, ludis, civantiis, vel stecchis, aliisque hujusmodi, & aliqua de transactione.

SPonsionum contractus, utpote fortunæ, seu aleæ
eventum concernentes, generaliter, & abstracte ex
veriori sententia non habent juris prohibitionem caden-
120 tem, vel ob fraudem usurarum, quæ sub hoc pallio ve-
lentur, vel ob aliam simoniæ, vel corruptelæ, ac for-
dium fraudem, sive ob specialem prohibitionem eventus,
super quo sponsio fiat, ut præsertim in Summi Pontifi-
cis electione, moderna lex Apostolica statuit, aliqua du-
bitandi ratione cadente super iis, quæ matrimonii, vel
respective cælibatus libertati præjudicare possint, adhuc
tamen, ex magis recepta sententia, regula assistit validi-
tati, limitanda ex circumstantiis quæ fraudem, vel deli-
ctum, seu legis prohibitionem redoleant.

Super inæqualitate autem, ex qua notabilis resultet læ-
sio, nil peculiare statutum est, sed ex juris generica dis-
121 positione, læsio regulanda est, habita æstimatione futuri
incerti, boni, vel respective mali eventus.

Major autem dubitandi ratio cadit, ubi de tempore
initi contractus jam casus evenerit, plerisque id regulan-
tibus cum terminis assecurationis mercium, ut sequuto
122 etiam casu, cujus notitia, per contrahentes, vel eorum
alterum haberi non possit, contractus adhuc valeat, con-
trarium tamen in sponsionibus receptum est, ut jam se-
quuto casu, inutilis conventio remaneat, itaque, ubi et-
iam valida sit, stricte, ac rigorose ad verborum limites ca-
123 pienda venit, adeout quælibet alterativa circumstantia,
commissam stipulationem impediat, quod tamen discrete pro
facti qualitate, potissimum vero pro communi usu, vel
partium verisimili voluntate regulandum videtur, prout
ex eadem facti qualitate regulanda est inspectio fraudis,
cui illa contrahendi species subjacet, ideoque non de fa-
cili, certam, ac determinatam regulam recipit. *K*

In ludis autem, pariter certa regula statuta non est,
cum pro diversitate ordinis, vel status personarum, si-
ve pro diversis Regionum, ac dominiorum legibus, vel
124 moribus, ipsorum respective prohibitio, vel permissio re-
guletur, ea generali statuta regula, ut ille efficacem
actionem in judicio experibilem non tribuat victori con-
tra victum, ne dum ex ipso ludo, ejusque lege, sed et-
iam ex quocumque, quantumvis alio licito contractu,
vel debendi causa, in quam, id, quod ex ludi causa de-
bebatur, transfusum sit, Moralibus reliquendo interni
Fori quæstiones, an licite, tutaque conscientia, unus al-
terum lusorem circumveniat, ubi potissimum se magis
peritum, ac ingeniolum agnoscat, adeout inæqualis con-
ditio ludentium sit, sive an retineri possit pecunia parta
ex ludo cum filiisfamilias, & cum Clericis præsertim se-
gularibus, ac similibus. *l*

Quamvis autem jus commune non cognoverit illa con-
tractuum barbara vocabula, quæ *stecchi*, *barochi*, & *ci-*
125 *vantiæ* vulgo appellantur, quia nempe cum modica pe-
cunia, merces, aliaque bona, eorum valore notabiliter
alterato, habita fide de pretio tribuantur, totum conver-
tendo in mutuum, vel aliam debendi causam, attamen
ob fraudes, quibus nimium hæc contrahendi species subja-
cet, jura municipalia, fere ubique, præsertim in Italia,
etiam sub pœnis vetarunt, eodem modo, quo ludus sub
fide futuræ solutionis prohibitus est, super hoc autem, ne-
que certa regula statui potest, cum ex diversarum legum
tenore, & usu, singulorumque casuum diversis circum-
stantiis decisio in quolibet casu diversa sit. *m*

126 De aliis autem alienandi, vel contrahendi prohibitio-
nibus ad certam speciem redactis, ubi præsertim ratione
bonorum in libero commercio non existentium, realis
prohibitio sit, puta beneficiorum, aliorumque jurium
Ecclesiasticorum, vel spiritualium, officiorum, aliorum-
que jurium regalium, ac bonorum feudalium, emphy-
teuticorum, vel fideicommissariorum, sive ubi prohi-
bitio sit ratione personæ, puta inter virum, & uxo-
rem, patrem, & filium, teilitem, vel Clericum, & con-
cubinam cum similibus, habetur in suis particularibus
sedibus respective.

Transactionis materiam frequenter Forum audit, tam
respectu validitatis, quam efficaciæ, seu obligationis, 127
ideoque duplicem habet inspectionem, quoad ipsos nem-
pe transigentes, ac alios, qui ab eis causam habeant, &
quoad tertios jure proprio a transigente independenter
venientes.

In prima specie, quamvis transactionis essentiale requi-
situm sit dubiæ litis existentia, cum sine lite in re clara tran- 128
sactio non detur, raro tamen praxis hanc speciem nullita-
tis docet, cum etiam iis habitualis, ejusque potentia, seu pro-
babilis timor ad id sufficiat, adeout unius Doctoris opinio,
vel alia, etsi levis dubietas, hunc defectum tollat.

Idemque respectu alterius essentialis requisiti reciproci 129
commodi, vel damni respective, ut aliquid hinc inde re-
mittatur, & ne alias per eam tribuatur, quantum litis
eventus producere posset, cum tunc leoninam Juristæ di-
cant concordiam, adhuc tamen frequens praxis docet,
ut remissio expensarum, ipseque recessus a lite pro hujus
requisiti implemento sufficiant.

Frequentiores autem Fori controversiæ super hac prima 130
specie, illum percutiunt defectum, qui ab errore, seu
falso præsupposito provenit, vel alterum ratione læsionis,
quam etiam in transactione juxta genericos terminos enor-
mis, vel enormissimæ, adinstar emptionis, & venditio- 131
nis, una opinio in Romana Curia magis recepta locum
habere credit, incertum litis eventum a causæ meritis,
ac dubietate probabilius æstimando, quamvis altera opi-
nio acriter id neget ob hujusmodi æstimationis impossibi-
lem, vel nimium difficilem praxim.

In altera vero specie transactionis, quæ tertium jure
proprio independenti afficere debeat, non modica quæstio
est, Hispanis simpliciter id negantibus in illis primoge-
niis, & majoratibus, idemque agentibus utriusque Sici- 132
liæ feudistis in illis feudis; generaliter autem potissime
in Romana Curia, ea recepta est distinctio, ut a bonæ,
vel respective malæ fidei requisito decisio pendeat, ut bo-
na fide accedente afficiat, ac operativa sit, secus autem e
contra. Bonæ autem, vel malæ fidei inspectio, a litis
dubietate, vel probabilis eventus æstimatione pendet, ita
dignoscendo, an feudi, vel emphyteusis, seu fideicom-
missi, similisque juris resolubilis possessor, probi, dili-
gentisque administratoris partes gesserit, ideoque incon-
gruum est, quæ circa primam transigendi speciem su-
per levi dubietate, vel modica recompensa habentur, si-
ve circa læsionis qualitatem, ut enormis, vel enormissi-
mæ metam attingat, ad hanc alteram speciem adapta- 133
re, in qua circumventio pro contrahentium industria non
admittitur, minusque levis dubietas, cum punctus in
prudenti administratione, ut supra, consistat, atque
hinc sequitur, ut facti potius, quam juris remaneat quæ-
stio pro facti qualitate decidenda, uniformem regulam
generalem non de facili admittens, nisi eam, ut præ-
sumptio bonæ fidei pro actus validitate assistat, quæ jux- 134
ta præsumptionis naturam, probationis onus transfundit
in actus impugnatorem.

Sub alienationis autem prohibito nomine, an tran- 135
sactio veniat, certant Scribentes, aliquibus simpliciter
negantibus, aliis vero distinguentibus, an prohibitus re-
tineat, vel dimittat, aliis autem indefinite affirmanti-
bus, itaque posterior magis recepta est, ideoque circa
solemnitatem, & causam, eadem exigit requisita, quæ
in alienatione desiderantur. *n*

K *De his in materia sponsionum, disc.* 47. *&* 48. & sub
tit. de usur. disc. 56. l *Disc.* 49.

m *Disc.* 50. *in fine remissive.*

n *De his omnibus ad materiam transactionis, hoc tit. disc.*
1. *&* 17. *cum seqq. & disc.* 50. Et sub *tit. de feud. disc.*
49. Et sub *tit. de emphyteus. disc.* 52. Et sub *tit. de fi-
deicommiss. disc.* 173. *cum plur. seqq.* Et sub *tit. de em-
ptione & vendit. disc.* 27.

Finis Partis Tertiæ Libri Septimi.

JO:

JO. BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Septimi Pars Quarta.

DE TUTORIBUS, CURATORIBUS, PROCURATORIBUS, ET ADMINISTRATORIBUS.

SPOLETANA TUTELÆ PRO PAULO FRANFANELLO CUM MARGARITA FONTANA.

Casus disputatus coram A.C. & resolutus ut infra.

An cessato per mortem, vel impedito uno ex duobus tutoribus testamentariis, tutela consolidetur in superstite, vel potius debeat alter a Judice subrogati.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *An legatum factum uxori importet alimenta, vel usumfructum formalem? remissive.*
3 *Quod munus tutelæ sit potius damnosum, ac præjudiciale, ideoque non affectandum, atque affectatio causat suspicionem.*
4 *De quæstione, an mortuo, vel alias cessato uno ex tutoribus, debeat alter subrogari?*
5 *Ut id decidi debeat ex facti qualitate, & circumstantiis.*
6 *An expediat, unum, vel plures tutores adesse?*
7 *De rationibus, ex quibus in hac facti specie non debuisset alter subrogari.*

DISC. I.

1 ALexius Franfanellus, institutis hæredibus Maria Victoria filia ex primo matrimonio, & ventre prægnante Margaritæ secundæ uxoris, quam donnam, madonnam, & usufructuariam reliquit &c. Tutores reliquit, Felicem ejus germanum fratrem, professum in Religione Minorum Conventualium, & Paulum agnatum, quem in virum dictæ filiæ jam destinaverat, cumque mortuo testatore, dictum matrimonium sequutum esset, atque ex ventre prægnante prodiisset alia fœmina, dictus autem Religiosus non posset tutelam acceptare, unde propterea illam Paulus acceptavit, atque ser. ser. exercere cœpit. Hinc duplex orta est controversia inter Paulum, ac dictam ejus uxoris novercam. Primo scilicet super qualitate legati prædicti, an importaret solum alimenta, vel formalem usumfructum, & secundo, super tutela, quam dicta mulier prætendebat sibi decerni in locum dicti Religiosi impediti, & introducta causa coram A.C. per appellationem a Judice de partibus, prodiit sententia, per quam dicta mulier declarata fuit alimentaria tantum, ac etiam deputata contutrix in locum deficientis, & quamvis occasione cujusdam mandati de manutenendo in possessione bonorum, commissa causa in Rota *coram Priolo*, unica habita fuisset disputatio in solo possessorio, nulla tamen capta fuit resolutio, quia mandatum fuit videri de bono jure, postea vero (Me quoque consulente,) concordia dedit finem controversiæ.

2 Major autem disputatio fuit super dicto puncto legati, in quo deducebantur hinc inde quæ habentur in materia deducta *sub tit. de serv. ad materiam ususfructus, disc.* 50. ubi patet quod ista sit quæstio voluntatis, & consequenter facti potius quam juris, ideoque certam, ac uniformem regulam generalem non recipiat, sed pro facti qualitate, ac circumstantiis decidenda sit.

3 Aliqua vero disputatio coram A. C. tantum fuit super hoc puncto tutelæ, sed modica, dum Egomet consului Paulo, pro quo scribebam, ut daret manus, atque libenter acceptaret in contutricem matrem dictæ pupillæ, (dum ejus uxor jam hoc medio tempore pubes effecta erat) quinimmo ubi non urgeret ejus uxoris interesse super bona administratione bonorum, ratione substitutionis ad ejus favorem, consuluissem, quod omnimodam tutelam matri dimitteret, ipseque ab ejus onere se liberaret, cum non videatur munus desiderabile, utpote in viris probis, & qui cum furto, ex bonis pupillorum locupletari non affectant, aliud causare non solitum, nisi lites, ac molestias, & grave interesse, ratione negligentiarum, quas lex in tutoribus etiam punit, ideoque habemus in jure, quod oportuit istud munus reddere necessarium, adeoque agitur de materia excusationis, cum vere non sit desiderabile, idque causa est, quod in Curia hujusmodi quæstiones super tutelæ pertinentia nimium raræ sint, & tamen in aliquibus Regionibus illæ cernuntur adeo frequentes, atque longæ dispendiosæ lites accerrime desuper sustinetur, quod excepto casu interesse, quod resultet ratione substitutionis, vel (ubi agitur de puellis divitibus) ratione matrimonii, deberet suspicionis legitimam causam inducere, ac Judicibus exclusionem utriusque suadere.

In hac autem disputatione super dicto puncto, an per mortem, vel aliud impedimentum, seu excusationem, non acceptante, vel post acceptationem deficiente uno ex tutoribus testamentariis, per jus non decrescendi, tutela consolidetur in superstite, vel potius aperiatur jus legitimo tutori petendi se adjungi, sive petendi a Judice al- 4
terum subrogari, dicebam (etiam in sensu veritatis) quod quamvis desuper Scribentes, (ut in omni materia) pro ingeniorum diversitate variaverint, ut patet ex deductis *infra disc.* 51. & ex aliis relatis per infra allegandos.

5 Attamen vere ista non est quæstio juris, sed pariter facti, utpote prudentis Judicis arbitrio remissa, regulando ex quantitate, & qualitate patrimonii, & qualitate tutoris superstitis, aliisque circumstantiis, ex quibus idem arbitrium regulari debet, an scilicet unus sit sufficiens, vel adjuncti opera requiratur necne, ut admonet Bald. *cons.* 489. *lib.* 4. *num.* 1. & sequuntur Soccin. *consil.* 193. *lib.* 2. bene Franch. *decis.* 214. & alii, quos cumulant Adden. ad Franch. & Giurb. *observ.* 3. *num.* 25. Unde Rota apud Buratt. *dec.* 389. *num.* 7. *cum seq.* agnoscendo, quod ex facti qualitate unus sufficiebat, alterius subrogationem denegavit.

6 Et quidem punctus problematicus est, pluralitatem etenim tutorum suadet ratio, quod plus vident oculi quam oculus, quodque unus supplere potest negligentias alterius, ac etiam quod ita non tribuitur licentia unico tutori occupandi bona pupilli, eumque defraudandi; in contrarium vero urget propositio, ut quod commune est negligatur, ac etiam quia magis expedit pupillo habere unam quam duas sanguisugas.

7 In hac autem facti specie, de stricto jure, tria concurrebant, ex quibus petita subrogatio matris denegari debuisset, primo scilicet, quia bonorum quantitas, ac etiam qualitas excludebat necessitatem hujusmodi pluralitatis, ac suadebat quod unus sufficeret, secundo, quia constabat de voluntate testatoris, ut etiam unus administraret, dum Paulus relictus fuerat tutor, quatenus dictum matrimonium sequeretur, & non alias, unde quando sequutum non esset, solus ipsius testatoris frater deputatus erat, quem sufficientem reputavit, quamvis esset Religiosus, igitur multo magis erat sufficiens Sæcularis, & tertio demum, quod dum testatur, secundæ uxoris memor fuit, illamque etiam alimentariam ut supra reliquit, tutricem vero deputare neglexit, signum est, quod noluit, unde propterea de stricto jure, contrarium probabilius judicari

dicari debuisset, bene tamen Judex se gessit, dum (Me consulente) contutor dabat manus ut supra, ut ita omnis litium, ac suspicionum occasio tolleretur.

ANNOT. AD DISC. I.

DE hac eadem quæstione an defecto uno ex pluribus tutoribus, tutela consolidetur in superstite, vel potius subrogandus sit alter, habetur *infra disc.* 11. Et an cessans vel recusata tutela, cesset, & expiret legatum eidem tutori factum, habetur *sub tit. de legat. disc.* 22. 32. *&* 46.

Et conferunt deducta *sub tit. de servit. ad materiam ususfructus, disc.* 50. *&* 52.

ANCONITANA TUTELÆ PRO MAGDALENA PETROBELLA CUM JOSEPHO PASSARO

Casus disputatus coram Prælato Judice commissario, incertus est exitus.

An mater removenda sit a tutela, vel cura filii, ex antiqua suspicione, vel potius illi dari debeat adjunctus.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Quando lis dicatur esse ex bono animo, vel fine laudabili, adeout suspicionem pro tutela non inducat.*
3 *De differentia inter matrem, & extraneum, ut ob suspicionem removentem extraneum, non removeatur mater, sed detur adjunctus.*
4 *Et quando fortius id in matre procedat.*
5 *In testamentario tutore, procedit idem quod in matre.*
6 *Quæ dicuntur de matre, continent consilium, non autem præceptum, unde pro facti qualitate etiam mater est removenda.*
7 *Sed in dubio non est recedendum a regula.*
8 *Quid ubi jam Iudex processit ad remotionem, vel non admissionem.*

D I S C. II.

1 GAspar, institutis filiis, factisque aliis dispositionibus ad rem non facientibus, eorundem filiorum pupillorum, ac respective minorum tutricem, & curatricem deputavit Magdalenam uxorem, & matrem respective, inter quam, & Paulum unum ex filiis effectum majorem occasione præsertim mortis alterius minoris, aliquæ lites exortæ sunt, quibus pendentibus, Paulus furiosus effectus est, unde matre petente sibi curam decerni coram Gubernatore Anconæ, Hic, se opponentibus Josepho patruo & aliis conjunctis, id denegavit, aliumque deputavit, unde introducta per appellationem causa coram A. C. Hic e converso, revocata dicta deputatione, matri curam decrevit, interpositaque appellatione per oppositores, & commissa causa Prælato, unica disputatio desuper habita fuit, cujus exitus incertus est, dum amplius de causa actum non audivi.

2 In hac autem unica disputatione actum fuit de puncto an ob suspicionem a lite resultantem, mater esset removenda, atque scribens Ego pro matre, negabam in primis assumptum suspicionis resultantis a litibus, dum istæ percutiebant potius fructus, ac administrationem bonorum, quam ipsorum proprietatem, atque ex facti circumstantiis constare videbatur matrem curasse impedire filio dictam administrationem, ac fructuum perceptionem, non malo animo, seu potius ex charitativo, prudentique consilio, ut ita juveniles errores, ac dissipationes coerceret, unde propterea extranea esse dicebam ea, quæ Scribentes in contrarium deducebant, totum desumendo *ex Grato cons.* 44. in specie loquente de remotione matris ratione doli resultantis a denegatione alimentorum, cum id percutiat terminos diversos, quando scilicet id fieret durante tutela, vel cura, & culpose, ex ibi deductis, ubi etiam magnum fundamentum constituitur in jure municipali, seu Statuto Civitatis Bononiæ, secus autem in hac facti specie, quod impedimenta, ne filius fructus bonorum obtineret, præstita erant post jam finitam curam, atque ut supponebatur per causæ Patronum, ex zelo, & bono animo ut supra, unde quando istud facti præsuppositum subsisteret, ita dicebam cessare quæstionem in radice, potissime quia non omnis lis ad hunc effectum sufficiat, sed debet esse notabilis, ut advertitur infra *disc.* 4.

Verum ubi etiam ratione dictarum litium, aliqua suspicio urgeret, adhuc tamen dicebam, quod talis suspi- 3 cio in jure sufficiens quidem reputatur ad excludendum, vel respective removendum extraneum, non autem matrem, vel aviam, in quibus lex majorem habet fiduciam, adeout, quamvis in aliis non testamentariis, qualitas debitoris, vel creditoris excludat, ea tamen in matre non obstat, & consequenter ubi aliqua suspicio urgeat, dandus est adjunctus, non autem procedendum ad remotionem, juxta communem sensum DD. præsertim Bart. Baldi, & Saliceti *in auth. matri, & aviæ, Cod. quando mulier tutel. offic. &c.* Afflict. *dec.* 207. *num.* 1. Guttier. *hoc tractat. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 64. & Galganett. ejus fidelis transcriptor *lib.* 3. *quæ.* 11. *num. finali*, qui *eodem lib.* 3. *quæst.* 5. *per totum* plures colligit differentias inter matrem, & extraneum, Gratian. *discept.* 28. *num.* 27. *& discept.* 668. *nu.* 21. Rota *dec.* 535. *num.* 6. *par.* 1. *rec.*

Fortius vero, quia in hac matre duplex fiducia con- 4 currebat, una legis, & altera hominis, dum pater eam tutricem, ac respective curatricem filiis pupillis, & respective minoribus deputavit, verisimiliter deputaturus, si istum casum amentiæ prævidisset, ideoque si etiam in extraneo, cujus fides a testatore probata est, non attenduntur illæ suspiciones, quas alias lex habet, unde ad summum præbere possunt facultatem Judici interponendi ejus 5 officium, seu arbitrium pro deputatione adjuncti, ut firmavit Rota apud Merlin. *dec.* 45. *repet. dec.* 435. *par.* 5. *rec.* multo magis ubi duplex fiducia, ut supra concurrit.

Et quamvis admitterem ea, quæ ex Corn. *cons.* 75. *n.* 6. 6 *lib.* 3. habentur apud Conversan. *de tutelis, & suspectis tutor. nu.* 11. *&* 71. & alibi, (& in quo totum fundamentum, ac in dicto *cons.* 44. *Grati* constituebant Scribentes in contrarium) quod scilicet istud sit consilium, non autem præceptum, quodque materia sit arbitraria, ideoque certam ac determinatam regulam non recipiat, nunquam in arbitrariis cadentem, cum totum pendeat ex singulorum circumstantiis, quæ in uno casu possunt esse sufficientes, in altero autem eædem, ac majores insufficientes, adeout leguleica ineptia sit, in aliqua decisione, vel auctoritate, quæ remotionem admittat, vel deneget, tanquam in regula generali cuicumque casui applicabili, fundamentum constituere, quam ineptiam quotidie experimur.

Attamen in hac facti specie, dum A. C. Judex appella- 7 tionis, adjunctum quoque dederat, neque suspicio esset vehemens, dum ex præmissis de stricto jure sustineri poterat, quod neque adesset, hinc proinde, (reflectendo etiam ad solam veritatem) credebam meliorem esse determinationem Judicis secundæ, quam primæ instantiæ, atque puto quod Judex hujus tertiæ, secundam probaverit.

Insistebant Scribentes pro oppositoribus, quod dum Ego 8 non negabam ut ista esset materia arbitraria, idcirco de injustitia redargui non poterant gesta per Judicem de partibus, ut in specie advertitur apud Conversan. *dicto n.* 71. & est axioma generale, de quo apud Gregor. *dec.* 107. *n.* 2. & passim, quod Judex in arbitrariis non gravat, neque de facili de injustitia convinci potest, dicebam tamen id forte procedere quando præsens disputatio esset in secunda instantia, in qua peteretur retractatio ejus, quod Judex primæ fecit, quoniam, cum præsumptio sit pro Judice, hinc proinde onus appellantis est docere de injustitia, quæ suæ intentionis fundamentum est, cum illa in dubio non præsumatur, sed præsumptio sit pro sententia, seu facto Judicis, juxta vulgares, & quotidianas propositiones in Foro decantatas. Sed ubi alter Judex appellationis jam retractavit id, quod primus fecerat, unde propterea sit in tertia instantia quæstio, an potius unius, quam alterius Judicis factum approbandum veniat, tunc dicebam, quod vel intrare debet ratio conquassationis hujusmodi præsumptionum inter se, unde propterea habenda sit causa perinde ac si esset integra, vel quod præsumptio potius assistat secundæ sententiæ contra appellantem, qui injustitiam alleget, atque ultimæ sententiæ retractationem petat, ideoque sibi istiud probationis onus incumbit, cum alias pars appellata vincere dicatur per non jus, neque ulteriori tertii Judicis provisione indigeat, & hic erat casus.

AN-

ANNOT. AD DISC. II.

AD deducta in præsenti discursu super remotione matris a tutela, & suspicione ex causa litis conferunt deducta infra *disc. 4. & 11. & in hoc eod. tit. disc. 21.*

ROMANA,
SEU MARSICANA TUTELÆ PRO HYACINTHO PAULINO CUM SILVIA ARGOLA.

Casus disputatas coram A. C. & in Signatura.

A quo Judice tutoris deputatio facienda sit, ubi pupillus in diversis locis, vel Provinciis bona possideat, & an deputatus ab uno, cogi valeat ad reddendas rationes coram altero, sive ab eo removeri eo quia coram ipso inventarium non fecerit, vel cautionem non dederit pro bona in ejus ditione existentibus, & pendente discussione remotionis, an interim interdicenda sit administratio, & an Clericus sit capax tutelæ?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *An pendente lite super suspicione tutoris interdici debeat administratio?*
3 *De ratione, ob quam isto casu intrat provisio.*
4 *De provisione in proposito alias capta.*
5 *An tutor pendente tutela cogi valeat ad reddendum rationes remissive?*
6 *Tutor, qui suscepit tutelam a Judice, coram isto tenetur reddere rationes.*
7 *Sed quid de Clerico obtinente a laico.*
8 *Pro eadem administratione non sunt reddendæ rationes coram diversis Judicibus.*
9 *De rationibus dictæ conclusionis.*
10 *Et de alia ratione connexionis.*
11 *Quod rationes reddi debeant in loco administrationis.*
12 *Loca Montium circumscribuntur loco, & dicuntur esse in Urbe.*
13 *Quando procedat conclusio, de qua n. 11.*
14 *Si pupillus habet bona in diversis locis, ad quem pertinet deputare tutorem.*
15 *Dantur exempla.*
16 *Quid ubi possideat feuda, vel bona jurisdictionalia in diversis Ditionibus.*
17 *Tutor non dando tutorem, & non conficiendo inventarium, redditur suspectus, & potest removeri.*
18 *An Judex loci, in quo sunt bona, inquirat si tutor ab alio deputatur, bene caverit, & inventarium fecerit?*
19 *De eodem, & ad quem effectum id facere valeat.*
20 *Destituere tutorem pertinet ad eum Judicem, qui deputavit.*
21 *Quod Clerici non possunt esse tutores.*
22 *Declaratur quando, & quomodo id procedat.*

DISC. III.

1 DEfuncto Francisco Antonio Paulino in Oppido Hortunæ, quod in feudum possidebat in Regno Neapolitano (cujus etiam erat originarius, & incola, secluso feudo) superstite Petronilla unica filia infante, Hyacinthus frater, & patruus respective ac Sylvia uxor, & mater, juxta stylum (potissime pro capienda possessione feudi) curarunt declarari tutores a M. C. Vicariæ, ibique adimpletis solemnitatibus, præsertim illa cautionis, fecerunt solitum præambulum super aditione dictæ hæreditatis. Cumque postmodum Sylvia transitum fecisset ad secunda vota, Hyacinthus in eodem Tribunali declarari obtinuit integram tutelam ad se spectare, Sylvia vero, secum trahens pupillam, atque ingrediens Monasterium in Urbe, plures contra dictum Hyacinthum excitavit prætensiones in Tribunali A. C. & præsertim super redditione rationum administratæ tutelæ, necnon super ejus remotione ob non præstitam cautionem, neque confectum legitime inventarium, ac etiam ob ejusdem Hyacinthi incapacitatem ratione clericatus, & quamvis ex parte rei conventi, contra quem in contumaciam ad quamplura acta, etiam ad quandam sententiam processum fuerat, recusata jurisdictione petitum fuisset remitti causam ad eandem M. C. Vicariæ, a qua tutelam susceperat, ipsoque Judice id denegante, adita fuisset Signatura Justitiæ, adhuc tamen id denegatum fuit, ex eo fundamento, quod hæreditas prædicta pro majori parte consisteret in locis Montium in Urbe existentibus, unde propterea super permissis prætensionibus aliquæ disputationes in utroque Tribunali habitæ fuerunt, ipsoque Hyacintho insistente in eadem exceptione incompetentiæ Fori, & ne a dicto proprio Judice redargui posset, Judex in Urbe provisionaliter œconomum deputavit pro dictorum locorum Montium administratione, dum circa personam pupillæ, jam provisum erat per Breve Apostolicum decernens eidem matri educationem, transitu ad secunda vota non obstante.

In his igitur disputationibus, de pluribus articulis actum fuit, primo scilicet, an durante lite super remotione tutoris, interim illi interdicenda esset administratio, secundo, an idem tutor teneretur, dum adhuc tutela finita non erat, reddere rationes, & quatenus regulariter ad id cogi posset, an de hoc teneretur coram isto diverso Judice, dum ab altero tutelam susceperat, tertio, an justa causa remotionis adesse diceretur ex eo, quod non confecisset inventarium, neque præstitisset cautionem in Urbe, ubi erat major pars hæreditatis, & quarto, an sibi obstaret qualitas clericatus, cujus ratione incapax esset tutelæ, quæ sibi prohiberi posset.

Quatenus pertinet ad primum, disputat quæstionem Franch. *decis. 8. n. 8. & 9.* ubi *dec. 357.* Afflicti, & alii præsertim Grat. *cons. 44. lib. 1.* ex quibus, ac aliis relatis per Guttier. *de tutel. part. 2. cap. 18. num. 11.* patet quod in hoc proposito certa, ac determinata regula generalis non cadit, sed est quæstio arbitraria, pro facti qualitate decidenda, non omnis enim excitatio litis super prætensa remotione ad id sufficere debet, cum alias in libito cujuslibet animosi esset, ita hujusmodi quæstionem excitando impedire tutori sui muneris exercitium, sed ubi lis contestata sit, adeoque causa instructa, quod ea, quæ sunt in actis, remotionem suadeant, atque oppositoris petitionem probabilem reddant, qualis est casus dictæ decisionis Afflicti. 2

Cum etenim, juxta Tribunalium stylos, ac Regionum mores, quandoque contingat hujusmodi lites longam habere durationem, adeout prius terminet pupillaris ætas, unde propterea resultare posset damnum irreparabile pupilli, atque lis remaneret elusoria, nisi provisionale temperamentum capiatur, hinc proinde, ut dictum est, pro facti qualitate, ex prudenti, beneque regulato arbitrio decidenda est quæstio, ne ob animosam ac improbabilem oppositionem, injuria fiat tutori, præsertim si ob ejus idoneitatem, ac personales qualitates, præsumptio sibi assistat, secus autem e converso. 3

4

Applicando autem ad rem, oppositiones, ex quibus remotio petebatur, nullum habebant probabile fundamentum, ex iis, quæ habentur infra in tertio, & quarto puncto, potissime dum occasione dicti judicii contumacialis, jam consultum erat cum dicta provisionali deputatione, adinstar ejus, quæ habetur apud Otthobonum *decis. 144. in fine*, & consequenter aliud non remanebat agendum.

De secundo autem puncto, an scilicet tutor adhuc pendente administratione, ad instantiam contutoris, vel alterius teneatur reddere rationes administrationis jam actæ, habetur infra *disc. seq.* ibique deducta, in ista causa quoque deducebantur, atque ex ibi insinuatis petitio erat probabilis, beneque fundata. 5

Verum ubi intraret dicta obligatio, dicebam (etiam cum sensu veritatis) ad id tutorem cogi non posse coram hoc Judice, sed coram eo, qui tutelam sibi decreverat, unde propterea in hoc aliquam admirationem dedit resolutio Signaturæ denegans dictam remissionem, ex regula quod tutor reddere tenetur rationes coram eo Judice, qui tutelam sibi decrevit.

Idque adeo Scribentes extendunt, ut quamvis esset Clericus, qui tutelam a Judice laico suscepisset, adhuc coram eo rationes reddere teneatur, quasi quod intraret dispositio, vel ratio tex. *in l. si quis conductionis, C. locati*, ut quæstio potestatis proprio auctori refricari non valeat, cujus textus dispositionem, receptum est generaliter procedere in omni materia, in qua unus ab altero quid obtineat, cumque in auctorem cognoscat, ex plene cumulatis per Adden. *ad dec. 420. p. 4. rec. tom. 2. n. 50. & seq.* Sive quod intraret dispositio, vel ratio text. *in cap. 6. & 7. de Foro competenti*, de Clerico, vel Ecclesia subjecta Domino laico ratione feudi, quod ab eo obtinetur, ut in sua materia *sub tit. de feudis.* 6

Ut

7 Ut in his terminis specialibus, ac similibus, in quibus Clericus pecuniam, vel aliam rem a Judice laico obtineat cum aliqua obligatione, plene deducunt Capyc. Latr. *consult.* 103. *n.* 4. *cum seq.* & copiosissimus modernus collector Cortiada *dec.* 10. *n.* 114. Quicquid enim sit de isto casu, in quo ratione omnimodæ incompetentiæ probabiles cadunt difficultates decidendæ pro Tribunalium, ac locorum stylis, juxta ea, quæ plures casus distinguendo deducta habentur *sub tit. de jurisdict. disc.* 94. & in quo relinquitur locus veritati, attamen ubi cessat ista ratio omnimodæ incompetentiæ, potiusque urget altera majoris competentiæ, ut infra, tunc nulla cadit ratio dubitandi.

8 Isto enim casu intrat altera certa conclusio, quod pro una, eademque administratione, utpote individua, non tenetur tutor, vel alter administrator coram pluribus Judicibus respondere, sed solum coram deputante, seu non data deputatione cum præcisa obligatione illi reddendi rationes (quo casu data competentiæ habilitate, est absolutum) ad id tenetur in loco administrationis, adeout non detur privilegium, quod huic Foro præjudicet, ea iis, quæ habentur *sub tit. de jurisdict. & Foro compet. disc.* 73.

9 Tum ex regula, quod rationes semel redditæ non sunt amplius reddendæ, nisi in casu erroris, quo convicto, revisio coram eodem Judice, seu eodem Foro facienda est, tum etiam quia prorsus irrationabile esset, ut tutor, vel alter administrator, qui cum sumptu, & incommodo, rationes nedum dedit, sed cum libris, aliisque scripturis, vel testibus eas justificavit, ac liberationem reportavit, teneri debeat coram aliis Judicibus idem ex integro facere.

10 Ac etiam quia oriri posset absurdum, cujus ratione intrat remissio omnium causarum ad unum Judicem, qui ratione præventionis, vel ex aliis circumstantiis magis competens reputetur ex pluries deductis *sub tit. de jurisdict. & Foro compet.* præsertim *disc.* 76. *& seq. &* 87. quod scilicet in uno eodem puncto, plures diversæ, vel contrariæ sententiæ emanare possent, quia nempe unus Judex diceret rationes esse bene redditas, alter vero secus.

11 Scribentes pro oppositrice insistebant in eadem supra insinuata conclusione, quod rationes reddi debent in loco administrationis, replendo cum consueto improbo Juristarum labore chartas inanibus allegationibus, frustra desiderandis in hoc certo principio, de quo *d. disc.* 73. *de jurisdict.* & consequenter cum administratio majoris partis hæreditatis facta esset in Urbe, ratione locorum montium, hinc in eadem Urbe reddendæ essent rationes, cum hodie certum, ac receptum principium est, loca Montium tanquam in Urbe erecta, ubi etiam destinata est fructuum solutio,
12 circumscribi loco, atque censeri esse in ipsa Urbe, ut apud Rojas *decis.* 66. *n.* 10. ubi plures aliæ recensentur, Rovit. *super pragmat.* 1. *de jur. & exaction. fiscal. n.* 66. *&* 80. & habetur pluries in hac locorum Montium materia *sub tit. de Regal.* Satis etiam inculcando, quod ista loca Montium majorem partem assis pupillaris efformarent.

13 Respondebam, Scribens pro reo convento, id procedere posse, quando nulla per aliquem Judicem servatis servandis decreta tutela, vel administratione, illius intrusio, seu exercitium de facto accederet, cum tunc in quolibet administrationis loco pro bonis ibi administratis hujusmodi intrusus ea dicta regula posset recte conveniri, perinde ac si essent plures, ac distincti administratores, qui alias deputari potuerint tanquam super diversis patrimoniis, sibique imputet administrator, cur in hoc se ingesserit, ideoque inconvenientia superius ponderata allegare non potest, quoniam recte sibi replicaretur, quod pro locorum, seu Provinciarum diversitate ita diversi administratores deputari fuissent, ut infra.

Inspectio etiam majoris, vel minoris competentiæ, ad quem scilicet Judicem potius pertineat tutorem deputare, ut infra, percutit pariter casum, in quo adhuc res esset in fieri, sed ubi est in facto esse, quia scilicet unus Judex habitualiter competens jam prævenerit, omniaque perfecerit, tunc nulla subesse videtur ratio, cur tutor, qui ab uno deputatus est, eique se obligavit rationes reddere, atque cautionem coram eo præstitit, urgeri valeat ad reddendum rationes coram alio, cum administratio, ut supra sit unica & individua.

14 Quatenus vero pertinet ad articulum, in quo Scribentes pro Oppositoribus nimium se diffundebant, ad quem scilicet pertineat deputare tutorem pupillo habenti bona in diversis territoriis, quamvis sequaces opinionis Hugonis credant quemlibet Judicem dare tutorem in bonis existentibus in proprio territorio, quodque datus ab uno non possit se ingerere extra jurisdictionem dantis, nisi agatur de testamentario, qui ex judicio testatoris, non autem ex potestate Judicis hanc habeat facultatem ex relatis per Bellon. jun. *de jur. accrescend. cap.* 10. *q.* 5. *n.* 5. *& seq.*

Attamen hæc opinio magis communiter reprobata est, magisque fundata, & rationabilis est altera Azon. quam sequuntur Bal. Angel. Castr. & alii plene relati per Bellon. jun. *d. q.* 5. *n.* 10. *& seqq.* Ideoque ab hac opinione recedendum non est, non solum, quia magis communi Doctorum calculo est recepta, sed etiam quia majorem habet convincentem, ac irrefragabilem rationem.

Tutor etenim datur principaliter personæ, secundario autem, seu accessorie bonis, ideoque dandus est per eum, cui persona est subdita, cum sit individua, unde propterea pupillo Clerico dandum esse per Judicem Ecclesiasticum habetur collectum apud Sperell. *decis.* 1. *numer.* 3. *&* 4. (quicquid sit de coactione quatenus deputetur laicus ex deductis *ibid.* & apud Rovit. *dec.* 58.) atque si quæ difficultas cadit, est inter duas æque competens personæ, puta quia unus sit ratione originis, & alter ratione domicilii ex deductis per Bellon. jun. *d. quæst.* 5. Situatio etenim bonorum operari potest competentiam circa actiones reales, vel rei persecutorias, aut alias, juxta deducta *sub tit. de jurisdict. disc.* 75. nunquam vero subjectionem personæ non originariæ, nec domiciliariæ.

Sed ad summum datur Judici loci, in quo sita sunt bona, facultas deputandi particularem curatorem, vel administratorem compatibiliter cum tutore a proprio Judice pupilli deputato ea deductis per Bellon. *dicta quæst.* 5. *num.* 32. *& seqq.* ac etiam inquirere potest, an adsit cautio sufficiens, ut infra.

Et propterea cum tam defunctus, quam pupilla essent Regnicolæ, origine, domicilio, & feudo, ibique obiisset pater, ac esset (ut dicitur) caput hæreditatis, juxta ea quæ habentur *dicto tit. de jurisdict. disc.* 87. ita absolutum remanebat, quod ille Judex, qui deputaverat, esset vera competens.

Ita etiam comprobante praxi, vel observantia, ut præ- 15
sertim cernimus in Urbe in Magnatibus possidentibus bona, & feuda in pluribus ditionibus, ac frequentius in Civitatibus Januæ, & Florentiæ, & similibus industrium nationum, habentium multa bona in omnibus fere mundi partibus, quod nempe, licet major pars assis extra propriam ditionem consistat, adeout ob illius Regionis angustiam, quid modicum sit id, quod ibi possidetur comparative ad alia, quæ in aliis Principatibus possidentur, attamen si ter moritur in Patria, ibique est pupillus, ibi deputatur tutor, qui, ut dictum est, principaliter datur personæ, atque ab eodem tanquam repræsentante personam domini, qui ratione ætatis per seipsum ejus bona administrare non potest, deputantur in aliis locis, & Regionibus nudi administratores bonorum, non autem tutores.

Et quamvis, ubi agitur de feudatariis, ad regimen, & 16
administrationem feudorum, quæ sunt in uno Principatu, non admittatur tutor, vel curator, qui a diversi Principatus Judice sit deputatus, quamvis ille ratione originis, vel domicilii pupilli, vel ex aliis circumstantiis esset magis competens in dicta deputatione, juxta casum, de quo agitur *sub tit. de feud. disc.* 18. cum similibus, attamen id provenit, quia tunc cessat dicta ratio individuitatis personæ pupilli, quæ in patrimonio allodiali intrat, dum paganus de jure duplex, vel multiplex patrimonium non habet, sed intrat e converso ratio multiplicitatis personarum formalium in una persona materiali pro respectuum diversitate, quod scilicet, quot sunt dominia, vel respective feuda, tot sunt diversæ personæ omnino distinctæ, unde propterea datur pluralitas patrimoniorum, ac etiam illa plurium hæredum in solidum ea iis, quæ habentur *eod. tit. de jurisd. & Foro competenti, disc.* 90. ac etiam pluries *sub tit. de feudis*, occasione concursus hæredis feudalis, cum paganico ad debita, ut præsertim *d. tit. de feudis, disc.* 21. *& seqq.* & sic intrat subjectio etiam personæ, sed ubi ista ratio cessat, tunc præmissa in puncto juris de plano procedere videntur, nisi intret illa patrimoniorum multiplicitas, quæ ratione diversorum Statutorum consideratur *sub tit. de success. ab intestat.*

Hinc dicebam resultare decisionem tertii puncti super 17
culpa, quæ tutori imputabatur, quod inventarium non confecisset, neque cautionem præstitisset, & ex quibus defectibus contra eum resultat sinistra suspicio, ob quam removeri meretur, ex iis, quæ, cæteris relatis, habentur dedu-

deducta apud Orthob. *d. decis.* 144. ubi concordantes, quoniam, cum utrumque jam adimpletum esset coram Judice competenti, qui tutelam decreverat, hinc proinde in nihilo defecisse videbatur, unde propterea suspectus efficeretur.

18 Licet enim (ut plures Prelati Signaturæ advertebant) non ex eo quod tutor a Judice diversi Principatus, vel ditionis etiam cum majori competentia sit deputatus, prohibendus videatur alter Judex, sub cujus ditione sunt bona pupilli, ex officio inquirere an eidem pupillo bene consultum sit cum idoneis cautionibus, & an inventarium (respectu bonorum in ejus ditione existentium) bene, ac fideliter confectum sit, cum alias dari posset casus, quod Judex loci originis, vel domicilii, qui tutelam decrevit, habendo solum rationem, ac notitiam de bonis in ejus ditione existentibus, minus idonea cautione contentus esse potuerit, sive quod ibi non integrum, ac minus fidela inventarium confectum sit, idque coram Judice non informato convinci non valeat.

19 Attamen dicebam, id recte procedere, ad effectum ut idem tutor docere teneatur de idoneitate jam præstitæ cautionis, ac integritate jam confecti inventarii, quodque alias locus esse posset provisionali deputationi tuti administratoris, sive alteri provisioni compatibili, cum jure habituali tutoris, quinimmo deputationi curatoris, ut supra, non autem quod exinde dici posset culposus, ob cautionem coram isto diverso Judice non præstitam, sive ob inventarium coram eo non confectum.

20 Demum, quoad ultimum punctum objectæ incapacitatis ratione clericatus, difficultas cessabat ex solo facto, in quo docebatur, quod Hyacinthus quamvis alias prima tonsura initiatus, postmodum uxorem duxerat, atque habitu, & tonsura clericali dimissis, vivebat in statu mere laicali, ac ulterius dicebam, quod de hoc pertinebat cognoscere ad eundem Judicem, qui deputaverat, cum ad eum, qui instituit, destituere pertineat ex regula text. *in l. ubi cœptum, de judic.* Cum enim tutela, quia datur personæ, sit quid individuum, non videtur quomodo possit simul stare, ut idem sit tutor, & non tutor.

21 Verum ubi etiam esset Clericus, adhuc deducebam in idem eadem, quæ habentur deducta *d. disc.* 18. *de feudis*, quod scilicet quamvis per text. *in §. Deo amabiles, auth. de Sanctissimis Episcopis, l. generaliter, & auth. sed hodie, C. de Episcopis & Cler.* ac etiam per canones in decreto registratos *in c. Cyprianus 21. quæst. 3. & cap. fin. 86. distinct. cum concord.* quos deducunt Scribentes plene collecti per Carol. de Graff. *de effect. cleric. effect.* 18. & per Bellet. *disquis. Clerical. tit. de disciplin. clerical.* §. 32. regula sit, quod Clerici tutelam testamentariam, vel dativam exercere non possint, nisi agatur de miserabilibus personis, bene tamen legitimam conjunctorum, unde propterea stylus est obtinendi Apostolicam licentiam, ut *decis.* 116. *n.* 16. *p.* 4. *rec. tom.* 2. Attamen id recte procedit ad effectum, ut ad hæc munus alias regulariter necessarium, cogi non valeant, quodque clericatus sit justa causa excusationis, non autem, ut eos volentes inhabilitet, ex deduct. *d. disc.* 18. *de feudis*.

22 Tunc etenim videretur quod ipsos etiam volentes Episcopus, vel alter Superior prohibere posset, quando (juxta Regionum mores) ageretur de illa mercenaria tutela, vel cura, quæ ad industriam, & negotium potius exerceretur, ita & taliter, quod scandalum parere posset, sive, quod tutela Clericum cogeret ad se immiscendum negotiis secularibus, seu negligendum curam, vel cultum Ecclesiæ sibi commissæ, non autem, quod coram alio Judice per privatum oppositorem de hac inhabilitate objici valeat, quodque probus Clericus volens (dictis inconvenientibus cessantibus) prohibendus veniat exercere hoc laudabile charitatis opus, atque velit non eludere fidem, quam de ipso testator habuerit, quia sciat ejus probitatem in adeo periculosa materia, ob adeo magnam penuriam eorum, qui hoc munus fideliter, & ex motivo charitatis erga pupillos, & orphanos exerceant, adeout viros ecclesiasticos, & pios hodie potius expediret cogere.

S U M M A R I U M.

1 *De Clerico suscipiente tutelam a manu Judicis laici.*
2 *Qui dicatur Judex competens ubi bona sint sparsa in diversis locis.*
3 *De tutore non conficiente inventarium.*
4 *Clericus an possit esse tutor.*

ANNOT. AD DISC. III.

AN, & quando clericus suscipiens tutelam, vel aliam administrationem a manu Judicis laici, coram isto conveniatur, videnda sunt ea quæ late habentur deducta *sub tit. de jurisd. disc.* 94. 1

Et ubi bona sunt in pluribus territoriis, quis dicatur Judex competens habetur *disc.* 87. *&* 90. *eod. tit. de Jurisd. & disc.* 52. *de Regul.* ubi concordantes. 2

De tutore non conficiente inventarium *sub tit. de Hæred. disc.* 11. Et quando clericus prohibeatur esse tutor vide 3 *notata ad disc.* 18. *de feud. & sub tit. de Cred. disc.* 119. 4

IMOLEN. TUTELÆ PRO LUCIA SASSATELLA CUM INNOCENTIO DE CODRUNGHIS.

Casus decisus per Rotam ut infra.

An, & quando lis actualis, vel habitualis sufficientem inducat suspicionem pro remotione tutoris?

De cautione per tutorem præstanda quando dicatur idonea, eaque præstita denuo alia dari debeat necne.

An, & quando durante adhuc tutela, possit tutor cogi ad reddendum rationes administrationis, & aliqua de educatione pupillorum, penes quam facienda sit?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Tutor litem habens cum pupillo removetur.*
4 *Declaratur qualis lis esse debeat.*
5 *Idem si tutor sit debitor pupilli, quod declaratur.*
6 *Quando dicatur lis magna, vel parva.*
7 *De circumstantiis, ob quas lis non attenditur.*
8 *De eodem.*
9 *Absentia tutoris quando sit justa causa remotionis.*
10 *An cautione semel præstita, denuo præstanda sit si prima deficiat? distinguitur.*
11 *Quomodo dignoscatur, an cautio sit idonea.*
12 *Quando non sit multum inquirendum de cautionis idoneitate.*
13 *De cautela, ut Judex taxet certam summam tutori pro alimentis, & expensis.*
14 *Quando libris, vel notulis tutoris deferatur necne circa expensas.*
15 *De Statuto mandante rationes singulis annis reddi, & quos casus non capiat.*
16 *Quod sit Statutum rationabile.*
17 *Quod capiat casus, licet de eis expresse non loquatur.*
18 *Super principiis certis laudabile non est auctoritates allegare.*
19 *Rationes tutelares semel sunt reddendæ finita tutela.*
20 *Tutores inter se dividentes tutelam, tenentur insolidum, & quando secus.*
21 *Idoque consultius exigit ab alio rationes singulis annis.*
22 *Laudatur ut idem Judex faciat ex officio.*
23 *De materia educationis penes matrem, vel tutorem.*
24 *De eadem, & quomodo id regulari debeat.*

D I S C. IV.

AB intestato defuncto Cosmo de Codrunghis, superstitibus pluribus filiabus in pupillari ætate, istarum legitima tutela ad limites juris communis Luciæ matri decreta fuit, quia vero Statutum Imolense disponit, ut mulieri, legitimam, vel dativam tutelam suscipienti, alter proximior ex latere paterno adjungi debeat, hinc proinde contutor deputatus fuit Innocentius patruus, cumque hic pro communi viveret cum dicto Cosmo fratre, deventum est ad divisionem, qua sequuta (ex prudenti consilio) præfata Lucia principalis tutrix portionem bonorum stabilium locavit eidem Innocentio, cui etiam tradidit custodienda quamplura mobilia pretiosa, aliquibus pro quotidiano necessario pupillarum usu retentis, aliisque venditis, bene investito pretio; ad aliquod tempus

tempus inter hos tutores controversiæ exortæ fuerunt, præsertim (ut sæpe contingit) super pupillarum pubertati approximantium educatione, ad effectum regulandi pro libito earum matrimonium, dictus patruus obtinuit ex rescripto Pontificio, puellas prædictas, invita matre, in Monasterio collocari, quare commissa ex ejusdem Pontificis rescripto causa in Rota, ac datis dubiis hincinde, ex parte scilicet Luciæ, super dicti Innocentii remotione a tutela, ob lites, quas habebat, vel excitare jactabat contra pupillas ex variis causis, præsertim cujusdam testamenti, quod prætendebatur a dicto Cosmo factum, ac etiam super ejus reintegratione in educatione filiorum; a converso prætendente Innocentio dictam Luciam teneri reddere rationes administrationis usque tunc gestæ, novamque præstare cautionem, ex eo quod jam præstita prætenderetur minus idonea. Omnibus dictis dubiis propositis
2 eadem die 27. Novembr. 1669. suspenso puncto educationis (super quo nihil resolutum fuit, stante brevi Pontificio, donec idem Pontifex consuleretur) resolutum fuit remotioni dicti Innocentii locum non esse, minusque a converso Luciam teneri ad alterius cautionis præstationem, bene tamen utrumque teneri ad reddendum rationes, atque in hoc statu causa pendet.

Quatuor igitur fuerunt hujus disputationis puncti, primo scilicet, an lis, vel pretensio tutoris cum pupillis esset causa sufficiens remotionis, secundo, an dicta tutrix aliam cautionem præstare teneretur, tertio an eadem, tutela adhuc durante, rationes reddi deberent, & quarto circa pupillarum educationem.

3 Quatenus pertinet ad primum, dicebam Scribens pro Lucia, claram esse regulam, ut tutor, qui litem habeat cum pupillo, quamvis jam datus removeri possit, juxta textus litterales in l. si pupillum, & l. seq. ff. de excusat. tut. l. idem, §. cum autem, ff. de testam. tutela, l. si ut allegas, C. de excusat. tut. §. item propter litem, Instit. eodem, & communiter DD. relati per Honded. cons. 52. nu. 10. & tr. l. a. Guttierez. de tutelis, p. 1. c. 21. n. 7. & seq. Rota dec. 668. num. 1. p. 1. rec. & passim, cum desiderare non oporteat DD. auctoritates, ubi habemus jura litteralia.

4 Admissa fuit regula, sed admissa etiam fuit limitatio, quæ per Scribentes in contrarium deducebatur, ut scilicet id procedat, ubi agatur de lite gravi super universa substantia, vel ejus majori parte, secus autem ubi esset modica, qualis dicebatur ista, quæ actu pendebat, dum altera resultans a testamento erat potius habitualis, quam actualis, neque continebat præjudicium de præsenti ad text. in l. propter litem, ff. de excusat. tutar. cum concordantibus apud Gutter. d. p. 1. c. 22. n. 14. Galganett. eod. tract. l. 1. c. 7. n. 17. cum aliis in decisione, potissime ubi res non sit integra, sed agatur de removendo tutorem jam deputatum, cum longa differentia sit inter casum, in quo agatur de impedimento ne admittatur, & casum in quo agatur de remotione jam admissi.

5 Cumque ex hac parte diceretur dictæ remotioni locum esse, non solum ex dicta causa litis, sed etiam, quia tutor esset debitor pupilli ad text. in §. hac omnia, & §. quod si quis, auth. ut qui obligationem habent &c. Respondetur in decisione, id procedere in debito, vel credito præexistente de tempore susceptæ tutelæ, & ex alia causa, secus autem ex istius administratione, quoniam tunc non potest quis dici debitor, vel creditor, nisi prius redditis ac dispunctis rationibus, dum prius incertum est, an debitor, vel creditor sit exiturus atque in hac parte responsio est solida, adeout istud motivum ab aliis deductum, a Me ab initio negligeretur, insistendo solum super altero litis, circa quod, tum tam regula, quam limitatio respective essent veræ, hinc
6 propterea quæstio erat facti, & applicationis, an scilicet lis dicatur talis, quæ sufficientem suspicionem induceret, quod remissum est Judicis arbitrio, ideoque non de facili dari potest judicium, an Judex gravaverit necne, cum in arbitrariis, utpote certam, ac determinatam regulam non habentibus Judex de injustitia redargui regulariter non possit.

7 Potissime vero in hac facti specie ex duplici circumstantia, primo scilicet, quod (ut dictum est) non agebatur de excludendo a tutela suscipienda, sed de removendo a suscepta, quo casu magis circumspecte procedendum est, atque gravior desideranda venit suspicio, dum etiam apud Juristas receptum est dicterium, seu axioma, quod turpius ejicitur, quam non admittitur hospes, ut apud Alex. cons. 213. lib. 6. n. 7. Surd. cons. 64. n. 7. atque alibi pluries advertitur.

Et secundo, quia major difficultas caderet, quando ageretur de tutore unico, cui pupilli defensio commissa sit, vel ubi etiam essent plures, attamen ipse, qui litem habet, administrationem haberet, alii vero essent potius honorarii, adeout intraret ratio, cui dicta conclusio innixa est, ob pupilli supplantationem ita de facili contingibilem, secus autem e converso, ut in præsenti, quod principalis administratio residebat potius penes matrem, ipse autem patruus tanquam adjunctus ad satisfaciendum Statuto potius quodammodo honorarius videbatur. 8

Eademque responsione recte tolli Mihi videbatur aliorum objectum, quod (Me non laudante) deducebatur ab aliis ex hac parte Scribentibus, ut scilicet iste tutor non semper resideret in loco domicilii pupillarum, sed solitus esset quandoque abesse, quoniam ista dicitur sufficiens causa remotionis, quando absentia est continua, vel diuturna, ita & taliter, quod verificetur ratio ponderata per text. in l. si absens, ff. ubi pupillus educari debeat, cum concordantibus dec. 668. n. 1. p. 1. rec. secus autem concurrente dicta duplici circumstantia, quod scilicet absentia non esset continua, & diuturna, quodque pupillis consultum remaneret, dum principalis administratio huic tutori non incumbebat. 9

Alter autem punctus novæ cautionis, quæ e converso per contutorem a matre petebatur, ex eo quod jam præstita minus idonea esset, pariter facti potius erat, quam juris, cujus nulla disputatio cadebat, certa etenim est regula, quam Ego, & cæteri pro hac parte Scribentes deducebamus, ut cautio semel præstita, non sit amplius præstanda, nec renovanda, ut apud proxime allegandos, & a converso certa est limitatio, ubi detegatur jam præstitam esse ab initio minus idoneam, vel deinde effectam esse talem, licet enim non modica sit quæstio inter Scribentes, an ille qui fidejussorem præstitit, isto naturaliter, vel civiliter defecto, alterum subrogare teneatur, atque plerique teneant pro regula negativam, attamen id procedit in casu, quo agatur de fidejussore conventionali, cum tunc sufficiat obligationi semel satisfecisse, secus autem ubi agitur de cautione prætoria, seu legali demandata ad certum effectum habentem tractum successivum, quoniam tunc si per eam, quæ præstita est, non obtineatur finis, vel effectus, ob quem lex eam exigit, utique alia suppleri debet, et ita distinguendo cæteris relatis, Surd. dec. 18. n. 1 . Cenc. de cens. q. 32. n. 28. de Marin. resol. 133. n. 16. lib. 1. Franch. dec. 480. n. 4. & 5. ubi Adden. & communiter. 10

An autem & quando cautio dicatur idonea necne, certam non habet juris regulam, cum pendeat ex facto, inspecta qualitate administrationis, tam circa patrimonii quantitatem in universum, quam circa bonorum naturam, seu qualitatem, an scilicet agatur de mercibus, & mobilibus dissipationi subjectis, vel de stabilibus, quorum respectu, vel nulla requiritur cautio, vel sufficit talis qualis ad satisfaciendum legis ordinalitati, juxta distinctionem, quam habemus in cautione præstanda per hæredem gravatum, seu possessorem fideicommissi in sua materia sub tit. de fideicom. Vel, & frequentius in cautione de jure præstanda per usufructuarium, ex deductis pariter in sua materia sub tit. de serv. ad materiam usufructus, & in aliis, ideoque totum remissum est prudenti Judicis arbitrio pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulando. 11

Applicando autem ad rem, ultra motivum idoneitatis cautionis jam præstitæ in facto justificatæ, cum quo simpliciter in decisione proceditur, plures circumstantiæ concurrebant, ex quibus id non erat subtiliter inquirendum, sed qualis qualis cautio sufficere videbatur, dum res ectu mobilium, partim vendita erant, pretiumque investitum, partim vero ex pretiosis repositum penes eundem oppositorem, adeout penes tutricem remanerent solum usualia non magni momenti, & quæ dissipationi ex communi usu subjecta non sunt, sed solum usuali consumptioni; & quoad stabilia in sorte, nulla exigitur cautio, ut locis supra citatis advertitur, quo vero ad fructus, neque fraus, vel alteratio adesse poterat, dum eadem bona pro certa annua pensione locata erant eidem patruo, & contutori, qui habebat in manibus pensionem singulis annis solvendam, ideoque excepta summa necessaria pro alimentis pupillarum, aliisque quotidianis usibus reliquum in ejus facultate erat non solvere, sed curare ut investiretur juxta illum temperamentum, de quo in usufructu rerum, quæ consumuntur, habetur sub d. tit. de serv. At etiam quia cum singulis annis, tam de jure ut infra, quam ex particulari Statuto, rationum, si non formalis redditio, saltim revisio facienda sit, ut infra, ita de facili confici poterat, an & quid in manibus tutoris remaneret, ob quod oporteat de idonea cautione sollicitudinem habere necne. 12

Istius

13 Istius vero causæ, pluriumque aliarum consimilium tutelarium administrationum occasione, dicere consuevi, ac sæpissime consului, optimum esse stylum, ad tollenda majora incommoda tutorum, atque occasiones litium inter eos, ac pupillos factos majores, omnemque removendam suspicionem, ut Judex certam præscriberet taxam menstruam, vel annuam pro pupillorum congruo victu, vestitu, & famulatu pro loci, personarum, & patrimonii qualitate, cum alias controversiæ oriri soleant, an liber tutelaris circa expensas esset bene tentus necne, & an illi credendum sit, vel oporteat expensas aliunde justificare, ex 14 iis, quæ habentur ap. Genu. *de script. priv. l. 4. tit. de lib. tutor.* Galter. *prax. int. p. 2. rub. 3.* Burat. & Add. *dec.* 465. *dec.* 111. *& dec.* 177. *p. 7. rec. dec.* 126. 359. *&* 410. *p. 9. rec. & sæpius*, ita enim omnes hujusmodi quæstiones cessant.

15 Quo vero ad tertium punctum rationum hinc inde reddendarum, ista duas babebat partes, unam inspecto hujus Civitatis Statuto, & alteram in terminis juris communis: quoad primam, cum Statutum esset litterale, hinc proinde quando ageretur de unico tutore testamentario, vel dativo, de plano intrat regula Textus *in l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, verum dicebatur hincinde (præsertim ex hac parte) quod casus controversus esset mixtus, ideoque juxta vulgatum, & quotidianum axioma in materia Statutaria, remaneret extra Statutum sub dispositione juris communis, tum quia non agebatur de unico tutore, sed de duobus; tum etiam quia, non de testamentario, de quo Statutum loquitur, sed de legitimo, ac etiam quia agebatur de matre, de qua non loquitur in hac materia privilegiata ob majorem fiduciam, quam lex ipsa habet, ex deductis *disc. præc.* ita super singulis hujusmodi motivis, juxta nostras consuetas ineptias, regularum, ac allegationum cumulos faciendo.

16 Iste autem, ac fundate, Mihi, quamvis in contrarium Scribenti visum est, dictam statutariam dispositionem indefinite admissam esse, tum quia rationabilis, beneque regulata est, ideoque in pluribus locis hæc Statuta vigent, ex relatis per Carpan. *ad Stat. Mediol. l. 1. c.* 318. *nu.* 8. Mont. *de tutel. c.* 38. *n.* 139. *cum aliis in decisione*, tum etiam quia si loquitur de tutore testamentario, multo ma-17 gis, non in ratione extensiva, sed intensiva, seu comprehensiva, locum habere debet in legitimo, cum absolutum sit in jure, magis privilegiatum esse testamentarium, cujus fides a testatore probata est, quam legitimum.

18 Et quoad matrem, cum Statutum loquatur de mulieribus, ita de ista, & avia loqui dicitur, dum, illis exceptis, aliæ mulieres ad hujusmodi munus exercendum inhabilitatæ sunt, juxta notoria Institutionum principia, super quibus nunquam placuit, minimumque indecorum semper visum est ut in Rotæ, aliorumque magnorum Tribunalium decisionibus, leges, & auctoritates allegentur, quinimmo, quod neque per Advocatos id fiat in consiliis, vel informationibus, cum sint principia, super quibus, congruit quidem, ut tyrones in scholis, & academiis legum notitiam ostendant, ac memoriam exerceant, sed in Foro, atque apud versatos præsupponenda sunt.

19 Attentis vero terminis generalibus juris communis, quamvis Ego scribens pro matre actualem administrationem habente, nimium insisterem in regula, quod cum unica sit administratio, unica etiam debeat esse rationum redditio facienda pupillo facto majori, vel ejus morientis hæredi post finitam administrationem, cum de isto casu loquantur omnia jura ad id obligantia collecta per Munoz. *de ratioc. c.* 3. *&* 6. ac omnes de hac pupillari, vel alia administratione agentes, atque admittitur in hujus causæ decisione.

20 Adhuc tamen in hac facti specie (ubi etiam dictum jus municipale non assisteret reflectendo ad veritatem) id probabile videbatur ex facti circumstantiis, dum erant duo tutores, quorum alter totam, vel majorem administrationem actualem habebat, nempe mater, alter vero, tanquam adjunctus ad satisfaciendum Statuto, remanebat pene honorarius, ac habitualis, sed quoniam hæc divisio, ubi facta non est a testatore, vel a Judice, sed inter seipsos tutores, non præjudicat pupillo, qui actionem habet insolidum contra omnes absque necessitate ordinis, vel subsidii, cum id procedat, quando agitur de dicta divisione facta a testatore, vel Judice ad Text. *in l.* 2. *C. de divid. tutela*, cum concordant. apud Guttier. *hoc tract. p.* 2. *c.* 15. *n.* 1. Surd. *cons.* 170. *n.* 11. Rota ap. Cels. *decis.* 188. *n.* 10. *dec.* 69. *p.* 11. *rec. n.* 9. *& in aliis, ut disc. seqq.*

Hinc proinde, tutori non administranti recte jus competit petendi a contutore administrante, de cujus facto 21 ipse tenetur, singulis annis redditionem rationum, non quidem solemnem, & formalem, sed per quandam speciem summariæ revisionis, ut ita dignosci valeat quomodo se gerat, & quid agatur, vel agendum sit pro reliquatu, pro ejus interesse, ac indemnitate, juxta Text. *in l. si plures, ff. de administr. tutor.* cum concordant. ap. Magon. *dec. Florent.* 74. *n.* 3. Sola *ad consuet. Sabaudiæ, tit. de minor. ac rationibus distrahendis, gl.* 5. *n.* 1. Munoz. *de ratioc. c.* 6. *n.* 70. *cum seq.*

Quinimmo ex eadem ratione, non improbabile, sed 22 potius commendabile videtur, ut Judex ex officio, fortius vero instantibus pupilli conjunctis, non per viam finalis, ac formalis redditionis rationum, sed per viam dictæ summariæ talis qualis revisionis, ubi præsertim agitur de magna administratione, in qua pupillus cum longi temporis tractu notabiliter damnificari potest, singulis annis, vel temporibus diligentiam hanc adhibeat, vel alita committat.

Demum quoad educationem, de qua in decisionibus non 23 agitur (neque in puncto juris agendum erat donec de medio tolleretur Apostolica provisio) dicebam Scribens pro matre, regulam sibi assistere, ob duplicem qualitatem sibi assistentem, matris sc. ac tutricis, quo casu cessant omnes dictæ quæstiones desuper cadere solitæ inter tutorem & matrem; & nihilominus etiam isto casu, lex matri assistere videtur, adeout quandoque, spreto præcepto, seu dispositione ipsiusmet testatoris demandantis educationem tutoribus, vel aliis, ipsi matri demandata sit, ut patet præsertim *ex dec.* 84. ap. Carill. *repetit. dec.* 12. *p.* 8. *rec.* ap. Merlin. *dec.* 812. *dec.* 589. *&* 604. *p.* 5. *rec. dec.* 95. 108. *&* 255. *p.* 6. *& in aliis*, Rovit. *dec.* 8. *&* 87. de Marin. *resol.* 95. *l.* 1. ubi Rodoer. in add. Valer. *de transact. tit.* 3. *q.* 1. *ex n.* 16. *apud quos concordantes.*

Est bene verum, quod ista pariter est quæstio puri fa- 24 cti potius, quam juris, ex facti qualitate, & circumstantiis, prudenti arbitrio decidenda, ideoque leguleica ineptia est, decisiones in uno casu editas, alteri tanquam pro regula generali applicare, cum pro diversis facti circumstantiis, ac personarum, locorum, & temporum qualitate, quandoque expediat educationem matri decernere, quandoque denegare, & concedere tutori, vel alteri conjuncto, a quo pupilli beneficium sperare possint, ideoque expediat eorum benevolentiam captare, juxte ponderationes, de quibus apud Mart. Medic. *d. dec. Senen.* 61. *& seq.* & quandoque penes aliam honestam matronam, cujus loco ex frequentiori usu successerunt Monasteria Monialium, ut advertitur *sub tit. de matr.* occasione sequestrationis mulieris pendente lite super separatione thori, multoties vero Monasteria ob publicitatem, seu personarum pluralitatem, in puellis minus congrua reputantur, magisque congrua est honestæ, ac prudentis matronæ domus, prudentis arbitrio...

ANNOT. AD DISC. IV.

De materia educationis pupilli penes quem facienda sit, habetur *in hoc eod. tit. disc.* 21. ubi an potius patruo quam matri sit decernenda.

ROMANA REDDITIONIS RATIONUM PRO CAPITULO S. MARIÆ MAJORIS, CUM PROMOTORE FISCALI VISITATIONIS, ET ALIIS.

Casus disputatus in S. Congregatione Visitationis.

An tutor honorarius, vel alter administrator, habens solum superintendentiam, sine administratione actuali, quæ penes alterum existat, teneatur ad redditionem rationum, vel de actualis administratoris culpis, & negligentiis, & quomodo?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*

2 *Ecclesia regulanda est jure pupilli contra administratores censendos jure tutorum.*

3 *De tribus speciebus tutorum, & ubi sunt de prima specie, quia omnes simpliciter deputantur directe, tenentur in solidum, quamvis aliqui administraverint, & alii non.*

4 *Idem de sociis, remissive.*
5 *De tutoribus honorariis, quod non teneantur nisi in subsidium.*
6 *Tutela est individua, & penes omnes in solidum.*
7 *De tutoribus notitia, vel consilii causa ad quid teneantur.*
8 *De quarta specie tutorum favoris, ac protectionis, & superintendentiæ causa, & ad quid teneantur.*
9 *De qua specie in isto casu agatur.*

D I S C. V.

1 CUm ex Cardinalis de Toleto dispositione, Apostolica auctoritate, aliquæ Cappellaniæ in Basilica S. Mariæ Majoris erectæ essent, bonorum autem Cardinalis prædicti venditio, ac pretii investimentum cum multiplico, & in alia ad hunc effectum demandata, commissa essent quibusdam administratoribus, subordinatis tamen ejusdem Basilicæ Capitulo, cui superintendentia commissa fuit, hinc occasione visitationis Apostolicæ hujus Ecclesiæ, ejusdem visitationis Promotor fiscalis, super hujusmodi administratione plures excitavit difficultates contra Capitulum, & præsertim, quod dictæ administrationis rationes reddere teneretur, ac reliquatum restituere, etiam pro dictorum subordinatorum administratorum facto, & culpa, vel negligentia.

2 Scribens Ego pro Capitulo dicebam, quod ubi etiam procedendum esset cum assumpto, cum quo dictus Procurator fiscalis, ac adhærentes procedebant, ut sc. Ecclesia regulanda sit jure pupilli, & consequenter, quod illi, quibus incumbit administratio, censendi veniant jure tutorum, ad iis, quæ occasione tacitæ hypothecæ habentur in Anconitana *sub tit. de cred. disc. 39. & in aliis*, adhuc tamen in hac facti specie ad nullam redditionem rationum, vel aliud, Capitulum teneretur, nisi constaret de aliqua ejus gravi culpa, quæ dolum redoleret.

3 Ut enim cæteris relatis habetur ap. Capyc. Latr. *consul.* 58. ubi referuntur Guttier. *de tutel.* Munoz. *de ratioc.* Surd. & cæteri, plures tutorum species distinguuntur; primo scil. eorum, qui simpliciter e testatore, vel e Judice deputantur ad tutelam administrandam, ipsique, munere acceptato, inter se administrationem dividunt, sive uni tantum committunt, & tunc, quicquid sit inter eos, ut qui administravit, aliis rationes reddere debeat, eosque indemnes relevare, quatenus pertinet ad pupillum, ipse contra omnes, putam, ac directam habet actionem in solidum, eo quia tutela est individua, atque testator, seu Judex, omnium fidem secutus est, unde propterea non intrat ordo subsidii, vel necessitas excussionis, ex deductis *disc. præced.*

4 Quod habemus etiam in sociis, quod si ex conventione inter eos unus negotium sociale administret, ipse tenetur aliis rationes reddere, eosque relevare e molestiis, quas illi reciperent ratione reliquatus per ipsum debiti, sed quoad credentes societati, atque cum negotio sociali contrahentes, ejusque fidem sequentes, non intrat hæc distinctio, sed omnes tenentur in solidum, quinimmo illi, qui ea occulta, seu non bene publicata conventione, a societate discessissent, ut advertitur in dicta sua materia *sub tit. de credito*, præsertim *disc. 75.*

5 Altera tutorum species est eorum, qui honorarii in jure dicuntur, quod scil. testator, vel Judex, plures deputando, uni, vel aliquibus tantum actualem administrationem decreverit, aliis vero habitualem, qui tamen adhuc sunt veri tutores, adeout debitores, data bona fide, aliisque requisitis eis bene solvant, & tunc intrat dictus ordo subsidii, quod sc. prius pro redditione rationum, ac restitutione reliquatus, tenetur ille, qui administravit. Alii vero in subsidium ad Text. *in leg. tres tutores, §. Non solum, ff. de administr. tutor.* cum concordant. de quibus *d. consult.* 58. Capyc. Latr. & admittitur per allegatos *disc. præc.* super conclusione, de qua supra in prima specie obligationis omnium in solidum.

6 Tertia eorum, qui dicuntur notitiæ causa, qui vere, ac proprie non sunt tutores, neque veram tutelam habitualem habent, dum in aliis speciebus præcedentibus tamquam individua penes omnes in solidum habitualiter esse dicitur, quamvis exercitium diversimode divisum sit, juxta ea, quæ super juribus individuis habitu existentibus penes omnes, ac eorum quemlibet in solidum, quamvis diversa sit exercitii divisio, habentur deducta *sub tit. de feud. disc. 8.*

Isti etenim tutores, qui ad solam notitiam, vel instructionem deputantur, dicuntur potius tutorum Ministri, seu consiliarii tanquam bene informati, prout attento antiquo Romanorum usu erant liberti, atque hodie sunt illi, quos factores, ac institores, seu vergarios, & massarios dicimus, quorum opera defunctus in ejus bonorum administratione uti solebat, quoniam prudenter tutoribus injungitur, ut causa notitiæ, eorum operam, atque consilium adhibeant, iique neque in subsidium generaliter tenentur ex facto tutorum, & pro universa administratione, eo modo, quo tenentur honorarii, juxta supradictam secundam speciem, sed tenentur solum circa consilium, vel notitiam non bene datam ad Text. in *l.* t. *Cod. de periculo tut.* ubi Scribentes collecti per Barbos. in collectan. ad eundem Text. Capyc. Latr. *d. consul.* 58. *n.* 14. ubi allegantur Guttier. Bart. & alii, ibique de hac specie proprie agitur. 7

Quamvis autem ad istas tres species, DD. se restringere videantur, attamen, juxta id, quod plures praxis, seu experientia Me docuit, quarta etiam species constituenda videtur illorum, qui nedum honorificentiæ causa tantum, juxta secundam speciem, sed principaliter ex causa protectionis, & cujusdam talis qualis remotæ superintendentiæ supra tutores deputantur, prout (ut sæpe expertus sum) quod uno, vel pluribus conjunctis, vel amicis a testatore deputatis in tutores, quibus privatæ fortunæ viris, pro qualitate patrimonii, & pupilli, tutela congruet, sub nomine etiam tutoris ex dictæ protectionis, vel superintendentiæ causa, unus, vel plures Cardinales, vel Magnates primi ordinis deputantur, quoniam in istis nullatenus recipienda sunt quæ de tutore simpliciter honorario, juxta supradictam secundam speciem habentur, minusque ea, quæ habentur de tertia specie tutorum notitiæ, seu consilii causa, quinimmo neque ea, quæ habentur ad materiam Text. in *l. idemque, §. Si quis, ff. mand.* cujus verba registrantur apud Capyc. Latr. *d. consul.* 58. *nu.* 16. quia sc. demandatum sit cum ejus interventu negotia pertractari deberi, quod consilio æquipollere videtur, dum in istis neque dicta ratio intrat, sed solum, ut dictum est, ille favoris, ac protectionis, qua mediante tutores melius administrationem facere, ac negotia pupillaria pertractare valeant, necnon, ut ita eisdem tutoribus, aliisque Ministris, aliquis incutiatur timor, ut bene se gerant, & consequenter, non dato positivo dolo, ad nihilum isti teneri debent, ut recepta praxis docet, ipsaque legalis, ac naturalis ratio comprobat. 8

Applicando autem ad rem, dicebam probabilius videri, ut in hac ultima specie, ex facti qualitate, & circumstantiis, potius versaremur, quod sc. deputatis hujus hæreditatis administratoribus, quibus admittebam tutorum terminum congruere, etiam cum dicta distinctione inter eos, attamen quod adeo qualificatum Capitulum, favoris, ac protectionis gratia pro superintendentia deputatum esset, potissime quia administratoris titulus, ac munus ei incongruit, cum etiam bona propria per alterum administrare cogatur, ideoque esset superintendentiæ, juxta quartam speciem, adeout neque subsidiaria actio intraret, nisi quatenus administratorum deputatio culposa ab eo facta esset, adeout ob culpam ob malam electionem, actio ad id, quod interest, intrare posset.

Illoque casu, alia oriebatur inspectio, an posita dictæ actionis competentia, ea solum exercibilis esset contra singulos tunc in Capitulo intervenientes, qui de culpa redargui valeant, non autem contra ipsum Capitulum, in præjudicium eorum qui tunc non intervenerunt, vel successorum, id autem examinatum non fuit, dum enim tantum disputatio habita desuper fuit ad effectum evitandi putam, ad directam Capituli obligationem in redditione rationum, deindeque amplius de causa non audivi, quia forte per illos, qui administraverant, bene rationes redditæ fuerint, unde propterea defuit occasio efformandi desuper maturum judicium. 9

ANNOT. DISC. V.

DE tutore minus legitimo, qui de facto administravit, ac pro tutore se gessit, habetur infra *disc.* 9. & 14.

SPOLETANA TUTULÆ
PRO PETRO PAULO FONTANA
CUM HÆREDIBUS DOMINICI

Casus disputatus coram A.C. incertus est exitus.

De redditione rationum tutelarium, ad quam tenetur ille, qui tutelam acceptavit, vel ejus hæres, & quando acceptatio sequi dicatur, quamvis alia solemnia non adimpleverit.

An tutor negotiari, seu mercari valeat pecuniam, & bona pupilli, & quid ubi agatur de continuatione illius negotii, quod pater exercebat, & an ante redditas, ac dispunctas rationes, tutor cogi valeat ad restitutionem bonorum, vel solutionem alicujus certæ quantitatis, & an tutor prætendere valeat manutentionem in possessione, vel eorum retentionem, & quando?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Acceptatio tutelæ inducitur per unicum actum.*
3 *Declaratur.*
4 *An pupillus obligetur ex facto tutoris, qui non implevit solemnia?*
5 *Tutor non implens solemnia potest removeri.*
6 *Sed si administravit, tenetur reddere rationes.*
7 *De conclusione, quod qui se gessit pro tutore, teneatur solum de eo, quod administravit.*
8 *De eadem distinctione in aditione hæreditatis.*
9 *De æquivoce in ista materia.*
10 *Obligatio reddendi rationes transit ad heredes.*
11 *Quod rationes non possint bene reddi sine libris.*
12 *Contrarium, quod etiam reddantur sine libris.*
13 *Quid referat libros adesse necne.*
14 *De librorum æquipollentia.*
15 *Administrator ante redditas rationes non dicitur debitor, vel creditor, sed solum datur actio ad factum.*
16 *Procedit id in pecunia, & aliis consumptibilibus.*
17 *Quando etiam ante redditas rationes condemnetur ad certam quantitatem.*
18 *De eodem, cum declaratione.*
19 *De altera declaratione conclusionis, de qua n.17.*
20 *In bonis stabilibus, vel æquipollentibus tutor non denegat pupillo restitutionem.*
21 *Rejicitur opinio volentium ei dare retentionem.*
22 *Quod tutori competat manutentio in possessione bonorum.*
23 *Declaratur quando id locum habeat.*
24 *De alia declaratione ejusdem conclusionis.*
25 *Idem quod dicitur de stabilibus, vel æquipollentibus, procedit in mobilibus constituentibus universitatem.*
26 *Quod in his bonis facilius intrent ea, quæ habentur numero 23. & 24.*
27 *In mobilibus singularibus procedit etiam idem favore pupilli.*
28 *Quid ubi tutor dicat non extare, sed esse distracta, & de cautela.*
29 *De applicatione ad casum controversiæ.*
30 *Tutor non potest exponere pecuniam pupillarem negotiationibus, & quando possit.*
31 *Tenetur eam investire in bona, & jura tuta, & negligendo, ad quid teneatur.*
32 *Quando excusetur.*
33 *Quod magis expediat facere investimenta tuta minoris fructus.*
34 *Quando tutor continuando negotiationem excusetur.*
35 *De nova societate, quæ mortuo socio iniri dicitur continuanda, & ubi sit materia sedes.*
36 *Quando non procedat conclusio, de qua n. 34.*
37 *De propositione, quod tutor excusetur tractando negotia pupilli sicut propria.*

D I S C. VI.

1 DEfuncto Jo: Bernardo Fontana, superstite Petro Paulo filio pupillo, cui tutorem deputavit Dominicum ejus fratrem, cum quo pro communi negotium fundacale pannorum, aliarumque mercium in Urbe exercebat. Cum dictus Dominicus, idem negotium ita per aliquod tempus continuasset, deindeque se absentando, quandam societatem cum aliis iniisset, illudque novum sociale negotium notabilem jacturam passum esset, hinc pupillus factus major, contra tutoris hæredes judicium super redditione rationum coram A.C. instituit, atque in disputationibus desuper habitis, quatuor fuerunt puncti, primo scilicet, an locus esset obligationi redditionis rationum, stante quod non constabat de formali acceptatione tutelæ cum implemento solemnium, secundo, quatenus ad id teneretur, stante, quod libri tutelares confecti non erant, an sine istis rationes reddi possent, tertio, an ante rationum redditionem idem tutor cogi posset ad restitutionem bonorum pupilli in patria existentium, ac etiam illius quantitatis, quam bene constabat, & non negabatur remansisse in dicto negotio fundacario penes eundem de tempore mortis, & quarto demum, an idem tutor potuerit continuare dictum mercimonium, deindeque dictam societatem inire, adeout damnum quod contigit, ejusdem pupilli, vel respective tutoris esse deberet.

Super primo, modica fuit difficultas, quoniam ex instrumento publico dictæ societatis initæ super fundaco, 2
constabat, ipsum se gessisse tanquam tutorem pro pupilli portione, unde propterea exinde clare probata remanebat tutelæ acceptatio, quæ etiam per unicum actum univocum, & explicitum sequi dicitur, ad text. *in l. ita autem, §. gessisse, ff. de administr. tutor.* cum concordantibus apud Mantic. *decis. 119. num. 9. & passim.*

Difficultas etenim cadit, quando non constet de aliquo 3
actu expresso, & univoco, sed acceptatio deducatur ex actibus tacitis, vel implicitis, qui sint æquivoci, atque ad alium titulum referri valeant, super quo tamen opus non fuit inspectionem assumere, dum habebatur actus explicitus, & univocus, aliique plures in facto per causæ Patronum ponderabantur, unde propterea iste primus punctus remanebat planus.

Neque suffragari poterat, quod sequuta non esset for- 4
malis acceptatio in judicio cum implemento solemnitatum, unde propterea verus, ac legitimus tutor dicendus non esset, quoniam ad duplicem effectum de hujusmodi implemento quæri solet, primum scilicet proficuum ipsi pupillo, ne ex facto minus legitimi tutoris, qui solemnia non adimplevit, obligatus, vel præjudicatus remaneat, nisi quando publicitas administrationis, aliæque circumstantiæ bonam fidem, ac justam credulitatem in altero contrahente inducentes, illum excusent, ex iis, quæ habentur apud Franch. *decis. 206.* ubi Add. Greg. & Adden. *decis. 31.* Mantic. *dec. 119. n. 5.* Buratt. *dec. 344. n. 20.*

Et secundo, ut ipsemet tutor in judicio repelli valeat, 5
tanquam non habens legitimam personam, sive quod id eum culposum convincat, unde suspicio, an suæ remotionis causa resultet, ex deductis apud Orthobon. *dec. 144.* ubi concordan. & supra *Romana, seu Marsicana disc. 3.*

Secus autem quoad hunc affectum suæ obligationis red- 6
dendi rationes, quoniam justum non est, ut culpa ei prosit, atque melioris conditionis sit tutor culposus, qui solemnia non adimplevit, quam non culposus, qui legi obediendo, omnia implevit, ut cæteris relatis Guttier. *part. 3. cap. 1. n. 20.* Seraph. *dec. 1473. n. 3. dec. 3. par. 6. rec. & dec. 297. num. 6. & seq. par. 10. & in aliis*, cum videatur principium certum dictæ irrefragabili rationi innixum, ideoque auctoritatum testimonio non indigeat.

Et quamvis in aliquibus decisionibus habeatur, quod il- 7
le, qui formiter tutelam non suscepit, sed solum pro tutore se gessit, teneatur tantum reddere rationes de iis, quæ constet ad ejus manus obvenisse, aliisque gestis, non autem de neglectis, ac aliis, quibus se non ingessit, attamen propositio est vera, sed frequens æquivocum sumi solet in applicatione; procedit etenim in eo, qui nullum in legitima, vel testamentaria tutela titulum, vel officium habeat, sed solum de facto, quamvis extraneus in aliquibus pupilli bonis, vel juribus se ingesserit, cum non exinde resultet acceptatio illius tutelæ, quæ sibi delata non erat, & consequenter dicitur ita improprie se gerere pro tutore, sed revera, nec actu, nec habitu est talis, secus autem ubi testamentaria, vel legitima tutela sibi delata est, atque habitualiter competit, tunc etenim eo ipso, quod unicum gerit actum tutelarem, tutelæ acceptatio resultat, juxta supra allegatum Textum *in l. ita autem, §. gessisse, ff. de administr. tutor.* & de consequenti resultant omnes obligationes tutori incumbentes eo majores, ubi in solemnitatum implemento deficit, cum ita magis suspectus, atque culposus reddatur, ideoque etiam de neglectis, ac non administratis, quæ administrari debebant, rationes reddendæ sunt, ut ita distinguendo habetur *in*

Romana domus 17. Martii 1649. coram Bichio inter suas *decis.380. num.17.*

8 Et habemus e simili hanc distinctionem in hærede, ex iis, quæ pluries habentur in suis respective materiis *sub tit. de hærede*, ac sub altero *de credito*; si enim extraneus, cui nullum jus in hæreditate competit de facto se ingerat in aliquorum bonorum hæreditariorum possessione, aut exactione nominum debitorum, sive quod alias pro hærede se gerat, tenebitur siquidem restituere totum id, quod ad ejus manus obvenit, sive reficere vero hæredi, vel hæreditati damna, & interesse, ex ejus male gestis resultantia, ac etiam ubi dolus accedat, subjacet crimini expilatæ hæreditatis, cui subjacet extraneus, non autem ille, qui legitimum hæredis titulum habet, ex firmatis *dec.108. num.9.* post Merlinum *de pignor.* & insinuatur supra in eadem causa, in qua decisio prodiit *sub tit. de alienat. & contract.* Non per hoc tamen ex hujusmodi actibus resultat generalis aditio juxta terminos textus *in l. gerit, & l. pro hærede, ff. de acquir. hæred.* cum concordantibus plene deductis per Menoch. *lib.4. præsumpt.100. & sequent.* & in dicta sua materia *sub titul. de hærede*, & consequenter sibi imputari non potest, quod inventarium non confecerit, ideoque resultet ejus obligatio insolidum, etiam ultra vires ad omnia debita, & legata juxta terminos textus *in l. finali, §. Et si præfatum, Cod. de jur. deliber.*

Secus autem in eo, cui testata, vel legitima hæreditas, de jure delata est, unde habitualiter sit hæres universalis, quoniam faciendo hujusmodi actus, etiam unicum, qui citra jus, ac nomen hæredis fieri non valeat, neque ad alterum legitimum magis proficuum titulum sit referibilis, ita efficitur hæres, omnesque effectus resultant, sicut e converso non subjacet crimini, ac pœnis expilatæ hæreditatis, quibus subjacet ille, qui nullum jus habituale habet in hæreditate, sic a pari.

9 Et tamen forte centies in judicio (cum inexplicabili passione) expertus sum hoc æquivocum, quod capiendo dictas, vel similes decisiones, & auctoritates ad litteram, ut ille, qui testamentarius, vel legitimus tutor formiter in judicio talis declaratus non esset, neque cautionem præstitisset, minusque inventarium confecisset, teneri non deberet de neglectis, aliisque damnis, quæ ita pupillus passus est, sed solum de gestis per eum, ac de bonis ad ejus manus obventis, quod nil absurdius.

10 Posita vero acceptatione tutelæ, ac successive obligatione reddendi rationes, planum remanebat, ut hæc actio exercibilis esset contra defuncti tutoris hæredes, qui in hoc passivo jure eum repræsentant juxta text. *in l.2. cum sequentibus, Cod. de tutel. & l.1. §. Hanc autem, ff. de tutelis, & rationibus distrahendis*, cum concordantibus plene collectis per Montan. *de tutel. cap.38. num.50. & sequentibus*, Rot. *decis. 69. part. 11. recent. num. 1.* & apud Buratt. & Add. *dec.557. num.9.* ac passim.

11 Quoad secundum punctum, an scilicet rationes reddi possent sine libro tutelari, quamvis Ego scribens pro pupillo Advocati more inculcarem obligationem tutori incumbentem conficiendi hunc librum, in quo distincte, ac ordinate, juxta singula tempora, non autem in confuso omnes partitæ dati, & accepti descriptæ sint, quodque, aliter in culpa dicatur, neque imperfectis notulis, vel liberculis, seu libro de recenti confecto deferendum sit, ex iis, quæ in hac materia libri tutelaris, cæteris relatis plene deducta habentur apud Otthobon. *decis.* 501. & Cels. *decis.* 142. quæ decisiones sunt editæ in casu, de quo *discurs. seq.*

12 Attamen admissa fuit (& merito) opinio, quam Rota, & Curia sequitur, ut rationes etiam sine libris reddi valeant, ex firmatis apud Greg. & add. *decis.199. & 274. d. decis. 165. num.15. par. 11. rec.* ubi concordantes, siquidem defectus libri inducit quidem in tutore culpam, ac suspicionem, unde propterea gravatur rigoroso onere justificandi aliunde veritatem, quæ alias ex solo libro bene tento
13 probata remaneret, non tamen exinde resultat, ut impossibile sit rationes reddere, quodque propterea pernecesse intret juramentum in litem, ut aliqui opinantur, dum solum resultat dictus effectus majoris oneris.

14 Potissime vero, ubi ex administrationis qualitate resultet, ut liber prædictus non sit ita præcise necessarius, quia nempe accedat æquipollens, ut in hac facti specie contingebat, dum major pars assis consistebat in hoc fundaco, in quo libri negotii more mercantili tenebantur, ita æquipollentes, alii vero effectus existentes in patria erant modici, ac de facili justificabiles, ideoque ista quæstio uniformem regulam generalem recipere non videtur, sed pro facti qualitate decidenda est.

15 Circa tertium punctum, an scilicet tutor ante redditas, ac dispunctas rationes ad aliquid certum restituendum teneatur, forte fuit major disputatio. Scribentes etenim pro hæredibus tutoris, totum negando insistebant in conclusione, quæ pene quotidiana est, ac sæpissime recepta, ut administrator ante redditas rationes, dici non possit, nec debitor, nec creditor, quoniam ex rationum dispunctione potest remanere creditor, ideoque contra eum alia non competit actio, nisi ad factum redditionis rationum per mulctam, aliaque remedia, non autem ad certam rem, vel quantitatem, ut ad nauseam de more colligit Giurb. *dec.15.* Surd. *dec.184.* Buratt. *decis. 58. 123. & 433.* Rot. *dec.228. par. 11. rec.* & sæpius.

16 Verum, & in hoc frequens æquivocum cadere solet, ita simpliciter, ac indefinite capiendo istam conclusionem, in suis casibus veram, non autem cuicumque applicabilem, ideoque cum casuum distinctione procedendum est, primus igitur casus est, ubi agatur de pecunia, seu nominibus debitorum, aut bonorum fructibus, aliisque mobilibus, quæ servando servari non possunt, atque functionem in genere suo recipiunt, adeout restitutio importet debitum quantitatis, & tunc recte procedat dicta conclusio, atque in his terminis quæstionem tractat Giurba *d. dec.15.* occasione agendi de socio administratore, unde incidenter adhibet istos terminos tutoris, & supponitur apud Surd. & Buratt. ac alios ubi supra.

17 Huic tamen casui congruit quoque limitatio, ubi administrator legitime monitus esset contumax, atque non curaret rationes reddere, quoniam si constaret de certa, & determinata summa, vel quantitate, quæ in sorte principali ab initio sibi data esset in administrationem, juxta casum, de quo agit Giurba *ubi supra*, vel similem, ut verificabile frequenter videtur, quando alicui detur pecunia ad negotiandum juxta casum, de quo pluries *sub tit. de usuris*, præsertim *disc.1.* Et tunc, quia in dubio præsumenda non est jactura, seu diminutio sortis, hinc proinde si administrator cum pactis, vel clausulis exequutivis se obligavit eam restituere, ac rationes reddere, juncta contumacia, recte contra eum proceditur ad condemnationem talis certæ summæ, vel quantitatis, atque illo casu procedunt ea, quæ pro ratione dubitandi deducuntur apud Giurb. *dec. 15. in princip.* ut cæteris relatis plene habetur *dec. 392. n.3. & seq. p.10. rec.* ubi concordantes.

18 Secus autem si ille, qui petit rationes reddi, prætendat debitum provenire ex lucris, vel ex fructibus diversis temporibus obventis ex bonis administratis, quorum substantia salva sit, cum tunc sit debitum, quod oritur ex ipsa administratione, ideoque pernecesse illa discuti debet, cum tunc non intret dicta ratio, quæ congruit certæ summæ, vel quantitati, quæ ab initio in sorte principali data sit, sed solum intrat actio ad factum juxta dictam *dec. 228. p.11. rec.* cum concordantibus.

19 Cessante vero contumacia, quia scilicet adhibeantur rationes, sed per eum, cum dandæ sunt, prætendatur eas male redditas esse, vel quia partitæ accepti non sint integræ, vel quia illæ dati, non sint justificatæ, aut, quod alio defectu laborent, & tunc non intret condemnatio, præsertim in judicio exequutivo ad certam summam, vel quantitatem, sed declaratio, quod rationes non bene redditæ sint, & respective condemnatio, in judicio ordinario, prævia formali liquidatione fieri debet juxta distinctionem, de qua pluries *sub tit. de cred. & sub altero de hærede*, super puncto, an & quando contra hæredem pro debito defuncti directe, & executive in persona, & bonis propriis procedi 20 valeat, ut scilicet affirmative respondendum sit in casu contumaciæ exhibitionis inventarii, & rationum, secus autem si exhibeat, sed in inventario, vel rationibus prætendantur defectus, quoniam de hoc in judicio ordinario discutiendum est, & in his terminis advertitur *disc. seq.*

Alter casus est, ubi e converso agatur de bonis stabilibus extantibus, vel quæ stabilium loco habenda sint, ut sunt census, & loca montium, ac similia, & tunc e converso non dubitatur ut tutor, pupillo facto adulto, sive administrator Domino, ac principali ea restituere teneatur, neque retentionem allegare valeat sub prætextu, quod remaneret creditor ex causa administrationis; ex eadem ratione illiquiditatis, quodque pendente rationum redditione, ac dispunctione, quemadmodum dici non potest debitor, ut supra, ita neque creditor.

Et quamvis Font. *dec. 545.* in hoc se involvere videatur, opi-

opinandu quod conclusio innitatur exclusioni compensationis, quæ diversa est a retentione, quodque aliud est com-
21 pensare, aliud vero retinere, pluresque dentur casus, in quibus denegetur compensatio, sed detur retentio, pro qua in his terminis concludere videtur; attamen, & hoc æquivocum est, quoniam ut pluries habetur in dicta sua materia, *sub tit. de cred.* etiam pro retentione requiritur creditum certum, & liquidum, quale dici non potest, quod pendet a rationum reddisione, ac discussione.

22 Prout licet quandoque Rota responderit pro manutentione in possessione, vel detentione bonorum ad favorem tutoris, præsertim apud Seraph. *dec.*77. *&* 82. & apud Duran. *dec.*269. *&* 328. *repetit.* apud Post. *de manut.dec.*322. *&* 329. quarum decisionum exemplo idem Fontan. *dec.* 544. advertit eandem praxim in eo Senatu introductam esse, duas decisiones referendo pro tutoris manutentione, attamen æquivocum quoque est id simpliciter sumere, ut tutor in possessorio pendente redditione rationum obtinere debeat contra pupillum factum adultum, vel majorem; esset enim dare magnum inconveniens, ut ita tutores, vel administratores, Dominos spoliarent, atque in spolio se confovere possent diuturno tempore, in quo hujusmodi lites super redditionibus rationum durare solent, quo nil absurdius.

23 Eatenus vero id recipiendum est, quatenus justa causa ex facti circumstantiis accedat, ob quam Judicis officium, vel arbitrium, tutoris favore intret, puta quia mortuo pupillo, contentio sit cum prætenso successore, qui de facto se intruserit in possessione tanquam vacanti, cum hæc vere talis dici non valeat ob detentationem, quam tutor, vel administrator de facto habet, in qua manutenendus est ratione interesse, quod habet, ut bene satisfaciat ejus obligationi de restituendo, atque in his terminis procedunt dictæ decisiones Seraph. & Duran. ut etiam advertitur per Posth. *de manut. observ.*52. *n.* 27.

24 Idemque justum motivum contra ipsummet pupillum concurrebat in casibus relatis per Fontanell. *dict. dec.* 144. quod scilicet pupillus, finita ætate pupillari, adhuc tamen minor absque legitima provisione curatoris, de facto in possessione, ac administratione bonorum se ingerebat, quod illi ætati adhuc imperfectæ, & periculosæ frequentius incongruit, ideoque prudenter ita provisum est, & consequenter ista est quæstio potius facti, quam juris, in qua erroneum est generalem regulam pro manutentione tutoris, vel administratoris statuere, quoniam juris regula generalis est potius in contrarium, bene tamen pro facti qualitate, prudenti officio, vel arbitrio quandoque limitanda ex justa causa dictum arbitrium regulante.

25 Tertius est casus, ubi agatur de mobilibus, vel semoventibus, quæ tamen corpus, vel universitatem constituant, ut sunt grex, taberna &c. juxta distinctionem text. *in l. cum taberna*, *ff. de pign.* de qua pluries *sub tit. de credito*, & sub *tit. de usur.* & alibi, & tunc in hujusmodi corporibus, vel universitatibus extantibus, in omnibus dicendum venit idem, quod de stabilibus, vel æquipollentibus, in casu proxime præcedenti habetur.

26 Bene tamen, in hac bonorum specie, facilius ex Judicis arbitrio intrat dicta limitatio, tum quia majus urget dissipationis periculum, tum etiam, quia majus dignoscitur tutoris, vel administratoris interesse super modo faciendi restitutionem, seu consignationem, dum hæc diligentem, ac distinctam descriptionem exigit in stabilibus non necessariam.

27 Quartus demum est casus bonorum mobilium, vel semoventium, quæ juxta dictam distinctionem jure singulari, non autem universitatis considerentur, & de quo proprie agit Surd. *dict. dec.* 184. quæ in hac materia circumfertur tanquam magistralis, & tunc, ubi ipsa bona in specie extant, adeout non negetur existentia, sed solum allegetur retentio, ex eo quod administrator prætendat remanere creditor, quicquid Scribentes varient, probabilius est, ut in hac bonorum specie, idem dicendum sit quod in secunda, & tertia dictum fuit, cum eædem adamussim intrent rationes, quoties extent.

28 Aut vero (ut frequenter contingit) tutor negat existentiam, quia nempe dicatur distraxisse, vel pignorasse ex causa administrationis, ac ob ejus expensas, & occurrentias, & tunc quæstio ex prudenti pariter arbitrio decidenda videtur pro facti qualitate, an scilicet allegata distractio, & consumptio sit congrua, & verisimilis, vel potius inverisimilis, ac redolens affectatam cautelam; unde propterea, dum adolescens addiscebam praxim S.C. Neapolitani, vidi quandoque laudabiliter practicari, ac ita practicari debere monui, & quandoque obtinui, præfixionis scilicet termini tutori, vel administratori ad exibendum libros, non per viam formalis redditionis rationum, earumque discussionis, sed pro summaria informatione, an bonorum allegata distractio, verisimilitudinis fomentum haberet necne, vel potius esset dolosa occultatio sub hoc prætextu velata, & consequenter est quæstio facti potius quam juris, prudenti arbitrio pro facti qualitate decidenda, ponderando etiam ea, quæ circa merces alienas, quarum distractio a tertio emptore allegabatur, habentur *sub tit. de Regal. disc.* 129.

Quare applicando ad hanc facti speciem, dicebam, quod 29
ubi ipse fundacus, quem habebat defunctus pupilli pater, hodie existeret, illeque per tutorem, vel ejus hæredes possideretur, utique retentio allegari non posset, quamvis non adessent merces extantes de tempore susceptæ tutelæ ob subrogationem aliarum earum loco cedentium juxta dictos terminos text. *in l. cum taberna*, sed si fundacus amplius non extabat, unde propterea tutoris obligatio remanebat in pretio, seu quantitate, tunc illius condemnationi locus esse non poterat, sed solum actioni ad factum redditionis rationum, ut est proprie casus, de quo illa Spoletana, in qua pariter scribebam *d. dec.* 228. *p.* 11. *rec.*

Demum quoad quartum punctum, an scilicet tutor dictum mercimonium continuare potuerit, ex quo pendebat decisio, an jactura, quæ in negotio contingerat, ubi etiam non culposa, sed casualis fuisset, tutoris, vel pupilli damno respective cedere deberet.

Regula tutori adversatur, ut scilicet, cessante præce- 30
pto testatoris, vel continuationis necessitate, puta expletionis negotii a defuncto jam cepti, non possit pupilli pecunias, vel bona, mercaturæ, seu negotiationis aleæ exponere, sed erogare tenetur in tutas emptiones bonorum stabilium, vel æquipollentium ad text. *in auth. novissime*, *C. de administr. tut.* cum concordantibus per Gabr. *cons.* 26. *n.* 8. *lib.* 1. Sperell. *dec.* 90. *n.* 11. Et bene conferunt ea, quæ distinguendo inter actum voluntarium, & necessarium habentur de hærede gravato negotiationibus exponente pecunias, vel bona fideicommissariæ hæreditatis *sub tit. de fideic. disc.* 191. *& seqq.*

Unde propterea, tutore negligente investire pecunias 31
in bona stabilia, vel jura fructifera non periculosa, puta in census, & loca Montium, vel similia jura, currunt etiam fructus, qui ex hujusmodi investimentis percipi debuissent, non tanquam usuræ pupillares, cum receptum sit, juris civilis dispositionem in hoc correctam esse a jure canonico, sed tanquam damna, & interesse, potius ob non factum, quam ob non datum, juxta distinctionem, de qua pluries in sua materia sub *tit. de usuris*. Et in his terminis tutoris dictum fuit in Romana pecuniaria 23. Januarii 1636. coram Panzirolo, *& dec.* 69. *n.* 3. *p.* 11. *rec.* ac advertitur per Leotard. *de usur. q.* 20. *n.* 8. *& seqq. & qu.* 82. *n.* 28. Sperell. *dict. decis.* 90. *n.* 8. *&* 10. Et in fortioribus terminis patris legitimi administratoris negligentis investire pecuniam pupilli habetur in Romana pecuniaria 15. Junii 1665. coram Albergato, in cujus tamen casu ob ejus circumstantias ea resolutio difficultates patitur ex defectu applicationis ad factum.

Nisi tutorem excuset eadem ratio, de qua respectu cujus- 32
cumque mandatarii, vel suscipientis obligationem investiendi, seu negotiandi habetur *d. tit. de usur. & sub altero de cambiis*, ac etiam apud Leotar. *q.* 18. *n.* 35. *& seq.* Sperell. *d. dec.* 90. *n.* 3. quod scilicet habita non fuerit opportuna occasio, quod tamen hodie non de facili est contingibile, præsertim in magnis Civitatibus, ob occasiones promptas locorum Montium, vel jurium cum Principe, seu Republica, ac etiam censuum qui sint tuti, quando moderato fructu creditor sit contentus, conveniendo in aliqua minori summa, quam currant, cum tunc non desint occasiones tutæ, ut praxis docet, ideoque (ut sæpius consulendo, vel scribendo ad-
vertere consuevi) error est redarguere tutores, vel admini- 33
stratores, quod census ad rationem modici fructus acquisierint, quoniam (cessante collusione) prudentius ita geri videtur, securitati principaliter studendo, dummodo facti circumstantiæ doceant, quod vere ex majoris securitatis motivo id gestum sit, quodque bona fides atque prudentis patrisfamilias consilium ita suadeant.

Adhuc tamen in hac facti specie (reflectendo ad veritatem) 34
adhibebam distinctionem, quæ docto, ac judicioso Judici placebat, inter tempus scilicet, in quo tutor continuaverit negotium fundaci pro communi, eo modo, quo administrabatur cum defuncto ejus fratre, & tempus posterius novæ

societatis, pro dicto etenim primo tempore, quamvis attentis leguleicis rigoribus, ac subtilitatibus, ob dissolutionem primævæ societatis per mortem consocii, ita implicite adesse diceretur novus societatis contractus initus inter ipsum, & pupillum, qui de jure, sine auctoritate Judicis, & curatoris particularis fieri non potest, atque in effectu sit exponere bona pupilli mercimonio, ex iis, quæ habentur deducta apud Capyc. Latr. *dec.* 26. & plenius apud Hodierq. *contr.* 22. *& sub tit. de credito*, ubi de his negotiis socialibus, & mercantilibus, attamen videtur irra-
35 tionabilis rigor, dum ita tutor in bona fide versari dicitur, agendo negotia pupilli eo modo, quo propria, quo casu excusatur, ut infra, atque continuando id, quod defunctus faciebat ex verisimili etiam illius voluntate, potissime quia, attento hoc tempore, supponebatur, nullam esse jacturam, sed potius lucrum.

36 Secus autem ab eo tempore, quo ipse tutor, deferendo negotiationem in causam propriam, dicti fundaci portionem propriam alteri vendidit, novamque societatem iniit nomine pupilli, super istius portione, ita eam exponendo novæ negotiationi, id enim absque dubio male gestum esse dicebam, ideoque suum esse deberet jacturæ damnum, tum ex dicta generali juris regula prohibitiva, tum etiam ex verisimiliter cessante defuncti voluntate, dum ea fiducia, quæ in ipso tutore tanquam fratre haberi poterat, non habebatur in extraneo, neque illud mercimonium, quod in ipso defuncto, dum vivebat, suaque bona administrabat, utpote liberam habentes suorum bonorum dispositionem, licitum est in tutore, vel alio administratore, ac etiam de hærede gravato habetur *d. tit. de fid. disc.* 195. *& seq.*

37 Quamvis enim, non ex eo, quod ipse tutor sit negotiator, ejusque pecunias negotiis exponat, inferri posse videatur ad licentiam agendi idem de pecuniis pupillaribus, quoniam suarum habet liberum dominium, liberamque dispositionem, unde propterea conclusio, de qua apud Burattum *dec.* 239. *n.* 5. ut excusetur tutor gerendo pro pupillo, id quod gerit pro seipso, intelligenda veniat in iis, quæ expresse in jure prohibita non sunt, attamen ubi agitur de continuatione, atque ex facti circumstantiis assistit verisimilis voluntas defuncti, benignius procedendum videdetur, quam his circumstantiis cessantibus.

ANNOT. AD DISC. VI.

QUod tutor negotiari, seu mercari prohibeatur pecunias pupillares habetur *sub tit. de usur. disc.* 18, 41. *&* 42. *sub tit. de cred. disc.* 49. Quo vero ad punctum, de quo *nu.* 15. *& seq.* ut administrator ante redditas rationes non dicatur debitor, vel creditor, videri poterunt deducta infra *disc.* 17.

LICIEN. ADMINISTRATIONIS PRO ANNA DE GEORGIO CUM NICOLAO NATALE.

Casus decisus per Rotam ut infra.

Quando per tutorem dicatur necne bene reddita ratio, & de mandato ad factum, seu de juramento in litem ob non bene confectum inventarium, & librum, ac non bene redditas rationes quando intret.

S U M M A R I U M.

1 *FActi series cum resolutionibus causæ.*
2 *Sine inventario bene confecto, non possunt bene reddi rationes.*
3 *Sufficit conficere inventarium juxta stylum Regionis.*
4 *Sed inventarium debet esse distinctum, non autem confusum.*
5 *Idem de inventario hereditario remissive.*
6 *De libro tutelari, ejusque requisitis.*
7 *Quando in casum dotis tutor obliget pupillum, vel alienet bona.*
8 *Quid ubi etiam in casu necessitatis tutor det dotem excessivam.*
9 *Tutor solvens indebitum, male solvit.*
10 *Declaratur, quando id procedat.*
11 *De eodem, & quando dicatur male solvere.*
12 *De modo tenendo circa culpam tutoris in inventario, & libro.*
13 *De ratione, ob quam supersessum sit in executione mandati ad factum.*
14 *Quomodo practicetur mandatum ad factum.*
15 *Non est prohibita redditio rationum etiam sine libro, & sine inventario.*

D I S C. VII.

POst diuturnam litem agitatam in partibus inter An- 1
nam matrem, & hæredem Matthæi pupilli, & Nicolaum tutorem, ac patruum, super redditione rationum administratæ tutelæ, introducta per appellationem causa in Rota coram Otthobono, datoque dubio, an constaret de sufficienti redditione rationum, sub die 27. Februarii 1647. negativa prodiit resolutio, quæ habetur inter ejus impressas *dec.* 101. Idemque confirmatum fuit sub die 18. Martii 1652. cor. Celso, inter ejus impressas *dec.* 142. *recept. dec.* 233. *p.* 11. unde propterea dictum fuit sententias de partibus super non sufficienti redditione rationis confirmandas esse, atque relaxandum forte mandatum ad factum pro redditione rationum, descendendo etiam in specie ad condemnationem cujusdam portionis hæreditariæ, quam tutor fatebatur habuisse, sed in calculis dicebat dedisse in dotem ejus sorori, ac pupilli amitæ respective, necnon ad solutionem scutorum 500. circiter, quos dicebat solvisse in causam cujusdam cambii, de cujus infectione in continenti constabat, aditaque per Nicolaum Signatura Justitiæ, quoad condemnationem specialem ad dictas duas partitas (quarum respectu sententia erat prima) commissa fuit simpliciter ad utrumque causa appellationis in eadem Rota coram Cerro, quo vero ad mandatum ad factum pro redditione rationum, stantibus præcedentibus sententiis, ac laudis numerum trium excedentibus, rescriptum fuit sine præjudicio, verum habito denuo per dictum Nicolaum recursu, rescriptum fuit eidem Cerro, cum facultate supersedendi arbitrio Rotæ, unde dato dubio ad formam rescripti, an intraret arbitrium sub die 23. Junii 1653. affirmativa prodiit resolutio pro tempore Rotæ bene viso, atque in hoc statu, partibus nimium defatigatis, causa hucusque siluit, adeo ut hujusmodi tutela deservierit ad supplantationem utriusque partis in expensis litis, aliisque damnis, quæ consecutive ex lite prodeunt, ut frequens praxis docet in hujusmodi causis rationum tutelarium.

Tres igitur fuerunt articuli, in hujusmodi disputationibus discussi, primo scilicet, an constaret necne de sufficienti redditione rationum data in partibus cor. Arbitris, qui tutorem absolverant, secundo in specie circa dictas duas partitas bonorum datorum in dotem, ac pecuniæ indebitæ solutæ, & tertio in ultima instantia, posito quod de sufficienti redditione non constaret, ideoque locus esset coactioni ad factum, quomodo hæc practicanda esset?

Quatenus pertinet ad primum, planum in jure erat quod 2
de sufficienti redditione non constaret, potissimum, ac principaliter ex defectu inventarii tutelaris, quod est basis, ac fundamentum hujusmodi redditionis rationum, & sine quo tutor docere non potest de statu bonorum pupilli, ac de negativa existentiæ aliorum bonorum, eo modo quo, non datis probationibus in contrarium, ex inventario legitime confecto id justificatur, ut in causæ decisionibus, in quibus late concordantes.

Quamvis enim de facto adesset quoddam inventarium, 3
attamen illud erat imperfectum, minusque legitimum, quoniam ultra defectus quos patiebatur circa solemnitates in eo conficiendo, super quo tamen non adeo rigorose procedi solet, quoniam sufficit, ut illud conficiatur juxta morem loci, & cum solemnitatibus ibi de stylo adhiberi solitis, Rolan. *cons.* 73. *lib.* 2. Capyc. *dec.* 101. *n.* 3. Amendol. ad Franch. *dec.* 124. Galter. *in prax. tutelar. rubr.* 4. *n.* 7.

Alter substantialis aderat defectus, quod continebat de- 4
scriptionem bonorum, & jurium in confuso, & absque debita distinctione, unde propterea ex illo deveniri non poterat ad certam, ac distinctam cognitionem quantitatis, & qualitatis bonorum pupilli, ad quem effectum lex inventarium præscripsit, ut scilicet, ex eo tutelares rationes regulari valeant, juxta auctoritates cumulatas in supra allegatis decisionibus Otthoboni, & Celsi, cum quibus postmodum in plerisque similibus controversiis processum fuit, cum respecto inventarii tutelaris, ne scilicet illud ita non bene confectum suffragetur tutori ad probandam negativam, videatur in jure indubitatum.

Quinimmo hæc eadem necessitas distinctionis in inventario faciendæ quandoque desiderata fuit, etiam in inventario hæredita-

reditario, ad effectum ut favore hæredis intraret beneficium juris novissimi *in l. fin. C. de jur. deliber.* ut præ-
5 sertim dictum fuit in Romana census 5. Aprilis 1669. cor. Bourlemont, quod tamen suas habet difficultates, ac recipit declarationes, de quibus in eadem Romana census, & in aliis in propria sede *sub tit. de herede*.

6 Accedebat etiam alter defectus libri tutelaris pariter non bene confecti, nec tenti cum distinctione temporum, ac partitarum, adeout constaret, partitas dati, & accepti in singula tempora ordinate descriptas esse, ut esse debet liber tutelaris ad effectum, quod ei deferendum sit, ex iis, quæ habentur in dictis decisionibus cor. Othobono, & Celso, & in pluries supra allegatis *dec.* 126. 359. *&* 410. *par. 9. rec.* in quibus de hac materia libri tutelaris plene agitur, atque circa hunc primum punctum, Mihi pro Anna scribenti (reflectendo ad solam veritatem) in puncto juris, resolutiones probabiles, beneque fundatæ visæ sunt, quamvis ex facti circumstantiis, neque improbabilis visa esset illa æquitativa moderatio, cum qua processum fuit in ultima decisione cor. Cerro, ut infra in tertio puncto.

7 Quo vero ad secundum punctum, respectu partitæ consistentis in quota bonorum hæreditariorum, quæ data fuit in dotem dictæ sorori, & amitæ respective, ille totus erat facti, in quo justificabatur, quod hæc bona obvenissent in pupillum ex successione cujusdam transversalis, ideoque certum erat, quod mala distracta fuissent pro dotanda dicta muliere, cui constitui debebat dos de bonis paternis, vel avitis, quibus extantibus, nullo jure pupillus concurrere debebat in dotando amitam, dum ea iis, quæ pluries habentur in sua sede *sub tit. de dote*, etiam in minore, multo magis in pupillo, dos in nihilo privilegiata est, nisi urgeat necessitas, ad cujus tantum limites restricta est facultas obligandi minorem, vel ejus bona distrahendi, igitur multo magis in pupillo,

8 Ubi vero talis necessitas accedat, adeout ipse dotationis actus in genere factus per tutorem, licitus, ac validus sit, tunc intrat alia inspectio congruitatis, vel incongruitatis, ut id quod in excessu daret, ejus damno cedere debeat, super quo tamen, non constito de dolo, seu alia colludendi causa, ob quam ipse in excessu interessatus dici valeat, præsumptio sibi assistit, ex iis, quæ cæteris relatis habentur *dec.* 201. *n.* 54. *p.* 10. *rec.* ubi etiam *n.* 15. de expensis nuptialibus congruis sibi etiam bonificandis, neque super hoc certa, & determinata regula dari potest, cum ista inspectio congruitatis, vel excessivitatis, pendeat ex circumstantiis, de quibus in dicta sua materia *sub tit. de dote, disc.* 174. Atque in hoc, aliud est agere de congrua dote taxanda, ubi res est in fieri, aliud vero de convincendo excessum, ut de isto tutor teneri debeat, cum non dato dolo, seu vehementi fumo collusionis, ac proprii interesse, non de facili id admittendum videatur.

9 Circa vero aliam partitam indebite solutam ex causa fructuum cujusdam cambii, de cujus realitate ad formam Constit. 118. S. Pii V. non constabat de stricto jure, resolutiones justæ, ac probabiles fuerunt, quoniam ex iis, quæ pluries habentur in sua materia *sub tit. de cambiis*, certum est, quod non data realitate litterarum, seu spaciorum, nulla cambia debari possunt, adeout etiam solutorum imputationi, vel repetitioni locus fiat, prout certum est de jure, quod tutori non permittitur solvere clarum indebitum, quoniam esset donare, ac dissipare bona pupilli.

10 Verum, attento more illius Regionis, præsertim vero eo tempore, quo hujusmodi solutio sequuta erat, quod sc. ista materia, tunc non adeo discussa, & explicata erat, præsertim per Rotam cum tot decisionibus, neque ibi, utpote in remota Regione, ac Italiæ angulo, dictæ decisiones erant de facili notæ, visus est quidam nimius rigor, quod sc. simplici Presbytero, in illis partibus innotescere deberent conclusiones, ac opiniones, cum quibus vivatur in Curia Romana, dum ibi, ac in toto Regno, de facto (immo etiam in ipsamet Civitate Neapolis) absque concursu illorum requisitorum, quæ Romana Curia reputat necessaria, currant interusuria sub velamine lucri cessantis, etiam cum certa taxa conventionali ab initio, ex iis, quæ habentur pluries *sub tit. de usuris*.

11 Ad dignoscendum enim, an tutor bene, vel male solverit, & an sit in culpa necne, inspiciendus est locus, in quo actus sequatur, non autem quid teneat Curia Romana, si contrarium servetur de facto in partibus, ad effectum excusandi culpam, unde propterea quando de verita-

te, ac sinceritate solutionis constaret, iste rigor Mihi non placuit, nisi quatenus subsisteret hujus partis præsuppositum, quod ex culpa ipsius tutoris istud debitum usurarium, mortuo patruo pupilli, ulteriorem progressum, seu durationem habuisset, eo quia potuisset cum aliquibus effectibus extingui, quod facti potius, quam juris erat.

Eandemque circumspectionem habendam esse quoque 12
credebam circa legales rigores super bene distincta confectione inventarii, & librorum, quasi quod ista materia, non cum regulis generalibus pariformiter tractari debeat, sed pro facti qualitate, prudentis Judicis arbitrio, ubi enim ageretur de illo extraneo, vel etiam conjuncto tutore, qui vir industrius, ac peritus, ipsiusque tutelæ affectatos, atque ut in plerisque Regionibus practicatur, etiam salariatus esset, tunc recte procedendum est rigorose, quoniam defectus potius malitiæ referendus videtur, sed ubi de Presbytero legalium subtilitatum ignaro, & in parvo loco, istum unicum habente ex fratre nepotem, quem loco filii, etiam suorum bonorum successorem pro communi usu destinaverat, tunc credendum est eum id negligere non potuisse malo animo, sed cum ea simplicitate, cum qua aliam negotia propria tractabat, ideoque ista materia pro facti qualitate decidenda est.

Demum quoad tertium punctum, an supersedendum 13
esset in executione dicti mandati ad factum, adhuc dicta æquitativa resolutio facta, non simpliciter, sed ad tempus ipsi Rotæ bene visum, Mihi quamvis in contrarium scribenti, probabilis visa est, stante magna quantitate scripturarum in limine hujus disputationis productarum, cum quibus supponebatur sufficientes rationes reddi, ac justificari posse, cum congruum esset, ut hujusmodi scripturæ examinarentur.

Quamvis enim tutore negligente, seu male reddente 14
rationes, detur actio ad factum dupliciter practicabilis, vel sc. per mulctam, seu molestias personales, vel in bonis, ut ita tædio affectus pareat, ut generaliter procedit in iis, quæ facti partionem concernunt, vel quod loco facti sequatur condemnatio ad id, quod interest, mediante juramento in litem, quod deficientibus inventario, & libro tutelari, de jure competit pupillo contra tutorem, dum ex istius facto, & culpa ita deficere dicuntur aliæ probationes ex inventario, & libro bene confectis resultantes, ad Tex. *in l. tutor, qui repertorium, de admin. tutor.* cum concord. de quibus *infra disc. proxim. seq.*

Attamen, si tutor se exhibeat probationes aliunde sup- 15
plere, in hoc audiendus est, cum probatio quæ ex libro, & inventario resultet, sit præsumptiva, non tamen præcludens alias species probationis, atque illa per juramentum in litem est subsidiaria, quatenus tutor aliunde se non justificet, sed non per hoc idem prohibendus est, alias probationes facere, puta bene coarctando negativam aliorum bonorum eo modo, quo ex inventario legitime confecto probaretur.

ANNOT. AD DISC. VII. & seq.

Agitur in his discursibus de juramento in litem competente pupillo adversus tutorem, super quo videri poterunt deducta *sub tit. de judic. disc.* 25. Decisio autem enunciata *in disc.* 8. *est impressa dec.* 339. *p.* 13. *rec.*

CAMERINEN. REDDITIONIS RATIONIS

PRO MUTIO ORSINO

CUM PERIBERTIS.

Casus decisus per Rotam pro Orsino.

De juramento in litem competente pupillo adversus tutorem non bene reddentem rationes, quia inventarium, ac libros non bene confecerit, an & quando intret, & an competat contra hæredem, & quatenus intret, quomodo Judex in ejus moderatione debeat se gerere?

Et incidenter de processu executivo contra tutorem vel ejus hæredem, vel tertium possessorem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *An & quando detur via executiva contra tertium?*
4 *Et quando procedatur executive contra ipsum tutorem pro redditione rationum.*
5 *Quod praxis juramenti in litem sit rara, & de ratione.*
6 *Juramentum in litem non præstatur nisi prævia taxa Judicis, & de ratione.*
7 *Et quomodo hæc taxa fieri debeat.*
8 *De requisitis necessariis, ut intret dictum juramentum.*
9 *Ex quibus cessent dicta requisita.*
10 *Probata substantia, in accidentibus admittitur levior probatio.*
11 *Juramentum in litem non datur contra tertium, vel contra hæredem.*

DISC. VIII.

1 COntra Gottifredum patruum, & tutorem, in contumaciam obtinuerunt Nicolaus, & fratres in Tribunali A. C. ob non redditas rationes, eis deferri juramentum in litem, eoque præstito in summa scut. 15. m. pro ea obtinuerunt relaxari mandatum executivum quod (dicto Gottifredo interim defuncto) exequi curarunt super domo, aliisque bonis titulo donationis inter vivos possessis per Mutium, ad cujus instantiam commissa per Signaturam causa appellationis in Rota cor. Verospio, cum clausula, *qui ad legitimam*, datoque dubio, an ad legitimam executionem procedendum esset, vel potius esset locus novæ taxationi, sub die 10. Junii 1661. in omnibus negative responsum fuit, neque, quod sciam, causa ulteriorem progressum habuit.

2 In disputationibus autem habitis, tam in Signatura, quam in Rota, duæ fuerunt inspectiones, una ordinata circa processum executivum exercibilem contra tertium possessorem, & altera justitiæ super competentia dicti crediti resultantis a juramento in litem, & an illud intraret, ac esset bene præstitum necne?

3 Quoad primam, planum videbatur, ut dictus processus executivus non intraret contra tertium possessorem titulo singulari translativo dominii, contra quem ob deficientiam obligationis, intrare non potest actio personalis, quæ est filia obligationis, sed solum datur actio realis, vel rei persecutoria, juxta doctrinam Baldi *in l. 1. C. comm. de legat. n. 6.* cum concordan. ap. Coccin. *dec.* 199. Gregor. *dec.* 22. Merlin. *dec.* 126. *n.* 14. *& seqq.* Burat. & add. *dec.* 133. *cum aliis in decisione*, & sæpius in sua sede *sub tit. de judic.* ubi de distinctione, an tertius possideat jure pignoris, vel jure dominii. Potissima quia ea facti qualitate intrare non poterat illa processus executivi competentia contra tertium, quæ resultat ex vitio litigiosi, sive ea alia alienatione facta in fraudem paratæ, ac imminentis executionis, juxta deducta *eod. tit. de judic.* ac etiam supra *sub tit. de alien. & contract. disc.* 40. ubi de materia alienationis rei litigiosæ.

4 Et quamvis Scribentes in contrarium nimium insisterent in theorica Castrens. *in l. cum filiusfamilias n. 3. ff. de verb. oblig.* cum concordan. *dec.* 197. *n.* 6. post Zacch. *de oblig. Camer. dec.* 40. *n.* 12. *p.* 11. *rec.* & in aliis in dicta sua materia *sub tit. de judic.* super dicto processu executivo exercibili contra tertium citatum ad omnes, & singulos actus. Attamen, quicquid sit de ista conclusione plures patiente declarationes, de quibus in dicta sua sede *sub tit. de judic.* opus non fuit de illa agere, ob deficientem assistentiam facti, quod sc. de hujusmodi citationibus non constaret in omnibus, & singulis actibus, ut opus est.

Dicebam ulterius (quamvis decisio desuper edita id negligat, utpote non necessarium) quod ubi etiam ageretur cum ipsomet tutore, vel ejus hærede universali, cum quo intra vires hæreditatis, præsertim in bonis hæreditariis exercibilis est idem processus executivus competens contra defunctum, adhuc ille intrare non deberet, sed ab hujusmodi taxa, seu condemnatione, utpote continente formalem liquidationem, ac taxam, in qua Judex decipi potuit, detur appellatio ad utrumque, tanquam in judicio ordinario, ut in specie ex Jas. *in l. actionibus, n. 47. ff. de in litem juran.* Menoch. *conf.* 227. *nu.* 25. Scac. *de appell. q.* 17. *limit.* 34. *n.* 7. Seraph. *de priv. juram. c.* 102. *n.* 15.

Idque verum, quamvis tutor cum obligatione camerali, seu quarantigia, aliisque pactis executivis se obligasset reddere rationes, ac bona pupilli restituere, quoniam id recte operabitur processum executivum pro restitutione bonorum extantium, quorum retentionem tutor pendente redditione rationum prætendere non potest juxta distinctionem, de qua *supra disc.* 6. ac etiam circa mandatum ad factum, de quo *disc. præc.* Secus autem circa executionem ejus, quod proveniret a condemnatione ad certam summam taxatam per juramentum in litem, tum ex insinuata ratione, quod cum id contineat formalem liquidationem, in qua Judex decipi potuit, hinc ab ea datur appellatio, quamvis ipsum debitum in substantia esset executivum, tum etiam quia, ut advertitur *disc. præced.* ex hoc juramento resultat quædam probatio præsumptiva, elidibilis per contrariæ veritatis probationem ab ipso tutore faciendam in altera instantia, si in prima facere non potuit.

5 Hinc proinde, vel ex ista ratione effugiendi judicium ordinarium, vel ex altera tot requisitorum, quæ, ut infra, desiderantur ad effectum, ut in vim hujus juramenti, legitima condemnatio sequi valeat, hujusmodi via quasi ab aula recessisse videtur, usque magis recepta est altera mandati ad factum, practicabilis mediante mulcta, sive per captionem pignorum, aut personalem districtionem, juxta varios Tribunalium, ac locorum stylos.

6 Quo vero ad alteram inspectionem in meritis, ubi etiam hujus juramenti requisita concurrerent, adeout illi potuisset esse locus, adhuc tamen injustitia dictæ condemnationis evidens erat, quoniam non præcessit, ut omnino præcedere debebat, taxatio Judicis, intra cujus taxæ limites in minus, non autem in plus, juramentum deferendum est, regulata eadem taxa pro Judicis arbitrio regulando a qualitate personarum, ac verisimili asse remanso in hæreditate patris pupillorum, ne alias detur occasio perjurii, vel quod pro libito creditoris iste pauper, ex bonis tutoris locupletari valeat, ad text. *in l. videamus, §. finali ff. de in litem juran. §. oportet, auth. de Judiciis*, & firmant communiter relati per Salost. *in praxi, lib.* 2. *c.* 18. *n.* 12. Ridolph. *in prax. p.* 3. *c.* 2. *n.* 214. Farinac. *in fragment. p.* 2. *verbo juramentum in litem, n.* 123. Borell. *in summa decision. lib.* 1. *titul.* 52. *num.* 69. *cum seq.* Franch. *decis.* 275. *nu.* 10. Rota apud Comitul. *dec.* 95. *numer.* 3. *& in Romena pecuniaria, seu furti 6. Novembris* 1696. coram Litta, quæ in hac materia videtur magistralis, cum aliis in hujus causæ decisione, in qua bene advertitur, quod aliud est juramentum in litem, aliud vero illud affectionis, ut in hoc secundo aliqua tribuatur juranti major licentia, adhuc tamen, quando immoderata sit, pro Judicis arbitrio moderanda, non autem in primo.

7 Atqua ex hoc fundamento prodiit etiam resolutio in secunda parte dubii super nova taxa, pro qua actores instabant, quoniam cum adhuc Rota nullam habuisset informationem de patrimonio, aliisque circumstantiis hujusmodi administrationis, ex quibus arbitrium super dicta taxa regulandum est, illud interponi non poterat, dum non pro affectione, vel prætensione interessati, minusque ex proprio capite hujusmodi taxa facienda est, sed ea ex verisimilitudine, quæ resultet a circumstantiis facti tanquam pro arbitrio boni viri bene regulari.

8 Verum neque ipsi juramento in genere locum esse dicebam Scribens pro Mutio, (etiam in sensu veritatis, quam Rota quoque agnovit) quoniam ubi etiam contra ipsummet tutorem, vel administratorem agatur, duo requisita ad hunc effectum desiderantur. Primo scilicet dolus saltem præsumptus, qui de jure resultat in tutore non bene conficiente inventarium legitimum, ac distinctum, ac non bene conficiente, & retinente librum tutelarem continentem partitas dati, & accepti in singula tempora, ex deductis *disc. præced.* Et secundo, quod ex eodem dolo, vel culpa resultet in pupillo impossibilitas, vel difficultas probationis, ut cæteris relatis Farinac. *in fragment. ubi supra, num.* 1053. *&* 1066. *cum seqq.* Leotard. *de usuris, quæst.* 77. *numer.* 19. *&* 20. Rota *in Romana redditionis computorum* 24. *Maji* 1593. *coram Litta, & decis.* 44. *num.* 16. *& sequ. par.* 9. *rec. cum aliis in causæ decisione.*

9 Ex facti autem circumstantiis, utriusque requisiti probatio deficiebat, quoniam, vel concludens probatio, vel vehemens fumus dabatur ex hac parte, quod defuncto dicto tutore, qui vir diligens libros administrationis legaliter confectos teneret, ipsimet actores de tempore infirmitatis, vel immediate post sequutam mortem, tanquam nepotes in domo patrui versantes, eosdem libros, aliasque scripturas occupassent.

Et

Et quamvis ex eorundem Actorum parte insisteretur super minus concludenti probatione, attamen, ut in decisione advertitur, illa qualis qualis probatio, quamvis probabilis suspicionis solum inductiva, non esset quidem sufficiens ad condemnandam, & cogendam ad restitutionem, bene tamen ad offuscandam, seu impediendam probationem dictorum requisitorum, in quibus erat ipsorum Actorum fundamentum.

10 Ac etiam ponderabam Ego, quod quamvis non adesset perfecta probatio specifica, super subtractione, seu occupatione librorum tutelarium, aliarumque scripturarum, quæ in specie istam administrationem percuterent, aderat tamen sufficiens probatio in genere, quod ipsi scripturas, & bona ex domo infirmi, vel defuncti asportassent, quoniam data hujusmodi probatione actus illiciti in genere, admittitur qualis qualis probatio etiam per proprium juramentum circa speciem, vel quantitatem, seu qualitatem, ut collectis per Bellon. jun. *cons.* 92. *n.* 10. Cyriac. *contr.* 347. *n. fin.* Greg. *dec.* 324. *n.* 4. cum aliis per Rubeum *de test. c.* 98. *n.* 353. *& seqq.*

Deducebam quoque conclusionem, in decisione aliqualiter insinuatam, quod hoc juramentum in litem non datur contra tertium, ut bene in puncto Capyc. *dec.* 91. Plot. *de in litem juran.* §. 49. *n.* 20. Leotar. *de usur. q.* 77. *n.* 27. *in fin.* Farin. *in fragmentis decis. verbo juramentum in litem*, *n.* 1056. *in fin. vers. & in tantum*, *&c.* Quinimmo neque dari contra hæredem & successorem universalem, Farin. ubi supra, *n.* 1055. Leotard. *loc. cit.* Monter. *dec. Aragon.* 11. *n.* 6. *cum seqq.* Borell. *in summa dec. lib.* 1. *tit.* 52. *n.* 23. ubi late Rota *d. dec.* 44. *par.* 9. *rec.*

11 Verum ubi dicti alii defectus non suffragarentur, ista conclusio parum ad rem faciebat ex defectu applicationis, dum tam juramentum, quam condemnatio jam præcesserant cum ipso tutore vivente, unde propterea conclusio non intrabat.

BONONIEN. REDDITIONIS RATIONUM INTER BERNARDINUM, ET SILVERIAM DE ZENERONIS.

Responsum pro veritate.

De eadem materia juramenti in litem, an detur pupillo contra eum, qui non esset tutor, sed tanquam socius, ac possidens pro communi, de facto bona administravit, & quatenus contra condominum de facto administrantem non intret formale juramentum, an saltem intret talis præsumptio, quæ pupillum excuset a majori probationis onere, & incidenter de competentia hypothecæ legalis pro hujusmodi administratione?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De juramento in litem dando contra eum, qui socius pupilli de facto administrat.*
3 *Contrarium verius, seu declaratur.*
4 *Doctori simpliciter referenti non est deferendum, & de ratione.*
5 *De requisitis necessariis ut intret conclusio, de qua n.* 2.
6 *Quando deficere dicantur dicta requisita.*
7 *& 8. De eodem circa requisita pro juramento in litem.*
9 *De alio casu controversia.*
10 *Ea, quæ competunt contra legitimum tutorem solemnia adimplentem, competunt etiam contra eum, qui de facto se gerit pro tutore.*
11 *Circa juramentum in litem, id non procedit, ubi dolus est excusabilis.*
12 *Etiam ubi non intrat juramentum in litem, succurrendum est pupillo, & quomodo.*
13 *Frater major est tutor fratris minoris, & de aliis ad hanc materiam, remissive.*
14 *Tutor datur principaliter personæ.*
15 *In actium non adimplentis, omnia habentur pro adimpletis, ac resultant implementi effectus.*

DISC. IX.

Defunctis Joanne Baptista, & Laurentio fratribus de 1
Zeneronis exercentibus negotium drogheriæ, cum illis respective successissent Silveria unius filia pupilla, & Bernardinus utriusque nepos ex fratre, iste, qui prius tanquam institor, seu famulus dictum negotium exercebat, in eodem exercitio continuavit, exortisque postmodum controversiis, deventum est inter ipsos, ac Silveriam, & Bernardinum ad quandam divisionem, quæ deinde ad ejusdem Silveriæ instantiam invalida declarata fuit per sententiam Rotalem, prævia decisione *sub die* 4. *Maji* 1663. cor. Priolo, itaque controversia sopita per novam transactionem, altera
exorta est super redditione rationum dictæ administratio- 2
nis, cumque administrator prædictus solemne inventarium tutelare non confecisset, minusque particularem librum tutelarem, sed juxta negotii morem continuasset cum ejus solitis libris; hinc ex parte dictæ Silveriæ prætendebatur esse locum juramento in litem, atque pro ea Scribentes hujusmodi prætensionem fundabant in speciali auctoritate *Ploti hoc tract. de in litem juran.* alias *in repetit. l. si quando, C. unde vi*, *n.* 296. *juxta primam impress. anni* 1557. *sive juxta moderniorem anni* 1583. §. 13. *n.* 5. Quare desuper, vel ex parte dicti Bernardini, vel utrinsque concorditer meum votum pro veritate expetitum fuit.

Respondi contrarium verius videri, quoniam, ultra non 3
improbabilem suspicionem, quæ habenda est de aliquibus præfati Auctoris (alioquin docti, & ingeniosi) assumptis, scholastico potius, quam forensi more deductis, idem totum se fundat *in dec.* 360. Afflicti cum qua simpliciter pertransit, ideoque intelligendus est juxta doctrinam, in qua se fundat *ad theor.* Bart. *in l. non solum*, §. *liberationis ff. de libert. legata* de qua Mandos. *cons.* 51. *num.* 2. *& communiter* Et quamvis Michalor. *de fratr. p.* 3. *c.* 44. *num.* 4. idem dicere videatur, attamen non est auctoritas, quæ veniat
in calculo, cum sit simplex relator *Ploti*, articulum non 4
examinando, neque desuper discurrendo, unde propterea hujusmodi DD. ita loquentes, quorum inter modernos magna pars est, dicendi veniunt testes de auditu ab uno, qui etiam si sint mille, pro uno tantum valent.

In dicta vero *dec.* 360. Afflicti proceditur cum triplici 5
præsupposito, seu circumstantia, primo scilicet, quod ageretur de communione inter majorem, & pupillum, superventa per mortem communis patris, quo vivente, major nullam habebat administrationem, secundo, quod pupillus non esset provisus de tutore, cui principaliter incumbebat onus conficiendi inventarium, ac librum, aliaque tutelæ incumbentia, & tertio, quod ipse major socius administraret tanquam tutor, sive ad hunc titulum administratio referenda veniat. Quamvis enim *n.* 8. deducatur fratris majoris excusatio ob litem, quæ super tutela pupilli cum aliis fratribus duraverat, respondetur tamen, (& bene) quod illa esset justa causa excusationis, quando abstinuisset ab administratione, de qua neglecta conveniretur, sed dum de facto se ingessit in administratione, hinc in dolo, vel culpa dicitur non adimplendo ea, quæ administrationis necessarium antecedens concernunt, sive illam concomitari debent.

Applicando autem ad rem, requisita prædicta, seu ex- 6.
trema non verificabantur, non quidem primum, quod ageretur de communione inter majorem, & pupillum de novo superventa, juxta casum decisionis Afflicti, dum Bernardinus administrabat vivente patre pupillæ, quinimmo, (quod magis) Rota ad favorem, ac instantiam ejusdem pupillæ declaravit, ut supra, quod Bernardinus nullam habuisset participationem dominii, sed continuasset jure famuli, seu juvenis, eo modo, quo vivente patre pupillæ egerat, atque exinde de consequenti corruebat tertium extremum, seu præsuppositum, quod ad tutelarem causam administratio de jure referenda veniret, cum ejus congruam relationem haberet ad causam famulatus, vel institoriæ, quam sufficiebat ut continuaret eo modo quo prius.

Et quod magis, deficiebat extremum, seu præsupposi- 7.
tum substantiale, quod pupillus alium non haberet tutorem, dum tutela delata fuit matri, quæ illam exercuit, ideoque huic imputabile potius erat solemnium non implementum.

Cumque juramentum in litem exigat duo requisita, de 8
quibus *disc. prox. præced.* illa nullatenus in hac facti specie concurrere videbantur, dum constito, quod pater pupillæ ita illud negotium administraret, sive a dicto institore admini-

ministrari pateretur, hinc de nulla culpa redarguendus videtur institor, vel administrator, qui eodem jure continuavit, quoties ei novus titulus tutelæ non superveniat, unde propterea credo, quod huic voto Partes acquieverint,
9 dum amplius de causa actum non audivi.

Bene tamen hæc tria requisita, seu præsupposita (quibus concurrentibus intrat dicta doctrina Plott) concurrere videbantur in casu, de quo habetur actum *sub tit. de feudis* ad materiam Bullæ Baronum, *disc.* 80. ubi de fratre majore, qui ea successione patris cum sorore pupilla, istius portionem male administraverat, percipiendo, & consumendo singulis annis fructus bonorum, non tamen solvendo fructus censuum, aliorumque debitorum, quorum cumulus sortem principalem tractu temporis notabiliter absorbebat, unde propterea dicebam (etiam in sensu veritatis) quod pupillæ adversus fratrem, ac successive patruum competeret eadem hypotheca legalis, quæ a die mortis patris, ac susceptæ administrationis datur pupillo contra tutorem.

10 Ea enim, quæ a lege conceduntur contra tutorem legitime suscipientem administrationem, ac solemnia adimplentem, multo magis procedere debent contra eum, qui ita de facto, ac minus legitime se intrudit, ne alias deterioris conditionis esset ille, qui legi obedit, ac bene se gerit, quam qui male agit, ac legem contemnit, ex deductis *d. disc. prec.* ideoque in ordine ad hypothecam, ac obligationem reddendi rationes, videtur casus planus.

11 Difficultas vero in eo casu consistere videbatur circa onus probationis quantitatis fructuum singulis annis perceptæ, ad effectum inspiciendi, an sufficerent ad fructus passivos solvendos, adeout exinde resultaret culpa, ob quam pupillæ in bonis fratris ita pro tutore se gerentis, actio cum hypotheca competeret pro reintegratione damnorum exinde resultantium, quamvis enim in congressibus desuper habitis, Ego motivando dicerem, quod ex dictis auctoritatibus Afflicti, & Plott, sustentabile esset assumptum, ut ob non confectum librum tutelarem, & inventarium, locus esse deberet juramento in litem, quo mediante dicta probatio sequi posset, attamen Egomet promovendo difficultatem dubitabam, ob carentiam doli, in quo præcipuum dicti juramenti requisitum consistit, quod scilicet frater major, sive ex paterno testamento, de quo habetur actum *sub tit. de testamen. disc.* 26. Sive ab intestato propter Statutum exclusivum fœminarum, esset solus hæres, ac successor in solidum, cum sola obligatione alendi, ac suo tempore dotandi sororem, ideoque credidit administrare bona propria, non autem illa pupilli, quo casu non intrant termini doli, ut in Tolentina *sub tit. de cred. disc.* 36. & alibi.

12 Et licet detecta præsuppositi erroneitate, quatenus testamentum non subsisteret, ob deficientem copulativam subjectionem personarum, & bonorum Statuto, id non tolleret obligationem reddendi rationes, ac etiam dictum privilegium hypothecæ legalis, qua mediante pupillo consultum remaneat, ex ibi deductis, attamen id absque dubio tollit dolum, a quo qualis qualis credulitas, vel opinatio excusat, quoties non proveniat ex ignorantia supina, seu affectata.

Adhuc tamen (etiam in sensu veritatis) credebam, quod ubi locus non esset formali juramento in litem ob alios effectus exinde resultantes, adhuc Judicis officio succurrendum esset pupillæ circa relevationem ab onere perfectæ, & concludentis probationis, cujus difficultatem ita, si non ex culpa vera, & positiva, saltem ex legali, pupilla pati dicebatur, quodque propterea leves, ac præsumptivæ probationes resultantes ab æstimatione bonorum, aliisque adminiculis, ac præsumptionibus sufficere deberent.

13 Cum etenim tutor principaliter detur personæ, non autem bonis, atque de jure frater major dicatur tutor fratris minoris, ut apud Afflict. *d. dec.* 360. cum aliis per Michalor. *de fratr. d. par.* 3. *cap.* 44. *n.* 1. & Franch. *dec.* 404. hinc proinde adhuc in culpa dicebam fuisse dictum fratrem majorem, qui apud se dictam sororem pupillam retinuit sub ejus educatione, ideoque saltem circa personam se gerendo pro tutore, culposus erat non adhibendo debitas diligentias, quæ tutori incumbunt, consulendi sapientes, a quibus dicta ejus erronea credulitas, seu opinatio ex tunc detegi potuisset, quod scilicet, non subsistente paterno testamento, statutaria exclusio non intrabat quoad castra, & bona existentia extra districtum Urbis, juxta deducta *d. disc.* 80. *de feudis*, & conferunt quæ habentur *in Auximana, sub tit. de credito, disc.* 42. in proposito fratris majoris.

Et consequenter, quod sciens pupillam esse condominam bonorum paternorum jure æqualis intestatæ successionis, inventarium, ac librum tutelarem conficere debuisset, aliaque adimplere, quæ tutori incumbunt, cum ita retinendo sub ejus cura, & educatione dictam pupillam, pro tutore se gessisse dicatur, dum tutor personæ principaliter
datur, & in consequentiam rebus, ideoque dicebam intra- 14
re culpam, seu dolum præsumptum ob dictam negligentiam, de qua etiam tutor de jure tenetur, quodque talis culpa, ubi non sufficeret ad inducendum talem dolum, ad formale juramentum in litem rigorose necessarium, produceret tamen dictum alium æquitativum effectum, dum ita pernecesse dare debemus suppletionem, vel auxilium legis adversus eum, qui legitimus pupilli tutor, neglexit ea, quæ sibi incumbebant.

Item in proposito hypothecæ legalis competentis adver- 15
sus eum, qui de facto pro tutore se gessit, solemnibus non adimpletis, tam illius quam plurium aliarum consimilium causarum occasione, ultra dictam rationem, quod non debeat esse melioris conditionis ille, qui in legem delinquit, eamque contemnit, quam qui obedit, quodque propterea omnino supponenda est legis provisio ad favorem ejus, qui de necessitate sub ejusdem legis provisione vivit (ut etiam advertitur *disc. proxime seq.*) Considerabam quod quando ille, qui ser. ser. tutelam suscipit, ac solemnia implet, ita occasione cavendi de bene administrando, ac rationes reddendo, contrahit hypothecam expressam ob clausulas hodie in hujusmodi actibus semper apponi solitas, potissimum vero in Urbe, & Statu Ecclesiastico, ubi semper adjicitur obligatio cameralis, atque hinc de consequenti resultare dicebam, ut in odium ejus, qui non gerit actum ser. ser. atque prout gerere debebat, subintelligendum sit totum id, quod ad pupilli favorem resultaret, si actus legitime gestus esset, cum ita lex suppleat, in odium non adimplentis totum id quod resultaret, si adimplementum sequutum esset, ita fingendo quod sequutum sit, adinstar eorum, quæ *sub tit. de cambiis* ac etiam *sub tit. de usur.* habentur pluries circa damna, & interesse debita per eum, qui onus cambiandi, vel investiendi suscepit, cum similibus, ex generali regula reat. *in l. juro civili, ff. de condit. & demonstrat.* cum concordant. apud Rovit. *dec.* 53. *in fin.* Buratt. *dec.* 5. *& dec.* 116. *num.* 7. & est propositio plana, in Foro frequens, ac recepta.

JANUEN SALVIANI
PRO N. CATANEO PRINCIPE S. NICANDRI
CUM GALLIS.

Responsum extra Curiam.

De hypotheca tacita, seu legali, quæ de jure conceditur pupillis adversus tutores, & curatores, an concedatur adversus executores testamentarios a pupillorum patre deputatos.

Et quid si alii tutores, vel executores uni ex tutoribus, vel executoribus, tanquam tertio contrahenti pecuniam pupillarem mutuent, vel sub alio contractu credant sine hypotheca expressa, an exinde contra istum recipientem pecuniam, & contrahentem, eadem hypotheca legalis intret, & quando?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An emptor possit cum rata pretii soluta creditoribus anterioribus se tueri in tota re adversus posteriores?*
3 *Salvianum non datur sine hypotheca.*
4 *De eadem conclusione, de qua num. 2.*
5 *Si executor testamentarius, vel administrator recipit ab aliis executoribus, vel administratoribus mutuam pecuniam depositatam, consideratur tanquam tertius debitor.*
6 *Pro litteris cambii non competit hypotheca.*
7 *Hypotheca competens pupillo contra tutorem non competit contra debitores, quibus tutor pecuniam propriam credidit.*
8 *An contra exequutorem testamentarium competat hypotheca legalis?*
9 *Quod hypotheca legalis competat contra quemcumque legalem, ac necessarium administratorem.*

10 *Ex-*

10 *Executor testamentarius tenetur ad damna, & interesse ob non investimentum.*
11 *Hypotheca legalis incipit a die suscepta administrationis, non autem a tempore, quo actus mala administrationis fiat.*
12 *Debitor defuncti, si ejus filiorum tutelam suscipiat, non per hoc efficitur debitor hypothecarius.*
13 *Tutor tenetur de neglectu si debita non exigat.*
14 *Multo magis si ipse sit debitor, & tunc præsumenda est exactio.*
15 *De cambiorum contractu, & continuatione, ac recambiis.*
16 *Si tutor non investit pecuniam, vel a se debitam retinet, ad quid teneatur.*
17 *De eodem.*
18 *Interesse taxandum est ut minus, sed magis tutum.*

D I S C. X.

1 CUm testator, juxta Civitatis Januensis mores, commisisset quibusdam executoribus, quos ibi *fideicommissarios* appellant, ut pecunias ex ejus effectibus retrahendas ad honestum lucrum convertare deberent ad commodum duorum pupillorum, dictique executores, uni ex eis hanc pecuniam pro primis futuris nundinis sub cambiis credidissent, mediantibus cambii litteris (quæ ex veriori sententia nullam continent hypothecam, ut in sua materia *sub tit. de credito*) itaque pecuniæ susceptor in primis nundinis eam non restituisset, sed plurium annorum spatio, usque ad pupillorum majorem ætatem, sub eisdem cambiis retinuisset, suscepta quoque interim eorundem pupillorum tutela, priusquam ad cujusdam ejus palatii venditionem procederet, hinc proinde dicti pupilli facti majores, vel habentes causam ab eis, pro consecutione sortis, & cambiorum decursorum, in vim hypothecæ legalis, judicium in Salvianu interdicto instituerunt contra dicti palatii emptorem, ac possessorem, qui tamen ab ea Rota, (prævia de stylo decisione) sententiam absolutoriam reportavit, in gradu etiam appellationis confirmatam, Me, pro eodem reo convento, ad causæ tamen opportunitatem, ac directionem consulto.

2 Duo autem fuerunt hujus causæ articuli, seu puncti, primo scilicet, an possessor, qui notabilem pretii partem solverat creditoribus anterioribus, reportata cessione, stante diminutione valoris dicti palatii, etiam in casu, quo actoribus dicta hypotheca competeret, posset cum dictis juribus anterioribus se tueri, totamque rem retinere, atque actores creditores posteriores repellere, donec sibi solverentur credita anteriora, quæ supponebatur adæquare integrum valorem attento præsenti statu, vel potius teneretur, attento pretio in contractum deducto, pati immissionem pro indiviso juxta *dec.* 652. Cavaler. cum aliis de quibus *sub tit. de empt. & vendit. disc.* 21. Et secundo, an actoribus, vel eorum auctoribus dicta hypotheca legalis competeret necne, eum ea cessante, absolutum de jure remaneret non intrare Salvianum, quod pro essentiali requisito exigit creditum hypothecarium, neque per chirographarios quævis alia actio, cessante *edicto de iis, quæ in fraudem &c.* exercibilis est contra tertium possessorem ex titulo oneroso.

3 Super primo puncto (etiam cum sensu veritatis) deducebam eadem fundamenta, quæ habentur deducta *d. disc.* 21. *de empt. & vendit.* & insinuantur etiam quandoque *sub*
4 *tit. de credito*, ideoque ex hoc motivo justa, beneque fundata visa est resolutio.

Quovero ad alterum, aliquod probabile fundamentum ad ejusdem Rei, ac possessoris favorem, consistere videbatur in quadam novationa, qua medianta, sublata erat dicta hypotheca legalis anterior, etiam ubi competeret, id autem continebat quæstionem potius facti, quam juris, dum pendebat ex facti circumstantiis, ideoque absens, atque de istis non bene informatus, non de facili judicium efformare potui.

5 Quatenus autem pertinet ad punctum juris in abstracto, ubi ille, qui a defuncto deputatus fuerat executor, seu fideicommissarius ad investiendam, ac administrandam pecuniam pupillarem, in hoc munere ultra se non ingessisset, neque alios deinde fecisset actus, tunc dicebam, quod solidum esset motivum Scribentium pro hac parte, utque in illius Rotæ decisiona canonizatum, quod scilicet ille, qui pecuniam sub cambiis recepit, utpote gerens personam debitoris, ac receptoris pecuniæ, dici non poterat gestor alterius personæ executoris, ac datoris, cum id implicet in adjectu, ideoque remanendo in terminis simplicis debitoris mutuas recipientis pecunias pupillares a tutore, vel administratore, obligatus remanebat solum in actione personali, quam, non autem hypothecariam pro litteris cambii competere receptum est, quicquid aliqui contrarium dicant, ex 6
deductis per Gait. *de cred. c.x. tit.*7. *n.*2458. *cum seq.* Merl. *de pign. lib.* 3. *q.* 16. *n.* 7. Acosta *de priv. cred. regul.* 3. *limit.* 12. apud quos concordantes, & in sua materia *sub tit. de cred.*

Illa etenim hypotheca legalis, quæ pupillo conceditur 7
adversus tutorem, vel curatorem, non competit contra extraneum debitorem, qui cum tutore contrahat, ac pecuniam mutuam, vel sub alio contractu ab eo accipiat, ubi tutor non sit solicitus de hypotheca conventionali; cum nullibi in jure ista legalis hypotheca, adversus tertium contrahentem, qui non sit administrator, attributa sit.

Neque opus erat assumere inspectionem, an illa hypotheca legalis, quæ competit contra tutorem, vel curatorem, competat etiam contra executorem testamentarium, qui onus investiendi pecuniam alienam suscipiendo, id negligat, eamque penes se retineat, & in quo, affirmativam ex Peguera *dec.* 131. & Ricc. *collectan.* 769. firmat in specia Carpius *de executor. testam. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 20. atque videtur probabile, cum ita videatur personam administratoris assumere, qua posita, quoties non agitur de administratione voluntaria ejus qui potest per seipsum admini- 9
strationem facere, quam alteri committat, sed de necessaria, tunc generaliter eadem hypotheca legalis admittanda videtur, ex iis, quæ distinguendo illos casus, habentur *sub titul. de credito disc.* 36. & 39. ac etiam insinuatur *sub titulo de feudis*, ad materiam Bullæ Baronum *disc.* 80. & alibi. 8

Quodque executor testamentarius, qui pecuniam investiendam penes se retinet, teneatur ad quanti interest investimentum esse factum, firmatur in specie apud Seraph. *dec.*1048. *n.*3. *in fine*, & admittitur per Rotam in Florentina damnorum, & interesse, 16. *Maji* 1586. *pariter in fine* coram Corduba. 10

Verum hæc cessabant ex facto, dum attento solo primo actu receptionis pecuniarum, ire unicam tantum personam debitoris, vel tertii contrahentis hic gesserat, & non constabat, quod acceptasset munus executoris, quodque istius personam gerere voluisset.

Difficultas autem pro meo judicio gravis, atque pro 11
stylo ad veritatem libere insinuata, consistebat in eo, quod ille, qui pecunias receperat, non solum dictum executoris, vel fideicommissarii munus acceptavit, ac exercuit, verum etiam post aliquod tempus, ante hujusmodi venditionem, acceptaverat, ac exercuerat tutelam, ob quam indubitatum remanet intrare hypothecam legalem, non spectato tempore, quo gestus est actus præjudicialis, sed ab initio susceptæ administrationis, juxta veriorem magisque receptam opinionem, de qua cæteris relatis Negusant. *de pignor.* 4. *membr.* 2. *partis principalis*, *num.* 12. Gutiar. *de tutel. capit.* 16. *num. finali* Rodriquez *de concurs. cred. par.* 1. *art.*4. *num.* 19. Surd. *consil.* 7. Gratian. *discept.* 53.

Huic difficultati ingeniose replicatum fuit, quod cum 12
præcedens contractus cambii præcessisset dictam susceptionem tutelæ, vel executoriæ, ille non cadebat sub administratione tutelari, utpote jam perfectus, adinstar ejus, qui cum defuncto contraxerit, ejusque debitor chirographarius existat, quoniam si deinde ejusdem defuncti hæredum pupillorum tutelam suscipiat, non per hoc dictum debitum in aliquam incidit hypothecam, cum illud non proveniat ab administratione, sed ex diversa causa, in qua omnino diversa persona repræsentatur.

Responsio autem fuisset probabilis, ubi ageretur de con- 13
tractu jam absoluto, ac irretractabili, unde propterea circa illum aliæ administratoris partes non intrarent, secus autem, ubi post susceptam tutelam, vel antea, solutionis dies cessisset, adeout ipsi tutori, vel administratori (quando ageretur de tertio debitore) incumberet necessitas exigendi debitum, ac investiendi pecuniam juxta præceptum testatoris, quoniam sicuti non exigendo ab alieno, teneretur de mala administrationa (qualis etiam negligendo adesse dicitur) ita retenta duplicitate personarum, in qua ex hac parte totum fundamentum constituebatur, idem dicendum esse advertebam, quoniam si in culpa dicitur ille tutor, vel administrator, qui negligit exigere ab alio, pro cujus respectu majores diligentiæ desiderantur, & quas non semper expedit rigorose adhibere, ob inconvenientia ipsis tutoribus præjudicialia, quæ frequenter resultare solent, (unde

pro-

propterea pro facti qualitate in hujusmodi negligentia puniendâ circumspecte procedendum est.

14 Multo magis non exigendo a seipso, cum isto casu ad delictum excludendum ex legis præsumptione intrat occulta exactio, ac successive rotatio pecuniæ tutorio, vel administratorio nomine, atque hoc posito intrat obligatio ad quanti interest eam non esse investitam, ex deductis in præcedentibus, dum eadem præsumptio intrat in minus rigorosis terminis debitoris, cui titulus hæreditarius ejus creditoris obveniat, ut censeatur eo ipso, quod non solvit debitum maturatum, gerere actum hæreditarium ad exclusionem delicti, nisi aliæ præsumptiones illam tollant, ex deductis per Menoch. *lib. 4. præsumpt.* 100. & in sua materia *sub tit. de hærede*.

15 Denuo replicabatur, quod non verificaretur præsuppositum, ut cesserit dies, dum cambium, ut supra contractum, continuatum fuerat per plures annos etiam post finitam tutelam, & administrationem, illeque esset unus, & idem contractus ita continuatus; verum dicebam id continere æquivocum clarum, quoniam ex iis, quæ habentur in sua materia *sub tit. de cambiis disc. 1. & 27.* & in aliis, contractus cambii ob continuationem expresse prohibitam a Constitutione 118. S. Pii V. perfici dicitur in primis nundinis, seu in primo termino, atque debitore in nundinis, vel in platea non adimplente litteras fit recambium, tanquam per contractum omnino novum, & diversum, quod scilicet correspondalis implet litteras solvendo sibi ipsi, atque ad hunc effectum æquivalentem pecuniam ad id necessariam trahit sub novo cambio, & sic successiva, atque ea hac ratione salvatur continuatio, alias expresse prohibita, ac etiam salvatur conversio cambiorum decursorum in sortem, absque vitio anathocismi, ex ibi pluries deductis, quamvis enim Morales dicant, quod illæ sint fictiones, ac palliatæ circumulationes in fraudem usurarum, attamen, vel ex rationibus ibi deductis, vel ex communi recepto, atque ab Ecclesia tolerato usu, hujusmodi difficultates magnifaciendæ non videntur.

Et consequenter (applicando ad rem) eo ipso quod ille, qui pecunias ad cambium susceperat, affectus fuerat tutor, unde propterea sibi incumbebat munus exigendi pecunias pupillares a debitoribus, inter quos erat ipsemet, in primis tunc maturatis nundinis, de plano intrabat difficultas, quod pecuniæ habendæ essent pro exactis.

16 Advertebam tamen præmissa locum habere posse in sorte principali, ac solum in illis damnis, & interesse, quæ adequarent fructus, qui alias juxta usum Regionis percipi potuissent a bonis stabilibus, vel a locis montium, sive ab aliis investimentis tutis, & perpetuis, quæ de jure tutori permissa sunt, & de quibus etiam testator expresse senserat, non autem, quod prætendi possent cambia, & recambia, cum ea superfætatione, quæ in isto contractu intrat, & ob quam summa valde notabilis effecta erat, dum ex deductis in præcedentibus, illicita est in tutore expositio pecuniæ pupillaris in hujusmodi negotiationes.

17 Ideoque dicebam intrare dilemma, quod, aut actores approbare volebant contractum cambii, ejusque continuationem, ob lucrum, quod exinde resultabat, & tunc ille debitor considerandus non veniebat tanquam tutor, vel administrator, sed tanquam extraneus debitor contrahens cum tutoribus, ut supra, & de consequenti non intrabat dictum motivum culpæ non exigendi a seipso, sive alterum præsumptæ exactionis in exclusionem delicti.

18 Aut vero volebant considerare eum tanquam tutorem, qui debito tempore exigere debuerat a seipso, atque investire eo modo, quo tam lex, quam homo præcipiebant, & tunc, cum fictio excedere non possit veritatem, aliud interesse peti non poterat, nisi quantum importarent fructus liciti investimenti, quod fieri debuisset, attendendo quod minus, sed magis promptum, ac tutum, puta locorum montium, quæ ibi dicuntur comperas S. Georgii, juxta sensum, cum quo processit Rota in obligatione suscepta per patrem investiendi pecuniam dotalem filiæ in Romana pecuniaria 15. Jun. 1665. cor. Albergato, de cujus causa agitur *sub tit. de usur.*

ANNOT. AD DISC. X.

De hypotheca legali adversus administratores habetur alibi actum, & præsertim ultra *dec. 36. & 39. de cred. hic enunciatas sub tit. de fideic. disc. 169. in quo n. 5.* habetur mentio de hac causa, occasione agendi de puncto, an & de quo tempore hujusmodi hypotheca sit desumanda, ac etiam *sub tit. de dote disc. 82. & 168. tit. de cred. disc. 157. per tot.*

URBINATEN. TUTELÆ AD PETITIONEM BENEDICTI VETERANI.

Responsum pro veritate.

An defecto uno ex pluribus tutoribus testamentariis jus tutelæ consolidetur in uno, seu pluribus superstitibus, vel per necesse subrogari debeat alter in locum deficientis?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An inter plures tutores detur jus accrescendi, adeout uno deficiente, totum jus in aliis consolidetur, vel debeat alter subrogari?*
3 *Satis deferendum est voluntati testatoris, & in dubio pro subrogatione.*
4 *Victricus non est tutor privigni.*
5 *An avus, vel avia materna sint suspecti, si mater transiit ad secunda vota?*
6 *Declaratur conclusio, de qua n. 4.*
7 *De cautela in hoc adhiberi solita.*
8 *Ad omnia, ad quæ tenetur tutor, qui bene implevit solemnia, tenetur etiam ille qui de facto se gerit pro tutore.*
9 *De conclusione, an & quando bona secundi viri sint obligata pro tutela matris binubæ?*
10 *An legatum factum tutori cesset cessante tutela? remissive?*

DISC. XI.

Cum Lælius Veteranus Laviniæ, & Margaritæ filiabus, ac hæredibus pupillis, tutores in testamento deputasset Octaviam uxorem, ac Hypolitum, & Bernardinam ejusdem Octaviæ parentes, dictaque Bernardina a tutela se excusasset, Octavia vero transitum fecisset ad secunda vota, inde propterea solus Hypolitus tutelam suscepit, ac administrare cœpit; vociferaretur autem quod in casu adjuncti, eadem Octavia mater curaret in tutorem deputari ejus secundum virum pupillorum victricum, hinc ex parte Benedicti patrui (cum quo deinde excitata fuit illa acerrima lis, de qua *sub tit. de donat. disc. 2.*) pro veritate consultus fui, tam super præmissis, quam super aliis potius facti, ac arbitrii, quam juris, circa pupillarum educationem, ac idoneitatem præstitæ cautionis. 1

Quatenus igitur pertinet ad primum quæsitum, respondi idem, quod habetur supra in Spolatana *disc.* 1. quod scilicet ista non est quæstio juris, quæ uniformem regulam, seu theoricam generalem recipiat, sed potius facti, Judicis prudenti arbitrio pro singulorum casuum particularibus circumstantiis decidanda. Quamvis enim juris regula generalis sit, ut inter tutores testamentarios non detur jus accrescendi, sed in locum deficientis alter sit subrogandus, ad text. *in l. qui sub conditione, ff. de testam. tutela*, cum quo pertranseunt Scribentes, de quibus Bellon. jun. *de jur. accresc. cap. 6. q. 26. n. 2. & 3.* 2

Attamen quia textus loquitur per verbum *possit*, quod facultatem, non autem necessitatem importat, hinc proinde recepta est dicta conclusio, ut sit quæstio arbitraria pro facti qualitate decidenda, ut per Bald. *cons. 486. lib. 4.* Soccin. *cons. 193. lib. 2.* Hieron. Laurent. *dec. 141. in princip.* Franch. *dec. 214.* Cancer. *lib. 1. variar. tit. de tutor. n. 36.* Giurb. *observat. 3. n. 25.* & aliqua habentur apud Buratt. *dec. 344. 348. & 389.*

Est bene verum, quod stante regula prædicta, in dubio pro subrogatione dictum arbitrium interponendum venit, tum ob axioma, quod in dubio deferendum est regulæ, ex collectis per Barbos. *axiom.* 198. tum etiam quia assistere videtur voluntas testatoris, dum de uno non confidendo, plures deputavit, multoque magis, ubi adessent verba denotantia plurium simultaneum, seu copulativum concursum in administrando, ut in hac facti specie argui posse videbatur ob dictionem, *insimul*, idcoque frequenter praxis ita se habet, ut practicatum fuit apud Franch. *dict. dec. 214.* ac etiam in casu, de quo supra *dict. discurs.* 1. & in aliis pluribus, quos Mihi occasio præbuit tractare. 3

Quo vero ad alterum, pariter dixi idem respondendum videri, regula enim est negativa, ut victricus suspectus 4

repu-

reputetur, neque deputari debeat, ex plene deductis per Gurtier. *de tutel. par. 1. cap. 8. n. 77.* Castill. *dec.* 20. *n. 7.* Galganett. *de tutor. l. 3. q. 12.* Thor. *in compend. decis. par. 3. tom. 4. verbo tutela.*

Adeo enim matris ad secunda vota nubentis, ubi habet filios pupillos, lex suspicionem habet, quod quamvis
5 tutela legitima reguletur juxta ordinem successionis, seu proximitatis, cum aliqua prærogativa ascendentium, & consequenter avus, vel avia materna præferatur patruo; attamen si mater ad secunda vota transit, suspicio afficit etiam dictum avum, vel aviam, atque patruus, vel alter proximus præferendus est, ex relatis per Thesaur. *dec.* 5. Quod tamen suas habet difficultates, ex deductis per Fab. de Ann. *cons.* 50. & Castill. *dec.* 8. & confert Rot. *dec.* 95. *par. 7. rec.*

6 Bene verum, quod non per hoc præclusum est Judicis arbitrium pro facti qualitate, præferendi avum, vel aviam maternam, quinimmo, & quandoque deputandi in tutorem eundem vitricum, quando facti circumstantiæ suadeant, ut ob ejus prudentiam, ac probitatem, ac etiam ob qualitates matris, ita pupillis magis expediat, tum circa educationem personæ, cui principaliter tutor datur, quam etiam circa administrationem bonorum, ex deductis per Gutier. Fab. de Ann. Castill. & alios ubi supra, & Rovit. *pragm.* 9. de Baron. n. 1. utque pluries (in magnis tamen Tribunalibus) practicatum vidi; suspicio enim, quam lex habet de matre binuba, ejusque secundo viro, consistit in præsumptione juris tantum, quæ generaliter, ac in dubio tenenda est pro regula, sed tamen incapax non est limitationis ex contraria veritate, cui perpetuo cedit præsumptio.

7 Cumque matri volenti transire ad secunda vota, incumbat onus curandi prius provideri filiis pupillis de tutore, atque alias plures incurrit pœnas, illam præsertim, quod privatur eorum intestata successione, ut haberer in sua materia *sub tit. de success.* ubi de declarationibus, quomodo, & quando id procedat, hinc proinde adhiberi soleat cautela, quod mater, priusquam secundas contrahat nuptias, renunciando tutelæ, instet apud Judicem pro deputatione tutoris, illi proponendo personam illius, quem destinavit in virum, ac insinuando causas, ob quas credat pupillis expedire, quod ille tutor deputetur, unde quando causæ reputentur justæ, id admitti solet, ut apud allegatos, quamvis nimium circumspecte in hoc procedendum sit, ne alias fraudibus locus aperiatur.

8 Ubi autem mater binuba se ingerat in administrationem tutelæ, tunc non solum extra dubium est, ut ipsa teneatur ad redditionem rationum cum ejus bonorum hypotheca, ex conclusione, de qua pluries in præcedentibus, ut ad omnia, ad quæ tenetur tutor legitimus, magis teneri debeat ille qui habitualiter talis illegitime pro tutore se habeat, ut in specie matris plene habetur per Rotam *dec.* 499. *n.* 18. *p. 9. rec.* licet male dubitetur *n.* 19.

9 Sed etiam ad idem tenetur secundus vir, cujus bona cadunt quoque sub hypotheca legali pro hujusmodi administratione ad text. *in l. 2. §. ne sit facilis, C. quando mul. tut. off. fun. cum concordan. d. dec.* 449. n. 12. *p. 9. rec.* Ubi tamen n. 13. *& seq.* declaratur, quatenus tamen mater formiter tutelæ officium susceperit, atque tanquam tutrix administraverit, secus autem si de facto in administratione se ingesserit, cujus declarationis veritatem adhuc in praxi formiter disputandi occasionem non habui.

10 An autem legatum factum uxori, quæ tutrix deputata est, amittatur per illius transitum ad secunda vota, quod generaliter congruit cuicumque tutori non acceptanti tutelam, vel eam acceptatam deserenti, & quid ubi tutelæ cessatio proveniat a casu absque culpa tutoris, puta ob mortem naturalem, vel civilem pupilli, vel aliud impedimentum, habetur actum in sua legatorum materia *sub tit. de legatis* & aliqua insinuantur *sub tit. de servit. ad materiam ususfructus, disc.* 50. *&* 51.

ANNOT. AD DISC. XI.

NOtatum est supra *ad disc.* 1.

PISTORIEN.
PRO GALLIS.

Responsum pro veritate.

An tutori suffragari valeant cessiones reportatæ contra pupillum? & de contraria actione tutelæ competente tutori, qui remaneat creditor pupilli pro administratione.

SUMMARIUM.

1 F*Acti series.*
2 *Tutor non potest reportare cessionem contra pupillum.*
3 *Declaratur quando id procedat.*
4 *Tutori aliquid solventi pro pupillo competit actio contraria tutelæ.*
5 *Potest emere bona pupilli publice, & bona fide.*
6 *Idem de Officiali, & de creditore emente pignus.*
7 *De materia* l. incivilem C. de furt. *& de redimente rem furtivam.*
8 *De eadem conclusione, de qua n. 2. & 3.*
9 *An intrent termini* text. in l. per diversas, & l. ab Anastasio?
10 *De differentia inter istos terminos, & illos, de quibus n. 8.*
11 *Quomodo ista materia regulanda sit.*

DISC. XII.

CUm filii Francisci del Gallo in ætate pupillari vive- 1
rent sub tutela Catherinæ matris, & Jacobi patrui, ac Hiacinthi consobrini, & Cosmi, ac Camilli conjunctorum; Cassandræ autem uni ex dictis pupillis, constituta esset occasione nuptiarum dos, cujus partem præfatus Jacobus solvit, reportata a viro jurium cessione, cujus vigore agendo, vel excipiendo, occasione quorundam locorum montium, dicta jura ipse cessionarius, vel ejus filii, ac hæredes experiri volebant, opponebatur de hujusmodi cessionis inefficacia, ex regula, seu propositione, quod tutor non potest reportare cessiones contra pupillum, quodque reportando, invalidæ, ac inefficaces reputandæ ve- 2
niant, ex plene cumulatis per Menoch. *cons.* 1225. & Munoz. *de ratioc. c. 23. n.* 59. apud quos concordantes, quare desuper consultus

Respondi, quod regula est vera, sed fallacia consistebat 3
in applicatione, procedit enim in illis cessionibus, quas affectate, ac malo animo, de juribus, ac prætensionibus litigiosis tutor procuraret, sive etiam de claris, & liquidis, quorum cessio, vel remissio ex facti circumstantia pro minori summa, & cum aliqua utilitate obtineri valeant, tum quia tutor ex debito officii tenetur hoc negotium utile gerere pro pupillo, tum etiam quia non de facili aperiendus est hic aditus tutoribus affectandi jurium cessiones contra pupillos, ut ita eorum bona usurpare valeant, atque in redditione rationum sub hoc clypeo, reliquatus restitutionem denegare, ex iis, quæ de tutore, vel quocumque administratore habentur *sub tit. de fideic. disc.* 172.

Secus autem, ubi publice, palam, ac bona fide, dissol- 4
vendo debitum pupilli de proprio, reportet pro ejus indemnitate jurium cessionem a dimisso creditore, non ut lucrum faciat, sed ut damnum evitet; siquidem ubi etiam dictam cessionem non reportaret, adhuc tamen de Jure sibi adversus pupillum competeret actio contraria tutelæ ad text. *in l. 1. in principio, ff. de contraria tutela, & utili actione, §. tutores, Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu,* & in specie dotis præstitæ sorori pupilli per argumentum a contrario probat. text. *in l. cum plures, §. finali, de administr. tut.* ubi gloss. & DD. collecti per Galganett. *de tutor. lib. 2. tit. 36. n. 1. cum seq.* atque ita distinguendo firmant communiter DD. præsertim Salicet. Cyriac. & alii quos deducit, ac plene conclusionem expendit doctus amicus meus Pretus in add. ad Paschal. *de patr. potest. p. 1. c. 4. ad n. 13. fol.* 80. ubi in specie advertitur circumstantia, quæ ad rem adaptabilis est, ubi scilicet tutor solvit de proprio, atque cessionem reportat cum interventu aliorum contutorum, seu conjunctorum pupilli. Totum igitur consistit in bona, vel mala fide, cum lex provideat, ne tutor lucrum faciat in præjudicium pupilli, non autem ut damnificetur, sive inferioris sit conditionis quocumque extraneo.

Unde

5 Unde propterea, quamvis regulariter tutor sis prohibitus emere bone pupilli, attamen id recte facere potest publice, & palam, ac bona fide, ex plene deductis per Menoch. *lib. 3. præsumpt.* 80. Bellon. jun. *cons.* 78. Dunoz. *dec.* 821. *& dec.* 951. *in fin.* Quod etiam in Officialibus aliisque
6 prohibitis habemus, ut occasione creditoris ementis pignus cum hac distinctione, an sincere, ac bona fide id agat, vel cum circuitibus, & palliis, advertitur *sub tit. de emptione, & venditione disc.* 31. *cum similibus.*

7 Ita partier, ex deductis præsertim *sub tit. de usur. disc.* 6. illi, qui rem alienam e pyratis, vel latronibus redimit, seu alies recuperat, Dominus reficere tenetur totum id, quod erogavit, neque juvari potest beneficio text. *in l. incivilem, C. de furtis* ob æquisativam actionem, vel exceptionem de utili in rem verso, seu negotiorum gestorum &c. Dummodo tamen bona fide id factum sit animo gerendi pro amico, vel proximo negotium utile, secus autem si mala fide, ut rem propriam gereret, ex ibi deductis.

Et in specie cessionis reportatæ per tutorem, qui dotem dedis fœminæ pernecesse dotandæ a pupillo, firmat Rotæ in *Beneventana dotis* 27. *Junii* 1653. *&* 20. *Maji* 1654. coram Bichio inter suas *dec.* 574. *&* 603. Et de que causa habetur actum *sub tit. de dote, disc.* 29. ubi pariter de ista conclusione, & magis *d. disc.* 172. *de fideic.*

8 Et quamvis aliquando in casus occurrentia super hoc puncto cessionis reportatæ per tutorem, vel alium administratorem contra pupillum, vel alterum sub administratione viventem, aliqui æquivocando procederent cum distinctione, quam habemus ad materiam text. *in l. per diversas, & l. ab Anastasio, Cod. mandati*, de qua pluries *sub tit. de credito*, ut scilicet prohibitio tutoris, vel alterius administratoris reportandi jurium cessiones, intelligenda veniat de juribus dubiis, ac litigiosis, non autem certis, & claris, cum tunc nullum damnum pupillo inferri videatur, nihilque sua intersit, an potius cedentis, quam administratoris cessionarii debitor existat.

9 Attamen, ubi cessio reportatur pro aliqua minori summa, adeout illa lucrum, seu oneris diminusionem causet, tunc clarum æquivocum est in hoc proposito tutoris, vel administratoris adhibere dictos terminos extranei cessionarii, qui secluso delicto, quod lex præsupponit contra voluntarios litium redemptores, jure suo utitur, propriamque industriam licite adhibet, cum nulla ex officii debito sibi obligatio incumbat id agere ad commodum debitoris
10 cessi, non sic est in tutore, vel alio administratore, cui incumbit onus, industriam, ac diligentiam adhibendi, ut rem utilem faciat pupillo, vel alteri sub ejus administratione viventi, ideoque dum potuit hanc jurium cessionem reportare cum utilitate, fieri debebat ad pupilli, non autem, sui commodum, unde conferunt ea, quæ in materia concordiæ, vel reportatæ cessionis per hæredem fideicommisso gravatum habentur *sub tit. de fideic. disc.* 172. ac etiam agitur *sub tit. de hærede.*

11 Nisi ex facti qualitate constet quod illud minus, pro quo cessio facta est, provenerit ex merito, & qualitate personali ipsius tutoris, vel administratoris, quodque cedens alias ad commodum pupilli id non egisset, neque totius debiti solutio evitari potuisset, cum tunc dicatur pars pretii, & in summa quæstio est facti potius, quam juris, pro facti qualitate prudenti arbitrio decidenda, cum totum pendeat a bona, vel respective mala fide, ac sinceritatis actus affirmativa, vel negativa, ideoque erroneum est certam, ac generalem regulam desuper statuere.

ANNOT. AD DISC. XII.

CEssio obtenta per tutorem ea ei suffragetur, habetur incidenter actum *sub tit. de Dote, disc.* 29. n. 3. *& melius sub tit. de alim. & Contr. proh. disc.* 25. *n.* 19. occasione agendi de consimili articulo, an scilicet Prælatus, vel Rector acquirat jura contra Ecclesiam, cujus bona administrat.

ROMANA LOCORUM MONTIUM PRO LAVINIA MAYNARDA CUM MAZZATELLIS.

Casus disputatus in Camera, & resolutus pro Lavinia.

An tertio jus habenti in hæreditate, & bonis defuncti administratis per tutorem, competat actio contra tutorem ob malam alienationem in ejus præjudicium, quamvis pretium erogatum sit in causam administrationis, cujus rationes bene reddiderit?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *De condemnatione tutoris etiam de proprio favore tertii, ob alienationes factas.*
3 *De auctoritate Rotæ Romanæ, & quantum ejus decisionibus deferendum sit.*
4 *Tutor, vel alter administrator non inhibitus, eo ipso quod restituit bona ei, cujus habet administrationem, ad aliud non tenetur.*
5 *De circumstantiis, ob quas tutor, ut supr. n. 2. fuit condemnatus de proprio.*

D I S C. XIII.

CUm Constantius Bonellus unus ex Notariis Cameræ Apostolicæ, recipisset pro ejus rata pecuniam acceptam cum auctoritate Gregor. XV. juxta seriem, de qua *sub tit. de Regal. disc.* 8. *& seq.* atque paulo post de ipsomet anno 16xx. obierit superstitibus duobus filiis pupillis, Lavinia mater, & uxor respective, eorum tutela suscepta, ut creditorum molestias evitaret, vendidit triginta loca montis Pacis in hæreditate reperta, eorumque pretio depositato in banco S. Spiritus, illud erogavit in satisfactionem creditorum, deindeque redditis ejus administrationis rationibus, per sententiam ser. ser. declarata fuit creditrix hæreditatis detectæ non solvendo in summa notabili; ad longissimum vero tempus annorum quadraginta circiter Mazzatelli in dicto officio successores, Cameralem adhæsione procurata, pro eo successorum, vel Cameræ jure, de quo *d. disc.* 8. *& seq. de Regal.* judicium instituerunt coram Thesaurario contra dictam Laviniam pro restitutione dictorum locorum montium, una cum fructibus, sed prodiit sententia absolutoria, a qua interposita appellatione, & commissa causa in Camera, datoque dubio, an ob non prosequutam appellationem constaret de re judicata? *sub die* 13. *Martii* 1671. cor. Salviato, pro eadem Lavinia prodiit resolutio, & quidem juste, ac fundate. 1

In hac autem disputatione habita in Camera, in qua solum scripsi pro Lavinia, alsra ea, quæ concernebant ordinem super appellationis prosequutione, & an illa esset deserta necne, ac etiam ea, quæ respiciebant factum an scilicet constaret de identitate locorum montium, quod essent eadem proveniensia ex pecunia habita sub obligatione officii, juxta seriem loco supra citato recensitam, cum de his principales partes essent causæ Patroni.

Quatenus pertinet ad ea, quæ sunt juris, Actorum fundamentum consistebat *in dec.* Rotæ apud Merlin. *dec.* 667. (& quæ forte hujus litis excitationis fomentum dedit) per quam firmatur in specie condemnatio tutoris ad æquivalentiam consimilium locorum montium vinculatorum pro jure, ac interesse tertii, dum ipse illa vendiderat tanquam libera, ideoque inculcabatur hæc decisio tanquam individualis, ita lata cum copiosis allegationibus exornando solitam insipidam pragmaticorum propositionem, ut doctrinis punctualibus omnino deferri debeas, multo vero magis, ubi non est simplex doctrina, sed decisio Rotæ Romanæ, cujus auctoritas magna est etiam apud exteros, ut habetur apud Gomes. *ad regul. Cancel. in proœm. q.* 2. *n.* 10. Gait. *de cred. c.* 4. *quæsito* 7. *n.* 729. Fontan. *de pact. claus.* 6. *glos.* 2. *p.* 3. *n.* 46. French. *dec.* 605. *n.* 6. Nigr. *de laudem. tom.* 1. *q.* 45. *& frequenter alii.* 2 3

Scribens autem pro Lavinia rea conventa (etiam in sensu veritatis) dicebam quod absque necessitate assumendi inspectionem *super d. dec.* Merlini, atque admisso ut in casu suo, firma, beneque fundata sit, ut in dubio præsumendum est, adhuc tamen fallacia clara erat in applicatione ad casum præsentis controversiæ, cui nullatenus adaptabiles erant circumstantiæ, ex quibus illa resolutio prodiit.

Siquidem in ea decisione præsupponitur tanquam absoluta ju-

ex juris regula, ut tutor, vel quicumque alter administrator,
4 qui administratorio nomine distraxit bona, vel jura pertinentia ad hæreditatem, vel patrimonium administratum, eorumque pretium, e lege, vel ab homine non inhibitus, in ejusdem administrationis causam erogavit, adeout illud non habeat in manibus, sed rationes reddit, ad aliud non teneatur; tutori siquidem, vel alteri administratori non incumbit inquirere, an bona, vel jura reperta in hæreditate, vel patrimonio administrato, ad illud spectarent, & quomodo, cum ei sufficiat illa reddere ei, a quo accepit.

5 In casu autem *d. dec.* 667. Merlini plures concurrebant circumstantiæ, prima scilicet, quod ipsemet tutor loca montium cum eo vinculo acquisierat, ideoque ignorantiam allegare non poterat, secundo quod non solum tutorio, sed etiam proprio nomine ad id se obligaverat, unde propterea propriæ fidei violatio positiva accedebat, ejusque stipulatio commissa erat, & tertio, quod idem tutor, ob quoddam lucrum proprium, de dolo, seu malitia convincebatur; horum autem nil concurrebat in ista patrice, in qua nulla aderat scientia hujusmodi jurium, vel prætensionum Cameræ, vel successoris in officio, ipsaque loca montium nullum habebant vinculum in ventre, cum alias libere vendi non potuissent, ac propterea hæc pro[...]io omni prorsus fundamento destituta erat.

ANNOT. AD DISC. XIII.

Super contentis in præsenti discursu, non contigit alias disputari, de auctoritate autem Rotæ Romanæ ejusque decisionibus, habetur magis ex professo aliam in *Relation. Cur. disc.* 35.

ROMANA ADMINISTRATIONIS PRO MARIA CATANEA COSTA CUM PHILIPPO FILIO.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Maria.

An majori dari possit curator, ac interdici administratio bonorum, & quando.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Quod majori non possit interdici administratio.*
3 *De propositione, ut valeant plus doctrinæ punctuales, quam rationes? sed rejicitur remissive.*
4 *Declaratur conclusio, de qua n. 2.*
5 *De alia declaratione ubi respicit favorem tertii.*
6 *De eadem distinctione.*
7 *Quare in hac facti specie sustineatur prohibitio.*
8 *Fructus pertinent ad hæredem, sed per testatorem id potest prohiberi.*
9 *De stylo Januensium circa fideicommissa, & vincula.*

D I S C. XIV.

1 Octavius Costa, instituto hærede Philippo ex Benedicto filio nepote, juxta seriem, de qua *sub tit. de servitut. ad materiam usufructus, disc.* 58. ob suspicionem, quam de imprudentia dicti Benedicti habebat, bonorum hæreditariorum administratricem deputavit Mariam nurum, ejusdemque Philippi matrem, ordinando, ut administratio durare deberet usque ad ætatem annorum 30. ante cujus terminationem dicto hæredi administrationem prohibuit; cumque Philippus complevisset ætatem annorum 20. per quam ex Statuto Urbis major effectus fuit, hinc ex consilio Causidicorum infrascriptis auctoritatibus innitentium judicium instituit contra matrem pro redditione rationum, cum inhibitione, stante ejus majori ætate, ne ultro in administratione se ingereret.

2 Fundamentum dictæ prætensionis consistebatur in speciali auctoritate Paul. de Castr. *cons.* 131. *lib.* 1. cum quo pertranseunt Grat. *discept.* 488. *n.* 1. *& seqq.* ubi concordantes, Thor. *in compend. dec. part.* 3. *verbo administratio bonorum primo*, ubi dicit ita decisum, & consequenter Scribentes pro eodem Actore, cum solito inepto legulejco stylo, magnum 3 ficiebant cumulum aliarum actoritatum ad comprobandam propositionem, quæ est pragmaticorum refugium, ut doctrinis individualibus in judicando deferendum sit, quodque plus valeat una doctrinæ punctualis, quam centum ratiociniæ, & de qua insipidissime propositione habetur præsertim *sub tit. de emphyt. disc.* 3.

Scribens pro matre (etiam cum sensu veritatis, qualem Judex quoque agnovit,) contrarium omnino verius dicebant in hac facti specie, non quidem ex defectu propositionis in genere, utpote in suo casu veræ, sed ex defectu applicationis ad casum; procedit etenim quando tale præceptum 4 probabili causa, seu ratione vestitum non est, unde propterea tanquam juri contrarium, resolvendum est in consilium, ac sperni potest, secus autem ubi talem habeat probabilem causam, quod etiam absque mixtura juris tertii, regulare valeat Judicis arbitrium, quod præclusum non videtur, demandandi hujusmodi dispositionis observantiam, admittat eorum quæ habemus in præcepto de non dividendo, vel de altero de non concordando, ac etiam in oneribus, & præceptis, quæ adjiciuntur etiam super legitima, de sui natura omne onus rejiciente, cum similibus, de quibus in suis respective sedibus.

Clarius vero, ac extra omnem dubitationem, ubi præceptum adjectum non sit in gratiam, vel respective odium ipsius prohibiti, sed percutiat gratiam, seu favorem tertii, 5 ut ita distinguendo Oldrad. *cons.* 241. Aret. *cons.* 22. *n.* 5. Dec. *cons.* 422. *n.* 25. *& in l. cum proponas, prima, n.* 4. *C. de pactis*, & supponitur per eundem Castrens. ac alios, de quibus supra, tunc etenim hujusmodi dispositio non importat inhabilitationem personæ, quam lex habilem, ac idoneam reputat, ne ejus bona administrare valeat, sed potius deputationem œconomi bonorum spectantium ad tertium, cujus favore de bonis interim administrandis dispositum sit, vel directe, & immediate, vel etiam oblique, seu mediate, atque cum hac distinctione frequenter occasionem habui hunc punctum tractandi, quandoque sustinendo, & quandoque impugnando hujusmodi dispositiones, ac præcepta, ideoque dicere consuevi, quod, aut urget dicta ratio super jure, vel interesse tertii, & tunc indefinite intret regulæ generalis pro validitate, ac observantiæ, aut vero eo cessante, agitur de solo jure prohibiti, & tunc quæstio videatur potius facti, pro illius 6 qualitate prudenti Judicis arbitrio decidenda, an scilicet justum, ac rationabile motivum concurrat, necne.

Applicando autem ad rem, ut advertitur *d. disc.* 58. *de usufr.* testator instituendo hæredem istum nepotem adhuc minorem, eo quia pro primogenito pinguem primogenituram in quibusdam Castris, ac aliis bonis erexerat, mandavit, quod exuberantes fructus bonorum hæreditariorum, post detracta alimenta, aliaque onera supportata, investiri deberent ad dictæ primogenituræ commo- 7 dum, illamque impinguandam, ideoque, cum fructus non spectarent ad ipsum hæredem, sed ad tertium, idest primogenituram, hinc recte potuit testator deputare administratorem, usque ad sibi placitum tempus.

Quamvis enim juris regula sit, quod fructus pertinent ad hæredem, quemvis fideicommisso gravatum, non tamen prohibitus est testator in contrarium disponere, eorum- 8 que cumulum demandare, ex iis, quæ habentur *sub tit. de fideic. disc.* 187. *& seqq.* ubi de auctoritatibus, & decisionibus id firmantibus, ideoque si poterat de fructibus indefinite disponere ad favorem tertii, pro cujus jure particularem deputare placeat administratorem, & œconomum, juxta casum insinuatum *d. tit. de fideic. disc.* 135. Multo magis id facere potuit ad certum tempus, ut cohæres perveniret ad congruam ætatem, tam administrandi, quam obtinendi emolumentum, cum istius in- 9 dustriæ, ac prudentissimæ nationis videatur stylus frequens, adjiciendi filiis, eorumque successoribus vincula usque ad certam ætatem, quæ imprudentiis, ac dissipationibus subjecta credatur, non autem ultra, ut advertitur *eod. tit. de fideic. disc.* 253. ac etiam docet praxis in casu, de quo *sub tit. de feudis disc.* 108. & alibi plures.

S U M M A R I U M.

1 *De prohibitione administrationis usque ad certam ætatem.*
2 *De prodigo, & meretricibus.*
3 *De administratione bonorum vacantium.*

ANNOT. AD DISC. XIV.

Præceptum prohibens administrationem quod post minorem ætatem sperni valeat, quoties non respiciat 1 gratiam, & favorem tertii, habetur *sub titul. de fideic. disc.* 127. *num.* 9.

Et ad materiam interdictionis administrationis videri 2 poterunt deducta *sub tit. de alien. & contr. prob. disc.* 36. occasione agendi de prodigo, & *sub tit. de Testam. disc.* 37. ubi de meretricibus.

Et de administratione bonorum vacantium danda ei, qui 3 spera-

speratur successor, habetur particulariter actum *sub tit. de success. ab intest. disc. 37.*

ROMANA PECUNIARIA, SEU RELEVATIONIS PRO MONTE PIETATIS CUM ALTOVITIS.

Casus disputatus in Rota, & in Signatura Gratiæ, & resolutus pro Monte.

De administratore sacræ Ædis, vel publici benefici ad quid teneatur erga ipsam Ædem, vel bancum administratum, & de aliis ad materiam administratorum, eorumque obligationibus?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Deponens, qui restituit depositum, non servata ejus lege, tenetur de proprio.*
3 *Resolutio causæ.*
4 *Quod in feudis novis, vel hæreditariis detur dispositio, vel obligatio.*
5 *Obligatus, vel fidejubens pro administratore in uno munere, non tenetur pro gestis in diverso munere, vel officio.*
6 *Quod ad ministrum ratiociniorum non pertineat scire ea, quæ consistunt in puncto juris.*
7 *Declaratur conclusio, de qua nu. 4.*
8 *Fidejubens pro Officiali, vel administratore tenetur etiam de iis, quæ contingunt de novo administratione durante.*
9 *Declaratur conclusio, de qua num. 5.*
10 *Et quid de fidejussore Officialis pro officio prorogato.*
11 *Quando locator operarum teneatur, & de quibus.*
12 *In corporibus inanimatis sub administratione existentibus non datur culpa, quæ referenda est administratoribus.*
13 *De administratoribus Montis Pietatis Urbis, qui sunt, & de eorum muneribus.*
14 *An principalis administrator teneatur reddere rationem de gestis per administratores inferiores?*

DISC. XV.

1 IMposito censu per quendam Baronem Regni Neapolitani in sorte sc. 15. mil. ad favorem Ducis Joannis Antonii Ursini, pecunia ex conventione deposita fuit in Monte Pietatis Urbis, non solvenda, nisi debitor assensum Regium in forma valida in actis Notarii de instrumento rogati exhiberet super obligatione feudalium, cumque debitoris Ministri, obtento assensu per memoriale cum subscriptione Officialium ad quos pertinet, desuper non expediissent privilegium in forma Regiæ Cancellariæ, sed ita dictum memoriale subscriptum exhibuissent, unde Notarius fidem fecit de dicta exhibitione, hinc Petrus Paulus Bonilius Montis Ratiocinator, seu Computista, putans ita depositi legem impletam esse, dedit in mandatis Capserio, quod pecunia solvi poterat, ut sequutum fuit, quare creditor, cui super feudis, ob dicti assensus inefficaciam, consultum non remanebat, judicium instituit contra ipsum Montem depositarium pro reiterata restitutione depositi, ac obtinuit, præviis pluribus Rotalibus decisionibus, præsertim apud Dunoz. jun. *dec.* 604. 622. & 634. & *dec. 304. par. 9. rec. repert.* apud Bich. *dec.* 185.

2 Dicto autem Ratiocinatore defuncto, Montis administratores pro dicti damni reintegratione (si non in toto saltem in parte) judicium instituerunt contra Altovitos hæredes eorum, qui pro dicto Ratiocinatore in susceptione officii pro quadam summa scut. 4. mil. fidejusserant cor. Bichio Judice deputato ab ejusdem Montis Protectore, Rotæ votum expetente, atque sub die 28. Junii 1655. pro ipso Monte prodiit resolutio, quæ habetur *impress. dec. 73. part. 12. recent.* & inter illas Bichii *decis.* 646. ad cujus normam relaxato mandato executivo, reisque conventis recurrentibus ad Signaturam Sanctissimi pro commissione appellationis, etiam suspensivæ, ista rejecta, cum clausula, *sine præjudicio executionis*, vel acquieverunt solvendo, vel se concordarunt, dum causa ulteriorem progressum non habuit.

3 In hujusmodi autem disputationibus, plura erant reorum conventorum fundamenta, primo scilicet, quod cum feuda pro dicto censu obligata de novo quæsita essent per 4 ipsum impositorem, nullus fuisset necessarius assensus Regius, atque in hoc Scribentes pro reis conventis cum magna æquivocorum copia se involvebant circa qualitatem feudi novi, ac alteram qualitatem, quod esset hæreditarium, ex quibus alienabilitatem resultare, cum confusis allegationibus probare conabantur ex iis, quæ in terminis generalibus juris communis habentur in materia.

5 Secundo, quod cum Statuta Montis, ex quibus potissimum obligatio dicti Ratiocinatoris clarius respirabat, supervenissent post ipsorum fidejussorum obligationem, dum ista sequuta erat de anno 1601. Statuta vero condita de anno 1611. non remanebant obligati, magnum fundamentum constituendo in auctoritate Rotæ *dec. 156. par. 5. rec.* ubi firmatur, quod fidejussores ejus, qui susceptus fuerat in banco tanquam inferior minister, qui vulgo *juvenis* dicitur, non tenentur pro eodem, qui ad munus Capserii, vel alterius majoris administrationis assumptus esset.

6 Et tertio fortius, quod cum officium Ratiocinatoris consisteret in suæ professionis peritia, hinc prorsus improbabile esse dicebant, ut ejus culpæ adscribendum esset non advertere, an assensus Regius in ea forma concessus suffragaretur necne, cum id, utpote proveniens ex legibus particularibus illius Regni, neque innotesceret primariis Advocatis, ac peritissimis J. C. Urbis, multo minus Ratiocinatori nullam juris peritiam habenti, & qui non erat Montis consultor, sed minister Ratiociniorum, & clarius, quia neque ipse assensus in Monte exhibitus fuerat, sed solum data fides Notarii rogati, attestantis quod in ejus actis ex parte debitoris, Regius assensus fuerat exhibitus.

7 Duo priora fundamenta, vere nullam subsistentiam habebant; quatenus enim pertinet ad primum, scribens Ego pro Monte Pietatis, excusabiles quidem dicebam Scribentes in contrarium in jure communi peritissimos, illius tamen Regni leges, ac stylos particulares (in hac præsertim feudali materia) non callentes, quoniam ibi ex Constitutione incipiente, *Constitutionem Divæ memoriæ*, extra omnem controversiam est, ut ea vera, & propria feuda, quæ ibi quaternata dicuntur, nullatenus alienari, vel obligari valeant, seu quodcumque jus reale in eis imprimi possit absque Regio assensu, in ea forma, quæ ibi dicitur Regiæ Cancellariæ, sive agatur de feudo novo, sive de antiquo, non curata qualitate hæreditaria, quæ cum illa sanguinis in eis inest, dum ipsimet principales contrahentes, liberam pœnitendi facultatem haberent, neque aliquod jus in feudi corpore, seu substantia ex privata conventione dicto Regio assensu non vallata acquiri potest, ut plures in sua materia *sub tit. de feud.* cum hæc principia ibi non admittunt principium dubitandi.

8 Quo vero ad alterum motivum, ob etiam obligatio dicti Officialis reintegrandi Montem, seu ejus bancum de damno ex ejus culpa causato, a sola dispositione dicti novi Statuti proveniret, (cujus tamen contrarium verius esse dicebam, quod scilicet id proveniret etiam de natura officii, seu administrationis ex dispositione juris communis, ita clarius per dictum Statutum interpretati) adhuc tamen fidejussorum obligatio istum casum complectebatur; si enim quis fidejubet pro syndicatu Officialis, qui eodem officio durante, in eo delinquat, ob contraventionem novæ legis post officii susceptionem, ac fidejussorum obligationem emanatæ, non per hoc dicendum est, quod fidejussores teneri non debeant, quoniam obligatio facta est in genere pro tota administratione, donec illa duraret.

9 Idque probabam cum dispositione textus *in l. quoties, §. finali, ff. de admin. tutor. ubi Scribentes*, de quibus apud Marin. *resol. 237. libr. 1.* & Rovit. *decis. 5. numer.* 2. & 3. quod scilicet fidejussores tutoris, vel alterius administratoris, non solum tenentur pro administratione bonorum, quæ pupillus habebat de tempore susceptæ administrationis, sed etiam eorum, quæ postea obvenerunt, quoniam ubi agitur de officio, quod percutit tempus futurum, atque habet tractum successivum, fidejussor ad id cogitare debet.

10 Neque ad rem facere dicebam firmata per Rotam *d. dec.* 156. *part. 5. rec.* cum ibi deductis ex claro defectu applicationis, illa enim procedunt in casu, in quo agatur de officio diverso majoris administrationis, pro quo forsan fidejussor se non obligasset, quinimmo etiamsi de eodem prorogato, quoties prorogatio est talis, quod novam provisionem redoleat, ad instar eorum, quæ ad materiam text. *in l. si cum heredes, C. loc.* habentur *sub tit. de loc. disc. 36.* de fidejussore con-

conductoris, non obligati pro reconductione, unde a simili infertur ad hujusmodi obligationes fidejussorias pro Officialibus, vel administratoribus.

21 Major igitur, ac pene tota quæstio fuit super tertio motivo, præsertim in Signatura Gratiæ habita coram Alexandro VII. qui percipere non poterat, quomodo simplici Ratiocinatori hujusmodi culpa imputabilis esset; quamvis enim in decisione Rotali coram Bichio, plene ac docte expendatur articulus, an administrator, qui ejus peritiam, ac operam locavit, teneatur solum de levi, vel etiam de levissima culpa, juxta ea, quæ ad materiam locationis operarum habentur deducta *sub tit. de locato, disc.* 11. Attamen replicatur (& bene) ut id procederet, quando culpa fuisset circa opus, vel ministerium, cui administrator præpositus fuerit, delinquendo circa peritiam, quam locaverat, ex deductis *d. disc.* 11. *de locat.* Secus autem, ubi in re extra ejus peritiam, ac professionem, cum ita potius a casu fortuito id pervenerit, dum cognoscere, an Regius assensus esset in forma valida, juxta illius Regni leges, ac stylos, non pertinet ad Ratiocinatorem.

22 Pro hujusmodi objecto evitando, (quod vere tam in ratione juris scripti, quam in illa juris naturalis valde stringebat) Ego adhibui ratiocinium, seu dilemma, quod dicti Pontificis intellectum captivavit, dicebam siquidem, quod ipse Mons Pietatis tanquam corpus inanimatum est incapax culpæ, quæ in eo dari non potest, sed pernecesse illam dare oportet in ejus administratoribus, quorum duæ sunt species, una est habentium solam administrationem habitualem sine exercitio, quales sunt Provisores, alia vero habentium actualem quales sunt Ratiocinator, & Capserius, quorum primus explere debet partes intellectus potius, quam mechanicas, in bene scilicet inspiciendo, an illi, qui ordines Monti dirigunt, sint creditores necne, & an sint veri, vel falsi juxta casum, de quo *sub tit. de cred. disc.* 68. & 69. Sive an depositi leges, ac vincula demandatæ solutioni obstent, Capserii vero partes sunt potius mechanicæ, circa ipsum factum solutionis pecuniarum, exequendo mandatum ipsius Computistæ, legem sibi præscribentis, an & qualem summam solvere debeat.

23 Cum igitur jam per rem judicatam Rotalem facientem statum, atque in hujusmodi disputationibus præsupponendam, firmatum fuerit, quod in depositario adfuerit culpa in restituendo depositum, non bene adimpletis ejus legibus, unde propterea Mons, cum subsequuto effectu, condemnatus fuerat ad reiteratam depositi solutionem de proprio, hinc supponenda est culpa sufficiens ad condemnationem, quæ pernecesse danda est in uno ex dictis duobus Ministris, inter istos autem de natura ministerii, absque dubio culpa cadebat in Ratiocinatore, ad quem de his inquirere pertinet, dum Capserius est Minister nudi facti, ac executor eorum quæ a Ratiocinatore sibi demandantur.

Ideoque dicebam, quod si quæ aderat exorbitantia, illa erant in primis resolutionibus super condemnatione Montis, de quibus meæ non erant partes discurrendi, cum earum tempore ad Curiam adhuc non accessissem, subjungebam tamen Pontifici motivanti, quod grata Mihi pro Monte succumbentia fuisset ex isto motivo, quo mediante reassumendo dictum antiquum punctum, Montis condemnatio retractari potuisset, dum ita loco se reintegrandi de sola summa scutorum 4000. pro qua isti fidejussores se obligaverant, recuperaret integram summam majorem scutorum 15. mill. de proprio solutam, sed firma remanente ista condemnatione, pernecesse id referendum est culpæ ipsius Administratoris, ob cujus officium non bene explicatum ipse Dominus, seu præponens condemnatus fuerat.

24 In proposito autem obligationis administratoris reddendi rationes administrationis, an & quando teneatur de facto, & culpis inferiorum Administratorum, & Officialium, qui administrationi præpositi fuerunt, distinguendo habetur *sub tit. de Regalib. disc.* 86. ubi concordantes.

ANNOT. AD DISC. XV.

AN & quando administratores piorum locorum teneantur de proprio, & de eorum fidejussoribus habetur *hoc eod. titul. disc.* 22. Et conferunt deducta *sub tit. de cred. disc.* 68. & 69. agendo de Depositariis Montis Pietatis.

PISANA
SEU VITERBIEN. FERACCII
PRO MANCINIS, ET BRUGIOTTIS
CUM PLAGIIS.

Casus decisus per Rotam pro Plagiis.

De procuratore, seu mandatario ad negotia, de qua culpa teneatur erga mandantem, & e converso ad quid teneatur mandans mandatario, & cujus sit periculum pecuniarum, & bonorum mandantis existentium penes mandatarium ex eorum furto.

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De actione contraria mandati competente mandatario contra mandantem.*
4 *De qua culpa mandatarius teneatur, & n. 8.*
5 *Mendacium redolet dolum, vel culpam latam.*
6 *Quando mendacium sit excusabile, ut non causet dictum effectum.*
7 *Inter mercatores proceditur de bono, & æquo juxta eorum usum.*
8 *De eadem conclusione, de qua n. 4.*
9 *Quomodo excusetur culpa mandatarii.*
10 *De securitate ementium merces in portubus, & Emporiis.*
11 *De refectione expensarum, & damnorum per mandantem mandatario.*
12 *De alio casu, & an periculum rerum existentium penes mandatarium sit ipsius, vel mandantis.*
13 *Et de periculo contingente in deposito, an sit deponentis, vel depositarii remissive.*

DISC. XVI.

EX commissione data per Mancinos, & Brugiottos ne- 1
gotiatores Viterbii, emerunt in portu Liburnien.
Plagii ibi negotiantes ab altero negotiatore Gallo certam
ferraccii quantitatem, ex illo, quod imminente recuperatione
Status Plumbini, per diversa Emporia traductum
fuerat, juxta seriem, de qua *sub tit. de feud. disc.* 58.
Cumque, ut *eod. disc.* 58. *in fin.* advertitur, sequuta dicti
Status recuperatione, Princeps Nicolaus Ludovisius ejus
Dominus, dictum ferraccium exoneratum ad littus maris
prope Urbem in loco per mandantes destinato, tanquam
proprium de facto vindicasset, hinc orta est controversia 2
inter dictos mandantes, & mandatarium, cujus damno
id cedere deberet, atque a Gubernatore Viterbii in prima
instantia, ad mandatarii favorem prodiit sententia, in secunda
instantia revocata per A. C. introducta vero per
appellationem causa in Rota coram Priolo, sub die 27.
Martii 1656. pro confirmatione primæ sententiæ responsum
fuit, ut scilicet mandantes non solum tenerentur reficere
mandatario pecuniam in emptione, ac transmissione
dictæ mercis erogatam, sed etiam quascumque expensas
litis, aliaque damna, & interesse, ex deductis in decisione
desuper edita, quæ habetur *impress. decis.* 557. *par.*
12. *rec.* Deindeque coram Taja subrogato alia prodiit resolutio
20. Julii 1660. super expensarum refectione, ad
quam tota controversia inter dictos mandantes, seu mandatarios
restringebatur, stante quod (Me consulente) dictus
Princeps Ludovisius ferraccium, vel ejus pretium restituit,
ut *disc.* 58. *de feud. in fin.* advertitur. 3

In his disputationibus habitis, tam coram A. C. quam in Rota, præsupposito quod in mandatarios servantes fines mandati in emendo, & transmittendo dictam mercem, culpa non dignosceretur, nulla cadebat quæstio super competentia actionis contrariæ mandati contra mandantem ad totum id quod interest, juxta text. express. *in l. si vero, §. si Mihi mandaveris, & l. si mandato meo, ff. mandati, l. & in contraria, ff. de usuris*, cum concordantibus, de quibus in causæ decisione, cum sit principium certum.

Quare punctus quæstionis consistebat in culpa prætensa 4
per mandantes ex eo, quod mandatarius in quibusdam litteris responsivis ipsos mandantes certiorasset, quod emendi occasio adesset ferraccium, quod extrahitur ab Insula Ilvæ, quam enunciavit M. Ducis Hetruriæ, ita enim Ego Scribens

more Advocati pro mandantibus, dicebam adesse culpam nedum levem, de qua etiam mandatarius tenetur, quinimmo, juxta unam opinionem etiam de levissima, ex deductis *sub tit. de Regalib. disc.* 117. *in fin.* & per Harpreſt. *in §. is, qui, institut. de mandato, n.* 21. *& seqq.* sed etiam latam cum aliqua suspicione doli, & collusionis cum Gallo venditore, dum cum mendacio positivo suppositum fuit esse mercem provenientem a dicto M. Duce, occultata veritate, quod proveniret a Gallis extrahentibus a Statu Plumbini; si enim id specificatum esset, dicebam, quod mandantes verisimiliter prævidissent casum, qui postea contigit, dum dictus Princeps domicilium habebat in Urbe cum ea aucto-
5 ritate, quæ vigere solet in nepotibus Pontificis viventis, posito enim mendacio positivo, quod sit causa mandati, quod alias non esset datum, indubitanter exinde resultare dicitur culpa lata, quæ doli speciem redoleat.

6 Et quamvis in dicta decisione coram Priolo 157. *par.* 12. *rec.* canonizetur quædam debilis responsio, quæ dabatur per Scribentes pro mandatario, quod scilicet dictus M. Dux in genitivo enunciatus, ibi, *dall' Elba di S. A.* staret solum ad demonstrandum dominium Insulæ, in qua adsunt etiam fodinæ dicti Principis, faciendo magnum cumulum auctoritatum super propositione, quod verba prolata in genitivo referuntur ad dominium, de quo particulariter agitur *sub tit. de feudis disc.* 3. Attamen, ut dictum est, nimium debilis responsio erat, tum ob erroneum, ac falsum præsuppositum, circa dictæ Insulæ Illuæ dominium, quod est Principis Plumbini, solumque in ea M. Dux possidet locum, qui nuncupatur Portus Ferrarius ex venditione, seu datione in solutum a quodam antiquo Principe Plumbini sibi facta, tum etiam, quia cum idem M. Dux haberet ædificia, sub Magonæ vocabolo explicari solita, pluries enunciata præsertim *sub tit. de Regal. d. disc.* 117. in quibus magna quantitas ferracii laboratur, idque mandantibus huic ferri negotio incumbentibus bene innotesceret, idcirco dicebam,
7 quod dicta responsio continebat insipiduram manifestam, quoniam negotiatores non vacant historiis, ac polyticis eruditionibus, seu Principatuum confiniis, ac dominiis, sed attendunt id, quod concernit mercimonium, ideoque prodiit recepta propositio, quod inter mercatores, & negotiatores non attenduntur juris apices, sed proceditur de bono, & æquo, eorumque verba non attenduntur in legalibus, vel grammaticalibus significationibus, sed eo modo, quo illa in usu sunt apud negotiantes, ipsique intelligunt, ex deductis apud Gregor. *dec.* 126. Buratt. *dec.* 419. *dec.* 199. *par.* 10. *rec. n.* 7. *& seqq. & frequenter.*

8 Adhuc tamen (reflectendo ad veritatem partibus pro stylo ab initio libere insinuatam) resolutio Rotæ placuit, atque probabilis visa est, quoniam cum ageretur de mandato in solam gratiam mandantis, alia non intrat culpa, nisi lata, atque ad summum rigorem, juxta unam sententiam, levis ad text. *in l. ita, §. quod si, ff. mandati*, cum concordantibus apud Paris. *cons.* 47. *n.* 22. *lib.* 1. Medices *de casibus fortuitis, par.* 2. *q.* 12. *n.* 12. & admittunt cæteri allegati apud Harpreſt. ubi supra agentes de ista conclusione, de qua scilicet culpa mandatarius teneretur.

9 Nulla vero culpa in hac facti specie considerabilis videbatur, nec quidem levissima, tum quia mandantes in dictis litteris responsivis, seu certioratoriis ingenue diserunt, quod merces essent penes quendam Gallum, ideoque ponderabam, quod non poterant mandantes imputare mandatariis, cur non cogitassent ad casum, cum ad istum magis cogitare debuissent ipsi mandantes morantes in loco, ubi aderat dictus Princeps in statu auctoritativo, tum etiam, quia probabiliter idem Gallus venditor ipsi mandatario asserere potuit, quod ferracium esset de illo Magone M. Ducis ad venditionem facilitandam, unde propterea ipsius fidem sequendo ita scripserit.

10 Et clarius, quia negotiatores in dicto Liburniensi portu commorantes, nullo modo ad casum cogitare potuerant; quicquid enim tenere soleat Curia Romana inhærendo quibusdam juris rigoribus, qui vere incongrui sunt in hujusmodi negotiis mercantilibus, apud mercatores tamen ubique, potissimum vero, ac præ ceteris in dicto portu Liburniensi, certa & constantissima habetur opinio, super portuum libertate, quodque in eis merces ementes omnino tuti sint. Fabulosa vero reputatur conclusio deducta ex textu *in l. incivilem, C. de furtis*, ex iis, quæ habentur deducta in hac materia emptionis mercium in portu *sub tit. de Regalib. disc.* 129. ideoque nec quidem immaginabilem culpam in hujusmodi mandatario cadere posse videbatur, & consequenter de plano intrabat dicta actio contraria mandati, quodque periculum casus, qui postea contigit, tanquam sequela dominii, mandantium, non autem mandatarii esse debuerit.

Notabilis autem est hujus causæ secunda decisio 5. Julii 11
1660. coram Taja, in materia refectionis expensarum, ut etiam advertitur *d. disc.* 58. *de feudis in fine*, ac etiam in sua materia *sub tit. de judiciis*, quod scilicet, quamvis regulariter expensarum refectio non fiat, nisi de illis judicialibus, quas in Curia practici, *vivas*, appellant, non autem de extrajudicialibus, quas dicunt, *mortuas*, ut sunt illæ Advocatorum, Procuratorum, Sollisitatorum, & Copistarum, ac similes, attamen id procedit circa eam refectionem, quæ per succumbentem, vel in pœnam temerariæ litis, vel ob condemnationem in Curia generaliter de stylo fieri solitam facienda est, non autem, ubi agitur de illa refectione, quæ venit sub obligatione damnorum, & interesse, quoniam tunc omnes quomodocumque passu veniunt, solumque attenditur naturalis veritas, & in quo de facto ille damnificatus fuerit, ut praxis frequens docet in refectionibus faciendis per attentantes, seu violentos spoliatores, ac similes, in quibus cadat obligatio refectionis damnorum, & interesse, sub quorum genere omnes indefinite veniunt, ex deductis in hujus causæ decisione, & in dicta sua materia *sub tit. de judiciis, & sub tit. de credit. disc.* 147.

In proposito autem periculi casus, & an mandantis, vel 12
mandatarii damno cedere debeat, in alia facti contingentia, cum quidam Magnates in Civitate Neapolitana pro explicatione negotii in Curia, ad ejus, seu vassallorum favorem, quandam pecuniæ quantitatem tradidisset probato Sacerdoti Oratorii Santi Philippi ejusdem Civitatis, ut eam transmitteret alicui probo, ac diligenti correspondali, qui in Urbe eam conservaret, non consignandam Sollicitatori, seu Notario, nisi post bene explicatum negotium, (idque ob frequentes truffarum contingentias, quas in alias probatissima Curia praxis docet in ejus fæce) unde propterea eam transmisit alteri probato, ac integerrimo Sacerdoti Oratorii Urbis, qui quarundam pecuniarum, quas in particulari sacculo in arca retinebat, furtum passus fuit, hinc exorta desuper extrajudiciali dubitatione, cujus damno iste casus cedere deberet, atque desuper pro veritate concordiret consultus, respondi, quod sine dubio deberet cedere damno Domini pecuniæ, ac mandantis, non autem mandatarii, cum ageretur de mandato in solam ejus gratiam, ideoque mandatarius nonnisi dolum, vel ad summum latam culpam præstare tenetur, cum tamen in hac facti specie, neque levis, immo levissima concurreret, sed fuisset purus casus, ex iis, quæ plene firmantur per Decium *cons.* 473. & Grat. *cons.* 94. *&* 95. cum aliis per Add. ad Dec. *ubi sup.* & per Magrett. *dec. Sicil.* 6.° *post observantias ad pragmaticas, n.* 15. *& seqq.* de custode pecuniarum, ut teneri non debeat de casu, & conferunt quæ habentur *sub tit. de credito disc.* 68.

Tunc autem dicebam, quod difficultas desuper cadere 13
potuisset, quando ista pecunia commixta fuisset cum altera ipsius mandatarii, cum tunc regulæ generales ipsi adversarentur, & tamen iste summus rigor moderationem mereretur juxta ea, quæ in proposito casus contingentis in deposito, an cedere deberet damno deponentis, vel depositarii, habentur *d. disc.* 68. *sub tit. de credito*, atque credo quod Partes responso acquieverint.

S U M M A R I U M.

1 *De qua culpa teneatur mandatarius?*
2 *De periculo rerum existentium penes mandatarium.*

ANNOT. AD DISC. XVI.

De qua culpa teneatur mandatarius *sub tit. de locat.* 1
disc. 15. *& seqq. tit. de credit. disc.* 18. *de Regalib. disc.* 117. *sub tit. de camb. disc.* 1. *&* 26.

Et de periculo rerum existentium penes mandatarium, 2
conferunt notata *ad disc.* 6. *de emptione, & venditione*, ubi loca concordantia.

RO.

ROMANA REDDITIONIS RATIONUM PRO CATERINA DE VICTORIIS CUM FRANCISCO LEONELLO.

Casus disputatus in Rota, resolutus ut infra.

De socio administratore negotii socialis, ad quid teneatur, & quando rationes per eum dicantur bene redditæ necne, & an redditio fieri possit etiam sine libris, istorumque omissio quid causet, & de conclusione, quod administrator ante redditas rationes non dicatur debitor, vel creditor, quomodo procedat?

S U M M A R I U M.

1 *FActi series.*
2 *Periti solent discordare, ac referre ad partium eos eligentium opportunitatem.*
3 *Quod rationes possint reddi etiam sine libris.*
4 *Administrator ante redditas rationes, non potest dici debitor, neque creditor.*
5 *Declaratur conclusio, de qua n. 3. quomodo procedat, ac intelligenda sit.*
6 *Tutor non conficiens inventarium, & librum, præsumitur in dolo.*
7 *Idem in socio administratore non conficiente librum.*
8 *Quomodo deficiente libro administrator supplere debeat.*
9 *Declaratur conclusio, de qua nu. 4. & quando ad certam summam acceptam possit condemnari.*
10 *An & quando mulieri administratrici retardetur restitutio dotis ob non redditas rationes administrationis?*

D I S C. XVII.

1 POstquam inter Catherinam filiam, & hæredem Petri Pauli, & Leonellum diu litigatum fuit coram A. C. & in Rota, tam super redditione rationum negotii socialis per Leonellum administrati, quam super validitate transactionis, quæ inita fuerat, cum præsupposito cujusdem erronei calculi, unde propterea super transactionis invaliditate plures prodierunt decisiones Rotæ coram Cerro, sub diebus 15. Martii 1658. 24. Novembris 1659. & 30. Januarii 1662. quarum prima est *impress. decis.* 321. *part.* 12. *rec.* Leonellus, vel ejus hæres dicti negotii administratus, & consequenter obligatus reddere rationes, istud onus ex integro assumpsit, unde propterea in eadem Rota coram Rondinino datum fuit dubium, an constaret de sufficienti redditione rationum, vel potius procedendum esset ad executionem pro scutis sex mille in sorte per Petrum Paulum ei datis, ac positis in negotio sociali.

2 Scribentes pro Leonello reo convento, quoad primam dubii partem, principaliter insistebant super aliquibus peritorum relationibus invicem discordantibus, ut frequenter, ac pene semper contingit (cum hujusmodi peritorum principale institutum esse videatur, studere favori partium, quæ eos respective eligunt) ita singulariter examinando partitas dati, & accepti in eisdem relationibus contentas, quales scilicet essent admittendæ necne, quasi quod ad eas tota rationum redditio restringeretur.

3 Neque obstare dicebant defectum librorum, quoniam (quicquid DD. varieverint) in Rota, & Curia magis recepta est opinio, ut rationes reddi possint etiam sine libris, ex deductis apud Gregor. & Adden. *dec.* 199. *dec.* 165. *nu.* 15. *par.* 12. *rec.* & in Licien. administrationis 23. Junii 1653. coram Cerro, edita in casu, de quo sup. *disc.* 7.

4 Et quoad alteram dubii partem super restitutione dictæ summæ sortis principalis scutorum sex mil. ab eodem administratore habitæ, dicebant, quod frequens, ac recepta conclusio est, ut administrator ante redditas, ac dispunctas rationes non possit dici, nec debitor, nec creditor, cum incertum sit, an unus, vel alter sit remansurus, ex deductis apud Buratt. *dec.* 123. *n.* 6. & 443. *num.* 2. & 880. *in fin. dec.* 228. *n.* 3. & 4. *par.* 11. *rec.* (ubi quod solum competit actio ad factum pro redditione rationum, non autem ad certam summam) & in aliis frequenter.

5 His autem non obstantibus, Scribens Ego pro Catherina actrice, super hoc ultimo dubio, pro ista, in utraque dicti dubii parte responderi debere dicebam, quatenus enim pertinet ad primam partem, non impugnabam dictam propositionem, ut juxta opinionem, quam sequitur Rota, & Curia, etiam sine libris rationes reddi valeant, sed dicebam, quod fallacia erat in applicatione, procedit enim juxta modum, sive ad effectum, de quo supra in Licien. *disc.* 7. ut scilicet, quando de facto administrator non confecerit librum, vel confectum amiserit, non per hoc urgeri debeat ad factum præcisum impossibile, sed possit per alias species probationum administrationis veritatem justificare, atque ita effugere, vel dictam coactionem ad factum, vel juramentum in litem.

Non inde tamen sequitur, ut ipso administratore pro ejus libito dante notulas partitarum dati, & accepti, ad eas disputatio restringi debeat, quænam scilicet admittendæ sint, & quæ non, sed punctus est, ut ipse prematur onere probandi aliunde negativam partitarum accepti, ac lucrorum, quodque vere ad ejus manus aliud non obvenerit, in hoc etenim suffragantur inventarium bene confectum, ac respective liber bene, ac distincte tentus, tam in tutore, quam in alio administratore, ut scilicet tunc præsumptio sibi assistat circa negativæ probationem, nisi per alteram partem aliud probetur, ideoque his deficientibus tota probatio ad eum transfunditur, nam alias melioris conditionis esset iste male agens, quam qui recte suo muneri satisfacit, quoniam iste ab inventario, vel respective libro convinci potest, ille autem posset pro ejus libitu occultare partitas, de quibus convinci non posset.

Adeo ut procedendum videatur cum ea ratione, cui lex innixa est in deferendo alteri parti juramentum in litem, ob malam scilicet præsumptionem, quæ urget contra administratorem, qui in ejus munere ita male egit, ut de tutore non conficiente inventarium, ac librum respective *decis.* 142. coram Celso *decis.* 111. coram Otthobon. *dec.* 126. 359. & 410. *par.* 9. *rec.* & sæpius, ut advertitur in dicta Licien. *disc.* 7. 6

Et in terminis specialibus socii administrantis negotium sociale, ut in dolo, & culpa dicatur, non conficiendo librum bene, ac distincte tentum, juxta bene administrantium usum, plene cæteris relatis firmatur in Romana societatis affictus 30. Martii 1648. coram Arguelles, atque ubi non haberemus auctoritates, id ad evidentiam comprobare videtur ipsa ratio naturalis, humanusque discursus, cum alias lata via fraudibus aperiretur, atque ut dictum est, longe melioris conditionis esset, qui male agit, atque in ejus munere deficit, quam qui bene. 7

Et consequenter, ut ad effectum bonæ redditionis rationis administrator teneatur ad adimplendum per æquipollens id quod neglexit adimplere in specie, seu forma per legem injuncta, & sic, ut ita admissus ad suppletivam probationem per æquipollens, doceat de statu negotii, ac negative majorum lucrorum, & obventionum, eo modo, quo id probari diceretur ex inventario, ac respective libro bene confectis, ac tentis, istumque dicebam videri verum, ac germanum sensum hujus conclusionis, ut rationes etiam sine libris reddi valeant. 8

Quo vero ad alteram dubii partem, non negabam dictam conclusionem, pariter in successu verem, ut administrator ante redditas rationes dici non valeat debitor, vel creditor, ideoque ad certam summam condemnari non valeat, sed ad solum factum redditionis rationum; dicebam tamen id procedere, quando administrator exhibet librum bene tentum, aliasque rationes in ea forma, in qua reddi debent, adeo ut remaneat solum partitarum dispunctio, secus autem, ubi est contumax in reddendo rationes, vel convincitur saltem præsumptive dolosus, & culposus, non conficiendo inventarium, ac respective librum, pro administrationis qualitate, quoniam tunc præsumptio est, quod negotium administratum fuerit potius lucrosum, quam damnosum, quodque propterea sors principalis posita in negotio, ipsique administratori tradita, penes eum salva sit, & consequenter ad certam summam, vel quantitatem in sorte sibi traditam condemnari potest, ut, cæteris relatis, late firmatur per Rotam *decis.* 198. & latius *decis.* 332. *par.* 10. *recent. quarum prima est decis.* 190. post Zacch. *de oblig. camer. & secunda post controvers. contr. decis.* 57. ubi ad satietatem concordantes, atque videtur propositio nimium æqua, & rationabilis, quoniam alias esset confovere delinquentem in delicto, ex quo commodum reportaret, dum medio tempore (quod frequentius esse solet longævum) in quo de redditione rationum agitur, ipse in præjudicium socii, vel alterius innocentis, habebit usum sortis sibi datæ in administrationem, atque dum convincitur de dolo, vel culpa ob non bene explicatas ejus partes, recte admittenda est præsumptio, ut in deterius; quod tamen certam, ac de- 9

term'natam regulam generalem recipere non videtur, sed eam recipit particularem juxta facti qualitatem, singulorumque casuum circumstantias, majorem, vel minorem culpam redolentes, pro Judicis prudenti erbitrio, ex quo pendet inspicere, an probationes, quæ dantur per administratorem, præbeant necne, saltem fumum sufficientem, quod vere nihil in ejus manibus remaneat, vel e contra, ad
10 instar eorum, quæ habentur *sub tit. de dote disc.94.* ad materiam text. *in l. unic. §. exactio, Cod. de rei uxor. action.* quando scilicet mulieri retardanda sit necne restitutio dotis ob non redditas rationes administrationis, cum similibus.

ANNOT. AD DISC. XVII.

QUod redditio rationum reddi valeat etiam sine libris tutelaribus, habemr alibi declaratum *hoc eod. tit. præsertim disc. 6. & 7.* In quorum primo late agitur de puncto, de quo in præsenti *disc. 4. & 9.* quando scilicet administrator ante redditas rationes conveniri valeat.

URBINATEN. SALARII PRO PERIBERTIS CUM MALATESTA LEONELLO.

Casus decisus per Rotam pro Leonello.

An, & quando administrator, vel institor negotii, obtinere debeat salarium, quamvis servitium non præstiterit, ubi per ipsum non steterit. Et quid ubi contingerit a casu citra culpam ejus, cujus bone administrenda erant, & de aliis ad salarii materiam pertinentibus?

SUMMARIUM.

1 *FActi series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De distinctione quando salarium debeatur, etiam si non præstentur operæ.*
4 *Et quando distinctio non intret, sed contra eam salarium debeatur.*
5 *De transmissione salarii pro toto anno incæpto.*
6 *De materia remissionis mercedis, ubi conductor non fruitur re conducta.*
7 *Quid ubi impedimentum provenit sine culpa utriusque.*
8 *Debetur ubi non præstatur facto conductoris.*
9 *De requisitis, ut debeatur salarium pro opere non præstito.*
10 *Suscipiens custodiam Castri, an teneatur si illud transferatur in alium locum.*
11 *An promittens præstare operam in uno loco, teneatur in altero?*
12 *Lectores studiorum unius Civitatis, an teneatur legere in alio loco?*
13 *An leges loquentes de salario, intelligantur de omni specie servitii, vel solum de illo ingenii.*
14 *Quod repugnet naturæ solvere salarium, & non recipere servitium.*
15 *Dantur exempla quando id procedat, & quando non, & in specie de Advocatis.*
16 *& 17. De eodem.*
18 *Quando ratione læsionis intret Judicis officium.*
19 *De materia, ac etiam de ratione, cur materia sit rara in Advocatis Curiæ.*

DISC. XVIII.

1 SUscepto per Peribertum appaltu Thesaurariæ Urbini per novennium, deputatus fuit dicti negotii administrator Leonellus, sub conventione salarii, seu mercedis in annuis scutis 400. quodque dicta administratio sequi deberet in Civitate Forosembronien. Cum ex mandato Superiorum, pro subditorum commoditate, aliisque de causis, oportuisset Thesaurariæ administrationem in Civitatem Pisauri transferre, ad quam dictus Leonellus (nolens patrium domicilium deserere) accedere recusavit, hinc proinde orta est controversia, an illi deberetur salarium pro illis annis, in quibus de facto dictam administrationem in dicta alia Civitate sequutam, non exercuerat, neque servi-
2 tium præstiterat, & introducta causa in Rota coram Zarata, pro dicti salarii præstatione ad favorem administratoris prodiit resolutio sub die 26. Junii 1652. quæ habetur impressa *decis. 286. par. 11. recent. & dec. 40. post Paitell.* ad cujus normam expedita, & commissa causa coram Albergato, ideo resolutum fuit sub die 20. Aprilis 1654. atque in hac tantum ultima disputatione Ego scripsi.

Causæ punctus, quoad ea, quæ sunt juris, de quibus Advocati in Curia solum agunt, consistebat in eo, an operarum locatori deberetur salarium, quamvis operas non præstiterit, quoties per eum non steterit, quominus præstarentur.

In hoc autem dicebam, quod Bartolus (quem cæteri in hac materia Magistrum agnoscunt) *in l. si uno, §. cum quidam, n. 5. ff. locati, & in l. 1. §. divus, n. 2. de variis, & extraordin. cognitionibus*, quoties agitur de salario debito ex conventione, ita distinguit, quod aut operæ non præstantur ob factum conductoris operarum, vel etiam ob casum, qui in ejus persona contingat, & tunc illud debeatur, & in his terminis procedunt text. *in leg. qui operas, & l. sed addes, §. cum quidem, ff. locati*, cum concord. pro locatore operarum facientibus. 3

Aut non præstantur ob factum ipsius locatoris, & tunc non solum illud non debetur, sed locator tenetur conductori ad damna, & interesse, aut vero id non sequitur ex casu in persona ipsius locatoris contingente, & non debeatur, nisi ad ratam operarum præstitarum.

Et quamvis Gloss. & Azzo. in hac ultima parte distinctionis, contrarium sentire videantur, attamen communi DD. sensu reprobantur, dictaque distinctio recepta est, ut communiter DD. *in eadem l. si uno, §. cum quidam*, ubi præsertim Castrens. & Salycet. qui *n. 8.* advertit iniquum videri, ut conductor absque ejus culpa, conducto servitio careat, eique salarium solvet, quamvis nulla adesset culpa locatoris, quoniam id recte procedit in eo salario, quod potius honoris causa, quam ex conventione, ac mere correspective ad servitium ex dispositione legis, vel hominis debitum est, ut exemplificari solet in salario Lectorum, ac Professorum in remunerationem virtutis, ac partus ingenii magis, quam operarum; ista enim salarii species non data contraria conventione, vel consuetudine, pro anno solum incœpto in totum transmittitur, juxta doctrinam Bartol. *in dicta l. 1. §. Divus*, & cæteris relatis firmant Cephal. *cons. 70. & 71.* Maranta *cons. 59.* ubi de Medico, in quo tamen contrarium habetur apud Capyc. *decis. 27. n. 21.* Et de Advocato, Rota apud Duran. *decis. 53 n. 4.* cum concordant. per Zacc. *de salar. quæst. 21.* licet consuetudo, vel conventio nimium raras reddat has quæstiones. 4 5

Ad quod comprobandum ponderabam distinctionem pluries deductam in sua materia *sub tit. de locato*, ac etiam pluries *sub tit. de Regal. ad materiam vectigalium*; occasione quæstionum super defalchis, ut scilicet, ubi damnum conductoris contingat ex culpa, vel facto voluntario locatoris, tunc non solum debeatur pensio, sed teneatur locator ad interesse, ubi vero sine culpa, non debeatur pensio, cum aliis ibi deductis ad rem facientibus. 6

Observabam tamen, quod ultra dictos ita distinctos casus, alter etiam remaneret, in quo neque ex pacto locatoris neque ex illo conductoris, minusque a casu, sed a facto tertii circa ipsam rem contingat cessatio occasionis præstandi conventas operas, sive ex deficiente substantia rei, circa quam præstari debebant, & tunc, aut factum tertii est justum, & conductor non tenetur, aut injustum, originatum tamen culpa ipsius locatoris, & idem; aut e converso culpa conductoris, & tenetur, juxta eandem distinctionem, de qua habetur in dicta materia locationis, & defalchi, deducta ex textu *in l. item quæritur, §. exercitu, & l. si merces, §. culpæ, ff. locati*, ut bene ex mente Bart. advertit Castrensis *in d. leg. sed addes, §. cum quidam n. 3.* quem cæteri communiter sequuntur. 7

Ista igitur theorica ita constituta, quatenus pertinet ad applicationem, dici non poterat, quod operæ non fuissent præstitæ culpa, & facto voluntario conductoris (quo casu admittebam debitum esse salarium, juxta *dec. 520.* Cavaler.) Minusque ob casum, qui in ejusdem conductoris persone contigerit, sive in persona locatoris, ideoque unum de duobus dicendum erat, vel quod præstita non sint facto voluntario ipsius locatoris, vel saltem e casu sequuto e facto tertii circa ipsam rem, & consequenter verificari non dicitur dispositio textus *in d. l. qui operas, & leg. sed addes, §. final.* cum ad hunc effectum duo copulative requirantur, primo scilicet, quod non steterit per locatorem, quo minus præstaret, & secundo, quod steterit per conductorem, quo minus reciperet, secus ubi casu, vel facto tertii, ut satis bene Castrens. *in d. §. item cum quidam num. 4.* 8 9

Hinc

10 Hinc proinde Alberic. *in l. si usufructus Civitati*, *ff. quib. mod. usufr. amitt.* firmat, quod si quis suscepit custodiam Castri in certo loco, illudque postea dirutum in alio loco reædificatum sit, quod durat obligatio custodis, saltem ad effectum, ut actionem habeat petendi mercedem circa custodiam Castri novi, ut firmat etiam confusissimus Caroc. *de locato, tit. de oblig. q. 5. in fine*.

11 Atque hinc (etiam in aliquo sensu veritatis) dicebam non obstare, quod præfatus administrator promiserit ejus operam præstare in Civitate Forosempronien. ideoque non teneretur præstare alibi, ad tex. *in l. 1. & l. is, qui, ff. de eo, quod certo loco*, cum concord. ap. Caroc. *d. q. 5. de oblig. nu. 6. & in prima hujus causæ decisione*, quoniam id ad duplicem effectum considerari posset, vel sc. ut locator operarum præcise cogi non valeat teneri ad damna, & interesse, ut teneri deberet quando ex facto mere voluntario id recusaret, vel quando ageretur de loco valde remoto, atque copulative intraret ratio honoris magis, quam laboris, ut in Advocatis, ac Professoribus, & similibus contingit, juxta text. *in l. sancimus*, C. *de Advocatis divers. Judicum*, *& l. sed & hæ personæ*, §. *non solum*, *ff. de procurator. ubi gloss. in verb. tribunali*, ad eundem tex. advertit id non procedere, si agatur de loco parum remoto.

12 Ac etiam bene cæteris relatis probatur ap. Dec. *cons. 70. n. 1.* quod Lectores sub certa mercede conducti ad legendum Pisis, intelliguntur etiam conducti ad legendum in loco, in quo ob impedimenta dictæ Civitatis, studium tenetur fuis, quoniam mens partium principaliter directa est ad studium, non autem ad locum, cujus expressio, ratione forte majoris commoditatis conductoris operari poterit, ut dictum est, unam de duobus, vel quod justam inducat excusationem ab observantia contractus, vel quod actionem producat ad quanti interest, magis in uno loco, quam in altero præstari, quamvis ageretur de Professoribus scientiarum, in quibus merces dicatur potius honoris, quam salarium laboris, multo magis in præsenti, in quo videbatur esse potius in casu converso.

13 Et quamvis in dictis decisionibus, præsertim secunda dicatur verius videri, ut tex. *in dict. l. sed addes*, §. *idem cum quidam*, *& l. qui operas*, *ff. locati*, *& leg. diem functo*, *ff. de offic. assessoris*, generaliter procedant in quocumque locatore operarum, juxta opinionem Alberici, Jasonis, Alexandri, & Salyceti, cum aliis ap. Dec. *d. cons.* 70. Galeot. *lib. 2. contr. 69. n.* 10. Cavaler. *d. decis.* 520. *dec.* 839. *p. 4. divers.* Attamen id recipiendum venit, retenta tamen dicta distinctione, atque spectata magis substantia verisimilis voluntatis, quam formalis verborum, vel aliquibus leguleicis rigoribus.

14 Naturali etenim æquitati, ac rationi, communique usui nimium adversari videtur, ut ille, qui pro certi negotii administratione Ministrum conduxit, specificato loco, potius demonstrando destinationem ab eo factam, quam cum præcisa taxativa, cogi debeat, carere, ut dicitur, re & pretio, quinimmo pejus, quia cogeretur duplicatum salarium solvere, primo sc. Ministro remanenti otioso, & alteri, quem pernecesse conductum habere oportet pro negotii administratione, quæ principaliter in contractum deducta est, atque in mente contrahentium habita, locus autem potius accessorie, sive præsuppositive, vel ratione soliti, vel ratione destinationis, quodque propterea istius expressio, nonnisi unum de dictis effectibus operari deberet, quia nempe locator operarum dicere posset se locaturum non fuisse extra consuetum domicilium, quod continuare expediat pro aliorum suorum bonorum administratione, vel pro ejus valetudine, vel ob majorem incommoditatem non fuisse tanti, sed magis locaturum, & sic, vel ad effectum excusationis, vel ad alterum suppletionis ejus, quod interest magis in uno, quam in altero loco administrationem sequi; & nullatenus autem, ut continuando in patria eodem modo quo prius, atque in libertate vacandi aliis negotiis, & industriis, ac etiam non sentiendo incommoda, non solum personalia circa regimen negotii, quæ totum forte occupatum tenere deberent, sed etiam circa Officialium hospitationes, aliaque onera, & incommoda administrationi annexa, consequi debeat integram mercedem, cum lucro positivo, ex jactura alterius, qui pernecesse aliam mercedem solvere cogatur, id enim in mentem cadere non posse videtur, ideoque istæ resolutiones non captivabant intellectum.

15 Dabam in hoc practicum exemplum, etiam in terminis fortioribus scientifici Professoris locantis operas ingenii, ac virtutis, in quibus conventa merces, potius honoris, quam salarii, seu pretii laboris gratia præstari dicitur, si enim quis in genere conducat Advocatum, vel Medicum pro annua mercede omnium litium, vel curationum respective, debetur conventa merces, quamvis casus præbuerit, ut eo tempore nullæ lites habitæ fuerint, nullaque infirmitas contigerit, quoniam sufficit, ut non steterit per Advocatum, vel Medicum, quominus contingente casu præstaret, unde propterea videtur conventio incertæ aleæ, cujus eventus æque poterat se habere ad lucrum, ac damnum respective, quoniam tot lites, vel infirmitates contingere potuissent, ut merces minima remaneret, potiusque damnum Advocato, vel Medico inferret, quia valde occupatum detinerent, & in his terminis procedunt ea, quæ in hoc proposito, cæteris relatis, habentur *d. dec.* 53. Duran. *dec.* 839. *p. 4. divers.* Rovit. *pragmat.* 2. *de postulan. nu.* 9. Add. ad Buratt. *decis.* 79. *n.* 12. Zacch. *ubi sup.*

Sed si conducatur Advocatus pro defensione certæ, ac 16
specialis causæ pro certa mercede usque ad omnimodam terminationem, cum præsupposito, quod in certo loco, vel Tribunali tractanda esset, utpote ibi destinata, vel introducta, postmodum vero ex mandato Superiorum sine facto voluntario conducentis operas, causa avocetur ab eo Tribunali, atque ad aliud remittatur, tunc poterit quidem Advocatus dicere, quod ejus obligatio cessabit tanquam ex cessante præsupposito, ideoque non tenetur proprium domicilium deserere, atque extra illud alio accedere pro defensione causæ, non tamen dicendum erit, quod ille litigans, cui ita incumbit necessitas alium Advocatum in loco litis assumere, cogendus veniat huic etiam conventam mercedem continuare, ita pariter de Medico, si ille, qui credebat certæ infirmitatis curam facere in uno loco, ex aeris insalubritate, vel alio casu, citra mere voluntarium factum, cogatur in alio loco moram facere, ibique alium Medicum assumere.

Ad summum etenim, ea quæ favore hujusmodi loca- 17
torum operarum, magis ingenii, quam laborum, in jure habentur pro integræ conventæ mercedis assequutione, percutiunt casum, in quo deficiat præstationis operarum occasio ex ipsius subjecti deficientia, quia nempe lis concordetur, sive facto Principis, aut majoris Magistratus de facto terminetur, aut quod infirmus decedat, &c. Et nihilominus etiam his casibus præclusum non videtur Judicis officium super mercedis moderatione, quando ex facti circumstantiis constet, ut intret ratio deficientis verisimilis voluntatis ex deficiente præsupposito, vel altera ratio reductionis contractus ad justitiam, seu æquitatem, 18
quando contingentia detegeret illum ita remanere valde injustum, ac læsivum, ex iis, quæ generaliter habentur, cæteris relatis, ap. Thesaur. *dec.* 226. Capyc. Latr. *dec.* 18. ibique Adden. & habetur pluries *sub tit. de alienat. & contract.* ac etiam sub altero *de emptione, & venditione* ad materiam læsionis, *& sub tit. de decimis ad materiam cap. suggestum*, *eod. tit. & alibi*.

Ista vero salarii materia in Curia apud Advocatos ni- 19
mium rara, & forte nulla est, cum solum de illa tractari contingat ad instantiam pedestrium, ac inferiorum famulorum, vel operariorum coram quodam pedaneo executivo Judice, coram quo Advocatorum opere non adhibetur, nimiumque raro Rota, vel alia Tribunalia audiunt quæstiones super mercede, vel salario Advocatorum, vel Procuratorum, cum id apud classicos pessime oleat, atque de facto redolere videatur in qualificatis Professoribus quandam speciem indignitatis, ut advertitur *sub tit. de judiciis, & pravi*, occasione agendi de mercede Causidicorum, ultra quod super hac materia integrum elaboratum tractatum edidit modernus Zacchia, qui fere omnia ad eam pertinentia collegit.

ANNOT. AD DISC. XVIII.

DE hac materia salarii videri poterunt deducta *sub tit. de cred. disc. 61. & præsertim dec. in eo casu prodita, & in eodem tit. disc.* 158. in quo agitur de concursu plurium creditorum ex eadem causa, præsertim Advocatorum, Procuratorum, & Copistarum, de quorum mercede, & honorario. agitur in Relatione Curiæ *disc.* 46. Atque ad eandem materiam mercedis insinuantur aliqua *hoc eod. tit. disc. 20. n. fin. decisio autem in disc. enunciata est inter illas* Zarat. *dec.* 14.

ROMANA PECUNIARIA PRO MICHAELE ANGELO VINCENTINO, CUM ÆMILIA CLAUDIA A VALLE.

Casus varie decisus per Rotam.

An facultas substituendi data procuratori ad lites, & negotia, intelligenda veniat generaliter, ac indefinite ad utrumque, vel potius ad lites tantum, ubi in eodem Capitulo, in quo agitur de litibus, vel immediate postea, dicta facultas attributa sit, & de differentia inter mandatum ad lites, & alterum ad negotia?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De actione in rem verso remissive.*
4 *Clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia.*
5 *Fallit ubi sunt plura capitula distincta.*
6 *Item ubi stat dependenter ab una parte.*
7 *Sive ubi concurrit diversitas rationis, vel inverisimilitudo.*
8 *Ea quæ uni commissa sunt ob industriam personæ, alteri non subdelegantur.*
9 *Circa quæ potestas substituendi data censeatur.*
10 *Facultas substituendi non est exercibilis in genere quoad omnia.*
11 *Quod attendi debeat substantia veritatis.*
12 *Quomodo, & quibus generale mandatum ad negotia dari soleat.*
13 *Verisimile, vel inverisimile attenditur, & de argumentis inverisimilitudinis.*
14 *Quod declarationi mandantis deferendum sit in casu ambiguo.*
15 *De mandato præsumpto.*
16 *Quomodo istæ quæstiones decidendæ sint.*

D I S C. XIX.

1 JUxta facti seriem recensitam etiam in hac eadem causa *sub tit. de cred. disc. 72.* Cum Michael Angelus provisus de Ecclesia Hyeracen. discessurus esset ad residentiam, amplum, ac generale mandatum reliquit Margaritæ fratris uxori, ad omnia ejus negotia explicanda, per plura capitula distincte enarrata, in quorum uno specialiter agebatur de facultate accipiendi quascumque pecuniarum summas ad censum, & cambium; in ultimo autem capitulo (juxta stylum) continebatur generalis facultas, etiam ad lites, atque in isto, vel immediate post adjecta etiam potestas substituendi unum, vel plures, &c. Cumque occasione peragendi quædam acta judicialia, dicta procuratrix substituisset Dominicum Notarium, qui munus agentis præfati Episcopi in Curia peragebat, isteque mutuam pecuniam sub cambiis ab Æmilia accepisset ad effectum solvendi pensiones a dicto Episcopo debitas, hinc eodem Dominico defecto, orta est quæstio inter dictam Æ-
2 miliam, & Episcopum, atque post sententiam A. C. ad actricis favorem latam, introducta causa in Rota cor. Bevilaqua, ejusdem actricis favore duæ prodierunt resolutiones, sub diebus 24. Aprilis 1662. & 22. Junii 1663. a quibus tamen in repropositione cor. eod. recessum fuit, sub diebus 16. Junii 1664. & 15. Januarii 1669. atque ad istarum normam prodiit sententia absolutoria.

3 In disputationibus autem desuper habitis, de duobus actum fuit, primo sc. an actrici competeret actio de in rem verso, & de hoc agitur *d. disc. 72. sub tit. de cred.* Et secundo, an præfatus Dominicus haberet sufficiens mandatum, cujus ratione actio contra mandantem competeret ei, qui mandatario credidit, idque pendebat a puncto, an dicta substituendi facultas, ad cujus normam simpliciter substitutio facta erat, intelligenda esset indefinite quoad omnia præfatæ Margaritæ demandata, vel potius ad lites tantum, cum posito uno, vel respective altero antecedenti, planum esset consequens, ad unius, vel respective alterius favorem.

In hoc autem per Scribentes hinc inde, juxta frequentiorem leguleicam insipiduram, principaliter insistebatur in formalitate verborum, & clausularum, sive in localitate dictæ facultatis, siquidem Scribentes pro actrice fundamentum constituebant in regula generali, cum qua præsertim in prima decisione proceditur, quod clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia, ex congestis per 4
Decian. *cons. 70. n. 19. & seq. l. 3.* Barbos. *claus. 70.* Rota apud Mant. *dec. 52. n. 2. & dec. 505. n. 9. p. 1. rec.* & sæpissime in aliis.

E converso autem Ego & cæteri Scribentes pro reo 5
convento, insistebamus in tribus hujus regulæ limitationibus, primo sc. ubi dispositio concepta est per plura capitula separata, quorum quodlibet perfectam, ac separatam orationem contineat, cum tunc clausula apposita in fine unius capituli, referatur tantum ad omnia contenta in eo capitulo, non autem ad alia contenta in capitulis præcedentibus, ut late Gabr. *sub tit. de claus. concl. 9. nu. 8. & 12. cum seqq.* Penia *dec. 231. & 240.* juxta Venetam, alias *dec. 294. & 308.* juxta impress. Lugdunen.

Secundo, ubi clausula in fine posita non stat principa- 6
liter, & de per se independenter ab omnibus capitulis, sed accessorie, & consecutive ad unum ex eis, tunc ad illud tantum, non autem ad cætera omnia refertur, Mart. *concl. 23. n. 8. p. 4.* Gabr. *d. concl. 9. n. 21.* Barbos. *dicta claus. 70. n. 19.* atque juxta ordinem scripturæ hic videbatur casus.

Et tertio magis ad rem, ubi inter unam, & alteram spe- 7
ciem, seu unum, vel alterum capitulum, aliqua diversitatis ratio assignari potest, Rot. ap. Peniam *ubi sup.* Barb. *d. claus. 70. n. 5.* Gabr. *concl. 9. n. 3. & 18.* Mart. *d. claus. 23. n. 7.* Burat. *dec. 322. n. 8. & seqq.* Ubi *n. 12.* ponderatur fortius id procedere, ubi concurrit verisimilitudo, quod sc. ex verisimili voluntate facientis id, quod fieri dicitur, non ad omnia, sed ad aliquam dispositionis partem referatur, quod frequenter per DD. ponderatum habetur in materia fideicommissorum, & ultimarum voluntatum.

Et hæc præsertim ultima limitatio resultans, tam ex di- 8
versitate rationis, quam ex verisimili voluntate mandantis, recte applicabilis videbatur, quoniam in hac parte, in qua agebatur de facultate accipiendi pecunias ad censum, vel cambium, seu aliud interesse, illa videbatur concepta per verba personalia denotantia arbitrium dictæ Margaritæ, ibi, *quascumque pecuniarum summas d. Procuratrici bene visas, quoties eidem Procuratrici videbitur*, ea vero, quæ unius arbitrio, vel conscientia remissa sunt, alteri subdelegari non possunt, ad text. *in c. 15. cui, de offic. & potest. Judic. delegat. in 6.*

Et in terminis specialibus procuratoris non substituentis 9
in iis, in quibus electa est industria personæ, seu in iis, quæ arbitrio, vel conscientiæ commissa sunt, quamvis substituendi facultas data esset, quoniam intelligitur in iis, quæ sunt compatibilia, Salycet. *in l. quod quis, C. de procurat.* Jas. *ibid. n. 3. & 4.* & cæteri tam ibi, quam alibi, de quibus Treutac. *lib. 1. var. resol. tit. de procur. resol. 3. n. 29.* & qui (quantum ista occasione videre licuit) omnium latius, ac melius tractat hanc materiam facultatis substituendi tam in judicialibus, quam extrajudicialibus.

Et quod etiam in iis casibus, in quibus procurator ad 10
negotia potestatem habet indefinitam substituendi, id generaliter, ac indeterminate facere non possit ad omnia, (ut in præsenti gestum erat) sed solum intelligatur in aliquibus negotiis particularibus, juxta necessitatem, vel opportunitatem, adeout substitutio ita generaliter facta non valeat, Jas. *in d. l. quod quis, C. de procur. nu. 2. in fine*, Alex. *n. 6.* Salycet. *n. 3.* Treutacinq. *ubi supra, n. 26.* Rocc. *de mandat. seu complement. intab. 79. n. 174. post primum vol. consilior.*

Quamvis autem dictæ limitationes veræ sint, atque ad 11
rem applicabiles, adeout agendo etiam de puncto in solis juris terminis generalibus, singula hæc fundamenta sufficerent, multo vero magis ea simul juncta, attamen solidius pro meo judicio videbatur alterum fundamentum deductum ex regula in quibuscumque viventium, ac morientium actibus, sive in omnibus voluntatis quæstionibus perpetuo attendenda, ut non cortex, & figura verborum, sed substantia veritatis, ac verisimilis voluntatis attendi debeat; communis etenim usus, atque humanæ prudentiæ regulæ docent, quod absituri viri Nobiles, & qualificati, quamvis 12
agentes, ac Ministros in Curia deputent, attamen mandatum amplum circa graviora negotia pertractanda, præsertim cum ampla potestate alienandi, vel obligandi, ac indefinite pecunias mutuas in quacumque summa accipiendi, relinquunt conjunctis, vel personis nimium qualificatis, in quibus fiduciam habeant, quod præjudicialia negotia acturi non sint, quodque ubi agerent, ab eis reintegrari possent,

non

non autem hujusmodi agentibus, ac inferioribus Ministris parum idoneis, cum hoc munere dictum vivventibus, quibus forensia, & judicialia solum committuntur, utpote incongrue explicabilia per nobiles, & qualificatos, quibus hæc ampla, & adeo fiduciaria facultas attribuitur, ideoque merito stylus inolevit adjiciendi hanc substituendi facultatem in ea parte, in qua de litibus, ac judicialibus agitur.

13 Accedente etiam nimia inverisimilitudine, quod dicta procuratrix, quæ erat prudens Matrona, atque ob interesse filiorum, principalis interessata in bonis dicti Episcopi, qui erat frater ejus viri, ita indefinite substituere voluerit præfatum Dominicum simplicem Notarium depressæ fortunæ, ideoque intrat vulgatum axioma, quod sicut verisimile imaginem habet veritatis, ita inverisimile imaginem habet falsitatis, potissime autem attenta occasione faciendi dictam substitutionem pro quibusdam actibus judicialibus, pro quibus pernecesse aliquis Causidicus deputandus erat, dum nobilis Matrona id per seipsam explicare non poterat, nulla vero necessitas aderat substituendi pro aliis negotiis, quæ per ipsam præsentem congruentius explicari poterant, ac debebant.

14 Et nihilominus advertebam, ut sufficeret id esse ambiguum, ut deferendum esset declarationi, tam ipsius mandantis, quam etiam dictæ mandatariæ; quæ substitutionem fecerat, ex iis, quæ circa declarationem ambiguæ donationis faciendæ per donatorem habentur plures *sub tit. de donat.* Et in specie declarationis mandati ambigui, Soccin. jun. *consil.* 22. *n.* 21. *lib.* 3. Mantic. *de tacit. lib.* 7. *tit.* 14. *n.* 11. Accedente etiam observantia, quod etiam post dictam substitutionem, pleraque negotia gesserat dicta procuratrix, dictus autem substitutus gesserat solum forensia, seu judicialia, ideoque ista substantia veritatis magis, quam verborum formalitas in hoc proposito attendenda videtur.

15 Difficultatem aliquam solum inferre videbantur ea, quæ, cæteris relatis, habentur apud Dunozett. *decis.* 786. & 888. super mandato præsumpto de facili præsumendo in eo, qui alia negotia mandantis gerere solitus est, verum ea non videbantur urgere, cum non justificaretur in facto, quod huic personæ consimilia negotia accipiendi pecunias ad interesse, seu alios contractus obligatorios faciendi, commissa essent, sed solum injuncta ea, quæ respiciunt munus agentis, tam circa forensia, & judicialia, quam circa pensionum solutiones, super quo solutionis actu mandatum præsumptum intrare posset ad effectum acquirendi possessionem manutenibilem, ex collectis per Pott. *de manuten. observ.* 35. *ex n.* 67. & in sua materia *sub tit. de pensionib.* & in specie *d. disc.* 888. Dunozett. *n.* 7. cum
16 similibus pro facti qualitate, cum vere ista quæstio dicatur potius facti, quam juris, certam, ac determinatam regulam generalem non recipiens, sed pro facti qualitate, & circumstantiis decidenda, unde propterea nimis clarus error est, cum regulis, ac doctrinis generalibus procedere.

ANNOT. AD DISC. XIX.

PRima istarum decisionum est impressa *decis.* 438. *par.* 15. *recent.* Et conferunt ad materiam deducta *sub tit. de Judic. disc.* 6. occasione agendi de Procuratoribus.

ROMANA ŒCONOMIÆ
PRO
CAROLO, ET BERNARDO DE PARENTIIS
CUM MARCH. LUDOVICO A BALNEO.

Casus decisus per Rotam pro Ludovico, & pendet.

An concessio, ac respectiva susceptio Œconomiæ, seu administrationis, importet mandatum, quod sit quandocumque revocabile, vel potius irrevocabilem contractum locationis, & conductionis operarum, & an conventa merces minuenda sit ob diminutionem administrationis?

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *In quo consisteret causæ punctus.*
4 *Mandatum est quandocumque revocabile, etiamsi adsit juramentum.*
5 *Contractus locationis, & conductionis operarum est irrevocabilis.*
6 *Administrator deputatus patrimonio posito sub concursu est irrevocabilis.*
7 *De depositariis montium Baronalium, eorumque munere.*
8 *De definitione mandati, & quod dicatur officium gratuitum, quod accedente mercede corrumpitur.*
9 *Quod præpositi negotiorum cum mercede, non sint veri mandatarii.*
10 *De limitationibus conclusionis, de qua n.* 4.
11 *Eadem conclusio proprie procedit in mandato ad lites, & de ratione.*
12 *De Depositariis, de quibus n.* 7.
13 *Et de Administratore, de quo n.* 6.
14 *An salarium cesset, vel minuatur, cessata, vel diminuta administratione?*

DISC. XX.

INter Cardinalem Nicolaum a Balneo, & Carolum, 1
ac Bernardum fratres de Parentiis, deventum fuit ad conventionem, per quam dicti de Parentiis susceperunt œconomiam, ac administrationem omnium Castrorum, & bonorum stabilium dicti Cardinalis existentium in pluribusque Provinciis valoris, ut supponebatur, scutorum 200. m. ad effectum extinguendi cum eorum fructibus omnia debita scutorum circiter 50. m. cum obligatione præstandi cedulam bancariam pro solutione fructuum quorundam locorum montium, sub conventione mercedis in annuis scutis 300. quæ durare deberet, donec dicta æris alieni extinctio integre sequuta esset. Cum autem ad aliquos annos sequuta esset mors dicti Cardinalis, ac etiam alienatio bonorum Pedeluci pro pretio scutorum 23. m. in extinctionem dicti æris alieni erogato, hinc hæreditatis administratores, seu Marchio Ludovicus hæres prætendere cœperant dictam œconomiam cessasse, illam etiam de facto interdicendo, quare commissa per Signaturam Gratiæ 2
causa A. C. de voto Rotæ, datoque dubio coram Cerro, an contractus esset revocabilis, post plures propositiones absque resolutione, illa sub die 14. Januarii 1669. prodiit affirmativa, atque pendet revisio.

In disputationibus desuper habitis, causa restringebatur 3
ad naturam, seu qualitatem conventionis, an scilicet illa contineret contractum mandati, ut prætendebant Scribentes pro Marchione, seu hæreditate, atque in dicta resolutione Rota credidit, vel potius contineret contractum locationis, & conductionis operarum, ut Ego dicebam, ac verius credebam, posito enim, quod versaremur in primo casu simplicis mandati, seu constitutionis procuratoris ad negotia in gratiam mandantis, atque pro quodam simplici ministerio rem alienam gerendi, Ego admittebam conclusionem per dictos Scribentes deductam, atque in decisione desuper edita firmatam, ut mandatum ad libitum mandantis esset quandocumque revocabile, quamvis accederet juramentum, quod dicitur contractus famulativum, & consequenter operativum eo durante, quemadmodum etenim in mandato, quod non 4
sit in rem propriam, ac principaliter in gratiam mandatarii, sed principaliter in gratiam mandantis, intrat revocatio ipso jure per mortem unius, vel alterius, ita fortius intrare debet revocabilitas per consensum expressum, ne alias plus operetur fictum, quam verum, sive plus tacitum, quam expressum, cum revocatio, quæ resultat a morte, pendeat a cessatione consensus, ut ex his, & aliis fundamentis, rejectis contrarium tenentibus, præsertim Rom. *cons.* 115. *n.* 15. & 16. *lib.* 1. firmant, cæteris relatis, Gloss. *in l. fin. de procurat. in* 6. Felin. *in c. si diligenti, n.* 32. *de Foro compet.* Seraph. *in privil. juram. privil.* 57. *n.* 7. *cum seq.* Galeot. *lib.* 1. *contr.* 60. *n.* 1. & *seqq.* Rot. apud Peniam *dec.* 1294. 1441. & 1510. & *dec.* 253. & 354. *par.* 4. *rec. cum aliis in decisione.*

E converso autem, ubi contineret contractum locatio- 5
nis, & conductionis operarum, ille de sui natura est transitorius etiam ad hæredes, ac etiam est irrevocabilis quoties ad certum, ac determinatum tempus initus sit, ut ultra generalia, quæ ad materiam hujus contractus locationis, & conductionis bonorum habentur in sua materia *sub tit. de locato & conducto.* In his specialibus terminis locationis, & conductionis operarum ad certum tempus, certumque opus cum certo, & determinato salario, habetur actum supra in Urbinaten. Salarii *disc.* 18. ubi fortius, quod neque locus præstationis operarum revocari, seu immutari potest, atque præsupponitur tanquam 6
certum in allegatis auctoritatibus, & decisionibus, ac etiam in ipsamet decisione causæ, & de Administratore de-

putato alicui patrimonio, ut sit hinc inde irrevocabilis, Salgad. *in labyrint. par. 1. c. 15. n. 2. & seqq.* Unde propterea tota quæstio erat super applicatione, aut de una, vel altera specie ageretur.

7 Probabilius autem Mihi videbatur, quod versaremur in contractu locationis, & conductionis operarum, & industriæ, commixto etiam in parte, cum alio assecurationis, ob dictam obligationem præstandi cedulam bancariam pro solutione fructuum locorum montium quolibet bimestri, sive assignamenta essent exacta, sive non, ideoque dicebam, quod vere, ac proprie versaretur in illo contractu, qui in Urbe frequenter celebratur inter Barones debitores montium, & campsores, qui assumunt munus depositarii, quod scilicet, iidem depositarii, qui assumunt sub conventa mercede onus solvendi prompte montistis fructus quolibet bimestri, sive exegerint assignamenta, sive non juxta locorum montium erectionem, ac naturam, (quod tamen ex nimium damnabili Superiorum negligentia incepit esse in abusu) assumunt etiam regimen, & œconomicam administrationem bonorum assignatorum pro dote montis, ex quorum fructibus dictum implementum sequi debet, cum id importet formalem locationem, & conductionem operarum, ac industriæ, admixtam cum assecuratione, seu fidejussione, unde contineat actum hinc inde obligatorium, ac pœnitentiæ exclusivum, non autem simplex mandatum in solam gratiam mandantis quandocumque revocabile.

8 Mandatum enim, sive attendamus definitionem Placentini, sive illam Accursii, quarum utramque expendunt post alios ab eis allegatos Mozzius *de contract. §. mandatum in princip. n. 6. & 7.* Mantic. *de tacit. lib. 7. tit. 2. n. 1. cum duob. seq.* semper dicitur officium gratuitum officii gratia præstandum; unde propterea infertur, quod si accedat conventio super mercede, tunc actus immutet naturam, ac transeat in contractum locationis, & conductionis, ut bene apud eundem præsertim Mozz. a quo totum (ex tacito) mutuasse videtur Mantic. cum fere videatur idem sermo.

9 Quodque hujusmodi contractus vere non contineat mandatum, bene probat Mozz. *d. tit. de mandat. §. fin. in rubr. quomodo annulletur, solvatur, & finiatur mandatum, &c. n. fin. circa finem, vers. & pro complemento, fol. 139.* ubi agendo de præpositis negotiorum dicit, quod videntur similes mandatariis, in aliquibus ab eis tamen differentes, quia mandatarii gratis officium suscipiunt, isti vero negotiorum præpositi, ex conventione suscipiunt negotia pro mercede, unde nascitur contractus locati.

10 Præterea, ubi etiam agitur de mandato, quamvis de istius natura sit, ut per unius, vel alterius mortem, vel consensum dissolvatur, attamen id plures recipit limitationes recensitas per Mozz. *dict. §. fin.* & per Mantic. *dict. lib. 7. tit. 23.* ubi præsertim *n. 40. & seqq.* illam tradit, si mandatum ita factum sit, ut irrevocabiliter perseveret usque ad certum tempus, atque accedentibus stipulatione, & juramento clare admittitur in decisionibus editis in Placentina Salarii coram Penia, & Ubaldo *supra allegata*, in quibus evitatur conclusionis applicatio, vel quia non adsit stipulatio importans irrevocabilitatem, vel & proprius, quia

11 agatur de mandato ad lites exigente summam confidentiam, ideoque non dandum in eo, de quo collitigans amplius non confidat; eosdemque terminos procuratoris ad lites ex dicta ratione percutiunt deducta per Galeot. *dict. contr. 60. lib. 1.* Accedente etiam incapacitate mandatarii obligati ad residentiam, ideoque dictæ decisiones ad rem facere non videbantur, sed potius in hac facti specie, per argumentum probant contrarium.

12 Potissime ubi non solum accedat conventio mercedis, quæ corrumpit contractum mandati, illumque transire facit in illum locationis, & conductionis, sed etiam accedat obligatio præstandi cedulam bancariam, & etiam onus solvendi montistis singulo quoque bimestri fructus locorum montium, adeout in nihilo ab istis œconomis differre videantur depositarii montium baronalium, qui non a Principe, sed ab ipso privato Barone montis debitore deputantur, sive illi, qui per deputatos creditorum, etiam ex

13 privata conventione deputantur pro administratione patrimonii decocti, juxta dictam doctrinam Salgad. quæ non bene in decisione restringitur ad actus judiciales, cum id nullam habeat probabilem rationem.

Quo vero ad alterum punctum cessantis causæ administrandi, vel diminutæ administrationis, posito quod ageretur de dicto contractu irrevocabili, id nullius considerationis erat, cum provenerit a facto voluntario alienationis, quod alteri contrahenti præjudicare non potest. Ut ultra generalia, de quibus distinguendo inter cessationem voluntariam, vel casualem, habetur in proposito obligationis causativæ, vel occasionalis, *sub tit. de credito*, sub altero *de empt. & vendit.* & sub altero *de Regalibus.* In his spe- 14 cialibus terminis salarii, & locationis, vel conductionis operarum, habetur supra *d. disc. 18.* & in decisionibus in ea causa editis, potissime vero stante pacto, quod dicta merces continuare deberet usquequo sequeretur extinctio æris alieni, quod supponit singulis annis oneris diminutionem, adeout circa ultimos annos, incommodum esset fatis modicum, unde propterea advertebam quod ideo illi administratores contenti fuerint modica mercede in primis annis magis laboriosis, ob recompensam ultimorum, ac ulterius, cum ultra mercedem administratoribus concessa esset facultas utendi pascuis pro eorum animalibus, in bonis Pedeloci, ista erat pars mercedis, unde verificabatur ejus diminutio pro rata diminuti laboris, & consequenter non videbatur subesse probabile fundamentum cui hoc motivum insisteretur, ideoque intellectus non acquiescebat resolutioni, quodque recessus in revisione sperari deberet.

ANNOT. AD DISC. XX.

CONferunt ad materiam præsentis discursus deducta *sub tit. de donat. disc. 36.* Et de revocatione mandati habetur pluries *sub tit. de benefic. præsertim disc. 38. & sub tit. de Judic. disc. 6.*

ROMANA TUTELÆ, ET EDUCATIONIS PRO CARDINALI ROCCIO CUM ANNA CINCIA.

Responsum pro veritate.

An & quando tam tutela, quam educatio pupillorum potius patruo quam matri decerni debeat ad eandem materiam, de qua supra disc. 1.?

S U M M A R I U M.

1 F*Acti series.*
2 *Materia educationis est Judicis arbitraria.*
3 *In specie decreta patruo contra matrem.*
4 *Considerantur justæ causæ, ob quas potius patruo, quam matri decerni debeat.*
5 *Quid de tutela, an possit, ac debeat idem dici?*
6 *De justa causa continuationis in communione, & ne pandantur secreta domus.*
7 *De antiqua inhabilitate mulierum, & matris, & aviæ exercentis tutelam, & curam.*
8 *Quod habilitatio matris, & aviæ, earumque prælatio sit contra mores Romanorum, & Italorum.*
9 *De historia legali, & de errore practicandi aliquas leges factas in Græcia.*
10 *Quod mulieribus non expediat istud munus suscipere, & de ratione.*

D I S C. XXI.

COntinuantibus post mortem Patris, & Cardinalis Patrui, Cardinali Urbano, & Pompeo fratribus de Roccis, 1 una cum eorum Matre in illa communione bonorum, & vitæ, in qua a nativitate sub patre, & patruo vixerant, & educati fuerunt, Gubernium, & administratio fuerunt penes Cardinalem fratrem majorem, aliis natu minoribus nimium gratum habentibus per spatium multorum annorum usque ad obitum Pompeii; quo sequuto ab intestato relictis duobus filiis infantibus, & ventre prægnante, ut pro meliori domus regimine continuaretur in eadem quiete, & communione, perinde ac si Pompeus viveret, quod ex plerisque nimium rationabilibus, ac justis motivis respiciebat etiam utilitatem dictorum pupillorum, qui erant unici superstites legitimi successores aviæ, & patruorum, Summus Pontifex Clem. X. cujus idem Pompeus erat familiaris in quodam conspicuo munere, ut etiam Cardinalis tunc Prælatus erat Palatii Apostolici Præfectus per ejus motum proprium præfatorum pupillorum tutelam, curam, educationem, & omnimodam administrationem concessit, & commisit eidem patruo, non obstante existentia Annæ eorum matris, cui alias de jure dicta tutela, & educatio debita erat, quare eadem Matre ad Pontificem recurrente pro dictæ concessionis moderatione, consultus fui ex parte Cardinalis patrui, an ille motus proprius dici mereretur exorbitans, atque a Justitiæ tramitibus nimium devius, adeout notabile præ-

præjudicium dictæ Matri comparenti inferre diceretur, ad effectum deliberandi, sive gravamen sustinendi.

2 Quamvis autem in utraque parte, tutelæ scilicet, & educationis pariformiter negative Mihi respondendum videretur, attamen pro clariori, magisque methodica resolutione, unam speciem ab altera distinguendo. Quatenus pertinet ad educationem, dicebam, quod res minus carere videretur difficultate, quoniam ista materia remissa est arbitrio etiam simplicis Judicis, qui potest ex aliquibus motivis ejus arbitrium bene regulantibus eam tollere illis, quibus lex deferat, & alteri concedere, etiam cum mutatione loci, vel Civitatis, quinimmo etiam contra judicium, & præceptum defuncti patris pupillorum, juxta plures decisiones, & auctoritates relatas supra *hoc eod. tit. disc.* 4. *n.* 25. *ubi n.* 24. advertitur id ita procedere pro matre contra patruos tutores, in quibus terminis loquuntur plures ibidem relatæ decisiones, quam e converso contra matrem pro patruis, vel aliis tutoribus. Et in individuo educationis decretæ patruis, exclusa matre illam petente, est plena *dec. Senen.* 16. Mart. Medic. *relata eod. disc.* 4. *& idem exam.* 38.
3 ibique allegantur Menoch. & alii. Multo igitur id decernere potest Princeps Supremus, & de educatione ablata Matri per provisionem Papæ, adeout non sit res nova habetur in casu, de quo *eod. disc.* 4. & per alios Scribentes adducebatur Themud. *dec. Ulixibonen.* 238. *lib.* 2.

De justis vero casibus non videbatur dubitandum ex pluribus, præsupposita, quinimmo expresse admissa prudentia, nimiaque probitate matris honestissimæ, & nobilissimæ Matronæ.

4 Primo, quia ipsa erat proximior successura ab intestato, quamvis etenim ista causa sola, & de per se considerata, in matre non sit illius potentiæ, quæ est in aliis, ex relatis apud Mart. Med. ubi sup. de Marin. & Add. *resol.* 95. *lib.* 1. *& alios*, adhuc tamen juncta cum aliis, habenda videtur in aliqua consideratione.

Secundo, ob nimium verisimilem voluntatem patris, qui nisi deceptus a Medicis inopinato obiisset, adeous testari non potuerit, sed testatus fuisset, utique idem demandasset in ejus filiis pupillis, quod in seipso ab infantia usque ad obitum sequutum in ætate provecta annorum 44. circ. practicavit, ut clare ad sensum, & advertitur apud Surd. *cons.* 428. ubi quid pater diceret, si resurgeret, & interrogaretur.

Et tertio, ob rationem contraventionis communionis pro majori conservatione decoris, & existimationis domus, ut infra advertitur agendo de tutela.

Et quarto clarius, quoniam isti pupilli sperare poterant, ac debebant successionem patruorum, quorum unus erat Cardinalis jam in sacris, & alter erat dives prole destitutus, fortasse in hoc statu probabiliter desperatus, ut in specie consideratur apud Mart. Med. *d. dec.* 61. *n.* 18. ideoque pupillis absque dubio nimium expedire advertebam, ita patruorum benevolentiam captare.

Atque respectu masculi addi posse considerabam aliam rationem melioris educationis, tam in litteris, quam in bonis, civilibusque moribus penes patruum Cardinalem, & Episcopum, quam penes Matrem viduam, cujus nimiam benevolentiam ob sexus imbecillitatem, nimium filiis præjudicialem esse, frequentior praxis docet, ideoque habetur commune dicterium de filiis viduarum, &c. E converso autem laudabam educationem fœminarum adhuc infantium potius penes matrem.

5 Quo vero ad tutelam dixi, quod non audebam dicere, ut quilibet Judex posset in ea arbitrari, eo modo, quo ut supra, potest in educatione, cum ejus potestas restricta sit intra legum cancellos, credebam tamen, ac forte invenietur practicatum, quod magna, & suprema Tribunalia, ut exempli gratia in Italia sunt Sacrum Consil. Neapolit. Senat. Mediolani, Magistratus Extraordinariorum Januæ, Magistratus pupillorum Florentiæ, & similia, id facere possint, & practicent, sed quod in Principe Supremo esset res non admittens principium dubitandi, quando aliquæ accedant justæ causæ, tendentes præsertim ad pupilli utilitatem, eodem modo, quo supra in educatione, cum eadem sit ratio.

Ut a simili de pluribus provisionibus decernentibus tutelam Matri binubæ, & Vitrico ejus viro contra expressam juris dispositionem habetur apud de Marin. *d. resol.* 95. *lib.* 1. atque supra advertitur *disc.* 11. n. 6. Igitur multo magis in Principe, si in Judicibus, & Tribunalibus.

Causæ justæ superius ponderatæ occasione educationis, influebant etiam in hunc punctum tutelæ, cum eadem esset ratio, eisque altera major addenda videbatur, quæ tutelæ magis, quam educationi congruebat, quod ita fusius continuari poterat in dicta communione, verisimiliter etiam in pupillis desiderata per eorum patrem, qua mediante
longe magis, longeque melius conservantur decus, opinio, & existimatio domus, & ne alias ejus secreta panderentur, dum alias Mater fratrum superstitum, & respective avia pupillorum, ejus dotem recognoscere, ac separare vellet, idemque faceret uxor Urbani, qui etiam alia bona particularia separare poterat, multoque magis Cardinalis, qui ultra patrimonialia possidebat redditus Ecclesiasticos, istaque occasione oportebat detegere onera, & debita, quibus forte domus gravata reperiebatur, quæ omnia dictis pupillis tanquam unicis, omnium legitimis successoribus, utique nimium præjudicialia forent. 6

Si etenim receptum habetur in jure, quod tutori, vel respective hæredi contra expressam legum dispositionem permittitur omittere inventarium ex motivo, ut non pandantur secreta patrimonii, atque non minuatur ejus opinio, & existimatio, ut in suis locis advertitur, multo magis ista judicanda erit justa causa ad hunc effectum etiam in Judice, & Magistratu, fortius vero in Principe, & clarius, dum non erat unica, sed accedebant tot aliæ, de quibus supra.

Præterea altius materiam reassumendo dicebam, quod 7
hujus provisionis exorbitantia, quando etiam dicta motiva, & rationes deficerent, impressionem facere debebat apud plebem, & infimum vulgus Professorum juris, qui cum traditionibus, vel cum superficie procedunt, non perquirendo principia, & medullam, ut fieri debet, non autem apud doctos, & versatos.

Attentis etenim legibus, ac moribus Romanorum, mu- 8
lieres indefinite inhabilitatæ erant ad exercendum hoc munus tutelæ, & curæ tanquam publicum, ad text. *in l. fœminæ, ff. de reg. jur. l. fin. ff. de tutel. l.* 1. *C. quando mul. tutel. off. fungi valeat*, cum notis concordantibus, de quibus etiam *in Institutionibus*. Habilitatio vero Matris, & Aviæ nunquam audita, neque practicata fuit apud Romanos, sed introducta per Justinianum *in Auth. Matri, & Aviæ, C. quando mulier tutela &c.* quod sequutum fuit post duo sæcula, & ultra, quod Sedes Imperialis translata fuit in Græciam, juxta forte illos Græcorum mores diversos ab illis Romanorum; & quando Imperium Romanum in Urbe, & in Italia jam perierat pene per sæculum antecedens, mediante occupatione Urbis facta per Odoacrem Regem Hærulorum, expulso Imperatore Augustulo, quasi cum mysterio, ut illud imperium, quod in Augusto initium habuerat, in Augustulo terminaret, ideoque non videbatur quænam exorbitantia dignosceretur, ut illi legi, quam fecit Imperator Græcus, qui nullum in Urbe Principatum habebat pro ejus libito, etiam sine causa derogaret ille, qui in eadem Urbe est Imperator, & Princeps Supremus, ut in terminis fortioribus derogandi novæ legi introductæ per Augustum, advertitur ad effectum sustinendi Bullam Baronum *disc.* 89. *de feud. num.* 20. atque Me motivante sequuta est Rota in decisionibus ibi relatis.

Præterea nulla adest lex, quæ præferat Matrem, & 9
Aviam patruo, cum solum dicta lex Justiniani eas habilitet, sed earum prælatio provenit a magis communi, & recepto sensu DD. se fundantium in ratione, quod ordo tutelæ regulandus est ab illo intestatæ successionis, ideoque sicuti mater vincit patruum in successione, ita vincere debet in tutela, sed hoc pariter provenit ab eodem novo jure condito in Constantinopolitana Civitate juxta Græcorum mores diversos a moribus Romanorum, qui agnatos tantum in consideratione habebant, Matrem vero, & cognatos negligebant, ex pluries deductis sub diversis locis, & præsertim *sub tit. de success. ab intestat. disc.* 1. *cum plurib. seqq.* ubi quod censeri potius debet error, & simplicitas primorum interpretum, qui a quatuor sæculis citra post casualem inventionem legum juxta historiam pluries recensitam, & præsertim *disc.* 1. *de serv.* hujusmodi ultimas leges Græcorum in Italia receperunt, igitur nulla exorbitantia committi dicitur, quando statuitur id, quod antiquis, ac etiam modernis moribus Romanorum est magis adaptatum, dum in Statutis 141. 144. 145. & 146. liquet, quod etiam Romani Moderni retinent eosdem mores antiquorum favore agnationis contra matrem, & sorores, & cognatos, unde receptam habemus conclusionem, quod illa Statuta, per quæ correcto jure novo fuit redditus ad jus antiquum, censenda non sunt odiosa, & exorbitantia, sed potius rationabilia, & favorabilia, ut *d. disc.* 1. *&* 15. *de success. & alibi pluries*.

Et per consequens concludendo, ubi etiam tot justæ causæ non accederent, adhuc ista provisio exorbitans, nimiumque

que præjudicialis dici non mereretur, multo magis eis accedentibus, ponderando etiam, quod tutela non dicitur de iure importare commodum, & utilitatem, sed potius unus, & incommodum, adeout dicatur munus necessa-
10 rium, ad quod quis cogi potest, ideoque in jure disponitur de causis excusationis, ex deductis *in tot. tit. instit. de excus. tutor. in corpore &c.* & sic dici non potest, quod Matri tollatur aliquod jus, vel fiat aliquod præjudicium nimium considerabile, & præsertim in muliere vidua istud munus censendum venit magis periculosum, ac damnosum, quam in viro, ac propterea stante Statuto 151. per quod mulieres declarantur imperfecti judicii, quod non fecit jus commune, prohibitæ facere quoscumque contractus, & actus, ex quibus præjudicatæ remanere possunt sine solemnitatibus ibi demandatis, ac etiam sine causa, quam hodie firmum est requiri utilem, vel saltem non damnosam, seu periculosam, ut pluries in sua sede *sub tit. de alien. & contract. prohib.* Hinc sequi dicebam, quod quilibet prudens Judex in hoc durissimus esse debet, & frequentius negare suam auctoritatem, cum impossibile sit verificari dictam causam a Statuto desideratam in actu adeo periculoso, & de sui natura damnoso, & per consequens concludebam, quod Mater conquerebatur de ejus commodo, & beneficio, quod sibi ex hujusmodi provisione resultabat, etiam ubi procedendum esset cum sensu eorum, qui in hujusmodi Principum provisionibus nullam exigunt causam absque recursu ad absolutam potestatem, juxta ea, quæ circa hanc Principis potestatem habentur in sua sede *sub tit. de Regal. disc.* 147. & 177. & *in aliis*.

PISANA ADMINISTRATIONIS
PRO JOANNE LAURENTIO PALMERIO

Responsum pro veritate.

De eadem materia, de qua supra disc. 15. An scilicet & quando administratores piorum locorum teneantur de proprio, & de eorum fidejussoribus?

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Obligatio Officialium, & Magistratuum est subsidiaria.*
3 *Pater tenetur de facto filii suscipientis munus publicum de ejus consensu.*
4 *An & quando fidejussores administratorum excusentur?*
5 *An administratores majores, & habituales teneantur de negligentia inferiorum?*
6 *De excusatione ob non usum.*
7 *Quando non usus tollat vim legis.*
8 *De observantia, & distinctione in hac materia.*

D I S C. XXII.

1 Detectis debitoribus in notabili summa duobus ministris actualem habentibus administrationem Montis Pietatis Pisarum, quorum unus pignorum Custos Massarius, alter vero Custos pecuniarum Camerarius nuncupantur, Causidicus ad id deputatus coram Ordinario, & competenti Magistratu pro Montis reintegratione judicium instituit, tam contra ipsos administratores debitores, quam contra eorum fidejussores, ac etiam contra duos administratores majores habituales, quorum unus Cancellarius, alter vero Superintendens nuncupantur, contra quos tam ex parte Montis, quam etiam fidejussorum objiciebatur ut eorum culpæ jacturam referenda esset ob non servata Statuta, & reformationes Montis, in quibus cavetur, ut Superintendens, & Cancellarius singulo quadrimestri statum pignorum, & pecuniarum recognoscere deberent, quoniam si ita factum esset, atque tamdiu id non neglectum, supradicta jactura non adesset, quare desuper ex parte Palmerii Superintendentis consultus

2 Respondi duas effurmando inspectiones, unam nempe quoad acceptionem fidejussorum, qui prius erant discutiendi, dum contra majores Magistratus, & Officiales habituales, qui Superintendentes nuncupari solent, conceditur actio subsidiaria post excussos actuales principales debitores, ut de Magistratibus habetur, aliis relatis, apud Constant. *in l.* 60. *Cod. de Decur. lib.* 10. *num.* 57. Rovit. *decis.* 45. & 83. Ende tutoribus, quorum aliqui actualem habeant administrationem, alii vero honorariam, & habitualem vulgo superintendentialem, ut quamvis illi teneantur, adhuc non subsidiaria sit eorum obligatio post excussos actuales, habetur supra *hoc eodem tit. disc.* 5. Et secunda super actione, quæ Monti competeret contra eosdem habituales, quatenus tam principales, quam fidejussores ad integrum debitum idonei non essent.

3 Quatenus itaque pertinet ad primam inspectionem super fidejussorum exceptione, dicebam de plano pro illius rejectione contra eos respondendum fore, quoties eorum obligatio hanc explicitam non haberet conditionem, quatenus scilicet majores administratores Statuta, & ordinationes servent, adeout eorum obligatio juxta communem formulam hujusmodi cautionum esset pure de reddendo rationes, & restituendo reliquatum, dicta vero conditio prætenderetur tacite, & per subintellectam; cum tunc hujusmodi prætensio omni prorsus fundamento destituta esset, quoniam obligatio administratorum majorum introducta est in gratiam, & pro relevatione illius, cujus bona administrantur, utpote innocentis, atque sub legali, & necessaria administratione viventis, cui justum, & rationabile est, ut per legem succurratur, non autem in gratiam, & levamen ipsius administratoris actualis male administrantis, ac delinquentis, vel ejus fidejussoris, qui illum approbavit, ejusque suscepit obligationem, cum nulla juris ratio, vel dispositio id suadeat, atque contrarium quoque comprobat communis usus, vel praxis, ut præsertim neglectis aliis generalitatibus observabam patere ex deductis *sup. disc.* 15. ubi in terminis præcisis fidejussoris consimilis administratoris Montis Pietatis Urbis, & de quo etiam *disc.* 68. & 69. *de credito*, quod contra majores habituales administratores non constitu de dolo, & collusione, nulla conceditur actio, quamvis per ejusdem Montis Statuta *cap.* 13. & 14. *cum seqq.* & magis ad rem, *cap.* 33. consimiles demandentur diligentiæ, & revisiones, fortius vero stante particulari motivo non usus dicti Statuti, vel ordinationis hanc revisionem præcipientis, ut infra.

Quamvis autem hæc generaliter procedant contra omnes fidejussores, magis vero, ac extra minorem dubitandi rationem ea procedere dicebam contra illum, qui erat pater dicti Massarii, seu Custodis pignorum, cujus debitum erat majus, ex iis, quæ habentur *disc.* 86. *nu.* 7. & 8. *de credito*, ubi de juribus, & auctoritatibus firmantibus obligationem patris consentientis publicis muneribus, quæ per filium suscipiantur, licet enim ibidem *nu.* 18. & 19. aliqua dubitandi ratio deducatur, illa tamen in præsenti non intrabat ob præsuppositam circumstantiam, quod idem pater promiscue, immo magis, quam filius, tanquam principalis pignora administrasset, ac propterea advertebam recte adaptari posse ea, quæ de jure antiquo, & medio ante juris novissimi introductionem circa peculium adventitium disposita sunt super obligatione patris pro peculio per filium administrato, sive illius occasione.

4 Item generaliter contra omnes fidejussores ponderabam, quod frustra idoneæ, ac limitatæ cautiones ab hujusmodi administratoribus exigerentur, si eædem cautiones istam haberent conditionem, sive censendæ essent factæ cum hoc præsupposito diligentiarum, quæ ad præscriptum Statutorum, & ordinationum per alios administratores majores fieri debent, quoniam quando id exacte servaretur, vel nunquam, vel nimium raro daretur iste casus jacturæ considerabilis, sed quoniam notum est, quod hujusmodi ordinationes parum servari solent, idcirco hujusmodi cautiones exiguntur, potissime considerando in hac facti specie, quod antiquiori tempore, in quo dictæ ordinationes factæ fuerunt, cautiones erant limitatæ usque ad summam sc. 5. mil. postmodum vero inolevit usus illas habere indefinitas usque ad quamcumque summam, ex ista forte ratione, quod agnosceretur prædictam ordinationem non servari, ac non esse in usu, adeout quatenus pertinet ad hanc primam partem actionis contra fidejussores, casus videretur planus tam ad favorem Montis, quam dictorum majorum administratorum, eisque idoneis existentibus inanis esset secunda inspectio inter Montem, ipsosque administratores majores habituales super enunciata eorum subsidiaria obligatione. Ubi etenim Princeps, vel ejus Vicarius, seu Præsides, aliique majores Magistratus bene eorum munus explerent, ac invigilarent, ut Judices, & Gubernatores locales bene suum faciant officium, utique nulla subesset necessitas præstandi cautionem syndicatus, sed non per hoc fidejussores excusantur cum similibus.

Verum

5 Verum quando de hoc puncto agendum esset, quia nempe ex bonis fidejussorum non remaneret indemnitati Montis omnino consultum, tunc pro ratione dubitandi observabam contra dictos administratores nimium facere ea, quæ habentur, aliis relatis, plene deducta apud Rovit. *decis.* 36. ubi in specie de negligentia administratoris majoris, & habitualis in non revidendo gesta per inferiores administratores actuales, ac etiam ea, quæ de tutore honorario vulgo *Sopr' intendente* habentur *supra discurs.* 5.

6 His tamen non-obstantibus pro dictis administratoribus habitualibus, præsertim vero Superintendente, ex cujus parte consultus fui, censui respondendum ex particularibus facti circumstantiis, quibus stantibus, opus non erat assumere inspectionem generalem in terminis juris communis, quod scilicet pro certo supponaretur dictas ordinationes sequutas de ann. 1581. ab antiquo tempore, cujus contrarium memoria non habeatur, non fuisse, nec esse in usu, adeout multi in eodem munere prædecessores, id quoque neglexerint, hunc non usum nimium comprobante immutatione regiminis, vel status rerum, quoniam de eo tempore Mons erat unicus longe minoris administrationis, cum esset circa initia, postmodum vero creverit, ut in Montibus Pietatis Urbis, aliarumque Civitatum Italiæ praxis docet, vel quia ob meliora tempora non adesset tanta paupertas, quanta de præsenti, ac propterea exigebatur cautio minor, & restricta ad dictam summam moderatam.

7 Non usus etenim aptus est tollere vim legis, ex plene relatis per Farinac. *in fragm. verbo lex*, Pratus *observat.* 54. *&* 55. *cum aliis*, de quibus *disc.* 35. *de Judic. & alibi*, potissime vero, ubi non constat, quod prius lex fuisset in usu, adeout allegari valeat non usus ab initio, ut advertitur *disc.* 2. *de servit.* ac etiam *eod. disc.* 35. *de Judic.* minusque agitur de tali lege, quæ habeat decretum irritans, per quod quicumque contrarius usus inficiatur, sitque talis naturæ, ut in potestate inferiorum non sit illam non servare juxta distinctiones, de quibus *eodem disc.* 35. & magis ex proposito occasione agendi de non usu Bullæ Pianæ super censibus *disc.* 6. *de censibus*.

Et nihilominus, quando etiam de stricta juris censura iste non usus non esset sufficiens ad tollendam vim legis, & in futurum obligatorius non esset, adhuc tamen ad effectum, de quo agitur, excusandi scilicet a negligentia de præterito, ille videbatur abundare, dum ex deductis *in ead. decis.* 36. Rovit. in hujusmodi administratoribus habitualibus, & superintendentibus, negligentia debet esse magna, & talis, quæ redoleat dolum præsumptum, sive magnam, & latam culpam, a qua utique ista non usus excusat, dum administratio suscepta censetur eo modo, quo tunc servatur, ut occasione susceptionis appaltuum advertitur *disc.* 71. *de Regal. & alibi*.

In idem ponderando praxim, & observantiam Urbis, 8
ac etiam Neapolitanæ Civitatis, aliarumque magnarum, vel mediocrum Civitatum Italiæ, in quibus consimiles Montis Pietatis, aliaque plura, & insignia pietatis opera habentur cum duplici specie administratorum, unam scilicet actualium stipendiatorum, & altera habitualium, qui ut plurimum viri Nobiles qualificati ex motivo pietatis absque stipendio istud munus suscipiunt administrationis habitualis, & superintendentiæ, quoniam non concurrente dolo, & collusione cum administratoribus actualibus, & inferioribus, pro istorum defectu non datur contra eos actio, ut in Urbe praxis docuit in casibus, de quibus *supra d. disc.* 15. *& d. disc.* 68. *&* 69. *de credito cum similibus*, & merito quidem, quoniam si ita esset, non de facili invenirentur qui hujusmodi onera susciperent, ideoque ista dicenda est quæstio facti potius, quam juris, ex facti qualitate decidenda, an scilicet adsit necne dolus expressus, vel saltim præsumptus, qui ex magna, & nimium lata, culpa resultet, magnaque videtur constituenda differentia inter hujusmodi piorum locorum administratores salariatos & alios, qui ex motivo charitatis hanc superintendentiam, & habitualem administrationem suscipiant.



SUM-

SUMMA, SIVE COMPENDIUM

Eorum, quæ continentur in hoc titulo de Tutoribus, Administratoribus, &c.

SUMMARIUM.

I.

1 *NOn agitur de terminis generalibus, vel distinctionibus trium specierum tutorum, utpote notoriis.*

2 *Quare ista tutarum materia in Curia Romana sit rara, & alibi frequeas.*

3 *Frequentes quæstiones sunt super redditione rationum, ac super gestis a tutore, an afficiant?*

4 *Ubi agatur de materia, an gesta extra judicium per tutores, & curatores obligent pupillum, vel minorem?*

5 *Et quid de actibus judicialibus, & de curatore hereditatis jacentis remissive.*

6 *Pro valida redditione rationum requiriaur inventarium bene confectum.*

7 *Requiritur liber, & quomodo iste debeat confici.*

8 *Et restitatio reliquatus.*

9 *Tutor non condemnatur ad certam summam ante redditas rationes.*

10 *Bene tamen ad restituendum bona ipsius pupilli, quæ extent.*

11 *Quando admiaistrator conveniatur ad certam summum etiam ad redditas eationes.*

12 *De jurameata in litem, quando intret necne, & de ejus forma, & requisitis.*

13 *An libro tutelari deferendum sit in redditione rationum, ac probet partitas?*

14 *An idem liber probet negativam aliorum bonorum?*

15 *Tutor non tenetur reddere rationem, nisi de obventis ad ejus manus, & quando etiam de non obventis.*

16 *Quid de redditione fructuum aliorum bonorum quomodo probetur pretium, & an tutor teneatur expectare tempus congruum?*

17 *Etiam bona, quæ non extant, ob eorum descriptionem judicio peritorum æstimari possunt.*

18 *Sed si neque adsit descriptio, ex qua peritorum judicium regulari possit, quid agendum sit.*

19 *An tutor, vel administrator cogi valeat reddere rationes, tutela adhuc durante? distinguitur.*

20 *An & quando tutor honorarius, vel superintendens teneatur reddere rationes?*

21 *Quid ubi omnes sunt æque tutores, sed unus solum administravit.*

22 *Tutor, qui non implevit solemnia, adhuc tenetur ad redditionem rationum.*

23 *Cessato uno ex tutoribus, an totum jus consolidetur in aliis, vel potius debeat subrogari alter in locum deficientis?*

24 *Si tutoris jam dati suspicio superveniat, an ejus discussione pendente interim interdici debeat administratio?*

25 *Mater in hoc est magis privilegiata, magisque circumspecte cum ea proceditur.*

26 *De matre tutrice transeunte ad secunda vota.*

27 *Non de facili admittenda est excusatio recusantium, neque admittendi sunt affectantes.*

28 *De personis inhabilibus ad tutelam.*

29 *De inhabilitatione, vel impedimento Clericorum.*

30 *De competentia Fori, & a quo Judice tutoris deputatio facienda sit.*

31 *De eadem competentia circa redditionem rationum.*

32 *De loco, in quo eadem redditio fieri debeat.*

33 *Datur pro tutela, vel cura hypotheca legalis, quæ incipit a die suscepta administrationis, & de tutoris fidejussoribus.*

34 *Etiamsi suscipiatur de facto non impletis solemnitatibus.*

35 *Non competit contra eum, qui contrahat cum tutore, vel sit debitor patris pupilli, aut alio titulo administret.*

36 *Competit eadem hypotheca cuicumque viventi sub legali necessaria administratione.*

37 *An competat executori testamentaria?*

38 *Si mater binuba administret, etiam bona secundi viri cadunt sub dicta hypotheca.*

39 *Tutor non abtinet cessiones contra pupillum, & quando id permittatur.*

40 *Tertius non habet actionem contra tutorem, quod indebitum exegerit, vel ejus locum in causam pupilli bona fide erogaverit.*

41 *An in contractibus gestis per tutorem, vel curatorem requiratur præsentia pupilli, vel adulti?*

42 *Majori non potest dari curator, seu prohiberi administratio, & quando secus.*

43 *An detur actio contra factores, & inferiores ministros a tutore deputatos?*

44 *De præscriptione actionis tutelaris, vel præsumpta rationum redditione.*

45 *Quietantio per pupillum factum adultum non liberat tutorem, si vere rationes non sunt reddita.*

II.

46 *Qualem culpam mandatarius præstare teneatur.*

47 *Distinguitur inter mere privatam, & voluntariam administrationem, ac necessariam.*

48 *Cum viventibus de necessitate sub aliena administratione strictior est administratorum obligatio.*

49 *Administratores Civitatis, vel Republicæ jure tutorum censentur.*

50 *Periculum bonorum administratorum, an sit mandantis, vel mandatarii?*

51 *De utraque directa, & contraria actione mandati.*

52 *Omnes quomodocumque aliena administrantes veniunt sub hoc genere.*

53 *Ideoque ad rationes tenentur, & an præventiva liberatio excuset?*

54 *De redditione rationum inter socios.*

55 *De conclusione, ut ante redditas rationes non dicatur quis debitor, vel creditor.*

56 *Et quando etiam ante redditas rationes sit locus condemnationi ad certam summam.*

57 *De facultate substituendi.*

58 *De mercede salarii tam in tutore, quam in aliis administratoribus.*

59 *An & quando mandatum, vel aliud administrationis munus sit revocabile, vel irrevocabile?*

60 *De administratoribus fiscalibus.*

61 *De procuratoribus, aliisque administratoribus ad judicia.*

62 *Quare de aliis ad materiam pertinentibus non agatur.*

I.

De Tutoribus, & Curatoribus, vel iis, qui se pro talibus gerant.

NEglecta ea terminorum præcognitione, quæ tyronibus Institutionum principia vix callentibus, non autem forensibus congrua est, super variis testamentarii, legitimi, ac dativi tutoris speciebus, ac etiam super distinctione tutoris a curatore, cum similibus, quæ apud forenses præsupponenda sunt; agendoque pro stylo, ac instituto de iis, 1

quæ

quæ Forum disputandi occasionem dedit, raro Curia Romana tractat eas quæstiones, quæ alibi pro morum diver-
2 sitate nimium frequentes dignoscuntur, super concursu nempe ad hujusmodi munus obtinendum invicem contendentium prælatione, vel quia morum integritas major doceas id abhorrendum potius, quam optandum fore, vel quia usus non præbeat ea salaria, & emolumenta, quæ alibi usu recepta, hujusmodi quæstionum frequentiam causant; majores autem Fori controversiæ in materia cadunt
3 super rationum redditione, ac reliquatus restitutione, sive super gestis a tutore, vel curatore, an pupillo, vel minori præjudicialia sint, reliqua etenim rara sunt.

4 Hanc vero ultimam quæstionum speciem, super tutoris, vel curatoris, alteriusve administratoris extra judicium gestis, an pupillum, vel minorem, sive alterum, sub legali præsertim administratione viventem afficiant, eique præjudicent sub alienationum, aliorumque prohibitorum contractuum sede cadit. *a*

5 De iis autem, quæ in judicio gesta sunt, sub altera judiciorum sede agitur, ubi etiam de curatore judiciali, qui hæreditati jacenti, vel patrimonio defecto sit deputatus. *b*

6 Rationes administratæ tutelæ, vel curæ, ut bene redditæ dicantur, plura lex exigit, primo nempe inventarium bene, fideliter, ac distincte confectum, non autem in confuso, ut ita dignosci recte valeat, quid ad tutoris, vel cu-
7 ratoris manus obvenerit, secundo liber, pariter bene, fideliter, ac distincte ab initio tentus, in quo in singulos dies, ac tempora, dati, & accepti partitæ descriptæ sint, adeout superappositionis, vel deletionis possibilitas, ac suspicio absit, non autem ille, qui dum rationum redditio
8 imminet, sit confectus, vel qui informis notulæ, seu memorialis speciem redoleat, & tertio reliquatus restitutio, sine quibus ratio bene reddita dici non potest. *c*

9 Hujusmodi autem legitima ratione non accedente, ad quid certum, tutor, vel curator, sive alter administrator, cogendus non est, cum sola administratio, neque debitorem, neque creditorem aliquem reddat, ob incertitudi-
10 nem, an unus, vel alter ex rationum dispunctione sit evasurus, nisi agatur de ipsismet adhuc extantibus bonis pupilli, vel minoris, vel alterius, qui sub administratore vixit, quorum restitutio, ex veriori, magisque recepta sententia retardanda non venit.

11 Quinimmo, ubi non de universali, sed particulari administratione agatur (quod conventionali potius, quam legali congruit) contra eum, qui in rationum redditione contumax existat, ad acceptæ summæ, vel quantitatis condemnationem, etiam ante redditas rationes proceditur, id autem in universali, ac legali administratore practicabile non est, sed coactioni ad ipsius redditionis factum, locus est per mulctam, vel personæ coerctionem, seu pignorum capturam.

12 Vel eo in contumacia perseverante, sive rationes non bene reddente, ob inventarii, ac libri omnino neglectam, vel male factam confectionem, adeo ut ex administratoris dolo, vel culpa, veritatis probatio impossibilis, vel difficilis reddatur, locum lex præbet juramento in litem, super cujus tamen praxi, plures experientia docet difficultates, vel quia tutore, vel curatore, seu alio administratore defuncto, quæstio sit cum hærede, contra quem lex illud denegat, vel quia talis sit administrationis species, ut a rigorosa inventarii, ac libri confectione eadem lex excuset, ut in eo contingit, qui non tutoris, vel curatoris, sed ministri, vel famulatus jure administrare credidit, sive jure Domini rem suam administrare putavit, cum similibus, vel quia probationis veritatis impossibilitas, vel nimia difficultas ex facto cesset, sive culposa non sit, sive quia, non ipsa persona cujus bona administrata sunt, ad id agat, sed ejus hæres, vel successor, cui etiam lex hoc remedium denegat.

Eo autem juridice competente, adeout nullum ex præmissis, aliisque similibus obstaculis urgeat, non tamen pro libito jurare conceditur, sed prævia taxa, ex Judicis prudenti arbitrio facienda, quod ex veritatis probabilibus adminiculis, vel argumentis est regulandum. *e*

13 In earundem autem rationum redditione, plures cadere solent quæstiones, præsertim vero circa dati, ac expensi partitas, an libro tutelari, absque alterius extrinsecæ justificationis fomento deferendum sit, idque facti potius, quam juris quæstionem continet, ideoque uniformem generalem regulam, seu determinationem non recipit, sed pro facti qualitate, singulorumque casuum circumstantiis decidenda est pro Judicis prudenti arbitrio, quod ex verisimili, vel inverisimili potissimum est regulandum.

In acceptis autem partitis, nulla cadit dubitatio, quin 14
libris, etiam informibus, contra Scribentem deferendum sit, in iis vero bonis, quæ descripta non sunt, quamvis libri bene tenti, inventariumque bene confectum, negativam non coarctent, minusque concludant, ejus tamen præsumptionem inducunt, donec expressa, vel adminiculativa contraria probatio accedat, cum non teneatur tutor, vel curator, rationem reddere de iis, quæ non constet ad ejus manus obvenisse, nisi ex ejus culpa, vel ne- 15
gligentia sequutum sit, ne obvenerint, cum tunc, pro obventis haberi debeant. *f*

In obventis autem, quæ citra culpam non extent, ut- 16
pote conservationi non apta, vel sunt frequentius bonorum fructus, vel alia hujusmodi naturæ, quæ in pupilli patrimonio reperta sint, quæstiones cadunt circa pretium, seu valorem, vel quia ex libris, & rationibus ille non probetur, quod a librorum qualitate pendet, vel eis legitime confectis deferatur, donec de contrario doceatur, secus autem e contra, vel quia data veritate pretii, pro quo venditio facta sit, quæstio cadat super incongrua venditione, quia facta sint non expectato magis opportuno tempore pro diligentis patrisfamilias more, & hæc pariter certam non recipiunt generalem, sive uniformem determinationem, utpote a facti circumstantiis prudenti Judicis arbitrio pensandis pendentem, & an id redoleat illam culpæ speciem, quam tutor, vel alter, præsertim legalis privilegiatorum administrator, præstare tenetur.

Quatenus autem de illicita alienatione, vel dissipatio 17
ne agatur eorum bonorum conservabilium, in quibus distrahendi necessitas non urgebat, sive quæ nonnisi ex justa causa, aliisque servatis a jure solemnitatibus fieri non valeat, eorum autem nonexistentia, veram æstimationem peritorum judicio prohibeat, tunc ista, ex eorundem descriptione, eorumdemque peritorum judicio facienda est, juxta modernam opinionem rationabiliter usu receptam. *f*

Istaque descriptione quoque cessante, adeout justa æsti- 18
matio impossibilis reddatur, tunc dicto juramenti in litem remedio consultum est, quatenus illud aliquod ex premissis impedimentis obstaculum non recipiat, eoque denegato, adhuc Judicis arbitrium refrænatum non est, etiam ex levibus, ac remotis argumentis, quæ a patrimonii, vel defuncti qualitate, ac Regionis moribus desumenda sunt, eorundem peritorum judicio verisimilem æstimationem facere, ne alias culpa culposo prosit, innocenti autem, ac offenso præjudicet. *g*

An autem tutela, vel alia legali administratione pen- 19
dente, rationum redditio peti valeat, sub quæstione est, variis varia opinantibus, probabilius vero est, ut ubi plures existant tutores, vel administratores, quorum uni, tota, vel certa commissa sit administratio, rite id contutores pluries, ac in singulos annos, & tempora opportuna petant, ista vero circumstantia cessante, adeo ut sub ipsius pupilli nomine id petatur, & tunc secus, non tamen Judicis officium etiam isto casu impeditum est, vel arbitrium ræfrenatum, ex justo motivo a facti circumstantiis regulandum, non quidem ad formalem, ac plenam redditionem, sed ad summariam ejus animi informationem, quamvis tutela, vel administratio ulteriorem habeat progressum, ad id cogere. *h*

Honorarium tutorem, seu alias actualem administra- 20
tionem non habentem, alii a rationum redditione, aliisque sequelis excusant, alii vero in solum subsidium obligant, excusso eo, qui administravit, verius tamen ex distinctione decisio pendet, ut si mere honorarius in forma solius protectionis, ac superintendentiæ, a testatore, vel Judice sit deputatus, alteri per eundem testatorem, vel Judicem commissa actuali tutela, & iste veniat ab hoc onere excusandus, eo solum remanente obligato pro illis commissionis, vel omissionis actibus, qui culpam in ipso protectionis, vel superintendentiæ munere redoleant, idemque in eo, qui tutor solius notitiæ causa dicitur.

Si vero omnibus pariformiter tutelam acceptantibus, at uni ex Judicis auctoritate, actualis administratio commissa sit, ut intret quidem aliorum obligatio, sed cum qualitate subsidii, secus autem, si id ex eorum privato facto, seu commissione sequatur, ut tunc omnes eidem obligationi subjaceant, ac etiam in solidum teneantur, ipsique inter se videant, cum privata, & voluntaria divisio pupillo præjudicare non debeat. *i*

Quam-

Quamvis autem tutori, vel curatori plurium solemnitatum implementum incumbat, adeo ut earum defectus eum culposum, ac suspectum reddat, justumque, ac sufficiens motivum producat eum removendi, multique actus
22 ex hoc defectu invalidi censeantur, ac pupillo non præjudiciales, non inde tamen aliqua ejus excusatio a rationum redditione, aliisque obligationibus tutori, vel curatori incumbentibus resultat, sed fortius eis præmittur, ubi tamen pro tali expresse se gesserit, eoque titulo administraverit, ne alias culpa culposo prosit, atque deterior sit conditio ejus, qui legi paret, atque solemnia implet, quam ejus, qui legem contemnit, maleque agit. *l*

23 Aliquo ex pluribus tutoribus, vel curatoribus, per mortem naturalem, vel civilem cessato, seu alias impedito, sub quæstione est, an totum jus in superstitibus, vel superstite, ex jure accrescendi, vel non decrescendi consolidetur, vel potius alterius subrogationi locus fiat, atque variis varia opinantibus, verius est, prudentis Judicis arbitrio id remissum esse, pro facti qualitate, & circumstantiis regulando, ideoque certam, ac determinatam regulam generalem non recipit. *m*

24 Ipsaque tutela, vel administratione durante, si suspicio superveniat (neglectis variis Scholasticorum sensibus) probabilior est ille practicorum, ut eidem arbitrio pro facti qualitate remissum sit, an remotioni, vel suspensioni, seu adjuncto, aut alteri provisioni locus esse debeat, potissime vero in matre, in cujus remotione, vel suspensione, magis circumspecte procedendum est, regulariter
25 enim in ea locus est adjuncto, vel alteri congruæ provisioni, atque inter suspicionis causas, illa litis (istius tamen gravitate, & qualitate attenta) solet esse potissima. *n*

26 Major autem suspicio in matre est illa, quæ a transitu ad alia vota resultat, ob quam remotioni, quinimmo exclusioni, ipso jure locus aperitur, aliisquoque pœnis ipsi matri adjectis, super privatione successionis, nisi priusquam id sequatur, pupillo de tutore provideri solicita sit, ac rationes reddat, ut in successionum materia advertitur, atque si secundus vir administrationis continuationem patiatur, ejus quoque bona pro administratione, ac rationum redditione obligata esse, lex disponit. *o*

27 Excusationum hodie raræ videntur quæstiones, quas Forum audiat, ideoque scholasticis examinandæ remanent, cum prudenter præses hujusmodi munus invitis non de facili committat, ut etiam nimium affectantibus committendum non esset, utroque extremo damnabili existente.

28 Frequentiores autem sunt quæstiones inhabilitatis, de qua ejusdem tutelæ ambitiosi, vel alias in eo munere interessati objiciant; incapaces autem, seu inhabiles sunt mulieres, (exceptis matre, & avia, ubi secundarum nuptiarum obstaculum non accedat) pupilli debitores, litem cum eo habentes, minores, ac alii aliqua judicii imperfectione laborantes.

29 In Clericis Regularibus generica viget prohibitio, in sæcularibus autem variæ per Juristas adhibentur distinctiones, inter testamentariam, & legitimam tutelam, sive an sanguinis conjunctio, vel charitatis motivum exigat, aut an munus a divinis avertat, vel scandalum præbere valeat, cum similibus, verius autem videtur, ut ista pariter facti potius, quam juris quæstio sit, certam, ac generalem non recipiens regulam, sed pro singulis casibus, eorumque circumstantiis, diversimode decidenda prudenti arbitrio, præsertim, ubi de illa tutela, vel administratione agatur, quæ secum trahat ea, quorum Clerici sint incapaces, vel prohibiti, & an ex negotiatione id fiat potius, quam ex charitatis motivo; ubi etenim istud accedat, non prohibendum, sed potius laudandum est. *p*

30 Jurisdictionis, vel competentiæ Fori majores esse solent quæstiones, tam circa ipsius tutoris deputationem, ubi pupillus plura possideat bona in pluribus Civitatibus, vel Provinciis, seu diversis dominiis existentia; sive ubi sit Clericus, agatur autem de hæreditate laici, vel e contra, ac etiam super redditione rationum, an scilicet præcise danda sit illi Judici, a quo tutela suscepta est, quamvis tutor ab ejus Foro exemptus esset, vel ad id cogi valeat
31 a diverso Judice loci, in quo bona sint, cum similibus, super quibus non de facili compendiosa regula generalis, cuicumque casui applicabilis statui potest, eum ex pluribus distinctionibus, potissimum vero ex Principatuum, vel Tribunalium stylis, ac usibus, decisio pendeat, ideoque in sua sede videndum. *q*

Loci etiam quæstio cadit super rationum redditione, in quo scilicet ratio reddi debeat, atque regula est, eam fieri debere in loco administrationis, quocumque privilegio Fori 32
non obstante, cum ibi reddi debeant rationes, ubi administratio facta est, nisi justa causa, aliæque facti circumstantiæ aliud suadeant, ex quibus Judicis arbitrium juste intret diversimode decernendi. *r*

Hypothecæ legalis privilegium, quod pupillo, vel mi- 33
nori lex concessit, contra tutorem, non a die quo administratio male facta sit, sed ab eo, in quo suscepta est competit, eoque tempore attento generalis est fidejussorum tutoris obligatio, etiam pro bonis, quæ durante tu- 34
tela pupillo obveniant, idque in omnibus etiam datur contra eum, qui tutelæ testamentariæ, seu legitimæ jus habituale habens, de facto, eam, sub eo tamen titulo exerceat, quamvis solemnia non impleverit, non tamen con- 35
tra eum, qui alio jure, vel titulo administret, sive cum administratore, aut patre pupilli contrahat.

Idemque privilegium cuicumque sub necessaria legali 36
administratione viventi, adinstar, verius est competere, quæstione cadente in exequutore testamentario, in quo 37
pro facti qualitate respondendum est, ut in sua sede. *s*

Illa vero hypotheca, quæ contra matrem tutricem da- 38
tur, si ea binuba fiat, atque in administratione perseveret, neque curet pupillo de tutela provideri, secundi etiam viri bona afficit.

Cessiones contra pupillum, vel minorem, tutori, vel 39
curatori reportare prohibitum est, nisi facti circumstantiæ magnam bonam fidem redoleant, omnemque suspicionem tollant. *t*

Contra tutorem autem, vel curatorem, qui absque do- 40
lo exegit, seu alias distraxit id, quod alienum erat, ad pupillum vero, seu minorem spectare credebat, atque in ejus causam erogavit, adeout penes ipsum non remaneat, nulla datur actio rei, vel juris Domino, seu alias interessato, nisi doli ratio, vel alia similis circumstantia diversimode suadeat. *u*

Sine præsentia pupilli (aliis servatis de jure servan- 41
dis) ex veriori sententia tutor recte contrahit, neglecta distinctione capacitatis, vel incapacitatis doli, curator autem non contrahit absque adulti præsentia, quoniam primo casu ipse tutor directe contrahit, in altero autem ipse adultus, cui solum curator auctoritatem præstat. *x*

Majori curator non datur, neque administratio inter- 42
dicitur, nisi jus tertii, vel alia justa causa Judicis arbitrio pensanda, aliud suadeat, ideoque resoluto præcepto in consilium, impune illud sperni potest, ubi regulæ limitatio non obstet. *y*

Actio ad redditionem rationum, seu alia tutelaris di- 43
recta, non competit contra inferiores ministros, quorum opera tutor, vel curator usus est, obliqua vero competit tanquam contra debitorem tutoris, exercendo scilicet eam actionem, quæ ipsi tutori, vel curatori detur, nisi facti circumstantiæ aliud suadeant, ex quibus quandoque de hujusmodi inferiorum ministrorum facto, tutor, vel curator non tenetur. *z*

Præscribitur actio tutelaris, ac petendi redditionem ra- 44
tionum per tempus longissimum, eo modo quo aliæ, absque eo, quod non obstet mala fides, at obstat in debito puro, cum ita potius resultet redditionis rationum, ac reliquatus restitutionis præsumptio, ideoque id quoque cadit sub præscriptione statutaria, quæ solutionis præsumptionem ob certi temporis lapsum inducit.

Quietantiæ autem, seu liberationes tutoris per pupil- 45
lum factum adultum non suffragantur, nisi redditio rationum vere accedat, quamvis malitia quandam adinvenerit cautelam, ut adultus fateatur sibi restitutos esse libros, ac rationes, & scripturas, sine quorum restitutione hæc actio exerceri non potest. *a*

a *Sub tit. de alienat. & contractib. prohib.*
b *Sub tit. de judiciis, & in praxi.*
c *De his requisitis disc.* 7. *&* 8.
d *Disc.* 6.
e *De hac materia juramenti in litem disc.* 8. *&* 9.
f *Disc.* 6. *&* 7. *cum seqq.*
f De hac specie æstimationis rerum non extantium, *tit. de Regal. disc.* 1.
g Ad eandem materiam juramenti in litem, de qua *sup. disc.* 8. *&* 9.
h *Disc.* 3. *&* 4.
i *Disc.* 6.
l *Disc.* 6. 8. *&* 9.
m *Disc.* 1. *&* 11.

n *Disc.* 2.

n *Disc.* 2. *&* 3.
o *De success. ab intest. disc.* 29.
p *Disc.* 1. *de feud. disc.* 18.
q *Disc.* 3. *& sub tit. de jurisdict. disc.* 94.
r *Disc.* 3. *& sub tit. de jurisd. disc.* 73.
s *Disc.* 10. *&* 15.
t *Disc.* 12.
u *Disc.* 13.
x *Tit. de alienat. & contract. disc.* 35.
y *Disc.* 14.
z *Tit. de Regalib. disc.* 86.
a *Disc.* 6. *&* 7.

II.

De procuratoribus ad negotia, aliisque administratoribus, ac Ministris in genere.

QUalem culpam mandatarius, vel alter majorum non
privilegiatorum administrator præstet, sub quæstio-
ne est, aliis ad dolum, & culpam latam eum tantum obli-
46 gantibus, aliis vero magis communiter, etiam ad levem,
ac aliis, etiam ad levissimam, super cujus distinctione, hujus
opinionis sequaces certant, an utramque, committendo, &
omittendo præstet, vel primam tantum, alteram vero non,
verius autem est certam, ac determinatam regulam gene-
ralem, desuper statutam in jure non haberi, ideoque pro fa-
cti qualitate, in quolibet singulari casu, ejus circumstantiis
attentis, decisionem prudenti arbitrio regulandam esse.
47 Illud autem potissimum attendendum, an voluntaria sit
administratio, commissa per eum, qui per seipsum commo-
de ejus negotia explicare valeat, ac eum, qui de necessitate
aliena indigeat administratione, ut hoc secundo casu, ri-
gorosius cum administratore procedendum sit, quasi quod
ista sit species administrationis legalis, tutelari assimilan-
da, ut præsertim sunt Civitatum, vel Universitatum ad-
48 ministratores, jure tutorum, vel curatorum in omnibus
recensendi, cum Civitas, vel Respublica pupillo assimile-
tur, ejusque jure censeatur.
Potissime vero, ubi qui sub tali administratione vivit,
nedum ex necessitate id agat, quia per seipsum id explica-
re non valeat, sed culpæ incapax existat, quia nempe cor-
49 pus inanimatum, ut sacræ Ædes, ac Civitates, similiaque
corpora intellectualia, seu politica sunt, cum tunc, qualis
qualis culpa sit, quæ ipsum Dominum obliget, ab admini-
stratore præstanda sit, ut præsertim in administratoribus
bancorum, vel mensarum sacrarum Ædium, praxis docet. *b*
Cujus vero sit periculum pecuniarum, aliarumque re-
rum functionem in genere recipientium, & quæ cum aliis
50 mandatarii, vel administratoris pecuniis, vel bonis confu-
sæ sint, an scilicet mandantis, vel mandatarii, seu admini-
stratoris, vel potius ejus, cujus bona administrantur, quæ-
stio est, cui certa compendiosa regula generalis, cuicum-
que casui adaptabilis tradi non potest, cum ex facti quali-
tate, singulorumque casuum circumstantiis pendeat, ideo-
que in sua sede videndum. *c*
51 Facti quoque est utriusque directæ, & contrariæ actionis
exercitium, cum generaliter de jure certa sit ejus compe-
tentia, cum ejus sequelis refectionis ejus quod interest. *d*
52 Sub mandatariorum, vel administratorum nomine ve-
niunt institores, & factores, aliique quomodolibet alie-
na bona, vel negotia administrantes, ideoque ad ratio-
53 num redditionem obligati, data enim quali quali admi-
nistratione pernecesse secum trahit hanc obligationem, a
qua Testatoris, vel præponentis dispositio, seu conventio
non excusat, præterquam a scrupulosa, ne alias invita-
tio ad delinquendum resultet, nisi supremi Principis au-
ctoritas accedat.
Socii quoque rem, vel negotium commune possiden- 54
tes, ac promiscue administrantes huic obligationi subja-
cent, quoniam unus alteri rationes reddere tenetur, non
tamen unus, alium ad id cogit, nisi prius ex ejus parte
expleat, multo vero magis, ubi alii non administrantes
ab eo, qui administravit, id petant. *e*
In his autem, vel similibus casibus, eadem intrat 55
propositio, quæ in tutore, vel curatore insinuata est, ut
ante rationum redditionem, non detur certæ summæ,
vel rei creditum, vel debitum, cum incertum sit, an
unum, vel alterum ex rationum redditione resultet, 56
nisi contumacia reddendi rationes eam inducat malam
præsumptionem, ob quam ad certam summam, vel rem
sibi traditam in administrationem cogi potest, cum in
dubio jactura non præsumatur. *f*
An autem substituendi facultas procuratori ad negotia, 57
vel alteri attributa, trahatur ad casus, in quibus personæ
industria electa censeatur, ideoque inverisimilitudo resi-
stat, facti potius est, quam juris, ex singulorum casuum cir-
cumstantiis, ac facti qualitate decidendum, ideoque certam
regulam non recipit cuicumque casui applicabilem. *g*
Salarii, vel mercedis quæstiones frequenter audit Forum, 58
In tutore autem, vel curatore, receptum est de jure non de-
beri, nisi petitum, atque decretum sit ab initio, quod pro di-
versa Tribunalium praxi regulam recipit; in aliis autem,
ubi non est conventum, regula generalis est negativa, ex
personæ, vel administrationis consuetudine, vel naturæ
limitanda, ubi autem conventio accedat, quæstio esse so-
let, an debeatur; ubi ex casu, vel facto ejus, cujus admi-
nistratio facienda est, servitium non præstatur, quod pa-
riter facti potius est quam juris, ex singulorum casuum
qualitate prudenti arbitrio decidendum. *h*
Revocabile autem, vel irrevocabile, an sit mandatum, 59
vel aliud administratoris, seu œconomiæ munus, sub quæ-
stione est, cujus decisio pariter ex facti qualitate recipit de-
terminationem, potissime an locationis, & conductionis
mixtura accedat, quæ mandati naturam corrumpat. *i*
De fiscalium autem bonorum, ac jurium administratio- 60
nibus, sub Fisci, seu Regalium materia agitur, *l* Prout de
procuratoribus, ac mandatariis ad judicia, vel forensia ne- 61
gotia, tractatur in sua judiciorum, ac praxis sede. *m*
Pleraque alia adsunt, quæ sub hac tutorum, & cura- 62
torum, aliorumque administratorum materia cadunt, præ-
missis forte majora, adeo ut plus dicendum remaneat,
quam dictum sit, de his tamen in suis respective sedibus
videndum est, cum juxta omnium materiam generale in-
stitutum, non universæ materiæ compendiosa tractatio
assumatur, sed eorum tantum, quæ occasio dedit practi-
ce in Foro tractare.

b *De hac materia culpæ in mandatario, disc.* 15. *&* 16. *& de Regal. disc.* 117.
c *D. disc.* 15. *&* 16.
d *Eod. disc.* 16.
e *Disc.* 17.
f *Eod. disc.* 17.
g *Disc.* 19.
h *Disc.* 18.
i *Disc.* 20.
l *Sub tit. de Regalibus.*
m *Sub tit. de Judiciis.*



Finis Libri Septimi.

